
III
L
63

SINGULARIS TRACTATUS
DE
PRIVILEGIIS
IGNORANTIÆ.

DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ TOMVS VNICVS

PRIMAM, ET ALTERAM ADDITIONALEM PARTEM COMPLECTENS

In hac secunda editione nouis, plurimisque Additionibus cumulatus.

AVTHORE

IOANNE CHRYSOSTOMO PHILIPPINO VERONENSI

CLERICO REGVLARI THEATINO,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE,

SANCTISSIMÆQVE INQVISITIONIS VERONENSIS CONSVLTORE.

Cum gemino Indice, vno Capitum, ac Priuilegiorum, Rerum notabilium, & Verborum altero.



MANTVÆ,

Apud Osanas, M. DC. IVC.

SVPERIORVM PERMISSV.



Illustrissimo, & Reuerendissimo Abbati

CAROLO
CARMINATO
PATRITIO VENETO

DOMINO SVO COLENDISSIMO

Summa Fęlicitatis Incrementa

D. IO: CHRYSOSTOMVS PHILIPPINVS C.R.



Eddidit tandem Deus Illustrissime Abbas, vt cum in Ignorantiæ Privilegiis, ~~me tegente, hominibus apta verim Librum~~; te Protegente, hominem invenerim Libro. Nec enim in hac tam morbifera Ignorantiæ Piscina facile est invenire, qui homo, aut esse velit, cum possit, aut esse possit, cum velit. Infelix Tractatus hujus natura hoc sibi erumpit in Vitium; ut & Patrocinium appellet, quia infirma; & Patronos repellat, quia infirmans: Quidam enim opem dare negant, cum possint, indignantes Materię; quidam autem negantur dare, cum velint, indignante Materia. Quid enim? An ne Ignorantiæ infirmitati manum prebeant ad subsidium, quorum Caput infirmitate ignorantię indiget ad tutelam? An Verbis præsit Privilegijs, cui Privilegia ipsa, Factis præsidente Ignorantia, non subsunt? In te quidem vno hæc duo collecta consicicns; quod & possis, non indigens, & Velis, non respuens, Gratulor Tractatum meo Hominem inveniβe, verè Humanum; cui cum nihil conferre possit ex proprio, totum sibi referre sperat ex tuo. Testis, imo Judex singularis Sapientię tuę Patavini Archigymnasii Universitas, quæ te Laurea minus decorato, quam laude, celebrem Virtuti tuæ communi omnium plausu concinuit de subtracta Ignorantia triumphum. Quid igitur tibi conferant Privilegia Ignorantiæ, qui & Ignorantiam Privilegiorum depellis? Conferes itaq; tu Virtute tua Privilegiis, quod purgato legum lumine pleno Jure Patrocinium recipiant: sed & non minus Virtuti tuæ Privilegium, quod præstare possis, dum præstas. Non tamen multum est tibi Patrocinium huic uni potestate præstare, qui omnibus potes: Plus est huic Uni Voluntate, imo, & Voluptate præstare, qui aliis fortè non velles: Quod enim speciosioribus operibus Patronus præsideres, Virtutem meriti tui attingeret, quod contemnis; quod autem huic imbecilliori assistas, Virtu-

tem merendi, quam affectas. Sed insuper tanta est de laudata tua benignitate suavitas, ut bonum sit in oculis tuis, & bonitate carere; teque oblatio illa plùs deceat, quæ non deceret. Spectatrix olim Patavini Præsulis Aula; quæ, si Eminentissimi Principis legibus in summa morum concinnitate disposita, novam ex te Elegantiam, quam edisceret, non habebat; totius in te uno quam doceret; Elegantiæ symmetriam prçferebat. Sed hęc senilis animi adhuc adolescente Virtute. Testis exinde ipsa mea Theatina Religio; cujus Ritibus, dum tui Cultus pietatem frequentius impendis ad obsequium, insignem Pietatis tuæ culturam exhibes ad Exemplum. Perjucundo tuæ benignitatis lenocinio, ita nostrorum omnium animos recreas, ut de diuturna tuę familiaritatis consuetudine, in communi sensus tranquillitate, sola fatigetur admiratio. Hinc verè antiquam tui Sanguinis nobilitatem elucidas, qui de morum Rusticitate nil sentis. Nobilitas posterior, quæ Nativitati supervenit, spiritum non infundit suum, quæ supponit alienum, & Sanguinem quidem Nobilitatis; Nobilitatem autem Sanguinis vix rarius infert. Cometarum est proprium, dum è limo tolluntur splendescere terrendo: Stellę autem, quę ingeniti luminis antiquo fulgore coruscant respectum Amoris exigunt, dum respiciunt, & timere potius videri volunt scintillando, dum trepidant, quam timeri lucendo, dum favent. Laus hęc est CARMINATAE FAMLIAE tuę fuisse semper, & Generis, & Morum Nobilitate spectabilem, qua meritum Amoris proferens, Amorem ubique retulit. Hinc Mediolanensium Ducum, & Caroli Quinti Cęsaris cumulata favoribus. Hinc Patritio Venetę Respublicę Sanguini juncta conjugiis, antequam Sanguine. Hinc tandem Venetę ipsi Nobilitati adscita; ut dum talem Alienam superadderee propriæ; Nihil ei de quacunque Nobilitate esset alienum. Sed nec prętereunda Joannis Anselmi ex CARMINATA tua Familia Illustrissimi Albensis Præsulis perdulcis memoria, cujus tanta Virtutis suavitas, ut plurium Ecclesiarum Votis certatim expetitus, & Cremonensis, & Mantuanę Partes, Generalis Vicarius expleverit; aliarum quoque expleturus, si dum unus omnibus satis erat, omnes uni satisfuissent. Virtus autem ejusdem meriti fuit quod serius una Albensis Ecclesia haberet primum, ut plures citius possent habere secundum. Hic ad preclarissimi animi tui singulares Notiones Illustrissime Abbas, adeo accessi, ut solo nomine distarim, non merito: Cujus tamen, hęc sola Calamitas, modestia tua, quam ne offendam, merito ipsi libentius injurius ero Verbis meis, sicut tu factis tuis. Patere tamen: huc me coegit nimia Comitas tua, qua fretus audeo commendare tibi hoc qualecunque sit opus meum, sacratum nomine tuo: Eoque fidentiori alacritate obsecro, ut sit opus tuum, quia tu non es operis sui. Indignum est, fateor, Vittute tua; sed & ex hoc fiducialius offero, quia digna est illo Virtus tua; qua patiaris, & foveas, & in Gentilitio Curru tuo de Invidentium impugnatione triumphet. Tandem si minùs est gratum exiguum munus, quod offero, gratius fiat majus obsequium quo offero, & me in ipso, qui tamen nec per hoc compar meritis tuis, super eminentem Dei largitatem enixè deprecor, ut Gratitudinis meę Vota respiciens, par favoribus tuis Gratiarum Pensum retribuat.

A P-

APPROBATIONES.

VIdimus inhęrendo diſpoſitioni Reuerendiſſimi Patris D. Caroli Coppolæ noſtræ Congregationis Præpoſiti Generalis Librum R. P. D. Joannis Chryſoſtomi Philippini noſtræ Congregationis Theologi De Privilegiis Ignorantiæ, cui Titulus, *Tomus Unicus primam, & Alteram Additionalem partem Complectens*, jam in duas partes Extenſum, nunc ab eodem novis Additionibus in unam collectum, & in Statera Sacri Indicis rigorosè appenſum, invenimus non minus habentem: unde communi hucuſque ſenſu, & publica utilitate probatum, iterum approbamus, firmiter fidentes, nova Doctrinarum mole auctum, novis quoque bonorum fructuum meritis cumulandum, ſi communi luci expoſitus, ne ullius lumini deſit omnium oculis admoueatur.

Veronæ in noſtris Ædibus Sanctæ Mariæ de Glarea 15. Decembri 1693.

D. Auguſtinus Ferrus Clericus Regularis S. T. P. & S. Officii Veronæ Conſult.
D. Joannes Baptiſta Barralis Clericus Regularis S. T. P.

D. CAROLVS COPPOLA PRÆPOSITVS GENERALIS CONGREGATIONIS CLERICORVM REGVLARIVM.

HOc opus inſcriptum *De Privilegiis Ignorantiæ Tomus Vnicus Primam, & Alteram Additionalem partem complectens* à R. P. D. Joanne Chryſoſtomo Philippino Noſtræ Congregationis Theologo compoſitum, & juxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus approbatum, ut Typis mandetur, quo ad nos ſpectat facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro Sigillo firmavimus.

Dat. Romæ die 30. Menſis Januarii Anno Domini 1694.

D. Carolus Coppola Præpoſitus Generalis Clericorum Regul.

Locus ✠ Sigilli.

D. Antonius Maria Borromeus Cler. Regul. Secr.

EX mandato Reuerendiſſimi P. Magiſtri Fr. Jordani Vignalis de Bononia Inquiſitoris Generalis Mantuæ Librum *De Privilegiis Ignorantiæ* ab eximio, ac eruditiſſimo P. D. Jo. Chryſoſthomo Philippino C. R. T. affabrè concinnatum evolvi. Volumen planè aureum ut decebat Opus Chryſoſthomi; & adeò inſigne, ut authorem ſuum celeberrima ſui fama longè, latèque pręclariorem ſit commendaturum; In aſſertionibus ſuis gravioribus innititur authoritatibus, & adeò ſincerè, ut conſuluiſſe prius conſtet oculis propriis quicquid aliunde deducit; acutis inde & adeò fulcitur rationibus ut nihil deſiderandum reſtet ad evincendum quicquid revocaverat in dubium; Talem demum doctrinarum copiam congerit, ut ad unius interrogationem plures, ac peregrinas ſubnectat reſolutiones. Callidus hoſtis ſub Divinę larva ſcientię: eritis ſicut Dii ſcientes, &c. Deplorandam invexit Ignorantiam hic autem prudentiſſima antiphraſi ſub ignorantiæ titulo ad morum probitatem Scientia reparatur Theologica. Hunc igitur Librum nedum eo quod Sacroſanctæ Fidei, Eccleſiaſticiſque dogmatibus nihil involvat adverſum, ſed ut plurimum Chriſtianæ diſciplinæ profuturum typis edi poſſe, ac edendum Cenſeo Ego

Fr. Jo. Andreas Cauvinus de Nicęa S. T. P. Ordinis Prędicatorum.

Stante antepoſita atteſtatione Imprimatur.

Fr. Jordanus Vignalis de Bononia Inquiſitor Mantuę.

Con-



OMNIA SCIENTI
INCREATÆ SAPIENTIÆ PATRI,
PATRI LVMINVM:
INCARNATÆ SAPIENTIÆ MATRI,
MATRI VERÆ LVCIS,
PVRITATIS DEIPARÆ:
VTRIVSQVE SAPIENTIÆ
PROFESSORI MIRIFICO
DIVO CAIETANO THIENÆO
CLERICORVM REGVLARIVM FVNDATORI,
HÆC QVÆ SVA SVNT
INFIRMITATIS INSIGNIA
IGNORANTIÆ PRIVILEGIA
OMNIVM INSCIENTISSIMVS
HVMILLIME
D. D. D.
IO: CHRYSOSTOMVS PHILIPPINVS
CLERICVS REGVLARIS.



Conſi-

Consideratio Doctissimi Tractatus De Privilegiis Ignorantiæ Admodum Reverendi Patris D. Ioannis Chrysostomi Philippini Clerici Regularis.

ELOGIUM.

Ignorantiam
Virtutis Eclypsim,
Elegantiæ Maculam,
Luminis Cæcitatem
Qui spernis,
Privilegiorum ejus Diplomata hoc in Volumine attende,
Utque rectè concludas,
A Natalibus exordire.
Infœlix Culpæ Progenies;
Matrem tamen affert, non refert;
Immò Matrem, quam Nascens sequitur,
Necans insequitur.
Criminosus Partus ex Culpa,
Nisi Crimen tolleret novo Crimine!
Viperinns fœtus in fœminam,
Nisi adeò salutaris verteretur in Homines!
Ex Scientiæ Arbore
Genealogicam seriem à longè computat Ignorantia;
At ex Mali malo concepta
Scientiæ malum removet à Conscientia.
Mentis vulnus Animum sauciat, non Animam,
Dummodo sit in Animo, non ex Animo.
Obscurus intelligentiæ Carcer actus captivat Hominis, non Humanos,
Dummodò obstringat Hominem, sine Homine.
Rationis vinculum Legum ligamine, si non solvit, absolvit,
Dummodò ità vinciat, ut nequeat vinci.
Mirum!
Omnis Peccans, Ignorans:
Nullus Ignorans, Peccans!
Nisi Peccare velit, ut Ignoret,
Nisi Ignorare velit, ut Peccet.
Ignorantiæ affines Inadvertentia, Oblivio;
Nisi quod & Consanguinitatis gradum aliquem habent cum scientia,
Proximum una, Remotiorem altera,
Ignorantia nullum.
Omnibus idem Privilegiorum Jus,
Nam & omnes Animæ Justtiam servant, vel contrà Jus.
Vidisti Ignorantiæ Diplomata?
Scientiam modò illam, Scientiarum Principem intuere,
A qua emanarunt.
Laus Tua CHRYSOSTOME
Quod in cortice suo nec ab Ignorantibus Laudabilis Ignorantia
Et à Sapientibus laudari debeat in Foliis tuis:
Quod Aureo ore

Ferream

Ferream ejus Rubiginem Speciosam feceris, & Pretiosam.
Mali ejusdem Malum, & Bonum judicans,
Nec Malum improbas, quod condemnas,
Nec Bonum approbas, quod absolvis.
Sic Virtute medius, & Scientia
Sapientis gladio utrinque Dividis, ut Componas,
Et Sapientibus favens, ac Insipientibus,
Aliis gratificaris Scientia Ignorantiæ;
Aliis Ignorantia scientiæ.
Grata subinde omnibus Virtus tua;
Nescio utrum laudabilior,
An Scientia Propria,
Vel Ignorantia Aliena!
At revera, nec propria Scientia, nec aliena Ignorantia,
Sed Utraque:
Cùm & Propriam Scientiam in Ignorantia aliena,
Et alienam Ignorantiam in Scientia Propria
Unam feceris Laudem tuam.
Hæc autem in duabus Partibus indivisa
Duplici ad Firmitatem nititur Testimonio;
Et additæ Partis novo edito Partu
Inexpletæ Virtutis fœcunditas Comprobatur.
Laudi tuæ Abundans, & Una:
At deerat aliis quod supererat Tibi.
Debuisti aliorum necessitati duplicem Sapientiæ Laborem,
Ne Ignorantiæ cæcitatem uno tantùm oculo illuminares.
Sed rursus utraque parte in Unam collecta
Alterum claudis,
Ut novis Ingenii additamentis
Quasi novis protractis Opticis tubis
Uno in tui Obiecti Arcana firmius collimes
Perge qui legis;
Et Privilegiorum Tractatui hoc unum adde,
Ut solus sibi ipsi sufficiens
Ad evincendum omnium Plausum
Nullo alio indigeat Privilegio.

Sic in obsequium Veritatis considerabat
Utinam scienter!
D. Augustinus Ferrus Clericus Regularis.

SCHER-

SCHERZI SERIOSI
SOPRA IL DOTTO LIBRO
DEI PRIVILEGII DELL'IGNORANZA,
DEL MOLTO REVERENDO PADRE
D. GIO: GRISOSTOMO FILIPPINI.

SONETTO.

L'Ignoranza commun con questa Scienza
Scienza divien ; che non è più Ignoranza
L'Ignoranza , che sà , se anzi è più Scienza
La Scienza , che hà il saper dell'Ignoranza.

Ignoranza honorata in ogni Scienza ,
Se ogni Scienza è in favor dell'Ignoranza :
Mà Ignoranza sì dotta in ogni Scienza
Da ogni Scienza invidiar fà l'Ignoranza.

L'Ignoranza , GRISOSTOMO , e la Scienza
Scienza , e lustro si danno ; e l'Ignoranza
Con l'Ignoranza è à Voi splendor di Scienza.

Scienza , che condannando l'Ignoranza
Dell'Ignoranza forma una tal Scienza ,
Ch'è Scienza per assolver l'Ignoranza.

D. Agostino Ferro Chierico Regolare.



CAPITUM, AC PRIVILEGIORUM
INDEX

Numerus qui apponitur denotat paginam.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT XII.

CAPVT XIII.

CA-

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

CAPUT XVII.

CAPUT XVIII.

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

CAPUT XXI.

CA-

Priuil.

CAPUT XXVII.

Privil.

habere alicujus Religionis Spiritualem Filiationem, eadem ignorantia non obstante, particeps est bonorum spiritualium ejusdem (præsertim satisfactoriorum,) nec non Indulgentiarum, (si sit Religionis benefactor) & adimpleat ea (materialiter saltem) quę à Summis Pontificibus, pro acquirendis Indulgentiis iisdem præscripta sunt. 521.

Privil. xxxviij. *Regularis Professus Habitum temerè dimittens, idest sine justa, & honesta causa, Excommunicationem Canonis* Cap. Ut periculosa 2. Ne Clerici, vel Monachi in 6. *non incurrit: Si cum ignoratia bujus Canonis habitum dimittat.* 536.

Privil. xxxjx. *Superior, seu Rector Regularis admittens in Ecclesiam propriam Regularem (occasione funerum) Parochorum ingressum cum Cotta, Stola, & Cruce elevata, sinensque eosdem nedum sic intrare, verum etiam super Cadavera Officia Defunctorum, aut Psalmos recitare; vel in aliquo ibi se intromittere; ignorans invincibiliter hoc obesse proprio Regulari Juri, ac Jurisdictioni, nec obest (stante tali ignorantia) nec contra ipsum Jus, inducit veram consuetudinem.* 572.

Vide Amice Lector traditam à me in hoc Privilegio (ex professo) maximam illam Controversiam, quæ tam acriter vertitur inter Reverendos Parochos, & Regulares circa Funerum materiam; eam quæso attentè lege, ac perlege, & non pigebit, præsertim si Parochus sis, aut Regularis. Quæ circa eandem refero, fideliter trado; quæque scribo in ea, in solum DEI Honorem facio, & puro charitatis, veritatis, & conscientiæ Zelo, nullo prorsus alio inferiori fine motus. Et quæ in ea concludo, ità sentio in anima mea, ut oppositum, nec percipere, nec capere queam.




JOANNIS



JOANNIS CHRYSOSTOMI PHILIPPINI VERONENSIS
CLERICI REGULARIS THEATINI
TRACTATUS MORALIS DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ,
SEU

Quando, quibusve in casibus unusquisque per Ipsam à peccato excusatur: Vel à Censuris, à Pœnis Ecclesiasticis, aut à gravamine alio Spirituali, necnon temporali (causa Eiusdem) liberatur.

INTENTIO AUTHORIS, ET OPERIS
AD LECTOREM.

1 Uicumque ex ignorantia invincibili ponit actum malum, non peccat utique formaliter, quia talis ignorantia excusat à peccato formali: & ita docent omnes Catholici contra *Lutherum Tom.6. in cap.12. Gen.* ad illud: *Et percussit Dominus Pharaonem:* Ubi vult, quod ignorantia facti excuset quidem in foro externo; neminem verò liberet a peccato formali in foro interno. Ab iniquitate igitur unusquisque excusatur, atque adeò non debet peccare formaliter, qui ponit actum malum, insuperabiliter ignorans ipsum esse talem: sicque omnes Theologi: cum quibus id etiam.

Probatur 1. Ex illo *Io.9. Si cœci essetis, non haberetis peccatum:* & ex *cap.15. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent:* & *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Accedit etiam ratio: quia ad hoc ut malitia actus alicui imputetur, debet ipsi esse voluntaria: ignorantia autem tollit principium voluntarii, nempè cognitionem. Unde cum malitia actus procedentis ex ignorantia invincibili agenti non sit voluntaria, eo quia ad rationem voluntarii requiritur cognitio vel malitiæ actui inexistentis, quando actus est imperatus; vel malitiæ objectivæ, quando actus est elicitus, nec esse potest consequenter culpabilis. Et hoc adeò verum est, ut dicat *Caramuel*, *Si insuperabilis ignorantia non excusaret à peccato, iuberet impossibilia Deus, interdiceretque necessaria:* sic *Tom. 2. Theologiæ Fundament. in princip. n.* 1331. Impossibilia enim non iubet Deus, vt decernit *Trident. sess. 6. Canon. 18. sic. Si quis dicerit, Dei præcepta homini, etiam iustificato, & sub gratia*

 con-

constituto, esse ad obseruandum impossibilia, *anathema sit*. igitur peccatum non imputatur invincibiliter ignoranti malitiam actus. Pro qua doctrina, & conclusione facit etiam quod docet *D.Tho. qu.3. de Malo, art.* 8. dum ibi sic: *Si in eodem actu aliquid sit ignoratum, & scitum, potest esse voluntarium, quantum ad id, quod est scitum; semper tamen est involuntarium, quantum ad id, quod est ignoratum, sive ignoretur deformitas actus, puta cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum: sive ignoretur circumstantia actus, sicut cum quis accedit ad mulierem, quam credit esse suam*. Peccatum ergo ignoranti invincibiliter malitiam actus non imputatur etiam secundum *Angelicum Doctorem*, defectu scilicet voluntarii, quod absque scientia haberi nequit, ut patet ex ejusdemmet voluntarii definitione, quam tradit idem *D.Tho.p.2.qu.6.art.p. in fine respons.* ut sequitur: *Voluntarium dicitur esse (secundum definitionem Aristot. & Gregorii Nysseni, & Damasceni) non solum cuius principium est intra, sed cum additione scientiæ*. Hinc Theologi in *Tractatu de Actibus Humanis*, agentes ibi de Voluntario, idemmet definiunt cum eodem *D.Tho. & Aristot. 3. Ethic.c.* 1. *Quod fit à principio intrinseco cum cognitione singulorum*. Absque cognitione ergo, & scientia non habetur voluntarium, consequenter nec cum insuperabili errore, & ignorantia formalis reatus: quod

2 Probatur 2. Nam aliqui etiam ex Sanctis Patribus quosdam errores habuerunt circa quædam puncta fidei, vel morum: eosdemque errores nedum habuerunt in intellectu, verum etiam alios docuerunt, & in praxi verosimiliter secuti sunt (ut ex. gr. *S.Cyprianus*; qui docuit *Baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos*) ipsi tamen ab omni labe peccati excusantur, eo quod eorundem error propter unionem cum Ecclesia Romana, præsumatur fuisse invincibilis. Præterea plurima Authorum Catholicorum Opera jubentur ab Ecclesia expurgari ab erroribus, aut quandoque etiam propter illos condemnantur, ita tamen ut Authores ipsi non puniantur, nec judicantur formaliter peccasse, quia censentur laborasse errore inculpabili, ex eo saltem, quod scripta sua subjecerunt judicio, & censuræ Ecclesiæ Romanæ: subiectio autem non excusaret, nisi errore invincibili à culpa excusarentur. Patent hæc ex *Cap. Damnamus de Summa Trinitate*, in quo reprobatur, & damnatur doctrina *Abbatis Ioachimi* (quam edidit in suo Tractatu contra *Magistrum Petrum Lombardum*) non tamen ipse Abbas. Item ex eo, quod *Vrbanus Papa VIII. Innocent.X. Alexand. VII.* quantumvis Librum *Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis* prohibuerint, & hi ultimi ipsius doctrinam damnarint, nihil tamen contra authorem unquam decreverint. Idem est de omnibus, qui Librum approbarunt, aut defenderunt ante Pontificum censuras. Ob eandem causam excusantur innumeri à peccatis, quæ in pueritia præcipuè, & adolescentia fecerunt, eo quod malitiam illorum invincibiliter ignorarint. Item excusantur Confessarii, Doctores, Consiliarii, Judices, &c. quandoque ex errore invincibili docentes aliquid falsum, quod scienter docere esset peccatum mortale: certum est autem, quod si ignorantia eos non excusaret, licitè, & sine peccato formali non possent agere Confessarium, Doctorem Casuum Conscientiæ, Consiliarium, Iudicem, &c. quia in hisce exercendis muneribus, frequenter accidit (maxime in debilioribus) ex errore invincibili, doceri, suaderi, vel definiri aliquid falsum; unde si ignorantia non excusaret, subinde peccarent mortaliter, nec tali periculo hi consequenter se exponere possent: dicere autem, quod Confessarii, Doctores, Consiliarii, Iudices, &c. non possint officium suum exercere, esset instructionem omnem tollere, totumque Orbem in meris ignorantiæ tenebris, & malis innumeris eas consequentibus involutum deserere absque remedio.

3 Probatur 3. Authoritate Sanctorum: *D.Thom.* ubi supra *qu.* 3. *de Malo art.* 8. *Cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum*. Item *p.* 2. *qu.* 76. *art.* 3. *in Respons.* docens universaliter, quod *Ignorantia, quæ est causa actus, quia causat involuntarium, de se habet, quod excuset à peccato, eo quod voluntarium est de ratione peccati*. Ad quę locum (*Caietanus*) *Pro regula namque generali habendum est, quod ignorantia ex parte rei ignoratæ, idest non ex parte ignorantiæ, idest non culpabilis, excusat totaliter ab involuntario. Quod est proprius effectus ignorantiæ, sive det operam rei licitæ, sive illicitæ*. Et paulo infra, *Quantum verò habet de involuntario, tantum habet error non peccati*. *Sancti Augustini*, qui excusavit à peccato eos, qui ex invincibili ignorantia facti fecerunt actum peccaminosum. Siquidem *Epist.* 48. agens contra *Donatistas*, qui accusabant Catholicos omnes propter crimen aliquorum, ait eos esse excusandos, quod nescivérint, *Certè nullius crimen maculat nescientem*. Et postea. *Hos ergo ab hoc crimine innocentes esse, nempè ipsa ignorantia,*

rantia, *facile ostendit*. Et *lib.* 2. *contra Cresconium cap.* 26. negat eum peccare, qui inscienter ab Hæretico baptizatus est: *Conscientia propterea lædi non potuit, quia nescivit*. Item eum, qui nesciens, uxorem duxit alienam, si postea id sciens, discesserit. Quo facit illud *lib.* 6. *contra Julianum cap.* 19. ubi de *Abimelech* desiderante sibi conjungere uxorem *Abrahæ*, sic ait: *Sed sciebam, inquit Deus, quia in corde mundo fecisti hoc. Non omnia, vel quæcumque, sed hoc, in quo adulterii conscientiam non habebat*. Itidem à peccatis excusat eos, qui ex ignorantia invincibili agunt contra Ius positivum humanum, vel Divinum: ex. gr. eos, qui non credunt in Christum, quia prædicationem ipsius, vel discipulorum non audierunt. *Tract.* 89. *in Ioann.* Ubi explicans illud: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*; petit, *Utrum hi, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo?* Et respondet: *Habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus*. Postea quærit; *Utrum hi, qui priusquam Christus veniret in Ecclesiam ad gentes, & priusquam Evangelium eius audirent, vitæ huius fine præventi sunt, seu præveniuntur, possint habere hanc excusationem?* Et, *Possunt planè* (respondet) *sed non ideo possunt effugere damnationem. Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege, & peribunt*. Quia scilicet non liberantur ab aliis peccatis excusationem ignorantiæ non admittentibus. Similia habet *Epist.* 50. *in fine*. Item *Epist.* 105. *ad Sixtum*, & alibi. Ut autem brevitate utar, omitto hic referre ejusdem *Augustini* verba; uti pariter omitto aliorum Sanctorum authoritates recensere, excusantes eos à peccato formali, qui ex ignorantia invincibili ponunt actum malum materialiter. Sufficiat, quod ut malitia actus (per omnes Catholicos) alicui imputetur, debet ipsi esse voluntaria; unde Damnata est propositio *Beiana* 46. *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium*. Ignorantia autem tollit principium voluntarii, nempè cognitionem, quæ necessaria est, ut actus procedens, dicatur, & sit voluntarius ipsi agenti, & huicmet ejusdem actus malitia imputetur; aliter ab eadem malitia, & peccato formaliter excusabitur (defectu voluntarii per omnes Catholicos) procedens ex ignorantia invincibili. Invincibilis enim ignorantia inculpabilis est, atque adeo excusationem admittit à culpæ reatu. Et adeo excusationem admittit, ut non solum à culpa omni excusetur dictus actus, verum etiam contingere potest quod sit bonus, laude, ac præmio dignus apud Deum, ut affirmat, & probat *Azor. p.* 1. *Instit. Moral. lib.* 1. *cap.* 14. *qu.* 5.

4 De hujusmodi ergo à culpæ reatu *Excusatione*, prout hæc ortum, ac originem trahit ab *Ignorantia*, Instituo ego præsentem Tractatum, sub novo adhuc typis non dato Titulo, in quo nisi omnia nova erunt, cum *nil sit sub Sole novum, nec dictum, quod non sit prius dictum*, ut *Eccles.* 1. spero quod saltem novitatem sapient. Quoniam verò eximi, & esse immunem à culpa, ab eademque excusari, est veluti privilegium quoddam, ut patet; & expressè etiam affirmat *Portel. in Responsis Moralib. par.* 1. *casu* 27. *n.* 2. *in fine*, & hoc idem utique habetur (ex dictis) ignorantiæ causa; quot erunt *Excusationes* à peccatis formaliter, ortum habentes ab *Ignorantia*, tot consequenter quibunt dici (latè saltem, si non propriè, ac pressè) *Ignorantiæ eiusdem Privilegia*: & hæc eadem (nondum ab aliquo cumulata) in hunc unum Tractatum congerere, peculiari labore, ac studio conatus sum, ad commodum studii Moralis, & Moralistarum, ac ad instructionem eorum, qui Directores sunt conscientiarum, præsertim scrupulis obnoxiarum. Quem Tractatum divido, ac distribuo in sequentia capita. *Primum* est, De Privilegiis Ignorantiæ circa Legem naturalem. *Secundum*, circa Legem Civilem. *Tertium*, circa Legem Divinam, & Mysteria fidei. *Quartum*, circa Legem Ecclesiasticam. *Quintum*, circa Præcepta charitatis. *Sextum*, circa Præcepta Decalogi, & primò circa primum, *Unum cole Deum*. *Septimum*, circa secundum Decalogi Præceptum, *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. *Octavum*, circa tertium Decalogi Præceptum, *Sabbatha sanctifices*. *Nonum*, circa quartum Decalogi Preceptum, *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram*. *Decimum*, circa quintum Decalogi Præceptum, *Non occides*. *Undecimum*, circa sextum, & nonum Decalogi Præceptum, *Non mœchaberis: Non concupisces Uxorem proximi tui*. *Duodecimum*, circa Septimum, & decimum Decalogi Præceptum, *Non furtum facies: Non desiderabis bona proximi tui*. *Decimum tertium*, circa octavum Decalogi Præceptum, *Non falsum testimonium dices*. *Decimum quartum*, circa Præcepta Ecclesiæ, & primo circa primum, *Audiendi Missam Dominicis, & Festis diebus*. *Decimum quintum*, circa secundum, quo jubemur *semel in Anno peccata confiteri*. *Decimum sextum*, circa tertium, *De sumendo Eucharistiæ Sacramento in Paschate*. *Decimum septimum*, circa quartum, *De Ieiunio*. *Decimum*

mum octavum, circa quintum, *Solvendi Decimas*. *Decimum nonum*, circa Sacramenta. Et primò. Circa Ministrum Sacramentorum: necnon circa suscipientem illa. *Vigesimum*, circa Sacramentum Baptismi. *Vigesimum primum*, circa Sacramentum Confirmationis. *Vigesimum secundum*, circa Sacramentum Pœnitentiæ. *Vigesimum tertium*, circa Venerabile Sacramentum Eucharistiæ. *Vigesimum quartum*, circa Sacramentum Extremæ Unctionis. *Vigesimum quintum*, circa Sacramentum Ordinis. *Vigesimum sextum*, circa Sacramentum Matrimonii. *Vigesimum septimum*, circa Varia. Si quid autem boni in hoc opere, & Tractatu repertum fuerit, Deo fonti totius boni adscribatur: si quid verò erroris inventum, mihi (totius ignorantię, & inscitiæ scaturigini) tribuatur; qui propterea integrum Opus ipsum, & Tractatum Sanctæ Sedis Apostolicę censuræ, necnon Superiorum judicio, quorum interest corrigere, ac emendare, & errati me admonere, cum omni submissione subijcio; nec enim mihi tantum tribuo, quin possim à verò deviare, ac toto cęlo errare.

5 Verùm, quia & aliæ ignorantiæ (prętet invincibilem) si non excusant à peccato, saltem minuunt illud, de iisdemq; erit incidens sermo in hoc Tractatu: idcirco antequam ulterius progrediar, deveniendo ad eadem privilegia in particulari definienda, & pertractanda; necesse est (pro fundamento etiam hujus nostri Operis) ejusdemmet ignorantiæ divisiones (uti à D.D. communiter referuntur, ac recensentur) præmittere: necnon alia quædam circa ignorantiam hìc resolvere, quæ in corpore Tractatus ut certa supponi debent, nec amplius repeti, sed accipi uti bases nostrarum thesum, & responsionum. Supposito ergo cum *D. Tho. p. 2. q. 76. art. 2. in Respons.* Ignorantiam à nescientia differre, & in hoc, quod nescientia sit carentia, seu negatio simplex scientię cujuscumque, sive debitæ scilicet, sive indebitæ: ignorantia verò importet scientiæ debitæ privationem, quæ tunc adest, cum videlicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire: hinc (ut optimè *Sanchez in opere Morali lib. p. cap. 16. n. p.) Ignorantiam à nescientia distingui, sicut cœcus, & non videns. Quippe hæc puram negationem importat. Illa autem scientiæ, cui acquirendæ quis aptus est, privationem*. Hoc inquam ergo supposito.

6 Prima divisio est: Ignorantia alia est Iuris, alia facti, alia pœnæ: Ignorantia Iuris contingit, quando nescitur præceptum, vel prohibitio; ut accidit quando quisv. g. percutit Romipetam, seu peregrinum ad Urbem Romæ devotionis causâ accedentem, nesciens prohibitam esse ab Ecclesia percussionem Romipetæ, seu Peregrini. Ignorantia facti contingit, quando adest notitia legis, seu Iuris, sed ignoratur factum, quod prohibetur in dicta lege: & accidit, quando quis percutit ignoranter Romipetam, scit tamen latam esse censuram contra percussores Romipetæ. Ignorantia pœnæ contingit, quando nescitur latam esse pœnam contra delinquentes, ut accidit, quando percutit quis Romipetam, sciens prohibitum esse ab Ecclesia percutere Romipetam, & sciens hunc esse Romipetam, sed ignorans prohibitum esse sub censura percutere Romipetam.

7 Secunda divisio est: Ignorantia Iuris, sive facti, alia est invincibilis, quæ etiam inculpabilis, probabilis, justa, & involuntaria appellari solet: Alia vincibilis, quę & culpabilis, improbabilis, injusta, ac voluntaria dicitur. (Circa hanc divisionem recognosce *Petrum Mariam Passerinum in p. lib. Sexti Decret. In cap. Vt Animarum 2. de Const. quæst. primæ art. 3. per totum, à n. 70. fol. 86.*) Ignorantia Invincibilis dicitur illa, quæ vinci non potest. Unde qui nihil unquam de Censura cogitavit, vel dubitavit, dicitur habere ignorantiam invincibilem, seu probabilem de Censura. Quis enim potest ignorantiam ejus rei vincere, cujus nihil menti occurrit, per quod posset illam vincere acquirendo scientiam oppositam? Dicitur autem ignorantia probabilis, quando ignorat ea, quæ scire tenetur, & posito dubio, debitam adhibuit diligentiam ad ea cognoscenda, sed nondum cognovit: v.g. aliquis incipit dubitare latam esse excommunicationem contra Clericos deferentes certum genus armorum, dicitur habere ignorantiam probabilem excommunicationis, si consultis doctis, & peritis Clericis, rei veritatem non invenit. Ignorantia vincibilis est, quæ vinci potuit, sed ignorans non adhibuit sufficientem diligentiam ad eam vincendam juxta qualitatem negotii. Veruntamen hæc ignorantia vincibilis alia est, in qua gravis negligentia intercedit. alia in qua levis negligentia concurrit, non sufficiens ad mortale, sed tantum ad veniale.

8 Tertia Ignorantiæ divisio est: Alia dicitur affectata, seu optata; alia crassa, & supina. Ignorantia affectata, seu optata accidit, quando quis eligit nescire præceptum, ut liberius peccet. Propterea si Clericus positivè eligit nolle scire latam esse censuram contra gestantes arma, vt ipse liberius gestare possit, dicitur habere ignorantiam affectatam.

ctatam. Ignorantia crassa, & supina, dicitur illa, quæ procedit ex lata culpa, sive ex summa negligentia, ut accidit quando quis nullam, aut valde modicam adhibuit diligentiam ad cognoscendum, id, quod scire tenetur, postquam de illo habuit aliquam cognitionem, vel dubium. *Corduba in Quæstionario Theologico lib 2. qu. p. in 4. Divisione, versu, Alia est ignorantia vincibilis*: ait: Ignorantiam vincibilem dici *Crassam*, quando ex desidia oritur, sumpta metaphora ex hominibus crassis, ac pinguibus, qui desides esse solent: *Supinam* verò, quando oritur ex nimia solicitudine circa alia, & modica ignorantiæ vincendæ cura, instar supinè in lecto jacentium, quasi nil de rebus curantium: Qua de re videatur etiam *Sanch. in Decalogum lib. p. cap.* 16. *n.* 7. Hic colligitur dari vtique ignorantiam aliquam culpabilem: quod etiam constat ex *p. Corint.* 14. in quo dicitur: *Si quis ignorat ignorabitur*; & ex *Psal.* 24. in quo: *Ignorantias meas, ne memineris*. Et ratio est: Quia vnusquisque ea tenetur scire, quæ operari tenetur: igitur ea ignorare videtur esse culpa. Quia tamen ignorantia est in solo intellectu, sicut etiam est scientia opposita, peccatum verò, cum necessario esse debeat voluntarium, ac liberum, in sola voluntate formaliter reperitur: hinc est quod peccatum ignorantiæ, præter ipsam ignorantiam, aliquam voluntatis libertatem includere debet. Ignorantia enim ex se non est peccatum, cum scire non sit actus virtutis, sed virtutem antecedat. Unde fit, ut nemo scire teneatur præcisè, ut ignorantiam expellat. Cum enim hæc non sit peccatum, nemo eam per se expellere tenetur, sed solum in ordine ad operandum, siuè vt rectè operetur. Ex quo sequitur quod cum quis ex negligentia, siue ignorantia culpabili violet præceptum aliquod, peccet utique. Huiusmodi tamen peccatum non est numero diversum ab ipsa transgressione præcepti, quando hæc sequitur: ut etiam inter alios aduertit *Gabriel Beatus in suis quæstionib. Moralib. de Lege interna, & externa Tit. De Ignorant. qu.* 19. *n.* 26. *&* 27. *in Corrolario*: sicuti Furtum externum, non est peccatum numero diversum à voluntate furandi &c. Tunc enim (addit & optime idem *Author qu. seq.* 20. *num.* 10.) *Ignorantia est speciale peccatum, solum, cum ex intentione ignorandi, ignoratur res scitu necessaria. Ignorantia enim vincibilis tunc est speciale peccatum contra virtutem Studiositatis, cum quis vult ignorare ea, quæ alias scire tenetur, hac speciali intentione, ut ea nesciat. Præciso hoc casu, peccatum ignorantiæ nō distinguitur à qualibet transgressione præcepti.*

9 Quarta divisio est: Ignorantia aliquando appellatur antecedens, aliquando comitans, aliquando consequens. Antecedens dicitur illa, quæ est invincibilis, qua non posita, actus malus non fieret; ut quando Petrus percutit Clericum, nesciens ipsum esse Clericum, quem non percuteret, si sciret Clericum esse, aut esse specialiter prohibitum percutere Clericum, dicitur habere ignorantiam antecedentem. Ignorantia comitans dicitur illa, quæ si non adesset, actus nihilominus fieret, ut si Petrus percuteret inimicum, credens esse feram; sed nihilominus illum percussisset si suum inimicum esse animadvertisset; dicitur habere ignorantiam comitantem. Ignorantia consequens dicitur illa, quæ provenit à prava hominis voluntate deliberata, ut ait *D. Th. p.* 2. *qu.* 76. *art.* 2. quia non vult adhibere diligentiam ad sciendum jus illud, quod scire obligatur, vel ad considerandum factum suum, quod eidem juri conformare tenetur. De hujusmodi quarta divisione, & respectu cujus rei ignorantia dicatur antecedens, concomitans, & consequens, optimè citatus *Passerinus art.* 7. *quæst. cit. à n.* 149. *fol.* 104. videatur.

10 Advertit autem, & optimè *P. Morandus* noster, Præceptor meus, *Tomo* 2. *Theol. Tract.* 2. qui est *De Actibus Humanis*, *qu.* 9. Ad membra hujus quartæ divisionis, reduci prædictas alias ignorantiæ divisiones, & alias (si quæ sunt) quas afferunt Theologi Moderniores. Et hoc idem clarè patet: nam Petrus ignorans gr. ex. hodie esse diem quatuor temporum, comedit carnes, quas non comedisset si agnovisset qualitatem diei: talis ignorantia est utique antecedens, quia nullo pacto est à voluntate, & est causa comestionis carnium, quatenus removet scientiam diei interdictę. Sicque eadem est etiam invincibilis ignorantia, involuntaria, inculpabilis, cumque ipsaque coincidit, cum utraque sit causa operis. Idem Petrus insuper, jaculatur sagittam v. g. ut occidat feram, casu occidit inimicum, quem diu occidere concupiverat, quem tamen occidisset, si scivisset ibi esse loco feræ: Ignorantia hæc, qua interficit suum inimicum putans esse feram, est concomitans, quia comitatur illam occisionem, non tamen est ejus causa, quia etiam posita scientia, quod ibi esset suus inimicus, non fera, libenter occidisset: Et cum hac quoque coincidit ignorantia, quæ dicitur non causa operis, item invo-

involuntaria, invincibilis, inculpabilis. Ignorantia tandem consequens prout est illa, quæ consequitur aliquem actum voluntatis, quo est voluntaria; vel directè, ut quando quis appositè vult ignorare, ne teneatur præcepta, & leges servare; vel indirectè tantum, vt quando quis negligenter non curat scire, cum possit, & debeat ea, quæ sunt in præcepto: coincidit & ipsa cum ignorantia voluntaria vincibili, culpabili, affectata, crassa, & supina: quod patet: nam Petrus v.g. die interdicta comedit carnes, ignorans esse pervigilium alicujus Sancti, eo quod data opera noluit ire ad Ecclesiam, ne intelligeret an in illa hebdomada esset aliqua vigilia; vel si non data opera, saltem ex aliqua negligentia non perrexit: hæc autem Petri ignorantia, nonne est voluntaria, vincibilis, culpabilis, affectata, si sit primo modo consequens: negligens, crassa, & supina, si secundo modo? Ignorantia verò Iuris, & facti, negativa, & positiva, actualis tantum; & actualis, & habitualis simul, convenire etiam possunt antecedenti, comitanti, & consequenti, ut patebit consideranti varios casus, qui occurrere possunt.

11 Hactenus ex relato *P. Morando quest. cit. sub n.* 71. sub quo etiam aduertit secundò: Quod sicut ignorantia antecedens dicitur talis, quia antecedit voluntatem ignorandi: & consequens appellatur ita, quia consequitur eandem voluntatem ignorandi: ita etiam comitans, si comparetur ad voluntatem, potest dici antecedens, si nullo pacto sit voluntaria, sed tantum concomitetur actum: & potest dici consequens ad eandem voluntatem comparata, si aliquo pacto sit voluntaria, eo quod poterat depelli. Eodem modo etiam ignorantia consequens, si comparetur ad effectum ex ignorantia factum, si sit ita, quod etiam illa ablata adhuc effectus fieret, ut v. g. quis negligit scire hodie esse diem jejunii, tamen & si novisset, adhuc comedisset, potest dici ignorantia comitans: at si non est causa operis, ita quod si scivisset, non comedisset, potest dici ignorantia antecedens: hinc ignorantia consequens potest coincidere cum ignorantia, quæ est causa, & cum ea, quæ non est causa operis, prout diversimodè possunt appellari ex diversa comparatione facta, aut ad voluntatem ignorandi, aut ad effectum ex ignorantia factum. Verum quidem est, quod, ut notat *Oviedus tract. 6. controv. 6. punct.* 1. apud eundem *P. Morandum sub n. cit.* communiter D.D. sumunt ignorantiam antecedentem, & consequentem in ordine ad voluntatem ignorandi, non ad effectum; & concomitantem respectu effectus, quem comitatur tantum cujus non est causa, non in ordine ad voluntatem ignorandi. Hæc maxime advertenda pro D. D intelligentia nedum, verum etiam pro praxi casuum conscientiæ, quando videlicet excusant, vel non, à culpa, ratione ignorantiæ, de quibus nos hìc, & in toto hoc opere ex professo pertractare intendimus.

12 An autem supradictæ divisiones ignorantiæ accommodari etiam possint inconsiderationi, inadvertentiæ, & obliuioni naturali (quæ contingit quando quis habuit cognitionem præcepti, sed hìc, & nunc ad illud non advertit) & sicuti ignorantia excusat à peccatis, censuris, &c. ita excusare etiam possit inadvertentia ipsa, inconsideratio, & oblivio naturalis? affirmant *Sanch. in Opere Morali lib.* 1. *cap.* 16. *n.*8. (postquam ipse quoque à *n.* 2. *usque ad* 7. tradidit supra relatas divisiones Ignorantiæ) *Suar.* apud eundem *Sanch. n. cit.* ubi etiam habet: *Ignorantiam non differre ab inadvertentia, seu oblivione actuali quoad excusandum à culpa: & in hoc tantum distingui, quod ignorantia habitum importet, inadvertentia verò actum. Azor. Institut. Moral. To.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *qu.* 3. *litt. B.* Idem *Suar. de Cens. disp.* 4. *sec.* 8. *n.* 5. *&* 11. *Coninch de Cens. disp.* 13. *dub.* 11. *n.* 93. *Bonac. de Cens. disp.* 1. *qu.* 2. *punc.* 1. *n.* 17. & alii communiter, præcipuè dictus *P. Morandus qu. cit. n.* 75. & *Gabriel Beatus in Q. Q. Moralibus qu.* 18. *n.* 24. quem ideò concludit sic: *Quod dicitur de ignorantia invincibili, intelligendum est etiam de inaduertentia, ac oblivione invincibili.* Si enim quis actu non considerat, nec ullo pacto dubitat, neque ullam habet in mente hæsitationem, quod hodie v. g. sit dies Veneris, quomodo si comedat carnes, dici debet voluntariè fregisse præceptum, si nihil volitum quin præcognitum? Igitur datur etiam inconsideratio involuntaria, inculpabilis, &c. coincidens cum ignorantia item involuntaria, inculpabili, &c. Rursus si quis spontè nolit considerare, quamvis possit, & debeat, an hodie sit dies Veneris, ne frangat præceptum, comedendo carnes, nonne erit inconsideratio culpabilis, voluntaria, &c.? ergo. Videatur *Passerinus citatus supra n.* 7. *questionis primæ, art.* 4. *per totum à n.* 85. *fol* 88. item *art.* 5. *& capitib. seqq.*

13 His suppositis: Si quæras, qualiter ignorantia, oblivio, & inadvertentia excusent à peccato? Multi Doctores sentiunt, sufficere advertentiam virtualem, seu inter-

ter-

terpretativam, ut ignorantia, oblivio, & inaduertentia censeantur vincibilia, & absque diligentia debita posita ad ea vincenda; quam virtualem considerationem non excusare à peccato, & à legis transgressione itidem consequenter asseverant. Appellant autem advertentiam, seu considerationem virtualem, quoties, & si ratio actu non consideravit malitiam objecti, potuit tamen morali potentia, & debuit eandem considerare. Ratio eorum est, quia inadvertentia, & ignorantia dicuntur invincibilia, quando morali, & humano modo vinci nequeunt: & cum quis tenebatur advertere, possunt humano, & morali modo vinci. Nam sic ignorans tenebatur ex officio, vel suo statu scire, & advertere. Quippe præceptum, quo factum aliquod præcipitur, aut prohibetur, obligat ad advertendum, illudque sciendum. At si non posset scire, non tenetur utique: nemo enim ad impossibile obligatur: ergo talis ignorantia est indirectè voluntaria, & subinde culpabilis: quare jura clamant, *paria esse scire, & debere scire: l. Quod te mihi dare oportet, ff. de rebus credit. Navarr. in Summ. Prælud. p. n. 17. Azorius tom. 1. Instit. lib. 1. cap. 16. q. 5.* & alii: quibus addi potest *Caramuel in Theolog. Mor. Fundament. tom. 1. n. 912.* dum ibi sic: *Cum ignorantes nascamur, & asserente Aristotele tanquam Tabulæ rasæ, in quibus nil scriptum, stat pro possessione ignorantia, quæ excludi non debet, nisi probetur discendi commoditas, & obligatio.*

14 Verum probabilius alii (cum quibus & ego) tenent, quod ut ignorantia, inadvertentia, & oblivio sive juris, sive facti censeantur invincibilia, sufficit ut nulla notitia, nec specialis, nec confusa, nec aliqua dubitatio in universum, aut particulariter occurrat. Sed debet præcedere aliqua cogitatio, aut consideratio expressa, quam actualem vocant, malitiæ moralis, vel periculi. Quare ut aliquis peccet moraliter, debet expressè advertere, & considerare malitiam objecti, vel saltem habere aliquam dubitandi rationem, aut scrupulum. Quod si nihil horum præcesserit, ignorantia, & inadvertentia, seu oblivio censentur omninò naturalia, & invincibilia; nec satis est cogitatio illa, & advertentia virtualis, seu interpretativa. Et ratio naturalis est, quia homo non potest se applicare ad aliquid considerandum, vel discernendum, nisi præcedat aliqua cogitatio, qua possit moveri: quia homo non se applicat nisi per voluntatem, & voluntas non potest se movere nisi prævia aliqua cogitatione, eo quod ante primam voluntatem præcedere debet cogitatio, quæ propterea non potest esse voluntaria, sed naturalis ab extrinseco proveniens: ergo quando nulla talis in mentem subiit, qua possit voluntas moveri, & excitari ad appetendum, vel quærendum scientiam, vel considerationem, non est in potestate hominis se ad illam movere, & consequenter non potest talis ignorantia homini imputari, sed est involuntaria, ac propterea inculpabilis, & invincibilis.

15 Quod optimè confirmatur, quia juxta *D. Tho. p. 2. qu. 14. art. 6.* Consultatio intellectus in mediorum inquisitione non procedit in infinitum versus finem, nec versus principium. Quia alioquin nunquam inciperemus consultare, & operari. Quare necesse est ad vnam cogitationem primam pervenire, quæ non ex consultatione procedat, sed illius initium fit: vt ergo quispiam circa operis bonitatem, aut malitiam consultare possit, opus est, ut occurrat primò aliqua cogitatio naturalis in potestate nostra non existens, quę talis consultationis initium possit esse. Nec erit in potestate nostra primam hanc cogitationem excitare. At quandiù non occurret intellectui cogitatio aliqua circa malitiam objecti, aut circa illius periculum; aut dubitatio aliqua, aut scrupulus, quantumvis de illius commoditate intellectus consultet, non est principium sufficiens deliberandi de malitia ipsa morali; ergo non potest esse culpa quandiù hæc cogitatio circa malitiam non se offert. Namsuperat humanam diligentiam expellere ignorantiam, vel inadvertentiam malitiæ objecti, cujus nulla prorsus incidit cogitatio. Huic sententiæ favent *Sanch. in Opere Morali libr. p. cap. 16. n. 21. Filliuc. To. 2. Tract. 21. cap. 10. quæst. 9. n. 376. Suar. de Cens. disp. 4. sec. 8. n. 17. & 18.* & plures alii apud ipsos.

16 Hinc idem met *Suar. n. 17. cit.* concludit: *quod sicut ignorantia facti potest esse invincibilis, etiam in rebus ad proprium officium pertinentibus, quia peritia hominis curta est, & diligentia limitata, & ars fallax, ac providentia incerta; ita pari ratione potest ignorantia iuris esse invincibilis, etiam si sit de aliquo præcepto ad proprium officium pertinente.* Et *Filliuc. n. 376. cit.* itidem notat, *quod cum dicunt D. D. aliquem peccare, quando advertit, vel debet advertere (ut Navar. c. 15. n. 32. c. 17. n. 13.) intelligi debent de advertentia, quæ supponit iam obiectum apprehensum, & fit posterior advertentia in apprehensione, alioquin ante primam apprehensionem advertere non tenetur. Debet enim præcedere aliqua apprehensio malitiæ,*

tiæ, aut prohibitionis, vel alterius rei similis, quæ pertineat ad genus moris. Et horum omnium ratio naturalis est (ut optimè etiam *Sanch. n. 21. cit.*) quia superat humanam diligentiam, expellere ignorantiam, vel inadvertentiam malitiæ objecti, cujus nulla prorsus incidit cogitatio, ut supra: quippe omnis libertatis nostræ usus circa aliquam rem dependet tanquam à radice à cognitione aliqua malitiæ, vel bonitatis objecti precedenti, illique necessariò adhæret; igitur non potest esse culpa, quamdiù hæc cognitio, vel cogitatio circa malitiam non se offert. Idque etiam persuadet Diuinæ legis suavitas (addit *Sanch. n. 21. cit.*) præsertim in peccatis mortalibus, quæ cum tanti momenti sint, non est credibile ea ab illo committi, qui de malitia nec dubium, nec scrupulum concepit, sed circa eam se habuit quasi naturaliter operans. Ex quibus:

17 Colligitur, sano modo esse intelligenda Iura, ac Doctores, dum æquiparant scire, & debere scire: passimque dicunt, esse indirectè voluntariam ignorantiam, & inadvertentiam, cum quis vel scivit, & advertit; aut debebat scire, & advertere. Hæc enim intelligenda sunt, quando adfuit aliqua actualis, plena, & sufficiens ad mortale advertentia ad malitiam objecti, ejusve periculum, seu dubium, aut scrupulus. Quia dum hæc actualis advertentia non adfuit, non est in nostra potestate proxima expellere eam ignorantiam, & inconsiderationem, aut non est plenè, ita ut & ad mortale sufficiat. At ea existente advertentia, tenetur, quia poterat intellectus deliberare, & voluntas diligentiam adhibere ad sciendum, & propterea si non adhibeat imputabitur culpæ. *Ita Sanch. l. c. n. 24. Filliuc. n. 376. cit.* & alii.

18 Quod si instes, hic non advertens aut ignorans præceptum jejunii v. g. & cui nulla dubitandi ratio circa id præceptum occurrit, tenebatur scire, & advertere, ergo poterat. Respondet *Suar. n. 18. cit.* & cum ipso *Sanch. n. 24. cit.* Per se quidem hunc teneri ad talem scientiam, ad hoc tamen satis esse, ut sit per se loquendo in homine potestas sciendi: & per accidens hic, & nunc non teneri; sed suspendi illam obligationem, seu potius ab illa excusari propter impotentiam proximam, ac moralem, quæ ex naturali, & necessaria ignorantia, aut inconsideratione orta est. Non est igitur satis ad transgressionem præcepti cognitio illa virtualis, & interpretativa, sed necesse est ad malitiam obiecti, actualis advertentia, aut saltē dubitatio aliqua expressa illius periculi.

19 Et hinc etiam habes, quomodo intelligendum sit *Caput Ignorantia, de Reg. Iur. in 6.* ubi habetur (& est *Regula 13.*) quod *Ignorantia facti, non iuris excusat*: intelligitur enim quoad fori externi præsumptionem, eo quod legum ignorantiam Princeps minimè præsumit, utpotè quæ publico, ac solemni ritu promulgari solent. At in foro conscientiæ utraque ignorantia, tam facti videlicet, quàm juris, si est invincibilis, æquè excusat; & neutra si vincibilis est: sic cum aliis tradunt *Azor. Instit. Moral. lib. p. cap. 13. quæst. 3. & Sanch. l. c. n. 26.*

20 Qui *n. seq.* pariter infert, qualiter intelligendi sint D. D. dum tradunt, *Ignorantiam legum ad statum, vel officium alicuius pertinentium esse vincibilem, nec excusare.* Quæ regula, si ita in universum esset vera, nulla juris ignorantia (inquit ipse, & optimè) posset esse invincibilis, nec excusaret. Nam si jus illud ignoratum non est ex iis, quæ minimè obligant ignorantem, nil refert illius scientia, vel ignorantia ad excusandum peccatum. Debet ergo dari ignorantia invincibilis juris, quod ex se ignorantem obliget, aut nulla juris ignorantia erit invincibilis. Præterea, quia quicumque tenetur ea præcepta nosse, quæ implere tenetur, sive ea obligatio consurgat ex generali Christiani conditione, sive ex speciali munere, & officio, ut Confessoris, Iudicis, &c. At omnes fatentur priorum præceptorum posse dari ignorantiam invincibilem. Ergo & posteriorum dari potest: nil enim refert, obligationem ex hoc, an ex illo capite consurgere. Ita *Sanch. n. 27.* cum *Suar.*, *& Vasq.* ab ipso citatis. Unde cum iisdemmet concludo, sive leges pertineant ad peculiare alicujus officium, aut statum; sive ad generalem Christiani hominis conditionem, ut earum ignorantia sit vincibilis, nec à culpa excuset; oportet eum prius nosse, aliquas esse leges circa dispositionem status sui, aut officii: quod si id non nosset, nec aliquod dubium, aut saltem scrupulum de hoc concepisset, erit ignorantia invincibilis, quia humanam diligentiam superat, expellere ignorantiam illius rei, cujus nulla prorsus incidit cogitatio. Id tamen discrimen est inter leges pertinentes ad statum personæ peculiarem, seu officium, & inter generales: quod de prioribus facile incidet ratio cogitandi, aut dubitandi, an sint aliquæ, & quales sint. At de posterioribus non ita facile dubitatio occurrit, etiam quando quis contractum inire vult, aut operationem aggredi. Quia ex eo, quod leges esse in vniuersum norit, non statim dubitat, an sint pro hoc peculiari opere.

At

At status, & officium alicuius, statim incitant ad ejus leges inquirendas. Si tamen contingat, nec circa has, nec circa illas esse aliquam confusam notitiam, vel dubitationem, sed aliquis operetur nil cogitans, ignorantia ejus utique, erit invincibilis. Et hæc omnia cum *Vasqu.* optimè docet *Sanch. n. cit.*

21 Hinc, duobus modis accidere potest, ut homo invincibiliter ignoret id, quod scire tenetur. Primo modo potest homo ignorare id, quod scire tenetur, ita ut nunquam illud in mentem venerit, nec ulla dubitatio de obligatione acquirendi illius cognitionem animum pulsaverit, & si sic ignoret, dicitur propriè invincibiliter ignorare; à præcepto, & à peccato excusari per ignorantiam invincibilem, quandoquidem illud nunquam novit. Secundo modo ignorare id potest, quod scire tenetur, ut de eo tamen quod ignorat, habeat aliquam expressam dubitationem, aut sciat ignorare illud, quod scire tenetur; at cum intellectus hoc secundo modo habeat sufficiens principium dubitandi, & mouendi se ad inquirendum veritatem, si non acquirat, nec adhibeat diligentiam ad ejusdem cognitionem habendam, dicetur habere ignorantiam vincibilem, nec excusabitur à peccato: ei ergo oportet aliquid facere, & diligentiam adhibere, ut & huiusmodi ignorantia censeatur invincibilis, & excusare à peccato.

22 Quanta autem debeat esse hæc diligentia, juxta communem Doctorum sententiam, statuitur hæc regula: ut qui sic ignorat, adhibere debet moralem diligentiam, ad vincendam talem ignorantiam, idest tantum operæ, & studii ponere in comparanda de ea cognitione, quantum adhibere tenetur, & quantum judicio prudentis viri moraliter sufficiet. Nec enim ad hoc ut ignorantia sit invincibilis, est necessarium, ut in acquirenda cognitione, tantum adhibeatur studium, quantum absolutè potuerit ab homine adhiberi, sed sufficiet tantum adhibitum esse, quantum consideratis negotiis personæ, temporis, & circumstantiis, recta ratio dictat requiri; ita ut videlicet diligentia adhibita, sit proportionata negotio, major, vel minor, juxta ipsius qualitatem. *Quod si hæc adhibita* (concludit *Sanch. l. c. n. 34.*) *quid postea præter intentionem accidat, censebitur invincibiliter ignoratum. Nec enim summa, & exacta diligentia, quæ adhiberi poterat necessaria est, sed quæ in similibus negotiis, & circumstantiis cōmuniter à prudētibus adhiberi solet. Et ratio est, quia moraliter id studiū tantum, quod sufficiens, & necessarium prudenter iudicatur ad cognitionem acquirendam, potest ab homine adhiberi. Quod autem summum est, & maius dicto, non videtur ita proximè, & moraliter possibile.* Ita *Sanch.* Quod docent etiam *Caiet. 2. 2. qu. 64. art. 8. Suar. De Cens. disp. 4. sec. 8. n. 12. 17. & 18. Valent. p. 2. disp. 6. qu. 6. punc. p. Corol. p. Azor. Instit. to. 1. l. 1. c. 16. qu. 6. Sayr. in Clavi Regia lib. 2. cap. 9. n. 6. & 9.* & alii communiter.

23 Verumquidem est, quod contingere potest, ut propter defectum sufficientis adhibitæ diligentiæ, ignorantia sit quidem vincibilis, peccatum tamen per eam commissum, tum contra præceptum juris humani, tum etiam contra præceptum juris Divini, aut naturalis, sit tantum veniale; maxime autem quando ad defectum sufficientis diligentiæ detegendum, requiritur aliqua ingenii subtilitas: tunc nimirum excusante à mortali tum Diuinæ legis suavitate, tum etiam humana imbecillitate, & sciendi difficultate, tum deniq; aliquo effectu obediendi in adhibente aliquam diligentiam ad acquirendam cognitionem. Itaque ille, qui prudentis judicio, qualitati præcepti, officii, temporis, & personæ, proportionatam adhibet diligentiam ad cognoscendum, etiam si non sufficientem ad repellendam ignorantiam in agendo, excusatur à mortali, quamvis non excusetur à veniali, eo quod diligentiam, quam adhibuit, aliquid habuerit admixtum negligentiæ; si non tantum, ut debeat censeri sufficiens ad divinæ amicitiæ vinculum dissolvendum peccando mortaliter. Quod optime etiam advertit *Valent. qu. 6. cit. punct. 3. litt. D.* sub hiscemet verbis: *Ignorantia vincibilis potest magis, & minus minuere gravitatem peccati, sicut ipsa etiam potest magis, vel minus esse voluntaria, & culpabilis. Quocirca, si ignorantia sit tantum venialis, & imperfectè voluntaria (sicut est quando quis adhibuit aliquam diligentiam, sed non sufficietem, vt in casu perjurii, ex veniali ignorantia, notat Navarrus in Manuali cap. 12. n. 6. post Sylvestrum in Verbo Periurium) minuit etiam peccatum adeò ut non sit mortale. Et ratio est, quia in eo casu peccatum non est nisi venialiter volitum, quandoquidem aliter volitum non est, nisi ut est volita ignorantia. Quod est advertendum, &c.* ita *Valent.* Ex quo infertur quod ille, qui per ignorantiam jurat falsum, nō peccet plusquam venialiter si in perjurio vitando adhibuit quidem mediocrem diligentiam, non tamen quantum potuit.

24 Cnm ergo ignorantia judicanda sit vincibilis, aut invincibilis juxta parvitatem, aut magnitudinem diligentiæ, quæ adhibetur, sex Regulæ assignantur ad dignoscendum ignorantiam invincibilem à vincibili.

Prima est: Si homo quando incipit operari nihil prorsus dubitat de eo, quod oportet fieri, vel nulla ei occurrit obligatio, debeat ne ita facere nec ne, signum est talem ignorantiam esse involuntariam, & propterea invincibilem: *Filliuc. to. 2. tract. 21. c. 10. qu. 9. vers. Dico Tertio, n. 376.* & communiter, sequiturque ex dictis. *Secunda* est. Quando quis facit totum id, ad quod tenetur, ut acquirat scientiam, & cognitionem, & tamen eam acquirere non potest, ignorantia est invincibilis: idem *Filliuc. l. c.* & item sequitur ex dictis; estque communis, ac certa Regula. *Tertia* est: Si quis consilium boni viri, & docti secutus, quippiam agat quamvis erratus fuerit in facto, excusabitur; nam eo ipso, quod ex tali consilio id fecerit, videtur prudenter, & bene fecisse, & ignorantia erit invincibilis; hoc item certum est. *Reginal. to. p. lib. 11. cap. 3. sec. p. vers. Tertium est, n. 28. Quarta* est: Si aliquis ad repellendam ignorantiam tam juris, quàm facti adhibet moralem diligentiam juxta negotii qualitatem, & quæ judicio prudentis viri sufficiens videbitur, tunc ignorantia erit invincibilis, & si postea error contingat: sequitur ex dictis, & Doctoribus supra, præcipue *Sanch. l. p. Moral. c. 16. n. 34. Quinta* Regula est pro his, qui habent certum munus, & officium: Si enim nihil cogitant de his, quę spectant ad illud munus, & officium generaliter, aut specialiter, ne quidquam sciant, cum tamen nouerint requiri aliquam scientiam: tunc utique ignorantia erit vincibilis; quia tenentur scire, quæ sunt sui officii, & muneris. Nam certum est quemlibet fidelium obligari scire, tum id quod explicitè credere tenetur, juxta illud à Domino dictum, *Matth. ult. Qui non crediderit condemnabitur*. Ut duodecim Articulos Apostolici Symboli: tum etiam id, quod servare tenetur juxta illud *Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serva mandata*: non enim poterit servare quæ ignorat. Tenetur præterea scire Præcepta Decalogi, & cætera juris naturæ, quæ ad illa reducuntur. Deinde Præcepta de Sacramentorum susceptione, quæ sunt juris positivi Divini. Porrò ex jure humano, positiva illa, quæ specialiter dicuntur Præcepta Ecclesiæ, nempe de non faciendo opere servili: & de audienda Missa die festo: de jejunando, & abstinendo à cibis vetitis certo tempore; de confitendo semel in anno, & Sacrosancta Eucharistia quot annis recipienda circa diem Paschæ. Denique ea, quæ ad proprium cujusque statum pertinent; ut quæ ad statum, & officium Episcopi, si sit Episcopus: Quæ ad statum Iudicis, & ejusdem officium, si Index est: & ita de reliquis, de quibus dicitur *in Instit. de lege Aquilia*. Si vero statim noscant communes leges; deinde speciales curent paulatim scire, tunc ignorantia erit invincibilis. *D. Tho. p. 2. qu. 76. art. 2. Sexta* Regula est: Si quis destitutus ope Virorum Doctorum, quos consulat, aut certè non habet per quos repellere possit ignorantiam, nec per se potest, studio, & lectione, sufficienter se ex tali dubitatione, extricare; tunc ignorantia manebit invincibilis. *Reginald. in Praxi Fori Eccl. to. p. lib. 11. cap. 3. sec. p. n. 29.*

25 Præter autem duos prædictos allegatos, & explicatos modos, quibus homo invincibiliter ignorat id, quod scire tenetur, additur à Doctoribus tertius modus, quo videlicet homo scit quidem jus, & novit præceptum habitu, sed actu illud ignorat (per inconsiderationem, & inadvertentiam.) quando occurrit obligatio; & illius immemor, ob humanam imbecillitatem, agit contra illud actu, quod habitu novit: & in hoc sensu propriè dicitur homo ignorare, & operari contra jus, & præceptum per oblivionem naturalem, inconsiderantiam, & inadvertentiam, sed quo ad rationem excusandi à peccato sunt pares, & quidquid dicitur de uno, intelligitur de altero. Hinc colligitur oblivionem in rebus agendis, & peccatis vitandis ad ignorantiam reduci. Oblivio autem dupliciter accidere potest. Primò, ut cū quis per negligentiam affectatam, & crassam, in memoriam non retinet, id quod oportet retineret, & scire, & hæc à peccato non excusat. Secundò potest accidere absq; ulla culpa, ut si quis v.g. penitus immemor juris, vel facti, agit contra illud, ita ut cogitatio nulla in mentem veniat eo tempore, quo juri, aut præcepto obtemperare deberet, & hujusmodi oblivio justam dat peccati excusationem: & eandem esse oblivionem, & inconsiderationem invincibilem iudicandum est (*maxime in homine bonæ, & timoratæ conscientiæ*, addit *Reginal. cap. 3. cit. sub n. 24.* ubi ait, *dignum id esse animadversione in hac re, quod etiam attigit Caiet. p. 2. qu. 6. art. 8.*) Quare ex oblivione iuris, vel facti, probabili, & iusta; vel ex opposito, voluntaria, & vitiosa evenit, ut aliquis cum excusatione à peccato, vel absque excusatione, die festo Sacrum non audiat, jejunium Ecclesiæ non solvat, aut aliquod aliud officium, & munus sibi commissum, & creditum pretermittat.

26 Inconsiderantia, ad ignorantiam etiam revocatur, ut patet ex dictis, tum hic, tum supra, præcipuè *n. 12.* cum quis videlicet juris scientiam habens, inconsideratè delinquit.

quit. Sicque inconsiderantia potest esse, vel juris, vel facti; culpabilis, vel omni culpa vacare. Culpabilis est, cum oritur ex negligentia affectata, vel crassa in considerando id, quod fieri, vel vitari oporteret. Culpa verò vacat, quæ accidit ex oblivione quadam subito contingente, vel ex aliquo negotio, aut casu, mentem repente, præter spem, & opinionem distrahente: occurrunt enim nobis interdum subitæ cogitationes, quæ animum in varia dispergunt, & priora mentis cogitata aliò facile dissipantur. *Azor. Instit. Moral. lib. p. cap.* 16. *qu.* 3. *&* 4. Unde etiam *Armilla Verbo Inconsideratio* (ibique *Caiet.*) ait, quod si contingat aliquem ex sola inconsideratione actuali facere opus aliquod, quod scit esse prohibitum, & si tunc actualiter ad id, quod scit, non faceret, excusabitur à mortali. Ut si quis non considerans hodie esse festum, emit, aut vendit: vel non considerans esse diem jejunii, comedit: aut non advertens contractum esse usurarium, facit illum, non peccat. Ratio horum, & similium est, quia non videtur esse in potestate nostra occursus omnium, quæ scimus; in his, quæ quasi sine discussione operamur: & multo minus peccat qui quæsivit, & consideravit, & post factum se deceptum invenit. Peccatum enim mortale contra intentionem accidere non potest. Ita *Armilla loco cit.* cum *Caietano.*

27 Inadvertentia quoque (item ex dictis) ad ignorantiam redigitur, atq; ratione actualis inadvertentiæ excusari potest operatio aliàs ex se gravis, & mortalis. Ita communiter Doctores. Nam cum peccatum mortale dissolvat Dei amicitiam, & constituat hominem dignum æterno supplicio; credendum non est, ita facile ipsum incidere in hujusmodi culpam, ut ex quacumque imperfecta consideratione, reus efficiatur tanti supplicii. Ita *Sanch. lib.* 1. *Moral. cap.* 1. *n.* 10. & alii apud ipsum. Si enim non offenditur homo à semiebrio contumelia affectus; vel à semiexcitato à somno; injuriandus erit Deus, à semideliberante, aut à semiexcitato à somno? nihil minus: nec ipse quam homo delicatior est, aut laqueos parat. Ita *Sancius in Selectis disp.* 18. *n.* 4. Præterea inadvertentia tollit cognitionem malitiæ, & voluntarii ad peccatum requisitam: cum è contra, posita advertentia circa obiectum graviter malum, vel saltem periculosum gravis mali, est sufficiens deliberatio ad peccatum: nam si motus voluntatis sequatur post illam, tendit proculdubio in grave malum, operando cum voluntate ejus, vel cum periculo gravis mali; quare graviter peccavit. *Fillic. to.* 2. *tract.* 21. *cap.* 10. *quæst.* 9. *versu Dico* 3. *n.* 375. cum aliis, quos ipse refert. Inadvertentia denique item excusat quandoque à peccato, & tunc certè quando nullo modo obiectum est cognitum, tunc enim operatio censetur indeliberata, & excusabitur à culpa; donec sit cognitio aliqua malitiæ. Et hoc pacto cum Doctores dicunt aliquem peccare quando advertit, vel debebat advertere, intelligi debent de advertentia, quæ supponit objectum aliquo modo notum, ut sæpius dictum est supra, apprehensum, & cognitum; alioquin ante apprehensionem, & cognitionem, advertere non tenetur: debet enim semper præcedere aliqua plena, & sufficiens advertentia ad malitiam objecti, ejusve periculum, seu dubium. *Filliuc.* cum aliis *n.* 375. *cit.* Igitur quoties aliquod opus aggredimur, quod habitualiter scimus esse prohibitum, nec tamen cum illud facimus, actu recolimus eius prohibitionem, & si recoluissemus, evitaremus, excusamur per inadvertentiam, & naturalem oblivionem à peccato. Quia quilibet nostrum in seipso experitur, non esse in nostra potestate, quod recordemur eorum, quæ habitualiter scimus: unde hæc inconsideratio, cum non sit omnino in nostra potestate, causat inuoluntarium simpliciter, atque nullo modo est volita, ac per hoc excusat à peccato: *præsertim in timoratis Dei, qui potius subire mortem eligerent, quam ex advertentia veniali labe inquinari. In his enim quamplurimi sanè motus inordinati, nec semivoliti sunt, sed omninò naturales:* quod addo cum *Sancio qu. cit.* 18. *n.* 6. cui Authori adiungi potest *Pal. To.* 1. *Tit. De Conscientia scrupolosa, disp.* 4. *punc.* 2. *n* 2. ubi idipsum notat, dicens: *quod si aliquando contingat virum timoratum aliquid illicitum efficere, non esse illi culpæ tribuendam, cum ex recta intentione processerit, nullo modo facturus, si existimaret ibi aliquod peccatum adesse:* & ita etiam ex *Caiet. Cordub.* & communi, notavit *Villalobos to.* 1. *Summ. tract.* 1. *difficult.* 26. *vers. Y notese mucho.* Hinc idem *Caiet. p.* 2. *qu.* 6. *art.* 8. pro consolatione bonarum mentium, ibi culpam timentium, ubi non reperitur, regulam hanc generalem statuit, quod videlicet in iis, quæ sunt positivi iuris, si absq; contemptu, ex pura ignorantia, & inconsideratione, apparente sibi excusatione, transgressio fiat ab eo, qui animum habet nullo modo transgrediendi præceptum obligans ad mortale, non incurritur in peccatum mortale: *eo quod ignorantia hæc (inquit Caiet.) & inconsideratio, cum non sit concomitans, nec consequens, quia non est omninò in potestate nostra,*

locanda est sub antecedente, causat enim involuntarium simpliciter, & ipsa nullo modo est volita, ac per hoc excusat non solum à peccato, sed à censuris consequentibus culpam. Et hæc pro consolatione bonarum mentium, ibi culpam timentium, ubi non reperitur, notanda, applicandaque sunt occurrentibus casibus.

28 Ex quo, uti ex omnibus hucusque dictis, liquido constat, Ignorantiam invincibilem (itidemque inconsiderantiam, inadvertentiam, &c. quæ ad eandem reducuntur) excusare omnino à peccato. Nam ut ipsa est involuntaria, ita etiam involuntarium est illud, quod ex ea fit, *Silvest. verbo Ignorantia qu. 3. n. 8. Valent. to. 2. disp. 6. qu. 6. punc. 3. in princip.* & alibi: & communiter omnes: Ignorantiam verò vincibilem, non prorsus excusare à peccato, juxta illud *D. August. l. 3. De libero arbitrio, c. 18. Quædam per ignorantiam facta improbantur, & corrigenda iudicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus; Ait enim Apostolus, 1. ad Timot. 1. Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Ait & Propheta, Psal. 24. Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Et ratio in promptu est: quia cum ignorantia vincibilis sit voluntaria, non obstat quo minus quod ex ea fit, potuerit cognosci, atque adeo ex intentione vitari, & sic ipsum etiam est voluntarium, saltem indirectè: Dicitur, *non prorsus excusare:* quia ejusmodi vincibilis ignorantia; licet non excuset ex toto à peccato, minuit tamen illud, quoniam peccatum minus voluntarium utique est, quando actu non cognoscitur; ita pariter omnes Theologi, præcipuè *Valentia punc. 3. cit.* ubi etiam ex hoc infert, & meritò, *Ignorantiam vincibilem posse magis, vel minus gravitatem peccati minuere, vt ipsa etiam potest magis, vel minus esse voluntaria, & culpabilis:* sic ipse, quod utique certum est; uti certum quod antea docuit *punc. p. versu Sextò sequitur:* fieri posse videlicet, ut ejusdem rei ignorantia eodem tempore uni homini sit invincibilis, & vincibili alteri; Ut Canon aliquis v. g. à Iurisperito facilè ignoratur vincibiliter, quoniam conditio status, & officii illius, quod versatur in jure, suppeditat illi facultatem, ut possit illius Canonis notitiam acquirere. A rustico autem, vel aliquo Ciue ignoratur invincibiliter, quoniam cum non habeat eam occasionem, censetur non posse moraliter, & ex intentione notitiam illam Canonis sibi comparare. Unde valdè consideranda est conditio personæ, negotii, &c. ad discernendum an ignorantia fuerit vincibilis, vel inuincibilis. Hinc:

29 Sequitur Ignorantiam invincibilem non esse peccatum, cum hæc minimè sit voluntaria. Quomodo enim ipsa potest esse peccatum, si excusat à peccato? Unde etiam *D. Tho. p. 2. qu. 76. art. 2.* dicit, quod nulla ignorantia invincibilis, idest studio insuperabilis, est peccatum, quia non est voluntaria: nec imputatur ad negligentiam, si quis nesciat quod scire non potest. Quare supra ipsam minimè cadit, vel cadere potest propositio illa *Philosophi 3. Eth. cap. p. Omnis peccans est ignorans,* nec altera *Salomonis Proverb. 14. Errant qui operantur malum*: tum quia operans ex ignorantia invincibili non peccat, nec errat, nisi materialiter, ut patet ex dictis; tum etiam quia (ut optimè *Valent. disp. 6. cit. qu. 8. punc. p. vers. Secundo sequitur*) propositio hæc, *Errant qui operantur malum*, non est intelligenda de errore speculativo, vel ignorantia juris, aut facti in universali, aut particulari; nam hanc non habet is, qui ex malitia peccat (experientia enim constat aliquos ità malitiosè errare, ut certò cognoscant, neunm in universali esse peccatum accedere v. g. ad mulierem alienam, sed etiam in particulari, hanc, ad quam accedunt esse alienam) sed intelligenda est de ignorantia, & errore practico, qui consistit in hoc, quod ratio judicat minus bonum, quo allicitur in peccato, esse præponendum majori bono, quod relinquit, actui videlicet virtuoso, & Deo. Quemadmodum enim veritas practica in hoc consistit, quod Intellectus judicet esse faciendum, quod recta ratio exposcit, ità è contrario falsitas practica consistit in hoc, quod judicet esse faciendum, quod non exposcit recta ratio: quo errore errat quicumque peccat, & eiusmodi error communis est omni peccanti. Et hic videtur fuisse sensus *D. Tho. p. 2. qu. 78. art. 1. ad primum.* Concludendum ergo invincibilem ignorantiam non esse peccatum, & actum ipsum, qui per illam ponitur, à peccato excusari, nec esse consequenter moraliter malum; cùm ex ea parte, qua malus alioquin fuisset, sit simpliciter involuntarius, atque adeo non moraliter malus. Quod etiam concludit omninò & *Iulius Mercorius Dominicanus in sua Basi Totius Moralis Theologiæ*, hoc est, *Praxi opinionum limitata:* seu *de Probabilitate; An hæc sit recta regula morum: parte prima art. 4. in Resolutione, pag. mihi 20.* dum ibi sic: *Dicendum est, voluntatem excusari à culpa sequendo conscientiam erroneam cum enim error proueniat ab ignorantia, quæ tollit voluntarium in quo consistit ratio peccati, sequitur, qualis erit ignorantia, talis erit excusatio*

cusatio à peccato in conscientia erronea. S. Tho. p. 2. qu. 19. art. 6. & ibi communiter Doctores. Igitur si conscientia causans errorem, erit inuincibilis, scilicet antecedens voluntatem, idest nullo modo, nec directè, nec indirectè volita, in toto excusabit à culpa, quia actus malus, qui creditur bonus, omnino est inuoluntarius quantum ad eius malitiam, si enim operans, saltem suspicaretur actum illum esse malum, non eligeretur: ità citàtus *Mercorius*, cui addi potest, & *Antonius Merenda in suo Opere de Consilio &c. pag.* 555. *num. margin.* 1630. Ubi affirmat *Eum sequi inculpabiliter consilium malum magistrorum spiritualium, & excusari à peccati pœna, quia non potuit scire veritatem. Unde iste talis* (concludo cum verbis *Portell. Tom. p. Responsionum Moralium par. p. Casu* 27. *num.* 2. *in fine) habet quasi Priuilegium Ignorantiæ.*

30 An verò liceat de huiusmodi actu iam præterito delectari, vel illimet ipsi, qui eum exercuit, vel alteri, posset hic quis dubitare? & ratio dubitandi esse potest, quoniam homo eiusmodi actu utique non peccat, atque adeò talis actus non videtur malus, consequenter licebit de eo delectari.

Respondeo cum *Valent. To.* 2. *disp.* 6. *qu.* 6. *punc.* 1. *sub litt. D.* & aliis apud ipsum: non licere de ejusmodi actu delectari, licet enim per accidens ob ignorantiam malus non sit, imò bonus in homine ignorante, quia tamen per se, & ex natura sua est contra legem (ut supponitur) consequenter non est materia apta, ut objectivè terminet consensum, vel delectationem voluntariam. Concordat etiam *Gabriel à S. Vincentio in Tract. de Remediis Ignorantiæ, disp.* 1. *dub.* 8. *n.* 81. dum ibi quærens: *An ignorantia inuincibilis licet non sit peccatum, sit tamen mala obiectiuè, ut est omnis error etiam inuincibilis, ac proinde non liceat gaudere de tali ignorantia?* Respondet: *Quod quantum ad ignorantiam eorum, quæ quis scire tenetur, quantumvis inuincibilis sit, est mala obiectiuè; cum enim sit carentia scientiæ debitæ, est privatio obiectiuè mala: unde non licet eam desiderare, nec de illa gaudere.* Concludit tamen: *Poterit quidem quis gaudere quod per illam fuerit excusatus à peccato.* Potest igitur quisque gaudere quod per ignorantiam excusetur à peccato.

Et mea tandem Mens est, ac Intentio, uti & huiusœmet Operis, ac Tractatus, de huiusmodi à peccato Excusationibus, ab ignorantia ortum habentibus, ex professò, ac integrè, sub proposito titulo peragere, quod usque modò nullus (quod sciam) id assumpsit; hinc spero Tractatum hunc, tùm ob sui novitatem, tum ob commodum, quod in subiecta materia allaturus est Professoribus studii Moralis, necnon Confessariis, fore illis gratum valdè, ac proficuum. Non intendo tamen in ipso definire quæ conclusiones ignorari possint, proxime ne, an solum remotæ ipsis naturalibus principiis, quod definiendum relinquo iudicio infallibili S. Matris Ecclesię.

Pium, hic solum vltimo loco, atque Eruditum aduerto Lectorem, me fideliter procedere in citandis Authoribus, & eorumdem referendis sententiis, quod probabit, si in Authorum, quos cito Libris, & in eorumdem sententias inciderit, maximè si eiusdem fuerint, qua ego vsus fum editionis. Et si quandoque ex Doctoribus Catholicis, quem adduco, & sequi videor, qui *In Indice Prohibitus, vel Suspensus* legitur (uti etiam facio in meo *Doctrinali Tractatu Filiationis Spiritualis*) sequor tantum eiusdem bonam, sanamque doctrinam, & exemplum uniuersale omnium fere (etiam primæ Classis Authorum) in materia Morali, ita pariter, passimque scribentium: ut videre est apud ipsos, præsertim apud Recentiores. Quibus omnibus præmissis: tandem sit.



CAPUT

CAPUT PRIMUM
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA LEGEM NATVRALEM.

31 LEx naturalis (quæ in lumine rationis fundatur menti hominis impresso, quo mouetur ad honestè agendum) continet plura præcepta, ut docent communiter D. D. cum *D. Tho. p. 2. qu.* 94. *art.* 2. quæ tamen uniuntur in unicam legem: quæ quoad præcepta, eadem est, & semper fuit apud omnes, ut item communiter cum *D. Tho. l. c. art.* 4. & desumitur ex *Arist.* 5. *Ethic. cap.* 7. *& D. August.* 3. *de Doctrina Christiana cap.* 14. Natura namque eadem est, & semper fuit in omnibus, ergo etiam lumen naturale, ergo etiam lex naturalis: consequentia probatur: Lex naturalis est cognita lumine naturali, ita ut ex se exeat in actum præceptorum naturalium, & ab intrinseco, ergo si lumen est idem, eadem erit lex, nam ab eodem principio erit idem effectus. Licet tamen lex sit eadem apud omnes; per accidens nihilominus fieri potest, quod ab omnibus non cognoscatur secundum omnia sua præcepta; (quo ad conclusiones maxime remotas, & valde distantes à primis principiis, de quarum veritate dantur sententiæ probabiles oppositæ inter sapientissimos, & piissimos) quoniam ut lex naturalis sit nota secundum omnia sua præcepta, debent cognosci nedum omnia principia practica, sed etiam omnes conclusiones necessariæ, & immutabiles; contingit autem aliquas quandoque non cognosci, eo quia intellectus humanus obtenebratus ob concupiscentiam, & inclinationem ad bonum sensibile, potest impediri ne deducat conclusiones, in quibus consistunt præcepta naturalia, & potest deficere in deducendis, aut non advertere ad omnia principia, consequenter de præceptis naturalibus, quæ consistunt in conclusionibus habere ignorantiam, & hanc præsertim dari in adolescentioribus, & rudioribus saltem ad tempus. Non intendo tamen (vt supra etiam sub *nu.* 32. definire quæ conclusiones ignorari possint, proximæ nè, an solum remotæ ipsis naturalibus principiis, quod definiendum relinquo iudicio infallibili Sanctæ Matris Ecclesiæ; quod si in sequentibus videar ad particularia quædam descendere, non ita capienda sunt, ut definitiuè sint dicta, sed sub hyprothesi quod in tali casu detur ignorantia, vel dari possit: mens enim mea est de Ignorantia agere, quæ eximitur à culpa, non de culpa, quæ eximitur ab ignorantia. Quoniam autem lex naturalis obligat in conscientia, uti & ejusdemmet præcepta (hocque adeò verum est, quod & certum est de fide, ut sentiunt Theologi, apud, & cum *Suarez de Legib. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 2. Et sumitur ex illo *Pauli Rom.* 2. *Quicumque sine lege* (utique scripta) *peccaverunt, sine lege peribunt*; scilicet, quia naturalem legem violarunt: De qua subjungit: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, &c. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Et ratio præcipua est, quia lex naturalis, est lex Dei, ut ostendit idem *Suarez lib. cit. cap.* 6. & peccatum definitur esse actum contra legem Dei) hinc fit ut hæc eadem lex, & ejusdem præcepta in tota sua latitudine obligare possint tam sub culpa mortali, quàm sub veniali, ut apertè desumitur ex *cit. l. D. Pauli*: & inductione ostendi etiam potest: ideòque in hoc primo proposito Capite, producenda sunt (si quæ sunt) Ignorantiæ Privilegia excusantia à peccatis materialiter commissis contra legem naturalem, ac ipsius præcepta Sit igitur.

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Ponens actum peccaminosum ex Ignorantia invincibili legis naturæ, ac præcepti eiusdem, excusatur à culpa, nec peccat formaliter.

32 Privilegium hoc, sive hujusmodi excusatio, sequitur apertè ex dictis (quamvis accipi debeat cum limitatione, ut infra) ex quibus constat, quod ut malitia, & culpa actus alicui imputetur, debet ipsi esse voluntaria. Malitia autem actus, sive objecti, invincibiliter ignorata, facit ut malitia actus non sit voluntaria agenti. Neque ulla ratio diversitatis adferri potest, cur hoc non habeat locum æquè in ignorantia juris, & legis naturæ, ac præceptorum ejus, quam in ignorantia facti, seu legis positivæ.

33 Quod confirmari item potest ex dictis, ratione superius tacta, quam ad propositum nostrum (quamvis ob aliud motivum) affert etiam *Ludovicus de Scildere de Principiis Conscientiæ Formandæ, tract. 2. cap. 9. §. 2. sub n. 6. versu Probatur secundo.* Quia si peccata contra legem naturæ habenti ignorantiam invincibilem illius, imputarentur ad culpam, sequeretur quod omnes Patres antiqui, qui errores aliquos contra jus naturæ ex ignorantia invincibili docuerunt, peccaverint formaliter. Similiter omnes Doctores Scholastici, Consiliarii, Confessarii, Iudices: Est enim peccatum formale scienter docere errores tum speculativos, tum maximè practicos: ergo si ignorantia invincibilis non excusat, erit etiam peccatum formale, eos docere ex ignorantia. Neque talem Doctorem excusabit, quod omnia sua dicta, vel scripta subjiciat censuræ Ecclesiæ Romanæ, quia illa subjectio inefficax est, sicuti inefficax est subjectio suæ doctrinæ, quando quis scienter docet errorem, & tamen eum ejusdem judicio submittit. Per consequens debebunt dici omnes illi esse mortui in errore culpabili, qui usque ad mortem in doctrina tali perstiterunt, maximè si voluerint opera sua edi post mortem. Hoc autem est contra sensum communem scribentium, qui saltem tunc satis se purgatos à peccato existimant, quando discernere falsitatem suæ doctrinæ non possunt, & omnia sua judicio Ecclesiæ submittunt. Imo contra sensum communem omnium, neminem, qui hoc egit, de formali peccato damnantium. In quo genere, omissis aliis antiquorum Patrum, & Doctorum exemplis: clarum est exemplum in ipso *Cornelio Iansenio* Episcopo Iprensi, qui in Augustino suo docuit Propositionem tertiam ab *Innocentio X.* hæreseos damnatam; quod videlicet *ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Prout declaravit *Alexander Papa VII.* in Bulla *Ad Sacram*, edita *anno* 1656. quæ est in ordine 28. *in* 5. *Tomo Bullarii.* Licet enim docuerit propositionem erroneam contra Ius naturæ, quia tamen omnia sua in fine operis subjecit judicio Ecclesiæ, adeoque præsumitur laborasse ignorantia invincibili, non judicatur peccasse formaliter: neque, licet usque ad extremum vitæ in eo errore perstiterit, testamentoque jusserit imprimi, judicatur mortuus in errore formali, aliter Summi Pontifices, nedum doctrinam, verum etiam ejusdem Authorem damnassent.

34 Et idem iterum confirmatur: Quia si omnes, qui agunt contra jus, ac legem naturæ, ejusdemque præcepta, sequendo errorem, & ignorantiam invincibilem, non excusantur à culpa, sed peccant formaliter, nullus (nec etiam doctus) sequi poterit opinionem suam de honestate actus fundata in jure naturæ, licet nulla ei occurrat ratio suspicandi esse periculum peccati, nisi revelatum sit, aut metaphysicè evidens, actum esse licitum: alias enim periculum esset peccandi formaliter, cum fieri possit, ut peccatum sit, facere actum de cujus malitia aut ejus periculo nihil nobis occurrit. Rudesque à fortiori, qui rationem penetrare nequeunt in casibus dependentibus à Iure naturæ, non poterunt licitè sequi authoritatem Pastoris, Confessarii, aut Doctoris. Licet enim non videant rationem ullam peccati in actu ponendo, judicare tamen debebunt, quod, quamdiù honestas actionis, neque per revelationem, neque per evidentiam metaphysicam patet, periculum peccandi formaliter subsit, licet rationem periculi non videant. Quid enim si Pastor, si Doctor, si Consiliarius, si omnes simul errent, *Dicere autem* (concludit *Scildere l. c. versu Probatur 3. in fine*) *quod rudes tunc ab actu tali abstinere debeant, est illis imponere iugum durissimum, & onus intolerabile, quod non est censendum procedere ab illo qui dicit Matth.* 11. *Iugum meum suave est, & onus meum leve.*

35 Addo, cum eodem *Scildere ibidem, versu Probatur* 4. & 5. Quod si agere ex errore invincibili contra legem naturæ, sit peccare formaliter, etiam ipse error invincibilis circa jus naturæ, imo & ignorantia

invin-

invincibilis, quando ſcientia præcepta eſt, erit peccatum formale: adeoque obligatio erit in homine cavendi, ne circa honeſtatem actus, qui à lege naturæ dependet, opinionem formet, niſi honeſtas illa revelata ſit, aut metaphyſicè evidenter appareat. Item error ipſe invincibilis, licet non imperetur à voluntate, imputari erranti debebit, quod errorem non impediat, quamvis non poſſit. Et qui etiam, per errorem invincibilem judicaret ſe obligari ad faciendum, id, quod lex naturæ vetat, neceſſario deberet peccare, cum non poſſet facere alterutrum; & tamen quideumque faceret peccaret. Caſus eſt, ſi quis judicaret ſibi pejerandum eſſe, ne occidatur innocens. Peccaret enim formaliter non pejerando, eo quod ageret contra conſcientiam, *& omne, quod non eſt, ex fide, peccatum eſt: Ad Rom.* 14. Peccaret etiã formaliter pejerando, ſuppoſito quod ignorantia invincibilis non excuſet. Sequela autem admitti non poteſt, cum damnata ſit *Beiana* 67. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſario facit*. Et hæretica declarata ſit ab *Innocent. X. & Alex. VII.* Propoſitio tertia *Ianſeniana*, ut ſupra: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur libertas à neceſſitate*. Uti & *Alex. VIII.* 7. *Decembris* 1690. ſequentem damnauit Propoſitionem: *Tametſi detur ignorantia Iuris naturæ, hæc, in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat à peccato formali*. Si ergo hæc, & antecedentia, admitti utique nequeunt, utpote implicantia; firmum indubiè ſtat Privilegium noſtrum Ignorantiæ, primo poſitum, quod videlicet eadem excuſet à culpa, & à peccato formali actum ex ipſa invincibiliter elicitum contra legem naturę, ac ejuſdem præcepta.

36 Sed Quæres, An hoc Ignorantiæ Privilegium ſe extendat ad omnia præcepta legis naturæ? Reſp. Negativè, non enim adeò extenſum, ac illimitatum eſt, cum in ullo adulto uſum rationis habente videatur dari plena ignorantia totius legis naturæ, ſic, ut invincibiliter ignoret prima principia, ac concluſiones quæ ex illis immediatè, & clarè ſequuntur: dummodo de iis cogitet. Ita expreſsè inter alios *Valentia tom.* 2. *diſp.* 6. *qu.* 6. *punct. p. Corol.* 7. Ubi ait: *Ignorantiam invincibilem poſſe contingere, & circa quodvis factum contingens, & circa quodvis ius, exceptis primis principiis legis naturæ, qualia ſunt: (Bonum eſt faciendum, malum vitandum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, &c.) Item aliis exceptis: quæ ex huiuſmodi principiis nullo negotio à quovis homine deduci poſſunt. Vt quod ſit Numen divinum colendum: quod Parentes ſint honorandi. Ratio eſt, quoniam fieri poteſt, ut per hominem non ſtet, quominus factum quodlibet contingens, & quodvis ius, exceptis illis quæ diximus ſciatur. Illa autem excepimus, quia cum adeo ſint conſpicua, & veluti naturæ, ac lumini rationis inſita, nemo eſt ratione utens, qui vel ipſa experientia, quam habet, moveri non poſſit ad illa cognoſcenda*. Hinc de univerſaliſsimis principiis, vel per ſe notis, legis naturalis, non poteſt dari ignorantia invincibilis, vel inculpabilis, pro ullo etiam modico tempore, apud utentem ratione non læſa: quia intellectus practicus non minus habet ſuum lumen naturale circa agibilia, quam ſpeculatiuvs circa ſpeculativa, & utrobique ſunt ſua principia per ſe nota, de quibus nulla eſt, nec eſſe poteſt ignorantia invincibilis: & eademmet principia, quemvis intellectum de ſe cogitantem neceſſitant ad aſſenſum ſui, & concluſionum, ex ipſis clarè, & immediatè ſequentium. Hoc idem innuit *D. Tho. p.* 2. *qu.* 94. *art.* 2. & docent *Corduba in Queſtionario Theologico lib.* 2. *qu.* 4. *verſ. De univerſaliſſimis Azorius lib. p. Inſtit Moral. cap.* 13. *queſt. p. Sayrus in Claui Regia libr.* 2. *c.* 9. *n.* 17. *Sanch. tom. p. Operis Moral. lib. p. cap.* 16. *n.* 33. & alii. Vide *Petrum Mariam Paſſerinum in lib p. Sexti Decretalium in Cap. ut Animar.* 2. *de Conſt. qu. p. art.* 10. in quo quærit *An dari poſſit Legis naturalis ignorantia invincibilis, &* 202. *fol.* 115. Magiſtraliter, ac doctè reſoluit (cui non contradices) quod quam propriè, & rigorosè loquendo non datur error contra legem naturæ qui ſit invincibilis, quia malum naturale eſt impoſſibile, ſuppoſito divinæ Providentiæ auxilio, quod nulli deeſt: ſequenti vero *n.* 203. concedit, quod præcepti alicuius naturalis utique dari poſſit error, & ignorantia probabilis, quia videlicet dantur præcepta nàturalia, quorum connexio ad principia per ſe nota, non eſt evidens, & manifeſta, ſed implicita, & latens, & ex circumſtantiis accidentalibus in particulari facto redditur ambigna, unde circa hujuſmodi, etiam inter fideles, & doctos, ac pios Viros dantur oppoſitæ opiniones, affirmantibus aliquibus aliquid eſſe de jure naturæ præceptum, vel prohibitum, & id aliis negantibus, ut experientia eſt notorium: hactenus *citatus Paſſerinus* quem vide: Ex cujus, uti ex communi Theologorum ſententia conſtat, poſſe dari Ignorantiam invincibilem Juris naturalis, quo ad concluſiones ſaltem remo-

tas,

tas, & valde distantes à primis principiis de quarum veritate dantur sententiæ probabiles oppositæ inter Sapientissimos etiam, & piissimos Doctores. Item vide & Theologicum modernum eruditissimum *Tractatum de recto usu Opinionum Probabilium Doctissimi, ac Reuerendiss. P. Thyrsi Gonzalez Præpositi Generalis Societatis Jesu*, in quo, & per totum intendit: Non dari invincibilem ignorantiam Juris naturalis quo ad prima naturalia principia, neque quo ad conclusiones immediatè ex ipsis deductas, sed nec etiam quo ad remotas: Quo ad has tamen *Dissertatione xj. §. 4. sub n. 51.* (limitando) sic: *Si autem talis ignorantia possit dari, & illa Opinio reipsa sit falsa, homo ille habebit ignorantiam excusantem à culpa; quia nimirum illa eius ignorantia fuit invincibilis, non solum viribus naturæ, sed etiam viribus gratiæ, & nonnisi per vires extraordinarias gratiæ (quas Deus non promisit) potuit vinci: ignorantia autem invincibilis excusat à culpa id, quod ex tali ignorantia contra legem fit*: hactenus *dictus Reuerendiss. Pat. l. c.* De ignorantia autem tantum à culpa excusante, & qua solum talis est, ac concessibilis, & non aliter loquor semper in hoc meo Tractatu, & in omnibus ejusdem privilegiis, quod maximè advertat Lector:

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Ponens actum peccaminosum ex Ignorantia invincibili legis naturæ, ac præcepti ejusdem, excusatur à culpa, & à peccato formali, etiam per longum tempus, & quoad usque durat eadem ignorantia.

37 HOc idem privilegium admittit *Valent. Corol. 7. cit.* dum ibi sic: *Præcepta legis naturæ, quæ obscuriora sunt, possunt etiam per longum tempus, ut doctissimi sentiunt, invincibiliter ignorari ab aliquibus rudioribus; Vt quod usura v. g. sit peccatum: & mendacium pro tuenda hominis vita dictum: & immolatio hominis in honorem Dei: & vindicatio iniuriæ privata auctoritate: in quibus etiam doctos Philosophos hæsitavisse, & erravisse aliquando compertum est. Quod satis indicat, difficile esse verum in eo genere cognoscere, atque adeo posse eius generis præcepta ab aliquibus invincibiliter ignorari: sicut fortè etiam, quod unicus sit Deus, de quo fuerunt etiam variæ Philosophorum controversiæ. Ex quo sequitur, idololatriam posse ad aliquod saltem tempus per ignorantiam invincibilem in aliquo homine rudiori excusari.* Ita *Valentia*. Et hoc idem nedum (idest longo tempore) cum eodem *Valent.* admittit *Sanchez n. 33. cit.* verum etiam in aliquibus, & sub aliqua circumstantia toto tempore vitæ: hæc ejus verba: *Valentia ait, posse ad longum tempus. Sed placet quod docent Corduba in q. q. lib. 2. q. 4. proposit. p. & Vasq. p. 2. qu. 76. art. 2. disp. 122. cap. 2. nimirum, quando nulla circumstantia vestiuntur, quæ à culpa excusare videatur, possunt diu ignorari, non tamen toto vitæ curriculo. Quippe sunt ita naturæ consentanea, ut non possit non semel, vel iterum animum pulsare fœditas, & turpitudo peccati. At aliqua circumstantia apparenter excusanti vestita, possunt toto vitæ curriculo invincibiliter ignorari. Vt furtum licere ad erogandam elemosinam; vel periurium, ad propriam, vel alienam vitam tuendam. Quod latius probat Vasquez toto eo cap. 2. & refert c. p. contrarium sentientes: eorumque rationibus c. 3. Satisfacit: & ita concludit eo cap. 2. in fine: Se vidisse rusticum existimantem pium esse morti proximum in alteram partem versare, ut citius moreretur, ne diu pateretur: ac se indicasse eum laborare ignorantia invincibili. Et similiter Azorius quæsito p. sup. cit. ait, hodie multos rusticos invincibiliter ignorare peccatum esse mentiri propter aliquod maximum bonum. Cui ego addo, reperiri multos invincibiliter ignorantes esse peccatum, periurium, ob vitam, aut honorem propria, vel aliena tuenda: & similiter pollutionem esse peccatum. Quod maximè in pueris contingit.* Et hoc ultimum mihimet accidit in Rustico sexagenario (in Sacramentali Confessione) ignorante invincibiliter pollutionem esse peccatum: & in altero item invincibiliter ignorante, peccatum esse accedere ad Uxorem propriam, & in actu coniugii desiderare alienam: Hinc optimè ait *Carolus Bauccius in Praxi Confessariorum in princ. Titulo De Prudentia Confessarii n. 21. pag. mihi 42.* Ad prudentiam Confessoris spectare, interrogare pœnitentes, quando invenit eos in Confessionibus præteritis non se accusasse de pollutionibus: *an laboraverint ignorantia invincibili, quandoquidem potest dari ignorantia invincibilis de pollutione, quæ non sit peccatum: ut in specie notant Layman, & Sanchez &c.* Quibus adde *Dianam par. 3. tr. 4. ref. 107.* aliàs 108. ubi expressè: *Potest dari* (inquit) *ignorantia invincibilis de pollutione, quæ non sit peccatum.* Quod confirmat *par. 4. tract. 4. ref. 36.* & alibi. Non desinam tamen hic obiter addere, quod præter dictum invincibiliter ignorantem peccatum esse accedere ad Uxorem propriam, & in actu con-

jugii alteram desiderare; excepi, & alterum, Virum tamen Doctum, agnoscentem quidem lethalem esse culpam sic accedere ad Uxorem desiderando alienam, vel in actu conjugii delectari in alterius viri, aut fœminæ cogitatione, carnaliter dilectorum, cùm sit hæc delectatio morosa in obiecto lethaliter malo. Opinantem tamen (ajebat ipse) cum *Sanchez de Matr. lib.* 9. *disp.* 17. *n.* 6. quod quando hujusmodi obiectum non est carnaliter dilectum, & delectatio ipsa in nulla re turpi est, sed in sola viri, aut fœminæ pulchritudine sistit (veluti quando quis in cogitatione ex. gr. pulchræ arboris, Canis, &c. delectatur) ut vel sic ad actum conjugalem excitetur, nullam in tali delectatione adinveniri lethalem culpam, innixum eidem *Sanchez l. cit.* ubi ait, *Se non videre in hoc lethalem culpam, cum delectatio sic in nullum turpe obiectum feratur, & ad honestum finem dirigatur*. At ego acriter dissentiens ab opinione pœnitentis, non permisi eum dissidere in eadem. Et ei protestatus sum, me in hoc dissensu convenire cum *citat. Sanch.* quippe, quamvis dixerit, *nullam lethalem culpam in hoc videre*, concludit tamen immediatè post: *Non tamen est hoc alicui permittendum; sed valde dissuadendum est ratione periculi*. Vide *Coninch. De Sacrament. disp.* 34. *dub.* 11.

38 Dicitur supra, ignorari haud posse absque peccato, & invincibiliter naturalis legis præcepta toto vitæ curriculo sine aliqua circumstantia (nova videlicet, quæ videri possit excusare à peccato.) Quia (inquit *Vasquez cap.* 2. *citato n.* 3.) si sine ulla circumstantia apparente occurrant, ita sunt hæc præcepta consentanea naturæ, ut statim id, quod illis contrarium est, peccatum appareat. Quando verò occurrunt cum aliqua circumstantia, talis adiungi potest, ut excusare à culpa videatur, ac proinde ratione illius ignorantiæ invincibilis præcepto accidere possit. *Hoc pacto aliqui existimarunt, mendacium interim licere, etiam cum iuramento, ratione necessitatis imminentis*. Ita *Vasquez*.

39 Ad quos autem virtutum actus se extendant præcepta legis naturæ: *Sotus de Iust. & Iure libr.* 1. *q.* 4. *art.* 3. *Salas De Legibus disp.* 5. *sec.* 5. *Suarez de Legib. lib.* 2. *cap.* 7. & alii, affirmant se extendere ad omnes actus virtutum, non quia lex obliget ad omnes, & singulos pro omni loco, & tempore, sed quia debito loco, & tempore, obligat lex naturæ ad aliquos actus singularum virtutum pro diversa conditione personarum; ita ut obliget unum ad unum actum virtutis, alium verò ad actum alterius virtutis. Contra verò *Caiet.* 2. 2. *q.* 104. *art.* 2. *in resp. ad primam obiectionem:* ait; *Omnes actus virtutum non esse in præcepto*. Unde,

40 Pro hujus quæsiti resolutione repetendum hic, quod supra innuimus initio hujus Capitis; Præcepta videlicet legis naturalis esse plura, quod docent cum *D. Th.* communiter Doctores. Sunt autem plura iuxta diversitatem principiorum, & conclusionum, quæ ad ipsam spectant: idque probari etiam potest: Quia Lex naturalis prohibet diversa vitia, & præcipit diversas virtutes, igitur continet diversa præcepta: consequentia probatur; quoniam quælibet virtus habet diversum motivum proprium, ut præcipiatur; vitium ut prohibeatur, ergo sunt plura præcepta, quia distinguuntur ex diversitate motivorum. Verum quidem est (ut optimè etiam *P. Pasqualigus Tom* 2. *Theolog. dis.* 47. *art.* 7. *n.* 39. & 40.) quod omnia præcepta naturalia uniuntur in unicam legem, imo etiam in illud unicum præceptum universale: *Declina à malo, & fac bonum*. Quia lex naturalis habet pro obiecto adæquato ordinem Moralem, ita ut singula præcepta aliquid de ipso importent, sicque omnia præcepta uniuntur in dicto præcepto: si enim fiet bonum necessarium, & declinetur à malo, habetur adæquatus ordo moralis, & nihil deficiet. Sub hoc autem præcepto universali, possunt distingui plura præcepta universalia, quæ important veluti plures leges particulares naturales: continentur enim sub eodem diversæ series præceptorum, quæ respiciunt certum finem, & vniuntur in unum præceptum, adæquatum illi fini, consequenter consurgunt diversæ leges partiales. Assumptum patet. Nam ordo servandus cum Deo ut ultimo fine, exprimitur unico illo præcepto, *Diliges Deum ex toto corde, &c.* Ordo servandus cum proximo in illo: *Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*; seu *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Hoc posito.

41 Ad propositum quæsitum, seu dubium, resp. cum eodem *P. Pasqual. disp. cit. art.* 8. *n.* 44. Quod licet certum sit, omnes actus virtutum, esse secundum legem naturalem, quia natura rationalis habet inclinationem ad ipsos tanquam ad partes integrantes honestatem: & licet etiam rursus certum sit, quod si lex naturalis sumatur secundum omnes suos effectus, omnes actus virtutis, sunt obiectum ipsius, quia

saltem

ſaltem eſt permiſſiva. Nihilominus dicendum eſt, illos ſolos actus eſſe de lege naturæ ut præceptiva, qui important rectitudinem neceſſariam pro ordine morali naturali, atque adeo neceſſarii ſunt ad excludendum aliquod vitium. Et ratio huius dicti eſt; quia non poſſunt plus extendi actus virtutum, qui ſunt de lege naturæ, quam ſe extendat veritas practica ejuſdem legis. Sed hæc non ſe extendit ultra dictos actus, ergo. Minor probatur. Lex naturalis habet pro obiecto tantum ordinem moralem naturæ rationalis, ergo ut obligativa, non obligat niſi ad talem ordinem, ergo ſolum ad actus neceſſarios pro ipſo, atque adeo excluſivos alicuius vitii. Hincque ſequitur (ita idem Author *n.* 45.) Legem naturalem ratione præcepti de honeſtè viuendo, ſe extendere per accidens etiam ad actus legis ſupernaturalis; quia cum teneamur ſervare hoc præceptum, & non poſſimus honeſtè vivere, niſi ſervemus legem ſupernaturalem, lex naturalis indirectè nos obligat ad actus ſupernaturales, quando ſunt neceſſarii ad honeſtè vivendum.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

In homine ratione utente datur ignorantia invincibilis circa legem naturalem, eiuſdemque naturalia præcepta, ſaltem aliqua, & laborans huiuſmodi ignorantia excuſatur à culpa ponens actum naturali lege prohibitum.

42 Legis cuiuslibet, præceptorumque eiuſdem notitia in nobis neceſſaria eſt ad illius, iſtorumque obſervantiam, cuius notitiæ privationem dicit ignorantia, de qua hìc ſermo eſt, ſeu de ea ignorantia, quæ excuſare poteſt à peccato. Dari autem legem naturalem certum eſt de fide *Ad Rom.* 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt: eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex*. Quaſi autem declarans ibi Apoſtolus (inquit etiam *Suar. de Legib. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 10.) quomodo ſibi ſint lex, & quæ ſit illa lex, ſubiungit: *Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*. Conſcientia verò, ut conſtat, opus eſt rationis, & illa teſtimonium præbet, & oſtendit opus legis ſcriptum in cordibus hominum, teſtificans videlicet, malè, aut benè hominem ratione utentem, quando reſiſtit, aut ſequitur naturale dictamen eiuſdem rectæ rationis; hinc oſtendit dictamen illud vim legis habere in homine, quamvis legem ſcriptam exterius non habeat. Hoc igitur dictamen eſt lex naturalis, & ratione illius dicitur homo (qui illo ducitur) eſſe ſibi lex, quia in ſe habet ſcriptam legem, medio dictamine videlicet naturalis rationis. Conſentiunt & Theologi. Et cum *Suar. l. c. num.* 12. id declarari, ac confirmari poteſt: Tum quia lex naturalis eſt utique in homine, quia temporalis eſt, & creata, nec eſt extra homines, quia non eſt ſcripta in tabulis, ſed in corde: & non eſt in ipſa natura hominis immediatè, nec eſt in voluntate, quia non pendet ex voluntate, ſed illam potiùs ligat quodammodò, & veluti cogit, igitur neceſſe eſt ut ſit in ratione. Et ſi in ratione, ſeu in rationis dictamine ſita eſt, non requiritur, nec eſt neceſſe, ut ipſa obliget, alia promulgatio, quam quod ſit ita propoſita veritas, ut in communem notitiam venire poſſit: *Salas de legib. diſp.* 5. *ſec.* 6. *ſub n.* 28. *verſ. Hoc autem, littera D.* Tum quia legis effectus, qui in naturali lege conſiderari queunt, proveniunt immediatè à dictamine rationis: hoc enim dictamen eſt, quod dirigit, obligat, & eſt regula ipſa conſcientiæ, quæ accuſat, vel approbat facta; ergo in illo huiuſmodi lex conſiſtit. Tum etiam, quia dominari, & regere proprium eſt legis, hoc autem in homine, rectæ rationi tribuendum eſt, & ſecundùm naturam rectè gubernatur. In ratione ergo lex naturalis conſtituenda eſt tanquam in proxima, & intrinſeca regula actionum humanarum.

43 Huiuſmodi autem lex naturalis obligat in conſcientia, quod ſtatuitur à Theologis ut certum de fide, ſumiturque ex illo *Pauli Roman.* 2. *Quicunque ſine lege* (utique ſcripta) *peccauerunt, ſine lege peribunt*; quia videlicet legem naturalem violarunt. De qua naturali lege ſubiungit Apoſtolus, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, &c. Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*. Et ratio eſt, tum quia lex naturalis eſt lex Dei, effectivè videlicet, eſt enim à Deo tanquam à prima cauſa, quod eſt certiſſimum, & de fide, quia Deus eſt prima cauſa omnium bonorum naturalium, inter quæ maximum bonum eſt, rectæ rationis lumen, & uſus. Hinc optimè *Sanctus Auguſtinus ſerm.* 55. *de verbis Domini: & lib.* 2. *de ſerm. Domini in Monte cap.* 9. ait: *Quis legem naturalem in cordibus hominum ſcribit, niſi Deus?* eſt igitur ſine dubio Deus effector, & quaſi Doctor (inquit *Suarez lib.* 2. *cit. cap.* 6. *n.* 2. *in fine*) legis naturæ. Tum etiam, quia lex naturalis eſt proxima regula honeſtatis moralis

quare, cum malitia moralis per oppositionem ad legem hanc insurgat frequenter, ideò etiam definitur peccatum esse contra legem Dei. Et quamvis *Sancti Augustinus, & Thomas* explicent de lege æterna, nihilominus in materia legis naturalis, in tantùm aliquid est contra legem æternam, in quantùm est contra rationem: idemque sensit *D.Tho. pr. 2. qu.71. art. 6. ad 4. & 5.* & ita explicat etiam *Suarez lib. 2. cit. cap. 9. n. 2.* eo quia (inquit) lex eterna non est prima regula quoad nos, nisi quatenus explicatur per legem naturalem. Hincque fit, ut hæc obligare possit in tota sua latitudine tàm sub culpa mortali, quàm veniali, eo quia sæpè huius legis materia est valdè gravis, & necessaria ad charitatem Dei, vel proximi servandam, & ad felicitatem humanam consequendam. Modo ergo

44 Dicit privilegium nostrum, excusari à dicta culpa tum veniali, tum lethali, ponentes (ob invincibilem ignorantiam) actum aliquem contra legem naturalem, illique oppositum, seu contra eiusdem legis præcepta, *saltem aliqua*. *Aliqua*, inquam, quod meritò, & appositè additur, quia legis naturalis præcepta (ut etiam *D.Thom. pr.2. qu.94. art.2. ad primum*, & communiter) habent quidem omnia rationem unius legis naturalis, in quantum referuntur ad unum præceptum, unicum, & universale, *Declina à malo, & fac bonum*, & in hoc unicum præceptum, & unicam legem uniuntur: sunt tamen absolutè plura naturalis legis præcepta per *Sotum de Iustitia lib. p. q. 4. artic. 2.* & per omnes, iuxta diversitatem principiorum, & conclusionum ad ipsam spectantium. Ad tres tamen classes, seu ad tria genera præceptorum reduci possunt ex doctrina communi, & ex iis etiam, quę diximus *in Præfatione huius capitis, & Privilegio p. ac 2. præsertim n. 40.* Prima sunt universalissima, quæ non tam dicenda sunt præcepta, quam præceptorum omnium principia. Cuiusmodi sunt ista: *Bonum est faciendum. Malum est fugiendum. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Deus est colendus. Parentes sunt honorandi.* Alia sunt, quæ ex istis per facilem discursum deducuntur, suntque (ut *D. Tho.* infrà; & communiter) veluti conclusiones propinquæ dictis universalissimis principiis, atque præceptis. Demum alia sunt, quæ ex primis non nisi longo, ac difficili discursu deducuntur, qualia sunt ex. gr. præcepta, quæ prohibent aliquos contractus, qui revera usurarii, vel simoniaci sunt, at tales non apparent, & de his est difficultas, & controversia inter Doctores, aliis affirmantibus, negantibus aliis. Nonnulli apud *Ludovicum de Scildere, De Conscientia formanda tract. 2. cap. p. §. 3. in princip.* negant dari hoc tempore in homine ratione utente ignorantiam ullam invincibilem iuris naturalis; ex qua negatione, inferunt, neminem excusari à peccato formali ob invincibilem ignorantiam juris naturæ, eo quia in hoc sit vincibilis quæcunque ignorantia. Cui sententiæ adhærere videtur *Petrus Maria Passerinus in primum lib. sexti Decretalium, in cap. Vt Animarum 2. De Constit. quæst. primæ artic.* 10. *num.* 202. dum ibi sic: *Propriè, & rigorosè loquendo, non datur error contra legem naturæ, qui sit invincibilis. Quia nullum naturale est impossibile, supposito divinæ providentiæ auxilio, quod nulli deest: scientia verò tam speculativa, quàm practica de obiecto naturali, est naturalis homini, nulli igitur est impossibilis, & sic nec ignorantia est invincibilis.* Verùm

45 Si præfati sentiunt non posse dari ignorantiam invincibilem inculpabilem de præceptis naturalibus primi generis, optimè sentiunt, sic enim sentiunt cum expressa doctrina *D.Tho. pr. 2. qu. 94. artic. 6.* ubi discurrit ut sequitur. *Ad legem naturalem pertinent primò quidem quędam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota: quædam autem secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest à cordibus hominum deleri in universali, deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quantum verò ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum vel propter malas persuasiones, eo modo, quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias: vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit ad Rom. p.* Hæc Sanctus Doctor, qui præterea *eadem qu. 94. art. 4.* ita concludit: *Sic igitur dicendum est, quod lex naturæ quantum ad prima principia communissima, est eadem apud omnes, & secundum rectitudinem, & secundum notitiam: sed quantum ad quædam propria, quæ sunt quasi conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes, etiam ut in pluribus, & secundum rectitudinem, & secundum notitiam: sed ut in paucioribus potest deficere, & quantum propter aliqua particularia impedimenta, &*

ta, *& etiam quantum ad notitiam. Sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expressè contra legem naturæ.* Ex quibus, & antecedentibus Sancti Doctoris verbis patet, & ipsum asserere dari non posse ignorantiam invincibilem inculpabilem de præceptis naturalibus primæ classis. De primis, quia universalissima sunt, & cuilibet notissima, cum sint prima sinderesis principia: de quibus etiam *Sanctus Hieronymus in Epist. ad Algasiam q.* 8. sic: *Nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Idcirco iustum iudicium Dei est scribentis in corde humani generis, Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris.* Et *D. Augustinus in Psalm.* 57. *Scripsit Deus naturæ legem in cordibus hominum, quam non sinuntur ignorare, ut esset, unde iudicarentur.* Et *in Psalm.* 118. *Concion.* 25. *Nullus est, qui faciat alteri iniuriam, nisi qui sibi fieri nolit. Et in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id, quod facit, non vult pati.* Et *Beda in eundem Psalmum*, pariter ait: *Planissimum, & apertissimum est omni homini illud præceptum: Quod tibi non vis, alteri ne feceris; Quia quisque in seipso hoc advertere potest. Et ideo quisquis hoc non intelligit, non imputabitur difficultati, imo voluntati.* Ex his ergo manet, de primis, & universalissimis præceptis legis naturæ non posse dari ignorantiam invincibilem, inculpabilem secundum *Sanctos Patres*, *D. Thomam* (quod & nos hic, & in privilegiis præcedentibus ultro concedmus, & cum omnium communi affirmamus, & probamus.) Bene tamen dari potest ignorantia invincibilis de præceptis saltem tertii generis, ex doctrina, & ratione allata à *D. Thoma*, ut patet. Unde

46 Si præfati Doctores velint neque dari posse ignorantiam invincibilem præceptorum legis naturalis, tertii generis, nimis volunt, sentiuntque contra communem Doctorum omnium, sensu unanimi asserentium posse talia præcepta, saltem à rusticis, & indoctis invincibiliter ignorari, quia tales sunt incapaces hujusmodi discursus, & interdum iidem adeò incapaces sunt, ut nec à Prælatis, Confessariis, vel Doctoribus instrui possint, absolutè nescientes, an talia præcepta (tertii saltem generis) sint de iure naturæ, & indispensabiliter obligent: nec mirum est, si hoc ab iisdem ignoretur, cum multoties etiam inter Magistros, & Doctores ipsos sit lis, & controversia, an obligent, nec ne, aliis affirmantibus, negantibus aliis. Unde meritò *Medina in pr.* 2. *qu.* 76. *art.* 2. ait: *Circa præcepta naturalia, quæ eliciuntur ex præceptis Decalogi per consequentiam non valdè evidenter, potest esse ignorantia invincibilis per multum tempus*: Et ipsemet *Passerinus l. c. n.* 203. cogitur dicere: *Dico nihilominus, quod alicuius præcepti naturalis potest dari error probabilis*: quæ verba in re, & realiter sonant, ut patet, privilegium nostrum: uti & sequentia *Alberti Magni in* 2. *dist.* 22. *art.* 10. *Ignorantia iuris est duplex: quia quoddam est ius universale, quod omnibus imponitur sciendum: & quoddam est particulare, quod non scitur nisi per studium: & puto quod prima est crassa, & supina, non excusans. Secunda autem excusat vel à tanto, vel à toto, si est casus multum difficilis.* Quæ in substantia faciunt sensum, quem (clarius tamen, & magis expressè) habent verba *D. Tho. pr.* 2. *qu.* 94. *art.* 4. supra relata, ut patebit legenti. Hinc optimè docet *Salas n.* 28. *cit. in princip.* dum ibi ait: *Mihi certum est, aliquam iuris naturalis ignorantiam esse omnino inculpabilem, præsertim in iunioribus, & bebetioribus; nam etiam apud sapientissimos, ingenio præstantissimos, & veritatis amantissimos, ac piissimos Theologos, & Iurisperitos sunt variæ opiniones, an hoc, vel illud sit iure naturæ præceptum, aut probibitum, mortale, vel veniale.* Igitur verum privilegium nostrum ex authoritate Sanctorum Patrum, & Doctorum. Sed præterea

47 Ratio etiam ipsa veritatem eiusdem suadet; Tum quia nulla ratio assignabilis est, cur non possit homo invincibiliter errare tam circa ius naturæ, quam circa alias veritates mathematicas, aut metaphysicas, præcipue cum illa ignorantia non impediat ullo modo iustificationem acquirendam, aut acquisitam, eo quod peccatum ex illa ignorantia sit materiale tantum, non formale. Tum quia lex vim non habet obligandi, nisi omnibus hominibus applicetur per publicationem, seu intimationem: sed lex naturalis non intimatur, nec promulgatur omnibus, quantum ad omnia præcepta, quæ continet, quantum ad illa nimirum, quæ sunt remotissima à primis principiis universalissimis, quæ sunt prima sinderesis principia: ergo non obligat omnes homines quantum ad illa præcepta in actu secundo, subindeque potest dari de illis ignorantia invincibilis, & excusans à peccato. Major est certa, communiter concessa. Minor verò sic ostenditur. Promulgatio, seu intimatio legis naturæ fit per dictamen rationis intimantis homini agenda, vel omittenda: sed tale dictamen, præsertim quantum ad præcepta, quæ sunt remotis-

motissima à primis præceptis universalissimis, non habetur ab omnibus, cum non habeatur, nisi per discursum difficilem, & labore magno, ac studio, cuius plures viri simplices, rudes, rustici, & ignari sunt omnino incapaces. Ergo lex naturalis non intimatur, nec promulgatur omnibus, quantum præcipuè ad præcepta remotissima à primis universalissimis præceptis omnibus notis, ergo, &c.

48 Accedit etiam experientia ipsa, quia, ut pariter docet *De Scildere §. 3. cit. Assertione* 4. *sub n.* 11. *versu Probatur primo, fol. mihi* 65. quid magis familiare pueris ad usum rationis provectis, priusquam ab aliis edoceantur, quàm committere plura peccata contra naturæ legem, absque apprehensione ulla peccati? Adde, quod in multis materiis, quæ certò prohibitæ sunt, difficile est rationem malitiæ deprehendere ex lege naturæ, ex. gr. in ebrietate; pollutione apprehensa sanitatis causa; occisione sui ipsius, ut effugiatur mors crudelior, &c. Exemplum narrat *S. August. lib. p. de sermone Domini in Monte cap.* 29. Et ex ipso adfert idem *De Scildere versu, & fol. citatis.* Anthiochiæ Acindenus Præfectus cuidam debitori fisci, qui libram auri debebat, comminatus est mortem, nisi certo die præfixo debitum solveret, eumque in carcerem coniecit. Cum autem ille debitum solvere non posset, accessit ad Uxorem ipsius vir dives promittens illi auri libram, si nocte una sui copiam ipsi faceret. Retulit hæc sollicitationem illam ad virum suum, & ipse, ut ait *D. Augustinus, egit gratias, & ut fieret imperavit, nullo modo iudicans adulterinum esse concubitum, quod & libido nulla, & magna meriti charitas, se volente, & iubente, flagitaret.* Neque culpam aliquam formalem in eo judicio, aut facto agnoscit *D. August.* nolens decidere, rectè ne, an malè factum fuerit. *Nihil hic (ait) in alteram partem disputo, liceat cuique æstimare, quod velit.* Dantur enim præcepta naturalia, quorum connexio ad principia naturalia per se nota, non est evidens, & manifesta, sed implicita, & latens, & ex circunstantiis accidentalibus in particularibus redditur ambigua, unde circa hujusmodi, inter fideles etiam, & viros ipsos pios, & doctos dantur opiniones oppositæ (ut suprà) quibusdam affirmantibus aliquid esse præceptum, vel prohibitum de iure naturæ, idque aliis negantibus. ut experientia ipsa notorium est. Ex sic autem opinantibus licet eorum alter erret, hujusmodi error circa rem dubiam innixus rationi probabili, est probabilis, atque excusans à peccato. Quod & absolutè admitti debet; nisi enim admitteretur aliqua ignorantia iuris naturalis à peccato excusans, ut hic affirmatur, incredibilis conscientiæ perplexitas sequeretur, imò & peccandi hic, & nunc, dura, inevitabilisque necessitas. Nam sic, quotiescunque aliquis probabiliter, & bona fide iudicat aliquid sibi agendum esse, & tamen illud naturali iure illicitum est, peccabit id faciendo, si nulla juris ignorantia à peccato excusat. Peccabit etiam non agendo, quià sic aget contra conscientiam, quæ ipsi dictat hoc esse agendum. Peccabit igitur quocunque se vertat, sive id faciat, sive non, ergo necessariò peccabit, quod affirmari nequit, cum hoc sit contra fidei dogmata nedum, verùm etiam contra prima luminis naturalis principia, nimirum contra hoc principium: *Nemo peccat in eo, quod vitare non potest.* Quod *D. Augustinus lib. de duabus Animabus cap.* 11. usque adeò notum, & per se manifestum esse affirmat, ut non solum à nemine ignoretur, sed insuper à toto genere humano declametur. *Nonne* (inquit) *ista cantant & in Montibus Poetæ, & indocti in circulis, & Docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in locis Sacris, & in Orbe terrarum Genus humanum?* Merito concludo.

49 Ad complementum autem huius privilegii inquires, an inter legis naturæ præcepta particularia, de quibus dari potest invincibilis ignorantia excusans eorundem materialem transgressionem à peccato, sint *Præcepta Decalogi?* Respondeo affirmativè, imo eadem præcepta totam juris naturalis legem inclusam, & implicitam continere. Et ob id, *Caramuel in Theologia Fundamentali n. margin.* 1334. ait: *Decalogus lex est naturalis.* Et in *Decem Decalogi Præceptis* (addit *Fagundez in Decalogum tom. p. in Introductione Operis*) *totam iuris naturalis legem, veluti in Epilogo inclusam, & ad quæ reliqua omnia præcepta, normasque omnes reducerentur tradidit Deus.* Unde *Trullench in Proemio Expositionis Decalogi*, appellat decalogum, *Lucidissimum rationalis naturæ speculum.* Describitque illum sic: *Decalogus est summa, & brevis Epithome legis naturalis; & divinæ:* ita *Præludio p. n. p. ex S. Tho. p.* 2. *q.* 100. *art.* 3. *&* 11. *Navarro cap.* 11. *n. p & Sayro Clavi Regia lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 3. *&* 4. Omnia igitur Decalogi præcepta, siue sumantur pro primis principiis generalibus, sive pro conclusionibus deductis ex illis, vel ex ipsis Decalogi præceptis, sunt de iure, & lege naturæ, ita ut lex, & legislator sit ipsa natura-

turalis ratio (ut etiam suprà) dictansquid bonum, & amplectendum; & quid malum, & fugiendum. Ita etiam idem *Trullench Prælud. 2. n. 8. cum D. Tho. p. 2. q. 100. art. 2.* & cum communi. Ratio est, tum quia hæc præcepta secundum *D. Tho. l. c.* sunt de his, quæ ad bonos mores spectant, boni autem mores dicuntur in ordine ad rectam naturalem rationem. Tum quia, illud est de lege naturæ, quod lumine naturali cognitum est, & ratio ipsa naturalis dictat: sed lumen, & ratio naturalis dictat bonum esse faciendum, malum fugiendum; & alia, quæ ex his solo lumine naturali cognoscuntur, & ex his colliguntur, & deducuntur, ergo &c. Verum quidem est, quod & si Decalogi præcepta sint de lege naturæ, sunt præterea etiam de lege divina positiva, ita ut positivus legislator sit ipse Deus; & hoc evidenter constat: nam habetur *Exodi 20.* Decem verba legis à Deo ministerio Angelorum Moysi data in Monte Sinai in duabus Tabulis lapideis. Hinc est, quod omne, quod est de iure naturę, sit etiam de iure divino positivo: nam cum omnia præcepta, quæ sunt de iure naturæ, ad Decalogum reducantur, & Decalogus sit de jure naturali, & divino, inde fit, ut omne, quod est de jure naturæ, sit etiam de jure divino. Et hinc etiam tandem sequitur particularia legis naturæ præcepta (de quibus hic sermo) esse Decalogi Præcepta, de quibus *iterum sub cap. 6. sequenti. Vide D. Tho. p. 2. q. 98. art. 2. & 3. & Passerinum art. 10. cit. à n. 204.* Et concludo cum *Corduba in Quæstionario Theologico lib. 2. qu. 4. in princip. Proposit. p. In his, quæ sunt Iuris naturalis, quæ non sunt per se nota, datur ignorantia invincibilis, & omnino inculpabilis, etiam in Decalogo.*

CAPUT SECUNDUM
DE PRIVILEGIIS
IGNORANTIÆ
CIRCA LEGEM CIVILEM.

50 Ex humana, etiam Civilis, habens suas conditiones, seu proprietates (debet enim esse ut communiter D.D. cum *D. Tho. p. 2. qu. 95. art. 3.* & secundum *Isidorum; Honesta, justa, possibilis, secundum consuetudinem patriæ, loco, temporique conveniens, necessaria, vel utilis, nullo privato commodo, sed pro communi Civium utilitate conscripta; manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem, in captione contineat.* Item lata ab habente potestatem legislativam Civilem) obligare potest subditos in conscientia ad sui observantiam sub reatu mortali, ita ut contra illam agentes, peccent etiam mortaliter, & interdum ita obligat: est sententia communis Theologorum cum *D. Tho. p. 2. q. 96. art. 4. & 5.* ut videre est apud *Salas De Legibus disp. 10. sec. p. n. 6. & Suar. de Leg. lib. 3. cap. 21. num. 5.* idque patet Tum *Sap. 6. Audite Reges, &c. quoniam data est à Domino potestas vobis.* Tum *p. Reg. 8. Non te abiecerunt* (ait Dominus ad *Samuelem*) *sed me.* Tum *Proverb. 8. per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Tum *ex p. Petri 3. Subiecti igitur estote omni creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam à Deo missis in vindictam malefactorum hæc enim voluntas Dei est:* Tum ad *Titum 3. Admone illos Principibus subiectos esse:* Tum ad *Hebræos ultimo, Obedite Præpositis vestris:* Tum ad *Roman. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo: Qui potestati resistunt; Dei ordinationi resistunt: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: ideo subditi estote, non solum propter iram* (idest pœnam) *sed etiam propter conscientiam:* idest, propter peccatum. Ex quo loco manifestè colligitur, legem Civilem posse ad culpam etiam mortalem obligare, damnatio enim non irrogatur, nisi ob mortale peccatum. Itemque ex eodem loco, uti ex præcedentibus, clarè deducitur, adesse in Republica, & Principibus potestatem legislativam. Et hoc esse de fide (quod docent communiter apud *P. Pasqualigum in Theol. Morali disp. 49. sec. p. n. 2.* Contra *Anabaptistas, & Trinitarios, ac Transylvanos,* qui non solum excludunt potestatem legislativam, sed magistratum etiam, & usum gladii) cui potestati, Superioribus, ac Principibus, subditi parere tenentur, eo maximè quia eorundem humanæ

manæ leges pro communitate etiam Christiana necessariæ videntur, cum enim lex naturalis, & Evangelica non præscribat de omnibus: debent leges Civiles, & Principes jubere, suis humanis legibus quæ jure diuino, aut naturali præcepta non sunt: & recta ratio dictat eisdem legibus obediendum esse, ac Principibus, etiam Laicis: Quorum potestas ferendi leges cum onere peccati mortalis, non procedit ab Ecclesia (ut advertit etiam *Arriaga in Cursu Theol. t. 4. disp. 16. sec. 4. subsec. p. n.* 55. quem refert *Diana par.* 10. *tr.* 15. *& Miscell.* 5. *ref.* 44. sed sequitur ex natura rei, præterquam quod legitimus Princeps, & Magistratus utitur potestate à Deo tradita tanquam Minister Dei, ut supra *Sap.* 6. *Reg.* 8. *&c.* ergo in suis legibus obediri debet, &c.

51 Verum quidem est, quod non omnes leges humanæ, & Civiles, obligant ad obediendum in conscientia, præsertim sub mortali. Constat enim ex communi omnium existimatione, leges obligare tantum ad pœnam: cujusmodi etiam sunt leges quarundam Religionum. Imò *Navarus in Man. cap.* 23. *n.* 55. putat potestatem Civilem rarò obligare ad culpam, cum Principes sæculares rarò intendant subditos punire pœna spirituali animæ: de qua re D. D. *Sayr. in Clavi Regia lib.* 3. *cap.* 7. *n. p. Valent. to.* 2. *disp.* 7. *qu.* 5. *punc.* 6. *cap.* 2. *Suarez de Legib. lib.* 3. *cap.* 27. *Salas de Legib. disp.* 19. *sec.* 5. *Diana p.* 10. *tr.* 15. *& Miscell.* 5. *ref.* 44. *&* 45. *Azorius Tom. p. Instit. Moral. lib.* 5. *cap.* 6. *qu.* 4. *Lessius lib.* 2. *de Iust. cap.* 33. *dub.* 8. *n.* 54. *Layman. lib. p. tract.* 4. *cap.* 15. & alii. Qui tamen sunt invicem divisi, ut videre est tum apud ipsos; tum apud *Bonacin. to.* 2. *disp. p. qu. p. punc.* 7. §. 2. *n.* 3. Quidam namque existimant legem Civilem non obligare sub mortali, quando in ea contra transgredientes decernitur pœna tantummodo temporalis, seu corporalis; quamvis pœna sit gravis, & magna, ut amissionis bonorum, capitis, &c. modo aliunde non constet Legislatorem civilem velle sub mortali culpa obligare; aut modo non adsit scandalum, vel contemptus. *Legislator enim Civilis (inquiunt) merè prohibens aliquem actum, non solet (etiam cum materia est gravis) velle obligare sub mortali.* Ratio est, tum quia lex pœnalis est odiosa, ergo benignè explicanda est, quantum fieri potest, juxta regulam juris, *Odia restringi, favores convenit ampliari:* tum quia Legislator Civilis apponens pœnam temporalem, censetur excludere æternam; nam qui unum exprimit, & aliud tacet, censetur excludere quod tacet, *c. Nonne, de præsumptionibus*, tum quia subditi probabiliter opinari possunt Legislatorem contentum esse pœna, quam expressit, & nolle maiorem obligationem subditis imponere, nisi aliter de ipsius mente colligatur. Itaque Legislator licet possit ad pœnam, & culpam obligare, nihilominus dum solam pœnam exprimit, nec aliunde constat, utrum etiam velit ad culpam obligare, censetur velle solum ad pœnam obligare, putans pœnæ comminationem sufficere ad impedienda delicta, & ad continendos in officio subditos, non injecto majore laqueo. Neque (addunt) obstat dicere, pœnam supponere culpam, seu pœnam non infligi nisi ob culpam: cum enim culpa duplex sit, Civilis nempè, & moralis (quæ propriè convenit peccato) dicendum est, pœnam non semper supponere culpam moralem, sed supponere culpam, aut moralem, aut Civilem, seu legalem: ita relati à *Bonacina sub n.* 3. *cit.*

52 E contra alii (item apud eundem, & sub *eodem num.*) sentiunt (quod & ipsemet ibidem probabilius existimat) legem pœnalem obligare sub mortali, aut veniali, juxta materiæ gravitatem, aut levitatem, nisi aliud constet de contraria Legislatoris mente. Et ratio est, tum quia lex continens præceptum obligat in conscientia, sed lex pœnalis continet præceptum, ergo obligat in conscientia: tum quia pœna supponere videtur culpam, quoties aliquid sub pœna prohibetur ab eo, qui facultatem habet prohibendi: tum quia per hoc, lex, aut præceptum differt à consilio, quod consilium non obligat sub culpa, obligat vero lex, seu præceptum: tum quia Scriptura, & Patres passim damnant violatores legum humanarum; quamvis harum plurimę sint pœnales *c. Imperatores* 11. *qu.* 3. ergo signum est leges humanas obligare sub culpa: tum quia quando Legislatores, in re aliqua, alias non præcepta, intendunt non obligare, solent hoc exprimere, ut ex Regulis Minorum, & Prædicatorum docent *Clavis Regia lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 7. *Salas de Legib. disp.* 15. *sec. p. n.* 16. & alii: ergo quando non exprimunt se non obligare sub culpa, censentur sub culpa obligare. Nec rationes adductæ pro prima sententia enervant hanc secundam. Ad primam enim respondent (qui secundam sequuntur) legem pœnalem, mitius quidem explicandam esse, quantum tamen lex ipsa patitur: at lex pœnalis non patitur ut explicetur, & intelligatur obligare ad solam pœnam, nisi aliunde constet Legislatorem velle ad solam pœnam obligare, ut constat ex rationibus, in hujus secundæ sententiæ comprobationem adductis.

Ad se-

Ad secundam respondent, eum, qui unum exprimit, & aliud tacet, censeri excludere quod tacet, quoties illius mentiò distinctè facienda esset, & non sufficeret mentio implicita, uti in nostro casu, in quo Princeps praecipiens aliquid sub pœna, sufficienter etiam indicat obligare sub culpa pro ratione pœnę, quæ apponitur, seu materiæ, quę præscribitur, cùm intendat obligare subditos quantum sua auctoritate potest, nisi aliter constet de ipsius mente. Ad tertiam tandem respondent, subditos non posse rationabiliter opinari Legislatorem contentum esse pœna, nisi aliud exprimat. Nec contra valet, quod pauci sint qui sibi scrupulum faciant transgrediendi leges civiles pœnales. Atque hoc indicat sensus ordinarius Catholicorum, censentium, se non peccare mortaliter per transgressionem legum civilium sæcularium. Unde nec viri Docti, & timoratæ conscientiæ de hujusmodi legum pœnalium trasgressionibusin confessione sacramentali se accusant: non inquam valet, quoniam ego ipse, pœnitentes multos audivi, se de iisdemmet accusantes, absolutionemque in foro animæ petentes. Qui autem in hoc sibi scrupulum non faciunt, vel sunt ii, qui contrariam sententiam sequuntur: vel qui stantes bona fide, & ignorantia veritatis laborantes, per ipsam excusantur à culpæ moralis reatu: hinc fit.

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Ponens actum ex ignorantia invincibili contra legem Civilem, in conscientia obligantem, excusatur à culpa, & à reatu morali.


53 Probatur hujusmodi Privilegium, quia nullus tenetur in conscientia (saltem in actu secundo) obedire legi, quam omnino ignorat: non enim possum obedire nisi supposito præcepto, & à me cognito: hinc *Soto de Iust. lib. p. qu. p. art.* 4. ait: *Ille quem lex latet, ignorantia excusatur*. Et *Azor. to. p. lib. 5. cap. 3. Ignorantes (inquit) legem, bona fide, in foro conscientiæ liberi sunt à culpa:* ita *quæst.* 9. ubi quærens, *An lex afficiat ignorantes?* pro negativa (quam ipse sequitur) refert etiam *Abb. in c. Cognoscentes, de constitutionibus n.* 6. docentem pariter, *lege non affici ignorantes*. *Felinum* idem sentientem: idemque tradere *Glossam* in eo loco: & hanc esse communem utriusque juris Doctorum sententiam. Cui sententiæ subscribit *Valent. to. 2. dis. 7. qu. 5. punct. 5. litt. D.* dum ibi sic: *Vt lex humana obliget, oportet quod veniat ad notitiam eius, quem sic obligat. Alioqui per ignorantiam invincibilem excusabitur, quominus sit reus legis*. Quoniam verò hi Doctores (ut videre est apud ipsos) hujusmodi ignorantes excusant à reitate, & transgressione legis, quamvis hæc sufficienter promulgata fuerit; ideo ex hoc, fit.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Ponens actum ex ignorantia invincibili contra legem Civilem, etiam sufficienter promulgatam, & in conscientia obligantem, excusatur à culpa, & à reatu morali.

54 Hoc idem conceditur à præcitatis Doctoribus; & præterea admittitur à *Salas de Legib. disp. 12. sec. 5. in fine:* & ab aliis, quos refert, & sequitur *Bartholomæus Mastrius in Theol. Morali disp. 2. qu. 4. art. 3. num.* 106. *in fine*: ubi sic: *certum est, quod in foro conscientiæ, qui habent ignorantiam invincibilem legis* (loquitur iste Author tum de Civili lege, tum de Pontificia) *ab eius transgressione excusatur: & ideo etiam post legis promulgationem requiritur tempus proportionatum, & moraliter sufficiens, ut notitia legis ad omnes peruenire possit. Quamvis etiam transacto tempore, quantum præscribitur à promulgatione, nunquam tamen lex ulla in conscientia obligare potest eos, qui legem promulgatam invincibiliter ignorabant. Quamvis in foro externo posset contra illos procedi tanquam si deliquissent: in quo etiam foro excusari poterit, qui causas sufficientes adduxerit, propter quas legem ignoraverit*: & *n.* 108. *in fine:* in quo sic: *Vt lex humana obliget generaliter, ac veluti in actu primo, satis est eam in aliquo loco solemniter promulgari, nec est necesse ut ad singulorum notitiam perveniat, alioquin non propriè diceremus, ignorantiam invincibilem interdum excusare à peccato contra legem: hoc enim est excusari, quod facere contra obligationem legis, qua teneris, tamen quia facis involuntariè, invincibiliter ignorans, non peccare. Vt verò lex humana obliget particulariter, ac veluti in actu secundo, itaut si contra illam quis agat, verè sit illius prævaricator, & reus, certum est non satis esse, eam vel in Curia Principis, vel in singulis Provinciis, & Civitatibus promulgari. Sed ulterius opus esse, ut iam ad notitiam eius venerit, quem sic obligat, aut certè, ut possit ex intentione, & absque magna difficultate eam notitiam acquirere*. Ex quo infertur huic nostro Privilegio minimè obstare quod aliqui eidemmet opponunt, apud *Azor. l. c. quæst. 9. & Salas de Legibus disp. 12. sec. 5.*

dum ſic arguunt: Excuſari, ſupponit obligari, ſed ignorantes excuſantur, ergo obligantur. Obligantur enim in actu primo, non verò in actu ſecundo, ratione ignorantiæ invincibilis: ut advertit etiam *Valent. l. c.*, & cum ipſo *Salas ſec. cit. Nec nos aſſerimus (* inquit *Azorius) ignorantes non ligari legibus , ſed non affici , quod eſt diverſum*. Nam *& qui dormit* (concludit *Salas ſec. cit.) eſt obligatus actu tunc, ſed non pro tunc*. Et concludo ego cum *Soto de Iuſt. lib. p. qu. p. art.* 4. *§. contra hos . Cum primum lex ſolemniter eſt promulgata in Curia , vel in Regni Metropoli; obligat univerſos, tametſi circa culpam, ignorantes, à culpa excuſentur, quia videlicet, lex ſtatim cunctos tam audientes, quam abſentes obligat, à cuius nihilominus nexu inſcii excuſantur*. Et hunc eundem loquendi modum uſurpavit *Caiet. p.* 2. *qu.* 90. *art.* 4. *ad* 2. dum ibi dixit : *Abſentes, neſcii promulgatæ legis, non ligantur :* ideſt, *accuſari, nec apud Deum, nec apud homines ignorantię poſſunt abſentes neſcii*. Verba ſunt *Caietani*. Hic tamen obiter nota cum *Azorio par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 3. *qu.* 9. & aliis, quod ignorans invincibiliter legem, ob idque contra eam faciens excuſatur quidem à peccato , & à pœna legis, ſi quæ tamen fecerit , contra legem ea reſcindentem , irrita ſunt etiam ſecundum conſcientiam. Unde ſi lex ſit præſcribens , non valere certum aliquem contractum poſt duos Menſes ab ejus promulgatione, & Petrus contractum ea lege interdictum inierit bona fide per ignorantiam, liber quidem erit à culpa, & à pœna, irritus tamen erit contractus , & inanis contra eam legem initus. Inquirere autem hic , de modo, quo oporteat legem Civilem promulgari, & quo tempore poſt promulgationem incipiat obligare ; itaut tunc dici queat ſufficienter promulgata , eſt omnino extra ſphæram intentionis hujus Operiris , ac Tractatus; habet Lector tot Claſſicos, tum Veteres , tum Recentiores, utrumque optimè ex profeſſo expedientes in tractatu de Legibus, ad eoſdemmet eundem mitto : & immediatè ad alterum proponendum, ſeu recenſendum hujus capitis privilegium accedo , quare ſit.



PRIVILEGIUM TERTIUM.

Iuſtè damnatus à lege Civili, & à Iudice, ut veneno pereat, coactuſq; ut ſibimet illud applicet, & opotet; ſi id exequitur, ignorans invincibiliter eſſe illicitum, ac grave peccatum, excuſatur à culpa, & à reatu mortali.

55 PRo bona, ac recta admiſſione propoſiti hujus Privilegii, præmitto; nunquam (abſque divina authoritate, & decreto) licitum eſſe ſeipſum occidere directè, & poſitivè, neque ob vitandum peccatum , neque ob defendendam pudicitiam , neque ob fidem, vel Religionem, aut virtutem tuendam , & hæc eſt communis D. D. ſententia (apud *Leſſium de Iuſt. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6. *n.* 20. & alios plures, præcipuè *P. Caraſam noſtrum De Duello, tract.* 3. *ſec.* 3. *quæſ. p.* ubi, *quod ſit communis , & certiſſima ;* & ut talis ab eo ex profeſſo rationibus , & auctoritatibus probatur) ex *D. Auguſt. lib. p. de Civit. Dei cap.* 16. *& ex Concil. Bracar. p. c.* 34. & refertur 23. *q.* 5. *c. Placuit* Ubi ſic decernitur. *Placuit, ut qui ſibi ipſis voluntariè aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per ſuſpendium, vel quolibet modo violentem ſibi inferunt mortem, nulla prorſus pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum pſalmis ad ſepolturam eorum cadavera deducantur ;* Hæc ſunt verba Concilii. Hinc etiam idem *D. Auguſtin. lib. p. de Civit. Dei cap.* 26. ſic ait *: Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus; neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, ne hoc ipſo incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum ; neminem propter ſua peccata præterita ; propter quæ magis hac vita opus eſt, ut poſſint pœnitendo ſanari. Neminem, velut deſiderio melioris vitæ, quæ poſt mortem ſperatur : quia reos ſuæ mortis, melior poſt mortem vita non ſuſcipit.* Unde neque Mulieri licet ſe occidere , ne ab alio corrumpatur, quia non debet ipſa in ſe committere crimen maximum, quod eſt ſui ipſius occiſio , ut vitet minus crimen alienum ; non eſt enim crimen mulieris per violentiam violari , ſi conſenſus non adſit, quia non coinquinatur corpus niſi de conſenſu mentis , ut *Lucia Sancta* dixit ; violatio namque non imputatur ei ad peccatum , niſi conſenſus adſit, neque per hoc amittitur virtus caſtitatis, & laureola , cum potius pati dicatur, quam age-

re, &c

re, & peccare: Castitas enim vi eripi non potest, cum sit virtus animæ, quę violentiam non sentit, & cum mens pudica, etiam alieno scelere corruptum corpus, tanquam intactum conseruat pudicum. Ideo virgo prostitui potest, adulterari non potest invita, neque illam polluit aliena libido, tametsi ea oppressa in suo corpore exerceatur libido, non sua. Hinc eleganter eadem *Lucia Sancta*, fertur dixisse ad *Paschasium. Si invitam me feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Libido enim *debet procedere ex mentis proposito, ut tollat Virginitatem. D. Th. in 2. 2. qu. 152. art. p. ad* 4. Non licet ergo se occidere, nec etiam ob castitatem tuendam, & concors est in hoc Doctorum sententia. Idq; præterea insinuat manifestissimè *Textus in Cap. Ex parte 2. De Sepulturis:* ubi de quadam Virgine, quæ fugiens illam comprimere volentem, in amnem cecidit: ait *textus. Quo circa mandamus quatenus cum illa non spontè præcipitaverit se de ponte, sed (sicut superius est expressum) casu ceciderit, corpus eius tradi facias Ecclesiasticę sepolturę.*

56 Et adeò clarum est, & ex se notum, illicitum esse, peccatumve maximum, suiccidium; ut nec possit hoc idem invincibiliter ignorari, neque per invincibilem ignorantiam hujusmodi peccatum excusari secundum *Caiet. in 2. 2. qu. 124. art. p. & Victoriam in Relect. De Homicidio n. 37. in resp. ad argum. decimumquintum.* Quia (inquiunt) ignorantia juris naturalis contra præcepta priora præceptis Decalogi, nullum excusat. Constat autem quod non occidere seipsum est prius præceptum, quam, *Non occides*, quod est præceptum Decalogi, sicut amor sui prior, & naturalior est, quam amor alterius. Quod autem (addit *Victoria in eadem resp.)* lumine naturali cognosci possit, illicitum esse, seipsum interficere; patet, quia Philosophi studiosi virtutis, id docuerunt, ut patet ex *Arist. 3. Ethic.* dicente, quod est non magnanimi, mortem sibi consciscere, sed pusillanimi, & non potentis ferre vitæ labores: & *Cicero, mortem* (inquit) *cur mihi consciscerem cum causam nullam habeam? cur optarem mulctas? quanquam hoc ipsum sapienter: sapientis enim est, neque optare mortem, neque timere.* Unde *Cato, Brutus*, & similes, utique se interficiendo, nec laudabiliter, nec fortiter, nec sapienter se gesserunt: non enim poterant ignorare id esse insipiens, & lumine naturali non agnoscere, esse illicitum. Hinc etiam *Soto de Iust. lib. 5. qu. p. art. 5.* loquens de *Lucretia*, quæ sibi ipsi mortem intulit: ait; *Occidit ergo se se ex pusillanimitate, quia ferre infamiam non valuit: sicuti & Cato, qui Cæsaris dominatum subire potens non fuit.* At loquens idemmet Author *in fine Articuli* de *Beata Apollonia Virgine Alexandrina*, cujus historia refert, quod Carnificum operas præveniens exilivit in flammas, & in rogum ipsa se conjecit, eam tamen inter Martyres multis præconiis celebratam retulit Ecclesia. Ut habetur *in Martyrologio Romano sub die 9. Febr.* (cui addi possunt, Gloriosa *Pelagia Antiochena*, de qua constat se occidisse, sive ut D. Ambrosius *lib. 3. de Virginibus*, ait, cum Matre, & Sorore in amnem se mersisse, & aliæ Virgines) loquens tamen inquam *Sotus* de his Sanctis Virginibus ait: *Quod cum essent fœminę, acuminisq; adeò juris insciæ, per invincibilem ignorantiam sunt excusandæ. Vel* (addit) *cum D. Augustino recurrendum, quod id Divino instinctu egerint.* Quod additum absolutè tenendum est, & nedum cum *D. August. (*qui *lib. p. de Civit. Dei cap.* 26. ait: *Si hoc fecerunt, non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ, nec errantes, sed obedientes, &c.)* verum etiam cum *D. Chrysostomo in pr. Oratione de Laudibus Sanctæ Pelagiæ (*ubi ait: *Sed ut discas, non sine divina providentia id factum fuisse:* & pergit ostendere divinum instinctum, & secretam inspirationem.) *D. Thoma 2. 2. qu. 64. art. 5. ad 3. Caiet. 2. 2. quæst. 124. art. p. Versu Sed hæc: (*Ubi, *quod ex speciali divino instinctu mulieres illæ se occiderunt, ita quod Martyres seipsas fecerunt divina Authoritate.) Lessio dub. cit. 6. n. 24. (*quo in loco sic: *Quia propter fidem Christi ad hoc fuerunt quodammodo compulsæ, hinc cum ipsæ in eo facto non peccaverint; secundum moralem æstimationem censetur ab ipsis persecutoribus occisæ, & sic sunt Martyres.* Et cum *Michaele Salon. in 2. 2. qu. 64. art. 5. in resp. ad sextum*, ubi expresse ait: *Fœminas Sanctas, quas Ecclesia, & Sancti Patres judicant Sanctas, ut Pelagiam, & socias, id fecisse peculiari instinctu Spiritus Sancti, sicut dicimus de Sansone: alias verò, quæ sine tali peculiari admonitione id facerent, temeritatis esse arguendas.* Accedit etiam in horum dictorum confirmationem, *Martyrologium* ipsum *Romanum* supra relatum *die 9. Febr.* sub his verbis: *Alexandriæ natalis Sanctæ Apolloniæ Virginis, cui persequutores tempore Decii, dentes omnes excusserunt, deinde constructo, ac succenso rogo, cum comminarentur vivam se eam incensuros, nisi cum eis impia verba proferret, illam paululum intra semetipsam deliberans, repentè se de manibus impio-*

rum proripuit, & in ignem, quem paraverant, maiori Sancti Spiritus flamma intus accensa, sponte prosilivit, &c. Ecce igitur quomodo Sanctissima Virgo, instinctu, & particulari admonitione Spiritus Sancti (& non aliter) ipsa se in rogum injecit: & non aliter inquam, aliàs, ut optime *Salon.* qui sine tali peculiari admonitione id facerent, temeritatis arguendi essent: imò peccarent mortaliter, uti lethale peccatum, & maximum est, occisio sui.

57 Ratio autem cur sit tale, est: *Tum quia* homo non est dominus vitæ suæ (Theologi communiter; *D.Tho. p. 2. q. 73. art. 9. ad 2. & in 2. 2. q. 59. art. 3. ad 2. & q. 64. art. 5. ad p. & 3. Victoria in Relectione de Homicidio n. 23. Soto lib. 4. de Iust. q. 2. art. 3. Valent. to. 3. disp. 5. q. 8. punct. 2. sub tit. de Occisione suipsius, versu Tertia ratio: & versu, Quod autem in hac ratione sumimus: & q. 10. punct. p. versu Tertia eiusdem generis quæstio est;* ubi citat *Caiet. q. 73. art. 2.*) Sed solus Deus est Dominus vitæ, *Deuter. cap. 32. Ego occidam, & ego viuere faciam. Sap. cap. 16. Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis: p. Reg. cap. 2. Dominus viuificat, & mortificat, deducit ad inferos, & reducit. Tum quia*, qui occidit servum alienum, injuriam infert Domino illius; & qui occidit subditum alienum, injuriam infert Judici illius, usurpatque judicium alienum: nemo autem est dominus suæ vitæ, neque judex in seipsum, sed solus Deus est Dominus vitæ, & mortis; infert ergo qui seipsum occidit gravem injuriam Deo, perinde ac, qui occideret servum alienum, vel usurparet alienum judicium. *Tum quia*, nemini licet expoliare Rempublicam re sua sine gravi injuria ipsius, unusquisque Civium est pars, & membrum Reip. ergo qui seipsum occidit expoliat Remp. sua parte, consequenter grauem illi infert injuriam, atque adeò gravissimè peccat. *Tum etiam quia*, quicumque agit contra naturalem amorem, & inclinationem, quam dictat recta ratio, peccat gravissimè contra jus naturale: at unusquisque natura duce, & recta ratione dictante diligit propriam vitam, & inclinatur in conservationem sui, contra quam inclinationem, & amorem agit, qui seipsum occidit, Ergo. Dicitur contra amorem, & inclinationem, quam dictat recta ratio, quia sunt in nobis variæ inclinationes, ad quas non ducimur recta ratione, sed appetitu sensitivo, quarum multæ post peccatum repugnant rectę rationi, juxta illud *D. Pauli, Inuenio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ:* contra hujusmodi agere, non est peccatum: contra eas, quas recta ratio dictat, ut in casu nostro, peccatum est. Hine patet, occidentem seipsum peccare gravissimè, & contra charitatem, & contra justitiam; contra charitatem, quia agit contra naturalem dilectionem sui ipsius, ad quam non minus (imò magis) tenetur, quam ad dilectionem proximi: contra justitiam verò, quia infert injuriam, & Deo, & Reipublicæ. Adde, & contra Decalogi præceptum, *Non occides*: eodem enim omnino præcepto, quo prohibetur alios, prohibetur & seipsum occidere, ut docet *D. August. p. de Civit. Dei cap. 17.* & habetur *23. qu. 5. Can. Si non licet.* Ubi ait: *Si non licet priuata potestate hominem occidere, etiam qui seipsum occidit, homicida est.* Et paulo post, ita: *Non occides alterum; ergo nec te: neque enim qui se occidit, alium quam hominem occidit.* Sicque *nullus debet sibi mortem inferre, quia nullus debet esse homicida sui, sine speciali decreto Dei*: Sunt verba *Scoti in 4. dist. 15. qu. 3. art. 2.* Vide *P. Carafam tota quæst. p. cit.* Quibus præmissis.

58 Concludendum hic igitur consequenter venit, justè damnatum ad mortem, à lege, seu à Magistratu, & à Principe, & ut veneno pereat; non posse sibimet venenum applicare, illudque haurire, & mortem inferre: & ita est, inquit *Vvigers de Just. Tract. 2. cap. 2. dub. 14. n. 93. etiam si ad id à Judice esset condemnatus: Id enim esset (ait Paulus Comitolus in Respons. Moralib. lib. 4. qu. 10. n. 6.) seipsum occidere, perinde ac si pugione se perfoderet. Nec Judex potest executionem sententiæ mortis mandare, aut committere ipsi reo, ut communiter omnes tradunt. Vigers l. c. n. 96.* Et ideo *D. Th. in 2. 2. qu. 69. art. 4. ad 2.* apertè scribit: *Quod nullus ità condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiatur.* Et iniquas fore sententias Iudicum, quæ reos suimet Carnifices facerent, docet *Caiet.* apud eundem *Comitol. n. 6. cit.* dicens præterea idemmet *Cardin. in 2. 2. qu. 69. art. 4. in resp. ad 7. dubit. Quod postquam ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster, cognouisse videntur Judices, quod hoc non licet, quamuis fortè veteres concedendo optionem generis mortis magis quam iudicando faciebant hæc.* Et quoniam *Victoria in Relect. de Homicidio n. 30. ad argum. 8.* docet, *damnato ad mortem per cicutæ, seu veneni haustum, licere illud haurire, imò posse ad hoc obligari:* adversus illud insurgit *Comitolus n. 6. cit.* dicens, *absurdè opinatum esse Victoriam, & errasse vehementer,*

quia

quia id esset seipsum occidere, ac si pugione se perfoderet. Nec iustè reum ab Iudice hoc mortis genere multari posse, ut epoto veneno seipsum perimat. Quod & pariter docet *Castro apud Cordubam lib.* 1. *Qq. Theologicar. qu.* 36. *in respons. ad* 3. sub his verbis: *Nulla lex iustè præcipere potest, sed neque Iudex, quod quis seipsum occidat, faciendo, aut omittendo, id unde naturaliter immediatè sequatur mors: quia est contra præceptum, Non occides. Homo enim non potest à se abdicare vitam, sicut bona temporalia, in quibus habet plus dominii, aut juris quàm in propria vita: Ideo homo peccaret obediendo tali legi, sive præcepto contra legem divinam, & naturalem. Vnde & tales leges solum vigent, aut viguerunt inter Barbaros, & infideles, excæcatos, aut depravatos, etiam circa multa alia, quæ sunt juris naturalis. Hæc Castro, & consonat Caiet.* 2. 2. *q.* 69. *art.* 4.

59 Præter *Victoriam*, etiam *Corduba l. c. versu Alio modo*: necnon *Petrus de Arragonia in* 2. 2. *qu.* 69. *art.* 4. *versu Et si quis contra, litt. B.* Videntur idem sentire: non videntur tamen sensisse, reum ex sententia Judicis licitè se posse occidere, ut v. g. sibi ventrem aperire (ad quod apud Japones in gentilitate adhuc versantes, solent rei ex sententia, sive mandato Regis condemnari) aut jugulum præscindere, quæ etiam expressè negant, ut patet. Quamvis enim in eam propendeant opinionem, quod quis condemnatus, ut veneno tollatur, eo casu sic damnatus possit venenatum poculum bibere: negant tamen illum idcirco dicendum esse occidere seipsum, consequenter censent non adversari conclusioni, & doctrinæ communi. Nam comparant illum, qui ita sumeret poculum venenatum cum eo, qui ad suspendium condemnatus ascendit scalas; vel qui gladio damnatus est, disponit, & exhibet jugulum; quæ quidem licet D. D. omnes fateantur posse reos sic condemnatos facere, non tamen ideo admittunt illos sibi mortem inferre, aut licitè inferre posse. Et quod prædicti ità sentiant, ecce eorundemmet verba: Nam *Victoria nu.* 30. *cit.* sic ait: *Sicut sunt alia supplicia decreta contra nocentes, non video quare non possit id institui, ut veneno tolleretur, quod sic illud supplicium potest esse iustum, cum aliter illa pœna irrogari non potest, nisi ut ille venenum epotet, nihil videtur, cur non liceat ei haurire venenum. Sicut licet damnato ad supplicium ascendere scalas, & ei, qui damnatus est gladio, parare iugulum: neque enim unus magis cooperatur morti suæ, quam alius.* Ita *Victoria*, post quam *Corduba l. c.* pariter sic: *Reus licitè solum cooperati potest iustæ actioni alterius in seipsum occidendum: & ita potest bibere venenum sibi propinatum, & applicare laqueum sibi suspendendo, & ascendere scalas ad patibulum, & intrare ignem, vel flumen, vel lethale tormentum, idque ex obedientia legis, vel Judicis, etiam quando ad hæc non teneretur; vel ad exercicium patientiæ, & virtutis, ut Martyres fecerunt: quia & sic agere, & cooperari ad legis, vel Judicis imperium quodammodo cooperari est Nam, & ex causa legitima potest quisque beneficio iuris naturalis, & diuini renunciare, dum alias non prohibetur; Ex præcepto autem, Non occides, non prohibetur id in se mittere, & quodammodo cooperari ex causa rationabili urgente: quo fit ut à fortiori reus possit esse executor, & minister legis, & pœnæ citra mortem in se, sicut in alium exequendæ.* Hactenus *Corduba*. A quo (uti nec à *Victoria*, hunc etiam allegans) non discordat *Arragonia l. c.* ubi & ipse, ut sequitur: *Dico, quod quemadmodum sunt alia supplicia decreta contra nocentes, sic etiam potest institui hoc, quod veneno tollantur, quod & ipsi post Judicis condemnationem epotare tenebuntur; nec propterea erunt dicendi seipsos occidere. Probatur; Bibere de se non est actio lethalis, quamuis bibere venenum lethale sit; sicut nec progredi in locum ex se actio lethalis, quamuis progredi in locum neci destinatum lethale sit: ergo sicut nocens post Judicis condemnationem tenetur, & potest hoc secundum efficere; ita & primum. Et confirmatur: Damnato ad supplicium, licitum est ascendere scalam, & ei, qui damnatus est gladio, licitum est parare iugulum: ergo & ei, qui damnatus est veneno, licitum erit illud bibere. Probo consequentiam: Quia non magis cooperatur morti suæ unus, quam alter. E si quis ex hoc inferat; ergo potest aliquis damnari, ut seipsum jugulet, nego consequentiam. Tum quia iugulatio ex se est actio lethalis, nec potest aliqua ratione considerari, quæ lethalis non sit. Tum quia, ut diximus in superioribus, transgressores legum pœnalium, post Judicis condemnationem, non tenentur eas actiones exercere, quæ commodius à Ministris, quam ab ipso reo fieri possunt, quamuis sint necessariæ ad pœnam subeundam. Itaque non tenentur nodum collo aptare; nec gladium in iugulum mittere, aut sibi manus quoquo modo inferre, quia istæ actiones, ab alio commodius, quam à nocente fiunt. Et sic ad eas reum obligare esset inhumanum. Tenetur tamen in conscientia eas actiones exercere, quæ necessariæ sunt ad pœnam subeundam, & ab alio, nisi ab ipso commodè exerceri non possunt: qualis est potatio veneni. Totumque hoc dicitur pertinere ad*

re ad paſſionem, ad quam reus condemnatur. Et ſi contrarium faceret; reſiſteret Judici, aut miniſtris, quod ſine iniuria fieri non poteſt. Et paulo poſt, repetendo, concludit. *At verò aſcenſio ſcalæ, & potatio veneni, eiuſmodi ſunt, ut niſi ab ipſis nocentibus fiant, ab alio exerceri non poſſint. Et ideo conuenienter præcipitur eis, ut hoc faciant. Diciturque hoc magis pati, quam agere propter rationem iam dictam.* Ecce igitur quod *Victoria, Corduba, & Arragon.* non ſentiunt reum ex ſententia Judicis licitè ſe poſſe occidere, ut v. g. ſibi ventrem aperire: quamvis ſenſerint quod condemnatus ut veneno interimatur, poſſit ex ſententia Judicis ſine culpa ſumere venenum propinatum, cum id per eoſdemmet non ſit ſeipſum occidere: & in eandem affirmativam inclinare videntur *Sà Verb. Judicialis actus, De Reo, num. mihi 12. & Tolet. lib. 5. cap. 6. num. 8.*

60 Verſa vice verò, alii negativè ſentiunt, & magis communiter: ſuntque (præter citatos ſupra) *Caiet. 2. 2. qu. 69. art. 4. ad 2. dubitat. Soto de Juſt. lib. 5. qu. 6. art. 4. §. Poſtrema autem dubitatio. Petrus à Nauarra de reſtit. cap. 3. n. 81. Leſſius de Juſt. lib. 2. c. 9. dub. 6. n. 26. Laymann. lib. p. tract. 4. cap. 15. n. 8. Fagundez in Decal. Tom. p. in v. præcept. l. 5. cap. 12. à n. 12. uſque ad 13. incluſiuè.* Et alii. Quorum omnium ratio eſt: Quia directa, & poſitiva ſui ipſius occiſio, neque juſtè imperari, neque juſtè executioni mandari poteſt. Qui autem venenum ſciens eporat, non minus directè, ac poſitivè ad ſui occiſionem concurrit, quam ſi liquidum, & fervens plumbum ebibat, aut enſe ſe confodiat: ergo, &c. Confirmatur, ſi enim qui ſe in flumen iniiceret, planè ſe occideret, ergo multo magis, qui aquam ipſam, reſpirationem, & vitam auferentem, ſumeret intra ſtomachum, vel ignem ipſum, ergo & qui venenum. Hinc conſtat nihil hic commune eſſe cum aſcenſu ſcalarum ad patibulum, ſive cum diſpoſitione Juguli ad gladium, quæ tanquam ſimilia adducunt *Victoria, & Arragonius*, cùm manifeſtum ſit, hæc mortem non operari ſicuti veneni applicatio. Pro qua re hic faciunt etiam ea, quæ docet *Syluius in 2. 2. qu. 69. art. 4. quæritur* 4. (apud *Dianam p. 5. tract. 4. reſ. 40.*) ubi ſic ait. *Obſeruandum eſt actiones mortem violentam præcedentes eſſe duplicis generis. Quædam ex ſe ſunt cauſatiuæ mortis, veluti ſe præcipitem dare, ſeu ex patibulo proiicere cum fune collum ſtringente. Item venenum mortiferum haurire: & venam tunc aperire, quando non eſt permiſſio ad eam ſtatim occludendam, ut proinde totus ſanguis ſit emittendus. Aliæ actiones non ſunt ex ſe cauſatiuæ mortis, ſed diſpoſitiones ad eam vel ſimpliciter, vel facilius patiendam, ut aſcendere ſcalam patibuli, aut collum extendere: Quæ ſunt prioris generis, Judex non poteſt condemnare reum ut eas faciat, quia non poteſt condemnare, ut ſe interficiat. Ad eas autem, quæ ſunt poſterioris generis, poteſt ipſum condemnare: & generaliter condemnare illum poteſt, ut faciat eas omnes, quæ non poſſunt commodè fieri à carnifice, modo non ſint illicitæ.* Hæc *Syluius*. Ex quibus (& cum eodem) *Diana loc. cit.* reſolvit, quod reus, dum jam carnifex funem illi collo appoſuit, non poſſit ſe ex ſcala præcipitem dare, quia hæc actio eſſet occiſio ſui ipſius, ideo non à reo, ſed à carnifice facienda eſt. Et ob eandem rationem item reſolvit idem *Diana*, non poſſe reum venenum mortiferum ſibi applicare, illudque haurire, quia & hæc actio eſt ſuimet occiſio, ut toties dictum eſt, & ſupra probatum. Neque refert, quod allegant aliqui; videlicet, quòd bibitio ex genere, & ratione ſua non inferat mortem: ſatis enim eſt (ut optimè etiam *Vigers de Juſt. tract. 2. cap. 2. dub. 16. ſub nu. 102.*) ad hoc ut cenſeatur ſui occiſio, quod bibitio hujus potus, aut ſumptio hujus boli ex ſua ratione, & efficacia, cauſet mortem. Nec iterum refert, quod allegant alii (apud eundem *Dianam par. 11. tract. 6. & Miſcell. 6. reſ. 50.*) inter quos *Dicaſtillus de Juſt. lib. 2. tract. p. diſp. 10. dub. 17. n. 522.* actus videlicet poſitivos, aut negativos (ut v. g. non comedere, reſpectu illius, qui damnatus eſt ad mortem per famen) ex quibus neceſſariò ſequitur mors, alios continere notabilem crudelitatem ſi exerceantur ab eo, qui damnatur: alios verò non item: Judicem autem publica auctoritate præcipere poſſe, ut reus, ſecundi generis actus exerceat; quia non contineret modum irrationabilem puniſionis, & hujuſmodi eſt actus bibendi venenum, qui non continet majorem crudelitatem, quam actus illud accipiendi per vim externam, imò videtur habere minorem. Sicut igitur (inquiunt) poteſt Judex, hunc actum præcipere, ita & damnatus eundem ex ſe exercere abſque peccato. E contra verò non poſſe damnatum cooperari eo genere actionis, quod contineret modum ſententiæ crudelis, ſi exerceretur ab ipſo damnato, qualis eſſet v. g. actus jugulandi ſe: tunc enim ſicut Judex non poteſt illum actum iuſtè præcipere, ita neque damnatus illum exercere. Non inquam refert, ob hanc enim doctrinam, & diſtinctionem non debemus recedere

dere à ſententia abſolutè negativa & communi D.D. uti non audet diſcedere *P. Diana reſ. cit.* quia qui ſumit venenum, ille ſibi applicat, & introſumit rem, quæ non minus directè naturam deſtruit, & interimit, quam ignis, vel gladius, aut plumbum liquatum, ut ſupra dictum eſt. Neque tandem tertiò refert, quod quando aliquis legitimè condemnatus eſt ad mortem, poteſt cuivis à Judice committi executio, conſequenter etiam ipſi reo (quo in caſu reus ipſe tanquam Judicis miniſter poteſt eo jubente ſe interficere, ac ſeipſum directè occidere, nec tunc agerent contra præceptum *Non occides*, cùm id non ageret propria Authoritate, ſed Judicis, unde reus eſſet, & miniſter, & ſervato Juris ordine ageret) Quia Judex non poteſt executionem ſententiæ mortis mandare, aut committere ipſi reo, ut communiter omnes tradunt apud *Viggers de Juſt. tr. 2. cap. 2. dub. 14. n. 96. & Dianam reſ. cit.*

61 Idque probat *Viggers*, & cum eodemmet, ac ſub iiſdem verbis, idem *Diana*. Quia ſcilicet, hoc nimis adverſatur naturæ, ut ipſa ſeipſam interimat, atque adeò nimis apparet crudele: præſertim quia nunquam ſufficiens poteſt allegari neceſſitas id faciendi: ergo non debet cenſeri hoc Magiſtratui à Deo conceſſum (licet potuerit) ut ſic juſtitiam adminiſtret, committendo reo, ut ſeipſum interimat, ſed ut adminiſtret hoc, modis naturæ, & rationi magis accommodis. Hinc Magiſtratus gladium portat, non ipſi malefactores, qui gladio plectendi ſunt. Adde, quod juxta communem omnium apprehenſionem, nemo convenienter à Judice conſtitueretur executor ſententiæ mortis in proprium parentem, non tantum ob reverentiam ratione principii illi debitam, verum etiam propter naturæ conjunctionem, & quaſi identitatem, ergo multo minus in ſeipſum. Quod ſi itaque non poteſt Judex reo committere, ut ſententiam mortis in ſeipſum exequatur, ſequitur quod quantumvis Judex præſumat committere, non tamen idcirco reo licebit exequi: quia perinde faceret, ac ſi privata authoritate ſeſe interimeret, quandoquidem Judicis poteſtas non ſe eò extendat, ut poſſit illi mandare, aut facultatem facere ſe interficiendi. Quemadmodum ſi Judex condemnaret aliquem nullo modo ſubditum, non liceret lictori, ejuſmodi ſententiam exequi, & ſi exequeretur, committeret homicidium, perinde ac ſi abſque ſententia, & cognitione cauſæ occidiſſet: quia Judex excederet limites ſuæ poteſtatis. Hinc patet ſolutio argumenti in contrarium adducti. Etenim negandum eſt, talem non peccare contra præceptum, *Non occides*: & ad probationem reſpondetur, quod non occidat authoritate publica verè, ſed apparenter tantum, eo quod poteſtas Magiſtratui à Deo attributa ad malefactores è mediò tollendos, non ſe extendat ad hunc modum, ut faciat nocentem interimere ſeipſum, ob rationes ante allegatas. Quod & inde confirmari poteſt, quia omnes paſſim homines communi ſenſu, & judicio, cenſuerunt, ac cenſent, illum indebitum eſſe, & à ratione alienum ſupplicii modum: uti etiam tenet communis D.D. ſententia, à qua in rebus practicis non facile eſt recedendum (ait *Leſſius dub. 6. cit. n. 26.* loquens ad hunc ſpecialem caſum) Et quamvis dicat *Layman. n. 8. cit.* quod, *cum res hæc controuerſa ſit inter Doctores, conformare ſe poterit reus probabili ſententiæ Judicis, ità præcipientis:* concludit tamen: *ad id non obligari, cum ſit præceptum inhumanum, & facile aliud ſupplicium decerni poſſit.*

62 At contra, concludo ego ex præmiſſis, reum hujuſmodi, nedum ad id non obligari, verum etiam nec obligari poſſe; imo neque id exequi abſque peccato, ob rationes ante allegatas, & alias, quæ videri poſſunt apud *P. Caraſam l. c.* Niſi id fecerit per inculpatam, & invincibilem ignorantiam, à qua excuſaretur (ut in propoſito Privilegio) uti per eandemmet excuſari utique poteſt ex aperta etiam ſententia, & doctrina ejuſdem *P. Caraſę, ſec. 3. cit. quæſito 4. n. p.* pro qua refert *Sotum l. infra cit. Leſſium lib. 2. cap. 9. dub. 6. num. 23. Becanum in 2. 2. de Juſt. & Jur. qu. 11. de Homicidio, concluſ. p. Malderum in 2. 2. tract. 3. c. p. dub. 17. Filliuc. to. 2. tract. 29. cap. 4. n. 67. Molin. de Juſt. & Jure to. 4. tract. 3. diſp. 9. n. 5. & Dianam par. 5. tract. 4. reſ. 30.* Quod *probo primo, ex Vuiggers dub. 14. cit. num. 92.* Quia non eſt id tam evidenter malum, quin inculpatè à multis potuerit hoc ignorari, & putari licitum, cum non tantum plures ethnici Philoſophi, præſertim Stoici, & Pagani, ſed etiam quidam (ut apparet) Chriſtiani, & viri Docti, ita ſenſerint, inter quos ſupra relati. *Secundò probo, ex Soto de Juſt. lib. 5. qu. p. art. 5 in fine:* ubi loquens de *S. Apollonia* (de qua fertur, quod Carnificum operas præveniens, exilivit in flammas) ait ſic: *Vel dicendum cum Auguſtino, quod id diuino inſtinctu egerit, vel quod cùm eſſet fœmina, acuminiſque adeò juris inſcia, per inuincibilem ignorantiam ſit excuſanda:* Ergo

ſi ſic

ſi ſic eſt, & per eandemmet ignorantiam excuſandi ſunt rei in caſu noſtro; imò & multo magis, utpotè, nedum juris ignari omninò, ſaltem ut plurimum (maximè rei viles, plebei, ruſtici, ac totaliter inſcii) verum etiam quia metu imminentis violentæ mortis, ſunt veluti extra ſe poſiti, & neſciunt quid faciunt. *Tertiò probo*, ex *Trullench in Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 3. dub. p. n. 4. in princip.* ubi loquens de Viris Sanctis, Sanctiſque Virginibus, qui, & quæ, morti ſe objecere, & ultro ſe in aquam, & ignem injecere: dicit primò cum *D. Tho.* id feciſſe Spiritus Sancti inſtinctu: *Vel* (ſecundò ad caſum noſtrum) *feciſſe ex ignorantia invincibili* (redditque rationem) *Nam ſe occidere* (inquit) *ob Patriæ ſalutem, vel pudicitiæ cuſtodiam, non eſt ita evidens eſſe malum, quin inculpate poſſit ignorari, & exiſtimari licitum. Ergo. Quartò probo*, ex *Michaele Salon. in 2. 2. D. Tho. quſt. 64. art. 5. verſ. Quartum argumentum.* Ubi ad rem noſtram, quærens, *An poſſit dari ignorantia invincibilis hujus doctrinæ: Non licet ſeipſum ullo modo occidere, nec pro bono fine:* (contra nonnullos) tenet affirmativè, & hanc affirmativam (ait) *eſſe modo communem inter Thomiſtas*. Quia licet iſta doctrina, *de ſeipſo ullo modo non occidendo*, videatur inferri ex principiis naturæ, non tamen ita clarè, & apertè, quin ignorari à multis poſſit, maximè à ruſticis, idiotis, &c. Addo ego, maximè iterum à reis (in caſu noſtro) à Judice ad id condemnatis, & coactis, ut ſupra, & prout in hujus Privilegii propoſitione. Circa quam, ultimo loco adverto cum *Vuiggers l. c. num.* 96. *in fine*: quod licet dictum fuerit ſupra (cum eodem) non debere cenſeri à Deo conceſſum Magiſtratui, ut ſic juſtitiam adminiſtret, committendo reo videlicet, ut ſeipſum interimat, & hunc eſſe per omnes paſſim homines, indebitum, & à ratione alienum ſupplicii modum: Non tamen videtur intrinſecè ita malus, quin Deus potuerit ſic ordinare, & illam quoque juſtitiæ ſic adminiſtrandæ attribuere Magiſtratui poteſtatem, ſi ita probatum illi fuiſſet. Quia cum Deus ſit Dominus vitæ, & mortis, & ſupremus omnium Judex, potuiſſet utique attribuere Magiſtratui dictam poteſtatem (ſi illi placuiſſet) adminiſtrandi juſtitiam, videlicet ſub tali ſupplicii modo; nullique faceret injuriam, quia diſponeret de re ſua. Uti ob eandem dominii rationem, poſſet præcipere, ut innocens (quod eſt multo maius) privetur vita, nec illi, vel ulli ob id injuriam faceret, diſponeret quippe de re ſua, & conſequenter qui ex divino præcepto innocentem occideret, bene ageret, quia præcepto ſuperioris licito, & honeſto, obedire, bonum eſt: & ideo commendatur *Abraham Gen.* 22. qui ut divino præcepto obediret, non pepercit vitæ filii ſui, quamvis innocentis.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Ponens externum poſitiuum actum à Ciuili humana lege ſub aliqua pœna vetitum, liberatur ab ipſa, ſi ignorentur omnino teſtes ſuper eodem actu in judicio deponere potentes.

63 DE Actu purè exteriori loquitur privilegium, quia lex merè humana, & civilis (de qua hìc) non poteſt præcipere actum purè internum directè, & ſecundum ſe, ut communiter receptum eſt; ſumiturque ex *l. cogitationis pœnam nemo meretur, ff. de pœnis*. Et docet etiam *Suar. de Legib. lib. 3. cap. 13. n. 2.* Quia lex merè humana, & Civilis, ſeu Jus Civile, per ſe non verſatur circa actum purè internum, ſiſtentem videlicet in ſola mente; illum namque naturaliter, ac per ſe punire non poteſt, conſequenter nec eundem præcipere, aut prohibere: etenim poteſtas legiſlativa eſt etiam coactiva: & ſi coactiva eſſe non poteſt reſpectu interioris actus, neque legem ferre poteſt circa illum. Imo ad internos actus cogere, & de illis iudicare, omnem poteſtatem humanam excedit: hinc commune eſt aſſertum, *nec Eccleſiam iudicare de occultis, & internis.* (quod tamen additum intelligendum eſt cum limitatione illa, quam tradidi *in Filiatione mea Spirituali latina cap. 4. dub. 23. à n.* 255.) Nam privilegium procedit non de lege Eccleſiaſtica manante à ſuperiori poteſtate, & tendente; ſeu ordinata ad altiorem finem, habenteque altiorem finem; ſed procedit ſolum de lege humana, quatenus hæc ferri poteſt per poteſtatem à ſola ratione naturali, quæ lex cum Civili coincidit. Dicit ergo propoſitum privilegium, quod quando huiuſmodi lex purè humana Civilis prohibet aliquem externum actum ſub aliqua legali pœna, ab hac liberatur, qui ponit illum actum, ex quo legem tranſgreditur, ſi ignorentur omnino teſtes, qui de illo poſſent deponere in judicio, & teſtificari. Et ratio evidens eſt, quia ſtante, & durante hac ignorantia, delictum probari nequit, conſequenter nec puniri per omnes

in foro

in foro externo, ergo verum privilegium. Quod præterea.

64 Confirmatur ex doctrina, & distinctione, quam tradit *Caiet. 2. 2. q. 11. art. 3. De occulto per se, quod ex sua ratione sibi vendicat non subesse cognitioni sensitivæ* (sunt verba *Cajetani*) *à qua incipit humana cognitio, secundum quam judicat. Et de occulto per accidens, quod licet sensui subiaceat, testem tamen, vel testes non habet.* Nam externus actus (de quo in privilegio) licet ex se, & ex sua natura non sit occultus aliis (sicut interior) cum subsit cognitioni sensitivæ, potest tamen esse occultus per accidens ex defectu probationis, quia videlicet & si in se spectatus capax sit, ut sensu ab aliis percipi possit, contingit tamen ignorari per accidens ob ignorantiam testium, vel quia isti actui, & delicto non interfuere, vel quia absentes sunt, & ignorantur, qua stante ignorantia, cum causa ipsius nequeat delictum probari, qui deliquit consequenter defectu probationis liberatur à pœna, quæ (in omnium sententia) infligi ei nequit nisi secundum allegata, & probata. Et hoc idem affirmat privilegium nostrum: quod etiam insinuat *Suar. l. c. nu.* 6. dum ibi sic: *Actus, qui exterius prodeunt, sensibus percipi possunt, & ideo non sunt per se occulti: contingit autem ignorari propter absentiam testium, & sic non posse probari.* Et paulo infra *num.* 8. addit: *Actum talem per se esse punibilem per legem humanam, licet per accidens ex defectu probationis puniri per homines non possit.* Ergo si defectu probationis, causa ignorationis, ut suprà, & ob carentiam notitiæ alicujus humanæ, quæ sit fundamentum inquisitionis, & judicii; puniri non potest delictum sic occultum, & ignoratum, deliquens liberatur à pœna (durante tali carentia, & ignorantia) in foro externo. Addo *in foro externo*, quia quoad forum Dei non liberatur talis delinquens à pœna ob patratum delictum, usque dum pro eodem divinæ iustitiæ satisfecerit. Neque subtrahitur ab obligatione, fortasse delinquendo contracta quoad alios, restituendi alienum occulto furto ablatum v. g. &c.

65 Hinc obiter quæres, An lex humana, seu Civilis possit indirectè, seu per quandam consequutionem præcipere actum interiorem voluntatis, & intellectus, quatenus esse possunt connexi per se cum actu exteriori præcepto, vel prohibito, &c. Respondeo cum *Suar. l. c.* (& omnium communi apud ipsum) affirmativè. Patet responsio, tum ex doctrina quam tradidi in mea *Filiatione Spirituali primo edita cap.* 4. *dub.* 23. *num.* 221. *& in secundo edita, eodem cap. & dub. à n.* 255. *supra cit.* Tum quia exterior actus, utique per legem præcipitur, ut humanus, & liber, & talis certissimè nequit esse (ut per se clarum est) sine interiori actu, ergo necesse est ut actum interiorem etiam præcipiat saltem indirectè, & consequenter: non enim lex posset homini præcipere ut aliquid faciat, si nequiret illi præcipere ut velit illud idem facere, cum voluntate facturus sit. Et pari ratione nequiret lex humana prohibere aliquid facere, si non posset efficaciter prohibere velle idem facere. Eo namque ipso quod lex prohibet aliquid facere, prohibet etiam indirectè, & consequenter voluntatem, seu propositum illud faciendi: & versa vice eo ipso quod præcepit aliquid facere, præcipit etiam consequenter absolutum propositum, seu voluntatem illud idem faciendi: ergo cum exteriori actu lex humana per quandam consequentiam, & indirectè, præcipit & interiorem: actus enim exterior à lege humana vetitus, aut imperatus, utique humanus est, & liber, talis autem esse nequit sine interiori actu, ergo.

PRIVILEGIUM QVINTUM.

Qui legem Civilem in conscientia obligantem ita ignorat, ut nec illam sciat, nec unquam sciverit, aut circa eam dubitaverit, excusatur à culpa si contra eandem egerit.

66 Supponit privilegium id, quod *in Præfatione hujus cap.* 2. *n.* 42. docuimus, Legem Civilem videlicet, & humanam suas requisitas proprietates, conditionesq; (de quibus ibi) habentem, obligare posse suos subditos in conscientia ad sui observantiam sub reatu mortali, ita ut agentes contra ipsam peccent etiam lethaliter. A quo reatu excusat utique ignorantia invincibilis ipsiusmet legis, ut in privilegio, quod admittunt omnes, præcipuè *Salas de legib. disp. p. sec.* 10. *n.* 70. ubi sic: *Leges positivæ, ut actu obligent, cognosci debent sub ratione legum, vel cum homo operatur, vel antea, certò, vel dubiè. Qui enim nec scit, nec unquam scivit, aut dubitavit, an sit lex de baptismo v. g. non peccat si non baptizetur: quia nunquam fuit ei lex ullo modo explicata, & ita illum nunquam obligavit in actu secundo, sed tantum in actu primo: lex enim illa habebat vim obligandi illum, & si fuisset illi explicata, obligasset illum in actu secundo: omnis autem lex positiva, ut habeat vim obligandi, seu ut obliget in actu primo, debet esse*

promulgata, innotescere, &c. quod commune est legibus Canonicis, & Civilibus. Hæc *Salas*, quæ in substantia firmant, ut patet, propositum privilegium. Quod præterea.

67 Confirmatur ex ipsamet ratione intrinseca legis humanæ. Ad hujus enim essentiam promulgatio utique necessaria est. Hinc meritò idem *Salas de legib. disp.* 12. *sec. p. n. p.* loquens de hac lege humana, ait: *In confesso apud omnes est (ipsam) vim, rationem, substantiam, seu essentiam legis non habere, donec promulgata sit, vel saltem solemniter edita*: pro qua propositione, aut conclusione innumeros affert Doctores, tum Theologos, tum Jurisperitos. Et adeo necessaria est dicta promulgatio, ut lex humana, & Civilis vim legis habeat, & obligandi: ut idem *Salas l. c. n.* 5. existimet jure naturæ esse irritam omnem legem merè humanam (uti supponitur lex Civilis, de qua hìc) & quæ fit sola potestate humana, nisi talis lex sit publicè, & solemniter promulgata, & quamvis lex humana, & Civilis tantam vim recipiat à promulgatione, ut hac posita liget omnes subditos, eosdemque obliget in conscientia ad sui observantiam, & pœnam subeundam, saltem in actu primo, ut suprà (non enim opus est, ut lex obliget esse denuntiatam, & notam singulis subditis, ut apertè definitur *cap. p. de post. prælato*, advertit *Salas disp. cit.* 12. *sec.* 2. *n.* 11. *in princip.* & notant communiter: alioquin nullus ferè lege obligaretur, etiam si sciret eam esse latam, & in sua Provincia publicè promulgatam, quia semper dantur aliqui ignorantes, etiam invincibiliter) quamvis inquam ita obliget lex à sui promulgatione, nihilominus de facto (hoc est in actu secundo) non ligat ignorantes, ut optimè (aliis tot omissis) *Suarez* sic affirmans: *Quando notitia promulgationis legis potuit pervenire, & casu non pervenit, lex de se obligat, licet non liget ignorantes*: ita *De legibus lib.* 3. *De lege humana, & Civili, cap.* 17. *n.* 13. concludens *cap.* 18. *n.* 10. *in fine*: *Ergo posita hac invincibili ignorantia, omnes supponunt, ignorantem non agere contra legem, licet illam non observet, itaut sit dicendus eius transgressor, vel ut talis puniendus*. Quæ conclusio ad litteram est privilegium nostrum, ut patet. An vero leges promulgatæ, quæ irritant contractus, vel faciunt personas inhabiles ad illos, vel alia, effectum habeant erga invincibiliter eas ignorantes, vide *Salas de Legibus disp.* 12. *sec.* 4. & alios, præsertim à me relatos *cap.* 4. *sequenti privilegio p.* ubi cum eisdem negativam resolutionem habes.

CAPUT TERTIUM
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA LEGEM DIVINAM, ET MYSTERIA FIDEI.

68 

Ivus Thomas in p. 2. *qu.* 91. *art.* 4. expressè docet (*in Respons.*) Ad directionem humanæ vitæ, fuisse necessarium habere legem divinam, præter legem naturalem, & legem civilem. Et hoc propter quatuor rationes sequentes: Primò quidem, quia homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ, ideò necessarium fuit, ut supra legem naturalem, & humanam dirigeretur etiam ad suum finem lege divinitus data. Secundò, quia propter incertitudinem humani judicii, præcipuè de rebus contingentibus, & particularibus, contingit, de actibus humanis diversorum, esse diversa judicia, ex quibus etiam diversæ, & contrariæ leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit, quid sit agendum, & quid vitandum, necessarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat, quod non potest errare. Tertiò, quia de his potest homo legem facere, de quibus potest judicare, judicium autem hominis esse non potest de interioribus, qui latent,

tent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent : & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quod in utrisque actibus, homo rectus existat : & ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus: sed necessarium fuit, quod ad hoc superveniret lex divina. Quartò, quia sicut *August.* dicit *p. de lib. arb. cap. 6. circa finem :* Lex humana non potest omnia, quæ malè fiunt, punire, vel prohibere : quia dum auferre vellet omnia mala ; sequeretur; quod etiam multa bona tollerentur, & impediretur utilitas boni communis, quod est necessarium ad conversationem humanam. Ut ergo nullum malum improhibitum, & impunitum remaneat, necessarium fuit supervenire legem divinam, per quam omnia peccata prohiberentur. Et istæ quatuor causæ tanguntur in *Psal.* 18. ubi dicitur: *Lex Domini immaculata*: idest nullam peccati turpitudinem permittens. *Convertens animas*: quia non solum exteriores actus, sed etiam interiores dirigit. *Testimonium Domini fidele* ; propter certitudinem veritatis, & rectitudinis: *Sapientiam præstans parvulis:* in quantum ordinat hominem ad supernaturalem finem, & divinum : Ita *S. Doctor art. 4. cit.* Qui præterea *art. 5. sequ.* dicit, quod lex divina duplex est, scilicet lex vetus, & lex nova Evangelii, per Christum data : à quo utique (veluti à vero fonte) emanant etiam fidei nostræ divinæ Mysteria.

69 Quoniam ergo Lex quælibet obligat subditos, ita ut nulla sit quæ non obliget, *Arist.* 10. *Ethicor. cap. ult. Plato cap.* 16. *de Regno : Dicitur enim Lex à ligando (*inquit *D. Tho. p. 2. qu. 90. art. p. in Respons.) quia obligat ad agendum :* Et desumitur *ex l. p. & 2. & l. Legis virtus. ff. De legibus, & ex D. August. De Statu Virginitatis cap.* 14. Et ex illo *Ad Roman.* 2. *Qui in lege peccaverunt, secundum legem iudicabuntur.* Et multo magis Lex divina (per quam peccata omnia prohibentur) ligat, & obligat ad sui observantiam sub reatu veniali, vel mortali, juxta qualitatem transgressionis. Uti pariter sub eodem reatu tenemur credere, & notitiam explicitam habere Mysteriorum fidei (aliquorum saltem) nisi per ignorantiam, quæ vinci nequit in iis, in quibus dari potest (in utroque) excusaremur; idcircò pro hac re sit & hujus tertii propositi Capitis:

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Ponens actum ex ignorantia invincibili contra legem divinam Evangelicam, novam, seu Gratiæ, excusatur à culpa, & à reatu morali.

70 NEget si potest quis hoc privilegium, eique contradicat. Nonne potest quis invincibiliter. atque adeò inculpatè, fidei divinæ Evangelicæ ignorare mandata quædam dumtaxat, si non omnia, & adversus ipsa consequenter materialiter tantum operari? utique : imò de facto ità (nec infrequenter) operantur juniores, simplices, rustici, ignari, rudiores, &c. ut constat experientia, & quotidie Confessariis ipsis, ergo. Addo (cum *Valent. in p. 2. disp. 6. qu. 6. punc. p. Corol.* 3. apud quem etiam *Vega lib.* 13. *in sess.* 6. *Trident. Concilii cap.* 12. aliique D. D. *Azorio Instit. Moralium lib. p. cap.* 13. *qu.* 2. *Sayro in Clavi Regia lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 13. *&* 14. *Vasquez p. 2. qu. 76. art. 2. disp.* 120. *cap.* 3. *Sanchez to. p. Operis Moralis lib. p. c.* 16. *nu.* 32. & aliis quampluribus ab istis relatis) quod infideles ipsi, qui nihil omnino de lege hujusmodi divina evangelica audiverunt, nec de fide Christiana aliquid penitus intellexerunt, invincibiliter (idest inculpatè) illam ignorare dicuntur: & ita inculpatè, ut si iidem, in eadem infidelitate cum ea ignorantia decedant, *non condemnabuntur (ait Sanchez n. cit.) ratione infidelitatis, utpotè quæ culpa vacat (sed ratione aliorum peccatorum)* Nec ergo (addo ego) condemnabuntur, quia posuerint actus materiales contra eandem legem divinam, cum nequeant hi esse culpabiles in illis, nec culpæ attribui; cum de tali lege nil penitus audiverint, notitiam habuerint, vel sciverint, aut dubitatio ulla in ipsis occurrerit: at si sic est, uti equidem est, ergo absolutè verum, & absque dubietate, ac hæsitatione admittendum propositum privilegium.

71 In quo tantum loquimur de lege divina Evangelica nova, seu Gratiæ (quæ etiam à *D. Tho. p. 2. qu.* 91. *art.* 5. & à Patribus, dicitur *lex amoris*) quia hæc sola obligat in conscientia : nam lex Mosaica (quæ ab eodem *S. Doctore art. cit.* & item à Sanctis Patribus, *timoris lex* nuncupatur) quoad sui obligationem, abrogata est (ut docet idem *S. Thom. in p. 2. qu. 103. art. 3. ad* 2. & alii passim) in morte Christi: Tunc enim amisit vim obligandi, quia tunc *velum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum, Matth.* 27. Et tunc Christus dixit in Cruce; *Consummatum est*. Unde sequitur, ante mortem Christi viguisse

ſimul legem Moſaicam, & Evangelicam: poſt mortem verò, ſolam Evangelicam, quæ lex, nova, ſeu Gratiæ, eſt verè, ac propriè lex, à Chriſto lata. Et definita *in Concil. Trident. ſeſſ. 6. Can. 19. & 21.* De qua Theologi, maximè interpretes *D. Tho.* cum ipſo *S. Doctore in p. 2.* Videantur *Sotus de Iuſtit. lib. 2. qu. p. & ſequentib. Valent. to. 2. diſp. 7. qu. 6. Azorius tom. p. lib. 6. cap. 59. Suarez de Legib. lib. 10. Salas de Legib. diſp. 24.* & alii.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Ignorantia invincibilis Myſteriorum fidei in Infidelibus excuſat à culpa; & ea ignorare, in ipſis culpa non eſt.

72 ADmittit expreſsè hujuſmodi Privilegium *D. Tho. 2. 2. qu. 10. art. p. in reſponſ.* ubi concedit circa fidei Myſteria poſſe eſſe infidelitatem (quam negativam vocat) abſque peccato, ſub his verbis: *Infidelitas, ſi accipiatur ſecundum negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati: ſed magis pœnæ; quia talis ignorantia divinorum, ex peccato primi parentis conſecuta eſt. Qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt; non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Vnde Dominus dicit Ioann. 15. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. Quod exponens Auguſt. dicit, quod loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Chriſtum.* Ita *S. Doctor*: quem ſequens *Vaſquez p. 2. qu. 76. art. 2. diſp. 120. c. 3.* ait: *Quod nunc demum in Scholis communi omnium calculo comprobata eſt, ut multo probabilior, ſententia, quæ affirmat, accidere poſſe ignorantiam invincibilem Myſteriorum fidei, etiam eorum, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ita ut ea ignorare culpa non ſit: in illis nimirum, quibus Myſteria non fuerunt propoſita, nec per eos ſtetit, quominus proponerentur.* Quam ſententiam apud eundem *Vaſq.* tenent pariter, *D. Bonav. in 3. diſt. 25. art. p. qu. 3. Durand. in 3. diſt. 25. qu. p. n. 9. Riccard. art. 4. q. p. Scotus qu. p. §. Sed poſito. Gabriel qu. p. art. 2. poſt concluſ. 5. Angelus verb. fides n. 7. & Sylveſter qu. 3. Armilla verbo Credere n. 2. Navarrus in Summa cap. 11. n. 18.* quibus addo *Valentiam l. c. Azor. lib. p. cap. 13. qu. 2. Sayrum* (multos alios allegantes) *in Clavi Regia lib. 2. cap. 9. n. 13. & 14. Sanchez tom. p. Oper. Moral. lib. p. cap. 16. n. 32. Coninck de Moralitate Actuum Supernatural. diſp. 14. dub. 11. num. 221.* (Ubi, quod hæc ſit communior, & verior ſententia.) Et (aliis pluribus omiſſis tum veteribus; tum recentioribus.) *P. Macedo* (ex Recentioribus) *Tomo de Clavibus Petri lib. 3. De fide dogmatica, cap. 3. verſu, Sed quoniam latè*: ubi ſic: *Dico, probabile eſſe, dari poſſe ignorantiam invincibilem omnium Myſteriorum ſupernaturalis fidei, & hanc eſſe communem ſententiam Authorum, quos refert, & ſequitur Suarez de fide d. 17. ſec. p. & 2. & Lugo de Fide d. 19. ſec. p.* Eandemque ſententiam modernè ſequitur *Theodorus Gennarus in explicatione Symboli Apoſtolici, in principio operis, titulo Præludia in Symbol. Apoſt.* Ubi quærens, *An ſit una fides omnium credibilium, pag. mihi 9. column. 2.* inquirit inſuper: *An poſſit dari in aliquibus ignorantia invincibilis Myſteriorum noſtræ fidei?* & pro reſolutione ponit Concluſionem affirmativam hujuſmodi: *Poteſt dari, & de facto datur hujuſmodi ignorantia in multis infidelibus*, quæ concluſio, ac ſententia, ſeu propoſitum privilegium.

73 Probatur ex *Vaſquez, & Coninck. l. l. c. c.* Plurimi Gentiles, ſuperioribus ſæculis nati in Japonia, & America, nunquam audierunt quicquam de Myſteriis noſtræ fidei, nec unquam venit illis in mentem, ejuſmodi fidem eſſe, vel eſſe poſſe, nec de illa quicquam ſuſpicati ſunt, nec illam ignorantiam potuerunt expellere, ergo accidere poteſt ignorantia invincibilis circa fidei noſtræ Myſteria, itaut culpæ non imputetur. Ex quo patet eos non teneri hoc præcepto quod ignorarunt invincibiliter, atque adeo non peccare, nullum enim eſt peccatum, niſi voluntarium, non poteſt autem eſſe voluntarium, quod eſt incognitum. Et ita etiam arguit *Macedo*, apud *Gennarum l. c.* quo argumento, utuntur pariter alii Doctores paſſim. Quod confirmatur, tum ex illo *D. Pauli textu ad Rom. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt?* tum ex exemplo adducto ab Alenſi, de parvulo infideli à pueritia ante uſum rationis incluſo in carcere, in quo nihil unquam audivit de vera Religione; tum ex alio exemplo adducto à *Scoto*, de nutrito in Sylvis, qui ſimiliter nunquam audivit aliquid de vera Religione Chriſti, & proinde nec potuit ſuſpicari dari aliquam Religionem veram, quam teneatur ſequi, & ita non potuit rogare Deum, ut eum illuminaret ad cognoſcendam hanc Religionem, nec potuit aliquos conſulere de veritate hujus Religionis; ubi enim nulla eſt præcognitio, vel dubitatio, nulla poteſt advenire cogitatio de petendo conſilio: ſicque argumentantur *Faber in 4. de pœnit. diſt. 14. qu. p. num. 39. & ſeq.* relatus à cit.

Gennaro

Gennaro pag. 10. & alii: tum etiam quia, simplices, & idiotæ, inter infideles, vel hæreticos viventes, si quandoque eos de sua Religione dubitare contingat, satisfacere conscientiæ videntur, si eos, qui periti communiter censentur, consulant; quod si isti illos in suo errore confirment, videntur excusandi, quia satisfecerunt conscientiæ suæ, faciendo quod potuerunt: ergo in infidelibus potest dari ignorantia invincibilis mysteriorum fidei nostræ, excusans à peccato; & consequenter eadem Mysteria ignorare, in ipsis culpa non est, ut in proposito privilegio. *Imo si in infidelitate cum ea ignorantia decedant, non condemnabuntur ratione infidelitatis* (ait *Sanch. n.* 32. *cit.*) *utpotè quæ culpa vacat, sed ratione aliorum mortalium*. Confirmatur *ex Bordono in Manuali Consultorum in Causis S. Officii, Opere posthumo sec.* 6 *de Hæresi,& hæreticis, versu Quæres* 4. *pag. mihi* 34. *col. p. n.* 16. Ubi inquirens, *Quis dicatur Hæreticus materialis, seunon Hæreticus?* (Respondet ad rem nostram) dici illum, qui licet ab infantia Baptizatus, à nullo tamen fuit unquam in fidei rudimentis instructus, quia nutritus fuit in Terris Paganorum, vel Hæreticorum, cum quibus non sunt mixti Catholici, nec apud illos Catolica fides colitur, nec Evangelium prædicatur, nec docentur rudimenta fidei. Is autem (inquit *Bordonus l. c.*) excusatur à crimine Hæresis si non credit, quia in eo Fides infusa non operatur quo ad hoc, nisi per instructionem, ad cuius probationem facit illud *D. Pauli ad Romanos cap.* 10. *n.* 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient, sine Prædicante? Excusatur etiam* (Concludit Bordonus n. c. in fine) *titulo Ignorantiæ invincibilis*, habet enim carentiam *Scientiæ eorum, quæ ad fidem pertinent, dum à nullo instructus fuit*. (Cui conclusioni adhærent, & hi, inter quos *Caramuel*, qui docent, quod si quis Baptizetur puer antequam loqui sciat, & capitur à Barbaris, in Sylvamque inducatur, & Atheismum positivè ab eisdem doceatur: posse hunc ad usum rationis perventum invincibiliter ignorare, & nescire Deum, saltem ad tempus, sicque affirmant Theologi quamplures.) Addit hic idem *Bordonus l. c. n.* 17. Quod sub hoc eodem genere Hæretici materialis comprehendi potest etiam qui ignorat quędam ad fidem pertinentia non solum indirectè, sed etiam directè: ut si quis invincibiliter credat Patrem esse majorem Filio, quia in humanis res ita se habet: ut si quis rudis credat Trinitatem esse fœminam, quia profertur sono fœmineo, quæ duo exempla refert *Carena de Inquisitione par.* 2. *Titulo p. §.* 11. *n.*64. cum aliis. Item Confirmatur ex *Castro Palao par. p. tract.* 4. *disp.* 7. *punct.* 2. *n. p.* Ubi proponens ad casum nostrum *Vtrum Infidelis possit habere Ignorantiam invincibilem omnium illorum, quæ fides proponit credenda?* Respondet. *Posse haberi ignorantiam invincibilem Mysteriorum supernaturalium, Incarnationis, Trinitatis, & similium: quia hæc cognosci non possunt, nisi proponantur: at sæpè propositio deficit. Ergo. Neque valet dicere, nemini negari à Deo media ad salutem necessaria; quia hoc verum est, si divinæ gratiæ impedimentum non præstas: at præstare potes impedimentum hoc multiplicando peccata. Quod si urgeas. Ergo iam Ignorantia culpæ tuæ tribuenda est, si quidem Deus illam à te expelleret nisi culpam committeres. Dico tribuendum esse tuæ culpæ; non tamen obinde sequitur, ignorantiam in se culpabilem esse, quia ad hoc, ut ignorantia in se culpabilis esset, debebas aliquo modo cognoscere tuis peccatis impedimento esse illam expellendi: & insuper debebas scire obligationem illam expellendi: Quæ omnia facillimo negotio ignorari à multis possunt.*

74 Ulterius etiam confirmatur: nam quòd hujusmodi invincibilis ignorantia non sit peccatum, adeò certum est, ut oppositum affirmare sit damnatum in *Michaele Baio*, cujus erat hæc propositio *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*. Unde constat contradictoriam esse veram; videlicet, *Infidelitas purè negativa de Christo, peccatum non est*. Et hæc est sententia *D. August.* (ut patet ex dictis supra, ad Lectorem, initio hujus Tractatus *n.* 3.) *Tract.* 89. *in Ioannem*, super illa verba, *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. *Augustinus* enim de infidelitatis peccato explicat eadem verba, & inquit: *Eos, quibus nec per se, nec per Apostolos, aut Ecclesiam, Christus locutus est, absque culpa ignorare*: ergo per eundem *Augustinum* habent infideles excusationem de hoc peccato, quo in Christum, & in ejusdem divina Mysteria non crediderunt, cùm ad eos non venerit, vel eisdem locutus fuerit. At non in hoc sunt numero, hi, ad quos in discipulis suis venit, & quibus per discipulos, Pastores, Concionatores, &c. locutus est: & per eosdemmet, proposita illis fuere necessaria ad infidelitatem ipsam expellendam. Circa quod tamen, adverte etiam cum *Vasquez disp. cit.* 120. *cap.* 5. *init. Victoria in*

ria in Relect. de Indis, *concluſ.* 2. & *Sanchez n.* 32. *cit.* infideles non peccare infidelitatis peccato, ſtatim atque illis Myſteria noſtræ fidei proponuntur. Quia non cuicumque proponenti, fidem habere tenentur. Sed ſolum id peccatum admittere, cum ea ſufficienter propoſita non credunt. Quod tunc contingit, quando confirmantur confutatione ſuorum errorum, vitæ ſanctitate, & bonis rationibus, quæ ipſis ſufficientes eſſe debent ad credendum, ut diſertis verbis advertit etiam *Cajet.* 2. 2. *qu. p. art.* 4.

75 Tandem confirmatur ultimò: quia nullus utique negat (ait & *Vaſquez c.* 3. *cit. in fine*) Myſteriorum fidei noſtræ, & præceptorum, fuiſſe apud multas nationes ignorantiam invincibilem multo tempore, quo nondum erat ſufficienter fides noſtra manifeſtata, & per Apoſtolos prædicata. Quis autem neget, nunc, vel paucis ante annis, fuiſſe innumeram Indorum multitudinem, qui nihil de Myſteriis audierint, & an eſſet alia nova Religio non dubitarint? quod ſi aliquando eorum parentibus lex Evangelica fuit ſufficienter promulgata, jam diu oblivione ita deleta erat, ut nec minima ejus notitia permanſiſſet. Ergo in his, & in infidelibus dari poteſt, & de facto datur ignorantia inculpabilis Myſteriorum noſtræ fidei. Quæ conſequentia videtur certa ex dictis, ab initio uſq; modò: quia (ut communiter etiam omnes fatentur, & omninò certum eſt) ut aliquid cuidam imputetur ad culpam, id ei debet aliquo modo eſſe voluntarium, non ſolum ſecundum ſuam rationem phyſicam, verum etiam quatenus habet rationem malitiæ, cum nemo poſſit peccare ſaltem culpabiliter niſi aliquo modo voluntariè, ut ſæpiùs *S. Auguſtinus*, & ex eo communiter docent Theologi: nihil autem eſſe poteſt voluntarium niſi ſit aliquo modo cognitum *D. Tho. p.* 2. *qu.* 6. *art.* 8. (& cum eo Theologi) quod non eſt in caſu noſtro, ut patet. Hinc, cum nunquam prædicti, vel infideles, quidquam audiverint (ut hic ſupponitur) de Myſteriis noſtræ fidei, nec unquam illis in mentem venerit ejuſmodi Myſteria eſſe, vel eſſe poſſe; talis ignorantia manet in illis conſequenter involuntaria, ſive invincibilis, & inculpabilis: quare & ſi abſolutè cum gratia Dei quantum poterant, bene vivendo, potuiſſent iidem ad cognitionem veritatis divino auxilio pervenire; tamen nullo modo potuerunt unquam ſuſpicari hoc ad illud eſſe medium neceſſarium; atque ita hæc ignorantia in ipſis culpa non eſt. Appoſitè autem dixi, *cum nunquam prædicti infideles quidquam audiverint de Myſteriis noſtræ fidei*: quoniam (ut optimè etiam *Coninch De Moralitate diſp.* 14. *Dub.* 11. *n.* 230.) ſi inter infideles enutriti, qui ob id ignorant neceſſaria ad ſalutem, aliquid audiunt de Myſteriis noſtræ fidei, ut meritò ſuſpicari poſſint ea forte eſſe vera: aut eis occurrit aliqua ratio ob quam meritò dubitent an ſua Religio ſit vera, ſtatim tenentur ſeriò adhibere diligentiam, ut cognoſcant veritatem, adhibendo ea media, quæ ad hoc credunt neceſſaria. Sicut etiam ad id tenentur ſtatim ac eiſdem fit, vel occurrit propoſitio noſtræ fidei. Verum quidem eſt, quod non eadem fidei propoſitio ſufficiens eſt quoad omnes, ut advertit etiam *Sanchez in Decal. to. p. lib.* 2. *cap. p. n.* 7. Quia eædem rationes alicui intellectui reddunt rem aliquam probabilem, quæ reſpectu alterius non ſufficerent: ita reſpectu rei credibilis contingit. Quod & docuit *Cajet.* 2. 2. *qu. p. art.* 4. *ver. Dicendum eſt igitur*: hanc reddens rationem. Quia quando audiens reputat dicentem eſſe fide dignum, eſt illi evidens eſſe credibile: & propterea ait, ſtare poſſe, ut unum, & idem dictum, videatur ab uno, ut credibile, ab alio autem non. Ex eo enim, quod hæc evidentia non convenit credibili ex parte rei ſemper, ſed quandoque ex parte noſtri, ideo ait variari in diverſis, & exigi aliquam conditionem obiecti in ordine ad nos.

76 Sed contra obiicies primò: Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam ſuam, nec neceſſaria ad ſalutem, ex ſententia Theologorum omnium: at fides, maximè neceſſaria eſt ad ſalutem, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, teſte *D. Paulo*: & hæc denegatur multis infidelibus, ut patet ex dictis: ergo denegatur illis, quia non faciunt, quod in ſe eſt; & conſequenter eorum ignorantia de rebus, & Myſteriis fidei non eſt invincibilis, nec caret culpa. Reſpondeo negando abſolutè hanc ultimam ſequelam: ignorantia namque eorum infidelium invincibilis utique eſt, involuntaria, ac inſuperabilis omninò, ut probatum eſt; cùm fides ſit ex auditu, & quomodo audient ſine prædicante? Ad ſecundam verò partem minoris, dico, cum *Vaſquez diſp. cit. cap.* 4. *in princip.* & aliis, verum eſſe, facienti quod in ſe eſt, Deum non negare cognitionem Myſteriorum fidei quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem: quare, ſi horum notitiam alicui negat, propter aliqua peccata, & impedimenta, quæ ipſe opponit, deno-

gat: ac proinde infidelitas illa, vel ignorantia est quidem pœna peccati, sed non est peccatum, nec culpæ imputari potest. Unde non denegatur fides infidelibus ex eo quod respectu illius habeant ignorantiam invincibilem, sed in pœnam aliorum peccatorum; quia nimirum non observant legem naturæ, quam naturaliter insitam habent in cordibus, quam si observarent, Deus illos illuminaret ad cognoscendam veram fidem, eo quia cuicumque facienti quod in se est, ut bene vivat, & omnia peccata evitet, dat auxilia sufficientia ad salutem: sicque stat, quod eorum ignorantia sit invincibilis, nec sit peccatum. Duo igitur genera peccatorum in infideli considerantur; peccatum speciale videlicet infidelitatis; & alia peccata contra legem naturæ; quilibet infidelis cum gratia, & auxilio prævenienti, quæ Deus nulli denegat, potest servare legem naturæ, quam si servaret, Deus illum illluminaret, vel exterius per aliquem Magistrum, vel interius (ut illuminavit *Centurionem*) vel dando illi infusam fidem implicitè absque fide explicita; vel salvando ipsum sine fide (negativè) & sacramentis, ex quo non est alligatus illis. Cæterum, quia talis infidelis non cooperatur gratiæ prævenienti, divinisque auxiliis sufficientibus, ideò non meretur illuminari, & damnatur, non quia ignorantia fidei non sit illi simpliciter invincibilis, sed quia ex aliis peccatis adjunctis, advenit sibi ignorantia in pœnam illorum.

77 Obiicies secundò: Post prædicationem Apostolorum, fides innotuit Universo Orbi, ergo post ipsam, ignorantia fidei non est infideli simpliciter invincibilis: Antecedens probatur ex illo *ad Rom.* 6. *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum*. Respondeo antecedens esse falsum, ut de Indis, atque de habitatoribus in extremis mundi partibus patet, quibus non adhuc sufficienter innotuit Evangelium, nec lex fidei sufficienter promulgata est; consequenter *excusantur à peccato contra fidem propter ignorantiam* (ait *Azorius to. p. l.* 8. *c.* 7. *qu.* 2. *vers. Obiicies) licet (ut rectè docuit D. Tho.* 2. 2. *qu.* 10. *ar. p. ad p.) possint in æternum damnari propter alia crimina scienter contra legem naturæ commissa*. Ad Apostolum dicitur, ipsum velle tantummodo inferre, quod Deus nunquam reliquit Mundum sine aliquali sua cognitione, qua si bene uteretur, abundantioribus doctrinis repleretur prout contigit *Cornelio*. Vel potest exponi, quod illud verbum præteritum, *Exivit*, ponitur pro futuro, more prophetico, ad insinuandam ipsius futuræ certitudinem. Videatur *Cornelius à Lapide in hoc loco*. Si instes: hujusmodi ignorantia invincibilis si daretur, sequeretur, infidelem, vel nullo modo posse salvari; vel sine fide salvari: utrumque autem est erroneum, & contra Apostolum clamantem, *Deus vult omnes homines salvos fieri. Et sine fide impossibile est placere Deo*. Consequentia patet, quia tali infideli, ratione ignorantiæ invincibilis, est impossibilis fides. Si sic inquam instes, respondetur, negando primam partem assumptæ sequelæ, infidelem videlicet nullo modo posse salvari: hoc enim solùm sequeretur, si faciendo quod in se est, ut bene vivat, & peccata vitet, non posset veritatem assequi, ut supra. Hinc etiam *Trullench in Decal. lib. p. cap. p. dub.* 2. *n.* 9. licet asserat, eos, qui invincibiliter ignorant fidem Christi excusari quidem posse à peccato infidelitatis, non tamen sine illa fide salvari posse: reddit nihilominus sui dicti rationem conformem omnino nostræ doctrinæ supra traditæ: Nam (sic arguit) si cum Dei auxilio servant legem naturalem, Deus providebit, ut sciant fidem Christi, & res necessarias: dabitque illis Doctorem, ut dedit *Cornelio Actor.* 10. aut illos interius illuminabit, eo quod facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam suam. Quod si non servent legem naturalem, damnabuntur propter hujusmodi peccata; nam si ignorant invincibiliter fidem, ob hanc infidelitatem negativam, quæ sine culpa est, damnari non poterunt. Unde constat proximè, vel remotè, omnibus dari media sufficientia ad salutem: nam omnes, etiam si nihil audierint de fide, tamen virtute divinarum inspirationum possunt aliquo tempore observare legem naturalem, quam si observant, Deus absque dubio providebit medium, quo possint habere notitiam fidei, & sic justificari, & salvari; ut probant fusiùs Doctores, cum *S. Tho.* 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. & tenet idem ibi, & expressius *lect.* 3. *in cap.* 10. *ad Rom.* Vide *Filliuc. to.* 2. *tract.* 22. *cap. p. n.* 29. & 30. *Suar. tract. de Fide disp.* 12. *sec.* 2. *n.* 5. *Palaum tract.* 4. *de Fide disp. p. punc.* 8. *n.* 4. Dari autem ignorantiam fidei invincibilem, docet *S. Tho.* 2. 2. *qu.* 10. *art. p.* Et dicemus infra: ita *Trullench* conformis ut patet doctrinæ ut supra. Ad secundam dico: fidem esse necessariam, ita ut *fine ipsa impossibile sit placere Deo. Quando est publicata, & nota* (inquit *Genarus in Præludiis cit. pag. mihi* 11. *col. p. in fine:*) *consequenter* (ita concludit) *Deus, infidelem nutritum*

in Syl-

in Sylvis, sine ea salvare posset. Et Eminentiss. Card. *Pallavicinus in p. 2. disp. 2. quæst. 2. art. 2. n. 3.* (apud eundem *Genarum l. c. pag. 10. col. 2.*) dixit: *Ex his, qui nascuntur inter hæreticos multi salvantur, quippe morientes ante illam ætatem, in qua non sit eis sufficienter proposita falsitas suæ sectæ. Quod idem ante dixit* (ait cit. *Genarus*) *Vasquez disp. 120. cap. 5. in 15.* sed eo loci (*Vasquez*) non dicit hoc, ut constat ex eiusdem contextu, in quo solum sic: *Si aliquis nihil sciens de vera doctrina, & fide Christiana, primum incipiat instrui ab aliquo Arriano, qui vitæ honestate exterius appareat dignus fide, & cætera omnia nostræ fidei rectè proponat, in Articulo autem de Filii æqualitate errorem doceat, cur non ab errore excusabitur? Unde enim existimare ille poseft in eo Articulo forsan errorem subesse? Immo, & hac ratione apud schismaticos, & hæreticos plures simplices ab errore excusantur, quia suis maioribus credunt; nec adhuc sufficienter vident eos errare.* Ita *Vasquez allato n. 15.* quod utique (ut patet) non facit ad dictum Eminentiss. Pallavicini, nec ad rem cum ipso. Sed

78 Obiicies tertiò, ex inconvenienti, quod sequeretur ex tradita doctrina, ac nostro privilegio: nam demus adultum aliquem infidelem mori cum tali dicta ignorantia, antequam peccarit mortaliter: nullus ei locus assignari poterit. Non Limbus puerorum, quia hic locus non est pro adultis: neque Infernus, quia non merebitur pœnam sensus. Ergo, &c. Respondeo cum *Coninch disp. cit. 14. dub. 11. sub n. 227. v. Ad tertium.* Posito tali casu, sive sit possibilis, sive non, talem iturum ad Limbum puerorum. Nec refert, quod hic locus dicitur solis pueris deputatus; quia hoc fit eo quod communiter supponitur nullum adultum de facto cum solo peccato originali è vita discedere, quia communiter omnes docent, neminem sine gratia habituali posse notabili aliquo tempore omnem legem naturæ servare. Quod si fortè contingeret aliquem post adeptum usum rationis, antequam gravius peccaret, mori, inter pueros computandus esset: præsertim cum diversitas illa locorum non tam respiciat diversitatem ætatis, quam culparum. Hic tamen adverto, cum *Macedo De clavib. Petri lib. 3. De Fide Dogmatica, vers. Dico quartò, in fine, pag. mihi 175. col. p.* quem sequitur *Genarus l. c. pag. 11. col. 2. vers. Secundò dico*: quod si talis, cum originali, coniunctum haberet aliquod veniale, eum, ultra pœnam damni (perpetuam nempè carentiam visionis Dei) aliquam etiam pœnam sensus levem passurum. Ideo enim parvuli cum solo originali decedentes, non puniuntur pœna sensus (ut optimè probat *Eminentissim. Brancatus de Lauræa* in suo doctissimo, & eruditissimo *tom. 4. in 4. lib. sentent. Scoti disp. 27. Tit. De Statu Parvulorum decedentium cum Originali, art. 5. n. 93. ex Sacr. Script. Magistro sentent. D. Bonav. S. Thomâ, Scoto,* & aliis; qui cum *Innoc. III. Papa*, id pro Ecclesiæ communi sensu asserunt) quia incontractione originalis peccati, nullam habuerunt delectationem, neque sensus, neque spiritus. At qui (ultra contractionem originalis) commisit aliquod veniale, cum reus sit delectationis, & consensus personalis, quem habuit in illius commissione, aliqua utique pœna sensus ei danda est juxta delectationem propriam, ejus qui peccavit, eique subjacere debet, ultra pœnam damni.

79 Hac autem occasione, hic quæret quis: Quem locum habere debeat Anima justa, & in gratia, quæ separatur à corpore cum culpa tantum veniali? Et ratio quæsiti est; quia ex una parte, accidere potest, quod homo justus, in gratia existens, habeat tempore mortis aliquod peccatum veniale, neque huic peccato remedium adhibeat, vel ex negligentia, vel ex repentina morte (si illud voluntariè non omittat) vel ex quacumque naturali inadvertentia: vel etiam, quod sciens, & videns, omittat adhibere remedium eidem veniali quoad culpæ expiationem ante mortem: non enim propterea peccaret mortaliter (præciso contemptu) quia (ut advertit etiam *Suar. de Pœnit. disp. 11. sec. 4. n. 2.*) nullum ostendi potest de hac re præceptum: & contemptus, si præsumitur, non est verus, potest enim esse sola negligentia, vel nimia solicitudo circa corporis salutem, vel alias res temporales, cum illa spe, quod malum illud veniale post mortem habet remedium: sicut negligentia in satisfactione pro pœna temporali, propter easdem rationes non est peccatum mortale per se loquendo. Ex altera verò parte, quis locus assignandus Animæ, quæ in gratia separatur à corpore cum culpa, & reatu tantum veniali? Non Sedes Cœli, & Gloria Beatorum, cum certum sit Animam habentem peccatum veniale, non posse videre Deum, quia, *Nihil coinquinatum introibit in illam.* Non Infernus, cum & alioqui etiam sit certum, Animam perseverantem in gratia usque ad mortem, aliquando visuram esse Deum, quia propter solum veniale peccatum nemo punitur in æternum, uti fit in Inferno, in quo nulla est spes, & redemptio.

ptio. Non Purgatorium, quoniam in ipſo non eſt amplius Anima in ſtatu merendi remiſſionem culpæ, quamvis venialis, eo quia ſtatus merendi finitur cum vita, quantum ex ſcriptura colligi poteſt. Et ex alio capite, Deus tenetur ex juſtitia remittere illam culpam, quia non poteſt, ſemoto ordine juſtitiæ à ſe præſcripto, punire perpetuò illam Animam, privando illam gloria; nec poteſt dare gloriam, niſi prius remittat culpam, quæ in Purgatorio non remittitur, remittuntur enim peccata in Purgatorio ſolum quoad pœnam, quæ relinquitur poſt culpam in hac vita remiſſam. Ex quibus ſequi videtur, locum nullum eſſe aſſignabilem Animæ migranti ex hac vita in gratia, ſed cum culpa veniali: conſequenter caſum hunc eſſe impoſſibilem ſervato juſtitiæ ordine à Deo preſcripto.

80 Et ita eſt (ſecundum aliquos, apud *Suar. ſec. cit. n.* 2.) hujuſmodi enim caſus per ipſos, videtur impoſſibilis. Verum, quia *certum eſt* (inquit idem *Suar. n.* 6.) *poſſe Animam ſeparari à corpore cum gratia, & culpa veniali:* & item per eundem met, pariter certum eſt, *eandem Animam aliquando viſuram eſſe Deum*, & ingreſſuram ſedem Cœli, & Beatorum, ibique proprium debere habere locum, ac manſionem; *quia propter ſolum veniale* (ut ſupra) *nemo punitur in æternum* (ait & *Suar. n.* 6. *cit.*) Idcirco ſufficiet explicare, quando, per quid, & quomodo tollatur hujuſmodi culpa venialis; quod tamen hic omitto, quia id optimè, & ex integro facit *Suar. ſec.* 4. *cit. à n.* 13. *uſque ad* 18. *incluſivè* ibique in ſubſtantia concludit cum *D. Thoma*, & aliis; In primo inſtanti ſeparationis Animæ à corpore, habere Animam ferventem actum dilectionis Dei, & contritionem etiam perfectam omnium præcedentium culparum; quia in eo momento cognoſcit ſtatum ſuum, & eſt expedita ad operandum, & ex parte Dei habet auxilium efficaciſſimum juxta menſuram ſuæ gratiæ, & ipſa ſtatim ſine mora operatur. Et perfectè tendit in Deum, & avertitur ab omnibus venialibus. Qui actus, unicus, & univerſalis (non enim eſt neceſſe ut in eo inſtanti multiplicentur actus) ſufficit, ut ſtatim per ipſum tollantur omnia peccata venialia, quæ remittenda ſunt, & tollenda quoad culpam. Hinc Anima in eodem inſtanti quo ſeparatur à corpore, ſi juſta fuit immediatè ante, ita confirmatur in juſtitia, ut cadere non poſſit, & ſtatim exiſtit extra ſtatum merendi præmium eſſentiale, vel augmentum gratiæ. Quando autem Anima indiget purgatione, dici poteſt probabiliter, eſſe adhuc in ſtatu merendi aliquid accidentale, ſive neceſſarium, ut eſt remiſſio venialis culpæ: quia quantum ad hoc, adhuc non eſt in termino, ſed quodammodo in via. Ità *Suar.* Qui ulterius quærens, an in illo inſtanti, ſicuti ex vi illius actus dilectionis Dei, & contritionis, remittitur culpa venialis, remittatur etiam purgatorii pœna; ita ut ſit ſatisfactorius pro tota, vel ſaltem pro parte pœnę debitę, *n.* 18. Reſpondet: in illo inſtanti nullam pœnam purgatorii remitti, ex vi illius actus, & contritionis: & hanc eſſe ſententiam *D. Tho. qu.* 7. *de Malo art.* 10. Et ratio à priori eſt (ait idem *Suar.*) quia Deus ſtatuit tempus hujus vitæ ad ſatisfaciendum per noſtros actus, vel pœnas hujus vitæ, tempus autem vitæ futuræ ad ſuſtinendam condignam pœnam ignis. Sicut autem in inſtanti mortis, extrinſecè finitur hæc vita, & intrinſecè incipit alia, ita in illo jam non habet locum modus ſatisfaciendi hujus vitæ, ſed intrinſecè incipit ſatisfactio per purgatorium ignem. Videatur *Suarez*.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Ignorantia invincibilis aliquorum articulorum, fideique Myſteriorum, quæ poteſt eſſe etiam inter fideles, eos excuſat à culpa, & ea ignorare in ipſis culpa non eſt.

81 FErè communiter à D.D. admittitur hoc Privilegium. Quia ad impoſſibile nemo tenetur; impoſſibile autem eſt, multos fideles habere cognitionem diſtinctam omnium articulorum, & Myſteriorum fidei, ſiquidem nec eorum terminos multi norunt: at quod eſt ignotum, non eſt volitum, ergo reſpectu eorum habet ignorantiam involuntariam, & invincibilem, à culpa excuſantem conſequenter, & quæ in ipſis culpa non eſt. Immò *Vaſq. p.* 2. *qu.* 121. *cap.* 1. *in fine*, apertè ait: Simplices excuſari ab ignorantia quorundam Myſteriorum ex iis, quæ neceſſaria ſunt, quia nec à Parochis, nec à Parentibus, vel ab iis, quorum curæ mandati ſunt, circa illos inſtruuntur; nec alios à quibus inſtruantur, poſſunt, vel ſciunt audire, cujuſmodi ſunt ruſtici, valdè agreſtes in ſylvis, vel montibus nutriti. Idem affirmat *Sanch. p. p. Operis Moralis lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 20. ubi ſic: *Meritò dubitabis, an poſſit inter fideles dari ignorantia invincibilis à peccato excuſans, horum Myſte-*

riorum fidei, quæ explicitè credere tenentur. Aliqui negant. Quia Concionatoribus abundant, & paſſim in Eccleſia Myſteria hæc circumferuntur, ac ſolemni ritu celebrantur. Et cum ad cujuslibet fidelis ſtatum pertineant, tenentur curare eorum notitiam aſſequi: quod ſi non curant, ignorantia hæc, culpæ tribuetur. Sic D. Tho. p. ad Cor. 11. Lect. 4. D. Bonav. 3. diſt. 25. art. p. qu. 3. & ibi Durand. qu. p. n. 9. Gabr. qu. unic. art. 2. poſt 5. concluſ. Manuel p. Tom. Summ. 2. edit. c. 88. n. 4. At credo dari apud ruſticos hanc ignorantiam invincibilem, & ratione illius, excuſari à peccato hæc ignorantia. Ducor, quod contingat nil eos de hujus præcepti vi, & authoritate audiiſſe: vel ſi audierint, nil, inſtar brutorum percepiſſe: aut ſi perceperint, aliis negotiis diſtentos, eſſe prorſus hujus obligationis oblitos; vel tempore quo addiſcere potuerunt, caruiſſe Doctore, à quo inſtruantur. Item, quia ſæpè, & maximè rudibus, nec dubium, nec ſcrupulus circa hanc obligationem occurrit. In quo caſu eſſe ignorantiam invincibilem etiam circa leges ad alicujus ſtatum pertinentes, diximus lib. præced. c. 16. n. 21. 24. & 27. Deinde, quia quamvis hi, diligentiam adhibendo, inquirendo, aut bene vivendo (ut tenebantur) hujus obligationis notitiam aſſequerentur: atque eam non aſſequuntur, eo quod inſtar pecorum omnino ſuæ ſalutis immemores vitam tranſigant: & proinde abſolutè poterant eam notitiam habere. Quia tamen non poterant ex intentione id cognoſcere, quia moraliter loquendo non potuerè id curare, utpote qui nullum habuere motivum, quo ad eam notitiam inveſtigandam inducerentur, eo quod nec dubium, nec ſcrupulum conceperint, ideo ea ignorantia reputatur invincibilis. Et hanc partem ſuſtinent, Navarr. Summ. cap. 11. Hiſpanicè n. 18. Latinè n. 22. verſu 8. Bannes 2. 2. qu. 2. art. 8. dub. 2. pag. 428. Vaſq. p. 2. qu. 76. art. 2. diſp. 121. cap. 2. n. 3. Azor. to. p. lib. 8. Inſtit. Moral. c. 6. q. 7. & cap. 7. qu. 3. & cap. 8. q. ult. Petr. de Ledeſm. p. to. Summ. tract. p. cap. 3. concluſ. Sayr. in Clavi Regia lib. 2. cap. 9. n. 15. in fine. Et quamvis Bannes, de Ledeſma, & Azor. d. cap. 6. qu. 7. dicant, rarò contingere hanc ignorantiam invincibilem: melius tamen idem Azor. eod. cap. 7. qu. 3. & Vaſq. proximè allegatus, dicunt ſæpè contingere. Quod rationes allatæ ſatis probant. Ita *Sanch.* cum allegatis. Quibus ego addo *Coninch De Moralitate diſp. 14. dub. 11. n. 226.* ſub ſequentibus verbis: *Multi ruſtici ſtatim atque incipiunt ratione uti, applicantur paſcendis pecoribus, & rarò permittuntur templum adire, & rariſſimè mittuntur ad conciones: atque ita nec in templo quidquam de rebus fidei audiunt, nec domi ab heris, aut parentibus in rebus fidei inſtruuntur; ideoque etiam nullam ſuſpicionem habent, aliquid ſibi circa fidei Myſteria neceſſariò diſcendum eſſe. Quamvis igitur, hi, interrogando aliquando ſuos Parochos, aut alios in fide inſtructos, aut faciendo quandoque majorem diligentiam, ut poſſent conciones, aut Cathechiſmos audire, poſſent ſufficienter in fide inſtrui; quia tamen omninò ignorant, hoc ad illum finem eſſe neceſſarium, nequeunt ex hujus deſiderio ad illum faciendum excitari: atque ita hæc ignorantia manet in illis involuntaria, ſive invincibilis.* Hactenus *Coninch*; cui ulterius addo *Ferdinandum Palaum p. p. tract. 4. diſp. p. punc. 11. n. 4.* ubi, quod poſſit dari ignorantia invincibilis Myſteriorum fidei, tam inter infideles, quam inter fideles; & quod hæc ſententia communior ſit: quam ipſemet etiam extendit ad Myſteria nedum quæ neceſſariò ſunt cognoſcenda neceſſitate præcepti, verum etiam ad ea, quæ cognoſcenda ſunt neceſſitate medii neceſſaria ad ſalutem. Quod ſic probat. *Affirmo rarò contingere aliquem habere ignorantiam invincibilem eorum, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem neceſſitate medii. Nam cum hæc, in cognitione Dei potentis remittere peccata, & gratiam, gloriamque concedere, conſiſtat; rarus eſſe poteſt, cujus mentem hæc notitia ſaltem ſub dubio non imbuerit. Dixi rarò contingere poſſe; quia ſentio caſum non eſſe impoſſibilem. Poteſt namque quis ita barbarus, & aggreſtis eſſe, ac inter barbaros nutriri, ut ſolius Dei notitiam habeat, careat tamen notitia illius, quatenus author eſt ſupernaturalium donorum: quam notitiam diximus eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, & cujus carentia illi immediatè non imputetur, quia illi non ſe offert ratio dubitandi, ac ſuſpicandi obligatum eſſe inquirere.* Ita *Palao*; nec deſunt alii quamplures ejuſdem ſententiæ, ac opinionis noſtro faventes propoſito privilegio: eos tamen hìc omitto, allegandos in ſequentibus privilegiis. Solùm hìc adverto cum *Coninch. dub. 11. cit. n. 230.* in fine. Turcas, Juædos, ac Hæreticos prudentiores, laborare iam communiter ignorantia vincibili, quia ſi diligenter huic rei intendant, habent ſufficientes rationes dubitandi de ſua religione. Ideoq; ipſi, etiam cum periculo vitæ tenentur veritatem ſeriò inquirere. Sed contra.

82 Obiicies primò, ex *D. Bonav. in 3. diſt. 25. art. p. qu. 2. ad ult. & qu. 3. ad penult. Adriano Quodlib. 2. qu. p. ſive argum. ad 2.* & aliis; Lumine naturæ tenetur quis Deum colere, & conſequentur inveſtigare quo cultu, tam interiori, quam

exteriori

exteriori colendus sit. Ergo si juxta hoc lumen naturæ inditum, diligentiam fecit, sine dubio de fide illuminabitur, quia Deus neminem deserit facientem quod in se est; ergo non potest esse in aliquo ignorantia invincibilis Mysteriorum fidei, quæ quis scire tenetur tam inter infideles, quam inter fideles. Secundò: ex *Gabriele in 3. disp. 25. art. 2. post. 5. conclus. Durando ibi. qu. p. n. 9.* & aliis. Inter fideles hæc Mysteria ita passim circumferuntur, & publicantur, tum celebratione festorum; tum prædicationibus, & exhortationibus, ut vix intelligi possit aliquis, cui dubium non suboriatur ea addiscendi: ergo &c. Respondeo ad primam obiectionem, cum *Castro Pal. punc. cit. 6.* & aliis: concedendo quidem lumine naturæ cognosci Deum esse colendum, negando tamen cum hac cognitione stare non posse ignorantiam invincibilem Mysteriorum fidei: tum quia non colit Deum juxta lumen à natura inditum: & dato quod illum sic colat, & rectè operetur, solùm infertur illuminandum esse à Deo aliquo modo de Mysteriorum cognitione ad salutem necessaria necessitate medii, non præcepti: quia propter carentiam cognitionis debitæ ex præcepto, salutem non amittet. Ad secundam obiectionem dico cum *Sanch. supra, Pal. n. eodem*, & aliis, passim in Ecclesia Mysteria fidei circumferri, sed sunt plures ita rudes, & barbari, ut ad ea non attendant, neque dubium illis veniat talis obligationis: & concesso etiam quod obligationem perceperint, vel capaces non sunt addiscendi, vel Doctorem non habent. Hinc *Sà Verbo Fides n. p.* ait sic: *Sentiunt multi cum D. Thom. excusari multos ignorantia, ab explicita cognitione Trinitatis, & Incarnationis, præsertim cum desit qui doceat, quam opinionem, & si adhuc solebam improbare, nunc non ausim. Quid enim? dicemus ne perire infinitam Christianorum alioqui bonorum multitudinem, qui Mysterio etiam Trinitatis, & Incarnationis, vix quidquam rectè norunt, imo perversè sentiunt si interroges? Potius crediderim condemnari istorum Pastores ob negligentiam docendi.* Quomodo autem se gerere debeat Confessarius cum ignorante Mysteria fidei, dicam postea in sequentibus, *privileg. 9.*



PRIVILEGIUM QUARTUM.

Ignorans hodie invincibiliter (explicitè) Mysteria Incarnationis Christi, & Sanctissimæ Trinitatis, excusatur probabiliter à culpa: & in ipso, hujusmodi ignorantia (probabiliter) culpa non est.

83 Fides (uti & cognitio supernaturalium Mysteriorum) alia est implicita, alia verò explicita. Implicita dicitur cum res aliqua fidei, non creditur expressè, & in particulari in seipsa, sed in aliqua alia expressè credita, in qua illa implicitè continetur. Ut explicitè credens quidquid credit Ecclesia, credit implicitè Mysteria Trinitatis, & Incarnationis, & reliqua etiam fidei Mysteria. Explicita autem est, qua in particulari, & in seipsa, creditur expresse aliqua res fidei. Ut cum expressè quis, ac distinctè cognoscit Incarnationis, vel Trinitatis Mysterium, illudque expressè credit. Sic explicant communiter Theologi: *Toletus lib. 4. Summæ cap. 2. n. 4. Valent. 2. 2. disp. p. qu. 2. Puncto 3. in princip. Azor. Instit. Moralium tom. p. lib. 8. cap. 6. in fine.* (Ubi, *Eum explicitè aliquid credere, qui asentitur alicui rei sibi dictæ, vel quam cogitatione concipit: implicitè autem, qui credit aliquid generaliter, & subinde multa alia, quæ in eo continentur.*) *Sanch. p. p. Operis Moralis lib. 2. cap. 2. n. 2.* Qui tamen Author, *Conclus. ult. ejusdem cap. n. 10.* videtur positivè excludere nostrum propositum privilegium, & velle absolutè esse modo in adultis (ratione utentibus) culpabilem ignorantiam, etiam tantum explicitam, prædictorum Mysteriorum: eo quia post sufficientem promulgationem Euangelii, cognitio, & fides explicita eorundem Mysteriorum Sanctissimæ Incarnationis Christi, & Trinitatis Augustissimæ, necessaria sit, necessitate medii, seu finis; non solius præcepti: nam quod ratione hujus tantum necessarium est, exequendum quidem necessariò est, sed quando facultas suppetit, & occasio; non tamen ita, quin absque illa, possit gratia, & gloria comparari, excusante, aut ignorantia invincibili, aut occasionis defectu. At quod necessarium est primo modo, idest ratione medii, sive finis, ita necessarium est ad salutem (per omnes) ut sine illo, in nullo euentu, nec impossibilitate, nec ignorantia invincibili excusante, salus obtineri valeat: Sic infans mortuus in vtero Matris (defectu Babtismi) quamvis illi sit

 impossi-

impossibilis, tamen non salvatur, quia deficit medium necessarium ad salutem. Sed tali modo nunc in adultis ratione utentibus necessaria est fides explicita, tum Incarnationis Christi, tum Trinitatis Sanctissimæ, ergo sine tali explicita fide, & cognitione, salus haberi nequit; nec in hoc ignorantia invincibilis excusabit, vel ignorantiæ privilegium locum ullum habebit, vel habere poterit. Ita *Sanch. n. 10. cit.* Ubi expressè sic: *Fides Mysterii Sanctissimæ Trinitatis eodem modo est necessaria necessitate medii, seu finis, quo fides Christi; nempe, ante sufficientem Evangelii promulgationem, implicita; nunc autem explicita, tum ad gratiam, quam ad gloriam assequendam. Et ita D. Tho. 2. 2. qu. 1. art. 8. eodem pacto loquitur de necessitate fidei explicitæ Mysterii Trinitatis, quo art. 7. loquutus fuerat de necessitate fidei explicitæ Mysterii Incarnationis. Et ratio est, quia similiter fides hujus Mysterii ad nostræ salutis fundamentum pertinet, Matth. 28. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Item, quia sine hac cognitione, nequit Christus satis cognosci: utpote, qui est Filius Patris, & conceptus virtute Spiritus Sancti. Sicque docet Valent. 2. 2. disput. 1. qu. 2. punc. 5. in 2. conclus. ubi idem docet de ceteris articulis ad Divinitatem pertinentibus.* Ita *Sanch.* Præter autem hunc Authorem, &c. *Valent.* eandem docent sententiam quam plures alii, & gravissimi Doctores apud *Leandrum p. p. in Decal. tract. 2. disp. 2. qu. 8. & 13. Trull. in Decal. lib. 1. cap. 1. dub. 2. num. 7. versu Dico quintò. Dian. to. 6. Coord. tract. 1. res. 4. n. 1. Ex p. 3. tract. 5. Miscell. p. res. 46. Verricelli De Apostolicis Missionib. Tit. p. sec. 2. n. 7.* & apud alios. Probant autem hi Doctores dictam sententiam, tum ex illo *Marci* 16. ubi Christus Dominus postquam præcepit Apostolis ut baptizarent, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; addit, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit; salvus erit; qui verò non crediderit* (utique Mysterium etiam Trinitatis, de quo facta fuerat expressa mentio) *condemnabitur*: tum ex *Athanasii Symbolo*, ubi dicitur: *Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.* Et rursus: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Tum etiem quia, alioquin sequeretur posse nunc temporis aliquem salvari in lege Mosaica, ut si Iudeus invincibiliter ignoret fidem Evangelicam, & servet legem Mosaicam, quę implicitè continet legem Christi, ergo &c.

84 Versa vice tamen non desunt qui admittant propositum privilegium, suntque plures, & classici Doctores. *Sà, ubi supra. Corduba in Qq. Theologicis libr. 2. quæst. 4. proposit. 3.* ubi, *Quod de explicita fide Christi problema est, utrum post iam promulgatum Evangelium per Apostolos, & successores eorum in præcipuis partibus Orbis, possit nunc ignorantia invincibilis reperiri, est duplex opinio inter Catholicos.* Ipseque, utriusque opinionis rationibus adductis, stat pro parte affirmante, ut patet ex ejusdem contextu, præcipuè ex *versu Et nota, pag. mihi 25. col. 2. in fine. Azor. to. 1. lib. 8. cap. 6. qu. 6. Soto in 4. dist. 5. qu. 1. art. 2. Coninch disp. 14. dub. 9. n. 163.* ubi, *Quod & si præcedens sententia sit probabilis, tum propter auctoritatem Doctorum qui eam tenent, tum etiam propter probabiles rationes, tamen contraria* (ut in privilegio) *non est minus probabilis; scilicet etiam in lege gratiæ, non esse necessitate medii, necessarium ad iustificationem, ut quis explicitè credat Mysterium Incarnationis, sive secundam Personam fuisse incarnatam, & Christum fuisse verum Deum, & hominem, & pro nobis in Cruce mortuum, ac resurrexisse: atq; adeo sufficere, ut hæc implicitè credat, credendo explicitè eum esse mediatorem, & Salvatorem nostrum:* ita *Coninch*, alios D. D. pro se allegans, præcipuè *D. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. Sotum, Cordubam, & Medinam*: qui tres, *licet dicant, fidem explicitam* (ait idem *Coninch*, & verum ait) *esse necessariam necessitate medii, quia statim subdunt, ab hac necessitate excusare invincibilem ignorantiam, ità expressè ostendunt se reipsa* (*& si minus commodè loquantur*) *se reipsa nobiscum sentire*: uti sentit *Palao p. p. tract. 4. disp. p. punc. 9. n. 7.* inquiens: *Probabilius censeo, etiam facta promulgatione Evangelii, non esse necessariam notitiam explicitam Trinitatis, aut Mysterii Incarnationis, necessitate medii, sed solum præcepti: atque adeo contingere alicui posset salus; quin explicitè cognosceret Filium Dei incarnatum fuisse, & pro nobis passum esse; sufficit, si cognoscat esse aliquem mediatorem: hanc conclusionem indicat satis D. Tho. 2. 2. qu. 2. art. 7. ad 3. eam tenent Richard. Sotus, Vega, Corduba. Henriquez, Medina, Suarez to. 4. in 3. par. disp. 4. sec. 2. n. 17. in fine: & latius probat, & defendit disp. 12. de Fide sec. 4. n. 10. Saa, Coninch, Layman in Theolog. Morali libr. 2. tract. p. cap. 8. n. 5. versu Contra tamen. Torres, & alii ab iisdem relati.* Quibus adde *Dianam l. c.* (& apud ipsum) *Tannerum in 2. 2. D. Tho. dis. p. qu. 7. dub. 2. nu. 4. Villalobos*, & alios. Adde præterea *Ripaldam disp. 17.*

disp. 17. *de Fide sec.* 15. *n.* 243. & alios, quos refert pro hac sententia *Leander de Sanctis. Sacram. qu.* 8. *cit. versu Sed æquè probabiliter; in fine*; præcipuè *Ovviedum De fide, Controv.* 7. *punc.* 3. *n.* 37. Ubi dicit, *utramque sententiam esse æquè probabilem, posseque quamlibet illarum tutissimè sequi*. Igitur si sic est, uti est.

85 Probatur hæc secunda sententia (quę in substantia continet, ac sustinet, propositum privilegium) primò: quia videtur Theologorum communior, ut advertunt etiam *Coninch dub.* 9. *cit. n.* 164. & *Laym. l. c. vers. Alia porrò*; ubi, *quod prima sententia sit minus probabilis*. Ergo auctoritate tot clarissimorum, ac doctissimorum Authorum, tutissima est, & tutò (cum *Ovviedo*) sequi potest. Secundò: Quia inter Christianos reperiuntur homines adeo rudes, ut Mysteria Incarnationis, ac Sacrosanctæ Trinitatis, vero conceptu non apprehendant, consequenter explicitè invincibiliter ignorent, nec credant explicitè, sicuti inter alios notavit *Sà Verbo Fides, n. p.* (& apud *Layman n.* 5. *cit. Vers. Confirmatur hæc sententia, Medina lib. p. Instruct. cap.* 14. *§.* 2.) Idemque solet evenire cum mutis, & surdis à nativitate: ab his enim Mysteria Trinitatis, & Incarnationis verò conceptu apprehendi, & credi, vix credibile est: *nisi ad miracula confugiendum sit*, concludit *Diana res.* 4. *cit.* Et *Layman versu cit.* pariter sic: *Quid dicemus de iis, qui à nativitate surdi, ac muti sunt? quos inter fideles numeramus; iisque babtizatis, si rationis compotes sint, ac desiderent, Sacramenta reliqua ministramus; ut dicam lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 4. *Et tamen Mysteria Sacrosanctæ Trinitatis, & Incarnationis Christi, ab iis vero conceptu apprehendi, ac credi, vix credibile est, nisi ad speciale miraculum confugere velimus*. Hinc *Azor. qu.* 6. *cit.* inquit, quod si quis ob ingenii hebetudinem, & obtusitatem, Trinitatis articulum nequeat percipere, satis esse, si credat explicitè alios clariores, nimirum, Christûm Filiûm Dei natum ex Virgine, passum, Cruci affixum, &c. Et *Vasq. in* 2. 2. *to.* 3. *qu.* 121. *cap.* 2. *n.* 3. sic advertit: *Circa articulos Divinitatis adeò difficilis est articulus Trinitatis, & aliquis Christianus ita rudis esse potest, ut etiam si multo tempore doceatur, vix capiat unam essentiam in tribus personis, ut notarunt Scotus, & Gabr. Tunc ergo satis est, ut ipsi admonent, nosse esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unum Deum, & non tres Deos, atque his nominibus Mysterium illud explicare. Imò etiam in Mysterio Incarnationis satis erit scire eundem Christum simul esse Deum, & hominem, nec esse duos Christos, etiam si ignoretur duas esse naturas in una persona, quando rusticus intelligere non potest quid sit natura, & quid sit persona: nisi forsan hæc nomina unius personæ, & duarum naturarum possit apprehendere. Unde unicuique fidelium pro modulo suo sufficiet hæc Mysteria cum veritate exponere*: Hæc *Vasq.* Pariter *Hosius in Confess. fidei c.* 2. à *Diana* relatus, *resol.* 4. *cit. n.* 2. *in fine*: asserit, non esse adeò necessarium ad salutem omnibus explicitè credere distinctionem personarum, cum unitate substantiæ, ut si rudiores sint, ut nequeant id comprehendere, & minimè assequuti fuerint, de eorum salutę nihilominus dubitandum non sit. Tertiò: Quia, quod cognitio, & fides explicita Mysterii Incarnationis, & Trinitatis, post factam Evangelii promulgationem sit necessaria ad salutem necessitate medii, neque ex rei natura, neque ex *S. Script.* aut Patrum traditione ostendi potest, ergo sine illa, ignorantia invincibili excusante, potest quis salvari: ergo non est necessaria ad salutem necessitate medii. Consequentiæ patent. Antecedens probatur: nam in primis non requiritur ex natura rei, quoniam Gentiles invincibili ignorantia Mysteriorum fidei Christianæ laborantes, quia ipsis Evangelium prædicatum nunquam est, possunt tamen cum divinæ gratiæ auxilio, unum Deum auctorem supernaturalium donorum credere, in eum spem suam collocare, & super omnia diligere, atque justitiam coram Deo, & consequenter ius gloriæ æternæ consequi; quamvis non sine fide implicita Christi, *Quem Deus proposuit propitiationem per fidem, Rom.* 3. *Ut sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificentur, p. Cor.* 15. Adde cum *Ripalda disp.* 17. *de fide. sect.* 15. *n.* 243. apud *Leandrum qu.* 8. *cit.* Quod sine dicta fide explicita, & cognitione expressa Trinitatis, &c. potest fieri amor Dei, & detestatio peccatorum. Potest enim Deus proponi per fidem, summè bonus, sapiens, omnipotens, misericors, & aliis attributis, quin proponatur explicitè Trinus. Similiter, potest proponi offensa Dei, prout contraria Deo summè bono, & summè benefactori, & aliis attributis perfecto, seorsim à Trinitate, &c. Et sic proposita, odio haberi super omnia. Rursus nec est necessaria dicta fides explicita, vel requiritur, ex S. Scriptura, seu ex lege Dei; quia nullum extat testimonium Sacræ paginæ, ex quo talis lex arguatur. Loca autem Scripturæ, sicuti & Patrum testimonia, quæ adduci

solent

solent (ut optimè etiam *Layman cit. Versu Contra tamen, in fine*, & alii) plus ostendere non videntur, quam necessitatem præcepti, post factam Evangelii promulgationem, omnibus communiter incumbentis, ut explicitè credant Christianæ fidei Mysteria, postquam ipsis sufficienter proposita sunt: alioquin, propter hoc ipsum infidelitatis suæ peccatum, damnationem æternam mereantur. Quartò tandem: Quia (ut arguunt etiam *Coninch n. 164. cit. Palao sub cit. n. 7.* & alii) hujusmodi necessitas, sine manifesta, & evidenti ratione induci non debet, cum grauissima sit, & qua præcluditur salutis via, tot insciis, & ignaris; nec ad eam probandam aliquæ congruentiæ sufficiunt, sed rationes validissimæ requiruntur: at nulla talis ratio adduci potest; Ergo. Hæc minor subsumpta probatur: nam ratio tota (quantum nos possumus coniicere) cur Deus voluerit, fidem in Christum esse medium absolutè necessarium ad salutem, est, quia nemo potest justificari sine meritis Christi, & gratia per eum accepta; & consequenter nisi sit membrum ejus: & Patres, (præsertim *Augustinus*) semper hanc rationem adferunt, cur fides Christi sit necessaria: atqui eodem planè modo, Antiqui, per merita, & gratiam Christi justificati sunt, & fuerunt ejus membra, sicut & nos: ergo debuissent & ipsi, ex necessitate medii, tam explicitè in eum credere, ac nos; quæ enim fides sufficit, ut tunc potuerint fieri Christi membra, etiam iam sufficit. Quod autem Antiquis ante adventum Christi, & promulgationem Euangelii, non fuerit necessaria necessitate medii, & explicitè fides, & notitia Christi, est communis omnium sententia, teste *Sanch. p. p. Operis Moral. lib. 2. cap. 2. n. 7. concl. 5.* sub hisce met verbis: *Ante adventum Christi, & ante sufficientem Evangelii promulgationem, sufficiens fuit fides Christi implicita ad gratiam, & gloriam adipiscendam. Hanc conclusionem fatentur omnes.* Et *in fine num. cum Valent.* ait: *Hanc implicitam Christi fidem in aliquo supernaturali actu debuisse contineri, quo videlicet supernaturaliter, & explicitè crederet Deum esse, & authorem donorum supernaturalium ad peccatorum remedium. Et ita sufecisse sic in universali, & implicitè Redemptorem, & liberatorem, tametsi nescirent illi explicitè, & in specie, eum futurum Deum, & hominem.*

86 Confirmatur hæc eadem ultima ratio, & quarta probatio. Ante adventum Christi, & promulgationem Evangelii non fuit necessaria (ex mox dictis) explicita notitia, & fides Christi, & Trinitatis ad salutem. At post Christi adventum, & legem Evangelii, non constat talem notitiam explicitam Christi, & Trinit. necessariam esse necessitate medii, ergo non est inducenda. Consequentia legitima est, quia (ut supra) sine evidenti ratione non debet talis necessitas, utpotè gravissima, induci. Probatur minor, tum quia omnia, quæ de necessitate fidei in Christum tradit Scriptura, & Patres, vel communia sunt justis veteris legis, & novæ, ae gratiæ; vel optimè explicari possunt de necessitate præcepti; vel de fide implicita Christi, ut explicat supra *Sanch. cum Val.* Vel de fide implicita Dei, & hominis, & explicita mediatoris, ut explicat *Palao punc. 9. cit. n. 3.* tum etiam quia, ante adventum Christi, ex meritis ipsius dabatur hominibus salus, at hoc non obstante sufficiebat fides Christi implicita, ergo etiam modò debet sufficere saltem ex necessitate medii. Adde cum eodem *Palao sub. n. 7. cit.* non convenire Doctores inter se, quænam debeat esse hæc fides explicita in Christum. Quod namque aliqui affirmant debere esse omnium Mysteriorum, quæ in Ecclesia de Christo celebrantur, nimis rigidum est, & viam salutis multis præcludit. Quod verò vult *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 2. n. 9. cum Bannes 2. 2. qu. 2. art. 8. dub. ult. Conclus. 3.* debere esse de Christi morte, & resurrectione, ità ut cognoscas filium Dei verum Deum esse, & hominem, totius humani generis redemptorem morte sua, non videtur cum sufficienti fundamento dictum; quia non videtur maior ratio, quare explicitè credenda sit necessitate medii, mors Christi, & ejus à mortuis resurrectio; quam ejus in Cœlum ascensio, & adventus in futurum judicium: cum hæc in Symbolo æquè credenda proponantur. Efficitur ergo sanè, non esse hec necessariò credenda explicitè, necessitate medii: ita *Palao n. 7. cit. in fine.* Sed

87 Dices, post Christi adventum, magis est nobis ipse explicitè revelatus, quam fuerit antiquis, ergo iam debemus magis explicitè in eum credere; sicque ruit (ut patet) nostræ confirmationis assumptum, quod videlicet communia sint justis veteris, & novæ legis, quæ tradunt Scriptura, & Patres de Fide Christi; est enim diversa ratio, ut ex se constat. Respondeo cum *Coninch Dub. cit. 9. nu. 165.* inde solum probari, fidem magis explicitam esse jam necessariam necessitate præcepti, à qua excusat invincibilis ignorantia; non autem

autem necessitate medii, à qua nulla quantumvis invincibilis ignorantia excusat; quæ medii necessitas, cum æqualiter spectet ad omnes, ex hoc argumento non probatur, solum maior necessitas præcepti. Aliàs dicendum esset (addit pro hujus responsionis confirmatione idem *Coninch n.* 166.) Iudæos quibus in lege erat magis explicitè Christus revelatus, quam aliis Gentibus, necessitate medii debuisse habere magis explicitam fidem Christi, quam Gentes; & inter hos, posteriores, magis explicitam, quam anteriores: quia his per Prophetas, & præsertim per *Davidem* in pluribus Psalmis, & per *Isaiam*, & *Jeremiam*, Christus, ejusque nativitas, & mors, erant longè magis explicitè revelata. Nam *Psal.* 21. Passio Christi tota valdè explicitè describitur: illud autem ab omnibus communiter reiicitur. Hinc consequenter dicendum est, magis explicitam revelationem, solum inducere majorem necessitatem præcepti, non autem medii.

88 Contra hanc doctrinam nihilominus, & hucusque traditam, obiici posse videtur S. Scriptura pluribus in locis, quæ inter alios ad abundantiam recenset, ac resolvit (necnon quamplures Patrum Authoritates) *Coninch dub.* 9. *cit.* ad hunc Doctorem, & ad alios ejusdem sententiæ (supra allegatos præsertim) mitto lectorem. Nos brevitatis graria, iisdem omissis, uno verbo (cum eodem *Coninch l. c. Palao punc.* 9. *cit. & alibi*, & *Laym. n.* 5. *cit. vers. Qui hanc sententiam*) eisdemmet facimus satis, respondendo: *Ex iis S. Scripturæ locis* (sunt verba *Laymanni*) *rectè ostendi, non quidem necessitatem medii absolutè, sed præcepti, iis incumbentis, quibus Evangelium annunciatum est. At si loquamur de necessitate medii, sub omni lege sufficisse Fidem in Christum implicitam, sicut docet Richardus dist.* 25. *art.* 4. *qu.* 3. *&* 4. *Si verò loquamur de necessitate præcepti; tunc locum habet distinctio, quod in Lege veteri, fideli populo communiter sufficiebat Fides confusa de Christo, seu Messia venturo: In nova autem Lege requiritur explicita, & distincta, videlicet esse hunc Dei filium, unum in natura cum Patre, & Spiritu Sancto, discretum personaliter*. Hinc, ad locum *Marci* supra nobis oppositum, *Qui non crediderit condemnabitur*; necnon ad *Symbolum S. Athanasii, Hæc est fides, &c. quam nisi quisque crediderit salvus esse non poterit*, patet solutio: respondetur enim, *Qui non crediderit*, fide saltem implicita, *condemnabitur*: quia hæc (non explicita) necessaria est necessitate medii. Sicque pariter, *salvus esse non poterit* (quis) aut salus obtineri, *absque fide tamen explicita, vel implicita* (ait etiam *Palao n.* 7. *cit. in fine*) ergo fides explicita necessaria est ad salutem simpliciter, & necessitate medii, negatur: fides saltem implicita, conceditur, cum necsaria hæc sit ad salutem necessitate medii, à qua non excusat ignorantia. Dico non excusat ignorantia: quia etsi dari hæc etiam possit, & invincibilis circa ea etiam, quæ necessaria sunt necessitate medii, quia tamen talis ignorantia tollit medium necessarium ad salutem, idcircò, dico eam non excusare: hinc optimè *Filliuc. to.* 2. *tr.* 22. *c.* 2. *qu.* 6. *n.* 45. ait: *Dari posse ignorantiam invincibilem rerum fidei, tam earum, quæ sunt necessariæ ex medio, quam, & multo magis, earum, quæ sunt necessariæ ex præcepto; cum hac differentia, quod priorum ignorantia auferat medium necessarium ad salutem: posteriorum verò non auferat, sed tantum ex præcepto, in quo admitti potest excusatio*. Et hìc obiter adverto cum communi, & certa sententia, apud *Coninch dub.* 10. *n.* 187. quod ea omnia, quæ necessitate medii credenda sunt, & scienda, ex necessitate etiam præcepti credenda, & scienda sunt, quia cum horum cognitio sit maximè necessaria ad salutem, etiam est maximè præcepta.

89 Non desinam tamen hìc etiam adnotare, cum *Tannero in* 2. 2. *disp.* 1 *qu.* 7. *dub.* 2. *n.* 49. apud *Dianam res.* 4. *cit. num.* 3. quod stando etiam in prima opinione, & tenendo fidem explicitam, nunc, post Evangelii promulgationem esse necessariam necessitate medii, si aliqui adeò sunt rudi intellectu, ut ea Mysteria sub propria aliqua notione ullo modo percipere possint, tunc dicti rudes quoad hanc rem, cum infantibus, ac fatuis, comparandi erunt. Neque enim credibile est, Deum à quoquam exigere majorem cognitionem, quam ipse per vim proprii intellectus consequi possit. Ita ille. *Unde apparet* (ait *Diana*) *quam bonus Deus iis qui recto sunt corde*. Videatur *Sanch. to. p. in Decal. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 18. & 23. ubi docet quomodo dicantur explicitè credere rudes, & obtuso ingenio, etiam si substantiam articulorum percipere nequeant. Et pro eorumdem rudium consolatione, *Sylvius* 2. 2. *qu.* 2. *art.* 8. *conclus.* 8. relatus à *Diana n.* 3. *cit. in fine*, sic asserit. *Si quis adeo sit hebes, ut hujusmodi Mysteria retinere non possit, excusabitur à præcepto, & si credat quomodo potest, ea, quæ diximus necessaria necessitate medii, salvus esse poterit*. Adde pro complemento huius privilegii, quod si quis adeo rudis esset, ac hebes, ut nullo

modo

modo percipere, diſcernereque poſſet ea, quæ neceſſaria neceſſitate medii ſcienda ſunt; & de quibus fides explicita item neceſſaria eſt ad ſalutem neceſſitate medii, affirmari poteſt, ac concedi, quod iſto ſtante ſua incapacitate, in fide Parentum ſalvabitur: ſicut etiam parvuli rationis uſum non habentes, in fide Parentum, vel Eccleſiæ baptizantur, & ſalvantur, cum capaces non ſint ulterioris diſpoſitionis: *Molfeſius in Summ. tract. 4. cap. p. n. 51. & 82. Leander de Baptiſmo tract. 2. diſp. p. qu. 11. in fine: referens Suarez, Vaſquez, & Dicaſtillum*. Cuius additi ratio eſſe poteſt, quia taliter rudis, ac hebes, cenſendus eſt non adultus in ordine ad ea, ad quæ incapax eſt, non enim ætas eſt, quæ facit hominem adultum, ſed cognitionis capacitas. Ad Auctoritatem verò Chriſti Domini: *Qui verò non crediderit condemnabitur*; dico, eſſe intelligendam de incredulitate voluntaria, poſt ſufficientem propoſitionem credendorum. Adde, quod ſtulti à Nativitate nunquam dicuntur adulti, & iſti in fide Parentum ſalvantur. Et nota quod dari poteſt incapacitas ſimpliciter, & incapacitas ſecundum quid.

PRIVILEGIUM QUINTUM.

Ignorans hodie explicitè invincibiliter Myſteria Circumciſionis Chriſti, Præſentationis in Templo, Adventus Magorum, Transfigurationis, Miſſionis Spiritus Sancti, excuſatur à gravi culpa; & hujuſmodi ignorantia, culpa gravis, & lethalis non eſt.

90 ADmittunt utique hoc privilegium ii omnes, qui affirmant, & docent, non teneri Fideles, neceſſitate præcepti fidei, dicta Myſteria explicitè ſcire, ac credere, conſequenter eadem ignorantes, non peccare mortaliter. Suntque *Coninch in 2. 2. diſp. 14. dub. 10. n. 190.* ſub hiſcemet verbis: *Quod attinet ad Circumciſionem, & Præſentationem Chriſti in Templo, & Spiritus Sancti deſcenſum in Apoſtolos, credo omnes Catholicos teneri hæc explicitè ſcire, per ſe enim indecens eſt, hæc ita in Eccleſia celebrari, & à Catholico ignorari. Quia tamen horum cognitio non eſt per ſe neceſſaria ad vitam, rectè, & prout decet Catholicum, inſtituendam, & ſine ea, primaria noſtræ fidei obiecta explicitè credi, & ſufficienter cognoſci poſſunt, puto hanc obligationem non eſſe ita ſtrictam; atque ita per ſe non eſſe peccatum mortale hæc ignorare. Nullo autem modo puto communi populo neceſſarium eſſe explicitè credere Spiritum Sanctum procedere ex Patre, & Filio, aut alia ſimilia, quæ ipſi capere non poſſunt. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 3. n. 6. Palao p. p. tract. 4. diſp. 1. punc. 10. n. 6.* (allegans *Valent. 2. 2. diſp. p. q. 2. punc. 4. §. Quartò, pag. 308.*) *Dian. tom. 6. Coord. tract. p. reſ. 5. n. p. ex p. 3. tract. 5. & Miſcell. p. reſ. 48.* ubi refert *Tanner. in 2. 2. diſp. p. qu. 7. dub. 3. nu. 6. 8. & Suar. tract. de Fide diſp. 13. ſect. 4. n. 3. Leander de Sanctiſſ. Sacram. in Decal. p. p. tr. 2. qu. 27.* (allegans *Valent. l. c. Gaſparum Hurtadum diſp. 8. difficult. p. Ouviedum punct. 4. nu. 54. & Arriagam diſp. 13. ſect. 13.*) & alii citati apud Doctores. Fundamentum autem huius privilegii eſt, quia durum eſſet (inquit etiam *Palao*, & ex ipſo *Leander*) teneri Fideles, neceſſitate præcepti fidei, dicta Myſteria explicitè ſcire, & credere, & hac obligatione aſtringi: aliàs tenerentur Parochi de iis pœnitentes inſtruere, quod non eſt uſu receptum. Neque obſtat quod opponunt *Lorca 2. 2. diſp. 23. membr. p. n. 11. & 12. & Sylvius ibi qu. 2. art. 8. concl. 8.* apud *Leand. qu. cit. in princ.* Eccleſiam videlicet dictorum myſteriorum ſolemnitates inſtituiſſe, quia cenſuit eſſe de potiſſimis, & præcipuis Articulis, quorum non ſolum ignorantiam habere noluit, ſed etiam quia voluit eſſe notiſſimos: non inquam obſtat, nam huic eidem oppoſitioni reſpondet (& optimè) *Arriaga l. c. num. 17.* apud eundem *Leandr. qu. 27. cit. in fine*, dicendo, Eccleſiam ſolum inſtituiſse dictorum Myſteriorum ſolemnitates, ut in illis Fideles audirent Sacrum, & non laborarent; ad quod non requiritur, niſi ut in communi ſciant eſſe Feſtum, vel ad ſummum eſſe Feſtum Circumciſionis, &c. ex quo conſtat, ſolemnitatem illam non inducere obligationem Fidei, & ſcientiæ erga eaſdem ſolemnitates. Concludo tamen cum *Diana reſ. 5. cit. nu. 5. in fine*. Quod *ſupradictis non obſtantibus, licet ſint probabilia, ſuadendi ſunt Fideles, ut illa omnia explicitè ſciant, &c.*

PRIVILEGIUM SEXTVM.

Ignorans hodie invincibiliter, diſtinctè, & explicitè Myſterium Communionis Sanctorum, excuſatur à culpa, & huiuſmodi ignorantia, culpa, ſaltem gravis, & lethalis, non eſt.

91 HUjus priuilegii ſubſtantia arguitur ex aperta, & clara doctrina *Vaſq. in 2. 2. to. 3. q. 121. c. 2.* ubi ſic: *num. 2. in princip. In Symbolo Apoſtolorum; & Niceno, aliqui articuli continentur, quos rudes non debent ex præcepto ſcire; nec Fideles communiter:*

ter : sed si quis audiat in Symbolo eos contineri, debet credere : nam Communionem Sanctorum, non omnes sciunt, imò etiam inter homines literatos non paucos invenias, qui ignorant, quæ sit hæc Communio Sanctorum. Ex *Sanch. in Decal. p. p. lib. 2. cap. 3. n. 7.* dum ibi sic: *Communionem Sanctorum in Symbolo Apostolorum contentam, non tenentur Fideles in nostra sententia explicitè credere ; quippe nec cognitu facilis, imò tam difficilis, ut vix docti eam assequantur, nedum imperitum vulgus*. Ex *Coninch disp. 14. dub. 10. supra cit. n. 189.* in quo affirmat : *Rudiores absolutè non teneri distinctè credere Sanctorum Communionem; quia hujus rei cognitio non videtur ità necessaria scitu ; & videtur habere majorem subtilitatem, cum etiam docti disputent in quibus rebus hæc communio consistat*. Ex *Diana res. 5. cit. n. 2.* cum *Villalobos in Summa tom. 2. tract. 1. Diffic. 4. n. 3.* & ex aliis: quorum omnium idem fundamentum est, ac eadem ratio, ut patet; quia videlicet cognitio articuli *Communionis Sanctorum*, non est scitu ita necessaria, nec adeò captu facilis, maximè à rudibus, & imperitis, cum nec pauci sint, etiam ex doctis, & literatis, qui ejusdem verum conceptum non percipiant, nec assequantur, ut constat etiam ex iis, quæ ego ipse tradidi *in meo Tractatu* De *Filiatione Spirituali* per totum, præcipuè *cap. p. dub.* 6. Favet huic eidem doctrinæ, ac sententiæ etiam *Suarez de Fide disp. 13. sec. 4. n. 10. apud Palaum punct. 10. cit. n. 5. in fine*, ubi tamen *Palaus* ipse videtur esse contrarius, dum ibi sic : *Credo probabilius omnes obligatos esse scire, & credere substantiam illius articuli Communionis Sanctorum : tum quia in Symbolo continetur, & non videtur specialis ratio eximendi hunc articulum à generali obligatione sciendi articulos fidei in Symbolo contentos, præcipuè cum convenientissimum sit, ut charitas inter fideles augeatur, scienter hanc inter se adesse spiritualium bonorum communicationem. Non tamen existimo obligatos esse Fideles ad sciendum, qua ratione hæc communicatio contingat? Sufficit, si sciant contingere : quod certè à nullo etiam rustico videtur ignoratum, siquidem omnes petunt ab aliis, ut in suis orationibus memoriam illorum faciant. Sentiunt ergo hanc communicationem adesse :* hucusque *Palao*. Et Idem docet *Ouviedo tract. de Fide controv. 7. punct. 4. n. 52. apud Leand. qu. 20. infra citata :* ait enim & ipse ; Non esse adeò captu difficilem eundem articulum, ut par non fuerit rusticis præceptum apponi, circa illius positivam fidem. Quia & si multi interrogati, quid sit *Sanctorum Communio*, respondere nesciunt, ideo est, quia vocis significationem ignorant, non rem significatam, quam credere tenentur, & ab eis credi constat, ex eo quod sæpè petant ab aliis, ut pro ipsis orent Deum ; & intercessionem Sanctorum apud Deum utilem esse agnoscant, dum à Sanctis petunt, & coram illis preces effundunt. Unde quamvis rusticus homo, qui aliquando alii homini dicit, commenda me Deo ; vel se alicui Sancto commendat, ut à Deo aliquando beneficium obtineat, rem significatam per has voces, *Communio Sanctorum*, & substantiam hujus Articuli credere deprehenditur. Sic *Ouviedo*. At quod nos hìc intendimus in nostro proposito privilegio, non est (ut ex propositione ipsa apparet) eximere fideles ab obligatione sciendi dictum *Communionis Sanctorum articulum*; imò ex opposito talem obligationem potius (in propositione ipsa) ex præcepto supponere; & inscitiam solam articuli ejusdem, invincibilis ignorantiæ causâ excusare, quam excusationem postea, à ratione nedum desumimus, verum etiam à doctrina, & assertionibus præcitatorum Authorum pariter eruimus, quia si admittunt ipsi, non teneri rudes, & imperitum vulgus, distinctè, ac explicitè scire, & credere dictum Articulum, eo magis inscitiam ejusdem invincibilem excusabunt à culpa, quod est absolutè concedere, & admittere ad literam nostrum propositum privilegium. Hinc & nos hìc ultro etiam concedimus (cum eodem *Palao*, *Leandro in Decal. p. p. tract. 2. qu. 20. & 26.* & aliis apud ipsos) teneri Fideles ex fidei præcepto, scire, & credere *Communionem Sanctorum*, eo quia hìc etiam articulus continetur in Symbolo Apostolorum expressè ; excusari tamen à culpa ignorantes expressè, distinctè eundem articulum asserimus, prout in proposito privilegio: imò ex hac assertione fit:

PRIVILEGIUM SEPTIMUM.

Ignorans quis invincibiliter explicitè, & distinctè aliquem Articulum, & Mysterium, ex contentis in Symbolo Apostolorum, excusatur à culpa, & talis ignorantia in ipso culpa non est.

92 Brevis summa, ac complexio omnium credendorum (præter Libros Canonicos, & traditiones Divinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas) est illa, quam duodecim Apostoli, Symbolo Fidei edito tradiderunt, quamque in duodecim

breves sententias, quas Articulos appellamus, juxta numerum Apostolorum, aptè distinxerunt. Quod quidem Symbolum, est veluti nota quædam, & signum, quo Christiani homines, ab impiis, & infidelibus, (qui vel nullam, vel non rectam Christi fidem profitentur) discernendi, ac internoscendi sunt. Huic autem Apostolorum Symbolo sunt addita alia duo Symbola, unum dicitur *Symbolum Nicænum* (sic vocatum, quia factum fuit in *Concilio Nicæno*) & continet explanationem articulorum fidei pleniorem, ad hereses (Manichæorum præsertim) confutandas; alterum *Athanasii Symbolum*, ad Fidei defensionem, & ejusdem majorem explicationem pariter factum. Articuli igitur Fidei, quos credere tenemur, sunt duodecim, secundum numerum duodecim Apostolorum, à quibus compositi sunt; videlicet.

Divus Petrus dixit:
Art. 1. *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cæli, & Terræ*.

D. Andreas.
Art. 2. *Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum*.

D. Joannes.
Art. 3. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*.

D. Jacobus Major.
Art. 4. *Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & sepultus*.

D. Thomas.
Art. 5. *Descendit ad Inferos; tertia die resurrexit à mortuis*.

D. Jacobus Minor.
Art. 6. *Ascendit ad Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis*.

D. Philippus.
Art. 7. *Inde venturus est judicare vivos, & mortuos*.

D. Bartholomæus.
Art. 8. *Credo in Spiritum Sanctum*.

D. Thadæus.
Art. 9 *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum Communionem*.

D. Simon.
Art. 10. *Remissionem peccatorum*.

D. Matthæus.
Art. 11. *Carnis Resurrectionem*.

D. Matthias.
Art. 12. *Vitam æternam*.

Hoc ordine Sancti Apostoli composuere *Symbolum*. Quod ego clarè elicio ex *Catechismo Pii V. par. p. de Symbolo*. Quod autem omnes Fideles teneantur ex præcepto scire explicitè, & credere omnes Articulos duodecim prædictos in *Symbolo Apostolorum* contentos, sentiunt magis communiter Doctores, quos recensent *Trullench in Decal. to. p. lib. p. cap. p. dub. 3. n. 7. & Leander qu. 20. cit.* ubi etiam pro hac eadem tuenda sententia, nedum allegat *Textus Canonicos*, verum etiam *Catechismum Pii V. præcit.* (Ubi *in initio* præcipitur, *ne adulti ad Baptismum recipiantur, quin prius sciverint Mysteria in Symbolo Apostolorum contenta.*) Ratio autem hujus communis sententiæ esse potest: quia Sancti Apostoli Symbolum hoc composuere, ut eo, omnes fideles instruantur circa fidem sub eadem formula, & sensu, uti etiam insinuare videtur idem *Catechismus cit. Pii V. p. p. c. 1. sec. 2.* sub his verbis: *Quæ igitur primum Christiani homines tenere debent, illa sunt, quæ fidei duces, doctoresque Sancti Apostoli divino Spiritu afflati, duodecim Symboli articulis distinxerunt. Nam cum mandatum à Domino accepissent, ut pro ipso legatione fungentes, in universum mundum proficiscerentur, atq; omni creaturæ Evangelium prædicarent, Christianæ fidei formulam componendam censuerunt: ut scilicet idipsum omnes sentirent, ac dicerent, neque ulla essent inter eos schismata, quos ad fidei unitatem vocassent, sed essent perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*: Ergo omnia in Symbolo Apostolico contenta (nulla exceptione admissa) debent fideles necessitate præcepti explicitè scire, & credere. Hinc etiam *Ouviedo de Fide controvers. 7. punct. 4. n. 52.* (apud eundem *Leandr. l. c. qu. 24. dub. 3.*) arguit sic: *Hoc Symbolum Apostoli composuerunt, ut omnes Fideles instruerent circa fidem; ergo par fuit, ut in eo continerentur omnia, quæ debebant credere Fide divina, ut eo sufficienter essent in Fide instructi, & ne cum necessario credendis, alia non necessariò credenda permiscerentur, ne Fideles confunderentur, & discere non possent, quæ illis credere necesse erat, & quorum actum Fidei positivum possent inculpabiliter omittere; alioqui, sive per defectum necessariò credendorum,*

rum, sive per excessum Articulorum, quia supra necessariò credendos, aliis, quos positivè credere necessarium non erat, adiuncti fuissent, Fideles sufficienter instructi non essent circa obligationem credendi, & de quolibet Articulo possent dubitare, an illum ex praecepto credere tenerentur, si vel unus non necessariò credendus fuisset admixtus cum aliis non necessariò credendis. Hucusque *Oviedo*. Ex quo, uti ex supradictis, clarè habetur (& est sententia D. D. magis communis) teneri Fideles necessitate praecepti explicitè credere, & consequenter scire, omnia, quae in Symbolo Apostolorum continentur. Non desunt tamen qui contrarium sentiant, ut sunt hi, qui in *Privilegio praeced.* excipiunt *Communionis Sanctorum Articulum;* & alii, qui alios Articulos excipiunt, quos in Privilegiis sequentibus afferemus. Admissa nihilominus hic (quod libentissimè facimus) prima, & magis communi sententia.

93 Probatur clarissimè propositum Privilegium: quia concessa etiam tali necessitate praecepti, executionis ipsius obligatio suspenditur in eo, qui habet invincibilem ignorantiam ejusdem, ob quam etiam excusatur à culpa, & talis ignorantia in ipso culpa non est, ut toties dictum est, ergo. Confirmatur primò ex doctrina *Azorii tomo* 1. *Instit. Moral. lib.* 8. *cap.* 6. *qu.* 7. ibi enim quaerens; An possit in quempiam piorum, & fidelium hominum cadere ignorantia justa, & probabilis (quam invincibilem vocant) omnium Articulorum fidei. Respondet: *Difficile esse creditu posse id evenire. Nam cùm Fideles, & Pii homines inter Christianos nutriantur, instituanturque, saepiùs audire solent Articulos fidei Christianae, cùm eos de more proponat Ecclesia. Fieri tamen potest, ut quis in puerili aetate ad aliquod tempus ignoret probabiliter absque peccato Articulos fidei, eo quod malè sit educatus à puero, absque ulla prorsus cura, & studio sciendi res fidei: Quod parentes non habuerit, vel certè, quod negligentes, aut ignaros fuerit sortitus, vel quod in agris, & sylvis tanquam inter pecora, & armenta fuerit educatus; vel denique, quod apud Gentes à fide, & Religione Christi alienas, ac veri Dei ignoratione caecas fuerit commoratus. Fieri item potest iisdem de causis, ut qui etiam adultae, & provectioris aetatis, multas res fidei ignoret absque peccato, ac proinde in culpa non sit. Nam praecepti, & legis ignoratio probabilis, & justa, excusat à peccato. In hominem itaque Christianum à parentibus fidelibus, ac piis progenitum, & inter Christianos nutritum, & institutum, ignorantia probabilis omnium Articulorum, vix cadere potest. Aliquorum tamen, quos non ita publicè, & solemni ritu celebrat, & decantat, ac docet, & tradit Ecclesia, potest.* Ecce igitur quod admittit *Azorius*, & approbat privilegium nostrum. Quod praeterea, Confirmatur secundò, ex *Trullench l. c. n.* 11. ubi ait: *Attenta fragilitate humana, & se inclinare in sententiam hanc, nimirum, satisfacere praecepto fidei quemlibet ordinarium fidelem, si explicitè credat* (consequenter sciat) *fidei articulos, quos Ecclesia solemnizat.* Concedens & ipse *n.* 18. *Non teneri fideles communiter, & per se loquendo, explicitè scire, & credere Mysterium Circuncisionis; Adventum Magorum; Missionem Spiritus Sancti, nec Sanctorum Communionem.* Si ergo non tenentur fideles (per tot Authores) explicitè scire dictum Symboli Articulum *Communionis Sanctorum*, multo magis excusabuntur à culpa ignorantes invincibiliter eundem: & hoc est utique admittere propositum privilegium ut patet.

PRIVILEGIUM OCTAVUM.

Ignorans quis invincibiliter Verbalem formam Symboli Apostolici, excusatur à culpa, etiam veniali; & talis ignorantia in ipso culpa non est.

94 Admittunt quidem D. D. communiter (ut videre est apud ipsos) hoc privilegium, quoad excusationem à culpa lethali; at non etiam à veniali: dicentes, Adultos, Symboli Apostolici formam, sub verbis praeceptis, & eo ordine, quo proponit Ecclesia, lingua latina, aut alia, memoriter non scientes, nec tenentes, peccare saltem venialiter: *Navarr. in Man. cap.* 11. *n.* 22. *Azor. to. p. Institut. Moral. lib.* 8. *cap.* 7. *qu.* 4. *&* 5. & *vers. Praeterea planè. Paludan. in* 4. *dist.* 15. *qu.* 5. *art.* 1. ubi ait: Esse quidem praeceptum, Symbolum Apostolicum addiscendi, *sed cujus transgressio sit tantum venialis culpa, non lethalis. Sanch. in Decal. to. p. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 16. *&* 19. plures alios allegans. *Coninch de Moralit. disp.* 14. *dub.* 10. *n.* 194. *Laymann. lib.* 2. *tract. p. cap.* 9. *n.* 4. *Trull. in Decal. lib. p. cap. p. dub.* 3. *n.* 20. & alii ab his citati: docentes praeceptum memoriter ediscendi Symbolum Apostolorum, esse Ecclesiasticum, longa consuetudine firmatum, & esse obligatorium, sed sub veniali tantum: satis enim est (inquiunt) scire Symbolum quoad substantiam,

& ita, quod interrogatus sciat respondere, hoc esse, & illud de fide, & si verba Symboli, memoriter, & proprio cum ordine non retineat. Advertit tamen *Sanch. l. c. cum Ledesma*, & cum eisdem *Trull. n. c.* Ignaris latinæ linguæ non satis esse scire Symbolum Latina lingua, neque satisfacere præcepto sciendi, & credendi explicitè, nisi interrogati sciant respondere: nam aliter idem est, ac omninò nescire. Imò nec sufficit (ut idem *Sanch.* addit *n.* 16. cum eodem *Ledesma*) memoriter scire, & non intelligere instar Psittaci, sed oportet proprium verborum sensum, utcumque, & crasso modo intelligere: (in ea scilicet lingua, qua quisque intelligit) quia scire memoriter, etiam vulgari lingua, non intelligendo, non est scire. *Idcircò* (concludit *Trull. in fine n.* 20. *cit.*) *& si necessarium non sit Symbolum, quo ad verba memoriter tenere, nihilominus tamen, valde indignum est, & à communi piorum Catholicorum sensu alienum, talia verba non tenere: proindeque laudabiliter tanta solicitudine, tantoque studio parentes curant ea ipsa verba à suis liberis abinfantia mandari memoriæ, & eos de rebus, per eadem verba significatis, erudiri:* ità dictus Author; sustinens (ut supra) præceptum hoc de memoriter retinendo Symboli verba, sub veniali saltem obligare. Verum,

95 Non desunt qui à culpa etiam veniali excusant hujusmodi ignorantes, laborantes maximè ignorantia justa, probabili, & invincibili, ut loquitur privilegium nostrum: ità præcipuè *Suar. tract. de Fide, disp.* 13. *sec.* 5. *n.* 8. ubi sic asserit: *Certum est, non esse obligationem gravem retinendi memoriæ verba Symboli, vel præceptorum, ita ut sit peccatum mortale hoc omittere. Et ratio esse potest, quia vel de præcepto non satis constat, quia nec ab aliquo Pontifice; nec in aliquo Concilio generali latum invenitur, vel quia alii Canones, qui de hoc loquuntur, de substantia Mysteriorum sufficienter intelliguntur: vel certè, quia materia illa levis est, si præcisè in verbis, vel in eorum ordine sistatur. Probabile autem est, si ex pura negligentia hoc omittatur, non carere aliqua culpa, saltem veniali, quia præter Canones, qui hoc insinuant juxta communem usum Ecclesiæ, talis negligentia censetur aliquo modo culpabilis, & in aliis aliquando scandalum generat. Si verò quis meliorem diligentiam adhibeat, & nihilominus ob naturalem defectum, vel incapacitatem, verba retinere non possit, facile poterit ab omni culpa excusari.* Ità ille apud *Dianam*, quem ipse approbat, *Tom.* 6. *Coord. tract. p. res.* 6. *n.* 2. *Ex p.* 2. *tract.* 16. *& Misc.* 2. *res.* 12. *aliàs* 14. *Medina de Oratione qu.* 10. apud *Azor. Versu cit.* nullam vult esse præcepti obligationem, addiscendi, & memoriæ mandandi Symbolum. At nos hic supponimus aliqualem utique obligationem adesse; eo enim ipsoquod ignorantia laborantes, incapaces, & impotentes, cum *Suar.* excusamus, infertur eos alioqui esse obligatos, nemo enim, si propriè loquendum sit, dicitur excusari in aliquo, si ad illud alioqui non obligetur, & ita est in casu nostro ex dictis.

PRIVILEGIUM NONUM.

Ignorans invincibiliter aliquos Fidei Articulos, quos Ecclesia solemnizat, excusatur à culpa, & talis ignorantia culpa non est.

96 IN hac re adeò gravi (inquit *Trullench lib. p. in Decal. cap. p. dub.* 3. *n.* 11. *in fine*) tanta est (proh dolor) fidelium negligentia, ut non pauci inveniantur, qui nec modo, dicta Mysteria (idest, quæ solemni ritu celebrat Ecclesia) explicitè credant, & intelligant, vel sciant. Ad quod tamen absolutè teneri ex præcepto, & obligari, docent *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 2. *art.* 7. *in resp.* ubi sic: *Post tempus gratiæ revelatæ, tam majores, quam minores tenentur habere fidem explicitam* (consequenter cognitionem, & scientiam) *de Mysteriis Christi, præcipuè quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, & publicè propununtur. Azorius to. p. lib.* 8. *cap.* 6. *qu.* 2. *cum communi* (ibi) *Theologorum Schola. Eymericus in Directorio Inquisitorum p. p. qu.* 4. *n.* 4. *pag. mihi* 47. *col. p.* ubi: *Sufficit enim Laicis simplicibus habere notitiam Articulorum, de quibus Ecclesia festivat. Armilla Verbo Credere n.* 2. *Sanchez in Decal. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 6. *Sayrus in Clavi Regia lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 15. *Trullench n.* 11. *cit.* & alii apud istos allegati, unanimiter convenientes, Fideles omnes ex Fidei præcepto teneri scire Fidei Mysteria, quæ communiter celebrantur in Ecclesia: adeò ut *Sayrus* ipse videatur *n. cit. in princ.* ità rigorosè loqui, quod nec admittere in hoc velit privilegium propositum, dum ibi sic: *Et ideò circà hæc Mysteria nullus Fidelium habere potest ignorantiam invincibilem*: Quo tamen nonobstante.

97 Probatur nostrum propositum privilegium, tum ex eodemmet *Sayro n. cit. in fine*: dum limitans ibi, quod *in princip. numeri* asseruit, sic ait: *Hoc autem intelligendum est de illis, qui vivunt inter fideles, ubi*

talia

talia Mysteria celebrantur, & prædicantur. Nam si quis battizatus in infantia, captivetur apud infideles, veniens ad usum rationis, invincibiliter ignorare potest talia Mysteria, quia non habet à quo doceri possit. Immò etiam aliqui rustici, & valde rudes inter Christianos, aliqua Mysteria invincibiliter ignorare possunt, quia scilicet, ab iis, quorum curæ mandati sunt: sive Parochis, sive Parentibus, & Patrinis, instructi non sunt, nec admoniti; nec ipsi alios adire possunt, à quibus instruantur, id quod raro tamen accidere potest. Tum ex dictis *in Privileg. V.* ex quibus constat, Ignorantiæ Privilegium extendi etiam ad ea Mysteria, quæ communiter solemnizantur in Ecclesia. Immò adde, non approbari universaliter à D. D. quod præcitati Authores, & alii cum ipsis docent, teneri videlicet Fideles ex Fidei præcepto, scire explicitè, ac credere, ea Mysteria, de quibus Ecclesia festivat. Hinc *Palao to. p. tract. 4. disp. p. punc. 10. n. 3. in fine:* ita loquitur: *Quod verò aliqui dicunt, pro regula illorum, quæ credenda sunt explicitè, habendam esse solemnitatem, & Ecclesiæ celebrationem; ita ut illa Mysteria, quæ in Ecclesia solemni ritu celebrantur, debeant sciri, & credi explicitè ex præcepto, mihi non probatur:* sicut nec probatur *Sanch. in Decal. p. p. lib. 2. cap. 3. à n. 4. Valent. 2. 2. disp. p. qu. 2. punc. 4. circa finem. Conincb disp. 14. dub. 10. conclus. 2. n. 188. Suar. de Fide disp. 13. sec. 4. Aliàs teneretur quis scire Circumcisionem, Præsentationem in Templo, Transfigurationem, Purificationem B. Virginis, Adventum Spiritus Sancti super Discipulos, quorum non videtur necessaria expressa notitia.* Sic Palao.

98 Qui *n. 1.* cum *Sanch. c. 3. cit. n. p.* & aliis, advertit, & optimè, eodem præcepto quo tenemur Mysteria fidei, & revelata credere, eodem etiam, & eadem obligatione teneri scire, quæ revelata sunt: quia huic eidem præcepto, & obligationi satisfacere nulla ratione possumus absque cognitione illorum, quibus assentiri debemus. Unde ex hoc, eadem esse videtur obligationis ratio in credendo, ac in sciendo Articulos, & Mysteria fidei *(quia actus ipse credendi, cognitio quædam est,* ait *Filliuc. to. 2. tract. 22. cap. 2. n. 41.* hujusmodi approbans doctrinam.) Quam tamen limitat *Sanch. l. c. n. 18.* & ex ipso idem *Filliuc. n. cit.* sub hac videlicet distinctione: Eadem est ratio obligationis in credendo explicitè, & in explicitè sciendo articulos, & Mysteria fidei: Si sermo sit (inquiunt, & bene) de scientia quadam confusa: quia actus credendi, cognitio quædam est, sicque eodem modo quo fides aliquorum articulorum dicitur necessaria explicitè; debet etiam dici eorundem scientia explicitè necessaria. At si sermo sit de sciencia distincta, & quodammodo explicita, videtur esse aliqua differentia. Nam aliquorum articulorum fides explicita adeò necessaria est, ut si quis ea careat, salvari non possit. At scientia eorundem explicita, & distincta, ità ut eorum sciat rationem reddere, non est ita necessaria; sed si quis ea caret ob impotentiam, & ruditatem ingenii, etiamsi alioqui sit obligatus ex præcepto, tamen quia legitimè excusatur ob impotentiam, poterit absque tali explicita, & distincta scientia salvari. Vide *Sanch. n. 18. cit.* Vide etiam *Leandrum in Decal. p. 1. tract. 2. qu. 19.* ubi duo dicit; Unum; Multa esse Fidei Mysteria, quæ solemni ritu ab Ecclesia celebrantur; qualia sunt, Circumcisio Domini, ejusdem Epiphania, & adoratio à Magis, ad quæ positivè credenda (consequenter scienda) non tenentur omnes Fideles ex præcepto. Alterum; Non sufficere ad satisfaciendum Fidei præcepto, credere (consequenter scire) ea solum Mysteria, quæ ab Ecclesia celebrantur, quod constat, eo quia, omnes Fideles tenentur credere Resurrectionem mortuorum, Judicium extremum, & Communionem Sanctorum, quæ in Symbololo continentur, & tamen hæc non celebrantur ab Ecclesia. Sic *Leander* cum aliis. Sed hic.

99 Quæres primò. Quandonam præceptum sciendi res fidei incipiat nos obligare? Respondeo, statim atque aliquis pervenerit ad usum rationis, & rationis compos est, sive Christianus, sive à Christi Religione alienus incipit hac lege, & præcepto teneri, quoniam est juris Divini preceptum, & ad salutem æternam necessarium. Nam teste *Paulo: Sine Fide impossibile est placere Deo:* ergo quisque, cum primum usum rationis consequitur, incipit lege divina obligari, ut res fidei scire debeat, cum oportet eum, in hoc, studium, & curam suam collocare, ut assequi possit vitam æternam. Ita tenent. *Navarr. in Man. cap. 11. n. 22. Vers. Quintò peccat mortaliter. Azor: to. p. lib. 8. cap. 7. qu. 2. Sanch. cap. 3. cit. num. 12.* cum aliis apud ipsum (affirmantes præceptum hoc obligare à pubertatis tempore, ut pueros, cum decimumquartum annum nacti sunt; fœminas verò, cum duodecimum.) *Filliuc. l. c. n. 52.* addens tamen *n. 53. (dummodo fuerint sufficienter instructi) tunc enim (*inquit*) ex divino præcepto obligantur etiam ad reliqua mandata, ut*

data, ut recipiendi Baptismum, Confitendi, & diligendi Deum super omnia (Dummodo fuerint sufficienter instructi.) Quia ante instructionem, est quædam obligatio remota, quatenus hoc ipso quod pervenerunt ad usum rationis, sunt capaces præcepti, & supposita cognitione illius, tenentur ad observationem: proxima verò tunc est, quando præcessit sufficiens instructio; tunc enim excusationem non habent suæ infidelitatis. Ità *Filliuc.* Vide *Palaum l. c. punct. 11. n. p. Trullench dub. 3. cit. n. 13.* & alios. Et nota cum eodem *Palao*, non esse absolutè, & simpliciter retinendam sententiam eorum, qui apud *Sanch. n. cit. 12.* affirmant, neminem obligari credere, & scire Mysteria fidei, nisi pervenerint ad annos, & ætatem pubertatis, ut suprà: sed affirmandum simpliciter, obligari quemquam ad id, cum primum assecutus fuerit usum rationis, quia in aliquibus acceleratur rationis usus, ad quem utique cum quisque pervenerit, tenetur fidei Mysteria credere, consequenter eadem tenetur addiscere, quia absque scientia eorundem, credi non possunt.

100 Quæres 2. Quomodo se habere debeat Confessarius cum ignorante Mysteria Fidei. Respondeo cum *Conincb disp. 14. dub. 11. à n. 231. Azor. l. c. cap. 8. qu. 5. Sanch. cap. 3. cit. n. 21. Palao punct. 11. cit. n. 7. Trullench l. c. dub. 4. num. 6.* & aliis. Quoties sufficienti fundamento, & probabiliter præsumit pœnitentem hac ignorantia laborare, debet illum interrogare (aliàs non tenetur) Quia Confessarius tenetur interrogare peccata quæ verisimile est pœnitentem commisisse juxta suum statum. Et hujusmodi interrogatio fieri præcipuè debet, ut agnoscat, an ignorantia pœnitentis fuerit invincibilis, & inculpabilis, an verò culpabilis, & necessariò confitenda: circa quod advertit, & bene, *Azor. n. cit. in fine*: & cum ipso *Sanch. n. cit. in princip.* non esse necesse interrogare personas nobiles, aut bene à pueritia educatas, aut quę studio literario vacant, aut frequenter ad Confessiones accedunt. An verò obligatio sit in Confessario instruendi pœnitentem de his Mysteriis (ne eum ignarum relinquat) antequam absolvat? *Bannes 2. 2. qu. p. art. 8. dub. 2. Petr. de Ledesma tom. 2. Summ. tract. p. cap. 3. post. 7. conclus.* & alii apud *Palaum n. 7. cit. propè finem*: docent non esse absolvendum, sed instruendum à Confessario, vel remittendum, ut plus discat. *Palaus* tamen probabilius existimat posse Confessarium absolvere pœnitentem à peccatis, quin de Mysteriis prædictis instruat, modo pœnitens habeat firmum propositum ea addiscendi. Et ratio est (inquit ipse) quia nullibi constat, præceptum esse addiscendi ea Mysteria ante absolutionem: neque credendum est obligationem esse ità strictam, ut non possit aliquo tempore differri. Quod efficacius procedit, cum pœnitens ignorantia invincibili tunc laboravit: quando autem ignorantia culpabilis fuit, majori circumspectione opus est, & examinandum diligenter propositum addiscendi, an firmum sit, quod si tale esse constiterit, absolvi poterit: sic *Palaus*, cum *Azor. l. c. Sanch. nu. cit. 21. & nu. 23. Conincb. dub. 11. cit. circa finem*: ubi ait: *Optimum quidem consilium esse, sine dubio, quando Confessario integrum est, instructioni vacare: Sed quia sepè aliorum Confessionibus impedito, non est ità integrum, uni tantum temporis impendere, communiter sufficit eos graviter monere, ut dicta, ab aliis discant, & id promittentes, absolvi possunt: nisi ignorent scitu necessaria necessitate medii ad justificationem: tunc enim in his ante absolutionem rudi modo instruendi sunt, ità ut saltem prout à Confessario proponuntur, ea credant, & si minus exactè ea concipiant*: ità *Conincb*: quod confirmat *Palao l. c.* sub his verbis: *Et quidem debere Pœnitentes instrui ante Confessionem Mysteriis necessariò necessitate medii cognoscendis, nemini est dubium: nam sine illorum cognitione, prima salus haberi non potest: horum tamen rarus, vel nullus est ignorans.* (Et instructionem sufficientem præmittendam etiam esse ante Baptismi susceptionem, quando adultis dandus est, tradunt *Valent. tom. 4. qu. 3. Punct. 3. ad finem: Versu, Ut autem sine peccato: Sanch. l. c. n. 24. Pal. n. cit. in fine*: & aliis ab his allegati: Quia cum in fide tyrones sint, ac in infidelitate educati, ignorant prorsus fidei rudimenta, ac Religionis Christianæ præcepta. Unde nisi sufficienter de his instructi baptizentur periculum subest, ut postea conscii fidei, & morum, ad quos Baptismus obligat, retrocedant, aut se deceptos allegent. Atq; jus ipsum naturæ hoc dictat. Nemo enim prudenter fidem admittit, quam ignorat. Quamobrem hos de fide, ac Christianis moribus instruendos esse, ex multis Conciliis, ac Scripturæ testimoniis probant *Sot. in 4. d. 6. qu. 2. art. p. ad finem, Suar. tom. 3. in 3. p. quest. 71. art. 2. in principio comment. Valent. ubi supra*, & alii apud *Sanch. n. 24. cit.* concludens ibi: *esse culpam mortalem, ante hanc sufficientem instructionem quempiam baptizare, nisi mortis periculum urgeret.*) Vide *Jo: Sancium in Selectis disp. 9. num. 18.* ubi præcipuè cum *Sanchez*

n. 21.

n. 21. *cit.* (ait) *Non teneri Confessarium denegare absolutionem ignoranti Doctrinam Christianam*, (excipe principaliora mysteria, &c.) *& si sæpè admonitus non didicisset; dummodo pœniteat preteritæ negligentiæ, & emendationem proponat. Nec de hoc peccato aliud censendum esse, quàm de aliis, in ordine ad negandum absolutionem ob relapsum. Quia cujuscumque præcepti violati emendationem proponere, & dolorem habere, sufficiens dispositio est ad absolutionem, quando pœnitens aliud efficere non potest tempore confessionis, quam dolere*

PRIVILEGIUM DECIMUM.

Invincibiliter ignorans quis præceptum quo sub Mortali obligatur in primo instanti usus rationis, se convertere in Deum, & sua in ipsum, tanquam in ultimum finem ordinare, ob idque omittens eum actum facere, excusatur à culpa, & talis omissio, ac ignorantia, in ipso culpa non est.

101 QUod puer statim ac ad usum rationis pervenerit obligatus sit sub mortali omnia sua in Deum tanquam in authorem naturæ referre, est sententia, quæ originem ducit ex *D. Tho. p.* 2. *qu.* 89. *art.* 6. & alibi, ut videre est apud D. D. Quam sententiam sequuntur *Navarr. in Manual. cap.* 11. *n.* 8. *Sotus de Justit. lib.* 2. *qu.* 3. *art.* 10. *column.* 6. *versu*, *Responsio horum argumentorum*, & alii apud *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 6. *Valent. p.* 2. *disp.* 6. *qu.* 19. *punct.* 3. *Palaum Tom. p. tract.* 4. *disp. p. punct.* 12. *n.* 5. *Dianam p.* 5. *tract.* 14. *& Miscell.* 2. *res.* 105. *Leandrum in Decalog. par. p. tract.* 3. *disp.* 2. *qu.* 14. & apud alios. Hujus autem sententiæ, eam esse rationem præcipuam, inquiunt sectatores ejusdem, quia nisi daretur ejusmodi præceptum obligans pueros sub mortali ab ipso primo rationis lumine, inveniri posset peccatum veniale cum solo originali, ut si puer quis nondum Baptizatus, perveniendo ad usum rationis committeret mendacium officiosum, aut verbum otiosum. At hoc dici non valet: quia si puer in hoc statu decederet, nullus esset locus, quo posset propter veniale puniri. Nom enim punitur in Inferno, quippe illuc soli decedentes cum mortali actuali abeunt. Non in Purgatorio, quo soli amici Dei purgandi sunt. Nec in Limbo puerorum, quia cum ibi nulla pœna sensus sit, non punitur ibi veniale. Confirmatur, quia in primo instanti usus rationis tenetur homo deliberare de seipso, ac proinde tenetur se ad Deum convertere, & omnia sua in eum, tanquam in ultimum finem, dirigere, & ordinare; quia consentaneum est creaturæ rationali, ut creatorem recognoscat, & amet: ad id enim speciali Dei auxilio adjvuatur, ad idque exercendum ex præcepto obligante consequenter tenetur, adeò ut *Cajet. p.* 2. *qu.* 89. *art.* 6. affirmet, precisè omnes teneri omissionis peccatum fateri in dubio, an omiserint eum actum facere, nec ne.

102 Hac igitur supposita doctrina, ac sententia, ex præcepto sub mortali ad dictum actum obligante: Dicimus in hoc nostro Privilegio, Omittentem ex invincibili ignorantia eundemmet actum facere, excusari à culpa lethali, atque hujusmodi ignorantiam in ipso esse inculpabilem. Et probatur, quia hujusmodi præceptum (ut optimè etiam *Leander disput. cit. quef.* 15.) obligat sicut cætera præcepta affirmativa, saclusa videlicet ejusdem præcepti ignorantia, aut inadvertentia: Universi autem pueri (ut idem etiam Author ait *qu* 14.) invincibili ignorantia hujusce præcepti laborant: Ergo à culpa (illud idem ob eandem ignorantiam universaliter non adimplentes) excusantur; & à peccato ob id immunes censentur.

103 Hic tamen adverto, quod & si probabile sit, dictum præceptum obligare statim ac quis (vel paulo post) ad usum rationis pervenerit: quando quis jam advertit, & secum reputat rationes, quas habet amandi Deum, & de ipso cogitat, de ejus bonitate, & excellentia, ac beneficiis, &c. ut docent supracitati, ex *D. Tho.* & cum ipso: Alii nihilominus è contra negant prædictum præceptum per se obligare puerum, statim, ac usum perfectæ rationis est assecutus. Quia existimant, minimè dari præceptum convertendi se ad Deum pro illo tempore: & consequenter, nec præceptum diligendi Deum tunc obligare. Ratio eorum est, quia nec rationi, nec suavitati legis divinæ videtur consonum, ut præceptum tam arctum, obliger sub mortali culpa in tam tenera ætate; ad statim adimplendum: eo vel maximè, quod universi pueri invincibili ignorantia ipsius præcepti laborent. Secundò, quia nullus profectò est, qui cognoscat primum instans suæ rationis: Ergo nullus ligari hoc præcepto pro illo tempore potest. Et hujus sententię sunt *Valent. p.* 2. *disp.* 6. *q.* 19. *punct.* 3. *Vasq. p.* 2. *qu.* 89. *art.* 6. *disp.* 149. *toto cap.* 2. (in quo multis rationibus probat, nullum adesse præceptum ita obligans

obligans sub mortali homines pervenientes ad usum rationis se convertendi ad Deum.) *Azor. to. p. Institut. Moral. libro 4. cap. 10. qu. 6. & libr. 9. cap. 4. qu. p. Suar. de Pœnit. disp. 11. sec. 2. n. 14. & 15. Sanch. in Sum. lib. 2. cap. 35. n. 7. Diana p. 5. tract. 14. & Miscell. 2. respons. 105. vers. Notandum est. Leander. q. 14. cit.* & alii plures: Qui (præcipuè *Valent.* & *Sanch. l. l. c. c.*) ad præcipuum fundamentum prioris sententiæ respondent, non futurum ut qui solum veniale peccatum cum originali habet, moriatur: sicut solet dici, nunquam futurum ut qui prædestinatus est, moriatur eo tempore, quo est in peccato mortali: Deus etenim, quæ futura erant prævidens, destinavit loca hominibus puniendis determinata; nec ullum pro adultis cum Originali, aut cum eo, & veniali decedentibus, constituit: sicut etiam constituit prædestinatum non moriturum in mortali, quia tunc moriens damnaretur, quod repugnat prædestinationi, ex hypothesi legis divinæ de certitudine prædestinationis. Et sicut hunc dicimus non posse in mortali decedere impossibilitate consequenti ex suppositione scientiæ Dei, quæ libertatem non aufert; sic nec adultus potest mori cum originali absque alio peccato mortali, supposita Dei ordinatione, qua morituris loca destinavit, inter quæ non est huic locus. Hæc autem est impossibilitas consequens scientiam Dei, quæ libertatem minimè tollit. Ita etiam *Stephan. Fagundez To. pr. in Decal. in p. Præcept. lib. p. cap. 27. n. 9.*

104 Verum, cum adhuc de medio sublato hoc fundamento, alia supersint, quæ admodum affirmativam sententiam stabiliant, ut videre est apud Doctores; & negatiua similiter, viribus rationum, & authoritatum, minime destituatur, utraque probabilissima est, ut etiam tenent *Vega lib. 9. in Trident. c. 42. ad finem:* (relatus à *Sanch. d. n. 7.*) *& Didacus de Narbona De Ætate ad Omnes Humanos Actus requisita, Anno 7. quæst. 11. n. 11.* licet *Diana resolut. 105. cit. initio:* probabilem asserat affirmativam sententiam: probabiliorem verò negativam (quam ipse tenet *Versu, Notandum est tamen; in fine.*) E contra verò *Toletus in Summa lib. 4. cap. 9. n. 4. in fine: pag. mihi 318. column. 2.* sentiat oppositum, dicendo, *in praxi securius* affirmativam: *In qua tamen si velis stare* (eamque sequi, ait Diana *Versu cit. in principio*) *non est intelligenda ita strictè, quasi peccemus statim mortaliter habita sufficienti Dei cognitione* (si nostra in ipsum tanquam in ultimum finem, ut supra non ordinemus) *si non eliciamus actum dilectionis; hoc enim satis grave esset; sed quod seclusa omni ignorantia, & inadvertentia, sine gravi peccato nequeamus talem actum valde diu differre. Neque* (subjungit idem *Diana*) *torquere se quis debet, ut observat Hurtadus in 2. 2. disp. 174. sec. 5. §. 24. utrum huic præcepto satisfecerit, quia quamdiu positivo, & probabili argumento non meminit, se hoc præceptum omisisse, culpatè sibi persuadeat se contra illum non peccasse; vel quia Deum dilexit* (& sua in ipsum tanquam in ultimum finem, ut supra, ordinavit) *vel quia illud inculpatè prætermisit. Adde, quod si certo sciat huic præcepto non satisfecisse, potest sequi opinionem negativam, quam ego teneo, nempe non adesse pro illo tempore tale præceptum: ut præter D. D. citatos, tenet Vasq. in p. 2. disp. 149. cap. 2. & Turrianus in 2. 2. disp. 97. dub. 4.* Hactenus *Diana*.

105 Nec hic desinam adnotare, quod etsi dictum præceptum, se videlicet convertendi in Deum, eumque diligendi, & ad eum tanquam ad ultimum finem sua omnia dirigendi, ac ordinandi, obligaret puerum statim ac assequitur usum rationis, sive babtizatus sit, sive non, ly *statim*, non debet sumi cum primum in eo incipt usus rationis: aut in primo instanti physicè sumpto, quo puer incipit cogitare, de ejus bonitate, &c. Sed *statim* obligare, idest, in instanti, quo incipit puer habere usum rationis, sumpto instanti moraliter; pro initio morali perfecti discursus: quando scilicet aliquis cum pleno rationis usu, cogitat de Deo, de ejus bonitate, excellentia, & ejus beneficiis, ex quorum cognitione clarè videat necessariam sibi per amorem conjunctionem cum ipso, seque teneri ad eum convertere, ac omnia sua in eum tanquam in ultimum finem referre, & dirigere, & ut suum Creatorem recognoscere, & amare, taliter teneri de seipso deliberare, &c. Vide *Leandrum qu. 14. citat. Versu, Respondeo clarius;* & alios.



CAPUT QUARTUM
DE PRIVILEGIIS
IGNORANTIÆ
CIRCA LEGEM ECCLESIASTICAM.

106 
EST utique in Ecclesia Dei legitima potestas condendi leges in conscientia obligantes, etiam si hæ non præcipiant id, quod est juris Divini, ita ut possint coerceri contumaces, atque inobedientes; idque clarissimè patet: primò, ex Scriptura, in qua Christus Dominus reliquit potestatem regendi Ecclesiam, ligandi, & solvendi: Unde *Matth.* 16. dixit Petro: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum:* Quod idem omnibus Apostolis postmodum concessit, *Matth.* 18. *Amen dico vobis quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo.* Et *Jo:* 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, idest, cum simili potestate, & auctoritate, ut exponunt Patres, præcipuè *Sanctus Chrysostomus*. Et *Matth.* 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate, & facite:* Quibus verbis mandat Dominus, ut obtemperemus humanis Prælatis: & quidem obedientiam decernit etiam malis Prælatis: hinc lege Divina, & consequenter sub mortali obligamur legibus humanis Ecclesiasticis, Ecclesiasticisque præceptis obtemperare. Secundò, idem patet ratione: Quia si non teneremur obedire Ecclesiæ Prælatis, nisi quando proponunt id, quod est Juris Divini, revera non plus auctoritatis haberent Prælati, quam fideles privati, nam etiam privatis obedire tenemur quando proponunt Jus Divinum, Prælatis verò, etiam in iis, quæ præcisè non sunt Juris Divini: ut constat ex *Lucæ cap.* 10. ubi: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*: non enim dicit, qui vos spernit, quando mea præcepta proponitis: de hoc namque poterat nemo dubitare. Hinc usque ab Ecclesiæ initio fuit mos condendi Leges humanas à Divinis distinctas, ut patet *Actor.* 15. Apostoli namque in Concilium definientes, *Visum est (* inquiunt *) Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Si ergo licuit Apostolis usum quorundam ciborum, ut sanguinis, suffocati, interdicere, quos alioqui Deus non prohibebat, immo jam sunt liciti; idque ob bonum finem tunc erat ordinatum, videlicet ut Ecclesia coalesceret ex Gentibus (hisce quippe cibis jubebantur Gentes abstinere, cum Judæi vehementer eos abhorrerent) Cur non liceat legitimis Apostolorum successoribus, vi ejusdem potestatis à Christo Domino, ut supra, receptæ, certas quasdam, Ecclesiæque utiles præscribere leges (in conscientia, & sub mortali obligantes) ut communionem in Paschate, Confessionem annuam, Jejunia, Festa, Diem Dominicam, Quadragesimam, &c.? Catholicorum nullus id negat, uti nec potest, ut patet. Verum quidem est, quod multoties Ecclesiæ subditi, & Fideles, excusantur à culpa, ponentes, vel omittentes actus contra legem ipsam Ecclesiasticam; id maximè si faciant ignorantia laborantes, quæ utique, veluti privilegio quodam, eosdem met eximit à peccati reatu: qua de re sit.

PRIVILEGIUM PRIMUM.
Ponens actum contra legem Ecclesiasticam, quam invincibiliter ignorat, excusatur à culpa, & hujusmodi ignorantia culpa non est.

107 COmmuniter admittitur hoc Privilegium à D. D. ut videre est apud ipsos, extendentes illud ad quemcumque actum positum ex ignorantia invincibili contra quamcumque legem, & jus in universum: Comprehenso etiam sub nomine juris (ut aduertit *Gaspar Hurtad. de Censur. in communi, Difficult.* 22. *in princip. n.* 93.) præcepto transitorio tam generali, quam speciali: Illimitatè enim, & absq; restrictione ulla, simpliciter affirmant, *Ignorantia invincibilis tam juris, quam facti omninò à culpa excusat:* Ita *S. August. lib.* 3. *de libero Arbitr. c.* 18. *& lib. de duabus animab. c.* 10. *&* 11. *D. Tho. p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. *S. Bonav.*

S. Bonav. in 2. d. 22. art. 2. qu. 3. Richard. ibidem art. 2. qu. 3. Alphonſ. à Caſtro lib. 2. de lege pœnali c. 14. in propoſitionibus. Laym. lib. p. tract. 2. cap. 4. n. 6. & communiter. Ratio eſt evidens, ubi enim non eſt voluntarium, ibi nulla eſt culpa, ſed ignorantia juris, ſeu legis, & facti, reddit actum ſimpliciter non voluntarium, quippe non advertente animo ad id, quod agitur: legis autem, ſive juris ignorantia reddit actum non voluntarium, qua malus, ſive prohibitus eſt: non advertente quippe animo ad legis prohibitionem, operiſve malitiam. Exemplum ſit: neſcio hodie diem eſſe Veneris, & carnes comedam, talis actus lege prohibitus (videlicet comeſtio carnium in die Veneris) abſolutè mihi voluntarius non eſt: Sin verò neſcio legem prohibentem poſitam eſſe, tunc licet mihi comeſtio carnium in die Veneris reipſa voluntaria ſit, non tamen ſecundum formalem rationem mali, ſeu peccati, quam accipit ex poſitivę legis prohibitione. Hęc doctrina eſt omnium communis, quam *certiſſimam* vocat *Sanch. p.p. in Decal. lib. p. cap. 16. n. 9.* ubi ſic: *Quidquid eſt omninò involuntarium, culpa vacat. At hujuſmodi eſt volitum per ignorantiam invincibilem. Si enim ſit facti, reddit actum omninò involuntarium. Si verò ſit juris, reddit actum involuntarium, ut malum, & prohibitum.* Ignorans igitur legem non peccat in eam. Unde leges poſitivæ etiam Eccleſiaſticę, ut actu obligent, & actus contra eas poſitus dicatur, & ſit culpabilis, *cognoſci debent* (vt docent communiter D. D. præcipuè *Salas de Legib. diſp. p. ſec. 10. n. 70. in princip.*) *ſub ratione legum, vel cum homo operatur, vel antea: certò, vel ſaltem dubiè.* Qui enim nec ſcit, nec unquam ſcivit, aut dubitavit an ſit lex de Baptiſmo v. g., non peccat ſi non baptizetur: quia nunquam fuit ei lex ullo modo explicata, & ita illum nunquam obligavit in actu ſecundo, ſed tantum in actu primo: lex enim illa habebat vim obligandi illum, & ſi fuiſſet illi explicata, & nota, obligaſſet illum in actu ſecundo, concludo ergo cum *Sanch. n. 9. cit. Quando jus, & lex ignoratur, & per conſequens conſcientia prudenter aliquid non eſſe illicitum dictat, impoſſibile eſt culpam admitti.*

108 Sed contra hanc noſtram, & communem, ac certam doctrinam, obiici poſſe videtur *Juris Regula 13. in 6. Ignorantia* (videlicet) *facti excuſat, non juris*. Cujus Regulæ ea eſt ratio *ex l. 2. ff. de Juris, & facti ignorantia*. Quia jus finitum eſt, quod comprehendi poteſt: facta autem varia, & infinita, quę proinde etiam prudentiſſimos fallant: Reſpondeo tamen cum *Salas de Legib. diſp. 15. ſec. 9. littera D. Laymann. lib. p. tract. 4. cap. 20. n. 7.* & aliis: Regulam illam, ſi ſumatur in foro conſcientiæ, intelligi debere tantum *regulariter, ſeu frequenter*, quia juris ignorantia, & legis, rarò eſt invincibilis; unuſquiſque enim tenetur ſcire leges ad ſe pertinentes, ut tradit *D. Tho. p. 2. qu. 76. art. 3.* & ſumitur *ex cap. p. de Conſtit. & ex l. Leges Sacratiſſimæ, C. de Legibus, & ex l. Conſtitutiones C. de juris, & facti ignorantia*. Si verò in foro externo ſumatur dicta Regula (uti ſecundum *Laymann. Salas l.l. c.c.* & alios, *magis frequenter, & facilius*, ſumitur, & accipitur) intelligenda eſt præſumptivè: ſecundum enim forum externum, ignorantia legis, & juris communis, ac publici, fermè non præſumitur; ſed ab allegante illam, probari debet, *ſe propria ſcientia inſtructum non fuiſſe, nec Jureconſulti conſilium ſecutum fuiſſe*, juxta *l. Regula ſ. ſed Juris, ff. de Juris, & facti ignorantia*; cujuſmodi probatio admodum rara, & difficilis eſſe ſolet. At nos hìc loquimur de ignorantia Juris, & legis Eccleſiaſticę primo modo ſumpta, ideſt in foro conſcienciæ, & dicimus, quod quando hæc invincibilis eſt, quamvis hujuſmodi ignoratia, eſſet legis quam quis tenetur ſcire (ratione ſui ſtatus, & officii) ſed non potuit, faciendo totum, quod in ſe erat, excuſat omninò à peccato, cum ſit omninò involuntaria, & invincibilis: ſicuti enim (ut optimè etiam *Suar. de Cenſur. diſp. 4. ſec. 8. n. 17.*) ignorantia facti poteſt eſſe invincibilis etiam in rebus ad proprium officium, & ſtatum pertinentibus; quia peritia hominis curta eſt, & diligentia limitata, & ars fallax, ac providentia incerta; ità pari ratione poteſt ignorantia juris, & legis, eſſe invincibilis, etiam ſi pertineret ad proprium ſtatum, & officium, & utraq; excuſat (ut dictum eſt) à culpa & à peccato.

109 Nec valet, quod lex quæcumque, tum Civilis, tum Eccleſiaſtica, ſtatim obliget ac in Curia, & loco competente promulgata eſt; maximè Pontificia, Romæ publicata, & ad Valvas D. Petri, vel alibi affixa (ſi in illa dicatur ut jam inde à principio obliget) ex quo utique inferri, quoſcumque ſubditos ipſam ligare (indifferenter) etiam ejuſdem legis, ac præcepti ignaros, & hos propterea non excuſari à culpa in ejuſdem legis jam promulgatæ tranſgreſſione, ob ignorantiam ipſam: Non inquam valet, quamquam enim lex

cum primum publicè proposita fuit, censetur, quatenus est ex parte sua, & veluti in actu primo, consecuta essentialem vim obligandi omnes; Quoad actum secundum nihilominus, idest, ut re ipsa obliget, & aliquem obligatione præcepti constringat, requiritur eam invincibiliter non ignorari. Qua de re *D. Tho. p. 2. qu.* 90. *art.* 4. *ad* 2. *Navarr. in Man. cap.* 23. *n.* 45. *&* 46. *& lib. p. Consilior. Consil. p. qu.* 4. *n.* 2. *Molina de Justit. tom.* 4. *tract.* 5. *disp.* 70. *n.* 2. *Suar. de Legib. lib.* 3. *cap.* 17. *à n.* 3. *Laymann. lib. p. tract.* 4. *cap.* 2. *n. p.* & alii. Sumiturque *ex cap. p. de concess. præb. n.* 6. ubi, *Quod Lex, seu Constitutio, & mandatum, nullos adstringunt* (actu secundo) *nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, infra quod ignorare minimè debuissent*. Quæ ultima verba notanda sunt (ait *Suar. l. c. n.* 6.) nam in eis satis significat Pontifex legem non obligare nisi post sufficiens tempus elapsum intra quod moraliter sciri posset: nam illud est, in quo ignorare minimè debuisset. Hinc, sicut ignis (inquiunt *Molina disp. cit. n. p. & Laymann. n. cit. in fine*) habet quidem vim naturalem, & potestatem urendi stupam, eam tamen non inflammabit nisi eidem igni approximetur: ita etiam lex promulgatione acquirit veluti essentialem potestatem obligandi; sed actu ipso obligat illos tantum sub peccato, qui ejus notitiam acceperunt; vel accipere culpa sua neglexerunt; ut præcipuè indicant dicta Pontificis verba postrema, *infra quod tempus ignorare minimè debuissent*: quæ etiam maximè faciunt ad fori contentiosi præsumptionem. Cæterum, quoad forum internum, lex ulla quocumque tempore lata, & promulgata obligat invincibiliter ignaros. Vide *Suar. l. c.* & alios *in Tract. de Legib.* Ex quibus colliges, nedum leges Civiles Imperatorias, & Principum, non obligare in conscientia invincibiliter ignaros, sed nec Pontificias Ecclesiasticas leges, vel Generalis Concilii; vel alicujus Canonis; aut particulares Ordinariorum leges, ut magis infra constabit. Excipe tamen ab hac doctrina cum *Suar. de Legib. lib.* 5. *cap.* 33. *Laymann. cap.* 2. *cit. n.* 7. & alii apud ipsos, leges non tantum Civiles, sed etiam Pontificias infirmantes contractus, seu irritantes; jurisdictionem auferentes, &c. postquam enim ejusmodi leges vim obligandi consecutæ sunt, effectum suum consequuntur etiam erga ignorantes, sicuti docent Doctores *in cap.* 2. *de Constit.* Ex. gr. Si quis ob ignorantiam invincibilem clandestinum matrimonium contrahat cum consanguinea, vel affine sua, à culpa quidem excusatur, sed contractus non subsistit. Excipe item Pontificias leges, quæ sunt circa eas res, vel actiones, in quibus Papa liberam disponendi, vel dispensandi facultatem habet, uti sunt Beneficia Ecclesiastica, Professio Religionis, &c. Tales enim irritantes Constitutiones, statim post promulgationem in Curia, vim suam sortiri videntur etiam erga ignorantes, *Suar. cit. cap.* 33. *n.* 7. *Laym.* ex ipso, & alii plures.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Ignorantia invincibilis, aut inculpabilis legis, prohibentis sub censura actum aliquem, non quia malus, sed quia prohibitus est, excusat à censura ponentem (cum hujusmodi ignorantia) actum illum.

110 Casus est, ingredi ex. gr. Monasteria Monialium non ad malum finem, ex se peccatum non est: præcipiunt tamen Pontifices summi (sub excommunicatione) ne quis sine debita licentia Monialium Monasteria ingrediatur: dicit igitur Privilegium propositum, quod si quis invincibiliter ignorans hanc legem prohibentem talem actum, ingrediatur Monialium Monasterium, non incurrit excommunicationem, & ratione inculpabilis ignorantiæ ab hac censura excusatur; & sic in simili alio casu: ita *Navarus in Man. cap.* 27. *n.* 16. *in princip.* ubi: *quod hujusmodi ignorantia excusat ab excommunicatione secundum omnes*. *Avila de Censuris p.* 2. *c.* 5. *d.* 5. *dub.* 7. ubi ait: *Doctores omnes in hoc convenire: Quod quando actus de se non est malus, sed tantum est malus quia prohibitus, ignorantia legis prohibentis talem actum sub excommunicatione, excusat*. Addens, *Conclusionem intelligendam esse, sive excommunicatio sit à jure particulari, sive communi: nam utrobique militat eadem ratio quantum ad forum conscientiæ; quamvis in foro exteriori facilius præsumitur ignorantia juris particularis quam communis*. Probatur autem nostrum privilegium (quod ut certum approbat *Leander de Sanctiss. Sacram. par.* 4. *tract. p. De Censur. in Communi disp.* 9. *q.* 5. *vers. sed probabilius*) quia talis ignorantia excusat totaliter à culpa, ergo & à pœna censuræ: consequentia probatur, quia pœna est propter culpam. Confirmatur, quia si nulla alia lege actus prohibitus est, nisi ab illa à qua est pœna imposita, ignorans invincibiliter legem illam, non pec-

cat in eam, ergo nec pœnam contrahit, nec ab eadem lege puniendus eſt, *ex Reg. ſine culpa* 23. *de Reg. Juris in* 6. *& cap.* 2. *de Conſtitut. Res hęc, omninò eſt manifeſta* (inquit *Palao par. p. tract.* 2. *diſp. p. punct.* 17. *n. p.*) eamque tenent, præter relatos, *Sylv. Verbo Ignorantia, n.* 12. *Angelus Verbo Excommunicatio, v. de Caſib. Excomm. caſu* 47. *& ult. n.* 3. *verſ. Vtrum ignorantes.* Et communiter tum Veteres, tum Recentiores, ut videre eſt apud ipſos. Et hinc obiter ex hoc eodem privilegio deduc, Cuſtodes alicujus Pontis, portus, vel fluminis, aut Portæ Civitatis non affici excommunicatione contenta *in Bulla Cœnæ Domini*, ſi recipiant per ſe, vel per alium gabellas, aut alia tributa ab Eccleſiaſticis tranſeuntibus, ſed excuſari ſi hoc faciant, & fecerint *ex ignorantia juris, aut facti*, ut benè etiam advertunt *Molina de Juſt. t.* 3. *diſp.* 670. *n.* 3. *litera* C. Ubi ſic: *ab hac tamen, & à quacumque alia excommunicatione, excuſabit probabilis ignorantia. Bonac. To.* 2. *De reſtitut. in particulari, diſp.* 2. *qu.* 9. *punct.* 2. *n.* 15. *& Trullench in Decal. lib.* 7. *cap.* 12. *dub.* 5. *n.* 34. *in fine.*

111 An verò privilegium noſtrum intelligi debeat de ignorantia inculpabili excommunicationis ſimpliciter, ſive hæc videlicet ſit à jure communi, ſive particulari, ut vult *Avila* ſupra. Reſpondeo cum ipſo affirmativè, cùm utrobique militet eadem ratio quoad forum conſcientiæ, ut patet. Neque huic reſponſioni obſtat, quod definitur in jure. (*Cap. Vt animarum* 2. *de Conſtit. in* 6.) *à Bonifacio VIII.* per hæc verba: *Ut animarum periculis obvietur: ſententiis per Statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina.* Et obiicitur ab aliquibus Canoniſtis apud *Leandrum l. c.* (quibus, ex Theologis, favere videtur *Gaſpar. Hurtad. De Cenſuris in communi, Difficultate* 22. *n.* 96. *pag. mihi* 662.) dum ſic arguunt: Definitur à Pontifice in his verbis, quod ſententia Ordinariorum (ideſt Papa inferiorum) non ligat ignorantes, ergo bene ligat ſententia juris communis, ſeu Pontificii; patet, quia ante hanc *Conſtitutionem Bonifacii*, nulla ignorantia ſtatuti, ſive Papalis, ſive Epiſcopalis excuſabat à Cenſura, & Pontifex, condens jus novum, ex benignitate decrevit, quod ignorantia præcepti Epiſcopalis excuſet: ergo à contrario ſenſu, ſententia juris communis ligat, & quantum ad præcepta, & ſtatuta Papæ (de quibus Pontifex *in eodem Capite* non loquitur, ut patet) jus antiquum manet incorrectum, conſequenter non excuſat quoad ipſum ignorantia invincibilis, ut expreſsè etiam ſentit *Gloſſa in d. Cap. Vt Animarum, Verbo Statuta:* ſub his verbis: *De Generalibus ergo ſtatutis Canonum, vel legum, non loquitur, quæ ab omnibus ſciri, & cuſtodiri debent.* Hinc *Hurtadus l. c.* deducit, quod *Ignorantia invincibilis cenſuræ latæ jure communi Pontificio, non impedit incurſum illius, quamvis impediat ignorantia invincibilis cenſuræ latæ jure peculiari Pontificis, & Epiſcopi Romani pro eo Epiſcopatu, ſicut & aliorum Ordinariorum:* ità *Hurtadus:* & alii apud *Avilam dub.* 7. *cit. verſ. Secunda ſententia.* Non inquam obſtat noſtræ reſponſioni hujuſmodi oppoſitum argumentum: Quia, neganda eſt ejudem conſequentia: argumentum etenim à contrario ſenſu (ut bene *Sanch. de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 32. *n.* 11. ex *Sylveſtro Verbo Ignorantia quæſ.* 8. *Dicto* 3. *n.* 16. & aliis, quibus ſubſcribit *Leander qu.* 5. *cit. verſ. Nec obſtat*) non habet vim, quando in caſu contrario militat eadem, vel major ratio. At in cenſura jure Pontificio lata procedit ratio in *d. Textu, & cap.* explicita, nimirum, ut animarum periculis ſubveniatur. Imò major eſt ratio, cum facilius jus Pontificium commune ignoretur. Et negatur præterea (cum *Soto diſt.* 22. *qu.* 1. *art.* 2. *Caſu* 4. *verſu Quare diſtinctio illa, in fine: Avila dub.* 7. *cit. Ubi Ad argumenta ſecundæ ſententiæ, in principio,* & *Leandro verſu cit. in fine*) quod ibi Pontifex condat novum jus, ſolum enim declarat jus commune quantum ad illum caſum ſpecialem, de quo fuerat interrogatus. Adde cum eodem. *Avila l. c. Sylv. l. c. n.* 17. *Navar. in Man. c.* 27. *n.* 16. Pontificem ibi ſolum intendere, quod jura non præſumunt ignorantiam invincibilem reſpectu juris communis, ſicut reſpectu ſtatuti Ordinariorum.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Ponens actum aliàs probibitum jure naturali, aut Divino, vel humano, cui annexa eſt Eccleſiaſtica Cenſura, ſed cum ignorantia invincibili Juris Eccleſiaſtici probibentis talem actum ſub cenſura, excuſatur ab ipſa, nec ipſam contrahit.

112 ITa eſſet, quando qui ex. gr. ignoraret invincibiliter prohibitum eſſe ab Eccleſia ſub excommunicatione violenter Clericum lædere, & is contra jus naturę, & divinum ipſimet notum, injuriam gravem Clerico inferret, peccaret iſte quidem,

quidem, & mortaliter: & ignorans invincibiliter talem prohibitionem, & legem Ecclesiasticam sub censura, hanc non contraheret; ab ipsaque excusaretur. Et probatur primò authoritate Doctorum: suntque *Angelus Verbo Excomm. 7. Casu ult. n. 3. Navar. in Man. cap. 27. nu. 16. & nu. 274. Versu Decimotertio, quod pro communi opinione: Henriq. lib. 13. cap. 23. n. 2. Soto in 4. sentent. dist. 22. qu. p. art. p. Casu 4. proposit.* 4. (affirmans id generaliter, sive Censura videlicet, quæ invincibiliter ignoratur, sit à jure particulari lata, sivè à jure communi.) *Avila De Censur. par. 2. cap. 5. disp. p. dub. 7. Versu Tertia sententia.* (Ubi & ipse universaliter tenet ignorantiam invincibilem, excusare ab omni censura sive data sit à jure particulari, sive lata à communi.) *Filliuc. Tract. 11. cap. 8. qu. 10. Dicto 3. n. 253. Suar. de Cens. disp. 4. sec. 8. n. 20. Diana Tomo 5. Coord. tract. p. res. 61. Ex par. 11. tract. 6. & Miscell. 6. res. 27.* in fine: (In qua sic expressè). *Ignorans legem, & Constitutionem in qua imponitur pro aliquo delicto, vel excommunicatio, vel irregularitas, aut suspensio, has nullo modo incurrit;* loquitur de ignorantia invincibili: *Patritius Sporer par. pr. Tyrocinii Sacramentalis cap. 2. n. 146. prope finem pag. mihi* 124. sic affirmans: *Ab excommunicatione incurrenda excusat omnis ignorantia juris, & facti;* extendens affirmativam *cap. 4. q. 41. §. 3. nu.* 247. *pag.* 245. etiam ad irregularitatem sic: *Nullum crimen inducit irregularitatem in foro conscientiæ, nisi illud patrans, sciat, illi annexam esse irregularitatem*, & idem innuit *n.* 256. *pag.* 259. *in fine. Bonac. de Censuris in Communi disp. p. qu. 2. punc. p. proposit. p. n. 7. Palao Operis Moral. par. pr. Tract. 2. disp. p. punc. 17. n. p. & 2.* (probans ignorantiam non solum legis municipalis, sed etiam Pontificiæ, & cujuscumque sit, excusare à Censura per ipsam imposita) *Leander par. 4. tract. p. de Cens. in comm. disp. 9. qu. 6. Versu Sed probabilius: Antonius à Spiritu Sancto Directorii Confessarior. par. 2. tract. 12. disp. p. sec. 14. §. 2. Vers. Dico p. n. 172.* (Dicens, *Ignorantia invincibilis cujuscumque juris, vel facti, vel pœnæ, excusat ab incurrendis omnibus Censuris, imò & ab irregularitate ex peccato, &c.*) *Gabriel Beatus in qq. Selectioribus qu. 18. n. 23. & 24. Fagundez in Decalog. to. 2. lib. 8. cap. 25. n. 15.* & alii ab his relati, tum Veteres, tum Recentiores, unanimiter admittentes, Ignorantiam legis, & præcepti Ecclesiastici invincibilem, excusare ab omni censura, sive hæc data sit à Constitutione Episcopali, sive à Pontificia; idest, sive à jure quocumq; particulari, sive à communi: quamvis actus, cui Censura adnexa est, sit jure divino, & naturali aliàs prohibitus.

113 Quod ratione præterea probatur: Quia ignorans invincibiliter jus Ecclesiasticum, offendit solum jus naturale, & divinum, contra quod agere novit (ut supponimus) non autem jus positivum, quod invincibiliter ignorabat: ergo solius juris naturalis, & divini pœnas incurret, non juris positivi Ecclesiastici. Confirmatur primò: Quia is non peccat contra legem Ecclesiasticam, utpotè ignarus illius; ergo non debet pænis illius puniri, nec etenim *pœna debet excedere delictum:* ut dicitur *in cap. 2. De his, quę fiunt à majori parte Capituli; & in Cap. Felicis: Versu, Illud autem de pęnis in* 6. in quo statuitur, quod *Judex, pœnam metiri debet ex culpa.* Secundò Confirmatur: Quia ad incurrendam Censuram, requiritur contumacia, at sic est, quod ubi reperitur ignorantia invincibilis, non adest contumacia, ergo ubi reperitur ignorantia invincibilis non incurritur censura: probatur minor, quia contumacia non est aliud quam inobedientia voluntaria, qua quis monitionem Superioris implere contemnit, aut non vult; ut patet ex illis verbis Christi *Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit* (idest si Ecclesiæ non obedierit) *sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus:* Sed sic est, quod qui legem invincibiliter ignorat, nullatenus dici potest contumax respectu ejusdem; vel contra illam peccare, eamque non audire; nec Superiori esse inobediens, eumve offendere, ergo nec Censuram contrahere: non interveniente enim contumacia respectu Ecclesiæ, non incurritur Censura, quia est contumacia veluti fundamentum, & in eo genere adæquata causa, juxta dicta Verba, *Si Ecclesiam non audierit.* Propter quod etiam, dicunt Doctores, aliquam monitionem præviam ab Ecclesia factam, esse de substantia, seu essentia Censuræ. Tertiò Confirmatur, quia Censura instituta est ad reprimendos rebelles, & inobedientes Ecclesiæ, sed qui ejus leges, & præcepta ignorat, nequit inobediens judicari, ergo non potest censura reprimi, sed ab ipsa excusari. Confirmatur Quartò: quia censura est pęna medicinalis. idest, pœna non tantum punitiva delicti, sed potius præservativa committendi, *cap. p. de Sent. Excommunic. in* 6. præservari autem non alia ratione potes, nisi quatenus timore illius præservaris à delicto committendo, ergo necessariò debes illius habere notitiam.

Tandem

Tandem confirmatur ultimò: Quia gravius utique delinquit qui percutit Clericum, cognoſcens, percuſſionem illius non ſolum eſſe prohibitam jure naturali, & divino, ſed etiam Eccleſiaſtico, & ſub Cenſura, quam qui ſolum cognoſcit prohibitionem naturalis juris, & divini: ergo non debet uterque iiſdem pœnis puniri, ſed hunc, utpote Eccleſiaſtici juris invincibiliter ignarum, à cenſura excuſari, ut in propoſito Privilegio.

114 Hæ autem rationes probant ignorantiam invincibilem legis Eccleſiaſticæ, Eccleſiaſticique cujuſcumque præcepti, excuſare univerſaliter ab omni Cenſura, ſive hæc lata ſit à jure particulari, ſive à communi, cum utrobique militet eadem ratio (ut patet) quoad forum conſcientię, quamvis non in foro exteriori. Quod addo, quoniam nonnulli etiam claſſici Doctores, ut videre eſt apud citatos, non admittunt univerſaliter propoſitum privilegium, ſed ſub diſtinctione tantum, dicendo, quod in propoſito caſu, non excuſat ignorantia invincibilis à cenſura, ſi hæc lata ſit jure communi: benè tamen ſi lata particulari jure, & ſtatuto Ordinariorum. Idque probant ex ſupra relato *Cap. Vt animarum* 2. *in* 6. ubi id ſolum decerni videtur. Verum, quanti ponderis ſit hujuſmodi probatio, conſtat ex dictis ſupra *n.* 111. ex quibus patet, quod licet Pontifex eo loci dicat ſe nolle, ut ignorantes ligentur Statutis quorumcumq; Ordinariorum, non inde tamen infertur legibus à ſe, & à jure communi latis, velle ignorantes ligare, imo ex ratione decidendi illius textus, quæ eſt, *Vt animarum periculis obvietur*, ſupponit contrarium. Gravius enim periculum animarum adeſſet ſi Pontificiis legibus ligarentur ignorantes, quam ſi legibus municipalibus: tum quia illæ graviores ſunt: tum quia minus cognitæ. Ex quibus.

115 Deduces primò, Duellatores, ſcientes Duella prohibita quidem eſſe Divino jure, at invincibiliter ignorantes, ea ſub cenſuris ab Eccleſia prohiberi, Duellum ineuntes, non eſſe excommunicatos. Quia licet hujuſmodi Duellatores peccent contra jus divinum, monomachiam divino jure prohibitam ineundo, non tamen peccant contra præceptum Eccleſiæ, nec contra Eccleſiam contumaces ſunt, vel dicuntur; cum Eccleſiaſtici Juris Duellum prohibentis, invincibilem (ut ſupponimus) habeant ignorantiam, cum qua nec adeſt contemptus, nec contumacia. Et ita etiam expreſsè docet noſter *Caraffa de Duello tract* 5. *ſec. pr. quæſ.* 2. *n. p.* ubi ait: *Dictos Duellatores nullo pacto* (ratione invincibilis ignorantiæ) *contrahere Duellicas Cenſuras à ſummis Pontificibus, ac Tridentino Concilio, Duellum committentibus impoſitas*. Nec eaſdem contrahere, *Conſulentes*, & *Aſpicientes Duellum, & neſcientes id eſſe prohibitum in Bullis Pontificiis* pariter affirmat *P. Diana ubi ſupra*; alios ibi referens, præcipuè, & primo loco *Andream Duvalium in* 2. 2. *D. Tho. tr. de Duello qu.* 17. *circa finem*: ſub his verbis: *Poſtrema pœna eſt eorum, qui Conſilium pugnandi in duello dederunt, aut qui ex compoſito ſe ſpectatores præbuerunt: hi enim ſunt ſimiliter excommunicati, dummodo ſciverint iſtud eſſe ab Eccleſia prohibitum, nam ſi neſcierint, eſſentque comparati ſi ſciviſſent ipſos pugnantes non aſpicere, pœnam hanc excommunicationis, & alias non incurrerent, cum ſic non fuerint contumaces, contumacia autem ad excommunicationem incurrendam, ut ſupponimus, eſt neceſſaria*: ita *Duvallius*. Ex quo, & ex dictis deduces inquam primò, ad incurrendam quamcumque excommunicationem, Eccleſiaſticamque Cenſuram, non ſufficere me ſcire opus eſſe peccaminoſum, & prohibitum, etiam ab Eccleſia, ſed opus eſſe ut ſciam de pœna, idq; prohiberi ſub excommunicatione.

116 Deduces ſecundò, idem dicendum eſſe & de cæteris pœnis, Suſpenſione videlicet, Interdicto, Irregularitate, Inhabilitate, &c. quod ſcilicet ut & hæ incurrantur, non ſufficiat ſcire, opus eſſe peccaminoſum, & prohibitum, ſed requiri præterea ſcientiam de pœna ipſa, & prohibitum eſſe ſub pœna ſuſpenſionis, interdicti, inhabilitatis, irregularitatis, &c. (loquimur hic de irregularitate conſurgente ex delicto) ut ex homicidio, ex celebratione in excommunicatione; ex ſuſpenſione violenta, & ſimilibus impoſitis in pœnam delicti: non de irregularitate, quæ non ponitur ob delictum, ſed vel ex indecentia, vel defectu, &c. quæ comitatur non culpam, ſed indecentiam, &c. qualis eſt ex. gr. bigamia, & irregularitas contracta à Judice, ſine culpa damnante hominem juſtè ad mortem: certum eſt enim apud omnes hanc irregularitatem contrahi, etiam ſi operans operetur ignorantia invincibili, & proinde contrahens cum duabus irregularis eſt bigamus, quantumcumque id ignoraret invincibiliter. Hujus autem deductionis doctrina traditur etiam à *Navar. in Man. cap.* 23. *n.* 47. *verſu Addo his*; (ubi eam vocat *conſolatoriam in foro*

conſcientię

conſcientiæ quoad multos pios in materia cenſurarum, & irregularitatum :) *Sanch. de Matrimon. lib. 9. diſp. 32. num.* 17. ſic dicente: *Verius eſſe credo, univerſas relatas pœnas non incurri, ubi adeſt prædicta Juris ignorantia :* pro qua doctrina, & ſententia multos alios Doctores affert : Quibus addo *Gabrielem à S. Vincentio de Cenſuris diſp. 9. qu. 5. §. 3. n. 80. Verſu Nota* 2. ubi. *In hoc conveniunt omnes, quod ignorantia invincibilis, tum juris, tum facti, tum pœnę, tum prohibitionis, excuſet ab incurſione earum irregularitatum, quę habent rationem pœnę, ſeu infliguntur in pœnam delicti, ſeu quę ſunt ex culpa. Ratio eſt clara, quia pœna graviſſima, ſupponit culpam graviſſimam l. Sancimus C. de pœnis. Cap. Felicis §. Illud autem de pœnis in 6. & Cap. Quęſivit, de iis quę fiunt à majori parte Capituli : ac proinde cum ignorantia invincibilis excuſet à culpa, etiam à pęna excuſabit :* ita relatus *à S. Vincentio l. c.* (Notans immediatè poſt, uti & ego ſupra, quod nulla ignorantia etiam invincibilis, excuſat ab incurſione irregularitatis ex defectu, quæ videlicet ſine culpa contrahitur. Quia cum hęc irregularitas non ſit ex culpa, nec ſit pœna, ſed quędam inhabilitas, quædam indecentia, quoddam impedimentum Canonicum, ab ignorante etiam contrahitur, quod enim culpam non ſupponit per ignorantiam non excuſatur.) Addo inſuper *Portell. in Dubiis Regular. Verbo Ignorantia n.* 22. & *Bonac. De Cenſur. in Comm. diſp. p. qu. 2. propoſit.* 3. *n.* 13. 14. & 15. in quo ex pręcedentibus, infert hęc: Primò : Non incurri excommunicationem ab eo, qui percutit Clericum, neſciens prohibitum eſſe ab Eccleſia percutere Clericum. Secundò. Idem dicendum eſſe de eo, qui licet ſciverit prohibitam eſſe ab Eccleſia Clerici percuſſionem, nihilominus nunquam ſcivit prohibitam eſſe ſub cenſura : vel nihil unquam dubitavit : vel ſi dubitavit, adhibuit ſufficientem, vel ſaltem mediocrem diligentiam ad cognoſcendum, an lata eſſet cenſura contra percuſſores Clericorum, & non potuit ante percuſſionem, vel ante actum ſub cenſura prohibitum, rei veritatem invenire. Tertiò. Virum indoctum non incurrere cenſuram, quando conſulvit Viros Doctos profeſſionis, & artis moralis, num lata eſſet cenſura, ipſiq; reſponderunt, nullam extare. Quartò. Idem dicendum eſſe, quando Vir doctus, ſuborto dubio alicujus cenſurę, mediocri ſaltem labore, & diligentia revolvit libros, ſeu Statuta, & leges, ſed nullam cenſuram potuit invenire. Sed

117 Contra primam deductionem obiicies : *Paria ſunt ſcire, & debere ſcire*, ſed qui committit Duellum illud conſulit, aſpicit, &c. ſciens prohibitum eſſe ſub cenſura, Duellicas incurrit Cenſuras, ergo illas etiam incurrit, qui Duellum committit, conſulit, aſpicit, &c. ignorans id ſub Cenſuris prohibitum eſſe. Reſpondeo negando conſequentiam argumenti (quod cuicumque opponi poſſet, cenſuram aliam quamcumque, nedum Duellicas ignoranti) Ad antecedens, tranſeat in primis, *Scire, & debere ſcire paria eſſe*: nec etenim quivis tenetur ſcire id, cujus nullam habuit cognitionem, ſeu de quo invincibili laborat ignorantia. Præterea nego etiam verum eſſe univerſaliter, *ſcire, & debere ſcire paria eſſe*, ut patet in Cenſuris impoſitis contra præſumentes aliquod delictum perpetrare, quas conſtat non incurri ab iis, qui vincibili ignorantia laborant. Unde cum in caſu noſtro Duellum committentes, conſulentes, aſpicientes, &c. nullam Duellicę Cenſurę cognitionem habuerint, ut ſupponimus, non poteſt inferri eos teneri illas ſcire, ac proinde neque quoad ipſos ſcire, & debere ſcire in hoc paria eſſe, conſequenter nec contrahere excommunicationem, ſi invincibili ignorantia ejuſdem laborant. Adde cum *Diana tom. pri. Coard. tract. 7. reſ.* 11. *n.* 3. *Ex p. 4. tr.* 4 & *Miſcell. reſ.* 36. ſano modo intelligenda eſſe Iura, & Doctores, dum dicunt par. eſſe, *ſcire, & debere ſcire*, intelligenda enim ſunt quando adfuit aliqua actualis, plena, & ſufficiens ad mortale advertentia ad malitiam, ejuſque periculum, ſeu dubium, aut ſcrupulus; quia dum hęc actualis advertentia non adfuit, non eſt in noſtra poteſtate proxima expellere eam ignorantiam, aut non eſt plenè, ita ut ad mortale peccatum ſufficiat. Ità *Diana*.

118 Contra ſecundam deductionem pariter obiicies, ex *Suar. de Cenſ. diſp.* 40. *ſec.* 5. *n.* 9. & aliis : Ignorantia irregularitatis non excuſat quominus illa incurratur, eſto excuſet ignorantia invincibilis excommunicationis, ergo ab hac ad illam non valet arguere : conſequentia probatur aſſignando diſparitatem : quia ignorantia invincibilis excomunicationis, ſeu cenſuræ propriè dictæ, excuſat ne illa incurratur, eo quod ipſa eſt pœna medicinalis, quæ pro contumacia formaliter fertur, & ut ab illa recedatur : irregularitas verò, quando eſt pœna, non fertur ut medicinalis, ſed in vindictam delicti, unde propriam contumaciam non requirit, idcircò ignorantia invinci-

vincibilis non excusat irregularitatem, esto etiam excusaret excommunicationem: ergo ab hac ad illam non valet consequentia, cum inter ipsas, (ut patet) intercedat aperta disparitas. Sed Respondeo negando totum argumentum: ad consequentiam ejusdem, dico cum *Sanch. de Matrim. lib.* 9. *disp.* 32. *n.* 17. rationes probantes ignorantiam invincibilem excusare ab excommunicatione, pariter procedere de omnibus pœnis ex culpa procedentibus: quod patet; nam si sermo sit de Suspensione, & Interdicto, id constat ex ipsorum natura: quia non sola excommunicatio imponitur ob clavium contemptum, & contumaciam, sed etiam Suspensio ipsa, & Interdictum: Ut bene etiam docet *Francus, cap.* 2. *de Constit. in* 6. *n.* 8. relatus à *Sanch. n. cit.* atque adeò præviam monitionem requirunt, quando in pœnam delicti futuri feruntur; ut de Suspensione est *textus* expressus, *cap. reprehensibilis, de appellationib.* Et idem esse de Interdicto, affirmant *Hostiens. Io: Andreas, Ancharan. Abbas*, aliique plures apud eundem *Sanch. eod. n.* 17. Imo *Hostiens. Io: Andr. & Anchar.* ibidem asserunt, *pari passu procedere quoad hoc, excommunicationem, suspensionem, & interdictum:* sicut ergo excommunicatio requirit scientiam juris positivi illam inponentis, ità suspensio, & interdictum. Et si sermo sit de Irregularitate, prout expressè in argumento, ea etiam est pœna contemptus, ut docent *Abbas, & Navarr.* apud, & cum *Sanch. l. c.* quare deficiente contemptu minimè incurritur per eundem *Sanch. Abbatem, & Navarr.* ab ipso relatos: Imo ad ipsam incurrendam dolus desideratur per eundemmet *Sanch.* & alios: At ignorans jus irregularitatem imponens, non est in dolo, nec contemnit, *l. si ignorans* 52. *ff. locati* (ubi, *Non enim contemnit disciplinam, qui ignoravit militem*). Ergo eam non incurrit. Atque de omnibus pœnis maximè spiritualibus, in quibus mitius agitur, tenent quamplures hanc sententiam, Videatur *Sanch. l. c.* & ex Modernis *Georgius Gobat (qui) in Alphabeto Ordinis, casu* 17. *sec. p. n.* 666. *Regula* 2. pariter ait: *Nullum crimen inducit re ipsa, & in foro conscientiæ irregularitatem, nisi, qui illud patrat, sciat irregularitatem esse illi annexam. Ratio est, quia nec excommunicatio, nec suspensio incurritur nisi à scientibus, actui, quem exercent esse eam pœnam impositam, idemque dicendum est de irregularitate statuta ob peccatum.* ita citatus: cui est addendus *Gabriel Beatus in Quæstionib. Selectis qu.* 18. quæ est *de Ignorantia* in qua *in Corollario, à n.* 23. tradit, & ipse ad rem nostram, sequentia: *Ignorantia invincibilis concomitans, & à fortiori, etiam antecedens, excusat non solum à pœna excommunicationis, sed etiam à pœna suspensionis, & interdicti, quamvis sit imposita pro facto, jure naturali damnato: Quia pœna, nunquam incurritur absque culpa. Ubi autem datur ignorantia invincibilis, sive antecedens, sive concomitans, impossibile est dari culpam, cum impossibile sit dari voluntarium, quod ad culpam necessariò requiritur. Navarr. cap.* 23. *Summ. n.* 47. *& eadem Ignorantia excusat etiam ab irregularitate, quæ in puram delicti pœnam imponitur. Eadem enim militat ratio, quod scilicet pœna absque culpa non incurritur. Hinc fit, ut celebrans in statu excommunicationis, non fiat irregularis, si Jus eam irregularitatem imponens, invincibiliter ignoret. Quod autem dicitur de Ignorantia invincibili, intelligendum est etiam de inadvertentia, ac oblivione invincibili. Reginald. lib.* 30. *cap.* 2. *n.* 15. *Et etiam de invincibili ignorantia, novæ alicujus Constitutionis, in qua alicujus peccati reservatur absolutio; Ut servavit Sixtus V. malè promotorum ad Ordines; ea reservatio non incurritur; Quamvis enim, se peccare cognoscat, non tamen contra Constitutionem, cum eam invincibiliter ignoret. Sanch. de Matrim. disp.* 32. *n.* 8. *Sicuti nec Actus irritatio, Quando hæc imposita est in pœnam delicti, incurritur, ab iis, qui legem, eam imponentem, invincibiliter ignorant. Tum quia, cum actus irritatio sit pœna, est consequenter effectus culpæ, ac delicti, sed ob ignorantiam invincibilem, cessat culpa, & delictum, ergo cessare debet etiam actus irritatio quæ pœna quædam est, ut supponitur. Tum quia, cessante ob ignorantiam invincibilem culpa, cessant aliæ pœnæ. Ergo cessare debet etiam actus irritatio; cum non sit maior ratio istius, quam aliarum. Tum denique quia, qui ex oblivione invincibili Officium omittit, facit fructus suos, non obstante lege pœnali contra non recitates lata, fructuum acquisitionem irritante, quia ratione illius oblivionis non peccat: ergo quoties dabitur ignorantia, vel oblivio invincibilis, cessabit actus irritatio, quando hæc in pœnam à lege est imposita. Suar. lib.* 5. *de legib. cap.* 22. *n.* 3. *sicut enim non delinquit in legem, ità nec à lege puniri debet, cap.* 16. *Navarr. Summ. n.* 34. *Hinc*

119 *Collige primò, Coniugem, qui alterius Coniugis Consanguineam cognouit, vel Filium communem in Baptismo tenuit, invincibiliter ignorans, hæc specialiter per legem Ecclesiasticam esse prohibita, non incurrere privationem petitionis debiti, quæ per eam legem imponitur, quia ignorantia invincibilis juris, sicut excusat à culpa, ita excusat à pœna, eo jure imposita; quam-*

quamvis factum, aliàs sit jure naturali, vel divino damnatum. Sed privatio debiti est pęna per legem Ecclesiasticam imposita, ergo non incurritur ab eo, qui legem illam invincibiliter, ignorat. Sicut enim non delinquit in legem, ita nec à lege puniri debet.

120 *Secundo Collige: Eum, qui sibi certam pœnam per Votum imposuit, si delictum aliquod commiserit: v. gr. dare decem aureos in elemosynam, si fornicatus fuerit; non teneri ad pœnam solvendam, si Voti invincibiliter immemor, delictum illud committet: Quia pęna jure novo imposita, etiam pro facto aliàs jure naturali damnato non incurritur ab eo, qui jus illud invincibiliter ignorat. Sed Votum obligat ad modum legis; est enim quædam veluti lex privata, quam homo circa materiam promissam sibi sponte imponit: ergo quando invincibiliter ignoratur, vel de eo datur oblivio invincibilis, non incurritur pœna ab eo statuta, tunc enim non violatur. Sanch. lib. 4. summ. cap. 22. n. 18*

121 *Tertio Collige: Etiam ignorantiam invincibilem facti excusare à pęna illi facto, per legem imposita: Quia hæc etiam excusat à culpa: pœna autem non inuenitur absque culpa. Idemque valet etiam de ignorantia invincibili qualitatis culpę, vel facti. Si quis enim Clericum percutiat, invincibiliter ignorans esse Clericum, excommunicationem non incurrit. Ex cap. Si vero: il 2. de sent. excom. Quia ignorantia illa status Clericalis, percussionem excusat à culpa sacrilegii. Ergo etiam à pęna excommunicationis propter illam culpam imposita. Sayr. de Cens. lib. p. cap. 18. num. 19.*

122 *Quarto collige: Ignorantiam invincibilem facti, excusare à pœna juris non solum quando est antecedens, sed etiam quando est concomitans. Quamvis enim cum ignorantia concomitante stare possit circa obiectum ignoratum prauus affectus, non solum habitualis, sed etiam actualis, ut si quis Clericum percutiat invincibiliter ignorans esse Clericum, ita tamen dispositus, ut illum percuteret, quamvis cognosceret esse Clericum, ille tamen prauus affectus, non influit in actum externum, nec illum imperat; cum hic omnino ignoretur, ideoque nec illi suam malitiam communicat: Dum enim quis Clericum percutit, invincibiliter putans esse Laicum, illum percussurus, etiam si cognosceret esse Clericum, percussio illa non imperatur à voluntate Clericum percutiendi, cum hic omnino ignoretur, sed à voluntate percutiendi eum, qui putatur Laicus, ideoque nec aliam malitiam habet præter illam quæ illi communicatur à voluntate. Hec autem illi communicare non potest malitiam Sacrilegii ignorati. Quemadmodum ergo, percussio illa caret malitia Sacrilegii, ita carere etiam debet pœna imposita Sacrilegio, pęna enim absque culpa incurri non debet. Ita Suar. de Cens. disp. 4. sec. 8. n. 8. Vasq. p. 2. disp. 125. cap. 2. Molina to. 4. de Just. tract. 3. disp. 53. n. 2. Petrus Navarr. lib. 2. de restit. cap. p. dub. 7. Henriq. lib. 11. de Matrim. cap. 10. n. p. Aluarez p. 2. disp. 158. n. 4. Sanch. libr. 9. de Matrim. disp. 32. num. 26. & alii plures apud istos. Quæ autem dicta sunt de ignorantia invincibili, valent etiam de venialiter tantum vincibili: Quia hæc, licet omnino non excuset à culpa; excusat tamen à mortali. Pœna autem gravis, etiam ob culpæ leuitatem non incurritur, cum debeat esse proportionata delicto. Vnde qui etiam scienter opus prohibitum, cum semiplena solum deliberatione, ac imperfecta aduertentia faceret, adhuc legis pęnam grauem non incurreret, quia hæc esset supra meritum delicti. Sanch. libr. 4. cap. 22. n. 20.* Hæc õmnia *citatus Gabriel Beatus, in Corollario cit.* Quæ hic unitim posita, & collecta sparsim etiam & divisim habebit Lector in hoc tractatu pluribus in locis. Ex quibus clarè constat, quod ignorantia invincibilis tam juris, quam facti, tam præcepti, & prohibitionis, quam actus, excusat ab omni illa irregularitate, quæ ex culpa contrahitur: quod docet etiam (cum omnium communi) supra relatus *Gabriel à S. Vincentio §. 3. cit. n.* 81. Ex quo etiam principio infert *Primò*. Quod homicidium à non habente usum rationis factum; vel à furioso, vel amente, vel à dormiente, non inducit irregularitatem, quia cum ille actus non sit peccatum, nec peccati pœnam meretur: sic etiam *Sayr. libr. 6. cap. 18. n. 31. 32. & 33.* & alii communiter. *Secundò*. Excusari ob eandam rationem ab irregularitate Clericum, qui in ebrietate alterum occidit, maximè quando sine sua culpa inebriatus est, ut quia vim vini ignorabat, ut *Noe*; vel si illam sciebat, non tamen eam expertus erat. Quod si sua culpa inebriatus est, & homicidium prævidit, quia sciebat, quod in ebriatate arma capere solebat; & alios offendere, tunc cum non excusetur ab homicidio, neque à pęna illius excusabitur: secus esset si periculum non prævidisset; tunc enim cum ex defectu sufficientis advertentiæ, seu considerationis, à culpa excusetur, etiam à pęna illi annexa excusabitur. Item excusabitur ebrius ab irregularitate ex homicidio in ebrietate patrato, si prævidit periculum committendi homicidium, sed adhibuit sufficientem diligentiam ad præcauendum illud; & sic ante ebrietatem ab-

ſcondit arma, præmonet Socios, ut ſibi aſſiſtant, ut impediant ne arma capiat &c. tunc enim licet peccet peccato ebrietatis, non tamen homicidii, etiam in cauſa, quia illud in cauſa noluit, cum diligentiam ad illud non committendum adhibuit, et ſic tradunt communiter Doctores, pro quo videri poſſunt *Covarru. in Clementina Si furioſus par. 3. Relectionis, n. p. & 4. Menoch. de Arbitrariis Judicum libr. 2. Cent. 4. Caſu* 326. *Farinacius in Praxi Criminali qu.* 93. *per totam*, aliique apud iſtos. Idemque dicendum eſt de eo qui incidit in amentiam, & de dormiente, ſi in ſomnis alios offenderet, eadem namque diſtinctio etiam ad hos caſus applicanda eſt. Vide *Farinacium in Praxi Crimin. qu.* 94. *n.* 26. ubi: *Si furioſus in furore aliquem occiderit, irregularitatem non incurrit. Qui enim per furorem delinquit, nec in dolo, nec in culpa eſſe dicitur: & ſi non commiſit culpam, nec etiam irregularitatem incurrit, quæ ſine culpa non incurritur, pro ut eſt textus expreſſus in dicta Clement. p. Si furioſus, & ibi notant omnes*. Et hoc idem etiam procedere ſubdit *Farinatius fragm. par. 2. litt. I. n.* 417. & 418. quando occiſor ſua culpa in furorem incidit, etiam ſi homicidium prævideritt, ſed diligentiam ad illud vitandum adhibuit: notat etiam vix dari poſſe caſum in quo quis velit ſua culpa furioſus evadere. *Tertiò* infert: Infantes ab Hæreticis, aut aliis quibuſvis, rebabtizatos, irregulares non eſſe, *Cap. Placuit p. qu.* 4. nam iſti & voluntate, & culpa carent. Unde cum in *Cap. In quolibet* 11. *qu.* 7. dicitur, rebaptizatos in qualibet ætate irregurales eſſe, intelligi debet de illis, qui ſunt doli capaces, ſeu qui in qualibet ætate adulta rebaptizantur, ſic advertit *Gloſſa in dicto Cap. Placuit*. *Quarto* infert: Excuſari ab irregularitate Clericum excommunicatum, qui cum Ignorantia, aut cum naturali oblivione Ordinem recepit, vel receptum exercet, quia cum talis ignorantia, oblivio, vel inadvertentia etiam actualis excuſet à culpa, etiam à pœna excuſabit. Hæc omnia relatus *Gabriel à S. Vincentio* §. 3. *cit.* in quo & alia, de quibus ſparſim in hoc tractatu.



PRIVILEGIUM QUARTUM.

Ponens etiam actum cum ignorantia invincibili, non quidem Juris, Eccleſiaſticique præcepti, ſed ſolius Cenſuræ illi annexæ, adhuc excuſatur, ne cenſura incurratur.

123 Doctores quamplures negant hujuſmodi privilegium, exiſtimantes, ignorantiam invincibilem ſolius cenſuræ, non eſſe ſufficientem ut excuſet quem, quo minus cenſuram incurrat: ſuntque *Covarr. in Cap. Alma mater p.p.* §. 10. *n.* 9. Ubi hanc eſſe communem Canoniſtarum teſtatur *Corduba in q. q. Theol. lib.* 2. *qu.* 25. *in princip. Gaſpar. Hurtad. de Cenſ. in Comm. Diffic.* 22. *Verſu, Addunt Suar.*, & alii apud *Leandr. de Cenſur. in Comm. tract. p. diſp.* 9. *qu.* 7. Contra quos tamen probatur noſtrum propoſitum privilegium: Quia cenſura, quatenus cenſura eſt, non incurritur ab aliquo, niſi præcedat monitio ſub comminatione ejuſdem cenſuræ, ut in præcedentibus eſt habitum: at qui ignorat cenſuram quamvis ſciat præceptum, & admoneatur per illud, non admonetur tamen ſub comminatione cenſuræ: ergo illam non incurrit: ſicque excuſatur. Probatur præterea hoc idem privilegium iiſdem rationibus, quibus probatum fuit præcedens. Quibus rationibus, accedit etiam Authoritas *Navar. in Summ. cap.* 27. *n.* 16. *Sanch. de Matrim. libr.* 9. *diſput.* 32. *nu.* 13. cum *Hoſtienſ. Angel. Sylv. Soto, Lopez, Manuel., Philiarco, Ovardo, Vega, Cannedo, Ledeſ., Henriq., & Graff.* ab eodem ibidem relatis. *Suar. de Cenſ. diſp.* 4. *ſec.* 9. *nu.* 19. *Bonac. De Cenſuris in comm. diſp. p. qu.* 2. *punct. p. propoſit.* 3. *n.* 13. *Leandri De Cenſ. in Comm. tract. p. diſp.* 9. *qu.* 7. & aliorum plurium unanimiter cenſentium, *Ignorantiam invincibilem ſolius Cenſuræ, ſufficere, ut aliquis ab incurſione ejuſdem excuſetur; etiam ſi aliàs ſimplex præceptum Eccleſiæ non ignoret*. Et eorum quamplures (ut videre eſt apud ipſos) loquuntur univerſaliter, nedum videlicet de tribus cenſuræ ſpeciebus, nempe excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, verum etiam de Irregularitate ex delicto proveniente. Sed

124 Oppones Adverſariorum fundamentum: Generaliter loquendo, ignorantia pœnæ legis, non impedit quominus tranſgreſſor voluntarius illius, pœna ejuſdem legis puniatur: ergo ſatis eſt ad incurrendam pœnam cenſuræ, quod ſciat quis actum jure humano eſſe prohibitum, nec erit neceſſe,

esse, quod ipse agens contra legem, sciat pœnam censuræ pro eo actu constitutam esse, consequentia sequitur. Antecedens verò inductione probatur. Nam blasphemus, homicida, adulter, fur, & similes, de facto puniuntur pœnis legalibus talium delictorum, sive eas ignoraverint, sive non, ut constat. Respondeo negando consequentiam: ad antecedens: & rationem ejusdem per inductionem, dico, cum *Suar. l. c. n.* 20. & aliis; non fundari nostrum privilegium, nec nostram doctrinam in generali principio, ut nemo incurrat pœnam legis, si ignoret pœnam, cum delinquit contra legem, hoc enim satis improbari & nos existimamus. Fundatur ergo privilegium, & nostra doctrina in peculiari natura, & conditione hujus pœnæ, quæ est censura, quia requirit hæc peculiarem modum contumaciæ, & inobedientiæ: eo quod non ordinetur per se primò ad puniendum delictum commissum, eo tantum quod commissum est, sed ad emendationem ejus, vel ad cogendum peculiari modo ne committatur, scilicet, sub illo peculiari, & rigoroso modo præcipiendi sub comminatione Censuræ. Hinc censura pœna est medicinalis, & ideò postulat etiam peculiarem modum contumaciæ, & inobedientiæ, quem aliæ pœnæ non postulant; sicque ruit adversaria oppositio.

PRIVILEGIUM QUINTUM.

Ponens actum peccaminosum, & culpabilem, & cum aliqua circumstantia, aut qualitate culpæ, ob quam imposita est Censura, ab incursione ejusdem Censuræ excusatur, si talem circumstantiam invincibiliter ignoret.

125 Ità est, & sequitur manifestè ex dictis. Unde si quis Clericum percutiat, Clericatus invincibiliter ignarus, in excommunicationem non incidit. Ratio est, quia licet talis ignorantia non excuset factum à culpa, seu malitia homicidii, excusat tamen à malitia sacrilegii homicidii Clerici, ob quam tantum lata est excommunicatio: ergo si talis ignorantia excusat à culpa talis qualitatis, & circumstantiæ, uti certè excusat ob invincibilem ignorantiam, excusabit consequenter à censura, cum hæc propter culpam dictæ circunstantiæ inflicta sit. Et hoc idem expressè habetur *in Cap. Si verò, el 2. De sententia Excommunic.* sub his verbis: *Si verò aliquis in Clericum nutrientem Comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui: nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit.* Et denuo *Glossa ibidem: Verbo Ignoraverit*: ait sic: *Ita quod ignorantia probabilis fuerit, aliàs non excusaret*: quod totum est ad casum, ac privilegium nostrum, ut patet; & admittitur etiam à Doctoribus, quos refert, & sequitur *Leander ubi supra qu.* 10.

126 Quæres hìc, An qui percutit Paulum Clericum, credens invincibiliter illum non esse Paulum, sed Petrum etiam Clericum, Censuram excommunicationis incurrat? Respondeo affirmativè cum *Corduba in Quæst. Theolog. lib. 2. qu. 26. Versu, Secundò probatur eadem pars. Sanch. de Matrimon. lib. 9. disp. 32. n. 27. Bonac. De Cens. disp. p. q. 2. punc. p. n. 20. Leandr. l. c. qu. 11.* & aliis ab his relatis. Ratio est, quia nulla in hoc casu contingit ignorantia, quæ constituat percussorem involuntarium quoad Clerici percussionem, & injuriam: quamvis enim dicta percussio sit involuntaria respectu personæ percussæ in particulari, respectu scilicet Pauli, ratione erroris, & ignorantiæ invincibilis; est tamen voluntaria ratione sacrilegæ percussionis, aut injuriæ factæ statui Clericali, contra quem lata est excommunicatio. Hinc *Herinq. lib. 13. cap. 23. n. p.* ad hunc casum optimè sic: *Si agnovit esse hominem, & Clericum, incurrit Sacrilegum Clericidium: & de eo percussus justè conqueritur, quod videns eum esse hominem, & Clericum, sponte percusserit, cum id malum, & damnum vitare teneretur. Quare hic fit excommunicatus, & irregularis.*

127 An verò incidat in excommunicationem, & irregularitatem, is, qui proiicit saxum, vel aliud, quo percutiat Caium Clericum, sed fortè casu, & inculpabiliter percutit, vel occidit alium Clericum illac transeuntem. Responsio est negativa, quam tenent *Sanch. n. 27. cit. Bonac. cit. n. 20. Leand. l. c. qu. 12.* & alii apud ipsos. Quia percussio dicti Clerici est inculpabilis, ut supponit casus: Censura autem solum incurritur ob culpam mortalem. Nec hujusmodi casus (ut advertit etiam *Sanch. n. cit. in fine*) est similis illi, quem numero præcedenti affirmativè resolvimus. Nam in illo, affectus, & opus ipsum externum, sunt penitus mala, & injusta; siquidem affectus fuit Clericum percutiendi, & adfuit voluntas illum Clericum (putando esse alium Clericum) cædendi, sequutumque est opus. In hoc verò casu, solus affectus fuit malus, qui non inducit censuram: opus autem externum cæsionis

illius, omninò fuit præter voluntatem, ac proinde culpa vacans, & consequenter incursione censuræ.

128 Et hìc obiter nota cum *Bonacina punct. p. cit. n.* 19. Exercentem hujusmodi actum externum, quo fortuitò, videlicet, & casualiter occidit alium Clericum, nedum excusari ab incurrenda excommuicatione, & irregularitate proveniente ex delicto, verum etiam excusari à restitutione: *nam ignorantia comitans* (uti est præsens) *excusat* (sic Bonac.) *actionem externam à peccato, propterea occidens hominem, quem credebat esse feram, non tenetur ad restitutionem ratione homicidii, etiamsi comisisset homicidium si cognovisset illum esse hominem. Et ratio est, quia dicta actio externa, non habet malitiam injustitiæ, quamvis affectus, & desiderium injustum esset: obligatio autem restituendi oritur ex actione externa injusta, non verò ex affectu, & desiderio præcisè:* ità *Bonac.*

129 Insuper hìc obiter nota, quod percutiens Laicum, ex ignorantia credens ipsum esse Clericum, eo quod tonsuram deferat, non incidit in Censuram. Quia revera Clericum non percussit, sed Laicum. Sicut nec irregularis esset, si feram quis necaret, credens hostem esse. Adde quod excommunicatio non incurritur, nisi sit in jure expressa; in jure autem non est expressa excommunicatio ob percussionem Laici, nec erronea conscientia inducit excommunicationem, sed legitimus superior. Hinc non obstat, quod habuerit animum, & voluntatem percutienti Clericum, quoniam ad hoc, ut quis censuris plectatur, nec pravus affectus, vel animus, nec conscientia læsa, nec conatus sufficit, si opus externum non sequatur: Actus enim propter quem incurritur excommunicatio, non est Sacrilegium internum, sed externum, consumatum contra personam Clerici; in hoc autem casu non adest Sacrilegium externum contra Clericum, quamvis adsit internum ob errorem, & ignorantiam. Ejusdem sententię sunt *Glossa, In cap. In audientia. Verbo, Iniuriarum, in fine* (ubi expresè sic, ad hunc casum: *In veritate non est excommunicatus: licet de injuria teneatur.*) *Abbas, Ancharanus, Federicus, Astensis, D. Antoninus, Angel., Sylvest. Covarr. Lopez, Graff. Ledesma, Manuel, & Vega*, quos omnes refert, & sequitur *Sanch. disp. cit.* 32. *n.* 28. quibus adde *Bonac. l. c. n.* 22. *Suar. de Censur. disp.* 22. *sec. p. n.* 53. *Leandr. l. c. qu.* 13. & alios communiter. Quorum aliqui volunt, dictum percussorem, ob conscientiam erroneam debere se reputare excommunicatum, donec de veritate facti certior factus sit. *Quod verissimum esse* (concludit *Sanch. n. cit.*) *nemo dubitat.*

PRIVILEGIUM SEXTUM.

Ignorantia vincibilis, venialiter tantum culpabilis, excusat à Censura.

130 Excusat utique à tribus speciebus censuræ, excommunicatione videlicet, suspensione, & interdicto: & etiam ab irregularitate ob delictum: ita *Sanch. disp. cit.* 32. *n.* 29. & alii innumeri penes ipsum: immo communiter Doctores omnes apud, & cum *Leand. l. c. qu.* 14. Et ratio est certa, & communis: constat enim inter omnes quod hæ censuræ incurri non possunt absque lethali culpa, eo quod omnes sunt pœnæ gravissimæ, & ità credendum minimè est piam Matrem Ecclesiam velle iis plectere ob culpam levem, qualis est venialis: ergo ob ignorantiam, solum venialiter culpabilem, nulla censura contrahi potest. Constat autem ex dictis ad Lectorem initio hujus Tractatus *n.* 7. *in fine*, quæ sit ignorantia vincibilis, *venialiter tantum culpabilis*: & quæ culpabilis mortaliter; primum enim (ut communiter Doctores) datur in illo, qui adhibuit aliquam diligentiam ad sciendum id, quod tenetur scire, non tamen sufficientem, & necessariam ad illam ignorantiam vincendam. Secunda verò datur in illo qui aut valdè modicam, aut nullam prorsus diligentiam adhibuit ad sciendum, quod tenetur, & poterat scire. Ex his ergo ignorantiis, prima ad minus, sicut excusat à lethali culpa, ita & ab omni pœna, quę solum ob culpam lethalem incurri potest, vt sunt prædictæ Censuræ.

PRIVILEGIUM SEPTIMUM.

Ignorantia vincibilis, mortaliter culpabilis, quæ affectata, crassa, aut supina non est, etiam excusat probabiliter à Censura.

131 Quę sit ignorantia affectata (seu optata) crassa, & supina, constat ex dictis ad Lectorem initio hujus Tractatus *n.* 8. Ex quibus etiam patet, quod ut dicatur, & sit hujusmodi, idest, *optata, crassa, & supina*, debet ipsa procedere ex culpa lata, & summa in adhibenda diligentia eorum, quæ sciri possunt, ac debent. Hinc, licet

Corduba

Corduba in Quæst. Theolog. lib. 2. qu. p. Suar. de Cens. disp. 4. sec. 10. n. 10. & alii : non admittant distinctionem inter ignorantiam vincibilem mortaliter culpabilem non affectatam : & ignorantiam vincibilem mortaliter culpabilem affectatam, crassam, & supinam, nec agnoscant quæ ignorantia sit vincibilis mortaliter culpabilis, quæ non sit vna ex illis; videlicet crassa, aut supina : dicentes omnem ignorantiam mortaliter culpabilem esse crassam, vel supinam: nihilominus *Sanch. to. p. in Decal. libr. pr. cap.* 16. *n.* 7. constituit inter ipsas differentiam aliquam; & in sui sententia : Affectata, crassa, & supina dicitur, cùm quis data opera ignorare vult, ne ab actu, quem exequi optat, retrahatur, unde procedit hæc ex culpa lata, & summa, in adhibenda diligentia eorum, quæ sciri possunt, ac debent. Non affectata autem (per eundem) dicitur, quando quis non eligit quidem ignorare, at culpabiliter ignorat : quare, licet nec hujusmodi ignorantia excuset à mortali, non est tamen omninò crassa, & supina, idest, non ita summa, vel ob defectum actualis advertentiæ, malitiæ moralis, vel probabilis periculi ; aut expressæ alicujus dubitationis, vel ob aliquid aliud : Ignorantia igitur crassa, seu supina per *Sanch. l. c. & lib. 9. de Matrim. disp. 32. n. 32. & 33.* illa est, quæ ex lata ignorantis culpa procedit, utpotè qui nullam, aut valdè modicam ad sciendum diligentiam adhibuit. *Atque ita* (concludit *Sanchez n. 7. cit.*) *non omnis negligentia, sed summa, est, quæ ignorantiam crassam constituere potest.*

132 Ex ventre ergo hujus doctrinæ, ac distinctionis, eruitur privilegium propositum, in quo probabiliter affirmo, dictam ignorantiam vincibilem, non affectatam, nec crassam, seu supinam, etiam si à mortali non excuset, excusare tamen (saltem in foro interno) ab incursione Censurarum, & aliarum pœnarum ex delicto provenientium. Quod idem affirmat *Sanch. disp. cit. 32. n. 31. Versu, Secunda tamen conclusio* : Sub his verbis : *Ignorantia vincibilis, & culpabilis, facti, vel juris imponentis Censuras (licet alias factum sit damnatum) vel alias pœnas spirituales, excusat ab illis, modo non sit crassa, & supina : sive statuantur ab Episcopis ; sive Pontificiis Constitutionibus.* Et apud eundem, idem docent (tractantes de Censura Excommunicationis) *Sylvest. Verbo Excommun. 7. casu ultimo, q. 3. Angel. Verb. Excomm. 7. casu ult. n. 3. Tabiena Verb. Excomm. 7. q. p. n. 2. Petr. de Ledes. De Matrim. qu. 45. art. 5. punc. p. dub. 3. conclus. 2. fol. 172. colum. 2. in initio. Ludov. Lopez 2. p. Instruct. cap. 13. de Excomm. §. Sed iam ad 2. punctum fol.* 887. Quibus addo *Sotum in 4. dist. 28. qu. p. art. 2. Versu, Ex bis primum, colum. 5. pag. mihi* 155. ubi dicit, *ità tenere nobiles Authores* : Excusat tamen ab excommunicatione lata per inferiorem Papæ, non tamen à lata per Papam, vel jus commune. Idemque tenet *Avila de Censur. 2. p. cap. 5. disp. 5. dub. 8. conclus.* 2. addens tamen in fine : *Hæc conclusio non est mihi certa, sed quia clementior est, eam sequor.* Et hinc fortasse est, quod *Suar. n. 10. cit. in princip.* dicit, hanc eandem conclusionem, seu opinionem, non movere ejusdem authorem ex gravi, aut urgente fundamento, sed solùm ex quadam pietate, ad evitanda animarum pericula. Imò nullum habere Authorem, præter unum, vel alterum recentiorem, ibidem asserit : quod tamen non est verum, ut patet ex Doctoribus pro eadem opinione hìc citatis, qui vel ante ipsum, vel suo tempore scripsere : quibus & sequentes addendi sunt. Et primo loco : *Portel. in Dubiis Regular. Verbo Ignorantia n.* 27. ubi sic : *Ignorantia vincibilis, sive facti, sive juris, imponentis censuras, & alias pœnas spirituales, sive factum illud sit peccatum mortale, si tamen non fuerit ignorantia crassa, & supina, excusat ab omnibus illis pœnis ; & hæc conclusio est magnæ consolationis : estque intelligenda de quibuscumque pœnis, sive latis à jure communi Papæ, sive à particulari Diœcesanorum : probatur ex cap. 2. De Constitut. in 6. ubi dicitur, Ignorantia, dummodo non sit crassa, & supina, excusare ab omnibus sententiis. Vbi per verbum (Sententiæ) intelliguntur sententiæ latæ pro quibuscunque pœnis, ut jam suprà diximus. Hanc tenet Sylvest. Verb. Culpa, qu. 11. §. 14. in fine, & alii ; sicut Vivald. Candelabr. 2. p. tract. de Irregular. n. 265. & seqq. Majolus lib. 5. de Irregular. cap. 4. §. 3. n. p. Crassa verò, & supina ignorantia est illa, quæ procedit ex culpa lata, quæ intervenit in adhibenda diligentia. Culpa verò lata est (ut definit Castr. lib. p. de lege penal. cap. 14. col. 4.) quando ignorans, aut nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam, ut sciret quæ nosse teneretur. Et Graffis p. p. Decisionum lib. 4. cap. 9. n. 20. id magis explicans ait ; culpam latam, seu ignorantiam crassam esse illam, quę vel ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit. Ubi vides posse aliquem evadere prædictas omnes pœnas, etiamsi operetur culpabiliter mortaliter cum ignorantia juris, vel facti, dummodo ignorantia non sit*

crassa, &

crassa, & supina, sive magna. Hactenus *Portell.* Cujus doctrina nil discrepat (ut patet) à doctrina *Sanch.* ejusdemque sententia: pro qua etiam, secundo loco, refero *P. Dianam tomo 5. Coordin. tract. 1. ref. 33. ex p. 3. tract. 5. & Miscell. p. ref. 13.* Ubi nedum sequitur eandem doctrinam *Portel.* & *Sanch.*, cum eisdem resolvendo: verum etiam resolutionem suam, dicit, *fore plenam magnæ consolationis*: quam concludit sic: *Quidquid in contrarium asserant Sotus, Graff. Suar., & alii, quos citat, & sequitur Villalobos, Tu tene nostram sententiam ex cap. 2. de Const. in 6. ubi habetur, ignorantiam, quæ non est crassa, & supina excusare ab omnibus sententiis Ordinariorum*. Et idem docet *P. Diana eod. to. 5. Coord. tract. 5. resol. 6. n. 4. Ex p. 4. tract. 2. ref. 85.* quam sic incipit: *O quàm plausibilis erit Confessariis hæc resolutio!* quam postea concludit sic: *Ubi vides posse aliquem evadere prædictas omnes pœnas, etiamsi operetur culpabiliter mortaliter, cum ignorantia Juris, vel facti, dummodo ignorantia non sit crassa, & supina, sive magna*. Itemque tertiò idem docet *P. Diana, & eodem to. 5. Coordin. tract. 1. ref. 34. Ex par. 5. tract. 9. resol. 17.* & ibi refert *Tanner. to. 4. disp. 6. qu. 10. dub. 3. n. 47.* sic asserentem: *Sit ergo hæc generalis assertio. Ignorantia invincibilis, vel utcumque vincibilis, dummodo crassa, aut supina non sit, seu facti, seu juris, tam universalis, quàm particularis, defendit, & excusat ab excommunicatione incurrenda: ignorantia autem crassa, & supina nunquam excusat*. Ita *Tanner.*: Cui etiam addit *Diana*, *Cœlestinum in Compendio Theologiæ Moralis tract. 3. num. 2.* affirmantem pariter uti sequitur: *Dico, ignorantiam vincibilem mortaliter culpabilem, sive sit juris, sive facti, modo non sit crassa, excusare ab excommunicatione, & hoc habet locum, sive excommunicatio sit lata ab Episcopo, sive à Papa*. Et ità etiam in eandem *Sanch.*, sententiam inclinant, *Bonac. de Cens. in comm. disp. 1. qu. 2. punc. 1. n. 10. vers. Addo non improbabiliter; Leander de Cens. in Communi tract. 1. disp. 9. qu. 15. Palaus par. 1. tract. 2. disp. 1. punc. 18. n. 2. & p. 6. De Cens. disp. p. punc. 8. n. 7. Basiæus Verbo Ignorantia n. 20. Barbosa in Collectaneis Tom. 4. lib. p. Sexti Decretal. Tit. 2. c. 2. n. 8.* ubi *n. 7.* impugnat optimè *Suar.* asserentem ignorantiam crassam, & supinam, idem esse cum ignorantia vincibili; & oppositum ipse probat, unam videlicet ab altera distingui: adeò ut omnis ignorantia crassa, & supina sit quidem vincibilis: at non è converso, omnis ignorantia vincibilis sit crassa, & supina. Et easdem sic distinguit: cum *Henriq. in Summ. lib. 13. cap. 23. §. 2. Avila de Cens. p. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 8. Sanch. d. disp. 32. n. 33. & Bonac. punc. cit. n. 4.* Ignorantia vincibilis, quatenus distinguitur à crassa, & supina, contingit, quando quis non adhibuit mediocrem diligentiam, morali, & humano modo, ad sciendum id, quod scire tenetur: Ignorantia verò crassa, & supina, dicitur illa, quæ procedit ex lata culpa ignorantis, seu ex summa negligentia, ut accidit quando quis ullam, vel modicam adhibuit diligentiam ad cognoscendum id, quod scire tenetur, postquam de illo habuit aliquam cognitionem, vel dubium: Ita *Barbosa* ex doctrina *Sanch.* præcipuè, cujus sententia, & consequenter propositum Privilegium.

133 Probatur primò, Authoritate tot Clarissimorum Doctissimorum Virorum, qui hanc sententiam, & privilegium nostrum amplexantur: Quidquid dixerit *Suar.* supra, & cum ipso *Filliuc. tom. p. tract. 11. & p. de Cens. in Comm. cap. 8. n. 263. Versu, Atque hæc sententia*: hanc videlicet, *Unum tantum habere Authorem, Lopez tract. de clavibus, cap. 13. qui non movetur urgente fundamento, sed ex quadam pietate, ad evitanda animarum pericula, ut dicitur cap. 2. de Constit. in 6.* Secundò probatur: ex eodem *cap. 2. de Constit. in 6.* Ubi astruitur, quod solum ignorantia crassa, & supina, non liberat à Censuris: ibi enim sit: *Ut animarum periculis obvietur: sententiis per Statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina*: ergo quævis alia ignorantia, quæ non sit crassa, aut supina, etiam si sit mortaliter culpabilis, à censura liberabit: consequentia hæc patet, nam exeptio firmat regulam in contrariam. Et potest hoc idem confirmari, ex eo quod, si Textus relatus, dum ait: *non ligari ignorantes*: intelligeret tantùm *invincibiliter ignorantes*, nullum privilegium, seu Indulgentiam dedisset ignorantibus, qua periculis animarum peculiariter subveniret; ex natura etenim rei, *invincibiliter ignorantes, non ligantur sententiis, &c.* Imò sic, nihil Pontifex decerneret, in quo esse posset difficultas, nam ignorantia invincibilis ex natura rei excusat: ignorantia verò, quæ leviter est culpabilis, & quæ negligentiam mortalem non attingit, in omnium sententia à censuris, & qualibet pœna gravi pariter excusat, siquidem excusat à peccato mortali: Igitur dicendum

ipsum

ipſum loqui, ac intelligi debere, de aliqua mortaliter culpabili ignorantia, dummodo craſſa non fuerit, aut ſupina. Sicque ruit fundamentum *Filliucii n. cit.* 263. non alia ratione videlicet ignorantiam craſſam, & ſupinam non excuſare à Cenſura, niſi quia non excuſat à culpa gravi: Nam, nec ignorantia vincibilis, qua vincibilis, excuſat à culpa gravi, ut certum eſt, nihilominus excuſat à Cenſura, quando craſſa non eſt, aut ſupina, ut ſupra dictum, ac probatum eſt. Hinc *Sanch. n. cit. 31. in fine*, optimè concludit: quod, *ignorantia præcepti, nec excuſat, nec ſuffi:ienter accuſat ad cenſuram contrahendam, niſi juxta modum, & qualitatem ignorantiæ ipſius Cenſuræ.*

134 Quod verò, Textus prædictus, & lex dicta Canonica, extendatur etiam ad jus Pontificium, & cenſuras ejus, defendunt, *Sylv.*, *Verbo Ignorantia*, *Quæſito* 8. *verſu, Et iſta ſolutio n.* 16. *Sanch.*, *Portel. Diana*, *Tanner.*, *Cœleſtinus*, ſupra relati. Quibus addo *Baſſæum n. cit.* 20. (qui etiam concludit ſic: *Et hæc ſententia eſt tuta, & valdè notanda pro multis materiis in particulari, qua ratione poſſunt plures in foro conſcientiæ excuſari ab incurſione Cenſuræ,*) & *Palaum n. 7. cit.* ubi in fine ſic: *Nomine inquam Ordinariorum: etiam Pontifex videtur comprehenſus; quia eſt Ordinariorum Ordinarius; & quamvis ſub illo verbo non comprehenderetur tamen ob rationem decidendi illius textus, ſcilicet, ut periculum animarum evitetur, quæ in Cenſuris à Pontifice latis efficacius procedit, utpotè quæ minus publicantur, minuſque notæ ſunt, quam cenſuræ ab inferioribus latæ.* Quod idem antea docuit *Sylv. n. 16. cit.* ſub his verbis: *Ut animarum periculis obvietur, ęque militat in Papa, & magis: quia ejus ſtatutum plures ligat, & minus publicatur. Præterea, Quia ſuperfluè in d. c. Ut animarium, poneretur, Ordinariorum: Sed ſuffeciſſet dicere: quorumcumque. Sed dico, quod neceſſariò addidit Ordinariorum, ad differentiam Statutorum, quæ faciunt Communitates, quæ animam per ſpirituales pęnas non ligant: & non dixit quorumcumque Ordinariorum locorum, cujuſmodi ſunt Epiſcopi, ſecundum Gloſs. in d. c. Ut animarum; ſed quorumcumque Ordinariorum ſimpliciter, ut includeretur etiam Papa, qui eſt omnium Ordinariorum Ordinarius. Ita Sylveſter.* Quod latius proſequens *Sanch. n. cit.* 31. ait ſic: *Et eſt ibi ſermo non tantum de ſententiis Epiſcoporum, ſed etiam Summi Pontificis, cum nomine Ordinarii comprehendatur ipſe, tanquam Ordinarius Ordinariorum omnium, juxta Sylv. Verb. Ignorantia qu. 8. dicto 3. Uel ſi dicamus non comprehendi ſententias à Summo Pontifice latas ſub nomine illo Ordinarii: propter ea, quę diximus num. 8. ad finem: comprehendentur propter rationem illius Textus, ut periculis animarum obvietur, quæ ſimiliter in illis militat. Et quia major eſt ratio in Pontificiis: quippequæ minus publicantur, atque facilius, & juſtius ignorantur. Item quia omnes hæ pœnę ſpirituales, & irregularitas, ſunt pœnę contemptus: (ut probavi) at contemptus adeſſe non dicitur, quando ignorantia non eſt craſſa.*

135 Hactenus dicta, reddunt utique admodum probabile, & tuta conſcientia ſequibile (ut patet) noſtrum propoſitum privilegium; tot maximè Claſſicorum Doctorum authoritatibus, & rationibus fulcitum. Quod præterea, Tertiò, & ultimò probatur: Quia utique ex dictis probabile eſt, quod non omnis ignorantia, quæ non excuſat à mortali, poſſit dici craſſa, & ſupina: ſed ſic eſt, quod ſola ignorantia craſſa, aut ſupina, eſt, quæ non excuſat à cenſura, ut conſtat ex *c. 2. de Conſtit. in* 6. ergo illa alia, quæ non eſt talis, licet non excuſet à mortali, excuſabit tamen à Cenſura. Major, & ſi pluribus ſupra firmata ſit, ulterius probatur: quia probabile eſt, quod ad hoc ut ignorantia dicatur, & ſit craſſa, aut ſupina, debeat procedere ex culpa lata, & ſumma in adhibenda diligentia eorum, quæ ſciri poſſunt, ac debent: ergo cum detur alia ignorantia mortaliter culpabilis, quæ non ſit ità ſumma, excuſabit hęc à Cenſuris, & pœnis. *Hæc Confeſſarii in mente habeant* (inquit *P. Diana p. 3. tract. 5. & Miſcell. p. reſ. 13. in fine*) *nam ex illis non pauci ab incurſione cenſurarum immunes erunt.* Ex hac autem doctrina, per ignorantiam videlicet etiam culpabilem, dummodo non ſit craſſa, & ſupina, aliquem non incurrere in cenſuram obſervat *Hurtado de Mendoza Vol. p. in 2. 2. D. Thom. diſp. 8. ſec. 5. §. 42.* (apud *Dianam p. 5. tr. 9. reſ. 17.*) ſequi eandem omninò eſſe rationem de actuali inconſideratione inculpata. Ex. gr. ſi quis hæreſim profert, quam nunquam cognovit eſſe excommunicatione prohibitam, hìc non præſtringitur excommunicatione, quia abſque culpa eam ignorat: ſi autem eam aliquando cognovit, deinde quando hæreſim loquitur, eſt omninò, & inculpatè oblitus excommunicationis, in eam non cadit, quia tota ratio malitię, & contumaciæ conſiſtit in actuali peccato, ut oritur ab actuali cognitione, vel culpata carentia cognitionis: cognitio enim, vel ejus carentia jam præterita, & nullo modo

manens,

manens, non ſunt cauſa actus voluntatis exiſtentis illis poſterius, ſed actuale peccatum, nec oritur cum cognitione cenſuræ, nec cum ejus culpata carentia: ergo eadem ratio eſt, ac ſi nunquam cognitio fuiſſet. Hæc *Hurtado*. Ex dictis autem.

136 Deducitur primò, tanquam quid certum, ignorantiam affectatam non excuſare à Cenſuris; tum quia id conſtat ex *d. cap. Ut animarum*. Ubi apertè habetur, quod ignorantia craſſa, aut ſupina non excuſet quem à Cenſuris contrahendis; multo minus ergo à fortiori excuſabit affectata (ſeu optata) cum hęc magis augeat voluntarium, & conſequenter peccatum, ut cum communi docet *Covuarru. in. c. Alma, p. puncto, §. 10. n. 17. Verſu, Illud ſanè*. Tum quia ignorantia affectata, ſeu optata, eſt illa, qua quis ignorat id, quod ſcire tenetur, eligens, illud neſcire, ut liberius peccet, hinc directè eſt volita, directè cauſat voluntarium, conſequenter peccatum, atque adeò nequit excuſare quem à Cenſuris: ſic cum *D. Tho. p. 2. qu. 76. art. 3.* (apud, & cum *Leandro diſp. cit. 9. qu. 16.*) *D. D. omnes*.

137 Deducitur ſecundò: Nec ignorantiam craſſam, aut ſupinam tàm facti, quàm juris excuſare, ſeu liberare à Cenſura (quidquid apud eundem *Leand. qu. 17.* affirmet contra, licet ex parte ſolùm, *Bauny tr. p. de Cenſuris qu. 18.*) Idq; patet apertiſſimè, tum *ex eodem Cap. Ut animarum cit.* ubi dicitur: *Statutis Ordinariorum excuſare ignorantes, dum tamen eorum ignorantia non fuerit craſſa, aut ſupina*; ergo ſine diſtinctione ulla, ignorantia ligat quandocumque fuerit craſſa, & ſupina: Tum etiam quia, cùm ignorantia craſſa, & ſupina, ex dictis, & per nos procedat ex culpa lata, & ſumma, reddit conſequenter ignorantem in ſtatu contumaciæ, & inobedientiæ, ſaltem virtualiter, & indirectè: cum voluntariè negligat legem, aliàs ſatis publicam, & omnibus notam: Unde tam craſſa ignorantia nequit eum excuſare ab incurſione Cenſuræ, ſi ex ignorantia eadem, factum ſub Cenſura prohibitum efficiat. Satis enim eſt, quod lex, quantum eſt ex ſe, illum admoneat: quamvis ejus admonitio ad aures ejus non pervenerit, ex ſupina, & ſumma ejus negligentia. An verò ignorantia craſſa excuſet ſaltem à Cenſura quando hæc impoſita eſt facienti aliquid *ſcienter*; in privilegio ſequenti: unde ſit.

PRIVILEGIUM OCTAVUM.

Ignorantia etiam craſſa excuſat à Cenſura, quando hæc impoſita eſt facienti aliquid ſcienter.

138 Uti certum admittit hoc privilegium *Leander diſp. cit. 9. qu. 18.* ſub his verbis: *Ut mihi certum reſpondeo: Excuſare: Quia quando aliqua Lex, & Canon non addit illam particulam (ſcienter) craſſa ignorantia requiritur, ut ignorans non excuſetur ab incurſione cenſurę, ut quæſt. anteced. eſt habitum: ergo amplius requiritur, quando addit (ſcienter) aliàs fruſtra adderetur: ergo ad incurſionem Cenſuræ non ſufficiet tunc ignorantia craſſa, aut ſupina: quia videlicet, lex noluit Cenſuram inferre, niſi contra ſcienter peccantes, non contra ignorantes craſsè, aut ſupinè. Sic Henriquez lib. 13 cap. 23. n. 3. initio: Sic dicens: Si excommunicatio, ſub his verbis feratur: (Qui ſcienter, vel actu temerario fecerit, vel qui præſumpſerit) excuſatur ab illa, qui ignorat etiam ignorantia craſſa*. Et hoc idem privilegium recipit etiam *P. Diana par. 3. tract. 5. & Miſcell. p. reſ. 13.* dum ibi ſic. *Notandum eſt ignorantiam quantumcunq; craſſam (niſi eſſet ingens temeritas) & latam culpam, excuſare à pęna impoſita ſcienter aliquid facienti*. Quod pariter antea recepit, atq; admiſit *Navar. in Summa cap. 27. n. 140. Verſu, Declaratio prima, quod hæc ligat: pag. mihi 566.* hiſcemet verbis: *A pęna iſtius Clement. ſola ignorantia facti probabilis excuſat; ſecundum Gloſſ. Verbo Scienter; quam dixit ſingularis Præpoſitus in cap. Ex parte p. columna penultima, de appellat. contra quam tenui prælegendo illam Salmanticæ; & nuper conſulendo in ſacro Pęnitentiariæ prætorio cum Joanne Imol. & Bonif. ſuper eadem. Tum quia dicta Clem. non loquitur ſimpliciter, ſed de contrahente ſcienter: & lex puniens facientem aliquid ſcienter, requirit dolum, l. ſed ſi lege, §. ſcire, ff. de petit. hæredit. à quo qualibet ignorantia etiam craſſa excuſat, l. igitur ff. de liber. cau. & l. plagii, C. ad Flau. de plag. ubi Gloſſa hoc dicit citans in id alias leges, verb. Juſta. Tum quia, alioqui nihil refert, an lex diceret ſimpliciter, qui contrahit, vel qui ſcienter contrahit; quod eſt contra mentem omnium. Tum quia certum eſt, quod quacumque ignorantia quis aliquid faciat, verè non facit ſcienter: & ità verè non continetur lege data contra facientem ſcienter: quamvis quoad forum exterius aliud interdum præſumi poſſet, ſed hic de foro conſcientiæ agimus*. Hactenus doctiſſimus

Navarr. cui præterea addo *Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 32. n. 36. & Tom. p. in Decal. lib. 2. cap. 10. n. 38. Bonac. de Censur. in comm. disp. p. qu. 2. punct. p. n. 11. Avilam de Censuris 2. p. cap. 5. disp. 5. dub. 9. concl. p. & cap. 6. disp. 10. dub. 6. Dico primò. Basil. Pont. de Matrim. libro 10. cap. 6. Gaspar. Hurtad. de Censur. in communi Difficult. 21. Versu, Conueniunt Tertiò. Molinam de Just. to. 4. tract. 5. disp. 71. n. 13.* & alios, qui ad abundantiam videri possunt apud citatos. Videatur præcipuè *Cajet. in Summ. Verbo Excommunicatio:* ubi tradens hanc eandem doctrinam, explicat ferè singulas excommunicationes.

139 Ratio autem sic suadet propositum privilegium. Quia pœnæ, ut in jure dicitur, leniendæ potius sunt, quam exagerandæ, *c. pœnæ, de pœnit. dist. 1. & l. pœnis, ff. de pœnis*. Quando autem lex requirit scientiam, & dicit: *Si scienter, si præsumpserit, si ausus fuerit, &c.* ipsamet lex moderatur pœnam, neque vult illam incurri, nisi quando peccatum, aut factum contra legem, talem circumstantiam habet. Quare, quando adest ignorantia etiam crassa, excluditur ille modus, quem lex requirit ad inflictionem pœnę. Cùm ergo lex *scientiam petit*, quævis ignorantia etiam crassa, excusat à pœna eiusdem legis; alioqui, ut optimè *Navarrus* suprà, nil referret, an lex diceret simpliciter, qui contrahit, vel qui scienter contrahit; quod est contra mentem omnium. Et confirmatur: nam juxta veriorem sententiam superius traditam, quando lex, & canon, non addit *scienter*, desideratur crassa ignorantia, ne ignorans excusetur: ergo amplius requiritur, quando addit *scienter*; aliàs frustra adderetur. Adde, quod tunc Ecclesia intendit punire delictum expressè, & formaliter volitum, præmissa illius notitia, quod non contingit, ubi adest ignorantia etiam crassa; eo quia tunc verè non adest notitia illius, & solum est virtute volitum. Et si dicas, idem esse scire, & debere scire. Respondeo, id esse verum quoad peccatum, secus quoad pœnas. Vide *Sanchez num. 36. citat. & num. 38. citat. in Decal.* Ex quo: & ex dictis:

140 Infertur, quod cùm *in Bulla Cœnæ* ex. gr. excommunicentur Hæreticorum Libros (hæresim continentes, vel de Religione tractantes) sine authoritate Sedis Apostolicæ, *scienter*, legentes, retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore. Ab hac censura eximuntur hi, qui quodvis horum fecerint, ignorantia, quantumvis crassa, & lata culpa: nisi adeo crassa fuerit, ut extiterit ingens, temeritas: & ratio est, quia dicta clausula, *scienter*, petit hæc fieri: Ut *scienter* videlicet, legant, teneant, imprimant, defendat, &c. prædictos Libros. Quod utique advertendum est valdè, pro omnibus etiam aliis materiis in particulari, continentibus eamdem clausulam, ratione cujus quamplures in foro conscientię excusari poterunt ab incursione censurę: hinc concludendo, repeto *P. Dianæ* monitum: *Hæc omnia*, videlicet, *Confessarii in mente habeant: nam ex illis non pauci* (imo *innumeri*, addit *par. 5. tr. 9. res. 17.*) *ab incursione censurarum immunes erunt*. At nedum *ex illis*, ideſt ex dictis, verum etiam ex mox, & in sequentibus dicendis, quamplures ab incursione censurarum immunes erunt, quæ & propterea, tenaciter etiam à Confessariis in mente erunt retinenda. Neque contra hoc privilegium vim habet, si ei obiicias ex ipso sequi dari ansam multis non curandi de scientia legum, eo quod ignorantia crassa excusat à multis Censuris: Negatur enim sequela, quia in tali casu eorum ignorantia evaderet affectata, & cum dolo, sicque æquivaleret scientiæ: hinc ruit objectio.

PRIVILEGIUM NONUM.

Ignorantia etiam supina excusat, sicuti excusat crassa, à Censura inflicta contra facientem aliquid scienter.

141 Sequitur hoc privilegium ex precedenti: imò utriusque eadem est ratio formalis; cum utraque ignorantia, tam crassa videlicet, quam supina eandem vim habeat; differunt enim inter se solum in modo significandi, ut superius dictum est. Et ideo absq; ulla distinctione idem de utraque affirmant Doctores, præcipuè privileg. antecedenti citati, indifferenter asserentes ignorantiam crassiam, & supinam excusare à Censura inflicta contra facientem aliquid *scienter*. Quam excusationem, uti certam respectu utriusque ignorantiæ, sustinet *Leander disp. cit. 9. qu. 18. & 19.* Et licet *Henriq. lib. 13. cap. 23. n. 3.* videatur esse contrarius, dum ibi sic: *Non tamen excusat si faceret ex ignorantia supina, & affectata: quæ perinde est in re morali, ac si directè, & scienter præsumeret facere contra excommunicationem: Sanchez* tamen *lib. 9. de Matrim. disp. toties cit. 32.*

num. 39. Explicat eundem *Henriq. l. c.* solùm velle affirmare, quod quando ignorantia est adeò crassa, aut supina, ut esset ingens temeritas; tunc non excusaret à Censura Canonis contra *scienter facientes* lata, eo quod tunc iam dicerentur in dolo esse. *Non est autem ingens temeritas* (ait idem *Sanch. in Decal. tom. 1. lib. 2. cap. 10. n. 38. in fine*) *nisi quando vehementem suspicionem habet Censuræ, &c. Tunc enim reputatur sciens.*

142 An verò sicuti ignorantia crassa, & supina excusat à Censura, *scientiam* exigente; excuset etiam ignorantia effectata? Affirmat *Gaspar. Hurtad. De Cens. in Comm. diffic. 21. n. 92. Quia* (inquit) *quod fit ex ignorantia, vel cum ea, quæcumque sit, non fit scienter, nec cum dolo, quia verè fit ignoranter: & quamvis dicta ignorantia ferè æquivaleat scientiæ, seu dolo, quoad incurrendam culpam, non tamen quoad pœnam, quando hæc imponitur contra scienter, seu ex dolo peccantes. Et ob eandem rationem excusat à Censura lata contra eos, qui aliquid facere præsumpserint, aut contra eos, qui ausu temerario aliquid fecerint; quia pro eodem sumuntur; & idem est aliquid facere scienter, seu ex dolo, & illud facere ausu temerario, & præsumere illud facere, imò & illud contemnere.* Ità *Hurtad.* Et ità etiam tenent *Filliuc. to. 2. tract. 22. cap. 7. n. 205. Bonac. De Cens. in Comm. disp. p. qu. 2. pun. p. n. 11. Sanch.* se retractans *in Summa to. p. l. 2. cap. 10. n. 38. P. Duardus in Bullam Cœnæ lib. 2. in Canon. p. qu. 36. n. 3.* & alii: Quorum ratio est, quia verba legis pœnalis non sunt extendenda ultra proprium significatum, sed qui operatur cum ignorantia affectata non operatur scienter, ergo non incurrit in excommunicationem, & censuram contra aliquid *scienter* facientes latam; quod procedit, sive ignorantia affectata sit juris, sive facti. Hinc ex his aliqui docent, Libros hæreticorum ignorantia affectata legentes, non incurrere in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ, quæ fertur contra scienter legentes. *Diana p. 3. tract. 6. & Miscell. 2. res. 7.* admittit hanc sententiam uti probabilem.

143 Sed probabiliùs respondeo. Non excusare. Tum quia ignorantia affectata, qua videlicet, ignorans eligit nescire, quò liberius peccet; non minuit, sed potius auget culpam, & facit actum directè, & per se voluntarium, cum directè, & per se eligatur: teste *D. Tho. p. 2. qu. 76. art. 4. in corpore*: ergo non excusat à Censura *scientiam* exigente. Tum quia ignorantia affectata æquivalet scientiæ, & dolo: ergo quisquis cum illa contra censuram, *scientiam* requirentem, operatur, perinde est in re morali, ac directè *scienter*, temerariè, & præsumptuosè, contra Censuram facere. Ergo clarè constat quod ignorantia affectata non potest quem à Censura excusare. Antecedens, in quo posset esse difficultas, clarè patet ex *cap. Eos qui, de tempor. Ordin.* Ubi apertè ignorantia affectata, æquiparatur *scientiæ*, iis verbis: *Eos, qui Clericos parochiæ* (idest Diœcesis) *alienæ, absque Superioris Ordinandorum licentia, scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito, præsumpserint ordinare; per annum à collatione ordinum decernimus esse suspensos.* Ita *Gregorius X.* & cum eo *Glossa ibi, verbo Affectata*, per sequentia verba: *Æquipollent ergo scientia, & affectata ignorantia, de clan. desp. cum inhibitio. & dicitur affectata, ex quo scire potuit, sed noluit, imo dissimulavit. C. de incest. & inutil. nupt. l. qui contra.* Sic *Glossa*. Et *Covarru. in cap. Alma mater p. p. §. 10. n. 17. Versu, Decimoquintò, fol. mihi 419. col. p. Id verò* (ait) *poterit accidere, propter ignorantiam affectatam, quæ cùm directè volita sit, eandem habet scientiæ conditionem, & idem operatur, quod operaretur sciētia si adesset.* Hanc nostram responsionem, & sententiam præterea tenent, *Gloss. Clem. p. verbo Scienter, De Consang. Franc. cap. 2. n. 4. de Constit. in 6. D. Anton. 3. p. tit. 24. cap. 34. statim in principio. Rosella Excommunicatio p. Casu 43. n. 2. Sylvest. Excommunicatio 9. Casu 41. n. 76. in fine. Tabiena. Excommun. 5. casu 49. n. 3. notabili 2. Graff. p. p. Decisionum lib. 4. cap. 9. n. 38. Henriq. lib. 13. cap. 23. n. 3. Petrus de Ledesma in Summa cap. 8. de Excomm. dub. ultim. dicto 3. Suar. disp. 4. de Censur. sec. 10. n. 3.* quos omnes refert, & sequitur *Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 32. n. 40.* quamvis contrarium doceat *in Summa n. 38. cit.* Hisque addi possunt, *Molina de Justit. to. 4. tract. 5. disp. 71. n. 13. Coninch. de Cens. disp. 13. Dub. 11. n. 93. pag. mihi 466. Avila de Censur. par. 2. c. 5. disp. 5. dub. 9. Conclus. 2. Filliuc. to. p. tract. 11. cap. 8. qu. 12. dicto p. n. 260. Versu, Secundum, de affectata* (quamvis postea *to. 2. tract. 22. cap. 7. n. 205.* oblitus sui, oppositum doceat). *Palao tom. p. tract. 2. disp. p. punc. 18. num. p. Leander disp. cit. 9. qu. 21.* & alii apud citatos: unanimiter omnes in hoc convenientes, quod ignorantia affectata scientiæ æquiparatur.



PRI-

PRIVILEGIUM DECIMUM.

Ignorantia intem crassa, & supina, excusant à Censura lata sub his verbis: Si quis præsumpserit: *Vel*, Si quis ausus fuerit: *Vel*, Ausu temerario fecerit.

144 UT certum recognoscit *Leander* hoc privilegium, *disp. toties cit. 9. qu.* 20. illudque communiter admittunt Doctores superius citati, nobiscum sentientes, ignorantiam crassam, & supinam excusare à Censura inflicta contra facientem aliquid *scienter*. Ratio autem hujus privilegii est. Quia haud dicitur *præsumere*, nec *ausu temerario facere*, qui ignorantia crassa, aut supina, aliquid facit: eo quod præsumptio, & audacia temeritatem, & dolum importent: Sed sic est, quod Censura, & Canon petit dolum: ergo non satis est ignorantia crassa, seu supina, ut latè etiam probat *Sanch.* (cum aliis pluribus) *De Matrim. lib. 9. disp. 32. n. 37. & 38.* & confirmat *Suar. de Cens. disp. 4. sec. 10. nu. 2.* dum ibi sic: *Si lex adhibeat aliquam particulam, qua ex proprietate suæ significationis requirat scientiam; tunc etiam si ex ignorantia vincibili id fiat, non incurretur censura: quia talis lex noluit censuram ferre, nisi contra sic peccantes. Quæ autem sint particulæ habentes hanc vim, ex proprietate Latini sermonis, & significationis pendet: Communiter autem esse solent hæ: (Scienter, Consultò, Qui præsumpserit, qui contempserit, qui temerè, vel qui temerarius violator extiterit.)* Hinc *Candidus Disquisit. 22. art. 32. dub. 2.* ex *Sanch.* & *Suar.* allegatis, pariter sic ait: *Idem dicendum est, quando Canon præcipit, vel punit aliquid, sub pœna Censuræ, si adhibet has particulas (Si quis ausus fuerit; vel ausu temerario fecerit; si quis consultò: si quis præsumpserit; si quis temerè; si quis temerarius violator extiterit) non incurrit scilicet censuram, si quis laborans ignorantia crassa, & supina transgreditur legem, si lex adhibeat aliquam ex particulis enumeratis. Ratio hujus conclusionis est, quia Ecclesia in dictis casibus, solum intendit punire delictum formaliter, & expressè volitum, quod præsupponit illius notitiam: Sed ignorantia, etiam si sit crassa, & supina, non supponit delictum directè, & formaliter, & expressè volitum, sed tantum virtualiter, & indirectè, ergo &c.* Sic ille apud *Leandrum qu. 20. cit. in fine*. Ex hac doctrina, & Privilegio, quamplura inferes in particulari, quarum aliqua videri possunt apud nostrum *P. Duardum in Bull. Cœnæ Domini Canon. p. qu. 36. à n.* 10. in quo sic: *Inferes, quod si quis deputatus ad Confessionem ex ignorantia crassa absolverit aliquem à Censuris in Bulla Cœnæ contentis extra mortis articulum, & sine licentia Romani Pontificis, non incidit in excommunicationem, vi eiusdem Bullæ latam contra absolventes à dictis censuris; quoniam ibi excommunicatur hi, qui præsumpserint absolvere ab hujusmodi censuris. Quocirca ad incurrendam prædictam excommunicationem exigitur scientia, dolus, ac temeritas ex parte absolventis.*

PRIVILEGIUM UNDECIMUM.

Ignorantia concomitans excusat semper operantem à Censuris incurrendis, & pœnis.

145 UNde si quis ex. gr. Clericum cędat, & ignarus prorsus sit clericatus, evadet excommunicationem, etiam si eo animo affectus esset, ut cognito clericatu, minimè à percussione abstineret. Vel si quis hostem necans, credens invincibiliter esse feram, ab irregularitate similiter excusabitur, esto etiam eo animo esset, ut rei veritatis conscius, adhuc necaret. Ratio est, quia licet ignorantia hujusmodi concomitans non excuset à peccato ignorantem ratione illius pravæ dispositionis, & affectus, quem habet circa obiectum ignoratum: excusat tamen utique à peccato opus illud externum, cnm hoc opus non procedat ex prava illa voluntate: sed sic est quod Ecclesia suis Censuris, & pœnis non punit actus internos, sed externos tantùm: ergo cum in hoc eventu, actus, seu opus ipsum externum à culpa excusetur, eximetur subinde ab excommunicatione, suspensione, interdicto, & ab aliis pœnis. Confirmatur primò ex *Suarez de Censur. disp. 4. sec. 8. num. 19. & Filliuc. to. p. tract. 11. cap. 8. qu. 9. Dicto 2. num. 247.* Quia vel ea prava, animi, voluntatis, & affectus dispositio, est tantùm habitualis, seu in causa, & radice, ut est odium inimici, quod in animo, & voluntate est radicatum, actu tamen, non exercetur, & hæc nihil facit ad culpam, quia per habitualem dispositionem non peccamus formaliter, sed per actualem, donec in actum prodeamus: sicuti ad culpam non facit, nec peccat qui ex vehementi concupiscentia, seu affectu, accedit ad non suam, quam existimat esse suam: vel qui comedit carnes die prohibito, id ignorans: hujusmodi enim concomitantia nihil facit ad culpam. Vel est actualis; ut si

ut si haberet hunc actum: *Utinam esset Clericus, nam etiam si talis esse, adhuc occiderem*. Et hæc facit quidem ad culpam internam Sacrilegii, sed non externam, quia externa illa occisio non procedit ex illa interna, cùm sit tantùm conditionalis voluntas: *si esset Clericus*: Sed ex altera absoluta; *Volo occidere quod video*. Quod existimat invincibiliter esse feram, & ideo cùm illa actio externa ignoranter fiat, excusabit. Sic etiam *Corduba l. 2. qu. 16. in fine, in resp. Argum. 7.* Confirmatur secundò: quia licet affectus, & actus etiam elicitus à voluntate, supponatur, & sit peccatum mortale Sacrilegii, est tamen merè internum, & nihil influens in illam actionem exteriorem occisionis: ergo cum illam non reddat peccaminosam, nec quid confert ad Censuram incurrendam. Ita *Sanch. disp. cit. 32. n. 26.* Sub his verbis: *Recedens à sententia contraria, existimo ignorantiam concomitantem semper excusare ignorantem ab excommunicatione, irregularitate, obligatione restituendi, ceterisque pœnis, etiamsi adsit prauus ille affectu circa obiectum, quod ignoratur. Ratio est: quia licet ignorantia concomitans non excuset à peccato operantem circa illud obiectum, quia talis naturæ est, ut cum illa maneat peccati affectus circa obiectum ignoratum: at re vera excusat opus externum cum illa factum à peccato. Cum ex ignorantia inuincibili proficiscatur, nec illud opus ex ea praua voluntate processerit. Solum enim feram interficere, aut laicum cædere intendebat. Vnde dum D. Tho. ait, eam non excusare à peccato, intelligendus est, non omnino excusare: quia manet peccatum praui affectus. Cum ergo excommunicatio, irregularitas, & ceteræ pœnæ non incurrantur ob solum prauum affectum, Ecclesia enim non punit actus internos. Nec etiam obligatio restituendi ex sola praua voluntate, quæ nocere nequit, sed ex actione ipsa externa iniustè oriatur: & in hoc euentu opus ipsum externum à culpa, & iniustitia excusetur; eximetur subinde ab excommunicatione, irregularitate, aliis pœnis, restituendique obligatione.* Ità *Sanch. l. c. & lib. p. in Decal. cap. 16. nu. 13.* & alii apud ipsum. Et ita etiam tenent *Vasq. p. 2. qu. 76. cap. 3.* & alibi. *Suar. de Censur. disp. 4. sec. 8. nu. 9. Molina de Iust. to. 4. disp. 53. num. 2. Vers. De eo verò: Filliucc. to. p. tract. 11. cap 8. qu. 9. Dicto 2. nu. 247. Bonac. de Censur. disp. p. qu. 2. punc. p. nu. 14. Bassæus Verbo Ignorantia n. 18. Palao tom. p. tract. 2. disp. p. punc. 17. n. 3. Leander par. 4. tract. p. de Cens. in communi disp. cit. 9. qu. 22. & 23.* & alii plures, apud citatos præcipuè. Contra *Couarru, Vgolin. Manuel. Graff.* & alios, relatos à *Sanch. n. n. c. c.* Quorum omnium fundamentum est: Quod ignorantia concomitans, ratione pravæ voluntatis, à peccato minimè excusat, consequenter nec à Censuris excusabit. Ruit tamen hujusmodi fundamentum, quia licet à peccato non excuset ignorantia concomitans ratione pravæ voluntatis, ut concessum est; excusat nihilominus externum opus à culpa, cum hoc minimè procedat, ut dictum est (stante dicta ignorantia) ex prava voluntate, quod sufficit ad evadendas censuras, & pœnas, ut probatum est.

146 Et Confirmatur magis: Quia Censuræ incurruntur ob peccatum externum, opus autem externum factum cum ignorantia concomitante, non est peccatum; non enim potest esse peccatum sine voluntario, nec voluntarium potest esse cum ignorantia, cum voluntarium, inquit *Aristoteles 3. Ethic. cap. p.* sit à principio cognoscente singula, in quibus est actio. Cum ergo actus ille externus non fuerit præcognitus, non potest dici voluntarius, nec imputari potest ad peccatum, vel ad Censuram incurrendam, cum ad incurrendam Censuram requiratur, ut actus externus habeat malitiam prohibitam sub censura; qualem non habet actus factus cum ignorantia concomitante: quamvis enim ille affectus pravus, & desiderium actuale homicidii, sit peccatum, nihilominus actus ille externus homicidii non imputatur ad culpam, cum non procedat ab illo interno desiderio, & pravo affectu contra inimicum, sed ab intentione occidendi feram. Nec valet sic contra arguere: Dans operam rei illicitæ incurrit Censuram faciendo actum prohibitum sub censura; Sed percutiẽs Clericum, quem credebat esse Laicum, dat operam rei illicitæ; ergo percutiens Clericũ, quem credebat esse Laicum, incurrit censuram excommunicationis impositã ob Clerici percussionem: Non inquam valet, nam respondeo, negando, eum, qui dat operam rei illicitæ incurrere censuram, quando laborat ignorantia probabili alicujus circumstantiæ, vel qualitatis facti, propter quam imposita est censura; ut constat *ex cap. Si verò, de sent. excomm.* in quo deciditur, eum, qui percussit Clericum, ignarus Clericatus, non ligari excommunicatione; patet tamen hunc dedisse operam rei illicitæ. Sed:

147 Quæres primò: An excommunicationis Censuram saltem incurreret quis, si ignorantia comitante laborans, credens se occidere feram, occideret clericum inimicum, eliciendo actualiter hunc actum: *Uti-*

Utinam quod video esset Clericus, & meus inimicus, nam adhuc illum occiderem. Respondeo cum *Suar. de Cens. disp.* 4. *sec.* 8. *nu.* 9. *Filliucc. to. p. tract.* 11. *cap.* 8. *qu.* 9. *dict.* 2. *n.* 247. & *Leand. disp. cit.* 9. *qu.* 23. adhuc non incurrere. Quia licet actus ille elicitus à voluntate sit peccatum mortale sacrilegii, est tamen merè internum, & nihil influens in illam actionem exteriorem occisionis: cum illam non reddat peccaminosam, nec quid conferat ad Censuram incurrendam. Advertit tamen *Suar. n.* 10. & cum ipso *Filliucc. l. c.* contrarium esse asserendum, si dictus ignorans haberet hunc actum: *Volo occidere illam feram, & si Clericus est, volo etiam illum occidere*. Tunc enim actio illa externa procederet iam ex illa interna, quæ cum sit sacrilegium, etiam externa sacrilegium esset, consequenter sub censura. Quamvis casus hic contingere vix possit (inquiunt *Suar. n.* 10. *cit. Filliucc. n.* 247. *cit.* & *Leand. qu. cit. in fine*) si ignorantia comitans sit invincibilis, de qua est quæstio: bene tamen si ignorantia esset vincibilis, ut si ille ignorans, aliquo modo, etiam inconsultè, & indeterminatè, dubitasset, aut cognovisset ibi esse Clericum inimicum, quia cum tunc iam non haberet ignorantiam invincibilem, sed culpabilem, consequenter saltem confusè vellet sacrilegium, ac proinde incurreret Censuram.

148 Quæres secundò: An naturalis oblivio, inadvertentia, & inconsideratio (quæ ignorantiæ æquiparantur) excusent à Censuris? Respondeo affirmativè (cum *Suar. De Cens. disp.* 4. *sec.* 8. *n.* 11. *Bonac. De Cens. disp. p. qu.* 2. *punc. p. n.* 17. *Navarr. to. p. Cons. lib.* 2. *de Jurejurando cons.* 12. *n. p. Azor. p. p. Instit. lib. p. cap.* 16. *Quæsito* 3. & 4. *Sanch. lib. p. Summæ cap.* 16. *n.* 8. *Coninch de Cens. disp.* 13. *dub.* 11. *n.* 93. *Leand. disp. cit.* 9. *qu.* 24. & aliis) Dummodo hæc sint absque gravi, crassa, supinave negligentia. Ratio est, tum quia, ut benè *Azor.*, *Suar.*, & *Sanch. cum Bonac.* & aliis: Ignorantia non differt ab oblivione actuali, inadvertentia, & inconsideratione, quoad excusandum à culpa. Distinguuntur enim eo quod ignorantia habitum importat, inadvertentia autem actum: sed sic est quod ignorantia, si non est crassa, aut supina, excusat à culpa, & à Censuris: ergo naturalis oblivio, seu inconsideratio, si non est crassa, aut supina, sed invincibilis, ab utraque excusabit. Tum quia cum oblivione, aut inadvertentia nequit stare contumacia, ut ex se constat, sine contumacia autem non est locus censuræ.

PRIVILEGIUM DUODECIMUM.

Ignorantia invincibilis Censuræ, quæ annexa est Casibus Pontificiis, impedit eorum reservationem.

149 Multum animarum consolatoria erit (inquit *P. Diana par.* 9. *tract.* 6. *Miscell. p. res.* 13.) hujus Privilegii positio: in cujus approbationem, & admissionem, sic ait, *Dico igitur, quòd si quis invincibiliter ignoret excommunicationem, aut aliam censuram, quæ est annexa casibus Pontificiis, non solùm excusabitur ab incursu Censuræ, verum etiam casus non erit reservatus, reservatione illa Pontificia: atque adeò poterit absolvi à quocumque Confessario habente jurisdictionem in peccata mortalia*. Ratio est, quia peccata Pontifici reservantur ratione censuræ (*Henriq. in Summa lib.* 6. *cap.* 13. *n. p. Aversa de Pœnit. qu.* 17. *sec.* 2. & communiter D. D.) ita ut si quis ob ignorantiam excusetur ab incursione censuræ, illud peccatum non erit Pontifici reservatum, quia deest illi fundamentum reservationis, nempè incursus in Censuram, quæ tali peccato in individuo non est coniuncta, atq; adeò à quocumque jurisdictionem habente in mortalia absolvi poterit. Et huic eidem privilegio subscribunt *Henriq. n. cit. in fine, Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 5. *in fine, Trullench in Bullam Cruciatæ libro pri. §.* 7. *cap.* 2. *dub. p. n.* 3. *in princip.* Ubi sic: *Suppono, nulla peccata esse reservata Papæ, nisi ob annexam eis excommunicationem, aut aliam censuram, per quam Papa talia peccata sic punit, ut illius relaxationem sibi reservet*. Ex quo sic infert *in fine num.* (cum *Henriq.*, & aliis) *Quod quando peccata reservata Papæ ita committuntur, ut ratione ignorantiæ ea committens non incurrat censuram, nec incurrit reservationem. Ratio est, quia peccata ipsa præcisè non sunt reservata, sed ratione censuræ; seu ut propriùs loquamur, censura tali peccato annexa*. Ita *Trullench*. Cui, & quibus, addo *Franciscum Bardi in. Qq. Moral. selectis lib.* 5. *qu.* 11. *n.* 5. sub his verbis: *Peccata Pontifici reservantur ratione censuræ, ita ut si quis ob ignorantiam excusetur ab incursione censuræ, illud peccatum non erit Pontifici reservatum. Unde si quis labatur in hæresim externam, & etiam publicam, sed ignorat censuram hæresi annexam, absolvi poterit non solum virtute Iubilei, sed etiam à quocumque Confessario habente facultatem absolvendi à mortalibus. Idem dico de aliis criminibus reservatis in Bulla Cœnæ, & de aliis Casibus Papalibus. Et idem*

dicere

dicere debent omnes, qui censent ignorantiam censuræ excusare hominem ab incursione ejusdem censuræ : & peccata reservata Pontifici, esse reservata ratione censuræ. Nos ita sustinuimus in explicat. Bullæ Cruciatæ par. 2. tract. 6. cap. p. sec. 3. n. 27. ita *Bardi n. 5. cit.* Et idem repetit *li. 6. qu. 6. nu. p.* ubi sic : *Dicendum est, quando quis ignorat esse annexam censuram culpis Pontifici reservatis, ita ut ratione ignorantiæ excusetur ab incursione censuræ, culpas non esse reservatas, quia deest illis fundamentum reservationis, nempe incursus incensuram. Hæc opino* (hoc privilegium dico ego) *fundatur in illa sententia (quam censeo valdè probabilem) quæ asserit, ad incurrendum in censuram, requiri cognitionem, & scientiam ipsius censuræ : proinde si quis ignoret illam esse latam contra tale peccatum in specie, etiam si peccet patrando illud peccatum, nihilominus excusari ab incursione censuræ : & ita docent quamplures DD. Suar., Sanchez, Bonac., Coninch, Palao : & alii.* Sic ille. Qui & idem docet (apud *Dianam ref. 13. cit.*) in *Bullam Cruciat. sec. 3. cit. eodem n. 27.* Imò in *sect. 4.* (apud eundem *Dianam*) hoc etiam extendit ad naturalem oblivionem, seu invincibilem inadvertentiam, citans *Suar.*, *Merollam*, *Duardum*, & alios. Nec obstat dicere (ait *Bardi*) quod si dicta Doctrina esset vera, sequeretur valde paucos incidere in censuras Pontificias, & indigere privilegio ad obtinendam absolutionem à criminibus summo Pontifici reservatis : Quia, vel ignorant Censuras prædictis criminibus annexas : Vel naturali oblivione, & inconsideratione illa, non advertunt. Hoc autem asserere videtur nimis durum : enervarentur enim omnes reservationes Pontificiæ : & ex eo sequeretur, quod multi ablato timore excommunicationis, & difficultate ad obtinendam absolutionem, facilius inducerentur ad talia peccata perpetranda. Respondeo enim, hoc non esse censendum nimis durum; sed potius valdè consonum suavi dispositioni, qua pia Mater Ecclesia regit Fideles, cum nolit illos, dum non sunt contumaces contra ipsam, puniri pœna adeo gravi, qualis est censura, & præsertim excommunicatione, quæ est pœna, inter spirituales, quæ ab Ecclesia imponuntur, omnium maxima : proinde quando Fideles ignorant, vel naturali oblivione, & inadvertentia non apprehendunt censuram, excusandi sunt ab ejus incursu. Et quia reservatio culpæ omninò dependet ab ipsa censura; idcirco non debet esse mirum quod quando quis invincibiliter censuram non advertit, casus, qui inreseruatione dependent ab ipsa censura, remaneant non reservati.

150 Et in eandem conformitatem, *Ioannes Præpositus in 3. p. D. Tho. qu. p. de Censur. in Comm. dub. 8. n. 59.* relatus à *Diana ref. 13. cit.* sic asserit : *Ex hac sententia sequitur, innumeros non incurrere censuram excommunicationis, quamvis advertant se in aliquo actu peccare mortaliter, etiam contra legem Ecclesiasticam, si vel crassa ejus ignorantia laborent : quia non obstante notitia legis, vt est præceptiva, vel crassa ejus ignorantia; laborant ignorantia invincibili ejusdem, vt est illativa censuræ, eo quod videlicet, nec quidquam de tali censura unquam audiverint; nec ex aliquo alio cognito facilè ejus notitiam comparare potuerint. Qua ratione plerumque non solum Rustici, sed etiam alii Plebeii à plurimis censuris possunt excusari, quamvis commiserint peccatum, cui annexa est Censura. Quare prudens Confessarius, non debet statim judicare tales incurrisse excommunicationem; sed quibusdam interrogationibus debet conari inuestigare, num eorum ignorantia, respectu ipsius censuræ fuerit invincibilis, quando factum perpetrabant. Quod si deprehendat ignorantiam fuisse invincibilem, potest judicare, tales non incurrisse excommunicationem, & si casus sit reservatus propter excommunicationem, potest judicare in ea circunstantia, casum non esse reservatum, seque posse ab eo absolvere, quamvis alioquin non posset absolvere ab excommunicatione. Imò hic dicta possunt habere locum in variis Religiosis, qui excommunicationem non ità facilè possunt cognoscere, qui proinde possunt ab iisdem excusari. Idem dicendum de variis suspensionibus, quarum ignorantia potest esse invincibilis, etiam respectu Clericorum, & proinde si Confessarius ex circunstantiis possit advertere aliquem, etiam Sacerdotem, laborasse ignorantia invincibili, quod suspensio esset annexa actui, quem exercuit, poterit judicare talem non incurrisse censuram.* Hæc omnia *Præpositus*, quæ valdè comprobant propositum privilegium.

151 Quod item privilegium recipitur etiam, & expressè admittitur à *P. Quarti*, *in Tract. de Casib. Reservatis sec. 2. cap. 3. qu. 6.* per hæc verba : *Constat inter omnes ferè D. D. ignorantiam, præsertim invincibilem, excommunicationis adnexæ reservationi (& sic de aliis Censuris) excusare delinquentes ab incurrenda reservatione casuum Papalium : cum enim ignorantia invincibilis excommunicationis, latæ contra tale delictum, excuset ab incurrenda excommunicatione (vt docent communiter D. D. in Tract. de Censuris) excusat etiam ab incurrenda reservatione peccatorum,*

& casuum

& casuum Sedi Apostolicæ reservatorum. Ratio est, *quia à Summo Pontifice non solent reservari casus, nisi ratione censuræ: atque adeo directè, & per se, reservatio est affixa censuræ: ergo quoties subest causa excusans à censura, cessat reservatio Papalis: sed ignorans excommunicationem reservationi adnexam, non incurrit excommunicationem, vel aliam censuram, ergo nec ligatur reservatione. Videri potest Suar. de Pœnit. disp. 29. sec. 2. P. Quarti; & Anton. à Spiritu Sancto in Directorio Confessarior. par. p. tract. 5. disp. 14. sec. 4. n. 933.* qui *par. 2. tract. 12. disp. 2. sec. 2. n. 420.* docet etiam cum communi, ignorantiam invincibilem sive juris, sive facti, excusare pariter à culpa, & à pœna statuta contrà communicantes cum excommunicatis vitandis. Et idem dicendum esse addit *n. 422.* de Ignorantia vincibili, dummodo non sit crassa, supina, aut affectata, quia omnis ignorantia, quæ non æquivalet dolo, excusat ab incurrenda censura, non omnis autem ignorantia, & si sit culpabilis æquiparatur dolo.

PRIVILEGIUM XIII.

Ignorantia etiam invincibilis censuræ, quæ annexa est Casibus Episcopalibus, impedit probabiliter eorum reservationem.

152 SOlent Episcopi reservare, & de facto sibi reservant plures casus, tum sub censura, tum absque ea. Quando ergo eorum reservatio est sub censura: ii pariter, qui ratione ignorantiæ excusantur ab ea incurrenda, excusantur etiam simpliciter à reservatione illius casus, seu peccati, contra quod fertur excommunicatio reservata. Unde & in Casibus Episcopalibus locum habet doctrina explicata in præcedenti Privilegio; & privilegium ipsum de casibus Papalibus, probabiliter (& probabilius) extendi debet ad casus etiam Episcopales sub censura, sicuti expressè extendunt illud, *Fagund. in Præcepta Eccles. Præcepto 2. l. 8. c. p. n. 5. Joseph. Januarius de Casib. Reseru. res. 13. n. 10. Carolus Bauccius de Casib. Reseru. in Additione ad Casus, & Censuras q. 5. §. Sed petes, pag. mihi 211. 212.* citans seipsum *in Selectis q. 65.* & dicens *se collegisse hoc ex doctrina Suar. eandem videlicet doctrinam currere in censuris reservatis ab Ordinario: nempe quando quis est excusatus à censura, licet non sit excusatus à mortali, non incidere in peccatum reservatum. Aversa de Pœnit. qu. 17. sect. 2. Versu, In peccatis verò .. P. Quarti qu. 6. citata, Versu, Secunda sententia probabilior;* & alii. Ratio est, quia pariter in Casibus Episcopalibus fit una, & individua reservatio peccati sub censura. Nec enim audiendus est *Merolla in Theologia Morali cap. 2. n. 642.* affirmans (cum aliis, quos citat) quod quando Episcopi atrociora peccata reservant sub censura, intendunt fortius ligare, & duplici reservatione delinquentes punire: & consequenter evadentes unam, non effugere alteram. Nam licet vtique possent Domini Episcopi ita reservare (ut bene etiam advertit *Aversa l. c.*) ut posset simpliciter tolli censura, & remanere reservatio peccati: *Realiter tamen* (sic idem Author) *& concomitanter ita res se habet, ut ablata censura eo ipso cesset etiam peccati reservatio. Quia nempe ex intentione superioris, ità coniungitur culpæ reservatio cum censura, ut nonnisi illa inveniatur.* Igitur ablata censura Episcopali, aufertur etiam peccati reservatio; cùm hæc inquam sit unica, & individua; & in pœnalibus facienda non sit ampla, sed potius stricta interpretatio: juxta regulam Juris: *Odia sunt restringenda, favores sunt amplianda: de Regul. juris in 6.*

153 An verò ignorans, non latam esse excommunicationem ob delictum quod committit, sed ipsam esse reservatam, excusetur à reservatione, quam ignorat, ita ut absolvi possit à quolibet Confessario. Affirmat *Carolus Bauccius; De Casibus Reseru. in cit. Addit. q. 4. §. Primò colligitur, pag. mihi 209.* sub his verbis: *Colligitur idem dicendum esse de casibus censuræ annexis, nempe, licet censuram incurrat, non incurrere reseruationem, si eam inuincibiliter ignoret.* Negat probabilius, & melius P. *Quarti* (cum quo & ego) Quia delinquens in hoc casu non ignorat simpliciter pœnam, neque legem, qua imponitur: ergo verè est transgressor legis pœnalis, atque adeo incurrit pœnam excommunicationis per legem impositam, eo modo, quo imposita est: quia saltem implicitè non curat de lege, qualiscumque ea sit, nec consequenter curat de reservatione: alioquin si quis peccaret cum notitia excommunicationis latæ contra illud peccatum, quod committit, ignorans tamen effectus excommunicationis, excusaretur ab effectibus ignoratis, & sic nullum incommodum pateretur ob excommunicationem à se contractam, quod est falsum: ità ille, & optimè *l. c. Versu, Colligitur quid sit dicendum.* Maior difficultas est de Casibus, quos sibi reservant Episcopi absque censura: An videlicet ignorantes hanc reservationem excusentur ab ea? pro qua sit.

PRI-

PRIVILEGIUM XIV.

Ignorantia etiam invincibilis reservationis casuum Episcopalium absque Censura, impedit probabiliter eorum reservationem, & excusat ab ea.

154 Ratio à priori hujus privilegii est, quia ignorantia pœnæ statutæ per legem, vel edictum, excusat ab incurrenda pœna ignorata à delinquente: quia hic non est transgressor illius legis pœnalis, ut ex communi Doctorum sententia probat *Sanch. de Matrim. lib.* 9. *disp.* 32. Sed reservatio est vera pœna, & justa quædam vexatio delinquentium ob difficultatem obtinendi absolutionem, & recurrendi ad severiorem Judicem: ergo invincibilis ejusdem ignoratio ab ea excusat; atque adeo respectu ignorantium casus reservatos, perinde se habet ac si minimè reservati essent; ipsique ignorantes consequenter absolvi possunt à quolibet Confessario: quia licet peccaverint contra legem naturalem, vel aliam, cui peccata illa opponuntur, non tamen peccarunt contra legem reservantem, quam invincibiliter ignorabant. Et hæc eadem ratio confirmatur: Quia actus prout dicit qualitatem reservationis, est involuntarius, cùm fit secundùm hanc qualitatem ignoranter factus: ergo secundùm quod dicit reservationem, nullum est peccatum, & consequenter nec casus reservatus. Huic eidem privilegio subscribunt *Graffius de Casibus Reseru. lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 29. *Vers. Secundò in omni. Januarius de Casib. Reseru. resol. p. per totam. Adamus Burghaber Centuria* 3. *Selectorum Casuum Conscientiæ n.* 31. *pag. mihi* 479. *Henricus Heinlein in Medulla Theologiæ Practicæ Titulo de Censuris Ecclesiasticis qu.* 5. *pag. mihi* 461. *P. Quarti De Casib. reseru. sec.* 2. *cap.* 3. *qu.* 6. *Versu, Secunda sententia. Diana tom p. Coordin. tract.* 5. *res.* 39. *n.* 2. quem concludit sic: *Sententiam de Januario puto satis probabilem esse, quam tuentur etiam Graffius l. c. & Navarr. in Man. cap.* 27. *nu.* 80. uti apud eundem *Dian. eodem To. & tract.* 5. *Coordin. res.* 38. *n.* 3. *Ex p.* 6. *tract.* 6. *& Miscell. p. res.* 42. pariter eandemmet tuentur, qui asserunt talem reservationem esse pœnalem, & odiosam ad instar statuti: Suntque *Coriolan. de Casib. reseru. p. p. sec. p. art.* 5. *n.* 4. *Bonac. de Sacrament. disp.* 5. *qu.* 7. *punc.* 5. *§.* 4. *nu. p. aliique*. Si enim reservatio casuum induit rationem pœnæ, per consequens ignorantes reservationem non incurrunt in illam. Quod totum, uti & privilegium ipsum confirmari optimè potest ex *cap. Ut Animarum* 2. *De Constit. in* 6. In quo decernitur *Sententias, & Statuta quorumcumque Ordinariorum non ligare ignorantes*: reservatio autem est statutum Ordinariorum: Et *Glossa ibi* per sententias, & Statuta Ordinariorum intelligit, *quæ ligant Animam*, ut facit reservatio Casuum, Episcopalis. Vide quæ dico, & refero *privil. sequenti, sub n.* 155.

155 Sed Contra Obiicies primò: Reservatio non est pœna propriè dicta, quæ imponi solet in odium delinquentis, & non incurritur ab ignorantibus, sed est limitatio Jurisdictionis respectu Confessariorum communium, quos non vult Superior esse Judices delictorum, quæ reservantur, & hoc in bonum animarum, ut absterreantur fideles à talibus peccatis committendis: ergo non est cur ignorantia reservationis ab ea excuset: siquidem ignorantia delinquentium non habet vim conferendi Confessariis jurisdictionem, qua carent. Respondeo cum P. *Quarti l. c. Versu, Ad Argumenta*. Confessarios inferiores carere Jurisdictione absolvendi à reservatis respectu illorum, qui reservatione ligantur: secus respectu illorum, qui eam non contraxerunt, respectu quorum casus reservati perinde se habent, ac si reservati non essent, ut sunt impuberes, perpetuo impediti, &c. & idem est in casu nostro de ignorantibus: non quia ignorantia conferat Confessariis jurisdictionem, sed quia cum minuat voluntarium peccantis; minuit etiam malitiam peccati, ità ut non computetur inter reservata. Adde cum *Burgaber l. c. pag.* 180. reservationem esse absolutè pœnam delicti, consequenter non posse non esse directè ad pœnitentes, esto inde etiam se reflectat ad Confessarios; unde etiam respectu horum non est limitatio jurisdictionis absolutè, sed cum ordine ad pœnitentes. Et licet reservatio spectet semper bonum Ecclesiæ, & animæ, nihilominus tamen esse pœnam docent *Reginald. Bonac.* & alii apud *Dianam par.* 6. *tr.* 6. *res.* 42.

156 Obiicies secundò: Quia posito, & concesso proposito privilegio, redderetur ferè inutilis reservatio: siquidem populi, & Seculares communiter ignorant casus reservatos: nec tenentur eorum notitiam comparare, sicut tenentur Confessarii: ergo si ignorantia reservationis ab ea excusaret, vix aliqui pauci in eam incurrerent, quod est contra mentem reservantium casus. Respondeo cum P. *Quarti l. c. Versu; Ad secundum*. Certum esse apud omnes, igno-

ignorantiam invincibilem cuiuslibet legis excusare ab ejus transgressione, quia nemo peccat nisi actu voluntario, hic autem præsupponit cognitionem, unde ignorans hunc diem esse festum de præcepto, vel Veneris, cogitans omittit Sacrum, vel comedit carnes, non peccat. Quare leges communiter non obligant ignorantes, atque adeo essent inutiles, nisi promulgarentur, ità ut veniant in notitiam subditorum: & sic in casu nostro spectat ad reservantem procurare, ut edicta reservationis ità promulgentur, & monitis Parochorum intimentur, ut illorum notitia ad omnes perveniat: aliàs inutilià redderentur respectu ignorantium. Vide *Ianuarium ref. cit. & P. Dianam resol.* 39. *Coord. cit.*, in qua mutat sententiam, cui adhæserat, *resol. anteced.* 38. *Coord. supra cit.* Sed

157 Quæres, An hujusmodi privilegium habeat pariter locum in eo, qui dum peccat, invincibiliter non advertit, peccatum quod committit, esse reservatum: ita ut, sicut ob ignorantiam invincibilem Episcopalis reservationis excusatur ab ea, excusetur etiam ob invincibilem inadvertentiam. Respondeo affirmativè: Quia ignorantia, & inadvertentia æquiparantur, & eodem modo tollunt voluntarium; sequiturq; ex dictis supra, *privileg.* 11. *hujus Cap. n.* 148. cum Doctoribus ibidem citatis: quibus addo *P. Quarti l. c. Versu, Colligitur primò.* Cum quo adverto, *Versu, Colligitur secundò:* Si quis dubitet de reservatione, & nulla adhibita diligentia committat peccatum reservatum, eum ligari quidem reservatione, quia censetur transgressor legis reservantis, cum non curet de illa. At si facta diligentia sufficienti, maneat dubius, excusatur à reservatione, quia lex non obligat, nisi certo constet latam fuisse, ut cum aliis docet *Sanch. lib. p. Summ. cap.* 10. *n.* 32. Nam licet *Turrianus in Selectis disput.* 38. & alii communiter, apud, & cum *Aversa de Pœnitent. qu.* 17. *sec.* 2. *Versu, Quintò negarunt.* Statuant, & supponant, peccata mortalia dubia reservari posse (contra aliquos, qui id negarunt, eo quod non debeat quisquam gravari in dubio) cum revera adsit obligatio ea confitendi, & sint materia necessaria Sacramenti pœnitentię, ut vult communis Theologorum, quos longa tessera recensent, & sequuntur *Sanch. in Summ. libr. pr. cap.* 10. *n.* 66. *Suar. in* 3. *p. tom.* 4. *disp.* 22. *sec.* 9. *Diana par.* 4. *trac.* 3. *ref.* 5. *Bassæus Verb. Dubium n.* 7. aliique Recentiores, consequenter possint absolutè Superiores, & Ordinarii, ea sibi ipsis reservare; Quia sicut quisque jure ipso Divino gravatur in dubio confiteri, ità potest à Superiori gravari ut ad eum accedat. De facto tamen in simplici, & ordinaria reservatione non includuntur: ut absolutè docent *Sà, Suar., Henriq., Ochagravia, Hurtad. Homobonus, Filliucc. Portell., Diana*, quos refert, & sequitur idem *Aversa l. c. Versu, Meritò tamen.* Quia cum reservatio sit odiosa, & strictè interpretanda, non videtur superior velle reservare talia peccata, quando manent sub dubio, nisi expresse oppositum explicet. Quod intellige sive reservatio simplex sit, sive cum censura.

158 Hinc etiam ex *Pat. Diana ref.* 39. *Coord. cit.* & cum ipso, ex doctrina *Januarii à ref.* 2. *usque ad* 11. Adverto sequentia. Primò, habentem peccata dubia reservata: posse absolvi à quocumque Confessario inferiori; quia reservatio non est in possessione casus dubii, dubitans verò est in possessione non reservationis: unde melior est conditio dubitantis, quam reservationis. Secundò: quod absolutus per inferiorem Confessarium à casu dubiè reservato ab Episcopo cum censura, non teneatur deinde de reservatione, non tenetur se præsentare Superiori. Vide *Januarium, & eundem P. Dianam l. c.* alios casus adducentem ex ipsomet *Januario l. c.*

PRIVILEGIUM XV.

Ignorantia invincibilis excusat ab incursione Suspensionis, Interdicti, & Irregularitatis, quoties hæ pœnæ sunt impositæ ob delictum.

159 Quamvis ex hujus Capitis Privilegiis *tertio, quinto, sexto, & duodecimo*, pateat veritas hujus privilegii, placet tamen ad abundantiorem ejusdem confirmationem, hic explicitè idem proponere, & magis, magisque idemmet roborare. Unde præter ea, quę in citatis privilegiis (ad ipsius validitatem, tum rationibus, tum Doctorum Authoritatibus fulciendam) dicta sunt: Addo sequentia ex authoritate insuper Doctorum aliorum (sciat tamen hìc lector me non loqui in hoc privilegio de irregularitate homicidio imposita, de qua sola infra sub *cap.* 10. sed de aliis irregularitatibus ex delicto pariter provenientibus.) *Magister Serra in part.* 2. *D. Thomæ to.* 2. *qu.* 76. *art.* 3. *dub.* 2. apud *Dian. Coord. tom.* 5. *tract. p. ref.* 35. *Ex p.* 9. *tr.* 6. *Miscell. p. ref.* 13. admittit propositum privilegium, dum sic ait. *Tertia sententia est, ignorantiam mortaliter*

culpabilem (hoc utique magis eſt ut patet, quam ignorantia invincibilis, quæ culpabilis non eſt) *tam facti, quam Juris Pontificii, quam etiam cenſuræ, excuſare non ſolum à pœna excommunicationis; ſed etiam à cæteris omnibus aliis cenſuris, ſuſpenſione, interdicto, irregularitate, &c. Si tamen ignorantia non ſit craſſa, vel ſupina. Hanc tenent Recentiores permulti. Probant ex cap. 2. Ut animarum, de Conſtit. in 6. ubi ſic dicitur* (*Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina.*) *Ubi per ſententias, Gloſſa intelligit quæ ligant animam, ut locum habeat proxima ratio. Cum autem hujuſmodi ſint non ſolùm ſententiæ excommunicationis, ſed etiam aliarum pœnarum ſpiritualium, ac cenſurarum ſuſpenſionis, interdicti, irregularitatis, &c. de his omnibus* (*ibi*) *eſt ſermo; & nulla eſt ratio, ob quam ad ſolam ſententiam excommunicationis reſtringatur*. Hactenus *Serra*; qui poſtea aſſerit hæc ſatis probabilia eſſe; & ideo ſubdit: *Excommunicatio autem, ſuſpenſio, interdictum, ac etiam irregularitas, pœnæ ſunt extraordinariæ, quæ non ſequuntur ex culpis ſecundùm ſe, & abſolutè ſumptis; ſed ratione gravitatis ſuperadditæ ex contemptu earum, & contumacia. Cumque ab hac gravitate, contemptu, & contumacia, excuſet ignorantia, quæ non eſt craſſa, aut ſupina; etiam ab incurſu talium pœnarum excuſare aſſerit tertia ſententia.* Ita ille.

160 Et hanc eandem ſententiam (conſequenter privilegium noſtrum) videtur etiam apertè docere, & approbare *Palaus in Opere Morali tom. p. tract. 2. diſp. p. punc. 17. n. 6.* cum *Sanch.*, *Bonac.*, *Coninch*, & *Suar.* Quam præterea probat ex *cap. Propoſuiſti 82.* Ubi venia conceditur Clericis ignorantibus Conſtitutionem *Syricii Papæ*, quæ deponebat Clericos incontinentes. Ergo (deducit *Palaus*) ignorantia pœnæ à pœna per legem impoſita excuſat. Et idem *Palaus punc. cit. n. 8.* ita expreſsè habet: *Ignorantem invincibiliter delicto à ſe commiſſo annexam eſſe excommunicationem, ſuſpenſionem, interdictum, vel irregularitatem pœnalem, non incurrere has pœnas. Et par. 6. ejuſdem Operis Moral. diſp. 6. Punc. 6. nu. 3.* item ait: *Ignorantem probabiliter pœnam irregularitatis ſuo delicto eſſe impoſitam, excuſari à dicta irregularitate, ſententia probabilis eſt, ut docuit Sanch. lib. 9. diſp. 32. n. 21. Coninch diſp. 18. dub. 4. n. 31. Suar. diſp. 4. De Cenſ. ſec. 9. num. 22. Bonac. to. p. diſp. p. de Cenſ. qu. 2. punc. p. n. 13. & docuerunt abſolutè Hoſtienſis cap. A nobis el. p. de ſentent. Excommunicat. verſu Addo. Silv. Verbo Ignorantia qu. 8. Dicto p. juncto Dicto 3. Navarr. c. 27. n. 274. verſ. 13. Philiar. de Officio Sacerdotis to. p. par. p. lib. 3. cap. 4. §. Tertiò obiicitur. Manuel to. p. Summ. in 2. edit. cap. 295. n. 3. & tanquam probabile defendimus tract. 2. de peccatis diſp. p. punc. 17. n. 6. Ratio eſt, quia committens aliquod delictum, ſolum ſubditur pœnis tali delicto proportionatis, non tamen aliis pœnis extraordinariis, & quæ delicti gravitatem ſecundùm ſe videntur excedere, quæque imponuntur ab Eccleſia, vel Republica ob vitandum delicti frequentem uſum, vel ob aliam cauſam. Quocirca & ſi conſenſus delinquentis in pœnam non requiratur ad ſuſtinendam illam; requiritur tamen conſenſus illius in culpam, prout eſt cauſa talis pœnæ, ſeu prout continet talem pœnam, quod fieri nequit abſque notitia pœnæ, quando pœna eſt extraordinaria. At irregularitas, quæ delicto annectitur, cenſenda eſt pœna extraordinaria delicti, ſiquidem obligat delinquentem, ut eam in ſe exequatur; ergo cenſeri non debet incurri ab ignorante legem ſub tali pœna eſſe latam. Et ex his ſolvitur fundamentum num. præcedenti relatum. Non enim eſt inconveniens, quod multi ab hac pœna in foro conſcientiæ excuſentur, ſicuti excuſantur à Cenſuris, cum in eo foro adverſus legem Eccleſiaſticam completè non delinquant ignorando pœnam extraordinariam, ſub qua lex lata eſt.*

161 Cui ſubſcribens (noſtro privilegio conſequenter) etiam *P. Diana to. 5. Coord. tr. 5. reſ. 6. n. 1. Ex p. 4. tract. 2. reſ. 85.* ſic ait: *Dico igitur quod ignorantia juris invincibilis excuſat ab irregularitate, etiamſi imponatur pro facto, jure naturali damnato, quia pœna non incurritur abſque culpa. Ita Navarr. Reginald. Peregrinus, Sanch. & Bonac. quos citat, & ſequitur Merolla in Diſput. Theol. to. p. diſp. p. cap. p. Coroll. p. n. 48. quibus adde Palaum in Opere Morali, &c. Coninch De Sacramentis diſp. 18. dub. 4. n. 31. & Portel. Et ideò ſi Excommunicatus celebret ignorans invincibiliter eſſe impoſitam pœnam irregularitatis excommunicato celebranti, non incurrit irregularitatem. Imo Merolla ubi ſupra, dub. 3. n. 83. docet, etiam ignorantiam moraliter vincibilem excuſare à pœna irregularitatis, dummodo non ſit craſſa, quia hæc non oritur ex lata culpa.* Ita *Diana n. p. cit.* addens *n. 4.* & *to. 5. cit. Coord. tract. 5. reſ. 7. n. 2. Dicendum eſt igitur, ad incurrendam excommunicationem, non ſufficere quod ſciam opus eſſe prohibitum, ſed ut ſciam de pœna, idque prohiberi ſub excommunicatione. Ita de cæteris pœnis, Suſpenſione, Interdicto, Irregularitate, &c. Quod eſt valde conſolatorium. Et verum eſt etiamſi ignorantia (ut ſupra diximus) eſſet vincibilis,*

& ita

& ita præter Merollam, docet Portel in Dub. Reg. verb. Ignorantia n. 27. Vbi itâ: Ignorantia vincibilis sive facti, sive juris imponentis censuras, & alias pœnas spirituales, sive factum illud sit peccatum mortale, sive non; si tamen non fuerit ignorantia crassa, & supina, excusat ab omnibus illis pœnis. Et hæc conclusio est magnæ consolationis, estque intelligenda de quibuscumque pœnis, sive latis à iure communi Papæ, sive à particulari Diocesanorum: crassa verò, & supina Ignorantia, est illa, quæ procedit ex culpa lata, quæ intervenit in adhibenda diligentia: culpa verò lata est, quando ignorans, aut nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam ut sciret quæ nosse tenetur; vel quæ ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit. Vbi vides posse aliquem euadere prædictas omnes pœnas, etiamsi operetur culpabiliter mortaliter, cum ignorantia juris, vel facti, dummodo ignorantia non sit crassa, & supina, siue magna. Sic ex *Portel. Diana*: Qui uti & alii ex citatis (*Palaus* præcipuè) extendunt privilegium, ut velint ignorantiam excusare etiam ab irregularitate orta ex peccaminoso homicidio: At nos hac de re solum infra sub *cap.* 10. Vide eundem *Palaum Operis Moral. par. p. tract. 2. disp. p. punc. 17. n. 6. & par. 6. Tit. de Cens. disp. 6. punc. 6. n. 3.* ubi etiam pro defensione hujus privilegii, seipsum citat *tract. 2. de Peccatis disp. p. punc. 17. n. 6.* & plures alios refert.

PRIVILEGIUN XVI.

Ignorantia, quæ excusat à censuris simpliciter, excusat etiam ab his, quæ in Bulla Cœnæ continentur.

162 Probatur, quia ignorantia censurarum, quæ excusat contravenientes, ita ut in eas non incidant, universaliter excusat ab omnibus censuris, & pœnis, sive à Jure, sive ab homine latis, ut constat ex pluries dictis in superioribus; ergo etiam ab his, quæ continentur in Bulla Cœnæ: consequentia hæc probatur, quia non est maior ratio de his censuris, ac de aliis. Et confirmatur authoritate, & ratione *P. Duardi in Bullam Cœnæ lib. p. cap. 2. q. 5. conclus. 2. n. 15. 16. 17.* ubi sic: *Ignorantia invincibilis censurarum, quæ in Bulla Cœnæ continentur, excusat contrauenientes, ita ut in eas non incidant. Hæc conclusio est uniuersaliter vera quoad omnes censuras, & pœnas, siue ab homine latæ sint, siue, à iurè. Invincibilis enim ignorantia censuræ excusat à censura, & à quacumque alia pœna, ut rectè docent Suar. Sayr. Thesaur. & hanc sententiam communem esse, testatur Covvarr. Probatur, quoniam actus patratus ex ignorantia inuincibili, & probabili, non est volitus nec in se, nec in causa, ergo non est peccatum: eo quod omne peccatum est voluntarium, ubi autem peccatum mortale non est, excommunicatio ferri non potest. cap. Nullus 11. q. p. Ex hoc infertur, quod si quis inuincibiliter ignoret fuisse latam excommunicationem contra legentes libros hæreticorum, de qua habetur in p. cap. Bullæ, si Libros hæreticorum legat, excommunicatione illius clausulæ non alligatur.*

163 *Nec obstat si dicatur: quod in §. pen. ipsius Bullæ, incipit (Ut verò præsentes, &c.) Statuitur, ut ii, quos processus huiusmodi concernunt, quod ad ipsos non peruenerint, aut quod ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare: quoniam respondeo, quod ex vi Bullæ, contrauenientes non possunt allegare ignorantiam quoad forum exterius, aut quoad actus nullitatem; iuxta ea, quæ dicit Glos. in Clem. 2. de Heret. in ver. Ex tunc; quam refert Nauarr. Cons. 32. de Regul. lib. 3. Secus autem quoad forum interius: nam ignorantia probabilis excusat contrauenientes ab excommunicatione, cum de ratione excommunicationis sit contumacia: modò contumax dici non potest, qui probabiliter excommunicationem ignorat, ut bene docet Suar. de Cens. disp. 4. sec. 9. n. 2. & infra Deo duce, latius dicemus in d. §. pen.* hucusque *Duardus*. Sed

164 Contra obiicies. Ad hoc ut excommunicationes contentæ in Bulla Cœnæ alligent contravenientes, sufficit earum affixio in Valvis Sancti Petri Romæ, nec exigitur, ut per omnes Provincias, & Regna publicentur, ut patet: ergo earum ignorantia non excusat à censura: quoniam est impossibile, ut post publicationem Bullæ Cœnæ, Romæ factam, de ea notitiam statim habeat universalis Ecclesia. Respondeo *primò*: Si hæc objectio vim haberet, concluderet utique universaliter, quoad omnes alias excommunicationes videlicet, quæ pariter ad Valvas tantùm Basilicarum Romæ affiguntur: est enim eadem omnino ratio respectu omnium, ut ex se patet. *Secundò*: Sufficit earum affixio ad Valvas, &c. ut alligent ignorantes in actu primo, concedo: in actu secundo, nego antecedens: ergo earum ignorantia non excusat à censura, nego hanc consequentiam. *Tertiò*: Respondeo, iterum distinguendo; sufficit earum affixio ut alliget contravenientes in foro externo, concedo: in foro interno, si ignorantes sint, nego. Cui tertiæ responsioni arridet. *P. Duardus qu. 5. cit. n. 32.* dum ibi ad idem argumentum sic: *Dicimus,*

mus, illud intelligendum esse quoad præsumptionem fori contentiosi: vel quoad illos; qui sunt in culpa, ut statuta non possint publicari in eorum Terris; alias sequeretur, quod quilibet teneretur habere procuratorem, aut Canonicis vacare legibus; & quotidie investigare Pontificias Constitutiones, quæ in diem constituuntur: quod esset nimis durum, & animarum manifestus laqueus contra Piæ Matris Ecclesiæ intentionem, ut rectè docet Angelus ver. Excommunicatio 7. Casu ultimo, nu. 3. Unde Navarr. in Man. cap. 27. nu. 274. existimat multas Extravagantes cum censuris gravissimis latas fuisse super criminibus damnatis, quarum notitia nunquam transiit Pirenæum, nec Alpes; & proinde fideles ipsi, prædictas censuras ignorantes, excommunicatos haud esse. Sic Pater Duardus.

PRIVILEGIUM XVII.

Monialis recipiens intra Monasterii septa puerum, puellamve infantem, aut lac sugentem, ignorans tamen hoc illi esse prohibitum sub excommunicationis censura, hanc non contrahit, ignorantia ipsa eam excusante.

165 EXtat Tridentini Concilii Decretum sess. 25. De Regularib. & Monialibus cap. 5. in quo sic: *Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda.* Ex quo Decreto colligitur (ait Navarr. Comment. 4. De Regularibus num. 59.) quod vitatur ingressus fœminarum, & puerorum, & puellarum per illa verba Concilii, cujuscumque ætatis, & sexus addita: Et etiam ex cap. periculoso, de statu Regularium in 6. per illud universale, ibi positum (Nulli). Quamvis (addit) arbitrer limitandum esse hoc, ne procedat in infantibus discretione adhuc carentibus. In fatuis tamen puberibus non videtur idem dicendum, quippe qui licet non possint peccare, possunt tamen ad peccandum incitare, tumultum facere, turpiter jocari, & varia, vana, & damnosa importare: & inde vera secreta, & mendacia ficta, & Monasterio nocentia exportare, ita Navar. in cujus sententia (ut patet) infantes discretione carentes, admitti possunt intra septa, seu claustra Monialium, & Moniales ipsæ eos admittentes, in ipsius sententia in aliquam excommunicationem non incurrunt, cum ipsi ad peccandum incitare nequeant. Et idem tenent Henriq. in summa lib. 13. cap. 42. in comm. litt. S, (ubi notat, quod faveat huic sententiæ doctrina D. Thomæ 2. 2. quæst. 20. artic. 12. in resp. quod infans videlicet, perinde est ac brutum. Quandiu usum rationis non habet, puer, non differt ab animali irrationali: sic S. Doctor) Azor. par. p. Instit. Moralis lib. 13. cap. 8. quæs. 5. Miranda de Monialib. qu. 2. art. p. Concl. p. Emanuel Rodriq. tom. p. qu. 46. art. p. Suar. de Relig. to. 4. lib. 1. cap. 10. n. 2. Sanch. in Decal. to. 2. lib. 6. cap. 16. n. 5. Hieron. Rodericus in Compendio ref. 26. nu. 7. Lezana in summ. qq. Regular. cap. 25. n. 24. Tamburin. de Jure Abbatissar. Disp. 22. q. 4. Barbosa de Potest. Episcopi, Allegat. 102. n. 32. & in Concil. Trident. sess. 25. De Regularib. & Monialib. cap. 5. n. 55. Bonac. de Claus. q. 4. punc. p. Proposit. 2. n. 5. Pellizz. de Monial. cap. 9. sec. 3. n. 104. Hiacynthus Donatus de Monial. tract. 5. q. 11. n. 6. Jo: de la Cruz de statu Religioso libro pr. cap. 5. Conclus. 3. n. 6. Graffius de casib. reserv. lib. p. cap. 6. n. 48. Gibalinus de Clausura sanctimonialium Disp. p. cap. 4. Consect. 4. n. 5. aliique apud eosdem, ac ferè communiter; & omnium ratio præcipua, atque communis, est, quia extra controversiam est, infantes discretionis usu carentes non includi in excommunicatione lata à Concilio Tridentino, aliisque pœnis in Constitutionibus Pontificiis contra ingredientes Monialium Monasteria inflictis, quia hujusmodi infantes, qui vsum rationis nondum nacti sunt, non sunt doli capaces, nec peccati, consequenter nec præcepti. Confirmant, quia si hujusmodi infantes Monialium Monasteria ingredientes non peccant; nec peccant Moniales ipsæ eosdem admittentes, cum neminem recipiant, qui ingredi sit prohibitus.

166 Quod & colligi potest ex ipsomet supradicto Trident. Conc. Decreto, siquidem in ipso apponitur contra ingredientes excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, quæ nullatenus incurritur, nisi ubi adest peccatum mortale, ut habetur in c. Nullus 11. q. 3. & affirmant uniuersi. Hinc etiam Palao p. 3. de Voto Religiosę Obedient. tract. 16. disp. 4. pun. 10. §. p. n. 2. optimè sic. *Quod attinet ad infantes, qui usum rationis non attingerunt, manifestum est hac prohibitione non teneri; quia ipsi nullius præcepti capaces sunt. Ex quo fit neque Moniales prohibitas esse illos admittere. Quia prohibitio Monialibus facta, est accessoria prohibitioni ingredientium, ut manifestè colligitur ex Tridentino dicente, nemini liceat intra septa Monasterii ingredi. Cum ergo hi infantes nulla ingressus teneantur prohibitione, neque Moniales teneantur illos non admittere. Ita Palao:* & optimè inquam,

inquam, cum etenim respectu dictorum infantium nulla sit culpa in ingressu, nec ulla aderit ex parte Monialium, quia non videntur hæ reæ majoris culpæ, quam ipsi ingredientes, maximè quia, nec faciunt contra legem ingredientium, nec cooperantur rei malæ, aut illicitæ. Et nusquam, ut observat etiam *Suar. n.* 2 *cit.* & ex ipso *Gibalinus l. c.* neque *in Tridentino*, neque *in Constitutionibus Pontificiis* illa prohibitio fit, nisi ipsismet ingredientibus, non verò cooperantibus ad illum ingressum, nisi *in Constitutione Gregorii XIII.* per quam revocantur licentiæ omnes ab Apostolica Sede concessæ hac in parte, & variis pœnis subiiciuntur, qui prætextu eiusmodi facultatum ingrediuntur Monasteria Monialium, quæ easdem etiam pœnas & ipsæ incurrunt, dum illos admittere præsumunt, ubi non agitur nisi de admissione illorum, qui suis facultatibus utebantur. Hinc, & idemmet *Suar.* colligit, cum in aliis omnibus Constitutionibus prohibentibus ingressum in Monasteria Monialium nulla fiat specialis prohibitio admittendi, ea lege non obligari Moniales, nisi quatenus cooperantur ejusmodi ingressui prohibito, ac malæ operationi, ob quam ipsæ quoque peccant. Quoties ergo ingressus non erit malus, quia non prohibitus, neque cooperatio ad illum culpa omnino carentem, nec prohibitum, mala erit. Et quoties prohibitio non cadet directè in ingredientes, nec consequenter indirectè cadet in admittentes, ut ex ipsis terminis patet.

167 Neque obstat, quod *Tridentinum in cit. decreto* excludat omnes cujusque ætatis, nam ut Doctores omnes fatentur, (ait *Tambur. q. cit. n. p.* & verum ait) *Concilium Trid.* dum excludit omnes cujuscumque sexus, & ætatis, loquitur de habentibus usum rationis; & de illis, qui ad peccandum movere possunt Moniales. Et ob id amentes puberes sive perpetuos, sive alios eo momento, quo mentis impotes sunt, & usu rationis carentes, licet etiam illi incapaces legis sint, atque præcepti, nec non culpæ, ac malitiæ, quia tamen dare possunt Monialibus occasionem peccandi, tumultum facere, iocari turpiter, vana, & ludicra peragere, idcirco Moniales ipsæ illos admittentes, peccabunt utique, ut volunt communiter Doctores. At peccabunt tantum (ut advertit etiam *Suar. l. c.* & cum ipso *Gibalinus cap. 4. cit. Confectario* 5. *n.* 6.) contra bonos mores, ut honestatem, aut Votum castitatis si eiusmodi fatuos, & amentes, vel mala intentione, vel cum aliquo periculo admittant, aut contra propriam regulam, si ea id vetet; non vero contra legem Ecclesiæ, aut Concilii, prohibentem ingressum. Quapropter licet ipsi ingredientes ex defectu usus rationis à peccato sint immunes, non tamen erunt immunes Moniales propter periculum, &c. Imo

168 Adde cum *Suar. cap. cit.* 10. *n.* 4. & *Gibalino n.* 6. *cit.* Quod peccabunt Moniales in ingressu etiam puerorum, illos admittentes, si periculum simile aderit in admittentibus. Licet enim per se, & ex parte puerorum, non peccent admittentes, peccare hæ poterunt (ait etiam cum eodem *Suar. Donatus qu. cit.* 11. *n.* 13.) ratione scandali superadditi, aut periculi deveniendi ad aliquod mortale, iuxta illud, *qui amat periculum, peribit in illo. Et ob id* (concludit optime idem *Donatus n.* 18.) *Monialibus valde prohibendum est, ne pueros recipiant, etiam lac sugentes, duorum, vel trium annorum: nam licet hi ex parte sua, doli capaces non sint, poterunt tamen recipientes esse apprimè dolosæ, & exinde grauiter peccare, quamuis in excommunicationem non inciderent.* Vnde non valet arguere (inquit etiam *Bordonus res.* 76. *qu.* 6. *nu.* 75.) non peccant infantes, ergo neque Moniales, tum quia certum est etiam non peccare adultos fatuos ingredientes ob carentiam usus rationis, & tamen Moniales introducentes non excusantur à peccato. Tum etiam, quia cum hujusmodi infantibus, & pueris, præsertim masculis, possunt quandoque Moniales liberius, & nimis impudicè commisceri; multum ad libidinem excitari, osculando, & tangendo liberè absque innata verecundia ipsos infantes, &c.

169 Absolutè tamen hujusmodi recipientes graviter, ac lethaliter peccare, in excommunicationemque incurrere, sentiunt *Comitolus Responsionum Moralium lib.* 6. *q.* 29. *n.* 6. & *qu.* 22. *Bartholom. Vgolinus de Potest. Episcopi c.* 21. §. 3. *n.* 4. *fol.* 190. *Naldus in summa Verbo Clausura n.* 3. *Gauantus in Manuali Episcoporum, Verbo Monialium Clausura n.* 31. Et apud *Donatum q.* 11. *cit. n. p. Paulus Tuscus de visit. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 25. *ac Sellius in Selectis can. cap.* 18. *n.* 18. *Idemque sentit apud Pellizzarium l. c. nu.* 105. *Scortia in Selectis Const. Theor.* 366. Qui moventur ad id sentiendum: Tum *ex sup. allato Textu cap. Periculoso p. de statu regul. in* 6. Dum ibi, *Nulli aliquatenus inhonestæ personæ, seu honestæ ingressus, aut accessus pateat, ad easdem Moniales.* Qui *Textus* confirmatus fuit *à Pio V. in Constit. sua, incip. Circa Pastoralis.*

Tum

Tum ex relato *Decreto Tridentini cap.* 25. *de Regularibus*. Quia ibi : *Ingredi septa Monasterii nemini liceat, cuiuscunque generis, aut conditionis, vel ætatis fuerint*. Tum ex *Textu Constit. Gregorii XIII.* incip. *Vbi Gratiæ, & indulta*, quæ in Bullario est 28. huius Pontificis *edita sub anno* 1575. dum pariter ibi : *Ne in Monasteria, domos, & loca sua quemquam ingredi faciant, vel permittant*. Verum nil horum obstare videtur contrariæ, ac communi Doctorum relatæ sententiæ, ut clarè namque constat ex dictis, nec *citat. Canonicus textus*, nec *Tridentini Decretum* ligant directè pueros, puellasve doli incapaces, & rationis usu carentes, & nec indirectè consequenter, Moniales ipsas, eos, vel eas admittentes, sicuti neque ligat illos, vel illas dicta *Gregorii XIII. Constitut.* in qua tantum continetur, (ut patet legenti) revocatio licentiarum, & indultorum à Sede Apostolica concessorum mulieribus ingrediendi Monasteria Monialium, ac etiam virorum quorumvis Ordinum, quod observavit & *Suar.* suprà. Neque ab hac communi D. D. sententia dissentit *P. Diana To.* 5. *Coord. tract. p. res.* 91. *n.* 6. *ex p.* 3. *tract.* 2. *res.* 67. Ubi sic : *Nota contra Naldum, Ugolinum, Comitolum, & Fuscum ll. cc. quod infantes nondum doli capaces, possunt in Monasteria Monialium admitti, nec esse inclusos sub prohibitione Gregorii XIII. & Concilii Tridentini ubi suprà. Et ita tenet Jo: de la Cruz, Suar., Granada, & alii, quos ad satietatem adducit, & sequitur Merolla, &c.* ita *Diana*, qui etiam super hoc in *To.* 9. *tract.* 7. *resol.* 109. *ex par.* 12. *tract.* 2. *res.* 16.

170 Insurgit nihilominus pro defensione suæ sententiæ contra communem, relatus *Comitolus n. cit.* 6. *Versu Decima ratio*, dicens, *nec verum esse, nec defendi posse*, effugere excommunicationem eum, qui intra Monasterii septa immitteret puerum ; *Nam* (inquit) *Cardinalis Sanctæ Severinæ, dum summi Pœnitentiarii munere fungeretur, litteris, quas ego legi, ad Neapoleonem fratrem patruelem meum, Perusiæ Episcopum, rescriptum est, excommunicationis reservatæ Romano Pontifici laqueum non vitare eas Moniales, quæ trinos, quaternosue pueros, vel puellas intra Monasterii septa recipiunt. Palamque in Conventu Parochorum, coram Archiepiscopo Bononiæ Alfonso Paleotto, me audiente, dictum est, non secus à Romano Pontifice Clemente VIII. ea de re fuisse responsum*. Adde, quod & *Pelizzar. de Monialib. l. c. nu.* 15. *refert à Sacra Congregatione* decisum 12. *Februar.* 1585 Quod pueri, & puellæ cujusvis ætatis non possunt admitti intra septa Monialium.

171 Rationibus confirmat acriter sententiam suam *Comitol. lib. cit.* 6. *qu.* 22. Primò : Romani Pontificis consilium, unde sanctio illa manavit de introitu, & intromissione virorum, seu mulierum, in Monialium sacra domicilia, illud fuit, ut omnis materia prolapsionis Religiosis viris, ac mulieribus, quæ se à profanæ multitudinis convictu segregarunt, subtraheretur; æquo convictu, & consuetudine muris, ostiisque conclusa ea flagitia excitantur, quæ, aut à sacris viris cum mulieribus, aut à sacris mulieribus cum viris concipi solent. At hæc materia non tolleretur, si infantes puellas in Monachorum, & infantes pueros in Monialium ædes fas esset introferre. Cum illa enim ætatula sermonis, ac vitii ignara, peccatur impunius : Neque enim vim scelerum, quam patitur, aut repellere, aut viribus ulcisci, aut voce prodere, aut judicio persequi potest. Et quoniam à voluntate excommenicantis vires sumit excommunicatio, ut Doctores affirmant, idcirco perquam probabile est, Moniales, de quibus est quæstio, nexu excommunicationis in *Gregorii XIII. Constitutionibus* Romano Pontifici reseruatæ vinciri.

172 Nonnulli crediderunt (*Idem Comitol. in fine quæst.*) Monialibus obstare *Concil. Trid. Decretum sess.* 25. *de Regularib. cap.* 5. ubi cujusvis sexus, & ætatis excommunicantur, qui sine legitima causa ab Episcopo approbanda, in Monasteria sacrarum Virginum ingrediuntur. Verum nec Decretum illud Moniales, quæ præbent ingressum, tangit ; neque quamlibet ætatem punit, sed quæ legi parere cogatur, & pœnam legis sustinere : cujus ætatis non sunt duorum, trium, quatuorve, atque adeo quinque annorum pueri, seu puellæ. Neque amentes si ingrederentur, essent excommunicati ; neque qui vi, aut vinculis constricti, intro abriperentur. At moniales, quę hæc hominum genera spontè intromitterent, quis non diceret excommunicatione irretiri?

173 Secundò probant *Comitolus* : quia si horum infantium intromissio permissa esset, tempus servandæ legis subeundęque pœnę, incertum esset, ac varium, & unusquisq; suo illud fingeret arbitrio. Hic enim negabit infantibus post duos completos annos patere in sacra Virginum domicilia aditum; & Moniales, quæ eos intra ædes recipiunt, excommunicatione affici. Alius largietur Monialibus, ut ducant intrò etiam trium, & quatuor annorum pueros, & puellas, quinque, & sex annorum ætatem exclude-

excludet. Quispiam cum hac etiam ætate comiter aget, arcebit puerum, puellamve septennem. Nonnullus affirmabit rationis compotes dumtaxat prohiberi, & admitti non posse. Alii id ipsum negabunt, ideo quod punctum illud, quo lux rationis, atque consilii oboritur puellis, & pueris, scientia aliqua teneri non possit. Præterea, quia sequeretur, si quis infans duorum annorum intra Monasterii septa receptus esset, atque in iis usque ad decimum, aut etiam quartumdecimum annum commoraretur, neque illum in commorando, neque Moniales in eo retinendo *Gregoriana Constitutionis* pœna implicari, quoniam nec commorari, nec retineri in aliquo loco, est in eum ipsum ingredi, seu intromitti. At quis tantæ absurditati assentiatur? Hæc sunt, ob quæ *in eam partem* (inquit citatus) *semper perpendi ut excommunicationis pœnam subirent Moniales, &c.* Cujus Doctoris sententia non improbabilis quidem est, sed probabilior contraria magis communis, tum ob ejusdem validas, efficacesque rationes: tum quia ex ipsa *cum Suarez*, & aliis, reiicitur præcipuum *Comitoli* fundamentum *Gregorianæ Constitutioni* innixum, quia in ipsa videlicet nil de intromissione puerorum, puellarumve intra septa Monialium, ne verbum quidem, ut patet legenti: Cum tantum in eadem contineatur (ut supra etiam advertimus) revocatio licentiarum, & indultorum à Sede Apostolica concessorum mulieribus ingrediendi monasteria Monialium, ac etiam Virorum quorumvis Ordinum: Tum etiam, quia Doctores quamplures adhærentes contrariæ, ac magis communi priori sententiæ, scripsere post præfatas *Decisiones, seu Declarationes S. Congregat.* de quibus pro responsione, inquiunt, vel ipsas authenticè non constare, vel non habere vim legis universalis, ut in simili (apud *Dianam To. 6. Coordin. tract. p. res. 22. ex part. 5. tract. 2. res. 96.*) tradunt *Hurtad., Laym., Ochag. Torreblanca, Merolla*, aliique, quos etiam *Diana l. cit.* sequitur, & post ipsos *Pellizzar. num. 105. cit.* Sed

174 Obiicies contra priorem communem sententiam. Amentes usum rationis non habent, & tamen de communi sententia Doctorum, non possunt admitti intra septa Monialium sine peccato, & incursu pœnarum, ergo neque pueri, vel puellæ, de quibus agitur: consequentia sequitur cum utrobique æqua sit ratio. Responsio tamen est, quod fallit consequentia: eo quia diversa sit ratio utrobique: tum quia amentes de se vexationem inferunt, & quietem perturbant; tum quia non solum sunt potentes ad carnaliter peccandum, verum etiam, ut bestiæ rationis usu carentes, solent de se ad turpia sollicitare, ut experientia in non paucis patet; tum etiam quia, amentes non in omnibus sunt semper tales, & sine mente, sed sæpe sæpius habent lucis intervalla, quæ nequeunt pueris, puellisve, de quibus sermo est, adaptari. Verum

175 Non obstante priori, ac magis communi sententia, sentio cum *Donato ubi supra*, valdè prohibendum esse Monialibus, ne pueros intra ædes recipiant; quia licet hoc per se malum non sit, est ex parte puerorum, cum hi doli non sint capaces; per accidens tamen, & ex parte recipientium, perniciosum utique esse potest, possunt enim Moniales ipsæ admittentes, esse apprimè dolosæ, & graviter peccare, quamvis non incidant in excommunicationem. Et ad hoc fortasse referuntur (ait optime *Donatus qu. cit. 11. n. 15.*) *Declarationes Sacræ Congregationis allegatæ*.

176 Quibus omnibus præmissis ad perfectam declarationem, intelligentiamve propositi privilegii; Affirmatur in ipso, Monialem intra septa monasterii, puerum, puellamve recipientem, & ignorantem hoc illi esse sub excommunicationis censura prohibitum (si sub tali censura verè illi prohibitum est, ut vult secunda sententia, *Comitolus* præcipuè) illam non contrahere, ignorantia ipsa eam excusante. Quod probatur, tum ex doctrina omnium Doctorum apud, & cum *Navarro in Man. cap. 27. nu. 16. in princip.* ubi: *Quod ignorantia excuset ab excommunicatione secundum omnes.* Tum authoritate, & verbis ejusdemmet *Comitoli*, opinantis quidem Moniales admittentes hujusmodi pueros, puellasve intra eorumdem Monasteria subire excommunicationis pœnam, cum limitatione tamen, nisi ignorantia videlicet, easdem excusaret: do ejusdem verba, & sunt ad litteram nostrùm propositum privilegium: *In eam partem semper perpendi* (ita ille *q. 22. cit.*) *ut excommunicationis pœnam subirent Moniales, nisi iis aliqua inscientiæ excusatio suffragaretur*. Tum etiam ratione ab omnibus admissa: quia ignorans legem pœnalem, & censuram, non peccat in eam, ergo nec pœnam, nec censuram contrahit. Sed

177 Quæres primò, an hujusmodi Monialis, censuræ ignara (admisso quod sit hæc à Summo Pontifice inflicta) peccet saltem mortaliter admittendo pueros, puellasve

lasve intra septa monasterii, & si ob ignorantiam, censuram illam non contrahat. Procedere potest hoc quæsitum simpliciter etiam, hoc est, admissa etiam priori, ac communi sententia. Respondeo primò: vel dicta Monialis ignara simul est censuræ, ac peccati mortalis, vel censuræ excommunicationis tantùm (loquor in opinione secundæ sententiæ, nec enim excommunicationis censura infligitur, nisi ob mortale) si etiam mortalis ignara est, utique & ab hoc excusatur, cum utrobique sit eadem ratio, ubi namque ignorantia est, ibi non est voluntarium, & ubi voluntarium, deest, ibi nulla culpa, nullum peccatum, quod evidens est. Vel peccati mortalis non est dicta Monialis ignara, licèt sit ignara censuræ: quia videlicet scit quidem ab Ecclesia prohibitum esse Monialibus intromittere pueros, puellasve in proprias sacras Ædes, non tamen sub censura, & si sic, intromittendo, peccat mortaliter, quia facit contra legem (scienter) obligantem ad mortale. Adde tamen, quod si dicta Monialis excusaretur & à censura utique, ac peccato, inscitiæ causa, ut in primo distinctionis membro huius responsionis, posset nihilominus peccare etiam mortaliter in præfata puerorum, puellarumve receptione ex aliis capitibus, si eos videlicet, vel eas admittat contra prohibitionem Regulæ sibi notæ, vel proprii Episcopi obligantis ad mortale, aut ratione scandali: item quia talis intromissio sibimet potest esse materia, & occasio prolapsionis contra proprium Votum, & statum &c. si verò procedat quæsitum admissa priori communi sententia. Resp. secundo, clarum esse hujusmodi Monialem, nec contrahere censuram, nec peccare mortaliter, ex vi saltem prohibitionis Pontificiæ, & Ecclesiæ, hæc namque est præfata prior, & communior sententia, ut patet. Potest tamen peccare ex aliis capitibus positis in præcedenti Additione, vi quorum prohibendum valde est Monialibus, ne recipiant pueros &c.

178 Quæres secundò. Quid respondere debeat Confessarius (priori communiori opinioni firmè adhærens) interrogatus à Moniali sua pœnitente, an peccet mortaliter adimittendo intra septa monasterii pueros, puellasve, supposito quod eadem Monialis nullam habeat nec à propria Regula, nec à Domino suo Episcopo, circa id, prohibitionem: & quod ipsa sit Religiosa exemplaris, valdè bona, conscientiæque timoratæ, unde cesset in ea dubium scandali, prolapsionis, &c.? Respondeo. Suadeat absolutè prudens Confessarius Pœnitentem suam Monialem abstinere omnino à tali admissione puerorum, puellarumve intra septa Monasterii, neque ei deerunt efficacia motiva, pluresque, & palpabiles [ut ita dicam] rationes hujusmodi suasionis: cum talis admissio, etsi ex se mala non sit, potest tamen esse occasio, & materia plurium malorum, in aliis saltem Monialibus laxioribus, tepidioribus, & bonitatis inferioris, si non in ipsa recipiente, ob quæ, & alia mala omnia vitanda, quę obvenire possent ejusdem receptionis causa. In nonnullis Monialium Regulis absolutè prohibetur, uti & multoties [ex dictis] nedum à *Sacra Congregatione*, verum etiam à Monialium Ordinariis, & Episcopis. [Quod & inter alios fecit Illustrissimus, ac Reuerendissimus Dominus Sebastianus Pisanus Veronæ Episcopus: sibimet insuper, suoque Vicario Generali reservans hunc eundem casum, sub sequentibus verbis: *Chi intrudurrà fanciulli d'ogni età, tanto maschi, quanto femine in Clausura; tanto per le Ruote, come per altri fori: Concilium Tridentinum sessione* 25. *capite* 5. *& nostra expressa mente*: *ita in sua tabella Casuum Reservatorum, quam vide in Opusculo, cuius titulus, Ordini, e Decreti per le Monache di Verona, &c. anno* 1667. *fol.* 42.] Suadeat inquam, & efficaciter: non tamen respondeat, ipsam, admittendo, &c. [ut in quæsito] peccare mortaliter; ut Confessarius quidam [secundùm *Marchantium* infrà] imprudenter, contra propriam opinionem [quod mihimet fassus fuit] cuidam Moniali hoc idem interroganti, responsum dedit, *esse scilicet absolutè mortale, recipere pueros, puellasve*, ut suprà.

179 Imprudens quidem, atque nimis durum responsum, & magna correctione dignum: *Omnis enim quæstio* [sunt verba *D. Thomæ quodlibeto* 9. *qu.* 7. *art.* 15. *in corpore*] *in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur: quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortè à tanto. Error vero, quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex dicta conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est.* Ita *Sanctus Doctor*, quem si præfatus Confessarius legisset, diversimodè suæ Moniali inquirenti, ut suprà, respondisset. *Debet esse valdè grave* [inquit *Jacobus Marchantius Resolutionum Pastoralium tractatu* 7. *cap.* 2. *qu.* 1. *fol. mihi* 683.] *quod mortale esse censetur, nam ob leve pu-*

ve punire morte æterna, alienum est à Divina bonitate, cum in foro Civili tale punire morte temporali censeretur tyrrannicum, ut rectè advertit Reginald. p. p. qu. 6. Vnde *& Petrus Marchantius in Opusculo*, cujus Titulus*: Notabiles Resolutiones Variorum Casuum, & Quæstionum Practicar. editus Coloniæ* 1655. *sub Titulo, Casus concernentes Regulares, casu* 32. *fol. mihi* 461. *sub Versu, Primo itaque*, loquens ibi de Monialibus, in hæc verba prorumpit: *Imponere obligationem in foro Dei ad peccatum mortale, & damnationem æternam, absque speciali, & manifesto titulo, non tantum imprudentiæ est, sed etiam crudelitatis*. Obligatio sub mortali est valde odiosa, ac proinde minime præsumenda, nisi ubi necessitas cogit, & parum humanum videtur, sub mortali obligationem inducere absque certo, atque irrefragabili fundamento. Hinc optime etiam *Georgius Gobat in Alphabeto sacrificantium Casu* 21. *num.* 702. *&* 703. *fol. mihi* 476. ait: *Mihi displicet asseri aliquod esse peccatum, etiam veniale, & consequenter extare aliquod præceptum, quando non habetur sufficiens fundamentum, & longè magis horreo noxam lethalem asserere, nisi vel clara ratio, vel authoritas irrefragabilis cogat*. Atqui hic nulla irrefragabilis ratio, vel authoritas, (in opinione ipsa dicti Confessarii) aut necessitas ulla cogit, præsumendi lethale, peccatum, vel inducendi tam gravem obligationem, abstinendi videlicet, à toties repetita intromissione, sub lethali: Cur ergo voluit Confessarius suamet responsione exponere pœnitentem Monialem, & sic alias fortasse infirmiores, periculo peccati mortalis, & æternę damnationis? Hoc utique alienum videtur à Christiana charitate, ut advertit etiam *Arragonius in* 2. 2. *q.* 83. *in Tit.* 30. *concl.* 3. his verbis*: Certè videtur durum, & à Christiana charitate alienum, mittere aliquem in infernum, & dicere quod peccet mortaliter, sine evidenti, & certa ratione*. Ita citatus Doctor, relatus *à Gobat in Alphabeto Officii recitandi, Casu* 23. *nu.* 123. *in fine fol. mibi* 527. Unde merito *Tamburinus in Methodo Celebrandæ Missæ lib. p. cap.* 6. *n.* 4. *Versu, Dico quamvis*, ait, *Nullus est obligandus sub culpa lethali, nisi manifestè constet de præcepto obligante*. Non apparet autem tale præceptum manifestè, ut constat, maxime in opinione præfati Confessarii, quod supponout certum. Et si non apparet, *periculosè* consequenter responsum suum dedit Moniali dictus Confessarius ex sententia *D. Tho. supra*. Quia *Periculosè (inquit Sanctus Doctor) determinatur, aliquid esse peccatum, nisi expressè veritas habeatur; quæ* utique hic non habetur. Concludo igitur præsens privilegium, dicens cum *Gobat in Clypeo Clementium Judicum sec.* 8. *in princip. n.* 130. *fol. mihi* 94. *Aleam periculosam jaciunt Confessarii, dum suis pœnitentibus dispositè ajunt aliquid esse iis sub mortali vetitum, vel præceptum, cum sciunt contrarium esse verè probabile practicè*.

PRIVILEGIUM XVIII.

Fœmina invincibiliter ignorans se esse gravidam, petit medicamentum à Medico, ut consulat suæ valetudini, sed antequam sumat quod Medicus consulit, iste dicit ei, quòd ex tali sumptione, si sit gravida, sequetur abortus: respondet ipsa, non sum, & si essem nihil curo cum sim egena, nec commodè possim filios alere. Sumit medicamentum, sequitur inde abortus fœtus animati; excusatur eadem nihilominus ab excommunicationis censura lata à Sixto V. & Gregorio XIV. *contra quoscumq; (Matres etiam) procurantes abortum, sequuto effectu*.

180 EX Constitutionibus sanctissimorum Summorum Pontificum *Sixti V. & Gregorii XIV.* relatis *capite* 10. *privileg.* 7. apertissimè constat, uti ex communi Doctorum sententia, quoscumque, quocumque modo, vel medio directè procurantes abortum fœtus, animati, vel ad id scienter, jussu, consilio, favore, auxilio, quomodolibet cooperantur, effectu sequuto, ipso facto excommunicationem incurrere, etiam matres pręgnantes, potiones abortivas per se sumentes, aliove modo sibimet abortum procurantes. Ab hac autem nihilominus censura excusatur dicta fœmina gravida, etiam si ex voluntaria medicamenti potione abortiverit, ut in proposito privilegio, quod ponit etiam, & approbat *Carolus de Baucio De Casibus Conscientiæ singularibus, Casu* 363. *fol.* 328. *Versu, Respondetur secundò*. Quodque cum eodem *Baucio* probatur. Quia dicta fœmina quando sumpsit medicamentum, invincibiliter exhistimabat non fuisse gravidã, licet peccaverit mortaliter ex illa mala voluntate illud sumendi etiam si esset gravida. Unde abortus ab hujusmodi fœmina ignorante invincibiliter se fuisse gravidam, non fuit efficaciter volitus, nec ejusdem mala voluntas fuit causa efficax abortus: neque directè, cum non sumpserit medicamentum data opera, ut sequeretur abortus: neq; indirectè, quia si invincibiliter

nesciebat esse gravidam, nec poterat consequenter prævidere in causa effectum abortus: neque illa voluntas concomitans, neque curans de abortu si esset gravida, operata est aliquid in abortum sequutum animatum, dum invincibiliter existimabat se non esse gravidam. Igitur si voluntas illa nil operata est in sequutum abortum animatum, neque valens fuit consequenter ad inducendam excommunicationis censuram, cum hujusmodi abortus nequeat dici absolutè voluntarius, uti non est, ut constat, quomodo enim voluntarius absq; intentione procurandi abortum? casualis utique tantùm censendus est, etiam per eundem *De Baucio l. c. in fine*. Sed de abortu voluntario, non casuali, intelligenda est *Constitutio supra citata Sixti V.* ait *Bordonus tom. 1. Resol.* 44. *nu.* 3. *In ipsa enim fit mentio* (dicit *Bordon.*, & verum dicit) *de abortu voluntario, non casuali*. Et casualis abortus ille est, per eundem *Bordon. n.* 3. *in princip.* qui non est prævisus, uti talis est in casu nostro. Unde rectè etiam docet *P. Diana to.* 5. *Coordin. tract.* 6. *res.* 17. *ex par.* 7. *tract.* 5. *res.* 20. *Ad casum hunc incurrendum, non sufficere, ut abortus possit alicui imputari, sed debet esse dedita opera, & ex industria quæsitus*. Quomodo autem abortus esse potest quæsitus ab ignorante fœminam esse gravidam? quomodo à matre etiam ipsa (in seipsam in casu nostro) invincibiliter nesciente se esse gravidam? Hinc *Mazzuchellus de Casib. Reserv. disp.* 2. *cap.* 3. *qu.* 3. *n.* 40. *Diana l. c. Bellochius de Casib. Reserv. par.* 2. *qu.* 8. *sub n.* 96. *versu, Quintò nec. Cabrinus de Casib. Reserv. par.* 2. *casu* 7. *Resolutiva praxi n.* 7. *fol.* 167. *aliique, optimè resolvunt, excipi à casu abortus, ignorantem fœminam esse gravidam*: quia is non dicitur procurasse, &c.

181 Confirmatur eadem principalis ratio ex iisdemmet, quæ tradidimus *Privil.* 11. *hujus cap. in principio* in quo, per totum, authoritate Doctorum, & rationibus probavimus, quod ignorantia invincibils concomitans censuræ, excusat ab incursione illius, ut si quis v. g. cædat Clericum, putans invincibiliter esse Laicum, etiam si eo animo affectus esset, & dispositus, quod si cognovisset esse Clericum, à percussione minimè abstinuisset. Sicque etiam in proposito privilegio non est obnoxia censuræ excommunicationis, sed ab ipsamet excusatur dicta fœmina, quæ potionem sumpsit, ex qua sequutus est abortus animati fœtus, eo quia ignorabat se esse gravidam, nec sumpsit medicamentum data opera (ut supra) eo fine ut sequeretur abortus. Et licet voluntas illa concomitans, & nihil curans de abortu sit mala, & ratione pravæ dispositionis, & affectus, quem habet circa objectum ignoratum, mala lethaliter absque excusatione; opus tamen externum, idest sumptio medicamenti, cum non procedat studiosè ex eadem prava voluntate eiiciendi animatum fœtum, nec subjacet censuræ, eo quia Ecclesia in suis censuris, & pœnis, non punit actus internos, uti est tantum dicta mala voluntas, sed externos tantummodo. Licet enim (ut optimè etiam *Reginald. in Praxi to. p. lib. p. cap.* 11. *nu. margin.* 128. *pag. mihi* 28. *col.* 2.) peccata interiora, idest, quæ latent intus in Anima, possit Ecclesia, & Superiores absoluta potestate reservare (ut consensus in hæresim &c. Unde Papa dicente, Nolo quemquam habere facultatem absolvendi à consensu voluntatis in hæresim: nemo, nisi de ipsius licentia, ab hoc peccato absolvere posset, tanquam sufficienti jurisdictione carens.) Verum tamen Ecclesia hac non utitur reservatione, quamvis uti possit: sed conferens alicui jurisdictionem ad absolvendum à mortalibus, censetur dare ad absolvendum à quibusvis internis; ita expedire judicans; eo quia talia, nec aliis nocumentum inferant, nec curatione egeant, quæ non videatur posse ab Ordinariis adhiberi. Qua de re vide præter *citatum Reginald.* etiam *Suar. de Pœnit. disp.* 29. *sec.* 3. *n.* 3. & alios, quos isti referunt. Ex his autem

182 Sequitur, nec medicum prædictum, qui præfatæ fœminæ medicamentum consuluit, obnoxium fuisse alicui Censuræ, imo nec peccatum ullum, vel minimum, commisisse; dum bona fide consuluit medicamentum eidem fœminæ; cui etiam dixit, ut non sumeret illud, si esset gravida; unde non fuit causa neque directè, neque indirectè sequuti abortus, nec dici potest habuisse intentionem, & propositum procurandi abortum, atque adeo immunis fuit omnino à culpa quacumque, & ab omni censura consequenter: Quod advertit etiam *De Baucio l. c. resp. p.* & ante ipsum *Stephanus Quaranta Verbo Abortus, versu Limita primò*: dum ibi, *Excipit illum, qui ignoravit, fœminam esse gravidam, & Medicum utique in casu*. Et ratio hujus est (inquiunt *Mazzuchellus l. c. n.* 45. *& Diana l. c.*) *Quia non dicitur habuisse intentionem, & propositum procurandi abortum. Sic Medicus, qui nescius an mulier sit gravida, idque neque animadvertens, nec animadvertere volens,*

lent, medicinam præberet, ex qua abortus ſequeretur, non incideret in caſum, etiamſi fortè mortaliter peccaret ob inadvertentiam culpabilem. Et ratio eſt, quia ad caſum hunc incurrendum non ſufficit, ut abortus poſſit alicui imputari, ſed debet eſſe dedita opera, & ex induſtria quæſitus. Sic ignorantia quantumuis craſſa, dummodo non ſit ingens temeritas excuſat à Cenſura impoſita ſcienter aliquid facienti: ita *Mazzuch.* & cum ipſo *Diana*.

183 Verum quia excommunicatio, de qua in hoc privilegio, lata eſt contra procurantes abortum fœtus animati tantum (non inanimati) & ſequuto effectu: idcirco quærunt communiter Doctores: & meritò hic etiam obiter inquiret quis, quo tempore fœtus animatur, ita ut, qui de illo abortum faciunt, incurrant excommunicationem? *Leſſius de Juſt. lib. 2. cap. 9. dub. 10. n. 65.* huic eidem Quęſito ſic reſpondet. *Covarru. putat mares animari die 40. à conceptu, fœminas octuageſimo, & ita communiter ſentire DD. ſed nulla videtur ratio, cur tanta ſit diſcrepantia inter marem, ac fœminam. Itaque verius eſt utcumque fœtum animari ſimul atque fuerit formatus. Nam Exodi 21. juxta verſionem 70. dicitur (Qui percuſſerit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, ſi fœtus erat formatus dabit animam pro anima: ſi nondum erat formatus, mulctabitur pecunia) Ubi apertè inſinuatur fętum habere animam, ſimul atq; formatus fuerit. Idem docent Medici. Quoto autem die formatio abſolvatur, docet Levinus Lemnius c. 11. citans Hippocratem lib. de natura fœtus, maris formationem abſolvi aliquando die 30. aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. feminæ vero, nunc 35. nunc 40. nunc 45. nunc 50. Verum Hippocrates id non docet: nam lib. de natura fœtus n. 10. docet maſculum, ut longiſſimè triginta diebus formari: fœminam ut longiſſimè 42. duobus: idque duobus locis eodem lib. repetit, & probat ex purgatione, quæ poſt maſculi partum durat diebus 30. poſt, feminæ 42. ut diutiſſimè.* Hactenus *Leſſius*. Cui uniformis eſſe videtur *Mazuchell. de Caſib. Reſer. diſp. 2. c. 3. q. 1. diffic. p. nu. 4. & 5.* dum ibi ſic. *Aliqui cum Ariſtotele lib. 5. animal. cap. 3. & 9. & Plinio lib. 7. natural. Hiſtor. cap. 6. exiſtimant animam rationalem in maſculis quadrageſima die, in feminis octuageſima poſt conceptionem infundi. Ita Sylv., Graff. Finel. Azor. to. 3. cap. 4. Verſu Notandum. Quam ſententiam ſuadent ex Levitico cap. 12. Quo loco præcipitur, ut mulier, quæ marem peperit quadraginta dierum ſpatio; quæ verò feminam per ſpatium octuaginta dierum ab ingreſſu templi abſtineat. Ego tamen verius eſſe exiſtimo, utrumque fętum animari ſimul atque formatus eſt: Sic enim Exodi 21. juxta verſionem ſeptuaginta, dicitur &c. Ratio autem cur fętus non formetur eodem tempore in omnibus, provenit ex caliditate Matris, &c.* Huſcuſq; *Mazzucchellus*.

184 *Pater Diana Tom. 5. Coordin. tract. 6. reſ. 19. nu 3. ex part. 7. tract. 5. reſ. 6.* exiſtimat, non eſſe recedendum *ab Ariſtotele, & Plinio*, ubi ſupra, & ab aliis, qui *cum iiſdem* docent, mares animari die 40. à conceptu; fœminas vero die 80. & aliquando 90. additque, ab hac opinione recedendum non eſſe, quippe quæ magis favet pœnitentibus, & quia ſententia eſt DD. communis: A qua recedendum *non eſt* (ait etiam *Cabrinus de Caſib. Reſer. par. 2. Caſu 7. Annotatione 6. n. 16.*) Notans *in fine*: quod hanc eandem ſententiam confirmat *Stylus ipſe ſacræ Pęnitentiariæ Romanæ*, teſte *Navarro Conſilior. libr. 5. Conſ. 26. de Homicidio, in nova editione* Et eandem docent, idem *Navarr. in Man. cap. 15. n. 28. Verſu Decimo nono peccat; in fine Sylv. Verb. Homicidium p. n. 3. Graff. Deciſionum Aurear. lib. 2. cap. 63. n. 31. Layman. lib. 3. tract. 3. par. 3. cap. 4. nu. 3. Verſ. Porrò plurimum, Trullencb. in Decal. to. 2. lib. 5. cap. p. dub. 4. n. 2. Molina de Juſt. to. 4. tract. 3. diſp. 27. n. p. Megala to. p. Promptuarii, verb. Abortus n. p. Coriol. de Caſib. Reſerv. par. 2. Caſu 6. n. 4. Quaranta in ſumma Bullarii, Verb. Abortus n. 5.* alique apud eoſdem *Cabrinum, & Dianam ll. cc.* & communiter, præcipue *Naldus in Qq. Practicis Verb. Abortus nu. 2.* ubi ſic, *Abortum poſt 40. dies in maſculo, in fœmina autem poſt octuaginta animatum eſſe anima rationali, tradunt omnes. In dubio autem, idest non apparente, ſit ne maſculus, an fœmina, tunc cenſetur eſſe maſculus, & ſit animatus anima rationali: Et ita ſervat ſacra Pœnitentiaria.* Ita *Naldus*.

185 Hac eadem communi ſententia nihilominus non obſtante, *Thomas Fienus de vi formatrice fœtus, edito anno* 1620. *qu. 8. concluſ. 11.* (apud *Dianam reſol. Coord. citat. 19. n. 4.*) putat animari fœtum anima rationali, *tertia ad ſummum die à ſeminis conceptione*, quam ſuam ſententiam pluribus probat argumentis. *Sed idem P. Diana eo loci, ne ingerat* (ait) *ſcrupulos*, non audet ſententiam hanc approbare, concludens ibi, *à communi ſententia recedendum non eſſe*. A qua tamen recentiſſimè, noviſſimèque recedere videtur (ſed cum declaratione, & proteſtatione, ut infra) *Hieronymus Florentinius Lucenſis Cleric. Regularis Congregationis Matris Dei, in ſuo Doctiſſimo, eruditiſſimoque*

moque *Tractatu*, *edito Lugduni anno* 1675. cujus Titulus: *Homo dubius, sive de Baptismo Abortivorum*, dum laudat in ipso, nedum supradictam sententiam *Fieni*, & aliorum asserentium apud ipsum *disp. p. sec.* 7. *n.* 5. *Tertia die à conceptione, animam rationalem esse in fętu*, Verum etiam sententiam (*quam refert sec.* 8. *n. p.*) & tradidit *Vopiscus Fortunatus*, *cum aliis citatis à Farinac. par.* 2. *Praxis Crimin. q.* 122. *n.* 139. *In ipso* (*videlicet*) *conceptionis momento, animam rationalem creari*. Et dum item recenset, laudatque (saltem non improbat *sec.* 7. *nu. p.* & 2.) sententiam eorum, qui dicunt, *Ante diem septimum vivere anima rationali humanum fętum*. Et eorum etiam (quos refert *sec.* 9.) quorum aliqui affirmant *semen permixtum in utero statim incipere vivere*. Alii asserunt, *Animam simul, & in momento esse cum corpore*. Alii sentiunt, *Intra septem horas si semen fuerit retentum ab utero, animam ibi adesse*. Aliique tandem volunt, *In fine secundæ diei permixtis seminibus statim adesse animam rationalem, quæ totum corpus moliatur, & perficit*. Quas tamen sententias, & varios dicendi modos de tempore animationis, recenset quidem *Florentinius ll. cc.* sed *relinquendo* (ait) omnes in sua probabilitate, ut ex illis constet quam varium sit, & incertum animationis tempus: ita *sec.* 8. *in fine*. *Vers. Cæterum hæc*. Addens *sec.* 10. *in principio*: Imo, ex iisdemmet necessario colligi, incertum esse, & valde dubium tempus illud præcisum, quo Anima rationalis à Deo creatur, & infunditur in corpus.

186 Ex qua temporis incertitudine, & prædictarum sententiarum, in sua probabilitate relictarum recensione, deducit postea præfatus Doctor, *Fętum abortivum, quocumque tempore ejectum, baptizandum esse sub conditione*: idque affirmat *sec.* 9. *nu. pr.* sub sequentibus verbis: *Igitur quando fętus abortivus, elapso quocumque tempore à conceptione, excutitur ab utero matris, si in illo appareant lineamenta fętus humani propria, propter quæ à mole distinguantur, non licet illi negare Baptismum, sed debet ministrari sub conditione, aut verbis expressa, vel saltem mente concepta (si es capax, ego te baptizo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti) intelligendo sub tali conditione, tam vitam rationalem, si illam habeat, quam ablutionem verbis significatam, ut forma verificetur, si nimirum interpositæ secundinæ non impediant*. Et hanc suam penitus novam de Baptismo Abortivorum sententiam, probat doctissimus Vir.

187 Primo: Quia quilibet tenetur, saltem ex obligatione charitatis, etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis subvenire proximo extremè periclitanti, quoad animæ salutem, ut tradunt omnes Theologi, tum Scholastici, tum Morales, & videtur esse certum de fide, nam *Joann. Epist.* 1. *cap.* 3. dicitur: *Quod nos debemus pro fratribus animas ponere*. Et omnes Doctores afferunt exemplum de parvulo moribundo ante usum rationis; & dicunt hunc esse baptizandum, etiam si Minister propter tale ministerium mortis periculum subiret, & quoad infantes Christianorum communissima est doctrina, sed in nostro casu, si in fętu existat anima rationalis, & non baptizetur infans sub prędicta conditione periclitatur anima inevitabiliter propter peccatū originale contractum in unione illius cum corpore, ergo quilibet tenetur baptizare.

188 Secundò. Quotiescumque hic, & nunc, non temerè, sed cum fundamento formidare potes, quod tua culpa, & omissione anima proximi æternam damnationem incurrat teneris illi subvenire de opportuno remedio: sed excluso de utero matris abortu potes, ut patet ex dictis, prudenter, & non temerè suspicari, quod ibi Anima rationalis existat, certissimè damnanda, nisi baptizes, ergo jam teneris dubium morale admittere, & judicium practicum formare de administratione Baptismi, & cum hujusmodi remedio, tibi tam facili, illique omnino necessario, subvenire. Et ratio à priori est, quia nulla fit injuria Sacramento, si enim conditio de facto non verificetur, verba formæ suo fine non frustrantur, cum non proferantur nisi cum intentione conditionata; & quidem cum fundamento probabili dubitas, ergo prudenter operaris, dum remedium applicas ad impediendum periculum probabile.

189 Tertiò. Quando moribundus absente Confessario petiit Confessionem, & postea sensibus destitutus est, potest, imo debet absolvi à Confessario superveniente, cui per alios, ut loquitur *Paulus V. in Rituali Romano* desiderium hujusmodi Confessionis innotuit: Quod si stante tali testimonio Sacerdos adhuc dubitet, an scilicet infirmus habeat sufficientem dispositionem, tenetur illum sub conditione absolvere; quod *Eminentissim. De Lugo* latè docuit *De Pœnitent. disp.* 17. *sect.* 5. *nu.* 91. ubi etiam *num.* 87. asseuerat ad idem teneri etiam si Confessarius sit ex illorum Auctorum sententia, qui dicunt non posse absolvi moribundum, qui saltem unum peccatum in specie non dixit; & ratio est, quia ad mi-

nus

nus sententia contraria propter auctoritatem est extrinsecè probabilis, ac proinde talis, ut eam possit Sacerdos amplecti tuta conscientia: quoties autem potest absque gravi incommodo subvenire proximo graviter periclitanti circa æternam salutem, ad id tenetur. Ergo

190 Imo etiamsi moribundus nulla signa contritionis ostenderit, neque desiderium confessionis declaraverit, si christianè vixerit, & Sacramenta frequentaverit, absolvi posse sub conditione docuerunt antea *Molphesius in sum. to. 1. tract. 7. cap. 58. n. 7. Alexand. Ludovis. Archiep. Bononiens. postea Summus Pontifex, Gregor. XV. in Memor. Confessariorum cap. p. n. 16.* ubi in praxi præcepit observari: *Petrus Marchant. in Tribun. Sacram. to. p. tract. 4. tit. 4. dub. 7.* qui licet esset contrariæ sententiæ, periculum expertus in se ipso, & ab eo liberatus, deinde illam retractavit: *Lezana in summa q.q. Regularium to. 3. Vers. Confessio n. 11. Aversa de Sacram. Pœnitent. qu. 10. sec. 18. Pellizar. in Man. Regul. to. p. tract. 5. cap. 3. sect. p. n. 60. & to. 2. tract. 8. cap. 3. sect. 2. n. 114.* Ubi testatur ita practicasse *Suar. Baldellum, & Naldum, Victorin. Premoli ex Societ. Jesu in Memor. Clericor. par. 4. cap. p. n. 14. Tamburin. in Methodo Expeditæ Confession. lib. 2. cap. 10. §. 2. n. 11.* Ubi attendens, quod *Paulus V.* exigit in tali moribundo, quod saltem Confessionis desiderium ostenderit, ait: *Satis superque Confessionem petiit per mores Christianos tota vita sensibiliter peractos. Leander to. p. tract. 5. qu. 46. Raynaud. de Martyr. p. 2. c. 3. n. 7. Caram.* qui etsi sententiam contrariam laudet, dicit tamen peccaturum mortaliter illum, qui in casu practico, deposito proprio dictamine, moribundum, qui omnibus sensibus destitutus est, & nullo externo signo confessionem petiit, non vult absolvere. Cur ergo puerulum omnibus operationibus destitutum, quem tamen vivere, & esse Baptismi capacem, prudenter dubitas, baptizare negabis? Ita in simili casu de Baptismo in Capillis collato dixit *De Lugo in Respons. Moral. lib. p. dub. p. n. 12. De Pœnitent. dis. 7. sec. 13. n. 273.* ubi docet esse obligationem rebaptizandi sub conditione, quoties adest morale dubium in facto de valore primi Baptismi; ut in casu de illo, qui baptizatus fuit in Capillis. Et hoc propter inconvenientia, quæ sequerentur, si primus Baptismus non fuisset validus, exponeretur enim periculo damnationis ille Baptizatus in Capillis, si baptisma non fuisset validum. Sed quodnam majus inconveniens, quam animas damnari, si sunt in fœtu, & omittatur baptisma propter opiniones contrarias, quæ certitudinem non habent?

191 Ultimo probatur principaliter hæc sententia: quia etiamsi saltem propter quorundam Medicorum auctoritatem, & ferè universalem consuetudinem obstetricum, non baptizandi hujusmodi fœtus sub conditione esset probabilior opinio, quod ante trigesimum diem non teneantur ministrare Baptismum fœtibus abortivis, tamen quia hoc judicium probabile non nascitur ex aliqua ratione, sive (ut loquitur *Sanchez* statim citandus) non provenit *ex jure*, sed ex facto, quo nimirum, si subiectum, cui applicandum est medium salutis, fit capax, adhuc probabilis sententia illorum non sufficit ad hoc, vt non detur obligatio baptizandi, ergo baptizandus est talis fœtus sub conditione. Probatur consequentia. Quia collatio Baptismi est utiq; per omnes necessaria ad salutem, & ad vitandum irreparabile æternum damnum: ergo uti certum remedium de facto, conferri debet, adhibitis tamen materia, & forma ab Ecclesia præscriptis, quoties necessitas, charitas, atque misericordia urget, ex aperta doctrina *Sanch. in Decal. lib. 1. c. 9. n. 33.* ubi alios citat, quibus adde *Cardinal. de Lugo dicto dub. 1. n. 11.* sed ita est in casu nostro, in quo omissio Baptismi exponit animam illam, si existat in fœtu, certissimo damnationis periculo, ergo ad vitandum tale periculum datur obligatio illam baptizandi de facto sub conditione si in fœtu existat.

192 Dices, non dari judicium morale in præsenti, quo aliquis possit prudenter formidare ex sententia Medicorum sequi Animæ damnationem, sed solum judicium speculativum, quod non satis est ad innovandum in re tam gravi. Resp. Cum judicium morale sit illud, quod est juxta hominum morem, & prudentem consuetudinem, ut *Eminentiss. Lugo l. c. n. 12.* docet, atque ut patet ex sententiis relatis, & variis modis, quibus quicumque hanc difficultatem examinarunt, illas sententias applicant ad explicandum hoc factum animationis fœtus, cujus non est certum tempus, sed omnes Auctores procedunt ex conjecturis, & sic dubium fit, an anima rationalis statim post aliquot horas existat in fœtu, an intra septem dies, an istis elapsis, usque ad decimam quintam, vel decimam septimam, decimam nonam, vigesimam quintam, trigesimam, vel ulterius expectet, quid deest, & quid riquiritur ad for-

mandum dubium morale in re tam incerta, de quo non omnes Medici eodem modo loquuntur, & quam Deus ipse indecisum reliquit, & Spiritus Sanctus tanquam inscrutabiliter, & soli Deo notam proponit? Certè non video, quæ utilitas, vel honestas suadeant, ut tam facile remedium omittatur, & tam magno periculo, imo extremæ damnationi infinitæ propemodum abortivorum animæ exponantur; quod etiam si non multæ, sed paucæ, vel una tantum Anima hoc remedio salvaretur, adhuc non esset nostra diligentia inutilis, & frustatorius labor. Si enim ex *D. Gregorio in Psalmum* 50. verum est quod nullum tam gratum est sacrificium, quam zelus animarum, nihil Deo charius ab animarum Ministris, nihil illarum saluti utilius operari potest, quam animas, si existant, & Baptismo sint capaces, certo certius salvare, alioquin si renuas baptizare infallibiliter damnandas. Hæc, & alia multa doctè, & subtiliter, & nedum ex Doctoribus, verùm etiam ex Patribus, ex Conciliis, & ex sacra ipsa Scriptura congerit *Florentinius* ad suadendum ex professo suam verè novam, nec non verè piam sententiam, quam tamen tuetur sub sequenti Declaratione, & protestatione, initio tractatus, de Ordine etiam Superiorum posita, & sub eadem Declaratione tantum, & non aliter, sententia ipsa, ejusdemq; impressione admissa, sic

AUCTORIS

De Ordine Superiorum.

193 *Hanc ergo sententiam, De Baptismo Abortivorum, tota hac disputatione comprehensam, & præsertim sectione undecima impressa ab Eminentissimis Patribus Sacræ Indicis Congregationis jussus explicare, libens, volensque gravissimo, prudentissimoque doctissimorum Principum judicio, & imperio pareo. Et in primis assero, me nihil in præsenti materia definiendo dicere, sed uti rem probabilem, & per modum problematis proponere. Deinde adverto, me neminem, quoad praxim attinet, sub mortali obligare, sed tantum rationes speculativas id suadentes exponere, ac in suspenso relinquere, sicuti nec inducere novum aliquem ritum in Ecclesiam: Cum id ad Sacram Rituum Congregationem, Summumque Pontificem spectet. Ita sentio, ita scribo, & ita me scribere, & sentire protestor, ut æquum est humilem, ac devotum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filium, qualem me esse, & fuisse hactenus; futurum in posterum, sanctè profiteor.*

194 Et si contra præfatam sententiam, Auctori ejusdem opponas argumentum, quod idem sibimet principaliter obiicit, *Disput. p. sec.* 12. *n.* 1. Videlicet, non esse verisimile, universalem Ecclesiam, quæ Spiritus Sancti regimine gubernatur, neq; sub eo errare permittitur, in re tam gravi, tanto tempore desidem fuisse, & non ordinasse remedium adeo necessarium pro animabus abortivorum. Imo tot Sapientissimos, & Doctissimos Viros, qui in Ecclesia Dei præfuerunt, nunquam vidisse tam ingens animarum discrimen: & si prævіderunt, ob solam Philosophorum sententiam stetisse, quin parvulorum Parentes, & Parochos admonuerint, ut abortivos baptizarent. Respondet *sec.* 13. *sequenti*, optimè quidem constare Summos Pontifices, & Concilia, summa diligentia, & sollicitudine semper instituisse, ut quotiescumque parvuli recenter nati, & fœtus vivi periclitantur, baptizentur. Sic

Siricius Papa mandat omnibus, qui in periculo mortis, etiam pueris, qui per ætatem loqui non possunt, ministrari Baptismum.

Leo Primus, quod omni tempore periclitantibus Baptisma ministretur, decernit.

Concilium Carthaginense, statuit ut omni tempore puero, qui in utero Matris formatus est, hoc Sacramentum conferatur.

Sexta Synodus jubet, ut parvulo ægrotanti à nullo Presbytero Baptisma negetur.

Concilium Milevitanum, excommunicat, qui parvulos recenter ab utero Matrum egressos, negat baptizandos esse.

Concilium Parisiense, statuit, nullo tempore hoc Sacramentum esse dandum, nisi tempore Paschatis, & Pentecostes, excipit tamen ægrotantes.

Concilium Gerundense, parvulos, qui infirmi egrediuntur Maternum Uterum, eodem die dicit esse baptizandos.

Sanctus Gregorius Papa statuit, ut si quæ Mulier, quæ peperit, sit in periculo mortis, eodem die, & hora quo nascitur, id quod genuit, baptizetur, ne periculum sit in mora.

Concilium Matissonense decernit, ut filii, qui ex infirmitate, vel imminente periculo urgentur, baptizentur, etiam extra præscripta tempora Paschæ, & Pentecostes.

Idem præcipiunt Concilium Moguntinum, Vormatiense, & Triburiense.

Rituale etiam Romanum sub Paulo V., & Sacerdotale Samarini, ordinant, quod mortua matre prægnante, fœtus cautè extrahatur, & si vivus est, baptizetur.

195 Constat igitur ex his (concludit *Florentinius dis. cit. p. sec.* 14. *à num.* 1.) fuisse satis provisum parvulis abortivis, nam etiam ipsi, si vivunt anima rationali, comprehenduntur sub dispositionibus Summorum Pontificum, & Conciliorum, & pro ipsis etiam faciunt motiva, quæ in præcitatis Decretis continentur; tum quia in hujusmodi parvulis, de quibus ibi sermo est, nunquam Ecclesia consideravit tempus Nativitatis quot nimirum dies, vel Menses haberent à conceptione, sed solum supposito, quod vivi essent, & in periculo mortis constituti, declaravit nullum tempus expectandum, sed esse subito baptizandos: ergo dici non potest, quod tanto tempore Ecclesia Dei negligens fuerit, quod Sancti Spiritus lumine non fuerit circa hunc casum illustrata, & quod Sancti Patres, & Theologi non satis providerint. Quod autem Summi Pontifices, & Concilia, quando occasio sese obtulit disputandi, à quo tempore fœtus sit absolutè, vel sub conditione baptizandus, ab hac quæstione abstinuerint, & sicco pede pertransierint, existimo prudentissimè id fecisse, nam in re tam gravi, & quæ ob sui incertitudinem, adhuc sub judice manet, meritò noluerunt definire, sed eam prudentiæ Ministrorum, & peritorum judicio dereliquerunt. Hinc si Ecclesia non fecit mentionem expressam de istis abortivis, & informibus, est, quia, ut notavit *D. Card. de Lugo nu. cit.* respectu aliorum parvulorum, qui in infantia moriuntur, sunt in parvo numero: nec propterea sequitur, ad illos non pertinere Baptismus, quia cum Ecclesia expressè statuerit, parvulos recenter natos imminente mortis periculo esse baptizandos, satis ostendit, & declaravit suam voluntatem circa illos si judicio prudenti æstimantur vivere, cum in illa propositione generali, illi etiam includantur.

196 Nec valet illatio, quod Ecclesia nunquam fuit expressè loquuta de fœtu abortivo non formato, ergo ad istum baptisma non pertinet: non valet inquam, quia de iis, qui respectu aliorum pauci sunt, non erat necesse legem particularem condere, cum facile posset de illis judicari ex interpretatione legis generalis: sicuti non valet, Ecclesia nunquam decrevit, quod si mater prægnans sit ad mortem damnata, & differendo supplicium usque ad partum, juxta *leg. prægnantem, digest. de pœn.* periculum probabile sit, quod puer moriatur, tunc liceat accelerare supplicium matris, ut vita spiritualis illius fœtus salvetur; non valet inquam: ergo non licet accelerare supplicium matris: nam etsi *Paludanus in* 4. *dist.* 6. *qu.* 1. *Versu Tertiò contra*, dubius sit, tamen bene *Suar. tom.* 3. *in* 3. *par. quæst.* 68. *Comment. in artic.* 11. dicit id licere absolutè, servato tamen juris, & justitiæ ordine: nam in isto casu nemini fit injuria, & alioquin bono spirituali illius pueri providetur, & quod lex illa mandet differri supplicium matris, est in bonum prolis, ergo si bonum, & vita prolis periclitetur, cessat lex per Epychejam, & ei magis consentaneum est anticipare, quam differre mortem matris: ergo similiter, licet Ecclesia non præceperit, abortivum informem esse baptizandum sub conditione, non valet illatio, ergo non est batizandus; quia isti sunt casus de minus contingentibus, de quibus lex non disponit in particulari, & in generali [ut vidimus] satis disposuit. Hactenus *Florentinius*.

197 Placuit autem, & apprimè hujus Doctoris præstanti eruditione conspicui, singularem doctrinam, hìc [saltem quoad substantiam] afferre, atque flagrantem insuper doctissimi Viri pro salute æterna prœmaturè nascentium pusillorum zelum hìc innuere, atque apponere; quam uti non minus pium, quam laudabilem, necnon ejusdem doctrinam [ut videre est in principio Libelli] nedum primarii Doctores, tum Theologi, tum Medici, verum etiam quamplures Universales Accademiæ unanimi consensu censentes, in toto eodem Libello, & opusculo, nihil esse alienum vel à sanctæ Ecclesiæ mente, vel à sacrorum Canonum Decretis, vel à morum regula, imo asseverant eandem doctrinam, ac sententiam, laudabili zelo valde excitare Parochos, Parentes, & Obstetrices ad maximum animarum bonum amplissima utilitate procurandum, hoc est, ad fœtus ipsos ex uteri materni latebris immaturè prodeuntes, dubia, vel saltem probabili vita præditos sub conditione baptizandos, & per Baptismum ipsum, Christi meritis participes faciendos, ut è Lymbo erepti, Cœlo adscribantur. Placuit inquam hujusmodi singularem sententiam hìc referre, ut magis, magisque evulgetur, plures, pluresque eandem sæpius aspiciant, pluribus fiat obviam, nec sit otiosa in ordine ad praxim, & ad salutem animarum in fœtibus abortivis delitescentium sollicitandam. Et ut pluries impressa, post tantorum virorum approbationem, ut supra, tractu temporis plures alios acquirat asse-

clas

clas, ficq; majoris ponderis etiam evadat. Nam, ut optimè advertit *Eminentissim. De Lugo* (loquens de valore Baptismi in capillis) *dub.* 1. *cit. n.* 12. poteſt contingere quod ſententia aliqua hodie non ſit probabilis, & tamen aliquando perveniat ad gradum probabilitatis per principia ſaltem extrinſeca; quia ſicut hodie habet quinque, vel ſex Auctores, poterit paulatim plures habere; ita ut jam negari non poſſit quod ſit ſaltem ab auctoritate probabilis: imo ſæpè, & frequenter contingit (ait idem *Cardin.*) *quod aliquæ ſententię, quæ paucis ab hinc annis minus habebant ponderis, & auctoritatis, hodie, & poſt aliquos annos probabiles evadunt.* Hoc idem (ſpero) continget recitatæ ſententiæ de abortivis fœtibus, quamvis etiam nunc ſuam, tum extrinſecam ex auctoritate (ut patet) tum intrinſecam habeat ex efficacibus, & adeo validis rationibus ſuperius allatis, & ex aliis pluribus adductis ſparſim in eodem Libello à doctiſſimo *Florentinio* in hæc tandem verba prorumpente: *Utinam hæc mea ſententia, & diſputatio ſit illius Chriſtianæ pietatis, & induſtriæ pars, quam Divina providentia elegit, ut per genitores, & alios, quibus hujuſmodi parvulorum ſalus commiſſa eſt, ſalvarentur animæ derelictorum: utinam inquam hic meus, qualiſcumque leviſſimus labor à Sapientibus probatus, & approbatus, cedat in Cœleſtis Regni, & Divinæ Gloriæ çternum additamentum, ita ſec.* 14. *& ultima Diſputationis primæ n.* 19.

PRIVILEGIUM XIX.

N tarius, ſeu Advocatus patrocinium præſtans Hæretico, ignorans hunc eſſe talem, non incurrit aliquam pęnam, ignorantia ipſa illum excuſante.

198 NOn eſt licitum præſtare patrocinium pro hæreticis in cauſa hæreſis, nec Notarius, ſeu Procurator, vel Advocatus admittitur, ut patet, *ex Cap. finali de Hæreticis in* 6. *in princip. ibi. Et abſque advocatorum, &c.* Et videre eſt apud *Farinac. De hæreſi qu.* 197. *n.* 54. *Sanctarellum de Hæreſi cap.* 11. *dub.* 2. *n.* 21. *Tolet. lib. p. cap.* 29. *n.* 7. *Graff. lib.* 4. *Deciſionum cap.* 18. *n.* 39. (ubi ait: *Advocatos hæreticorum excommunicari in Bulla Cœnæ Domini tanquam hæreticorum defenſores*) *Duardum in Bull. Cœn. Dom. l.* 2. *c. p. q.* 32. *n.* 9. *Carenam par.* 2. *Tit.* 4. *§.* 8. *n.* 75. & apud alios communiter. Unde Notarius pro hæreticis, & eorum fautoribus, defenſoribus, & credentibus in aliqua cauſa ſcribens, & conficiens inſtrumentum, afficitur pœna infamiæ, & privatur officio (ait, & probat *Sanctarell. l. c. n.* 22.) Inſuper idem Notarius, ſeu Procurator, vel Advocatus ſi in caſibus ipſis non permiſſis (qui recenſentur *à Farinac. q. cit. n.* 54. *& ſeq.*) & ſine licentia Inquiſitoris (quæ omnino requiritur per eundem *Farinac. n.* 77. *Carenam n. cit.* & alios) Patrocinium præſtent hæreticis, hæreticorum fautoribus, receptatoribus, defenſoribus, &c. ultra pœnas (de quibus *Farinac., Sanctarell. ubi ſupra*, & alii) ſunt etiam de hæreſi ſuſpecti, & contra eos, uti tales, procedere poſſunt Inquiſitores, & comprehenduntur ſub nomine defenſorum hæreticorum. Ita expreſsè *Farinac. qu. cit. n.* 55. *Carena n. cit.* 75. aliique.

199 A quibus omnibus pœnis, item à cenſuris, imo & à culpa ipſa liberatur, & excuſatur Notarius, vel Advocatus patrocinium præſtans hæretico in cauſa hæreſis, ignorans eſſe talem, ut in propoſito privilegio, quod clarè ſequitur ex dicendis in ſequenti Privilegio, cum utriuſque eadem omnino ſit ratio, fundamentum idem. Sicuti enim receptans hæreticum ignorans eſſe talem, non punitur pœna receptationis, ita nec eidem ignoranter patrocinium præſtans: quæ etenim inter utrumque diſparitas? Accedit authoritas *Farinac.* hoc idem privilegium ponentis *qu. cit.* 197. *n.* 72. ſub ſequentibus verbis. *Non incurrit aliquam pęnam Advocatus, qui pro hæretico patrocinatur, ignorans illum eſſe hæreticum. Decianus in Tract. Crim. lib.* 5. *cap.* 51. *n.* 14. Et paulo infra *n.* 82. aliis verbis, idem repetit in ſubſtantia: ſic affirmans. *Non dicitur fautor, ſeu defenſor hæretici, qui pro eo patrocinatur, credens eum non eſſe hæreticum, & habere juſtam cauſam, licet poſtea appareat contrarium. Sola enim hoc credulitas ipſum excuſat, ſecus ſi contra conſcientiam illi patrocinaretur:* Ita *Farin.* alio allegans, inter quos *Ugolinus in Tract. de Cenſuris Pontifici reſervatis part.* 2. *in Gloſa Fautores, in princip. n.* 6. *Verſu, Hoc autem locum habet, fol.* 78. *col. p.* ubi dixit, *Advocatum iſto caſu non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini*, ſubdens, & bene: *Quod quamprimum Advocatus cognoſcit ſe habere injuſtam cauſam, debet à defenſione deſiſtere.* Huic eidem privilegio ſubſcribunt, *Souſa in Aphoriſmis lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 4. Dicens: *Advocatus pro hæretico, ſciens hæreticum eſſe, defenſor illius reputatur, efficitur infamis, excommunicationem incurrit ipſo facto, eſtque de hæreſi ſuſpectus:* ergo neſciens, & ignorans excuſatur. *Duardus*

dus n. 9. cit. Rei criminis dicuntur Advocati scienter hæreticos defendentes, & eorum patrocinium suscipientes, ac Notarii instrumenta conficientes in eorum defensionem, in hæresis causa. Imo si aliquis defendat hæreticum, etiam in causa hæresis, existimans illum innocentem esse, & contra eundem falsos testes fuisse adhibitos, non dicetur hæreticorum fautor: requiritur igitur scientia, ergo nescientia, & ignorantia hoc casu excusat. Tandem subscribit *Bordon. in Sacro Tribunali cap. 36. q. 7. n. 9.* ubi loquens *de Advocato*, ait sic: *Non potest quis patrocinari hæretico, de cujus hæresi constat, favore hæresis, aliter efficitur fautor hæretici, & omnes illas pœnas incurrit*: ergo quando ignorantiæ causa non constat de hæresi, patrocinari potest, nec hujusmodi Advocatus, seu Notarius ignorans, incurrit pœnas, sicque verum privilegium.

PRIVILEGIUM XX.

Ignoranter receptans Hæreticum, nesciens videlicet esse talem, excusatur à culpa, & à pœna, quam incurrunt Hæreticorum receptores scienter.

200 HÆreticum receptans, dicitur ille, qui ipsummet ob causam hæresis fugientem, & se abscondentem, hospitio recipit in domo sua, vel in Terris suis, vel in Civitate, vel in alio quovis loco, ut eum occultet, & ut hac ratione ab Inquisitore eum liberet, ne puniatur, & ne à Ministris justitiæ capiatur, ita communiter DD. Ad quem effectum, ut videlicet dicatur, hæretici receptator; non requiritur multiplicata receptio, sed sufficit si una vice illum recipiat. Nam licet verbum *receptare*, ut notant etiam *Tolet. in Bullam Cœnæ lib. 1. cap. 19. nu. 6. Palao to. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 8. n. 4. Sanch. in Decal. lib. 2. c. 10. nu. 10.* & communiter omnes, secundum vocem, & vim Grammaticalem, iterationem, & repetitionem recipiendo sonet: secundum tamen Ecclesiæ morem, & DD. non ita in præsenti accipitur, sed in simpliciori significatione pro uno scilicet, & unico etiam actu. Unde quamvis receperit quis semel tantum hæreticum, hujus *receptator* intelligitur, & dicitur, atq; omnino est. Quoniam autem receptatio est species fautoriæ, *nec enim aliud facit, qui receptat* (ait *Simancha Cathol. Instit. tit. 15. n. 14.*) quam defendere, & favere, quidquid dicitur de hac, uti de genere, applicatur alteri, ut speciei. Unde *Sousa in Aphorism. cap. 24. n. 10. Quæ dicuntur* (inquit) *de receptatoribus hæreticorum, tam circa crimen, quam circa excusationem ab illo, defensoribus accommodanda sunt. Salelles de Sanctiss. Inquis. tom. p. Regula 105. nu. 224. Coniungimus* (ait) *in eadem Regula receptatores, & defensores, quia omnia, quæ de illis dicuntur, istis omnino quadrant, sed non è contra. Et Bordonus in Sacro Tribunali cap. 10. qu. 17. n. 81.* pariter sic: *Dicitur receptator, qui scienter recepit hæreticum ratione hæresis, licet illum semel receperit: patet ex dictis de fautore* [*quæsito 16. antecedenti*] *nam receptatio est species fautoriæ, ideo quidquid dicitur de genere applicatur huic speciei*, idest *receptationi*: de qua (uti de Fautoria) innumeri pertractant, ii maxime, qui ex professo de spectantibus ad Sacrum Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis. Præter citatos, videantur, *Pegna par. 2. qu. 51. comm. 76. sub litt. B. Farin. de hæresi qu. 182. P. Duardus in Bullam Cœnæ lib. 2. Canon. p. q. 28. Carena par. 2. tit. 4. §. 5. Sanctarell. De hæresi cap. 12. Dub. Unico. Diana Coordinat. tom. 5. tractatu 12. ref. 21. ex par. 4. tract. 7. ref. 21.* aliique apud eosdem.

201 Scienter receptans hæreticum, ut supra, suspectus est de hæresi per citatos Doctores, & communiter: & est excommunicatus, nam contra ipsum lata est excommunicatio prima in *Bulla Cœnæ Domini*, quæ fulminatur (ut patet) contra undecim genera personarum, & expresse, ac nominatim contra *receptatores, & fautores hæreticorum*. Et nedum in *Bulla Cœnæ Domini* ex communicantur, verum etiam in juribus antiquis recensitis à *Sanctarell. l. c. n. 8.* & ab aliis. Contra ipsosque agunt Reverendissimi hæreticæ pravitatis Inquisitores, subjacentque (si verè rei sint) variis pœnis, tum corporalibus, tum spiritualibus, ut videre est apud plerosque ex citatis, & alios, agentes de Pœnis delictorum in S. Officio imponendis.

202 Ab his ergo pœnis (ait privilegium propositum) & à culpa (ab excommunicatione consequenter) excusatur receptans ignoranter hæreticum, hoc est, nesciens esse talem. Eumdemque nescientem, disertis verbis excusant etiam *Pegna 2. part. Directorii qu. 51. nu. 2. Receptatores quandoque sunt sine culpa, ut puta si ignoranter hoc faciunt, ut quia eorum errores nesciunt, nec aliquid sinistrum de eis unquam audierunt, nec suspicati sunt. Simancha Tit. cit. n. 17. Ille, qui receptat hæreticum, ignorans illum hæreticum esse, non incidit in suprascriptas pœnas, quia non favet hæreticis, nec peccat in Ecclesiam Catholicam: quod & in aliis receptatoribus*

bus jure receptum est: ignorantia enim excusat illos: quemadmodum & illi excusationem habent justam, qui per vim coacti sunt hæreticos, aut alios facinorosos recipere. Sanctarell. l. c. n. 5. Qui recipiunt hæreticum, quem ignorant esse hæreticum, non incurrunt pœnas statutas contra receptatores hæreticorum: ita, &c. Nam lex non potest obligare ignorantes, alioqui esset de re impossibili. Duardus quæst. cit. 28. n. 7. Requiritur ut receptator scienter hæreticum recipiat, sciens illum hæreticum esse, nam qui probabiliter ignorans aliquem hæreticum esse, illum in propria domo recipiat, & occultet, ut Justitiæ manus effugiat, non dicitur formaliter hæretici receptator. Farinac. qu. cit. 182. Receptans hæreticum ignoranter, non punitur pæna receptationis hæreticorum, ita n. 163. Et in dubio, ignorantia potius præsumitur quam scientia in receptatione hæretici, n. 164. Carena §. 5. cit. & in princip. Supponendum est, illum dici Hæretici receptatorem, qui sciens quem hæreticum esse, illum recipit &c. Bordonus n. cit. 81. Ille dicitur receptator, qui scienter recipit hæreticum ratione hæresis, & num. 83. Ille dicitur receptator, qui occultat hæreticum à se taliter cognitum, in domo sua, vel aliena, seu in quolibet alio loco, ne in manus. Judicis incidat. Ex his igitur apertissimè constat, tum authoritate, tum ratione, veritas, ac subsistentia hujus propositi privilegii. Quomodo autem probetur, vel probanda sit supposita receptationis ignorantia, vide eosdem *Carenam, & Bordonum*, aliosve.

PRIVILEGIUM XXI.

Tradens hæreticum Ecclesiasticę sepulturę, nesciens esse talem, à quacumq; pœna excusatur.

203 SEquitur hoc privilegium ex duobus antecedentibus, ut patet, & præterea videtur expressum *in Cap. Quicumque de Hæret. in 6.* sic: *Quicumque Hæreticos credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum, scienter præsumpserint Ecclesiasticę tradere Sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se noverint subjacere.* Ubi, *Glosa, Verbo Scienter. Ignorantia ergo probabilis bene illos excusat.* Et hoc est nostrum propositum privilegium. Quod affertur etiam à *Navarro lib. 5. Consilior. Titul. de Hæreticis, Consil. 11. n. p.* ibi *Ad hoc ut sepeliens Hæreticum sit excommunicatus, oportet quod sciat illum esse Hæreticum.* A *Farinac. de Hæresi qu. 192. §. 3. n. 51.* ubi: *Sepeliens hæreticum, non incurrit aliquam pœnam, si ignorans quem sepelivit esse, sepeliverit. Jo: de Anania, &c.* Et à *Hiacyntho Donato To. p. Rerum Regularium, par. 1. Titulo De Violata Clausura Monasterii, tract. 4. qu. 17. n. 2.* ibi: *Qui inadvertenter, vel ignoranter sepelit Hæreticum in loco Sacro, non incidit in excommunicationem.* Idem omnino *Marcellus Vulpe in Praxi Fori Ecclesiastici cap. 4. num. 9.*

PRIVILEGIUM XXII.

Ignorantia inculpabilis à Simonię labe excusat; & ab aliquibus saltem ejusdem pœnis in interiori dumtaxat foro pariter liberat.

204 NOmen *Simonię* acceptum est à *Simone Mago*, qui primus omnium commisit in nova lege [*Actor. 8.*] hoc peccatum: obtulit enim ibi *Apostolis* pecuniam ad spiritualem potestatem emendam, volendo non tantum emere, sed etiam postea vendere Donum Dei, ut declaratur in *Cap. Salvator 1. quæst. 3.* ubi *Glos. Verbo Salvator*, ex textu *ipso* ostendit *Simoniam esse rem Ecclesiasticam vendere*, & probat *ex damnatione Simonis, Donum Dei emere volentis, ut postea venderet.* Dico Simoniæ nomen acceptum fuisse à *Simone Mago*, eo quia ipse fuerit omnium primus, qui commisit hoc peccatum: at non dico omnium primus simpliciter, sed cum addito *in nova lege*: non enim Simoniæ vitium adeo proprium est legis novæ, seu gratiæ, quin etiam in lege veteri committi potuerit. Imo *D. Tho. 2. 2. quæst. 100. art. 1. ad 4.* videtur supponere etiam *Giezi, Elisei Discipulum*, hujusmodi crimen commisisse, cum de ipso legatur *4. Reg. 5.* quod acceperit pecuniam à *Naaman leproso* gratis mundato à lepra ab Eliseo, in præmium alieni officii, & curationis. Hinc *S. Doctor l. c.* ait: *Venditores spiritualium possunt dici, non solum Simoniaci, sed etiam Giezitæ*; concludensque: *Qui spiritualia vendunt, conformantur Simoni Mago, in actu verò imitantur Giezi.* Hoc est, qui actu vendunt spiritualia, licet in intentione imitentur *Simonem*, in facto tamen imitari *Giezi*, & ideo non solum Simoniacos, sed etiam *Giezitas* dici possunt. Quam sententiam confirmans *Alensis quæst. 169. membro 1. in principio*, ait: *Ementes spiritualia propriè esse Simoniacos, vendentes autem esse propriè Giezitas, licet jam communi usu omnes Simoniaci dicantur*, ita apud *Suar. to. 1. de Relig. lib. 4. tit. de Simonia cap. 5. n. 5.* ubi etiam refert, quod idem sentit *Hugo Victor. de Sacram. p. 10. cap. 2.* & quod in hoc consentiunt etiam cæteri Scholastici, ac Canonistæ. Nam

in

in *lib.* 5. *Decretalium*, *Tit. de Simonia*, *cap.* 39. *Sicut pro certo*, *in fine*, de vendentibus spiritualia dicitur: *Omnino damnentur*, & *cum Simone*, & *Giezi condemnentur*. Eandemque sententiam tenet etiam (apud eumdem *Suar. l. c. n.* 7.) *Abul.* 3. *Reg.* 3. *qu.* 29. dicens, *Giezi* commisisse Simoniam: non conventionalem, ut constat, quia nullum pactum inter eum, & *Naaman* præcessit, sed realem cum intentione Simoniaca, quia petiit pecuniam pro sanitate divinitus collata, & sub eadem intentione illam recepit. Vide eundem *Suar. cap. cit.* 5. *à n.* 5. ab hac eadem sententia non dissentientem. Quid sit autem *Simonia?* Certum est per omnes; maximum esse peccatum contra Religionem, quod communiter Doctores cum Theologi, tum Canoniste, cum *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 100. *art.* 1. & *Glosa in Cap. Qui studet* 1. *qu.* 1. explicant sequenti definitione: *Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum*. Has tamen ultimas particulas [ut advertit etiam *Gibalinus de Simonia qu.* 1. *n.* 1.] non habet *Glosa*, sed eas apposuere Doctores, tum ut omnem Simoniam etiam quæ jure humano inducta est, comprehenderent; tum ut amplitudinem materiæ, circa quam committi potest Simonia explicarent.

205 Simonia ergo ex sua intrinseca ratione, & ex suo genere, lethale peccatum est, contra Religionem, ut videre est apud Doctores communiter, præcipue *Bonacin. De Simonia disp.* 1. *qu.* 1. *Proposit:* 2. *nu.* 2. Simonia enim vitium est oppositum virtuti Religionis, eo quia æstimat res sacras tanquam profanas, illas in contractum deducendo. Primo dicitur, *Studiosa voluntas*, quo indicatur actus voluntatis, in quo Simonia consistit. Nam cum Simonia, ut dictum est, vitium sit oppositum Religioni, in voluntate inest, tanquam in subiecto, sicut & ipsa Religio. Præterquamquod nullum peccatum committitur sine voluntate. Adde, quod item dicitur *voluntas*, ut significetur peccatum Simoniæ posse consistere in sola voluntate, etiam non subsequuto opere externo, cum detur Simonia purè mentalis, absque opere ullo externo. Præmittitur *studiosa*, quod idem est, ac voluntas *ex electione*, & *deliberata* ut excludantur motus voluntatis non plenè deliberati, &c. & ita hanc primam definitionis particulam explicant communiter Doctores cum *D. Tho. art.* 1. *cit. in solut. secundi argumenti*. Secundo dicitur, *emendi, vel vendendi*, &c. per quam secundam particulam significatur omnis omnino contractus, sive sit vera emptio, sive locatio, sive permutatio, &c. *Lessius de Just. lib.* 2. *cap.* 35. *de Simonia dub.* 1. *n.* 4. *Bonac. l. c. n.* 3. & communiter. Quia Simonia committitur tum emptione, tum venditione, tum permutatione, &c. rei sacræ, vel spiritualis, *seu spirituali annexæ*, *pro temporali*. Dicitur, *vel spirituali annexæ*, id est, quod cum aliquo spirituali connexionem habet, vel antecedenter, ut Juspatronatus, quia supponitur præsentationi beneficiorum, vel consequenter, ut beneficia Ecclesiastica, quia supponunt officium divinum; vel concomitanter, ut labor in prędicando, in ministrando Sacramenta, &c. Additur *pro temporali*, si enim detur spirituale pro spirituali, non erit propriè Simonia, *Lessius n.* 4. *cit. Ver. Tertia pretio*, & *dub.* 3. *ejusdem cap.* 35. *Bassæus to.* 1. *Verbo Simonia pr. n. p. in fine*, *Bonac. l. c. n.* 6. aliique, cum quibus ego *in Filiatione Spiritua li latina cap. p. dub.* 5. *à n.* 49. quia turpitudo hujus peccati consistit in eo, quod spiritualia æstimentur pretio humano, vel re aliqua humana, quæ sit pretio æstimabilis.

206 Dividitur autem Simonia in eam, quæ est juris divini, & naturalis, & in eam, quæ est juris positivi: idest in eam, quæ prohibita est jure divino, & naturali, & in eam, quæ jure tantum Ecclesiastico prohibita est, & hanc divisionem ferè omnes admittunt, ut videre est *apud Suar. to.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 2. & 7. *de Simonia*. *Lessium cap. cit.* 35. *dub.* 2. *Palaum par.* 3. *tit. de Simonia*, *disp.* 3. *punc.* 2. *n.* 1. & alios. Vocatur autem Simonia *juris divini*, & *naturalis*, quando aliqua res de se spiritualis venditur, aut emitur, &c. ut si venderes Hostiam consecratam, Sacramenta, aut Calicem consecratum pluris ob consecrationem, aut imagines, & alia benedicta pluris ob benedictionem. Dicitur autem hæc Simonia jure divino prohibita, naturali nimirum, eo quod ratio lumine fidei edocta naturaliter quodammodo dictat dona supernaturalia, cujusmodi sunt Sacramenta, &c. sanctè esse tractanda, nec in temporales contractus deducenda; & in hac Simonia non potest Summus Pontifex dispensare, imo ipsemet contrahere potest culpam hujus Simoniæ juris divini, quia æquè, ac alii subiectus est legi divinæ; & naturali. *Lessius dub. cit.* 2. *sub n.* 32. *Versu Dico secundo*, & communiter.

207 Simonia autem Juris positivi est, quæ à sola lege Ecclesiastica, seu jure Ecclesiastico, & humano ortum habet, & in-

troducta est: sic communiter Theologi, & Canonistæ in *Cap. Quæsitum*, & *Cap. Cum olim, de rerum permutatione*; & ratio est, quia Ecclesia, sua sola lege, & ordinatione potest prohibere, ne res aliqua annexa rei sacræ vendatur, &c. in reverentiam talis rei, & facere potest, ut id, quod natura sua ob suam temporalitatem, seu partem temporalem non erat invendibile, &c. fiat invendibile, seu inhabile ad venditionem, &c. ob partem spiritualem, seu in reuerentiam rei spiritualis, cui annexa est: non addendo tamen novam aliquam sanctitatem, vel consecrationem. Sicque venditio, vel emptio, &c. alicujus rei temporalis, quæ alicui rei spirituali annexa est, ut emptio, vel venditio, &c. Beneficiorum Ecclesiasticorum quoad partem temporalem, Simonia est Ecclesiastico jure vetita, quamvis jus ad percipiendos beneficii fructus materialiter consideratum, & seorsim à quovis officio spirituali, & sacro præcisum, sit quid temporale, quod proinde jure divino invendibile non est: ob reverentiam tamen rei spiritualis annexæ, Ecclesiasticis legibus fuit prohibitum ne tale jus vendi posset, aut emi, &c. Unde sicut Ecclesia potest locum materialem divino cultui dicatum à laica potestate legibus suis immunem reddere, ita ut qui talem immunitatem violat, contra virtutem Religionis peccet, & sacrilegium committat, ita prohibere potest ne res aliqua annexa rei sacræ vendatur, ematur, &c. ob reverentiam talis rei, ita ut si vendatur pretio temporali, vel ematur, &c. venditio illa, aut emptio, &c. simoniaca censeatur: ita Doctores citati, & alii passim *de Simonia*.

208 Unanimiter convenientes, Simoniam esse prohibitam jure naturali, divino, & humano, & quidem esse prohibitam jure naturæ constat, quia ratio nostra lumine fidei instructa (ut supra) naturaliter dictat, res sanctas sanctè tractandas esse, & nullum pretium temporale esse rei sacræ proportionatum, qua talis est, atque ideo, qui rem sacram vendit, permutat, &c. indignè illam tractat, quia ex ipsismet terminis apparet, indignum esse valdè, tales res pro tali pretio vendere, vel permutare, &c. res enim spiritualis non potest aliquo terreno pretio comparari, sicut dicitur *de Sapientia, Proverb. 3. Pretiosior est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari*. Quod verò sit etiam prohibita jure divino patet *ex 3. Regum cap. 13.* ubi reprehenditur *Jeroboam*, eo quod daret Sacerdoti pretium: Ex verbis Christi *Matthei 10. Gratis accepistis, gratis date* (idest sine pretio, & ex gratuita tantum voluntate) & ex Verbis *Petri Act. 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri*. Et quod tandem prohibita sit Simonia jure positivo humano, constat ex toto *Titulo de Simonia*.

209 Hujusmodi autem humani juris Simonia locum habet. *Primo* in venditione Beneficiorum secundum partem temporalem. *Secundo* in permutatione Beneficii cum alio Beneficio, facta absque auctoritate legitimi Superioris. *Tertio* in resignatione Beneficii, propria auctoritate facta cum reservatione pensionis. *Quarto* in venditione officiorum Ecclesiasticorum spiritualium, seu habentium onus spirituale, ut *Æconomi, Sacristæ, &c.* uti colligitur *ex cap. Salvator 1. qu. 3.* ubi ad hanc rem adducitur Auctoritas *Concilii Chalcedonensis*. Hæc Simonia propria est temporis gratiæ, & positiva appellatur apud omnes, atque prohibita jure positivo humano Ecclesiastico.

210 Notandum tamen hic est, Papam non posse incurrere pœnas Simoniæ juro Ecclesiastico statutas, ut Excommunicationem, Suspensionem, Inhabilitatem, &c. ut communiter DD. apud *Lessium cap. cit. 35. dub. 5. in principio*, & alios. Quia Princeps non subest suis legibus quoad vim cogendi per pœnas, cum nemo in seipsum jurisdictionem habeat; sicuti nec Par in Parem, ex quo etiam sequi videtur, nec eum, qui contrahit cùm Papa hasce pœnas incurrere: hoc enim ipso, quo cupit aliquem secum sic contrahere, censetur illum eximere à lege quantum potest, cùm non sit credibile, quod velit ipsummet punire pro opere, ad quod invitat, & in quod consentit, sic enim seipsum condemnaret: Vide *Lessium dub. cit. & alios*.

211 Dividitur præterea Simonia in mentalem, conventionalem, & realem. Quæ divisio communiter recipitur à DD. Iurisperitis, & Theologis. Simonia mentalis duplex est, *Una* sumitur pro interno proposito, & voluntate committendi Simoniam, etiamsi nullo modo prodeat in exteriorem actum, ut alia vitia mentalia, & hæc cadere non potest sub pœnas Ecclesiasticas, sicuti cadere non potest solum internum propositum, & desiderium, cum Ecclesia de internis non judicet. *Altera* accipitur pro illa actione, quæ fit mente Simoniaca, sed ex se, & ex circunstantiis, Simoniam non præfert. Vel secundum alios

menta-

mentalis est, quando nullo pacto praecedente, sed affectu animi datur spirituale, ut temporale acquiratur, vel vice versa, ex. gr. si conferens alicui Beneficium, intendas obligare illum ad reddendum temporale: aut è contra, si conferens temporale, intendas propter ipsum obligare alium ad reddendum spirituale, & vocatur per ipsosmet Simonia haec mentalis, non quia in actum exteriorem dandi, & recipiendi non exeat, sed quia iniquus animus non declaratur, ut advertit *Valentia Tom. 3. disp. 6. qu. 16. punc. 5. in principio*, & de hac Simonia loquitur *Cap. Tua nos licet, & cap. ult. de Simonia*, ubi cum datur Beneficium, vel resignatur ea intentione, & affectu, deciditur, Simoniam esse, & apud Judicem divinum, qui est cordium scrutator, debere puniri.

212 Conventionalis Simonia est, quae mentali superaddit externam conventionem, seu pactum, ex neutra tamen parte completum, vel saltem non completum ex utraque parte. *Navarr. in sum. cap. 23. n. 103. Valent. l. c. Versu Notandum. Palaus punc. cit. 2. nu. 3. Versu Conventionalis*, aliique. Ratio est, quia realis, & completa, perfectaque venditio non dicitur, quousque contractus ex utraque parte compleatur. Hinc advertit, & optimè idem *Palaus* cum aliis, conventionalem Simoniam non committi, si solum quis pollicitationem fecerit de pretio, &c. si sibi daretur Beneficium, & alius pollicitationem non acceptaverit, quia non est conventio quousque promissio non sit acceptata.

213 Realis Simonia dicitur, quando ex utraque parte completur contractus, ita, ut ex una parte detur spirituale, & ex alia pretium, vel pars pretii, &c. Unde Simonia realis supponit conventionalem, & conventionalis supponit mentalem, saltem ex natura rei, & seclusa lege positiva. Si autem quaeras, sub quo membro contineatur Simonia confidentialis, seu confidentiae? Resp. cum *Basilio l. c. n. 7. Versu Sed quaeres*. Contineri sub Simonia conventionali: in Simonia siquidem confidentiae executio differtur ex una parte, est enim Simonia confidentiae, quando quis paciscitur cum eo, cui confert, vel resignat Beneficium cum suis fructibus, vel portione fructuum dat alteri, v. g. Nepoti, cum habilis fuerit.

214 Per solam Simoniam mentalem non incurri poenas ab ipso jure latas, & impositas, sententia est DD. communis: (alias etiam poenas per Judicis sententiam imponi posse certum est; sed de poenis à jure tantum impositis loquitur, ac intelligit sententia haec DD. communis, ut videre est apud ipsos.) Probant omnes de Simonia mentali ex *Cap. Mandato de Simonia*, ubi Pontifex expressè dicit, Simoniaco mentali satis esse, si per solam poenitentiam suo satisfaciat Creatori de peccato, nec debere resignare quod per Simoniam mentalem acquisivit. Imo valdè probabile est, Ecclesiam non posse talem Simoniam punire, si in externo opere non possit aliqua pactio deprehendi. At quidquid sit de hoc, satis constat mentem Ecclesiae non esse, ut ob Simoniam mentalem irrogentur poenae, ut patet ex *Extrav. Cum detestabile, de Simonia, & cap. fin. eodem tit. in Decretalibus*. Vide *Lessium cap. cit. 35. dub. 23. nu. 130. Versu Notandum secundò. Suar. libr. cit. 4. cap. 55. n. 10. Valent. qu. cit. 16. punct. 6. Versu Simonia igitur mentalis. Palaum disp. cit. 3. punct. 22. n. 1.* & alios.

215 Sed neque Simoniam purè conventionalem puniri pęnis Juris ipso facto latis contra Simoniacos, ac propterea nec per hanc Simoniam conventionalem incurri censuras, inhabilitates, vel privationes, si quae sunt ipso jure latae contra Simoniacos, pariter sententia est Theologorum, & Juristarum communis apud *Suar. l. c. n. 12.* quam etiam ipse (ibi) sequitur, uti fundata nedum auctoritate scribentium, sed etiam auctoritate Juris, & ratione. Et ostendi clarè potest. Quia Simonia purè conventionalis est sola, & nuda pactio, seu conventio de commutatione rei temporalis cum spirituali: textus autem omnes imponentes Simoniae poenam, loquuntur de receptione, & traditione rei spiritualis, & nunquam solius pactionis meminere. Dicunt quidem jura, nudam ejusmodi pactionem esse Simoniam, quod ultrò esse concedimus, at ubi poenam infligunt, semper exigunt receptiones, & traditiones: poena tamen nunquam, nisi ponatur ille ipse actus, quem jura exprimunt, atque illo eodem modo, quo illum exprimunt. Et quamvis dubium non sit, quin Judex Ecclesiasticus conventionem Simoniacam, si publica sit, vel ad eum deferatur, & probetur prius, quam executioni mandetur, possit aliquo justo modo punire; quia (vt etiam idem *Suar. l. c. n. 15. in fine*) illa grave delictum est, & contrarium honestis moribus Ecclesiae, ac scandalosum, ideoque per Ecclesiasticum Judicem corripi, & puniri potest, juxta *Cap. 1. de Offic. Ordin.* Nihilominus non potest pro illa imponi poena Simoniacorum ordinaria, sed

arbitraria, juxta qualitatem, & circumstantiam delicti, quia tale delictum non est consummatum in ratione Simoniæ Ecclesiasticæ, sed solum quasi attentatum, seu inchoatum; pro hujusmodi autem delictis non debet imponi ordinaria pęna, nisi ubi lex id exprimit, ut constat.

216 An verò ad pęnas incurrendas requiratur Simoniam completam, & consummatam esse ex utraque parte, hoc est, & pretium esse datum ex. gr. & beneficium receptum; vel sufficiens sit recipere beneficium, vel Ordinem sub spe pecuniæ? Certum est Simoniam consummatam, & realem ex utraque parte quoad totam materiam, vel quoad quamcumque ejus quantitatem ex utraque parte sufficere ad pœnas, quæ ipso facto imponuntur. Difficultas esse potest quando Simonia ex una tantum parte completa est, ex altera verò non. Sed de hac infra. Interim pro certo hic habeas, pœnas Simoniacis impositas intelligendas esse de Simonia reali ex utraq; parte completa; vel una saltem parte per DD. ut infra. Et adverte, quod nulla simonia, etiam realis, & completa etiam ex utraque parte, juris pœnas inducit pręter illas, quæ committuntur in procurandis, aut dandis Ordinibus, Beneficiis, ac ingressu Religionis, quia Jura de aliis mentionem non faciunt. Ita *Sylv.*, *Navarr.*, *Ugolin. Less.*, *Suar.*, *Laym.*, *Filliuc.*, *Pala.*, *Bonac.*, aliique Recentiores communiter, & unanimiter affirmantes, *Nullam pœnam incurri ipso jure à Simoniacis, nisi in Simonia commissa circa Beneficia, ingressum Religionis, & Sacros Ordines. Vide Gibalinum de Simonia Universa qu.* 24. 25. 26. 27. 28. in quibus, de pœnis Simonię in Beneficiis Ecclesiasticis, in Ordinibus Sacris, & in ingressu Religionis commissæ: de quibus etiam DD. omnes de Simonia ex professo scribentes.

217 Igitur Simonia definita, descripta, & divisa ut supra, peccatum valde grave est, ex suo genere contra Religionem, & mortale, & adeò Religioni adversum vitium, ut sæpè in jure Canonico appelletur hæresis, & *Heresis simoniaca*, *Cap. Presbyter.* 1. *qu.* 1. *cum seq. & Cap. Quoties de Simonia:* licet non sit verè propria hæresis, ut notant Doctores cum *Glossa in Cap. Firmissimè de Hereticis*: & advertunt *Suar. lib.* 4. *cit. De Simonia cap.* 1. *nu.* 6. *Valent. qu.* 16. *cit. punc.* 4. *Versu Secundo dico: & cum eisdem Pala. disp. cit.* 3. *punc.* 1. *num.* 3. Eo quia optimè stat, aliquem vendere velle, aut emere rem spiritualem ex pravo affectu voluntatis, quin internè judicet rem spiritualem esse pretio æstimabilem. Impropriè tamen hæresis est (ait *Pala. n. cit.*) seu secundum *D. Thom.* 2. 2. *art.* 1. *ad primum*. *Heresis dicitur secundum exteriorem protestationem, quia in hoc quod aliquis vendit donum Spiritus Sancti, quodammodo protestatur se esse Dominum spiritualis doni, quod est hereticum.* Ita *Sanctus Doctor*: ex cujus verbis constat, quod Simonia saltem improriè, & externè, est hæresis quoad externam saltem videlicet professionem; quia qui vendit donum Spiritus Sancti, externa venditione profitetur se esse Dominum doni Spiritus Sancti, aut rem illam esse venalem, pretioque æstimabilem, quod est hæreticum, & contra Religionem. Contra Religionem inquam, ac eidemmet valdè oppositum vitium, ob id esse sacrilegium, & sub sacrilegii genere vult *Bonac. disput.* 1. *cit. quæst.* 1. *prop.* 2. *nu.* 2. cum communi DD. apud ipsum; unde & *Laym. libro* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *§.* 1. *n.* 4. Expresse sic: *Simoniæ peccatum est propria quædam species Sacrilegii adversus virtutem Religionis; cum sit irreligiosa, & indigna tractatio rei sacræ, ac spiritualis. Valent. punct.* 4. *cit. in fine*, *& Pala. punct.* 1. *cit. n.* 4. concedunt quidem simoniam esse contra Religionem, volunt tamen à sacrilegio distingui. At *Suar. De Relig. to.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 3. ait: *Nihil video quod cogat negare peccatum Simoniæ esse verum sacrilegium, quia pro materia proxima habet rem sacram, ut Beneficium, Sacramentum, &c.* ita *Tit. De Sacrilegio cap.* 1. *num.* 3. *cit.*

218 Insuper simonia adeo execrabile vitium est, & omnio ita *detestandum* (ut dicitur in *Cap. Reperiuntur. Cap. Eos qui* 1. *quæstione* 1.) ut nullo modo in eo parvitas, & levitas materiæ admittenda sit, atque peccatum tantummodo veniale. Ita communiter Doctores apud, & cum *Pal. l. c. n.* 7. *Navar. in Extravag. De datis pro justitia, vel gratia*, *Notab.* 10. *n.* 20. *& lib.* 5. *Consil. Tit. de Simon. Cons.* 52. *n.* 3. *Suar. to.* 1. *de Relig. cap.* 3. *num.* 5. *Sanch. in Decal. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 1. (ubi *Ugolin. in tract. de Simonia Regu. p. cap.* 17. *in princip. nu.* 3.) *Laym. n.* 4. *cit. Versu Addit. Nav. Filliuc. to.* 3. *tract.* 45. *cap.* 1. *qu.* 6. *n.* 13. *Bonac. de Simonia disp.* 1. *qu.* 3. *prop.* 2. *n.* 13. *Bass. Verbo Simonia p. n.* 3. aliique. Ratio verò est, quia neque ex parte rei spiritualis, neque ex parte pretii potest dari levitas materiæ. Non ex parte rei spiritualis, quia quantumcunque hæc parva in suo genere sit, ut cereus, agnus, aqua benedicta, &c. gravis injuria est, eam venalem facere, pretioque

pretioque temporali æstimare, & quasi coæquare: indicatur enim hac ratione esse ejusdem valoris, & dignitatis. Neque ex parte pretii, nam si hoc magnum sit, eo ipso apparet gravis deformitas, cum ex utroque capite appareat tunc materia magna talis delicti. Si autem pretium vile sit, eo magis videtur vilipendi, & contemni res spiritualis: quæ sic datur, & venditur; æquiparatur enim pretio temporali, & quia in suo ordine parva esse videatur, vili pretio danda, aut comparanda censetur. Hinc videtur sequi, quod quantitas quamvis parva pretii quo res spiritualis venditur, aut emitur, non possit Simoniam facere levem: quo minor enim est quantitas pretii data pro re spirituali, eo magis videtur hæc vilipendi. Et hac ratione in *Cap. Ex tuæ*, *De Simonia* condemnatur Clericus, qui sex tantum solidos pro sua præsentatione ad Ordines dedit, in perpetua Ordinis depositione, & Monasterii reclusione, quæ pœna cum sit ita gravis non imponeretur, nisi ob peccatum mortale, & tamen quantitas data parva erat, ut ibi notant Expositores. Itaque cujuscumque quantitatis sit id quod pro re spirituali ut pretium datur, & accipitur, simonia est, & per eum irreverentia gravis fit rei sacræ, idcirco propter materiæ levitatem non potest excusari à peccato mortali.

219 Excusari tamen poterit ab eodem ignorantiæ causa, ut in proposito privilegio. Quam quidem excusationem à mortali videlicet, ignorantiæ, & inadvertentiæ causa (licet non à veniali) admittunt etiam laudati Doctores, *Suar.*, *Laym.*, *Filliuc.*, *Bonac.*, *Bassæus locis cit.* sub sequentibus, vel æquivalentibus verbis: *Probabile est non dari in Simonia peccatum veniale ex levitate materiæ, sed tantum ex inadvertentia, inconsideratione, & ignorantia, ut patet ex Regulis generalibus de legibus, &c.* Verùm si ignorantia invincibilis sit, & inculpabilis, ut proponitur in privilegio, excusabit etiam à culpa veniali: & hoc idem expressè admittit *Filliuc. nu.* 13. *cit.* dum ibi sic *De Simonia: Intervenire potest ignorantia vel facti, & tunc erit ex inconsideratione, & inadvertentia, quod res illa sit spiritualis: vel juris, & tunc si sit invincibilis, excusabit etiam à culpa veniali, sed rarò accidet in materia pertinente ad jus divinum: si sit invincibilis, sed ex negligentia veniali, tunc erit peccatum veniale.* Præter *Filliuccium*, accipe & sequentes alios in confirmationem primæ partis propositi privilegii nostri: *Reginald. in Praxi to.* 2. *lib.* 23. *c.* 11. *quæst.* 1. *num.* 110. *Versu Quod vero: Definitur Simonia, voluntas studiosa, ita ut studiosa voluntas idem sit, ac actus voluntatis deliberatus. Colliges ex hac conditione non committi Simoniam cùm aliquid spirituale emitur, aut venditur ex ignorantia probabili. Lessius de Justitia lib.* 2. *cap.* 35. *dubio* 1. *nu.* 3. *Simonia est studiosa voluntas, idest deliberata; ut excludantur motus voluntatis non plenè deliberati, vel procedentes ex ignorantia inculpata; loquimur enim de Simoniæ peccato in sua specie perfecto. Bassæus Verbo Simonia* 1. *nu.* 1. *Dicitur studiosa, idest deliberata, ut excludatur motus voluntatis non plenè deliberatus, aut ex ignorantia inculpata manans. Azor. par.* 3. *lib.* 12. *Tit. De Simonia cap.* 1. *quæst.* 1. *Versu, Dicitur voluntas. Studiosæ voluntatis appellatione nihil aliud significatur, nisi voluntas ex scientia, & deliberata ratione. Gibalinus De Simonia Universa quæst.* 1. *n.* 1. *Versu Dicitur porrò. Dicitur studiosa, idest, deliberata voluntas, quia sine ejusmodi voluntate* (hoc est ex scientia, & deliberata ratione) *nullum peccatum committitur. P. Pasqualigus Decis. Morali* 478. *n.* 5. *Committens Simoniam excusari potest à peccato mortali ratione ignorantiæ invincibilis; quæ si sit peccaminosa venialiter, Simonia quoque ratione suæ causæ erit tantum peccaminosa venialiter, ut notat etiam Gordonius lib.* 8. *Theol. Moral. quest.* 7. *cap.* 3. *num.* 7. Ergo tum auctoritabus Doctorum, tum evidenti ratione optimè concludi debet, ignorantiam inculpabilem, ac invincibilem à simoniæ labe, & peccato excusare.

220 Sed & insuper admittendum ignorantiam eandem à pœnis etiam [aliquibus saltem] ejusdem simoniæ in foro interno dumtaxat liberare, quæ est secunda propositi privilegii pars. Quæ facillimè probatur: Quia pœna sequitur culpam, hac ergo ablata, ut in casu nostro (ignorantiæ invincibilis causa) & illa utique auferri debet: consequentia clarissimè probatur ex facto ipso *Clementis Papæ VII.* de quo, *Testantur omnes* (sunt verba *Gibalini de Simonia qu.* 28. *in fine*) *liberasse quasdam Moniales à pœnis, & à Censuris latis ratione Simoniæ in ingressu Religionis, eo quod nescient in quo illa consistat*: quid clarius ad rem nostram? Dicitur autem in privilegio, (*ab aliquibus saltem pœnis*) quia stante etiam invincibili ignorantia, non evadit liber ab omnibus simoniacis pœnis ipse ignorans, ut infra: & ut videre est in *cap.* 27. *Privil.* 22. *&* 23. Item dicitur *In interiori, dumtaxat foro*: Quia potest quis simoniacus esse tantum materialis, & à culpa immunis

ignorantiæ

ignorantiæ causa, & reputari nihilominus à Judice in foro externo simoniacus formalis ex conjecturis, & præsumptionibus, & pœnis juris simoniacis prorsus obnoxius.

Quibus verò pœnis in jure latis obnoxius sit, *formaliter simoniacus*, vel talis suppositus, à quibusque liberari dicimus *in foro dumtaxat interno ignorantię privilegio*, prętérquam quod illas habes recensitas, & discussas apud Scriptores ex professo de Simonia: accipe hic easdem in tui gratiam, & commodum strictim, & compendiosè enumeratas. Et in primis, suppone cum communi Doctorum sententia, nullam (ut supra) pœnam incurri ipso jure à Simoniacis, nisi in Simonia commissa circa ingressum Religionis, Sacros Ordines, & Beneficia. Quare

221 Ut incipiam à pœnis Simoniæ commissæ in ingressu Religionis. Hæ pœnæ habentur in *Extravag. 1. de Simonia*. Et primo, decreta est pœna excommunicationis ab *Urbano IV.* tam dantibus quam recipientibus, si sint sigulares personæ. Deinde Conventui, seu Capitulo, pœna suspensionis, quarum utraque Sedi Apostolicæ (ibidem) reservatur, sub his verbis: *Si sint singulares personę, tam dantes, quam accipientes hujusmodi excommunicationis; si Capitulum, vel Conventus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subjacere: à quibus (præterquam in mortis articulo) absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ sententia speciali*. Suspenditur verò Capitulum, sive Conventus, si hanc simoniam commisit, & in eam consenserit, ab Officio Capitulari quoad administrationem, & jurisdictionem Ecclesiasticam tantum, non quo ad alia munera. *Gibalinus quæst. cit.* 28. *nu.* 2. ubi notat, quod Simoniaci ipsi admissi, incurrunt in eandem excommunicationem. Licet autem simonia committi etiam possit dando aliquid pro ingressu, seu receptione ad habitum: pœnę tamen juris non incurruntur, nisi professio subsequatur antequam simoniaca pactio retractetur, vel pretium restituatur: quia cum talis pretio principaliter ordinetur ad suscipiendam professionem, ea non secuta, non censetur perfectè consummata simonia. *Suar. de Simonia cap.* 56. *n.* 7. *Regin. lib. cit.* 23. *cap.* 12. *n.* 173. *Laym. lib.* 4. *Tit. De Simon.*, *tract.* 10. *cap. ult. §.* 7. *nu.* 70. *Versu duo adde. Bassæus Verbo Simo.* 6. *nu.* 3. *in fine*, aliique. Vide Doctores tractantes de pœnis hujusmodi, quas inducit simonia commissa circa ingressum Religionis, præcipuè *Less. cap. cit.* 35. *dub.* 23. Scio *Navar. in Man. cap.* 23. *sub n.* 111. *Versu Septimo dico*, & *Sylv. Verbo Simonia qu.* 19. affirmare nullum alium simoniacum esse excommunicatum, præterquam in Ordine, & Beneficio, *sed mirum est*, *Navarr.*, *& Sylv. hoc docere; nisi fortè velint insinuare hanc extravagantem non esse receptam; quod credo esse verum:* sunt verba *Lessii dub. citato nu.* 131. ubi etiam advertit, hanc censuram non habere locum in dote quæ datur Monasteriis fœminarum, ita enim statuit *Martinus V.* & insuper, quod simoniaci admissi ad Religionem, videntur jure inhabiles ad manendum in illo Monasterio, ubi sic recepti sunt: nam egent dispensatione Ordinarii, ut in eo possint permanere, ut patet ex dicta *Extravag.* Addit tamen *Less. nu.* 132. *Secus est, si ipsis ignorantibus, Simonia commissa est. Laym. n. cit.* 70. *cum Suar.*, qui *cap.* 56. *n.* 7. fatetur in Religionibus Virorum raro hanc simoniam committi: & dictas pęnas revocatas esse circa Moniales.

222 Pœnæ, quas inducit simonia realis ab Ordinibus, sunt: *Primò*, Conferens Ordines per simoniam realem, est excommunicatus, qua excommunicatione afficiuntur *Mediatores*, *aut præsentantes* ad Ordinationem simoniacam *Extravag.* 2. *Cum detestabile*, *de Simonia*. *Secundò*, est suspensus à collatione cujusvis Ordinis, etiam primæ tonsuræ. *Tertiò*, est suspensus ab executione omnium munerum Pontificalium. *Quartò*, Interdictus est illi ingressus Ecclesiæ. *Quintò*, si contra suspensionem, vel interdictum illud fecerit, est suspensus ab administratione suæ Ecclesiæ, & à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum. *Sextò*, Nemo potest illum absolvere (excepto articulo mortis) præter Romanum Pontificem, etiamsi delictum sit occultum, *Extravag. cit. Cum detestabile*, *de Simonia*. Vide Doctores, præcipuè *Less. cap. cit.* 35. *dub.* 24. *Bassæum cit. Verbo Simonia* 6. & *Gibalinum de Simon. qu.* 27. Ubi vult, nomine Ordinum hoc in loco, intelligi etiam primam tonsuram, eo quia per eam quilibet constituitur in Ordine Clericali: an verò (addit) ea sit Ordo Sacramentalis, parum refert. Non damnat tamen contrariam opinionem *Lessii dub. cit.* 24. *nu.* 133. *& Palai disp. cit.* 3. *punct.* 24. *n.* 1. qui negant excommunicationem Papæ reservatam in dicta *Extravag.* extendi ad collationem simoniacam primæ tonsurę, quia hæc non est verus ordo; & Constitutio illa pœnalis est, & pœnæ debent restringi, non extendi, sicuti neq; extendi debet eadem Constitutio per eosdem *Less.*, &

Pala. c. c.

Pala. c. c., uti neč per *Gibalinum qu. c. 27. n. p.* ad Notarium, & Ministrum, ob simoniam commissam in Litteris Dimissoriis, aut testimonialibus, nam etsi conceditur ab iisdem talem simoniam committi posse, negatur tamen, ob eam, ab ipsis incurri excommunicationem latam in eadem *Extrav.*, quia in lege pœnali, verba propriissimè accipi debent, & dictæ Literæ non sunt Ordines, sed facultas accipiendi Ordines, atque adeo quid prævium.

223 Qui autem Ordinem aliquem per Simoniam realem susceperit. *Primò*, Excommunicatus est ipso facto. *Secundò*, Suspensus est ab executione suorum Ordinum. *Tertiò*, Si præsumpserit in illa suspensione ministrare, efficitur irregularis: & per *Constitutionem Sixti V. contra malè promotos*, si sit sæcularis, privatur beneficiis, & ad illa, aliave in perpetuum obtinenda fit inhabilis. Si autem sit Regularis, privatur voce activa, & passiva, illiusque deinceps obtinendæ incapax redditur. *Quartò*, Suspenditur etiam à susceptione Ordinis superioris ex dicta *Sixti Constitutione*. *Quintò*, Ejus absolutio pertinet ad Summum Pontificem; similiter & dispensatio, ut patet ex eadem *Constitutione Sixtina*, quę revocat concessiones omnes, & facultates per quas posset quis absolvi. Seposita autem *Constitutione* eadem, potest Episcopus, si casus sit occultus, & necdum ad forum externum deductus, ex *Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. Less. dub. cit. 34. nu. 136. Bassæus Verbo cit. n. 1. in fine*, & alii. Sed

224 Quæres an prædicta supensio incurratur, si Simonia commissa fuerit ab alio tertio, inscio omnino, & ignorante ipso Ordinando. Ut si eo nesciente, Pater, aut Amicus, pro ipsius Ordinatione dederat pretium pecuniæ Episcopo, aut tertio mediatori. Respondeo negativè cum *Navarro in Man. c. 25. n. 68. Less. n. cit. 136. Versu Sed contrarium. Suar. de Censur. disp. 31. sect. 4. nu. 40. & de Simonia cap. 56. nu. 9. Sayr. de Censur. lib. 4. cap. 14. n. 6. Henriq. lib. 13. cap. 37. n. 4. Coninch de Sacramentis disp. 15. dub. 5. nu. 37. Layman l. c. nu. 71. Versu Porrò. Palao punc. cit. 24. n. 3. Gibalino cit. qu. 27. n. 3. Versu Quarto ista*, & aliis. Et ratio est clara, quia taliter ordinatus caret culpa, & ordinatio ejusdem est valida, non est ergo cur privetur usu validæ ordinationis, & plectatur propter alienam culpam: æquum enim non est (ait *Less. cit. n.*) nec videtur, ut cum Ordinatio sit valida, nec possit ei auferri, prohibeatur ejus usu propter iniquitatem alterius: *Cur enim* (sie idem) *cogetur manere cœlebs, ut Sacerdos, non concesso Sacerdotii usu? nihil enim commeruit cur ei hæc pœna irrogetur*. Adde, quod id in jure non est expressum, imo oppositum (ex quo etiam maxime confirmatur nostra responsio) nam in *Cap. De simoniacè*, expresse dicitur: *Qui ipsis ignorantibus, Simoniacè ordinantur, possunt (quia Simoniaci non sunt) in suis ordinibus remanere*. Et quamvis *Glossa*, *dispensativè* addat, id est, *Illi dispensativè possunt in suis Ordinibus remanere*: immeritò hoc addere, affirmant *Laiman*, *Palaus*, *Gibalinus*, aliique ex laudatis, eo quia, nullo Textu expresse probetur necessariam esse dispensationem, cum neque taliter ordinatus suspensionem incurrat, tum ex eodem Textu *De Simoniacè*: tum ex Regula Generali (inquit *Suar. n. 40. cit.*) quia hæc suspensio est pœna imposita propter culpam, & ideo cessante eulpa per ignorantiam, cessat etiam pœna. Argument. *Cap. Apostolicæ de Clerico Excommun. ministrante*, ibi: *Vos reddit ignorantia probabilis excusatos*: idest à quadam pœnali irregularitate: idem ergo erit in præsenti de hac pœnali suspensione. Et facit etiam *cap. Ut animarum de Constitution. in 6. & Cap. Cum cessante, de Appellat.* Item potest sumi argumentum à simili, ex *Cap. Per tuas 2.* Ita *Suar. cit. n. 40.* Vide superius *citata Privilegia 22. & 23.*

225 Scio *Felinum*, *Panormit.* aliosque Canonistas, quibus adhæret etiam *Avila De Censur. par. 3. disp. 5. dub. 9.* sentire cum *Gloss. d. Cap. de Simoniacè* (consequenter contra nostram datam responsionem, & DD. in ipsa laudatos) sed *male* omnino sentire ob adductas rationes affirmat *Gibalinus cit. Versu Quarto ista*: ubi tamen intendens ipse componere dissidium inter eosdem Canonistas, & supra laudatos in nostro responso DD. scribit ut sequitur. *Ego facilè compono dissidium, existimo enim antiquo jure istum Simoniacè, quamvis non sua culpa Ordinatum, arceri à Sacris, non tam in pœnam ipsius criminis, quam in odium Simoniæ: illumque fuisse antiquum rigorem Canonum, perspicuè testatur Urbanus II. Epistola ad Albertum Metenserna, uti refertur p. q. 5. C. presentium. Sapientes tamen posteriores Pontifices aliquot indulserunt, ne innocens alieni criminis culpam ferre videretur. Atque ita novissimo jure non incurritur suspensio ab iis, qui ignorantes, & sine culpa sunt ordinati simoniacè, quod rectè statuunt DD. superius laudati. Qui etiam addunt, neque incurri suspensionem ab isto Ordinato simoniacè nulla sua culpa, si deinde simoniam*

moniam commissam ratam habeat, aut pecuniam pro se solutam restituat; quia suspensio infligitur Ordinato propter simoniam ab ipso in ordinatione commissam, non autem post illam. ita *Gibalinus*, ex quo, & ex quibus confirmatur valde, ut patet, subsistentia, & veritas nostri propositi privilegii.

226 Pœnæ Simoniæ realis, & completæ in Beneficiis Ecclesiasticis commissæ, sunt *Primò*, Excommunicatio Summo Pontifici reservata, excepto mortis articulo, in quam ipso facto incurrit, qui Beneficium simoniacè confert, aut conferri procurat, eligendo, præsentando, confirmando, aut instituendo: ita in *Extravaganti cum detestabile, de Simonia*. Et in eandem etiam excommunicationis pœnam ipso facto pariter incurrit (ibidem) qui Beneficium simoniacè acquirit; itemque qui operam suam interponit, ut Beneficium simoniacè obtineatur. Dubium autem est, quid nomine Beneficii hoc loco intelligatur, cujus occasione hæc excommunicatio incurritur dum simonia committitur: Tenent quamplures, & classici Doctores sub nomine Beneficii intelligi debere ea solum quæ Beneficia Ecclesiastica propriè, & strictè vocantur: hujus opinionis sunt *Navar. in Man. cap. 23. sub n. 111. Versu Septimo quod. Less. cap. 35. dub. 25. n. 137. Azor. par. 3. lib. 12. cap. 20. qu. 6. ad finem. Bonac. de Simon. disp. 1. qu. 7. §. 2. propositione 1. n. 4. Pal. disp. 3. cit. puncto 25. Gibalin. de Simon. qu. 25. n. 1.* ubi, hanc opinionem (ait) esse communem recentiorum sententiam. Quorum omnium una, eademque ratio est, quia si *Paulus II. Summus Pontifex in cit. Extravag. cum detestabile*, voluisset quælibet officia spiritualis regiminis complecti, clarius locutus fuisset in illa, & ideo cum in materia pœnali versemur, verba non sunt interpretatione amplianda, sed potius restringenda: in materia enim pœnali non valet argumentum à pari, vel à minori ad majus, sed proprietati verborum standum est. Unde secundùm hanc sententiam obtinentes simoniacè Prælaturas Regulares, *Abbatiam* videlicet, *Prioratum*, *Rectoratum*, *Guardianatum*, *Provincialatum*, *Generalatum*, *&c.* peccant quidem mortaliter, sed non contrahunt dictam excommunicationem Summo Pontifici reservatam, ut supra.

227 Alii tamen oppositum tenent, nedum scilicet peccare mortaliter, verum etiam excommunicationem prædictam reservatam contrahere obtinentes, acquirentesque simoniacè dictas Regulares Prælaturas, seu Regularia officia: atque adeo hujus sententiæ sectatores *Nomine Beneficii* utrumque intelligunt, tum beneficia propriè Ecclesiastica, tum Regulares Prælaturas, seu officia Regularia: ita sentiunt *Porell. in Dubiis Regularib., Verbo Simonia n. 5. Suar. de Cens. disp. 31. sect. 4. n. 45. Sigism. à Bononia de Electione par. 2. cap. 1. dub. 55. n. 18. Reginal. in Praxi to. 2. lib. 23. cap. 12. sect. 2. n. 182. Versu Censetur autem. Hieronymus Rodriq. in Compendio qq. Regular. ref. 129. De Simonia n. 5. Bassæus Verbo cit. Simonia 6. n. 2.* ubi *hanc* (dicit) *probabiliorem sententiam, à qua non recedendum*. Et *Diana Coordin. to. 5. tract. 7. ref. 10. ex par. 4. tract. 4. & Miscell. resol. 156.* ubi etiam, & *ne discedas* (ait) *ab hac opinione*, & alios refert pro eadem, præsertim *P. Peregrinum in Commentariis Constitutionum nostrarum par. 3. cap. 1. littera F, Verbo Sexto, & Septimo*, loquentem de *nostris Patribus Consultoribus, Definitoribus, Præpositis, &c.* Et hujus etiam sententię ratio est, tum quia Summus Pontifex in *citata Extravag. Cum detestabile*, videtur comprehendere quælibet Officia Ecclesiastica spiritualem jurisdictionem, & administrationem habentia, dum expressè, & ad verbum loquitur de Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, & aliis Officiis Ecclesiasticis: ibi namque habetur: *Per electiones verò, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant in Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis Ecclesiasticis, & quibusvis Beneficiis, &c.* Ex quibus verbis tanquam certissimum (ait *Sigism. à Bononia n. cit. 18. Versu Unde tanquam*) inferunt Doctores *Extravagantem* extendi ad *Priores, Abbates, Guardianos, Provinciales, Generales, &c.* & etiam ad *Definitoratum, qui etiam hic meritò comprehendi debet sub nomine officiorum, seu personatorum*. Tum etiam quia hoc valdè consentaneum est; non enim minora absurda, atque inconvenientia sequuntur ex simoniæ labe in acquirendis Beneficiis propriè dictis, ac in aliis officiis spiritualibus, & Prælaturis Regularibus, &c. ut supra: quapropter hæc sententia à citatis Doctoribus, & aliis, tutior existimatur, ac probabilior. Eandem autem *Extravagantem*, consequenter & excommunicationem eandem, extendi pariter ad omnes cujuscumque dignitatis etiam Cardinalitiæ, ac Regiæ, si simoniam in Beneficio commiserint, certum est, ita enim dilucidè habent verba *Extravagantis* illius, quæ sunt: *Cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel præminentię fuerint,*

etiamsi

etiamsi Cardinalatus, Patriarchali, Episcopali, Regali, Reginali, vel alia quavis Ecclesiastica, seu mundana dignitatibus præfulgeant, & eorum quemlibet tam manifestum, quam occultum, &c. Nota hic cum *Lessio dub. cit.* 25. *nu.* 141. cum *Gibalino quæst. cit.* 25. *sub nu.* 1. & aliis, ad hanc censuram requiri ut simonia commissa sit: & mediatores in simonia Beneficii (& etiam Ordinis) incurrere pœnam excommunicationis ipso facto, si tamen ad exequutionem utrinque ventum fuerit, hoc est, si ipsi committentes eam incurrerint, id enim habent verba *Extravagantis*, ut parentes, amici, procuratores, & omnes, qui suam operam interponunt, ut Beneficium simoniacè obtineatur.

228 Nota insuper, loquendo de Beneficiis, seu Officiis Regularibus, ut supra, Simoniam non committi in eorundem permutatione, seu conventione, ut si quis Monachus dicat alteri v. g. elige me in Provincialem, & ego eligam te in Priorem: vel elige tu illum, & ego eligam istum, quem tu mihi mihi proponis, &c. ita sentiunt *Aragon.* 2. 2. *qu.* 100. *art. p. Sotus lib.* 9. *de Just. qu.* 5. *art.* 2. *ad* 3. *Sanch. in Opusc. to.* 1. *cap.* 3. *dub.* 44. *n.* 3. (ubi asserit *ita sentire Doctos Recentiores.*) *Victoria in Relect. De Simonia nu.* 17. *Pasqualig. Decis. Morali* 224. Sed cum aliqua distinctione, & limitatione, non absolutè, ut anteriores citati; qui probant suam sententiam, quia Jura prohibent tantum commutationem Beneficiorum, quod cum sit quid pœnale, non debet extendi ad alia, & sic intelligendus est textus in *Cap. Quæsitum, De rerum permut.* Confirmant, quia Simonia est cummutatio rei spiritualis pro temporali, sed in dictis Casibus, vel similibus, nil est temporale, ergo non potest esse Simonia. Imo in *Cap. Ad quæstiones. De rerum permutatione*, habetur, per se licere commutare spirituale cum spirituali. Quod etiam tradit *Glossa ibidem*: & ego pariter idem docui in mea *Filiatione spirituali Latina cap. p. dub.* 5. *à n.* 49. Ex hujus autem notabilis doctrina, & relatorum Doctorum sententia, infert *P. Diana*, ea corruere, quæ tanquam certa asserit *P. Peregrinus, citato Verbo Sexto, & Septimo:* Quia in casibus, quos ipse *ibi* ponit, non commutatur spirituale pro temporali, sed spirituale pro spirituali: & illa Officia licet sint spiritualia, non sunt tamen Beneficia, ut supponit *Peregrinus:* Unde & *Sanch. l. c. nu.* 4. ait: *Hinc excusantur à simonia Monachi convenientes inter se: Elige me in Provincialem, & ego te eligam in Priorem, quia licet hæc Officia sint spiritualia, at non sunt Beneficia: sic docti Juniores. Hæc Sanch.* Ita *P. Diana tract.* 7. *cit. res.* 12. *ex par.* 4. *tract.* 4. & *Miscell. res.* 150. Quam tamen concludit sic: *Sed licet hæc opinio sit probabilis, ego tamen contrarium teneo per ea, quæ dixi resol. antecedenti* 11. *ex par.* 3. *tract.* 2. *res.* 125. *& licet hoc efficere non esset Simoniacum, esset tamen damnabile ex aliis rationibus.*

229 Addi potest hic, quod esto etiam id efficere Simoniacum esset (quod & probabile videtur ex iis quæ adducunt *Lezzana in Summa tom. p. cap.* 15. *nu.* 29. *Peyrinus de subdito q. p. cap.* 31. *§.* 9. *vers. dico secundo Franciscus Maria Samuellius de elect. Canonica tract.* 2. *disp.* 2. *controv.* 3. *Conclus.* 2. *fol. mihi* 316. *Hyacintus Donatus in Praxi Regulari to.* 2. *par. p. tract. p. tit. de Nat. & Forma Elect. Canon. q.* 22. *fol. mihi* 16. aliique plures apud ipsos) non tamen Simoniacis pœnis subiectum foret: Sicuti nec iisdem pœnis subiacet Regularis (licet Simoniacus) pretium conferens ut in Prœlaturam eligatur, Quia Prælatura Regularis non est Beneficium Parochiale, nec tale censetur: unde conferens pretium, ut in Prælaturam Regularem eligatur non manet ipso facto excommunicatus; Excommunicatio enim ipso facto contrahitur solum à Simoniacis, in Ordine, Beneficio, & Religionis ingressu. At Prælatura Regularis non est propriè Beneficium: Ergo Simoniacus in obtentione illius non manet ipso facto excommunicatus. Consequentia sequitur. Et quamvis detur Prælaturam Regularem æquari in aliquibus Beneficio, quia tamen non est absolutè, & propriè Beneficium, non debet extendi ea pœna ipso facto contrahenda ad Simoniacum in ejus obtentione, cum juxta communem doctrinam, pœnarum extensio non sit facienda, nec argumentum sumendum à simili, nec etiam ab excessu delicti. Poterit quidem (ut ait) huic eidem doctrinæ adhærens etiam *Andreas Mendo in Statera Opinionum Benignarum Dissertat.* 24. *à num.* 310. *pag.* 77.) poterit quidem inquam, in ejusmodi Simonia ferri excommunicatio, & aliæ pœnæ in jure designatæ ei infligi, sicut possunt cœteris Simoniacis. Etenim cum Prælatura Regularis sit res spiritualis, secum afferens spiritualem jurisdictionem erga Subditos; pretium conferre pro illa obtinenda; seu eam pretio emere, & ex pacto, & conventione eam contractui humano subiicere, manifestè est Simonia. *Et assertio hæc* (ita *Mendo l. c.*) *fundatur in eo; quia in jure*

jure nulla eſt excommunicatio conſtituta ipſo facto, niſi in Simoniam realem in Ordine, Beneficio, & ingreſſu Religionis. Thomas Sanchez to p. Conſilior. Moral. libr. 2. cap. 3. dub. 44. docet, non eſſe Simoniam ſi Regulares inter ſe conveniant: Elige me in Provincialem, & ego te ligam in Priorem, movetur ex principio ſupra poſito, quia Prælaturæ Regulares non ſunt Beneficia, & permutatio in rebus ſpiritualibus non eſt probibita ut Simoniaca, niſi duntaxat in Beneficiis propria: Authoritate permutandis juxta Sotum, Arragonium, Victoriam, Eman. Rodriq. & alios ab eodem Sanchez relatos. Unde cum bis Authoribus exponit Cap. Quæſitum, de Rerum permutat. in quo aſſeritur omnem pactionem circa ſpiritualia, Simoniæ labem continere, nempe nomine ſpiritualium ibi intelligi Beneficiu. In Jure autem non reſtat probibitio alia permutationis rerum ſpiritualium. Et ratio ſuadet, quia Simonia propriè in ſua vera ratione conſiſtit in emptione, aut commutatione rei ſpiritualis pro temporali, non autem ſpiritualis pro ſpirituali. Quia vero Beneficia habent proventus temporales, magna eſſet ſuſpicio Simoniæ, & quod permutans intenderet utilitatem temporalem, ſi propria authoritate fieret permutatio, ideoque hæc permutatio probibita eſt ut Simoniaca. Hæc *citatus Mendo*.

230 *Secunda* pœna Simoniç beneficialis eſt irritatio, & annullatio proviſionis, & collationis. Unde nullum jus per talem proviſionem acquiritur, ſicque recipiens Beneficium, non facit fructus ſuos, ſed ſub periculo animæ tenetur reſtituere, ex *dicta Extravag.* ubi decernitur, ut *Electiones, præſentationes, & aliæ proviſiones Beneficiorum per Simoniam realem factç, ſint irritæ, & nullum jus tribuant, & ut proviſi, fructus non faciant ſuos, ſed ſub periculo animæ ſuæ ad eorum reſtitutionem teneantur*. Quod verum eſt, etiam ſi tu quidem Simoniam non commiſiſti, ſed ab alio commiſſa eſt, te ſciente, & non contradicente, ut in *Cap. Nobis fuit* 17. *De Simonia, juncta Gloſſa, & Cap. Sicut tuis, eodem Titulo, Verſu Præbere*. Et tradit *Covarruv. Regula Peccatum par.* 2. *§.* 8. *n.* 7. *Leſſius dub. cit.* 25. *nu.* 137. *Suar. de Simon. lib.* 4. *cap.* 57. *n.* 28. non enim potes excuſari, quia tacens, & non reſiſtens, cum poteſt, & debet, conſentire cenſetur. At ſi ſciviſti, & contradixiſti, valida eſt collatio Beneficii tibi facta, ut habetur *Cap. Sicut tuis, de Simonia*. Nil tamen prodeſt hujuſmodi contradictio, ſi ea non obſtante, ante collationem ſciebas pecuniam datam fuiſſe, & nihilominus Beneficium acceptes; quia abſolutè recipis Beneficium Simoniacè datum, neque contradicis. Quare efficeris inhabilis ad Beneficium, ut patet *ex cap. penult. de Electione*; & docet *Leſſius dub.* 25. *cit. n.* 142. Ubi & ipſe ſic: *Si ab aliis te ignorante, tua cauſa Simonia commiſſa eſt, non incurris quidem pœnam excommunicationis, efficeris tamen inhabilis ad idem Beneficium, ita ut abſque diſpenſatione non poſſit tibi illa vice conferri; idque in pœnam illorum, qui Simoniacè te promovere voluerunt, ut patet ex Cap. Nobis fuit, & Cap. Sicut tuis, juncta Gloſſa De Simonia. Quod ſi illi laboraſſent ignorantia inculpata, tunc neque inhabilis efficereris; quia nulla culpa commiſſa eſt, ob quam illa inhabilitas eſt conſtituta, unde poſſet illud Beneficium tibi ſecundo conferri abſque ulla diſpenſatione. Idem videtur dicendum ſi contractus Simoniacus ab ipſo Beneficiario per ignorantiam celebratus ſit. In utroque tamen caſu Beneficium reſignari debet, niſi ſecundo conferatur; quia prior collatio irrita fuit, utpote per contractum irritum facta.* Ita *Leſſius*. Vide eundem *ſeq. n.* 143. *Verſu Secundus eſt. Suar. cap. cit.* 57. *n.* 29. *& Pala. punc. cit.* 25. *n.* 3. Cum quo *Suar. n.* 33. & aliis, adverto: Quod ſi te ignorante, neque contradicente, quia nullam ſuſpicionem habuiſti ad contradicendum, ſimonia commiſſa ſit ab aliquo tertio, tunc ſubdiſtinguendum eſt, ſi in odium tui ſimonia commiſſa eſt, ut quando commiſſa eſt à tuo inimico ſolum ad impediendum ne conſequaris Beneficium, non teneris Beneficium reſignare, quia validè tibi collatum fuit. Tunc enim ratio ipſa poſtulat, ut non patiatur Eccleſia, innocentem pati injuſtè, ne detur occaſio peſſimis hominibus injurias inferendi innocentibus, & dignis, & impediendi promotiones alioqui ritè faciendas: Imo hæc eadem ratio habetur in *Cap. Sicut tuis litteris, de Simonia*, & inſinuatur expreſsè *in Cap. Nobis fuit*. Si vero in tui favorem ab amico, te ignorante commiſſa eſt ſimonia, teneris ſimul ac id ſciveris relinquere, dimittereque Beneficium: & fructus extantes reſtituere, non eos, qui conſumpti ſunt, & quos bona fide poſſederis. Sic etiam *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 100. *art.* 6. *ad.* 3. Vide citatos, præcipuè *Leſſ. dub. cit. & Suar. toto cap.* 57. *cit.*

231. Si autem quæras quis poſſit antedictam inhabilitatem ad Beneficium obtinendum tollere? Reſpondent communiter DD. apud *Leſſ. dub. cit.* 25. *n.* 140. Certum eſſe; ſi ſimonia publica ſit, vel deducta ad externum forum, & conſentiente Beneficiario commiſſa, inhabilitatem ex ea contractam non poſſe tolli per Epiſcopum, ſed per ſolum Papam, ut ſatis colligitur *ex*

Juribus

Juribus citatis. Si vero ſit omnino occulta: *Henriq. lib.* 13. *Tit. de Simonia cap.* 56. *Leſſ. n. cit.* 140. *Baſſæus Verbo Simonia* 6. *n.* 2. & quidam alii apud *eundem Leſſ. n. c.* putant tolli poſſe per Epiſcopum: tum quia nullo jure reſervatur Pontifici: tum quia etiam ſi reſervata eſſet, non tamen Epiſcopis, ut patet ex *Concil. Tridentin. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. ibi: *Liceat Epiſcopis in Irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcumque caſibus occultis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos, in Diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari*: Et ſi inquam reſervata eſſet, non tamen Epiſcopis (inquiunt *citati*) ex hoc loco *Tridentini*, in quo ipſiſmet Epiſcopis videtur conceſſa: *Sub nomine enim ſuſpenſionis* (ſic *Leſs.*, & *Baſ.*) *vel irregularitatis, vel caſus occulti, comprehenditur*: Unde & *Henriq. l. cit.* ſic arguit: *Sicut Epiſcopus diſpenſat in irregularitate, quando eſt pœna ob delictum occultum proveniens: ita videtur diſpenſare poſſe in hac inhabilitate, etiam incurſa ob Simoniam occultam, quia nullo jure exprimitur reſervari Papæ, ſicut nec occulta excommunicatio, quam hic Simoniacus incurrit*. Et idem dicendum eſſe, ait *Baſſ.*, de inhabilitate incurſa propter Simoniam confidentiæ ſi occulta fuerit. Hujuſmodi autem ſententia, & doctrina, etſi videatur ſatis probabilis (concludit *Leſs.*) *contraria tamen, eſt DD. communior, & praxi conformior*. De ſimonia confidentiæ, ſeu confidentiali, quoad pœnas, infra.

232 Et ſi rurſus quæras: an ſicuti ſimoniacè proviſus, inhabilis ſit ad idem Beneficium obtinendum, ut ſupra, privetur etiam ipſo jure Beneficiis prius antea ritè ab ipſo obtentis? Affirmativè ſentiunt *Rebuffus De Pacificis poſſeſſionibus n.* 263. *& Dias Pract. Crimin. cap.* 131. (apud *Gibalin. de Simon. qu.* 25. *num.* 3.) aſſignantes privationem omnium Beneficiorum prius obtentorum pro tertia pœna ſimoniæ realis in Beneficiis commiſſæ. Hanc tamen pœnam reiiciunt, & meritò *Panormitan. Felin. Henriq.*, *Ugolin. Avila*, *Suar.*, *Laym.*, *Pal.*, *Rodriq.*, *Bonac.*, relati à *Gibali. n. cit.* & alii plures. Quia, reſpectu Beneficii acquirendi eſt lex prohibens, & annullans actum; reſpectu verò Beneficiorum antea acquiſitorum eſt lex pœnalis, quæ non obligat abſque ſententia condemnatoria. Adde, quod nullibi (etiam per *citatos*) eſt expreſſa hujuſmodi pœna, ſcilicet privatio (ipſo jure) Beneficiorum antea ritè obtentorum.

233 Et hic obiter nota, quod licet reſignatio, vel collatio Beneficii, in quo ſimonia realis committitur, irrita ſit, & proviſus fiat inhabilis ad idem Beneficium poſtea obtinendum, ſimoniacè tamen reſignanti manet ſuum Beneficium, quia cum reſignatio ſit nulla, & reſignans non ceſſerit Beneficio, niſi in favorem reſignatarii, illud adhuc retinet, niſi eo privetur, quod non ſit ratione ſimoniæ ante ſententiam. Unde *Sà Verbo Simonia n.* 7. *Renuncians* (ait) *ſimoniacè, puniri quidem poteſt, & privari Beneficio, non tamen perdit ipſo jure, quia renunciatio nulla eſt*. Quod autem nullum eſt, nullum effectum producit. Idemque docent *Navarr. in Man. cap.* 23. *nu.* 105. *Laym. cap.* 8. *cit.*, *§.* 8. *n.* 77. *Garzias de Benefic. par.* 11. *cap.* 3. *§.* 2. *n.* 214. plures alios allegans: quibus addo *Gibalin. qu. cit. n.* 4. *Verſu Sequitur præterea*. Nec obſtat *Conſtitutio Pii V. Quia hæc* (ait *Sà*) *de acquirentibus ſimoniacè, non de reſignantibus loquitur*.

234 Inſuper nota, ex ipſiſſimis verbis *Conſtitutionis ejuſdem Pii V.* quæ incipit *Cum primum*, inferri quidem, & aliam pœnam in eo, qui ſimoniacè Beneficium acquirit, inhabilitatem videlicet ad omnia alia Beneficia acquirenda: inquit enim Pontifex; *Sit ipſo jure privatus, & perpetuo ſit inhabilis ad ea, & quæcumque alia Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda*. Verum hanc *Conſtitutionem* quoad iſtam partem, & pœnam, non fuiſſe uſu receptam, ante ſententiam, fatentur expreſsè *Navarr. lib.* 5. *Conſilior.*, *Tit. de Simon.*, *Conſil.* 92. *Suar. de Simon. cap.* 48. *ſub fin. Pala. punc. cit.* 25. *nu.* 7. *Layman cap.* 8. *cit. §.* 7. *n.* 74. *Verſu Secundum Vtrum.* *& Gibal. qu. cit.* 27. *n.* 6. Unde opus erit ſaltem ſententia declaratoria criminis, & condemnatoria: quam utique requirunt (ait *Navarr. conſ. cit. n.* 5. cum approbatione *Suarezii*, *Laymanni*, *& Gibalini*) illa proemialia *Conſtitutionis* verba: *Quicumque deteſtabile crimen Simoniacæ pravitatis commiſiſſe convictus fuerit in conſequendis Ordinibus, &c.* Verba enim illa, *Si convictus fuerit*, manifeſtè requirunt prævium judicium; *aliter eſſent fruſtatoria* (inquit *Navarr.*) *& ita ad eorum verificationem prærequiritur convictio*. Et ſi *Nauarro* obiicias; dicta verba tantum poſita eſſe in ſimonia commiſſa, in conſequutione Ordinis. Contra: Cum enim ibi ſint tres clauſulæ, ſcilicet, de Ordine, Dignitate, & Beneficio, limitatio in una poſita, intelligitur

poſita

posita in aliis, quia clausula posita in vna parte dispositionis intelligitur extendi ad totam dispositionem, quando est eadem ratio. Vide *Suar. cap.* 58. *cit.* ibi concludentem sic: *Ubi clarè non constitevit Constitutionem Pii V. esse receptam in rigoroso sensu, existimo posse in praxi servari tuta conscientia opinionem Navarri, & non esse necessariam dispensationem ad alia Beneficia, quando delictum non est ad forum contentiosum deductum, & in eo declaratum.*

235 Sed quid tandem de Pœnis Simoniæ confidentialis, seu confidentiæ; Simonia hæc damnata est à Summis Pontificibus *Pio IV. in Bulla*, quæ incipit *Romanum Pontificem*, & *Pio V. in Bulla*, quæ incipit *Intolerabilis*, & contingit, quando Beneficium Ecclesiasticum, simplex, aut Curatum, Regulare, aut Sæculare alicui procuratur, eligendo, præsentando, confirmando, instituendo, resignando, cum certa confidentia, idest, expressò, aut tacito pacto, ut is cui procuratur, elapso aliquo tempore, ipsemet Beneficium, vel fructus, in totum, vel in partem restituat, vel pensionem reservet, ipsimet resignanti, cedenti, conferenti, aut confirmanti, aut alteri, ut Nepoti, Amico, Parenti, &c. juxta electionem eorundem; de qua simomonia, Doctores communiter. Pœnæ autem impositæ committentibus tale crimen confidentiæ sunt: *Prima*. Excommunicatio utrique parti contrahenti Sedi Apostolicæ, & Summo Pontifici reservata: ad eam autem incurrendam opus est Simonia completa, dato videlicet, & accepto Beneficio; non tamen requiritur ut promissio fructuum, aut pensionis, aut resignationis fuerit impleta, ex *allatis Bullis*. *Secunda*, Episcopis, & Collatoribus interdictum ab ingressu Ecclesiæ. Hi tamen non excommunicantur. *Gibalin. de Simon. qu.* 26. *n.* 1. *Tertia*, Resignatio, & collatio Beneficii nulla. *Quarta*, Inhabilitas ad idem, & alia Beneficia obtinenda. *Quinta*, Reservatur illud Beneficium, in quo hæc simonia commissa est Sedi Apostolicæ; ita ut Ordinarius non possit in illius provisione se intromittere. *Sexta*, Fructus malè percepti, Cameræ Apostolicæ applicantur. *Septima*, Privat committentem omnibus Beneficiis, & pensionibus antea obtentis, & inhabilitatem inducit ad alia obtinenda. Hujusmodi autem pœnæ ipso facto incurruntur, ut constat ex allatis Bullis *Pii IV. & V.* quarum prima *Romanum*, est 109. *in Bullario*, secunda *Intolerabilis*, est 87. *in ordine*. Excipitur tamen *Primo*, Privatio Beneficiorum omnium, & pensionum prius obtentorum, & obtentarum, hanc enim pœnam reus non tenetur exequi ante Judicis sententiam: *Less. cap. cit.* 35. *dub.* 26. *nu.* 147. *Quia pœna* [inquit] *qua quis privatur re sua jam possessa, non debetur ante sententiam, ut docet Glosa communiter recepta, in Cap. Fraternitas, in quæst.* 2. *Suar. de Simon. cap.* 43. *n.* 13. & 14. *Laym. cap. cit.* 8. §. 8. *n.* 77. *Versu Inducitur privatio*. *Pal. dub. cit.* 25. *nu.* 8. *Versu Circa supradicta*. *Bass. verbo cit. Simonia* 6. *n.* 4. *Versu Ex dictis*. *Gibalin. qu. cit.* 26. *n.* 2. aliique. *Secundo* excipitur etiam inhabilitas ad reliqua omnia Beneficia, quia & hæc pœna etiam expostulat sententiam declaratoriam criminis: licet enim verbum legis dicat, *ipso Jure*, vel *ipso facto*, debet accommodari pœnæ secundum capacitatem ejus, inquit *Suar. n.* 13. *cit. in fine*, & juxta receptum usum, ait *Palaus vers. cit. in fin. cum Less.* Cæteræ pœnæ ipso facto, & eodem modo incurruntur *Suar. eodem n.* 13. Qui *n.* 14. pro certo tenet (quod & ego supra innui, & alii etiam docent) ad incurrendas relatas pœnas, non esse necesse Simoniam, utraque ex parte esse completam, sed eo ipso quod beneficium ab uno est datum, & ab altero receptum, incurri ab utroque prædictas pœnas, quamvis cætera pacta, & promissa non sint impleta, ad Simoniam enim confidentialem sufficit, ut beneficium sit in confidentiam acceptum, & quod sit aliquo modo realis, & inchoata quo ad executionem: *ne quis putet* (ait *Suar. n.* 14. *cit.*) *per hanc Simoniam confidentialem, & purè conventionalem pœnas incurri, quod verum non est, quia nullibi declaratum est, imo ex Bulla colligitur necessarium esse, ut Beneficium sit in confidentiam acceptum, unde oportet ut sit aliquo modo realis*; & non purè conventionalis; Simonia namque purè conventionalis, & quæ licet processerit in externam pactionem, & conventionem, ex neutra tamen parte completa est, & si sit gravissimum peccatum, & punibile (ut supra) ipso jure non punitur, nullaque pœna pro simonia purè conventionali nullo pacto reali, nec completa, ipso jure imposita est, ut constat ex omnibus textibus, & Doctoribus. Unde *Pal. disp.* 3. *citata de Simonia punc.* 22. *n.* 2. *in principio*: sic ait: *Ex vi hujus promissionis* (hoc est conventionis) *ante traditionem, &c. nec manes excommunicatus, nec suspensus, aut alia pœna irretitus ipso jure, esto gravissimè peccaveris. Ratio est, quia omnes text. de hac materia loquentes, postulant realem receptionem rei spiritualis, ut constat ex*

omnibus

omnibus ferè capitibus p. qu. p. Et ex Extravag. p. & 2. de Simonia : & *in fine numeri*, concludit : *Sit ergo certum, & indubitatum, nullam pœnam ipso jure incurri propter Simoniam Conventionalem, etiam subsecuta traditione pretii, & ita tenent omnes Doctores, ut testatur Suar. lib. 4. de Simon., cap. 55. nu. 16. & tradit optimè Guttier. Canon. q. q. cap. 9. à n. 8. 9. 10. & seqq.* Sed

236 Quæres hic primo, An ad pœnas incurrendas requiratur quod Simonia sit ex utraque parte completa, & pretium videlicet esse datum, & Beneficium receptum: an verò sufficiat recipere Beneficium, vel Ordinem sub promissione pecuniæ dandæ. Ante responsionem præmitto cum *Suarez cap. cit. 55. n. 17. & Pal. punc. cit. 22. n. 3.* & DD. communi, quod si Beneficium recepisti, & pretium aliqua ex parte, licet non integra (quantumvis parva) solvisti, hoc sufficiens est ad pœnas simoniacas incurrendas, quia talis simonia completa est ex utraque parte, quamvis totum pretium solutum non sit. Si quidem ad complementum ex utraque parte Simoniæ punibilis, sufficit solutio cujuscumque etiam minimæ quantitatis pretii, etiam si nondum totum sit solutum. Et ratio est (inquit *Suar.*) quia ad actionem perfectè Simoniacam satis est, quod pro pretio fiat, sive parvo, sive magno, quod enim res spiritualis carius, aut vilius vendatur, id non variat rationem ejus, maximè in ordine ad Ecclesiasticas pœnas : quando autem pretium cœptum est solvi, etiam pro minima parte, & res spiritualis est tradita, jam vendita est pro aliquo reali pretio accepto, consummata ergo est ex utraque parte Simonia, non minus quam si à principio conventum esset de sola illa minima quantitate pecuniæ, & soluta esset tanquam integrum pretium. Sicut è contra si conventio facta esset de conferendis septem Ordinibus pro centum aureis, & istis solutis inciperet fieri Ordinatio, statim in primo Ordinationis gradu consummata esset Simonia, & pœnæ incursæ, non minus quam si pro solo illo primo gradu totum illud pretium solutum esset. Tota ergo difficultas quoad quæsitum propositum, versatur circa simoniam realem ex parte solius rei spiritualis, quæ tradita est, pretium autem non est solutum cum effectu, sed solum promissum. Quo præmisso, & supposito, ad hoc idem quæsitum

237 Respondent, *Navar. in Manua. cap 23. n. 104.* (& apud ipsum *Gomezius*, & *Cassiodorus*) *Less. cap. cit. 35. dub. 27. n. 149.* (ubi etiam *Covarru. in Clementinam, si furiosus p.p. §. p. & p. 3. §. 3. n. 4. Hugolinus Tabula 4. cap. 6.* aliique Recentiores) *Avila de Cens. par. 3. disp. 5. Dub. 9. Supposito p. & 2. Azzor. par. 2. lib. 7. cap. 27. qu. 10. & 3. p. lib. 12. cap. 21. qu. 10. Versu Dicendum est. Suar. cap. 56. n. 33. & cap. 57. à n. 51* aliique inumeri relati à *Garzia de Benefic. p. 8. cap. p. n. 19.* Quando res spiritualis est tradita, scilicet Ordo, aut Beneficium sub conditione pecuniæ solvendæ, nondum tamen persolutæ, non contrahi pœnas à jure inflictas. Hujus responsionis (quæ à *Pal. punct. cit. 22. n. 4. in fine*, communis sententia appellatur) fundamentum esse videtur, quia & si fortè ex rigore juris viderentur hæ pœnæ contrahi per Simoniam conventionalem, etiam neutra ex parte completam (cum ad contractum emptionis, & venditionis, quo ad substantiam sufficiat pactum) quia consensu perficitur; juxta tamen stylum *Romanæ Curiæ*, non censentur incursæ, nisi per Simoniam realem utrinque completam, ut testantur relati cum *Navar.* non obstante *Bulla Pii V.* hac de re edita, quæ (ait etiam *Less. l. c.*) *non videtur recepta*. Addunt, Quod pœnæ, maximè graves, & quæ ipso facto incurruntur, non extendendæ, sed restringendæ sunt quantum fieri potest (nisi contrarium expressè per legem significetur) & ad actum completum : lex enim puniens actum aliquem, censenda est ipsum completum punire, præcipuè in casu nostro, cum *Extravag. Detestabile* : æquè de datione, ac receptione pretii, & Beneficii loquatur: ità *Less. Suar.* & alii ex citatis. Ex quorum responsione, ac sententia, insurgit difficultas ; quid videlicet dicendum, quando post aliquod tempus solvitur pecunia ab habente Beneficium, an ex tunc maneat ipso facto privatus Beneficio : & an irritario retrotrahatur : & si retrotrahitur, qualis fuerit collatio toto illo tempore antecedenti. Sed super hac difficultate vide *Less. l. c. n. 15. Suar. à nu. 51. cit. & Pala. puncto cit. nu. 6. & 7.* Verum.

238 Et si prædicta responsio, & sententia, probabilis sit, & in praxi secura ; & pro qua *Gutierrez apud Pal. n. 6. cit.* & alios, testatur esse judicatum ; spectato nihilominus jure, probabilius esse, ex datione, vel receptione rei spiritualis sub promissione pretii, pœnas inflictas in jure incurri, affirmant *Vasq. in Opusculis to. 2. tract. 9. de Simon. quæst. 2. Soto de Just. & Jure l. 9. qu. 8. art. p. Tolet. lib. 5. Summ. cap. 94. n. p. in fine. Garcia cap. p. cit.* (*aliis pluribus relatis*) *à n. 28.*

à n. 28. *& à n* 32. *Pala. l. c. n.* 5. aliique, & in hanc eandem affirmativam videtur se inclinare ipsemet *Suar. cap.* 56. *nu.* 26. ubi pro ipsa refert *D. Th.* 2. 2. *qu.* 100. *art.* 5. *&* 6. *in solutione argumentorum:* & alios. Et probari potest nedum variis Decisionibus Rotæ, ac Stylo Curiæ recepto (apud *Garciam, & Suar.*) verum etiam, ex *Cap. Ea quæ p. q.* 3. ubi Summus Pontifex *Greg. VII.* sic ait: *Ea quæ à Sanctis Pontificibus de Simoniacis statuta sunt, nos quoque, & judicio Sancti Spiritus, & Apostolica authoritate firmamus. Quidquid ergo vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus.* Igitur quando Beneficii collatio acquiritur ob pecuniæ promissionem nullas vires habet, sed irrita est omnino: similiterque si Ordo accipiatur, nullas vires habebit quo ad usum: ergo jam pœnæ impositæ simoniacis incurruntur, quamvis Simonia ex utraque parte non sit completa. Quam conclusionem, & sententiam, *profecto ego jam teneo* (concludit *Tolet. n. cit.*) *& credo verissimam esse.*

239 Sed modo insurgit hic non aspernenda difficultas: Tradit quis ante receptionem Ecclesiastici Beneficii, vel Ordinis, promissum pretium, contrahit ne is Simoniacas pœnas à jure ipso inflictas? Hanc eandem difficultatem proponit, optimeque resolvit *Vasq. qu.* 2. *cit. in fine*, ut sequitur. *An sit etiam Simonia punita sicludicat executio ex parte spirituali, puta ille dedit ex pacto temporale (puta pecuniam) & hic accepit, sed non dedit adhuc spirituale (puta Episcopatum). In hoc siquidem casu nulla intervenit datio, aut acceptio spiritualis, sed intentio, & pactio utriusque, executio autem solius temporalis. Audirem libenter decisionem. Crediderim tamen ego, quod non incurrantur censuræ ex defectu executionis. Nec est eadem ratio de claudicatione ex hac parte, & ex illa, quia spirituale tenet principalem locum, & est ratio, radix totius repugnantiæ ad venalitatem, & ideo penes illius executionem videtur attendi executio Simoniaca. Quia ergo Ecclesia præsupponit Simoniacam intentionem, & constat de pactione, & de acquisitione spiritualis: Et deficit tantum executio temporalis pro spirituali, judicabit Ecclesia Simoniam esse sacris Canonibus vetitam, & punitam, & utramque partem excommunicatam.*

240 Quæres secundo, An qui fictè (hoc est absq; animo se obligandi, ac solvendi) promittit dare Beneficium, & rem spiritualem pro temporali, aut versa vice, temporalem pro spirituali, contrahat Simoniacas pœnas in jure institutas ut supra? Respond. Negativè: Imo nec is Simoniacus est, caret enim studiosa voluntate emendi, vel vendendi spirituale, siquidem deceptor est, & simulator, igitur uti talis à propria Simonia, & à pœnis illius excusatur. Non excusatur tamen à peccato mortali multiplici (ait *Vasq. qu.* 2. *cit.*) *Primo, participationis cum Simonia mentali alterius, dando ad hoc operam efficacem. Secundo, Infamiæ propriæ, sufficienter siquidem mentitur se Simoniacum. Tertio, scandali, manifestè siquidem dat occasionem scandali aliis. Quarto, mendacii, dum fingit quod non habet in corde, quod est secundum se pravum, nec ulla potest intentione rectè fieri.* Et adeo lethaliter peccaminosa est hujusmodi deceptio, ut *Gibaln. de Simon. Universa qu. p. n.* 7. concludat: *Hæc ficta promissio mala est, malitia mendacii, & scandali, atque etiam externi sacrilegii, punirique potest ab Ecclesia pœnis iisdem, quibus vera Simonia castigatur. An vero id ita fiat disquiremus q.* 22.

241 Confirmatur primo nostra responsio authoritate ejusdem *Vasq. q. cit.* dum ibi sic: *Ubi nec emptio, nec venditio secundum veritatem est, sed secundum apparentiam tantum, si de spiritualibus agitur, ut in proposito; quoniam pœnæ juris institutæ sunt contra ipsa vitia secundum veritatem, non secundum apparentiam tantum (non enim apparentes Simoniaci, sed Simoniaci suspenduntur, & excommunicantur, apparentia est conditio diminuens, sicut pictura, non enim homo pictus est homo, & ita nec apparens Simoniacus) idcirco in hoc casu nulla incurritur censura.*

242 Confirmatur secundo, ex *Less. de Just. lib.* 2. *c.* 35. *Tit. de Simon. dub. p. n.* 11. *Vers. Sequitur quinto. Non est Simonia si quis animo non quidem verè emendi, aut solvendi; sed decipiendi dumtaxat, promittat aliquid temporale pro Beneficio, ut rectè Cajetanus* (supra *qu.* 2.) *Sotus* (supra *art. p.*) *Idem sentit Tolet. l.* 5. *cap.* 90. *Ratio est, quia iste non habet voluntatem verè emendi, sed mendacio decipiendi. Peccat tamen, tum quia alterum inducit ad Simoniam, tum quia externum opus Simoniacum facit. Potest tamen Beneficium sic obtentum retinere, si à legitimo collatore sit collatum, ut iidem D. D. tradunt: & fatetur etiam Navarr. in Man. cap.* 23. *n.* 106. *quamvis velit esse Simonia conventionalis:* hactenus *Less.* Cui addo (& sub iisdem ferè verbis) *Bonacin. to; p. Tit. de Simon. disp. p. qu. p. Proposition.* 2. *nu.* 5. *& Rrginald. in Praxi to.* 2. *lib.* 23. *cap.* 11. *num.* 110.

243 Con-

243 Confirmatur tertio, ex *Laym. lib.* 4. *tract.* 10. *cap. Ult. §.* 6. *n.* 67. *Versic. Corollarium* 2. *Si quis fictè promittat dare rem spiritualem pro temporali, sine animo se obligandi, ac solvendi, is conventionalem Simoniam non committit: quia non est conventio sine consensu in obligationem. Eademque ratione neque is, qui fictè promittit dare rem temporalem pro spirituali, conventionalem Simoniam committit, sicut rectè docent Cajet. & Sotus l. l. c.c. licet contrarium sentiat Navarr. cap.* 23. *n.* 106. *Vers. Ad tertium: quem refutat Valent. to.* 3. *disp.* 6. *qu.* 16. *punct.* 5. *Alter vero qui ita deceptus, dat rem temporalem pro promissa spirituali; vel spiritualem pro promissa temporali, Simonia dumtaxat interiore, ac mentali delinquit; propter quam nulla pœna incurritur: quamvis uterque à Judice puniri possit, sicut docet Suar. De Relig. l.* 4. *c.* 42. *n.* 5. *in fin.* quem vide, in hoc enim capite agit *de Simonia ficta*. Vide etiam *Valent. punc.* 5. *cit. Vers. Ex quo.*

244 Confirmatur quarto, ex *Gibal. de Simon. qu. p. n.* 7. *Promissio vendendi spirituale pro temporali, absque animo implendi ejusmodi promissionem, promissio, & conventio ficta, atque deceptoria est, neque veram Simoniam constituit, & inter ejus species malè numeratur. Ratio præcipua videtur, cum enim absit intentio vendendi spirituale pro temporali, non est re vera illa studiosa, & deliberata voluntas, quæ in ipsa definitione Simoniæ requirebatur. Neque dici potest Simonia mentalis, quæ in eo proposito vendendi, aut emendi spirituale pro temporali consistit, hoc enim proposito caret, qui non habet animum præstandi venditionem, quam fictè, ac deceptoriè promittit; itaque mentalem Simoniam non incurrit: sicut neque internam hæresim, qui, exterius dumtaxat illam simulat. Nec potest etiam hoc loco reperiri Simonia conventionalis, tum quia hæc mentalem supponit: tum quia ubi deest animus, & consensus, nullus est contractus, sed ejus tantum simulacbrum quoddam. Realis denique Simonia abest ab hac fictione, quia realis Simonia est conventionis Simoniacæ exequutio, & perfectio, hic autem neque impletur conventio, neque est animus eam implendi, ad eamve se obligandi. Et sanè si fictio sit in utroque contrahente, statim, nisi fallor, apparet nulla ex parte veram Simoniam committi. Si verò qui promittit se daturum rem spiritualem, fingat, cum re ipsa mentiatur, & non intendat revera dare rem spiritualem pro temporali, non committit Simoniam, sed fingit se committere. Alter verò qui eo mendacio deceptus promittit rem temporalem in pretium, committit quidem Simoniam mentalem, cum habeat verum animum emendi spirituale pro temporali, atque ad id se obliget, quantum ad se pertinet; non tamen veram Simoniam conventionalem facit, quia conventio, & contractus, non fit sine utriusque contrahentis verò consensu, alioquin nullus est contractus, sed fictus; uti vidimus in Matrimonio quod nullum est, & fictum, non verum dicitur, quoties unus fictè consentit: quia etiam si alter existimet se verè contrahere, idque ex animo velit, non tamen consentit nisi in fictum. Atque ita non contrahit verum Matrimonium, nisi quo ad affectum suum, non quo ad ipsam rem. Quæ ratio æquè valet, quando fictio intercedit tantum ex parte promittentis pretium temporale; nam cum ad verum contractum necessarius sit utriusque contrahentis verus se se obligandi animus, non poterit esse verus contractus Simoniacus hoc casu, sed fictus.*

245 Quæres tertio, quibus in casibus in rasignatione Beneficii sub aliquo onere, Simoniæ labes, & juris pęnæ, inter paciscentes vitentur. Supponit hoc quæsitum communem, certamque doctrinam, quam præcipue tradunt circa sequentia, mox citandi. Quod videlicet, si quis dat alteri Beneficium cum pensione, & facit pactum ut redimatur pensio, Simoniacus est, *Cajet. to.* 1. *Opuscul. tract.* 31. *resp.* 10. Quamvis enim postea possit redimi pensio, non tamen potest resignari Beneficium cum pacto redemptionis hujus, *Tolet. lib.* 5. *c.* 92. *sub n.* 1. *Vers. De hoc.* Unde si quis in fraudem Simoniæ unico contextu renuntiat Beneficio, reservat sibi pensionem, & extinguit eandem pro tanta summa, non solum apud Deum (qui venditionem Beneficii palliatam inspicit in corde) sed etiam in foro humani Juris ab æquo Judice damnaretur, sicut in similibus damnantur contractus in fraudem usurarum: *Cajet. responf. cit.* 10. *in fin.* cui adde *Less. c. cit.* 35. *dub.* 22. *sub n.* 124. ubi sic: *Notandum est, dum quis resignat Beneficium sub onere pensionis, non posse fieri pactum, ut constituta pensio redimatur, id enim continet apertam Simoniam, ut docent Cajet. & Tolet. supra, estq; evidens ex dictis dub.* 16. *istud enim opus est pretio æstimabile. Pari modo Simonia est, si pensionem redimas resignando, vel conferendo Beneficium; quia datur Beneficium pro re temporali: ejusdem enim rationis est extinguere aliquod debitum, seu onus temporale, & tantundem acquirere.* Adde insuper *Gigantem de Pensionib. qu.* 87. *ad finem. Renunciantes Beneficia ea intentione, ut sibi reservetur pensio, demum extinguenda pro certis anticipatis pensionibus, & ita paciscentes, procul dubio Simoniam committunt,*

mittunt, cum dent temporale pro spirituali, ut in toto Titulo de Simonia, & propterea graviter puniendi essent, & ab omnibus accusari possunt. Cod. Si Dominus de Simonia, &c. Adde tertio. *Ferdinandum à Castro Palao Operis Moralis part. 3. disp. 3. De Simonia punct. 17. n. 14. fol. 504. col. 2. Infero responsionem illius questionis, an sine manifestatione Superioris (qualis est solus Pontifex) possit resignans cum reservatione pensionis obligare resignatarium ad aliqua onera admittenda: v. g. ut fidejussorem Secularem, vel aliquam hypothecam assignet, vel illi anticipatè solvat, timet enim resignatarium futurum tardum in solvendo. Et dicendum est esse Simoniacum contractum; quia obligat resignatarium ad id quod de Jure non inest, eique ex vi resignationis, onus pretio estimabile imponit: ita Less. de Just. lib. 2. c. 35. dub. 15. n. 93. & Suar. to. p. de Relig. Tit. de Simonia l. 4. c. 35. n. 23. in fin. Quare resolutio ita vera est, ut etiam si Ordinarius commissionem haberet imponendi pensionem, adhuc hujusmodi contractum approbare non posset: ita Suar. supra. Unde pensio sic constituta posset non solvi, & Beneficium tanquam vacans impetrari, ut bene dicit Less. illo n. 93. Verum, si post constitutam pensionem obligaretur Resignatarius ad hæc onera, dicendum est Simoniam non committi, neque in foro exteriori debere præsumi: sed potius præsumi debet liberè se obligasse. Ita tradit Flaminius Parisius de Resignatione Beneficiorum lib. 14. q. 7. à nu. 53. cum communi sententia* hactenus *Palao:* quem pariter refert nedum, verum etiam ejusdem, atque communem doctrinam, ac sententiam admittit, & sequitur *P. Diana to. 5. Coord. tr. 7. res. 29. n. p. ex part. 10. tract. 14. & Miscell. 4. res. pr.* ubi præterea *in princip. num.* subscribit *Joannes Vvigers, ibique testatur de communi.* Vide *Suar. n. 23. cit. & 24.* quibus suppositis, ad quæsitum.

246 Respondeo, Vitatur labes Simonie, vitantur, & Juris pœnæ in resignatione Beneficii sub aliquo onere inter paciscentes, si isti referant omnia ad consensum Pontificis, & postea in petitione, omnia integrè narrent: nam contractus hic inter eos necessarius est (inquit etiam *Suar. n. 24. cit.*) & relatus ad consensus Papæ nihil per eos fit, sed proponitur auctoritate Papæ faciendum. Talis ergo modus renunciationis cum conditione pensionis honestus est, licitèque fit in manibus Pontificis, quod docent omnes apud, & cum ipso *Suar. l. c. n. 24.* & patet *per Felinum, &c. & Theologos in 4. dist.* 25. qui omnes asserunt vitari in hoc, & similibus casibus labem Simoniæ, consequenter juris pœnas, si omnia referant (ut supra) ad consensum Pontificis, & in petitione integrè, & fideliter narrent omnia. Ratio autem, cur id per Papam fieri possit, clara est, ac facilis (inquit *Suar.*) nam potest etiam pensionem imponere sub titulo spirituali, sicque commutatio tota fiet inter spiritualia, & potest Papa auctoritate sua, tale onus imponere Beneficio, priusquam illud conferat, & illud sic oneratum conferre personæ, in cujus favorem facta est renunciatio, vel cui voluerit, si renunciatio simpliciter facta sit. Neque in hoc (concludit *Suar.*) *occurrit nova difficultas, solum est cavendum, ne privatim adiiciantur onera, quæ non sunt inclusa in Pensione, nec approbantur à Pontifice, ut si ex pacto antecedente obligetur is, qui accepturus est Beneficium, ad dandam cautionem laicam de Pensione solvenda, vel ad dandam aliquam anticipatam solutionem: Hec enim, & similia sunt pacta probibita, & ad minus indicant simoniam contra jus humanum, nisi Papa illa approbet, & existimo, non posse approbari ab alio; hæc Suar. nu. cit.* 24. quæ optimè probant nostram datam responsionem, & ex quibus infertur Pacta inita ante resignationem, nec Summo Pontifici fideliter, & integrè in Pensione, & Petitione exposita, simoniaca esse, & pœnis juris subiecta, secus verò, si ex aliquo intervallo, & post constitutam pensionem inita, ex sententia communi, & expressè ex *Parisio l. c.* ubi ad hanc rem proponit ipse sequentem casum.

247 *Casus est, an si N. qui habebat Beneficium ex resignatione Titii, cum reservatione Pensionis annuæ in favorem dicti Titii, resignans obliget ex intervallo bona sua ad solvendum Pensionem, vel dat fidejussores, vel securitatem banchariam, committat Simoniam? Communis opinio est negativa, & ita fuit resolutum in una Prænestin. Pensionum, &c. idque justificatur, tum quia obligatio fit ex intervallo, ex quo satis excluditur Simonia juxta ea, quæ scribit Bellam. &c. tum etiam quia hujusmodi obligatio fit ad faciliorem solutionem Pensionis impositæ in Casu resignationis, unde excluditur omnis Simoniæ coniectura, & præsumptio, namque ubi alia interpretatio capi potest tunc excluditur delictum l. merito §. pro Soc. & semper capienda est interpretatio, ut delictum excludatur, &c.* Hucusque *Parisius*, quem secutus est *Palao num. 14. cit.* idem omnino cum eodem concludens, ut supra *Versu, Verum*, si post constitutam Pensionem, qui tamen *nu. seq. 15.* cum eodem *Flaminio qu. 7. nu. p. Less. sup. nu. 94. Suar.*

& aliis,

& aliis, tenet resignantem Beneficium, & petentem à resignatario solutionem expensarum, quas in ejus acquisitione fecit, Simoniam committere: quod colligitur *ex C. super hoc, de renunc.* & *C. cum pridem, de pactis*. Et ratio est, quia sic petit onus, quod de jure non inest resignationi, resignatio enim secum non affert dictas expensas, quæ factæ fuere ante resignationem in acquisitione Beneficii. Ergo Beneficium dari nequit cum tali onere, &c. quod advertit etiam *Diana res. cit. coordin.* 29. *in fine*.

248 Claudo tamen Privilegium cum *Suar. de Relig. to. p. lib.* 4. *cap.* 49. *à nu.* 5. & *Pal. disp.* 3. *cit. punct.* 5. *n.* 1. Advertendo cum ipsis, per legem Ecclesiæ, & Canonicam, certò prohiberi posse nedum onerosam, sed etiam gratuitam largitionem, & receptionem ratione spiritualis Beneficii, aut Ministerii, seu intuitu illius factam (ob reverentiam videlicet rerum spiritualium, & ne videantur commutari, & donis temporalibus obtineri) qua prohibitione posita, donatio ipsa erit contra Religionem, atque adeò Simoniam, etiamsi dans quantum in se est, revera non intendat, nisi ex liberalitate, vel gratitudine donare. Quamvis enim gratuita donatio; ut sic, non sit onerosus contractus, nec permutatio unius rei pro alia, tamen quando res non donatur, nisi alia aliqua recipiatur, ita, ut ex modo, & occasione donationis constet, aut saltem verisimiliter appareat talem donationem non fieri sine respectu, & ordine ad aliam, licet tunc fortè re ipsa, & coram Deo hujusmodi donatio sit gratuita, nihilominus apud homines habet quamdam umbram, & suspicionem permutationis, propter quam meritò lex Ecclesiastica potest ob reverentiam rerum sacrarum, & ad vitandum Simoniæ periculum, illam dationem ut Simoniacam, contra Religionem, atque rei sacræ iniuriosam prohibere: ita *Suar. cit. n.* 5. & *in n.* 6. *seq.* sic concludens, et optimè: *Licet ergo illa actio non sit vera venditio, potest esse vera Simonia, quia satis est, quod sit apparens venditio, seu præsumpta; aut suspecta venditio, rei spiritualis, & quod eo titulo sit lege prohibita*.

249 Videndum tamen est (addit *Pal. n, p. cit.*) an Ecclesia hanc prohibitionem fecerit, & illius trasgressionem Simoniæ pœnis subiecerit? Circa, quod, & si sufficientet quidem affirmativam partem suadeant *jura diversa*, videlicet *cap.* 1. *De simon.* quod prohibet donari aliquid pro ordinatione ab eo, qui ordinatur. *Concil. Tridet. sess.* 21. *cap. p. de Reformat.* ubi gratuitam pariter donationem prohibet per hæc verba: *Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis Avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro Litteris dimissoriis, aut Testimonialibus nec pro Sigillo, nec alia quacumque causa etiam sponte oblatum, Episcopi, & alii Ordinum Collatores, aut eorum Ministri quovis prætextu accipiant*: Idem *Concilium Tridentinum sess.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.* Ubi *prohibentur Examinatores Synodales occasione Examinis in Beneficiis facti, quidquam ante, vel post recipere, alioquin simoniæ vitium dicuntur incurrisse, tam ipsi Examinatores Synodales, quam dantes; à qua simonia absolui nequeunt (scilicet dantes) nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocumque antea obtinebant, & ad alia imposterum inhabiles reddantur*. Et si inquam hujusmodi *jura* (omissis aliis, quæ adduci possent, relatis à *Suar.* & *Pal. supra*) satis superque prohibere videantur gratuitam, & spontaneam donationem, siquidem (ut constat) sunt pet verba ita absoluta, ut idem *Suar. cap. cit.* 49. *n.* 7. *in fine* concludat, *Verisimile esse etiam spontaneas oblationes, seu donationes ex vi juris esse probibitas, ut simoniacas, & eisdem pœnis juris subiectas, juxta Cap. Placuit, ut de* 22. *p. qu.* 1. Quia nihilominus, & ipsemet *Suar.* non affirmat absolutè per *legem Canonicam, & à jure, ipso*, prohibitam esse uti Simoniacam gratuitam donationem, dum tantum asserit, hoc *verisimile esse*; & etiam *Pal. punc. cit.* iisdem, & aliis recitatis *juribus*: ipsis non obstantibus, & *re bene inspecta* non invenire [*ait n.* 6.] donationem *aliquam gratuitam esse probibitam intuitu Religionis, & tamquam Simoniacam, tàm ex parte recipientis, quàm conferentis*. Idcirco dico ego absolutè, nemini hodie in dubium amplius verti posse, an Ecclesia gratuitam prædictam donationem prohibuerit, & Simoniæ pœnis subiecerit: Eamdem enim prohibuit expresè *Sanctissimus Dominus Noster Innocentius Vndecimus* dum sequentem damnavit Propositionem (quæ est X L V. inter damnatas à Sanctitate sua) *Dare Temporale pro spirituali non est simonia, quando Temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam, quando Temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra*. Et hujusmodi prohibitio stricta est sub Præcepto, & Excommunicatione lata, Summo Pontifici pro tempore existenti reservata. Unde hodie recitata opinio doctissimi *P. Palai*, & aliorum ante, & post ipsum, Classicorum Doctorum asserentium non esse pro-

se prohibitam tamquam Simoniacam via alicujus legis Ecclesiasticæ, gratuitam largitionem rei temporalis pro spirituali, est omnino falsa. Imo à certitudine tenendum est, ipsam hodie omni probabilitate carere, & ab omni disputatione tàm publica, quàm privata, nisi eandem impugnando exulandam esse. Qua de re, Vide *Petrum de Murga tom. 2. Operum Canonico-Moralium qu. 4. 5. & 6.*

PRIVILEGIUM XXIII.

Quædam Abbatissa, quæ Virum intra Clausuram absque necessitate, sed bona fide, ac ignoranter admisit, per DD. excusatur à peccato, & Censuris, atque à pœna privationis Officii liberatur.

250 MUlier valdè ignorans est, atq; adeò illius ignorantiæ magis deferre oportet. Hinc *Portel. To. p. Respon. Moralium par. p. Casu 27. n. 2.* optimè ait, *Fœminam, & Rusticum habere quasi privilegium Ignorantiæ*. Refert igitur *Portel. Casu cit. 27.* Quod in quodam Monialium Conventu fuit antiqua consuetudo, ut in Sabbato Sancto Oeconomus, seu Procurator Conventus, Clausuram ingrederetur pro facienda quadam distributione inter Moniales, quæ, attento Bullarum Summorum Pontificum rigore, & aliarum Monialium consuetudine, existimata non fuit causa necessaria, neque sufficiens ad ingressum Clausuræ. Id fecit bona fide Abbatissa, & propter consuetudinem. Accusata tamen fuit, quod in excommunicationem inciderit, ac officii privationem. Et quæsitum, an fuerit privanda Officio? Cui quæsito, & casui respondet *Portel.* Si fecit bona fide, & cum ignorantia hæc Abbatissa, non credens se peccasse, nec ullam pœnam incurrere, nec esse, vel fuisse privandam Officio, eo quia Bullarum Papalium non incurrerit pœnas. Ratio est inquit (quam & ego toties trado, cum communi DD.) quia quando lex imponit pœnam illis, qui secus facere præsumunt, in tali casu, ille, qui violat legem cum ignorantia, non putans quod peccet, non incurrit pœnam legis illius, ut est communis opinio, maximè *Navarri lib. 5. Consilior. Tit. de sent. Excomm. Consil. 54. n. 4. Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 32. nu. 38.* ubi alios citat. At constat, quod *Bullæ Pii V. & Gregor. XIII.* quæ puniunt Abbatissas Excommunicatione, & privatione Officiorum, ponunt hæc verba: *Si secus facere præsumpserint:* Igitur cum hæc Abbatissa ignoranter fecerit, seu bona fide, ut dicitur, nec proinde præsumpserit, sequitur prædictas pœnas evasisse. Nam præsumptio supponit scientiam, & malitiam per citatos DD. & communiter.

251 Confirmat *Portel.* exemplo sibi fideliter narrato, quod accidit Conimbricæ in quodam Conventu Virorum: in quo quidam Prælatus non idiota, sed bene doctus, instituit quandam Processionem insolitam per claustrum, ut possent certæ fœminæ ornatum Claustri videre: accusatus de transgressione dictarum Bullarum, dixit se non incurrisse, quia prædictam Processionem instituerat bona fide, credens sibi licere, neque putans se per dictam Processionem Bullas violasse. Consulti sunt meliores tunc Doctores Juris Canonici professores, qui dixerunt non incurrisse, si bona fide illum fecisse constaret, sicut constitit per juramentum eidem Prælato exhibitum. Hoc autem à fortiori servandum est cum Abbatissa, quæ cum Mulier sit, magis ignorans est, atque adeo magis etiam illius ignorantiæ deferendum: Sicuti in alio casu tenet *Riccius par. 4. Suarum Decisionum Collect. 1082.* ubi ait, quod licet juxta leges communes, is qui semel aliquem acceptavit in Judicem, non possit illum amplius recusare, dicit tamen ab hac lege excipi Fœminam, & Rusticum, qui possunt illum postea recusare: *Habent enim quasi privilegium ignorantiæ.* Hæc *Portel.* quem vide *loco citato*. At de hac particulari, Prælati, processionem instituentis, ut Mulieres ingredi possint Monasterium respectu illius, iterum *Privil. 25. seq.*

PRIVILEGIUM XXIV.

Lex invincibiliter ignorata à toto populo, vel à majori parte, nesciente promulgationem ejus, ignorataque tempore ad præscriptionem sufficienti, cessat tandem obligare.

252 LOquitur privilegium tum de lege Imperatoria, aut quorumlibet aliorum Civilium Principum, tum de lege Pontificia, & Ecclesiastica, & expressè admittitur, & sustinetur *à Navar. To. p. Consilior. lib. p. Tit. De Constitutionib. consil. p. n. 27. Azor. to. 1. lib. 5. cap. 4. qu. p. Reginal. in praxi to. p. lib. 13. nu. 164. qu. 5. Salas de Legib. disp. 13. sec. 2. n. 11. Filliuc. to. 2. tract. 21. cap. 11. qu. 11. Versu Dico secundò n. 429. à Cocbier de Jurisdict. Ordinarii in*

vis in Exemptos par. 1. *qu.* 50. *n.* 14. *Bonac. de Legib. disp.* 1. *qu. p. punc.* 4. *n.* 28. *Merolla to.* 2. *disp.* 4. *de legib. dub.* 19. *difficult.* 6. *in fine*, & ab aliis. Probatur autem. Tum quia ratio ob quam lex non servata desinit obligare, non est scientia, & voluntas quasi formalis, non observandi legem, sed est consuetudo ipsa populi, & quasi præscriptio quædam: Tum quia justior est causa transgredientium legem ignoranter, quam scienter: cum isti sint minus digni gratia, & indulgentia: ergo si isti enervant legem, etiam illi. Tum quia, ideo lex non recepta non ligat, quia non est firmata usu, ut patet *ex l. de quibus ff. de legib.* sed sive violetur scienter, sive ignoranter, non est firmata usu: Ergo. Tum etiam quia (ut optimè etiam *Reginal. l. c.* & alii) Jura, ex quibus habetur legem enervari per illius non receptionem à subditis, seu non usum, generaliter loquuntur nulla facta distinctione de non receptione, seu non usu scienter, vel ignoranter; & ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus.

253 Quoniam verò secundum aliquos ad Imperatoriæ legis valorem, & aliorum Civilium Principum tantum, desideratur assensus populi, & subditorum; non verò ad Pontificiæ legis valorem, eo quia populus ipse transtulit potestatem suam in Principem, & ideo Princeps non obligat sibi populum, nisi ex tacito ipsius populi consensu. At Romanus Pontifex, potestatem suam proximè, & immediatè accepit à Christo Domino, & proinde suis legibus Christianum populum adstringit absque ullo ipsius populi tacito consensu, sed sola Christi Domini auctoritate accepta (ut patet ex verbis ejus *Matth.* 16. *Tibi dabo Claues Regni Cœlorum*: *Quodcumque ligaueris super terram, &c.* & *Ioann.* 22. *Pasce oues meas, &c.* Quæ sunt dicta *Petro* sine ulla conditione, aut relatione ad populum, vel Ecclesiam, & per *Petrum* successoribus ejus, quibus eadem data potestas.) Cæterique Ecclesiarum Præsules, suis statutis subditos sibi commissos alligant Romani Pontificis auctoritate: Videtur sequi ex hac differentia, Privilegium nostrum esse limitatum, restrictumque solum ad leges Legislatorum Civilium, nec extendi ad Pontificias, Ecclesiasticas, atque Canonicas leges, quia istæ non dependent (sicut illæ) à receptione, & usu subditorum, & populi, atque adeo ipsas, ablata ignorantia, manere in eo statu, in quo essent si tunc primo editæ fuissent. Hoc tamen non obstante, nego sequelam. Et nego etiam (cum *Henrico Zoesio in lib. p. Decretal. Tit.* 2. *de Constitutionib. n.* 46. *Ludouico Engel in lib. p. Decretalium Titul. eodem. §.* 4. *nu.* 68. *Vers. Verum ratio*, & aliis) ad legis civilis valorem desiderari assensum populi. Magis enim rationi consentaneum est, quod populus in omnibus justis præceptis, & legibus, obedientiam Legislatori præstet, tàm in foro interno, quàm externo, nec in populi potestate sit legem acceptare, vel reiicere: quia non videtur ad vim legis necessarium, ut usu recipiatur: Nam populus non habet auctoritatem condendi leges, quando est Principi subiectus, in quem suam, quam habebat, transtulerit potestatem: Unde quando Princeps ad populum legem aliquam fert, cum sibi eo ipso abstringit, & obligat, & proinde peccat populus ea lege non utens. Et Princeps promulgata semel lege, justè potest populum adstringere ad legis observantiam, & jure etiam, ac justè eos punire qui legem perfringunt. Igitur populus lege non utens delinquit; alioquin ex utraque parte, tum populi videlicet, tum Principis, justum bellum esset, quod fieri nequit. Si enim Princeps legem jure constituit, promulgat, & compellit ad ejusdem legis observantiam, punitque delinquentes, sequitur ut populus jus non habeat faciendi contra legem. Sed

254 Dices in *Cap. In istis dist.* 4. (*Gratianus* ait) *Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium comprobantur* Item in *l. de quibus* 32. *ff. de Legibus*, ait *IC. Nulla alia ex causa nos tenent ipsæ leges, quam quod judicio populi acceptæ sunt*. Ergò, &c. Respondeo, hæc non obstare: Nam in primis quoad illum textum in dicto §. *Leges*, qui est *Gratiani*, hujus anthoritas non est decisiva, ut inquiunt etiam D.D. præcipuè *Engel nu. cit.* 28. *Versu Non obstans*. Addens ibi, Explicari posse de confirmatione legum *extrinseca*, & accidentali; non *intrinseca*, & substantiali, quatenus videlicet, leges moribus utentium receptæ, suam perfectionem, & vigorem consecutæ sunt; non verò quod ante hanc receptationem (& usum) vim propriam obligandi ex se non haberint. Alter vero textus *in l. de quibus* 32. *ff. de lege*: procedit de illa antiquo tempore [inquit idem *Engel Versu cit.*] quando potestas leges ferendi, & magna pars Imperii fuit pœnes populum Romanum: postea verò, quando populus *lege Regia* potestatem suam in Principem transtulit juxta *l. p.*

ta *l. p. ff. de Constit.* nulla fuit relicta authoritas populo legem ferendi, aut approbandi. Maximè in causis Ecclesiasticis, & spiritualibus, in quibus dicta *lex* 32. ullum locum habet; quia in istis (ut supra dictum est) potestas ferendi legem data est immediatè à Christo ipsi Petro, ac Apostolis, eorumque successoribus, & nunquam fuit penes populum. Ex quo ortum habet præfata differentia inter leges, à Principe, & Legislatore civili promulgatas, & Pontificias, Ecclesiasticasque, ac spirituales leges. Quæ tamen differentia nil facit ad rem nostram, seu privilegium nostrum: dato enim (& etiam concesso) legem usu præscripto non receptam vi sua carere, quamvis sit auctoritate Legislatoris constituta, & legitimè promulgata, ut vult communis Canonici, & Civilis Juris interpretum opinio, apud *Azor. l. c.* & testantur *Abbas, & Felinus cap.* 1. *p. de Tregua, & pace*, nihilominus (ut habet etiam idem *Azor. l. c. Versu Ad obiectiones*) id non asserunt ex eo quod populus habeat jus tollendi leges à Principe sancitas, sed quia leges cum instituuntur, & promulgantur, ea conditione conduntur, ut omnes teneant, si usu recipiuntur; sin minus, neminem ligent. Et hæc communis opinio (ait *Azor. l. c. Versu Nihilominus communis, in fine*) locum habet sive lex recepta non sit ab iis, qui sciunt eam esse latam, & promulgatam, sive ab iis, qui id ignorant, ut in proposito privilegio, ut probant D.D. citati in principio, & alii.

PRIVILEGIUM XXV.

Fœmina virorum Religiosorum Monasterium ingrediens absque prætextu privilegiorum, ex curiositate illud videndi, si absint scandalum, violentia, & iniuria Monasterio illata, excusatur à peccato mortali, & ab incursione Censuræ Papæ reservatæ, dummodo hujusmodi ingressus sit cum bona fide, & ignorantia.

255 DE facto quædam fœmina, absque prætextu privilegiorum, ingressa fuit quoddam Monasterium Virorum Religiosorum ex curiositate illud videndi, absque tamen malo fine, sed, bona fide, & ignoranter. Factum refert *Antonius à Spiritu Sancto Consult.* 69. à quo etiam quæsitum fuit, an dicta peccaverit mortaliter, & incurrerit aliquam Censuram, idest, *Excommunicationem*, quam, *Ex motu proprio Pii V.* (qui incipit, *Decet Romanum Pontificem*, quem edidit anno 1570. *die* 16. *Julii. Pontificatus Anno V.* & ad verbum refert *Confectius in Privilegiis Ordinum Mendicantium inter literas Apostolicas fol. mihi* 179. & de quo *Sanch. Operis Moral. to.* 2. *libro* 6. *cap.* 16. *n.* 79. *Suar. de Relig. to.* 4. *lib. p. cap.* 7. *n.* 9. *prope finem, Verbo Nihilominus. Vulpe in Praxi fori Ecclesiastici cap.* 4. *Bonac. de Clauf. qu.* 5. *n* 1. *Pal. Oper. Moral. par.* 3. *Tit. de Voto Religiosæ Obedientiæ disp.* 4. *punct.* 8. *n.* 10. *Gibalinus de Clausu. Religiosor. Disquis.* 2. *cap.* 3. *§.* 2. *n.* 5. *in fine. Del Bene de Immun. Eccles. par.* 3. *cap.* 19. *dub.* 76. *n.* 10. aliique innumeri) quam inquam excommunicationem [ipso facto] contrahunt utiq;, Mulieres (etiam sine prætextu facultatum) ingredientes Monasteria Religiosorum Virorum (uti & ipsi Religiosi illas admittentes) & ita, ut amplius nequeat dubitari hunc ingressum sub excommunicationis Censura, omnibus fœminis fuisse prohibitum, ut fatentur *Suar. l. c. Gibali. l. c.* & alii, & ut constat ex allato motu *Pii V. Decet Romanum Pontificem*, in quo explicans alium suum priorem motum, seu *Constitutionem Apostolicam*, quæ incipit *Regularium personarum, editam sub die* 24. *Octobris anno* 1566. *Pontificatus Anno I.*: sic ait: *Apostolica Auctoritate tenore præsentium dicimus, & declaramus fuisse, & esse mentem, & intentionem nostram, quod dictæ litteræ non solum comprehenderent, & comprehendant Mulieres habentes, & prætendentes, facultatem, & indulta ingrediendi Monasteria, sed etiam omnes, & quascumque Mulieres alias, tam in genere, quam in specie*: Ejusdem tenoris extat Declaratio Sacræ Congregationis apud *Quarantam Verbo Monasteria, & Conventus, post initium, §. Nos Alexander*. Dicta tamen ultima verba: *Omnes, & quascumque Mulieres tam in genere, quam in specie*, non sunt positæ (ut præter alios affirmat etiam *Bonac. punct.* 2. *cit. sub n.* 5. *Versu Respondeo illa*) ad includendas Imperatrices, & Reginas, ac ipsarum filias, quæ speciali nota dignæ sunt; sed ad comprehendendas omnes, & quascumque alias fœminas, tam prætendentes se facultatem habere ingrediendi Monasteria Virorum Religiosorum, quam non prætendentes. His igitur omnibus prohibitus fuit præfatus ingressus sub lethali, & excommunicationis censura. A quibus tamen, si quæ fuerint bona fide transgressæ (ut illa, de qua loquitur *Antonius à Spiritu Sancto*) absque scandalo, &c. & per ignorantiam, ab utroque excusari dicit Privilegium nostrum, quod

256 Pro-

256 Probatur, Nam vel ignorantia Mulieris ingredientis, est inculpabilis, & invincibilis, ingressusque ipse in Monasterium absque scandalo, violentia, &c. & sic verum utique (apud omnes) privilegium quoad utramque excusationem, à peccato videlicet, & à censura (hinc optimè *Sorbo in Compendio Privilegior. Medicant. Verbo ingredi Monasteria Fratrum, vel Monialium in Annotat. Motus Gregor. XIII. fol. mihi* 362. *n.* 3. sic: *Advertendum nullas mulieres hanc excommunicationem incurrere, nisi postquam hujus prohibitionis notitiam habuerint: si enim ignorarent, non incurrerent: Cum nullus majorem excommunicationem incurrat, nisi contumax fuerit & mortaliter peccaverit.* Et *Navarr. Comment.* 4. *De Regularib. nu.* 62. *Versu Quinto Nota:* Ubi pariter ait: *Credendum esse Mulieres non incidisse in has pœnas, quæ ignorantes hanc prohibitionem sunt illam transgressæ: Quia Ignorantia Juris humani excusat à peccato saltem mortaliter &c.* Et idem docet *Vulpe cap. cit.* 4. *n.* 9. Vel ignorantia Mulieris Monasterium ingredientis, non est inculpabilis, sed culpabilis, & crassa, hujus prohibitionis, & hæc pariter excusat saltem (si non à peccato) à censura ipsa (ut in privilegio) nisi adeò crassa sit ignorantia ut reputetur temeritas ingens. Et hæc secunda privilegii pars, probatur auctoritate simul, & ratione, ut sequitur. Nam *Sanch. cap. cit.* 16. *nu.* 82. *Nec in has pœnas motus proprii incurrent ingredientes ex ignorantia quantumcumque culpabili, & crassa hujus decreti imponentis has pœnas, nisi adeò crassa sit, ut reputetur temeritas ingens. Ducor ex verbis ejus Motus proprii, ibi; Ne ipsarum licentiarum prætextu, Monasteria hujusmodi quovis modo ingredi audeant. At verbum [audere] temeritatem petit, adeò ut sola ignorantia tam crassa, ut possit dici ingens temeritas, sufficiat, ut dicatur audacia ad pœnas audentibus statutas contrahendas, ut probavi lib.* 9. *de Matrimon. disp.* 32. *n.* 37. *juncto nu.* 36. & 39. *Bonac. qu. cit.* 5. *Puncto* 3. *Proposit. p. in fine. Fœminæ ingredientes &c. à præfata excommunicatione excusantur non solum ob bonam fidem, verum etiam ob ignorantiam vincibilem, crassam, supinam, & affectatam; quia ad incurrendam istam excommunicationem requiritur audacia, secus si adsit scientia, vel ingens temeritas, quæ scientiæ comparatur, & sæpe conjuncta est cum ignorantia affectata, ut docui de Censuris in communi, & alibi. Gibalin. l. c.* §. 4. *n.* 24. *Vers. Nam cum. Cum præsumptionem requirat Pontifex, excusabit non modo, incogitantia, & ignorantia probabilis, sed etiam culpabilis, & crassa, modo non sit ingens temeritas. Palao nu.* 10. *cit. Explicari debent pœnæ statutæ in dicta Constitutione Pii V. tam adversus Mulieres Monasteria Virorum ingredientes extra Casus permissos, quam adversus eas introducentes, & admittentes, & qualiter incurrantur. Ad eas incurrandas præsumptione opus est, quod satis indicat verbum Audeat, quo utitur Pontifex in ferenda pœna excommunicationis (sibimet reservata) & verbum Præsumant, appositum in ferenda privationis officiorum, & suspensionis à divinis, pœna. Unde quælibet ignorantia etiam crassa, modo affectata non sit, ab iis incurrendis excusat, ut sanè probavi Tract.* 2. *disp.* 1. *punct.* 18. *& tradit in præsenti Sanch. lib.* 6. *summ. c.* 16. *nu.* 96. & 97. & *c.* 17. *nu.* 36. *P. Delbene nu.* 10. *cit. Mulieres ingredientes Monasteria Virorum sine prætextu facultatum, contrahunt excommunicationem ex vi talis declarationis Pii V. excusantur tamen ab illa contrahenda, non solum si ingrediantur bona fide, sed etiam si ingrediantur culpabiliter cum ignorantia crassa, & supina, quin & forsan etiam affectata; quia ad istam excommunicationem contrahendam, ex dictis Motibus, requiritur præsumptio, & audacia, & sic scientia legis, atque adeò saltem virtualis contemptus legis.* Idem ferè habet *Dubitat.* 78. *n.* 31. *Dubitat.* 79. *n.* 2. *Bassæus Verbo Clausura n.* 15. ubi sic: *Fœminæ ingredientes Monasteria Virorum, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, quamvis aliquando excusari possint non solum ob bonam fidem, verum etiam ob ignorantiam vincibilem, crassam, supinam, & affectatam, quia ad incurrendam hanc excommunicationem, requiritur audacia, scientia, vel ingens temeritas, quæ scientiæ comparetur, ut docent Bonacina, &c.* Et in confirmationem omnium hucusque recitatorum, vide quæ dico in hujusce *cap.* 4. *Privil.* 10. ubi, Quod *Ignorantia etiam crassa, & supina, excusant à Censura lata sub his verbis (si quis præsumpserit; Vel si quis ausus fuerit; Vel ausu temerario fecerit.)* Ex quibus.

257 Infertur primo, Optimè DD. (quos refert *Antonius à Spiritu Sancto Consulto cit.* 69. *nu.* 2.) asserere fœminas intrantes Religiosorum Clausuram (etiam absque prætextu licentiarum) sed temerè, & cum præsumptione, etiam si ingressus fuerit ex curiositate, absque intentione mali finis, peccare mortaliter, & incurrere excommunicationem Summo Pontifici reservatam: Doctores sunt *Sanch. Gibalin., Comitol., Pellizzar., Palaus, Henriq., Tamburin., Andreas Mendo in Statera Opinionum Dissert.* 13. *qu.* 13. *nu.* 170. aliique plures; Addentes

tamen

tamen (ut videre est apud ipsos) hujusmodi fœminas intrantes Clausuram Religiosorum sine prætextu privilegiorum, excusari ab hac censura, si bona fides, vel ignorantia, etiam vincibilis, crassa, & supina eas comitetur: nam cum in dictis Motibus petatur præsumptio in intrante Clausuram, qualibet ex prædictis ignorantiis excusat ab incursu Censuræ. Ita cum aliis *Mendo l. c. nu.* 173. (relatus à *Spiritu Sancto*) & ego. Addi etiam possunt *Salmanticenses* liberantes pariter à Censura ingredientes Monasteria Monialium, nescientes tamen id prohibitum sub Censura, quod docent *To. 2. sui Cursus Theologiæ Moralis tract.* 10. *c.* 1. *punc.* 15. *nu.* 193. *pag. mihi* 335. *& tom.* 4. *tr.* 18. *de Privilegiis c.* 3. *punc.* 6. *§.* 2. in quo per totum quæritur. *An ignorantia excuset à reservatione incurrenda?* & resolutio est affirmativa (etiam loquendo de reservatione medicinali) quæ confirmare videtur nostram doctrinam traditam *in anteced. hujus Cap. Privil.* 13. esse videlicet probabile: *Ignorantiam invincibilem Censuræ, quæ annexa est casui Episcopali, etiam impedire reservationem*.

258 Infertur secundo, item optimè *P. Pasqualigum q. Moral. Juridica* 270. *n.* 5. asserere, ac sustinere, pœnas *Constit. Pii V.* contra ingredientes, & admittentes Mulieres intra Clausuram Monasterii Virorum Religiosorum, locum habere quo ad omnes Mulieres. Non autem solum quo ad eas quæ prætextu licentiarum, Clausuram Monasteriorum ingrediuntur, aut earundem prætextu introducuntur, ut videntur sentire *Sayrus de Censuris l.* 3. *c.* 31. *nu.* 11. (ubi etiam *Cosmus Philiarcus l.* 3. *de Offic. Sacerdotum c.* 30. *casu* 31.) *Rodriq. to.* 1. *q.q. Regul. q.* 48. *ar.* 2. (retractans in fine quod dixerat in *Explic. Bullæ Pii V.*) *Portel. in dubiis Regul. Verbo Clausura Monachorum n.* 1. (dicens utramque opinionem esse probabilem) sed quod negativa (quam absolutè tenet *Pasqualig.*), est securior *Suar. de Cens. disp.* 22. *sec.* 6. *n.* 11. Verum quod dicit hoc loco *Suar.* retractat *to.* 4. *de Relig. l. p. c.* 7. *n.* 9. *in fine:* sub his verbis *Motum proprium Pii V. ad Verbum refert Confectius in Privilegiis Ordinum Mendicantium inter literas Apostolicas fol.* 179. *Quapropter nullus iam superest dubitandi locus, pœnas priarum Constitutionum per hanc ultimam ad omnes fœminas, Virorum Monasteria ingredientes, & ad Religiosos illas ingredi permittentes, fuisse extensas.*) *Layman l.* 4. *tr.* 5. *c.* 12. *nu.* 4. (ubi eadem repetit quæ dicunt *Rodriq. & Suar.*) *Delbene dubit. cit.* 76. *n.* 5. ubi pariter approbare videtur quæ docent iidem *Rodriq. & Suar.* licet *n.* 10. & ipse asserat, quod probabilior est opposita (& nostra sententia) concedens pœnas extendi ad omnes Mulieres. (*Antonius à Spiritu Sancto Consulto cit.* 69. *n.* 7.) ubi & si affirmet sententiam asserentem Mulieres intrantes Clausuram Virorum sine prætextu privilegiorum, si excludatur circumstantia pravi finis, scandali, violentiæ, vel injuriæ Monasterio illatæ, nec peccare mortaliter, nec incurrere excommunicationem Papæ reservatam, non carere sua probabilitate; dicit tamen, quod contraria (hodie communis) *semper est consulenda*. Et idem docet in *Directorio Regularium p.* 2. *tr.* 3. *disp.* 6. *sec.* 5. *§.* 4. *Vers. Dico* 2. *à n.* 646. Ubi sic: *Licet satis probabile sit Mulieres ingredientes absque prætextu licentiarum non incurrere prædictas pœnas motus Pii V. nec eas introducentes. Probabilius tamen est comprehendere omnes Mulieres, etiam licentias non prætendentes, ita namq; Pius V. declaravit suam mentem: ita communiter Doctores apud Delbene supra n.* 10. *Ipsæ autem Mulieres excusantur ab excommunicatione, si bona fide, vel ignorantia, etiam crassa, & supina, quin & forsitan affectata ingrediantur, quia in Motu Pii V. ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur, & audacia, & sic scientia legis, atque saltem virtualis contemptus. Ita Bonac., Delbene, &c.* Probant ex professo dictum *Motum Pii V.* habere locum quo ad omnes Mulieres, etiam licentias non prætendentes *P. Pasqualig. qu. cit.* 170. *& Donatus Rerum Regular. tom.* 1. *par.* 2. *tit. de Violata Clausura Monasterii q.* 3. probant autem auctoritate Doctorum, ratione. Stylo, & Praxi Sacræ Pœnitentiariæ, Observantia ipsa, quæ declarant Constitutionem, &c. Videantur. Hujus rei, ac privilegii occasione.

259 Quæres primo, An mulieres Religiosorum Virorum Clausuram ingredientes, in casu quo noscant, quod nullus Religiosus ibi existat, graviter peccent, & contrahant excommunicationem? Et ratio quæsiti est, quia in tali casu cessat prohibitionis ratio, & finis cum nullus Religiosus ibi illarum ingressum perturbari queat, vel incitari ad peccandum, quia tunc temporis nullus adest, ergo cessat etiam prohibitio, *Cap. Cum cessante, de appellatione*. Resp. graviter peccare, & excommunicationem contrahere. Quia adhuc verè faciunt contra legem, & prohibitionem ipsismet factam, ne intrent Clausuram Virorum Religiosorum. Per accidens autem est, quod finis dictæ prohibitionis

tionis tunc temporis cessfet (nimirum, quod ex hujusmodi ingressu, nulla subsit occasio delinquendi) nam lex respicit id quod est per se, non autem quod est per accidens, & de raro contingit *l. nam ad eam, ff. de Reg. Juris*. Nec dicas, quod cessante causa, & fine prohibitionis, cessat prohibitio ipsa: *Cap. Cum cessante*, ut supra, quia id procedit, quando causa cessat per se: secus si ex aliquo accidenti: ut si Religiosi omnes egrediantur è Monasterio ratione alicujus Solemnis Processionis, vel alterius negotii gravis. Ita etiam *Bonac. qu. cit. 5. punc. 2. num. 7. Delbene cap. cit. 19. dubio 73. nu. 5. Donatus l. c. qu. 17.* & alii. Quamvis *Antonius à Spiritu Sancto in Direct. l. c. nu.* 682. dicat, probabile esse Mulieres ingredientes Virorum Monasteria, in casu quo nullus Religiosus ibi existat, excusari à peccato, nec incurrere excommunicationis pœnam, cum cesset in hoc casu per accidens finis legis prohibentis, & cessante fine legis in aliquo casu per accidens, probabile est cessare legem. Pro confirmatione autem hujus sententiæ, posset allegari doctrina *P. Dianæ to. 6. Coord. tract. 1. res. 70. & 71. Ex par. 1. tract. 10. res. 28. & ex par. 5. tract. 14. & Miscell. 2. res.* 96. quod videlicet quando cessat finis adæquatus, & totalis legis in aliquo casu particulari, cesset obligatio legis, & lex ipsa, sicque excusari etiam Mulieres in proposito casu ingredientes, tum à peccato, tum ab excommunicatione: quod, *fortè non esse omnino improbabiliter dictum*, affirmat *Pellizzar. in Man. Regul. to. 1. tract. 5. cap. 6. sec. 2. qu. 22. nu.* 64. quærens obiter *nu. seq.* 65. An eo ipso quod Regulares desinant habitare in aliquo Monasterio, cesset obligatio Clausuræ. Et consequenter loquendo: Respondet, si desinant habitare in perpetuum, animo illud non amplius inhabitandi: secus verò si solum ad tempus, exempli gratia tempore pestis, aut belli. Ratio est, quia in priori casu cessat omnino (ut constat) finis Clausuræ, cessante autem fine legis, cessat lex: in posteriori vero casu non cessat finis legis, nisi per accidens, sicque procedit præcedens tradita doctrina. Contra quam tamen sentire videtur absolutè: *Peyrin. in Commentariis Regulæ Minimorum cap. 5. §. 23. quæst. Unica, n. 8. pag.* 483. ibi enim sic. *Quæres an Mulieres intrantes Monasteria Fratrum, quando omnes Fratres sunt ad Processiones v. g. ita ut nullus omnino in Conventu reperiatur., incurrant pœnas contra intrantes Monasteria Virorum? Resp. Quod sicut quando fabricatur Monasterium, seu etiam ipso fabricato, antequam in ipso habitent Religiosi, possunt Mulieres ea intrare ad videndum ex sola curiositate; & sicut si deseratur Monasterium à Fratribus, possunt Mulieres illud intrare, imo in eo habitare, ut videmus in multis; ita potest dici quod si malitia absit, tempore, quo Fratres, à Conventu absunt, possint Mulieres ex sola curiositate illum intrare; est enim tunc desertus Conventus pro illo tempore; quæ derelictio, licet temporalis, non differt à perpetua, nam magis, & minus non variant speciem. Deinde prohibitio intrandi dicta Monasteria non est facta pro Monasteriis, ut sic, sed solum quia in iis habitant Religiosi, ergo si in iis desint pro aliquo tempore Religiosi habitare, pro eo tempore dicta prohibitio cessat, nam prohibitum ad tempus, videtur esse perpetuum post tempus l. Si unus §. 1. ff. de pactis, l. Epistola §. Fin. ff. eodem l. Pater filium §. fundum ff. de legib. 3. Titaqu. de retract. Convent. §. 1. glos. 2. n. 46. Barbos. in Axiom. Jur. Axiom.* 191. *n.* 6.

260 Quæres secundo, An prohitio ingrediendi Clausuram Religiosorum afficiat omnes fœminas cujuscumque ætatis, etiam puellas, quamvis nondum habuerint usum rationis; & etiam Mulieres fatuas? Respondeo prohibitionem non afficere Puellas carentes usu rationis, tum quia hæ non sunt doli capaces, ob carentiam usus rationis, perinde nequeunt peccare mortaliter, quod est fundamentum excommunicationis: tum etiam quia *Motus Pii V.* loquitur de Mulieribus, qui cum sit pœnalis, non extenditur ad non expressa: Puellæ autem non appellantur Mulieres, nisi quando Matrimonio sunt aptæ, quod regulariter contingit post decimum earundem ætatis annum: nisi malitia suppleat. Unde *Pium V.* nomine Mulierum, in dicto motu prohibitivo intelligere solum fœminas ætatis aptæ ad usum rationis, sentiunt communiter DD. *Navar. in Commentario 4. de Regularib. n. 59. Sorbo Capucinus in Comp. Privileg. Mendicant. Verbo Ingredi Monasteria in Annotat. Motus Pii V. & Gregor. XIII. Versu 2. Advertendum. Joann. Crux de statu Religioso lib. p. cap. 5. Conclus. 2. n. 2. in fine. Bonac. punct. cit. 2. nu. 2. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 17. n. 3. Lezana to. 1. cap. 10. nu. 10. Delbene cap. cit. 19. dub. 73. nu. 2. Antonius à Spiritu S. in Direct. Regular. p. 2. tract. 3. disp. 6. sec. 5. §. 4. n. 656. Donatus tract: cit: 4. qu. 7.* quod *nu:* 2. ampliat ad Moniales, respectu Puerorum intrantium Clausuram ipsarum (quia utrobique est eadem ratio) cum *Rodriq. to. 1. qq. Regul. q. 46. art.* 1. ubi. *An omnes prohibeantur ingredi in*

Monasteria Monialium? Respôdet, limitandum esse ne procedat in infantibus; adhuc discretione carentibus, *argumento, aliquorum Jurium* (quod, & nos docuimus supra *Privilegio* 17. *hujus capitis.*) *Quia hujusmodi infantes non peccant ingredientes, cum neque ad peccandum incitare possint, atque adeo nec ullam incurrunt censuram. Quare Moniales eos admittentes, cum neminem ingredi prohibitum admittant, non peccant. Ingredi autem prohibentur omnes cujuscumque fuerint ætatis, habentes scilicet usum rationis, & discretionem, quæ ad peccatum incitare possunt.* Et cum *Sanch. cap. cit.* 17. *n.* 4. quibus adde *Navarr. nu.* 59. *cit.* & *Sorbum cit. Vers.* 2. *Advertendum.*

261 Afficit tamen, atque comprehendit quascumque fœminas, cujuscumque ætatis aptæ ad rationis usum, etiam mente captas, & fatuas mulieres puberes (quæ est secunda pars quæsiti) etiam si istæ, defectu usus rationis excusentur à peccato, & à censuris. Licet enim istæ fatuæ defectu rationis nequeant peccare mortaliter, attamen aptæ sunt excitare ad peccandum, loqui scurilia, quietem perturbare, & hujus generis similia. Quapropter & si ingredientes ex defectu rationis à peccato sint immunes, non sic admittentes. *Rodriq. art.* 1. *cit. Navarr. nu. cit. Sanch. nu.* 4. *cit. Bonac. n.* 2. *cit. Delbene n.* 2. *cit. Pellizzar. sec. cit.* 2. *qu.* 9. *n.* 37. *in fin. Donatus tract. cit.* 4. *qu.* 8. Addens hoc idem intelligi debere, etiam respectu Masculorum, si ingrediantur septa Monialium; hinc introducentes, & permittentes ingredi fœminas puberes fatuas septa Virorum, vel hujus generis Masculos Clausuram Monialium peccare mortaliter, & incurrere in pœnas præscriptas (nisi utrumque excuset ignorantia) quod & alii docuere ante ipsum, præsertim *Sanch. n.* 4. *cit.* ubi expressè sic: *Dicendum est idem prorsus de ingressu puerorum, & puellarum in Monasteria Monialium, ac de puellis, ac fœminis hic* (in Monasteria Virorum:) *Quia eadem videtur ratio. Nec obstat Pium V. nomine Mulierum usum esse, quia vevera illo nomine, fœminas quascumque comprehendere voluit ætatis aptæ ad rationis usum, etiam fatuas puberes, quæ ad peccandum incitare possunt.*

262 Adverte tamen hic, cum *Suar. de Relig. to.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 5. *Palao par.* 3. *Tit. de Voto Religiosæ Obedient. dis.* 4. *punct.* 10. *§.* 1. *n.* 3. quos etiam refert, & sequitur *Gibalinus de Clausura disq.* 1. *cap.* 4. *§.* 2. *Consectario* 5. *Vers. Dicendum igitur:* hanc esse differentiam inter infantes pueros, puellasve nondum rationis usum habentes, & adultos fatuos, stolidosque vel adultas item amentes, ac perpetuò stolidas: quod nondum rationis usum babentes, ulla lege per se obligantur; quia per se incapaces sunt legis, ac præcepti: At amentes adulti, vel adultæ, per se loquendo, capaces sunt legis, & præcepti, quod autem in tali ætate per se sufficiente ad usum rationis habeant impedimentum ejus, per accidens est; unde per se re vera obligantur, licet per accidens ab observatione propter impotentiam excusentur: aliud enim est non obligari, aliud excusari, ut alibi sæpius dictum est, & commune suppositum est apud Doctores in materia de legibus. Cadit igitur lex, & præceptum Ecclesiasticum etiam in amentem, fatuum, ac stolidum, ab ejus tamen violatione excusat illum mentis impotentia. Ideoque si talis persona admittatur, vel introducatur in Monasterium, licet ipsa non peccet, peccant aliæ admittentes, vel introducentes: quia ille ingressus, est contra legem, & præceptum, qui & si non sit liber amenti homini, aliis est liber, & ideò non excusantur, licet ille excusetur, quia actioni contra legem, & præceptum liberè cooperantur. Res exemplo fit clarior, si homo dormiens, vel ebrius introducatur intra septa Monialium: vel item fœmina dormiens, vel ebria in Clausuram Virorum, nec talis homo, aut talis fœmina peccabit, ob solam carentiam culpæ, & per solam excusationem, & non quia non sit materia præcepti; quæ tamen excusatio in aliis introducentibus, vel admittentibus locum non habet. Sic etiam, qui facit ut alius comedat carnes, & cibos vetitos die prohibito, aut se inebriet, re vera peccat, quamvis qui ita comedit, aut se inebriat propter ignorantiam, aut oblivionem, aliamve ejusmodi causam excusetur: quia est voluntaria causa actus materialiter mali, & prohibiti. Quod maximè verum est, quando actus prohibitus habet eadem omnino incommoda (ut in casu nostro) quando est tantum materialiter malus; quia sit inculpabiliter à primaria ejus causa, atque quando fit culpabiliter, & est etiam formaliter malus, ita *Suar.*, *l. c.* & ex ipso *Gibalinus vers. cit.* Addens hoc idem fortasse insinuare voluisse *Nav.* quando dixit *Finem legis prohibentis ingressum istum adultis, manere in amentibus, quamvis ipsi non peccent ingrediendo.* Et sanè, *Si Moniales inducerent ebrium, & dormientem* (inquit *Gibalin.*) *peccarent, non alia de causa, quam quia præceptum prohibens ingressum obligat ebrios, &* dormien-

rmientes, *quamvis in eo statu ab ea obli- tione excusentur*.

263 Si autem quæras, quando præsumi ossit puellas ad usum rationis pervenisse, a ut non possint amplius admitti intra lausuram Religiosorum? *Sorbus versu su- ra cit.* 2. *Advertendum*. *Rodriq.*, & alii, icunt, non præsumi, nisi post sex ætatis nnos, ita ut sint majores sex annis. *Cor- duba in summa qu.* 60. post septem annos. *Llamas in Methodo*, *in Appendice* §. 8. post octavum annum. Verum, cum usus ra- tionis interdum contingat ante septennium, & interdum post, nec in hoc dari possit certa regula, sentio cum *Pellizz. qu. cit.* 9. *n.* 38. & Doctoribus ab eo citatis *Rodriq. Navar.*, *Zerola*, *Henriq.*, *Sanch.*, pruden- tis viri judicio standum esse, ut statuat, an puella polleat usu rationis, & ligetur prohibitione non intrandi Religiosorum Monasteria, nec posse consequenter amplius in eo admitti. In dubio autem an puellæ usum rationis habeant, nec ne, *Sanch. lib. p. de Matrimon. disp.* 16. *n.* 10. & 11. & *in Decal. lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 7. sic distingendum esse ait: *Si septennes sint*, *comprehenduntur hac prohibitione*, *secus si nondum septennes*. *Ducor*, *quod cum usus rationis communiter se- ptennio completo accedat*, *is in dubio ante eam ætatem non præsumitur*, *secus post*: loquitur *Sanch.* hic de Pueris, quo ad eorum in- gressum in Monasteria Monialium; nume- ro vero antecedenti *Sexto* idem asserere vi- detur de Puellis, quo ad earum ingressum in Monasteria Virorum Religiosorum.

264 Quæres tertiò, An Mulierum in- gressus in Clausuram Virorum Religioso- rum, ut excommunicationem contrahat, debeat esse perfectus ingressus? Respondeo affirmativè. Hinc Mulieres ingredientes Monasteria Virorum, & loca in quibus servatur Clausura, ut ob id peccent mor- taliter, & excommunicationem contra- hant, nedum (ex dictis) scire debent pro- hibitionem, & hujusmodi pœnam, teme- reque, & cum præsumptione ingredi: ve- rum etiam requiritur ut earumdem ingres- sus sit perfectus: Mulier enim, quæ in- gressum incepit per unum, vel alterum passum intra Clausuram, non dicitur per- fectè ingressa, si statim retrocedat sine mo- ra, & festinanter: Excommunicatio nam- que est pœna gravissima, supponens pec- catum mortale, verisimile autem non est, Summum Pontificem velle Mulierem ita ingredientem peccare mortaliter, & incur- rere tam gravissimam pœnam pro tam levi transgressione, sic enim pœna non com- mensuraretur culpæ. Ita etiam expressè *Bordon. res.* 76. *n.* 19. & 67. ubi (loquens de Clausura Monialium, quæ perpetua est, magisque arcta, & rigorosa, ut constat, quam Virorum Religiosorum per omnes, & ex facto ipso) ait: quod *modica egressio excusat à pœnis*, *propter rationes adductas sub cit. n.* 19. in quo de Clausura Virorum vio- lata. Et ita etiam *Graffius de Casib. Reser. lib. p. Tit. de Violatione Clausuræ Monialium cap.* 6. *n.* 45. dum ibi sic: *Non incurrunt in Censuram*, *qui Clausuram transgrediuntur ad modicum: puta ad duos pedes*, *vel paulò plus*, & *postea retrogrediuntur*, *quia modicum regu- lariter*, *excusat à mortali*. *Cap. Unum* §. *Cri- minis d.* 25. &c. Idemque habet *par. p. De- cisionum Aurear. lib.* 4. *cap.* 23. *nu.* 15. Et huic sententię videntur favere ii qui con- cedunt dari parvitatem materiæ in ingres- su, vel egressu Clausuræ Monialium, & etiam in ingressu fœminarum intra Clau- suram Religiosorum: sunt autem. *Sanch. in Decal. to.* 2. *lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 69. Ubi: *Exigitur ad incurrendas has pœnas egressum non esse ita levem*, *ut solam venialem culpam con- stituat*. *Quod ex se manifestum est*, *cum nec excommunicatio pro sola veniali culpa ferri possit*, & *aliæ tam graves pœnæ injustæ essent*, *utpote quæ gravitati delicti valde dispares*, *si pro sola veniali culpa incurrerentur*. *Quando autem sit ve- nialis culpa ratione parvitatis materiæ*, *dice- mus Cap. sequent.* &c. *Pellizzar. de Monialib. cap.* 5. *sec.* 2. *q.* 35. *n.* 72. *in fine*: ibi. *Hic videtur intervenire parvitas materiæ excusans à peccato mortali*: *Diana to.* 5. *Coord. tract. p. resol.* 83. *num.* 5. *Ex par.* 11. *tract.* 8. & *Miscell.* 8. *res.* 25. *Delbene cap. cit.* 19. *dub.* 53. *n.* 3. Idem *Sanch. lib. cit.* 6. *cap.* 16. *n.* 70. dum ibi etiam sic asserit: *Infertur tran- sgredientes Clausuram modico ingressu*, *excusa- ri à culpa lethali*, & *à Censuris in transgresso- res latis*, *quia modicum ab his excusare solet*; *sic Graff. pr. par. Decis. lib.* 4. *c.* 23. *nu.* 15. *Quod quidem verissimum est*. *Atque eadem ra- tione idem dicendum de modico Sanctimonialis egressu ex Clausura*; *hoc autem modicum exi- stimat Graffius*, *quando duos solos pedes esset extra portæ Clausuram*; *atque idem diceret de ingressu*. *P. Diana To.* 7. *Coord. tract. pr. res.* 339. *Ex par.* 5. *tr.* 5. *res.* 22. in qua inquirens: *An in ingressu*, *vel egressu Clausuræ Monialium detur parvitas materiæ: Et idem sit de fœmi- nis ingredientibus Clausuram Religiosorum?* re- solvit vt sequitur: *Respondeo affirmativè*, & *ita docet Naldus in Summa Verbo Clausura*, *n.* 1. *ubi sic ait*. *Non omnis habitatio Regularium constituit Clausuram*, *aut Monasterium*, *ut patet in Infirmariis*, *aut in locis*, *in quibus*

Q 2 *Hospitii*

Hoſpitii, vel negotiorum cauſa degunt aliquot Regulares, vel etiam in Monaſteriis adhuc in fieri exiſtentibus, & propterea nec ibi erit violatio Clauſuræ. In minimo autem violata Clauſura excuſatur à mortali, puta ingreſſus ad duos pedes, & ſtatim egrediens, non violaret illam. Verum

265 Hoc in totum non admittunt alii, affirmantes, quod quando utroque pede, toto corpore ingreſſus eſt, etiam ſi ad unum, vel duos tantum palmos januam introjerit, Clauſuram perfectè violavit, cum ſit completa tranſgreſſionis ratio; ſecus ſi uno tantum pede ſit ingreſſus. Et idem dicunt de egreſſu, quando ſcilicet duos ſolos pedes eſſet intra portam Clauſuræ ingreſsus, vel ex ea egreſsus, quia hic perfectus eſt ingreſsus, vel egreſsus conſummatus, ſufficiens ad culpam lethalem, & Cenſuras incurrendas. Clauſura enim certis terminis definitur, hos autem tam excedit qui longè à Monaſterio recedit, quam qui ad duos pedes tantum egreditur, ita videntur ſentire *Sanch. n. cit. 70. in fin. Comitol. lib. 6. Reſp. Moral. cap. 3. Bonac. de Clauſ. q. 1. punct. 4. n. 2. Portel. Verbo Clauſura Monial. n. 24. Diana to. 7. Coord. tr. 1. reſ. 338. & 339. Ex par. 3. tract. 2. reſ. 52. & Ex par. 5. tr. 5. reſ. 22. Delbene de Immunit. par. 2. cap. 29. dub. 53. nu. 6.* aliique. At inſurgit *Bordon. nu. cit.* 69. aitque, quod licet ſuos limites determinatos habeat Clauſura, non tamen valeat inferre egreſſionem contiguam limitibus factam (idem eſt de ingreſſu intra Clauſuram) cum ſubita reverſione intra Clauſuram, non poſſe dici modicam, & conſequenter excuſare à pœnis, quia modicitas egreſſionis (& ingreſsus) non tam deſumitur à receſſu ab illis terminis, quam à breviſſimo itinere, & ſpatio temporis interpoſito, cum egreſſionis (& ingreſsus) Motus ſucceſſivus ſecundum Philoſophos menſurandus ſit per ſpatium, & tempus, quæ duo ſicut ſunt breviſſima in hoc caſu, ita & egreſſionem (& ingreſſum) ſpecificant in genere modicitatis. Præterea tempore modico durans, dicitur non fuiſſe, *Cap. Nam, & ego 3. de Verb. ſignif. ibi Gloſ. fin.* alia adducens jura: Ergo ita egrediens (vel ingrediens) non reputatur egrediens, vel ingrediens. Tandem egreſſio Monialis à Monaſterio æquiparatur fugæ, ſed illa non cenſetur fuga, cui fugiens, unum, vel alterum gradum adiecit, *l. quis ſit fugitivus 17. ff. de edil. edic.* Et qui in fuga eſt, videtur eſſe in loco, à quo receſſit, *l. Hujuſmodi 86. ſ. Legatum eſt, ff. de legat. p. l. Serv. 80. ff. de legat. 3.* Ergo Monialis ſic egrediens quaſi in fuga, violatione Clauſuræ non peccat mortaliter, neque proinde incurrit pœnas, &c. ita *Bordon. n. cit.* 69. A cujus & ſupra relatorum Doctorum ſententia non videtur diſsentire *Merolla to. pr. diſp. pr. cap. 2. difficul. 7. n. 502. fol. mihi* 81. dum ibi ſic: *Ego probabiliorem exiſtimo ſententiam Graffii, & Naldi, dici modicum, quando per duos ſolos pedes, quis eſſet intra portæ Clauſuram, quia licet ille ſit verus, ac perfectus ingreſſus, tamen eſt in parva materia. Sicut quamvis furtum unius argenti ſit verum, ac perfectum furtum, non tamen ſufficiens eſt ad peccatum mortale, & incurrendas Cenſuras latas contra furantes. Hoc tamen limitarem, ut intelligatur, quando, cum eo modico ingreſſu, conjungeretur parvitas moræ intra Monaſterium, ſecus verò ſi mora eſſet diuturna, ſeu notabilis. Et hoc quod diximus de violantibus Clauſuram Monialium modico ingreſſu, dicendum eſt de fœminis ingredientibus Clauſuram Religioſorum, quando ingreſſus eſt modicus modo explicato, & de Monialibus violantibus Clauſuram modico egreſſu; quia militat eadem ratio.* Vide *Dianam reſ. cit. 339. in fine, & to. 5. Coord. tr. pr. reſ. 83. à nu. 5. Ex par. 11. tr. 8. & Miſcell. 8. reſ. 25.*

266 Quæres quarto, Quid intelligatur nomine Monaſterii, in quod fœminis ingreſſus interdicitur? Reſpondeo, Ea intelligi, quæ intra ſepta ſunt Monaſterii, ita DD. communiter. Quia ea propriè ſunt Monaſterium, vel partes illius. Et nomine quoq; Monaſteriorum, intelligunt Pontifices propria tantum, & vera Monaſteria: *Navarr. Comm. 4. de Regularib. n. 62. Verſ. In qua. Sanch. in Opere Morali to. 2. lib. 6. cap. 17. num. 12. Bonac. de Clauſura qu. 5. punct. p. nu. p. Lezana to. p. cap. 10. n. 11. Gibalin. de Clauſura Diſquiſ. 2. cap. 5. ſ. 2. n. 7.* aliique plures, unanimiter inferentes, & communiter, Prædia, Domos Ruſticas, Hortos Monaſteriorum, & alia loca à Monaſterio ſeparata non ſubiici Clauſuræ, atque adeo fas eſſe fœminis ingredi, quia dicta non veniunt nomine Monaſterii, nec intra Monaſterii ambitum continentur. Secus verò Horti, vel Viridaria, quæ in ipſis Monaſteriis eſse ſolent, quamvis habeant Januam, per quam, abſque Clauſtrorum ingreſsu, in illa intrari poſſit. Quia iſta revera ſunt partes Monaſterii, & communiter ſic habetur in praxi: *Sanch. cap. cit. 17. n. 15. Lezzana n. 11. cit. Bonac. punct. cit. p. n. 6.* & communiter DD. Sacriſtiæ ad quas non patet aditus niſi per Clauſtrum Monaſterii ſubiiciuntur

Clauſuræ,

Clausuræ, consequenter licitum non est fœminis illas ingredi, ut communiter fatentur DD. apud, & cum *Bonac. punct. cit. n.* 4. Secus verò si non sit aditus ad eas per Claustra Monasterii, sed per Ecclesiam: idem *Bonac. nu. cit.* (Asserens *n.* 3. & optimè, neq; Chorum Ecclesiæ Religiosorum esse obnoxium Clausuræ, quia est pars Ecclesiæ, nec intra septa Monasterii continetur. Et hoc verum esse etiam si Religiosi soleant ibi se induere, & præparare ad celebrandum, cum militet eadem ratio.) *Leza. nu.* 11. *cit.* & communis, adeò ut, *Donatus to. p. tract.* 4. *tit. de Violata Clauf. Monaster. qu.* 12. *n. p.* fateatur: *Hoc esse sine controversia, cum Sacristia, Ecclesiæ conjuncta, non sit interior Officina Conventus, sed Ecclesiæ.* Excipe tamen ab hac communi affirmativa, Carthusianorum Sacristias, & Ecclesias, isti enim ex peculiari Constitutione sui Ordinis, neque intra suas Ecclesias admittunt fœminas, ideoq; solent etiam habere Januam Ecclesiæ intra muros Monasterii; quam exceptionem recenset inter alios *Pellizzar. in Man. Regular. to.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *sec.* 2. *qu.* 3. *nu.* 27. In Monasteriis nondum fabricatis, sed tantum fabricari inceptis, in quibus non est communitas Religiosorum, sed tantum aliquis, vel aliqui eorum pro fabrica, non est interdictus fœminarum ingressus, quia illa re vera non sunt Monasteria nisi in fieri, consequenter nondum Clausuræ subiecta, *Sorbus in Compend. Privilegior. Mendicant. Verbo Ingredi Monasteria Fratrum, vel Monialium, in Annotat. Bull. Gregor. XIII fol.* 365. *Vers. Et advertendum*, ubi refert, quod *Sacra Congregatio, Anno Domini* 1684. teste *Eminentiss. Cardinali Alexandrino Cribello*, declaravit ut sequitur, videlicet: *In Monasteriis, seu Locis, quæ sunt in fieri, vel in quæ dum fabricantur, adbuc Conventus ad ibi morandum non fuerit introductus, sed solum ibi aliqui habitaverint Fratres, pro fabricæ potius servitio, quam aliter, Clausuram nullam esse talem, ut si Mulieres intrarent, pœnas propterea in supra dicto Motu proprio contentas incurrant. Idemque debere dici, ait, de Domibus, seu Infirmariis in Civitate positis, cum nec Ecclesiam, nec Conventum habeant.* Secus *de Prioratibus* (addit *Sanch. cap. cit.* 17. *n.* 21. *ex Llamas in Summa Ecclesiastica, in Appendice, quam ponit in fine §.* 12. *Versu Circa quam primo advertimus* : & cum ipsis *Leza. n.* 11. *c. in fine*) *quos habent aliquæ Religiones Monachales, quia tales Monasteria sunt, & Clausuram habent.* Hanc eandem *Declarationem* habes etiam apud *Quarantam in Bullario, Verbo Monasteria, & Conventus Regularium Virorum fol. mihi* 405. *Vers. Adde Navarro, in fine.* De qua pariter *Sanch. cap. c.* 17. *n.* 19. *Leza. n.* 11. *c. in fine. Donatus l. c. qu.* 18. Qui antecedenti *qu.* 15. Inquirens, an Atrium Collegii Scholarum Societatis Jesu, & consimilium comprehendantur sub Clausura? Respondet negativè: quia tale Atrium non fuit à Prælatis designatum pro Clausura: & præterea quia Clausura incipit à Porta, in qua sedes est Janitoris, ad Clausuram servandam, quod non potest dici de Atriis Scholarium, tam Societatis Jesu, quam aliarum Religionum, atque adeò possunt Mulieres in talia loca intrare absque metu *Bullæ*. Neque obstat, quod habeant Portas, quibus claudantur, quia hæ Portæ patent omnibus quotidie, ut constat, nec positæ fuere pro Clausura, sed pro custodia bonorum, ut etiam Portę Ecclesiarum. Verum quidem est (ut advertit etiam *Sanch. to.* 2. *Summæ lib.* 6. *cap.* 17. *n.* 18. & cum ipso idem *Donatus qu. cit.* 15. *in fine.*) in praxi nunquam Mulieres ingredi, vel ingressas fuisse Atrium Scholarum Societatis Jesu, nec aliorum Regularium, quia licet rigorosè loquendo non sit Clausura, destinatum tamen est pro ornamento Clausuræ, unde propter Decentiam, non licet ibi Mulieres introire, ubi tantum homines, & Regulares practicare solent. Et ita notat *Pellizzar. in Man. to. p. tract.* 5. *cap.* 6. *sec.* 2. *qu.* 8. *Versu Resp. quod. nu.* 36. cum aliis Viris Doctis. Ubi etiam addit, sibi constare in aliquibus Collegiis Provinciales declarasse Atrium Scholarum Societatis comprehendi sub Clausura, adeoque nullo modo permittendum fœminas in illud ingredi, cum antea solerent ingredi ad invisendas Congregationes ibi positas, quod maximè dedecebat.

267 Quæres quinto cum *Donato l. c. qu.* 14. Utrum Mulieres Bajulantes onera, etiam ex consuetudine loci, possint introire Virorum Monasteria, cum licentia tamen Superioris Monasterii. Affirmativè apud eundem *Donatum in princip. quæst.* respondet *Remigius Scrofa Dominicanus in suis Moral. q.* 5. *in Addit. n.* 4. dummodo accedat dicta Superioris licentia, nec reperiatur alius Bajulus, qui possit onera illa introducere. Probat, quia sicut Episcopus, vel Religionis Superior respectivè, dant licentiam Viris, ut ingrediantur Monialium Monasterium, ad illuc deferendum onera, &c. juxta dispositionem *Trident. sess.* 25. *de Regularib. cap.* 5. ubi: *Ingredi autem*

autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia. Ita à pari, fœmina, de licentia Superioris Monasterii poterit intra septa Virorum portare onera. Quod confirmat ex eo quia ubi est eadem ratio, & idemmet jus servandum est. Addit, quod Clausura Monialium est magis stricta, atque periculis magis obnoxia. Ergo. De hac responsione tamen, & opinione satis dubitat *Donatus qu. cit. in fin.* & meritò, tum quia non potest esse talis, & tanta necessitas personæ Mulieris: tum quia ante Clausuræ portam potest onus ipsum deponi, & à Religiosis, ubi opus fuerit, intra Clausuram deferri, & ita etiam decentiæ ratio, & modestiæ suadet. Ita *Donatus* cum quo, & Ego concurro, & ita in negativam partem cum ipso potius inclino.

268 Quæres sexto, Quænam sit causa sufficiens ad permittendum Mulieribus ingressum in Monasteria Virorum. Respon. cum *Palao par. 3. Operis Moralis disp. 4. punct. 8. n. 8.* quem etiam refert, & sequitur *Gibal. de Clausura Disquisit. 2. cap. 5. §. 3. in princip* Geminam esse causam, necessitatem scilicet, & pietatem, seu Religionem. Necessitas eadem est, ac ea quæ permittit etiam Viris ingressum in Monasteria, & Conventus Monialium. Si enim ex hac eadem causa possunt Viri in Monialium Conventum ingredi, à fortiori poterunt fœminæ Virorum Monasteria intrare, qui non tenentur Clausuræ adeò strictè. Ratione hujus causæ, necessitatis nimirum, Doctores communiter concedunt fœminis, seu permittunt eisdem ingredi Religiosorum Monasteria, si extinguendum foret magnum incendium, neque Viri adessent, vel ad convehendam aquam, aliasque operas ad ignis extinctionum necessarias sufficerent: Item, si quis Religiosus, vel plures ægrotarent ita, aut haberent brachia, aut crura confracta, aut ossa dissoluta, vel alio gravi morbo laborarent, & nullus præter Mulierem eo in loco inveniretur qui præstaret Medelam, vel auxilium; tunc posset mulier decenter comitata ingredi Monasterium, neque enim in tam gravi necessitatis casu humana lex Clausuræ accipienda, atque censenda est violari. Defensio namque vitæ, & salutis propriæ, est de Jure naturæ, nec necessitas habet legem. Ita latè *Man. Rodriq. in Expositione Constitutionis Pii V.* quam hoc loco versamus: *& to. p. qq. Regular. q. 46. art. 7. ad finem*: (quem refert etiam, & sequitur *Sanch. Operis Moral. to. 1. libr. 6. cap. 17. n. 30.* Ubi extendit casum, si ex decreto Medicorum Religiosus æger lactandus esset à fœmina, ita ut alio lacte curari non possit, tunc enim fœminæ ingressum licere opinatur, cui adhæret *Bonac. to. pr. de Clausura q. 4. punc. 4. n. 4.*) *Sorbus in Privilegiis Mendicantium Verbo Ingredi Monasteria Fratrum, vel Monialium in Motu Pii V. & Gregorii XIII. nu. 62. Vers. Et sic etiam per idem. Bonac. n. 4. cit. Palaus n. cit. 8. Gibal. §. cit. Leza. in Summa to. p. cap. 10. n. 10. in fin. Pellizzar. in Man. to. p. tr. 5. c. 6. sec. 2. q. 17. nu. 55.* & aliis omissis, etiam *Donatus tract. 4. cit. q. 13.* ubi non reputat casum impossibilem, ut si Religiosus pro extrema sui morbi curatione indigeret lacte Mulieris, &c. nec posset Religiosus extrahi à septis Monasterii, nec ad illam venire. Existimat quidem casum Metaphysicum *Sanch. nu. 30 cit.* & moraliter impossibilem, ad quam videntur hanc Doctrinam extendere *Sorbus, & Manuel.* Cum in Conventu videlicet sunt plures infirmi, neque adsunt Religiosi, qui possint, nec Viri Seculares, qui velint eos mederi, posse honestas fœminas ingredi. Et valdè etiam dubitat idem *Donatus q. cit. n. 3.* de ampliatione quam facit apud ipsum *Rodriq. art. 7. cit. in fin.* ad casum Moralis indigentiæ, ut si in aliquo Conventu essent septem, vel octo Fratres, quorum aliqui absint, alii tempore æstatis colligant Eleemosynas, vel annuos redditus, alii sint senes, & ibidem aliqui infirmentur, & nullus sit infirmarius qui eis valeat ministrare: quem pariter casum, vocat & ipse (cum *Sanch. nu. 30. cit.*) Methaphysicum casum. In solo ergo Physico, reali, atque verè gravi necessitatis casu, in quo, & Viris ingredi licet Monasteria Monialium, permittitur, & honestis Mulieribus Claustra Religiosorum Virorum, dummodo tamen semper fiat cum expressa licentia Domini Episcopi, vel Superioris Regularis respectivè (ut supra) vel saltem de licentia tacita eorundem, & rationabiliter præsumpta, quando scilicet tempus non adesset accedendi ad eam expressè obtinendam, ut in casu repentino Magni incendii, vel alio, &c. Et hoc ideo est, tum quia vitæ propriæ defensio est de Jure naturæ. Tum quia necessitas non habet legem. Tum quia sicuti Monialis justa de causa à Superiore approbanda potest à Claustro exire, ita à pari poterit, & Mulier ingredi septa Virorum, ex rationabili causa à Superiore ad quem spectat approbanda. Tum quia

Motus

Motus Summorum Pontificum prohibentes, loquuntur de præsumentibus, in casu autem, vel casibus de quibus hic, nulla est præsumptio, quæ malitiam includat, & dolum, sed pura, vera, & realis necessitas, uti etiam præsupponitur, & non aliter. Tum tandem quia leges humanæ non censentur obligare cum tanto periculo vitæ, juxta illud *Matthæi c.* 11. 30. *Jugum meum suave est, & onus meum leve: Sorbus l. c.* & alii.

269 Altera causa permittendi fœminis ingressum in Monasteria Virorum, est Pietas, seu Religio, ut ad audiendas Missas; v. g. Divina Officia, Sacras Conciones, &c. quando in Claustro, aut in ejus Capellis habentur, & celebrantur; cessat enim prohibitio eo in loco, & eo tempore, cum supradicta celebrantur, uti declaravit *Pius V.* in quodam *Vivę vocis Oraculo*, 28. *Januarii* 1568. in gratiam Fratrum Minorum (cui sine dubio communicant alii Ordines) ut referunt *Quaranta Verbo Monasteria, & Conventus Regularium, in princip. fol. mihi* 404. & 405. *Versu, Nos Alexander. Confectius in Collect. Privilegiorum Mendicantium in Bulla Pii V. Decet Romanum Pontificem §.* 6. *fol. mihi* 179. (ubi habet esse etiam *Privilegium, concessum Congregationi Montis Virginis*: ibi enim sic: *Nos intuitu, & in favorem Congregationis Montis Virginis, &c.* quod pariter advertit *Lezana cap. cit.* 10. *nu.* 12. addens, & bene, hoc privilegium per communicationem, commune esse aliis Religionibus) *Sorbus l. cit. n.* 7. *Man. in Exposit. Constitut. Pii V. de qua hic n.* 15. & *to. p. q.q. Regular. qu.* 48. *art.* 3. (ubi, & pluribus aliis testibus idem privilegium confirmat) *Sanch. Cap. cit.* 17. *n.* 22. *Portel. to. pr. Respons. par.* 3. *nu. pr. Bonac. punct.* 4. *cit. nu.* 6. *Palao l. c. nu.* 9. *Diana to.* 7. *Coord. trac. p. res.* 244. *Ex par.* 7. *trac.* 12. & *Miscell.* 3. *res.* 6. *alias* 4. *Pellizz. sect.* 2. *cit. qu.* 13. *n.* 45. *Donatus tract. cit. qu.* 19. & alii communiter, præsertim *Gibalin. §. cit.* 3. *n.* 9. cui si opponas dictam *Pii V. Declaratoriam*, factam fuisse *Vivæ vocis Oraculo*, ad instantiam *Cardinalis Alexandri Cribelli*, ut videre est apud *Confectium, Sorbum, Portell. l. c.*, & alios, *Oracula autem vivæ vocis*, per *Gregor. XIII.* fuisse sublata, cujus Constitutionem *Urbanus VIII.* extendit etiam ad ejusmodi *Oracula*, etiam manu Cardinalium subscripta; respondet oppositionem hujusmodi non obstare: Quia cum hæc concessio jam à pluribus Seculis inducta fuerit in usum, jam ipso usu, & consuetudine vim suam obtinuit, & non solum ex Pontificia concessione. *Qui usus, & Praxis, universalis est omnium Religiosorum* (concludit *Donatus q. cit.* 29. *in fine.*) & *præcipuè Civitatis Romanæ, cui nullum adversari cognovi*. Deinde (addit idem *Gibalinus in fine cit. nu.* 9.) nec etiam iterum obstat dicta oppositio, quia non fuit solum *Vivæ vocis Oraculum* hoc privilegium, constat enim ex *Rodriq.* fuisse simpliciter concessum, aut confirmatum. Cui addito non contradicet *Leza.* quia & si ipsemet etiam fateatur *n.* 12. *cit. Vivæ vocis Oracula omnia bis temporibus esse abrogata*: Expedit se ab oppositione, affirmando dictam concessionem *Pii V. in Constitut. cit. Decet Romanum Pontificem*, esse verum Privilegium concessum Congregationi Montis Virginis, quod per participationem postea commune est aliis Religionib. nec à *Leza.* quoad hoc privilegium Montis Virginis communicabile, &c. dissentit *Pellizzar. n.* 45. *cit. in fine*. Quibus habitis, ac positis, colligunt citati Doctores ex iisdem, quæ sequuntur.

270 Primo, Fœminas posse Missam audire in Claustro, seu in Claustri Capella, dum in illa celebratur, etiam si illa celebratio fiat ob alicujus honoratæ personæ privatam devotionem, ut inter alios observat cum *Manuele, Sanch. cap. cit.* 17. *n.* 26. ubi expressè ait: *Licet ingredi fœminas Claustrum ad audiendum sacrum, quod intra illius Sacellum fit ob alicujus personę potentis devotionem, sic Manuel. in eodem Motu proprio Pii V. n.* 16. *fin. Et idem ob eandem rationem dicendum est, quando id fit ob aliam causam*. Quod clarum esse videtur, quia simpliciter concedit *Pius* fœminis audire Missam in Claustris, sub his verbis, (quæ videri possunt apud *Confect., Quarant., Portel., Pellizzar. l. c.* & apud alios): *Significantes nihilominus, quod propter hoc, & prædictas nostras literas non intelleximus, nec intelligimus, quod Mulieribus præcluderetur, nec præcludatur aditus ad Monasteria, & loca Regularia, & eorum Claustra, quando in eis Missæ, & alia Divina Officia celebrantur, ac dum Processiones fiunt: & quando Christi fidelium Cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt: sed liberè perpetuò concedimus eisdem omnibus Mulieribus facultatem, ut ad illa loca, in quibus dicta pia Opera exercentur, cum aliis Catholicis personis accedere liberè, & licitè possint, & valeant. Similiter quod, quando divinum verbum in Claustris Monasteriorum, & Regularium locorum proponitur: vel per aliam quamcunque causam tantus concursus populi fuerit: quod commodè ingredi non possint, & egredi per portam Ecclesiæ, perpetuo concedimus*,

dimus, ut dictæ Mulieres una cum aliis Secularibus personis, possint ingredi per portam Claustri Monasteriorum, & locorum Regularium, dummodo recto tramite accedant ad portam qua exitur ex Monasterio. Ex quibus verbis

271 Patet primò, fœminas ex indulto Pontificio posse audire Missam in Claustro, dum in illo celebratur: Quacumq; igitur occasione celebretur, id licebit, ut concludit etiam *Gibalin. §. 3. cit. n. 10. in fine*

272 Secundò, Ex eadem concessione *Piana* ex Doctoribus citatis, & ex communi omnium, fœminas licitè ingredi Monasteria Religiosorum, ut adsint Horis Canonicis. Officio B. Virginis, aut Defunctorum, Benedictioni Solemni Candelarum, aut Olivarum, Adorationi Crucis, dum inibi ex Ecclesiæ more ista fiunt: sicut etiam si ibi Solemniter canatur Epistola, aut Evangelium, aut fiat Lotio pedum, & mandatum in die Jovis Sancti, licet enim hæc omnia non exprimantur in allegata Declaratione *Pii V.* fundantur tamen in eadem, cum in ipsa (supra) sic habeatur: *Quando in eis* (idest in Claustris Monasterii) *Missæ, & alia Divina Officia celebrantur:* cum teste (inter alios) *Bonac. to. pr. tit. de Censur. in communi, de excommunicat. disp. 2. qu. 2. punct. 3. §. 2. propos. p.* nomine *Divinorum Officiorum* veniant recitata, & aliæ similes ceremoniæ, quæ solemniter fiunt ex Institutione Christi, vel Ecclesiæ, vel quæ sunt propriæ alicujus Ordinis, etiam Clericalis citat etiam *Suar. Alt. & Filliu.* quibus adde *Gibalin. §. 3. cit. n. 11. in fine:* Ubi & ipse sic: *Quia hæc omnia nomine Divinorum significantur Officiorum, quorum tempore licitus est hic ingressus feminis. Si tamen aliqui Religiosi privatim ibi Horas recitarent, aut Missam facerent, revera non esset locus huic licentiæ.*

273 Tertiò, Huic eidem licentiæ locum esse, dum fit Solemnis professio in Claustro: Vel etiam (secundum *Sanch. cap. 17. n. 28.* & alios plures) quando quis admittitur ibi ad Habitum Religiosum suscipiendum, malè repugnante (quo ad solum Habitum) *Bonac. de Clauf. q. 5. punct. 4. n. 10.* Quia utrobique (ait etiam *Gibalin. §. cit. nu. 13.* aliique) sunt solemnes, & statutæ cæremoniæ cum Orationibus Sacris, ergo. Item dum Concio habetur, Cadaver sepelitur, & funus fit, atque anniversaria, sive suffragia pro Mortuis, hęc enim omnia distinctè *in Constitutione Pii* (supra) exprimuntur. Item dum instituitur Processio, sive in ea feratur Sanctissimum Sacramentum, sive non: Processionis enim meminit *Sanctiss. Pius V.* Quo ad Prælati verò potestatem, non interest si sit dies non festus, neque solitus, ut in eo fiat processio, hoc enim per accidens est, & potest (validè, si non licitè, ut infra) Prælatus instituere festum votivum non solitum, & facere processionem per Claustrum, *Portell. in Dub. Regularib. Verbo Clausura Monachorum n. 6.* Concludens præterea: (Et optimè.) *Quod lex, sive Bulla non distinguit an Divinum officium* (seu processio) *fiat in Claustro in die festo, sed loquitur absolutè:* ita *n. cit. versu Si in Conventu in fine.* Addit *Bonac. punct. 4. cit. n. 11. Versu, Sexto fœminas.* Id verum esse, si Religiosi processionem per Claustra, facientes, solemniter, & publicè Eucharistiam ad infirmum deferant. An verò licitum sit Prælatis absque contraventione dicti *Motus proprii Pii V.* & pœnarum illius incursu, Processiones extraordinarias intra Claustra instituere ad eum finem ut mulieres ingredi possint, negant *Rodriq. tom. p. q. q. Regul. qu. 48. art. 3. Vers. Circa quam declarationem. Et in Expositione ejusdem Motus proprii nu. 16. Sorbus in Compend. Privilegiorum Mendicantium, Verbo Ingressus Monasteriorum Monialium. In suis annotationib. n. 7. Sanch. cap. cit. 17. n. 23. Palaus l. cit. n. 9. Vers. Propterea non licet. Hieron. Rodriq. in Compend. ref. 25. De Clauf. Monachor. n. 5.* (ubi studet satisfacere argumentis *Portelli* contrarium sententis *in Dub. Regul. Verb. Clausura Monachorum n. 6. Versu Scio Rodriquez hoc expressè negare*) *Joannes la Crux in Epitome lib. p. Tit. de Voto Castitatis cap. 5. Concluf. 3.* aliique: Quorum omnium communis, eademque ratio est, quia videlicet *Pius V.* concedit tantum ingressum, Pietati, & Orationi, seu Religioni consentaneum; non autem relaxat Religiosam Clausuram, nec Clausuræ rigorem. Mihi tamen placet (uti etiam *Gibalino §. cit. 3. n. 22. in fine*) quod sentiunt (*Coriolan. de Casib. Reseru. par. 2. Casu 3. nu. 22. in fine. Bonac. Punct. cit. 4. n. 14. Alphonsus de Leone de Censuris Recollect. 4. Versu Mulieres cujusvis, pag. mihi 361. col. p. Donatus l. c. q. 21. in fin. n. 9. Pellizzar. l. c. n. 47.* & alii) Peccare quidem videlicet proculdubio, & sua potestate abuti Prælatos instituentes processionem extraordinariam, ad hoc ut fœminæ occasione illius ingredi possint, non tamen peccare in legem Clausuræ, nec incurrere pœnas latas in Bullis contra Religiosos admittentes fœminas intra Monasterium, quia lex, seu præfata *Pii V.* Declaratio introducendi Mulieres causa Processionis, lo-

nis, loquitur absolutè nec distinguit de Processione ordinaria, vel extraordinaria, & si lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: unde dicendum venit, Prælatos tales non incurrere pœnas in Bullis, & decretis taxatas, bene tamen ipsos peccare ratione abusus potestatis, atque adeo mereri puniri, & graviter à suis Superioribus, & à Religione. Et sicut dicti Prælati non incurrunt pœnas Bullarum, ita nec Mulieres ingredientes intra septa Monasterii, quamvis sciant talem Processionem fieri à Prælatis illicitè, & ad hoc ut ipsæ ingredi valeant, *Bonac. n. 14. cit. Donatus l. c. qu. 22.* aliiq; ex citatis: Tum quia ad ipsas non spectat judicare de Justitia Processionis: tum etiam quia ingrediendo, jure suo utuntur, quod procedit etiam si sciant Processionem fieri à Prælatis ad vanum finem, potestate abutendo.

274 Et hic adverto cum *Portello in Resp. to. 1. p. 3. casu 38. n. 3. usque in finem, & in Dub. Regularib. Verbo Clauf. Monachor. n. 6. Donato qu. cit. 21. n. 4.* & aliis, quod si in aliquo Conventu Claustrum ornetur Tapetis, & similibus, ut solet fieri in Processione Corporis Christi, & mane per Claustrum fiat Processio, non poterunt fœminæ Vesperi intrare ad videndum ornamenta Claustri prædicti sine nova Processione, secus erit abusus non tolerabilis contra quem optimè, validissimis invehitur rationibus *Portel. n. c.* cum *Rodriq.* Integrum enim est fœminis ingredi intuitu Processionis tantum, ut constat ex dictis Declarationibus, & non aliàs, nec alio modo, sine incursu pœnarum, idem *Donat. n. c. 4. in fin.* & alii. Videatur *Sanch. cap. c. 17. n. 24. & Palaus n. cit. 9. Verf. Ingressæ verò*, ubi ad rem hanc sic: *Nequeunt Mulieres, antequam divina Celebrentur, vel prope sit Celebrationi, illuc ingredi, quia non adest causa ingressum honestans. Unde si Vespere, & non mane Processio facienda est, mane non est permittendus. Et è contra, si mane divina Celebrantur, & non Vespere, nequeunt Vespere Claustrum ingredi; quia moraliter cessavit causa, cui Privilegium violandi Claustrum, innititur. Rodriq. to. p. qq. Regular. q. 48. art. 2. in fine, & in Exposit. hujus Constit. num. 19. Sanch. lib. 6. Summ. cap. 17. n. 24. & 29.* Videatur etiam *Portel. Casu cit.* 38. in quo pluribus validisque rationibus damnat consuetudinem quandam, seu potius corruptelam quorundam Monasteriorum Virorum Olyssiponensium, in quibus cum magnum aliquod festum Celebratur, cujus respectu Claustrum Conventus interius Tapetis ornatur, & aliis sericis, fitque Processio per Claustrum mane; Vespere postea eodem die, sine Processione, aperitur Claustrum, & ingreditur populus promiscuè, etiam fœminæ, ad videndum ornatum Claustri, ibique manent, imò & sedent conversantes cum hominibus, & Religiosis per tempus. Idque faciunt aliquando per continuos octo dies, in quibus durat Octavarium festi. Hoc autem inquam damnat multisque argumentis arctè reprobat: *Portellus Casu cit.* Non ergo licitus est ingressus nisi tempore Divinorum Officiorum, Processionis &c. unde toto die non debebit ille patere. Limita tamen hic cum *Gibalino §. cit. 3. n. 18. Nisi toto die exponatur Sanctissimum Sacramentum in aliqua Capella Claustri; aut illa ad Indulgentias visitatur.*

275 Eo autem tempore, quo Divina celebrantur, Mulieres Claustrum ingredientes, excusantur à violatione Clausuræ (per Doctores ut infra) quamvis non animo divinis assistendi ingrediantur, sed potius curiositatis causa, vel alio etiam pravo fine ductæ; pravus enim finis (inquiunt) ingredientium, non aufert ab eis privilegium generale illuc ingrediendi. Esto namque illud concedatur, ut possint Divinis assistere, non tamen conceditur sub conditione, ut assistant; & non assistendo obid Clausuram non violant, nec in eandem peccant (tametsi peccatum aliud ibi committant) neq; ullas incurrunt pœnas (neq; Superiores admittentes, & si aliunde peccent) quia tunc ingressus non est interdictus: ita *Sorbus n. cit. 7. verf. Dubitatur etiam. Rodriq. dicta qu. 48. art. 3. Notab. 2. & in Exposit. hujus Motus, seu Constit. nu. 17. Sanch. cap. cit. 17. n. 28.* qui in fine videtur sibi contrarius. *Bonac. punct. cit. 4. n. 13. Verf. Respondendum probabiliter* (admittens etiam versu sequenti oppositum, probabiliter) *Pala. Verf. cit. Ingressæ verò. Gibalin. §. cit. 3. n. 21. Donat. tract. cit. 4. q. 23. n. pr. 2. & 3.* & alii. Nec obstat, quod ingressus, & admissio fuerit ad malum finem: tum quia Ecclesia non judicat de occultis: tum etiam quia satis est quod ingressus licitus sit, quamvis malus finis illi adjungatur, ut patet apertè ex illis verbis, ibi: *Quando in eis Missæ, & alia Divina Officia celebrantur, concedit, ut ad illa loca accedere liberè, & licitè possint*: igitur in tali casu cessat prohibitio humana. Quod confirmari potest ex eodemmet *Sanch. n. 28. c.* dum ibi ait: *Ingredientem Monialium Cœnobia in casu urgenti ex legitima licentia, non incurrere pœnas, & si ad fornicandum, seu cum animo forni-*

candi introeat, & de facto fornicetur, & mortaliter peccet ratione pravi finis. Verum, pace tantorum Virorum, nimis laxum mihi videtur eorundem assertum, tum quia videtur conscientiarum valde relaxativum; tum etiam quia videtur esse contra mentem Pontificis, qui non censetur relaxare in talibus casibus rigorem suæ legis circa eos qui abusuri sunt licentia, præsertim ad malum finem. Et in Episcopatu Veronensi (ut constat ex Tabella casuum reservatorum) non solum excommunicantur accedentes ad Monasteria Monialium sine licentia, sed etiam licentia abutentes.

276 Quarto, Mulieribus licet per Claustra, & alia loca interiora transire, quando tanta est multitudo, ut nequeant commodè per primariam Ecclesiæ portam egredi, aut ingredi; id enim concedit supra *Pius V.* ut constat. Sed tunc debent ad Ecclesiam rectà se conferre, & aliò non divertere: idem *Pius V.* supra, & Doctores communiter, præcipuè laudati. Et advertit etiam *Barbosa de Episcopo par. 3. Alleg. 102. n. 93.* ubi in fine refert quod asserit *Emanuel* (conceduntque tot alii, præcipuè *Coriolan. l. c. n. 23.*) Mulieres videlicet, in tempore etiam Consecrationis Ecclesiæ ire posse ad illa omnia loca, quæ Episcopus cum Processione; dum tamen simul eant cum Processione ipsa; non autem si peractum sit Officium, quia si amplius non sit Processio, non licet Mulieribus Clausuram ingredi. Sicuti nec vt intersint Thesibus Theologicis, etiam vulgari idiomate disputatis, vel repræsentationi alicujus Comediæ, quamvis piæ, & Religiosæ, quia hæc non sunt Officium pium, & Religiosum, simile Processioni, Missæ, funeri Defuncti, &c. *Sanch. cap. cit. 17. n. 27. Bonac. pun. 4. c. n. 12. Pala. n. 9. c. ad finem. Gibalin. §. c. 3. n. 17.*

277 Quinto, Si non statim post Divina Officia exeant Mulieres à Conventu, sed diutius in illo subsistant; aut fortassis à Religiosis, colloquii causa detineantur, ibique aliquo brevi temporis spatio demorentur, non peccabunt contra Clausuram, neque penas illam violantibus incurrent: sicut nec Religiosi illas conversatione detinentes. *Sanch. l. c. n. 29. Vers. Quarta difficultas. Bonac. punc. c. 4. n. 15. Gibalin. §. c. 3. n. 19. Donat. tr. cit. 4. q. 24. n. p. 2. & 3. Diana to. 7. Coord. tract. 1. ref. 244. nu. 4. Ex part. 7. tract. 12. Miscell. 3. ref. 6. alias 4.* & alii. Concedentes tamen solam brevem moram in tali casu, idest unius tantum quadrantis horæ. Et ratio est, quia hæ pœnæ non imponuntur moram trahentibus, vel detinentibus, sed ingredientibus, & admittentibus absque licentia; & dum fuit licitus ingressus, per detentionem, & moram, non contradicitur *Bullis*, quæ cum sint pœnales non sunt extendendæ, sed restringendæ. Unde recedendum non est [uti faciunt DD. citati] à *Rodriq. t. 1. qq. Regularium qu. 48. art. 2. sub fin.* sentiente, Religiosum, qui finitis Officiis causa est diutinæ fœminarum moræ, & ipsas fœminas diu ibidem morantes, incurrere pœnas; incurrere inquam (nota) ob diutinam, non ob brevem moram.

278 Secus tamen si Officinas interiores Conventus ingrediantur, quia ad Claustrum solum, & loca, in quibus Officia celebrantur, concessit Summus Pontifex posse Mulieres introire, prohibendo illis ingressum in Officinas interiores, unde hic ingressus esset violatio Clausuræ. Et hujusmodi additum; est cum *Sanch. n. 29. cit.* contra plures probabiliter docentes, fœminas, quæ licitè in casibus permissis ingressæ sunt in aliqua loca Monasterii, excusari ab excommunicatione, etiam si postquam ingressæ sunt, ad ulteriora loca progrediantur, quia licet peccent contra obligationem Clausuræ, immorando, vel ulterius progrediendo, nihilominus pœnam excommunicationis incurrere non videntur, quia hæc lata est contra fœminas præsumentes ingredi Monasteria Religiosorum: fœmina autem ingressa non dicitur ingredi, sed immorari, sed ad loca Monasterii ambulare, percurrere, aut visitare, ergo &c. hanc opinionem docet *Bonac. punct. cit. 4. n. 16.* quæ multis non placet, signanter *P. Dianæ to. 7. Coordin. tract. p. resol 243. n. 2. & ex part. 4. tract. 4. & Miscell. ref. 179. & Donato qu. cit. 24. n. 6.* uti nec mihi (cum eisdem) placere potest: Tum quia Pontifex Summus prohibuit nedum Mulieres ingredi Clausuræ Januam, sed etiam loca interiora, interioresque Officinas: Unde nedum violatur Clausura Monasterii per ingressum primæ portæ illegitimè factum, sed etiam per ingressum illegitimè factum ad loca interiora, & ad totum spatium illud, quod principalibus muris terminatur, & finitur; totum illud spatium dicitur Clausura, & Monasterium. *Donatus n. 6. c.* Tum quia Summus idem Pontifex *Pius V.* in suis Declarationibus indulsit fœminis, ut quando Divinum Verbum in Ecclesiis Monasteriorum haberetur, vel ob aliam quamcunque causam tantus esset populi concursus, & confluentia, ut nequeant in Ecclesiam aliter ingredi, aut ex ea egredi, per Januam

Claustri

Claustri id facere possint, & per Claustrum ipsum, vel alia Religiosorum loca, dummodo recta via accedant ad Portam, qua de Monasterio exitur, *rectoque tramite* ad Ecclesiam tendant *Sanch. l. c. n.* 22. *Palaus n.* 9. *cit. Donat. l. c. n.* 7. cum quo nota ly, *recto tramite*: Hoc est, quod Mulieres ingressæ in Claustrum inferius, ubi solet Processio, Missa, aliaque pia Officia celebrari, non possunt absque violatione Clausuræ, Claustrum superius ascendere, vel officinas interiores non per se patentes ingredi; quia Clausura solum cessat eo in loco ubi Officia Divina celebrantur. (Dic etiam cum *Portell. casu cit. nu.* 3. *in fine*: eadem verba *recta via*, & *recto tramite vadant*; *moram*, & *detentionem in Claustro non admittere.*) Tum quia clarissimè constat quod *Pius V.* facultatem dedit eisdem Mulieribus ad illa loca licitè accedere in quibus Pia opera, & Officia cum aliis personis Catholicis exercentur, ut patet ex verbis ipsis & Declarationis *Pianæ* supra relatæ, ergo alia interiora loca, & in quibus dicta Pia opera, & Officia minime exercentur, excipiuntur, exceptio autem, ut docent *Juristæ*, firmat Regulam in contrarium. Tum etiam quia expressum in lege, facit cessare præsumptum, ut item Juristæ communiter dicunt, & docent (apud *Portell. cas. cit. n.* 3. maxime *Brunorus in suis locis communibus Verb. Masculus nu.* 3. & *Verbo Lex n.* 38.) Ergo exceptis Casibus à *Pio V.* expressis, in quibus ex ejusdem declaratione, & concessione possunt intrare Mulieres, cessant omnes alii in quibus posset quis præsumere licitum esse ingressum, qualem posset quis præsumere esse hunc de quo hic, &c. Vide *Portell. Casu cit. & Donatum qu. cit.* 24. Sed

279 Quæres Septimo, In quas pœnas incurrunt Mulieres Virorum Monasteria ingredientes extra casus permissos, & Religiosi eas temerè introducentes, & admittentes. Respondeo, In eas incurrere pœnas, quæ in sequentibus novissimis Summorum Pontificum Constitutionibus leguntur inflictæ. *Pius V. in Extravag. Regularium personarum* 24. *Octobris* 1566. *sui Pontificatus anno primo* (quam habes in *Bullario novo*, *to.* 2. *fol. mihi* 250. *col. p.*) revocat omnes licentias quibuscumq; fœminis concessas etiam ab Apostolica sede, ingrediendi quascumque Domos (per *Domos* intellige non illas quas habent Regulares in Prędiis extra Civitatem, vel Grangiis, etiam in Civitate, sed idem ac Monasteria, *Bassæus Verbo Clausura sub n.* 15. *Vers. Nomine autem, & omnes*) ac Monasteria Virorum, & quæ illarum facultatum prætextu fuerint ingresæ excommunicat, aliasque pœnas Religiosis ipsas introducentibus, admittentibusve adiicit, ut sequitur: *Districtè prohibentes Mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias prætendentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, postquam harum literarum notitiam habuerint, à qua non possint nisi à Nobis, aut Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolvi, præterquam in mortis articulo, ne dictas domos, & Monasteria ingredi audeant*: sic ejusdem *Constitutionis extravagantis §.* 3. Prosequens *§.* 4. *Ipsis verò Monasteriorum, & Conventuum Abbatibus, Prioribus, & aliis Præsidentibus quocumque nomine vocentur, & eorum Monacis, Canonicis, & Fratribus sive Mendicantibus, sive non Mendicantibus, sub privationis officiorum, quæ in præsentia obtinent, & inhabilitatis imposterum, ad illa, & alia omnia, & suspensionis à divinis ipso facto, sine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittereve præsumant.* Hinc autem adverte ad incurrendas recitatas pœnas præsumptione esse opus, quod satis indicat verbum *Audeant*, quo utitur Pontifex in ferenda excommunicationis pœna; & Verbum *Præsumant* appositum in ferenda pœna privationis Officiorum, & suspensionis, à divinis. Unde ab iis incurrendis pœnis excusabit quælibet ignorantia, etiam culpabilis, & crassa, nisi sit ingens temeritas. DD. communiter, præcipuè superius laudati à principio hujus Privilegii, & alibi pluries. Et eandem Constitutionem innovavit, confirmavitque postea *Gregorius XIII.* in Motu proprio, incipiente *Ubi gratiæ*, *Anno* 1575. *Pontificatus* 4. *Idibus Junii*, & est Constitutio hujus Pontificis 28. *in Bullario Romano novo*, *To.* 2. *fol. mihi* 269. *col.* 2. in qua habes *§.* 3. *Abbatissis verò, nec non Abbatibus, ac aliis Monasteriorum utriusque sexus Superioribus, & personis quocumque nomine vocentur, districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, necnon privationis Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, ne in Monasteria, Domos, & loca sua, quemquam prætextu hujusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant.*

280 Et quod attinet ad easdem fœminas, sive prætextu facultatum sibi concessarum, sive alio quopiam, Monasteria Virorum ingredientes, idem *Pius V.* posteriori sua Constitutione, incipiente *Decet Romanum Pontificem* (quæ habetur pariter in

Bullario novo to. 2. fol. cit. 150. *col.* 1.) *Anno* 1570. *sub die* 16. *Julii* prohibet hunc ingressum simpliciter, & sub iisdem pœnis, omnibus feminis: sub sequenti tenore. *Cum alias à nobis emanaverint quædam literæ in simili forma Brevis sub die* 24. *Octobris* 1566. *Pontif. nostri Anno primo. In quibus, Mulieribus quibuscumque Monasteriorum Regularium ingressus cum derogatoriis Clausulis, & irritantibus Decretis probibetur, & alias prout in illis plenius continetur. Nos intuitu, & in favorem Congregationis Montis Virginis aliquas dubitationes, que circa dictarum literarum, & mentis nostræ intelligentiam oriri possent elucidare, & submovere volentes, supplicationibus dictæ Congregationis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Apostolica auctoritate tenore præsentium dicimus, & declaramus, fuisse, & esse mentem, intentionem nostram, quod dictæ literæ non solum comprehenderent, & comprehendant Mulieres habentes, prætendentes facultatem, & indulta ingrediend: Monasteria, sed etiam omnes, & quascumque Mulieres alias, tam in genere, quam in specie.* Hinc amplius dubitari non potest hunc ingressum omnibus feminis fuisse prohibitum. Hunc eundem Motum proprium ad verbum refert *Confectius in Privil. Ord. Mendic. inter literas Apostolicas, fol. mihi* 179. & de eodem, ac de eadem *Constitutione Piana, Marcus Paulus Leone in sua Praxi ad Litteras Sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ p.* 3. *Verbo Introduxit, fol. mihi* 348. advertit, quod licet hæc non fuerit publicata per solitos Cursores D. Papæ, attamen per Stylum Curiæ, & S. Pœnitentiariæ usu recepta fuit, & communiter habetur, ac si fuisset publicata, eo magis quod non per unum, sed per omnes Officiales D. Papæ fuit publicata, sicq; ad praxim reducta, ut continuò observetur.

281 Nota hic cum *Sanch. c. cit.* 17. *n.* 35. & aliis cum ipso, Motum proprium *Greg. XIII.* & Motum proprium *Pii V.* de quibus hic, se habere, ut excedens, & excessum: Motus namque *Gregorii* excedit Motum *Pii*, quatenus ille ultra pœnam privationis Officiorum, & inhabilitatis ad illa à *Pio* Statutam contra Religiosos permittentes ingredi feminas in Monasteria Virorum, addit etiam privationem Beneficiorum, ac inhabilitatem ad illa, necnon excommunicationem Summo Pontifici reservatam, nec ullam petit in admittentibus præsumptionem: dictisque pœnis afficit illos, qui viros, aut feminas ingredi faciunt, aut permittunt in Monasteria Monialium, aut feminas in Monasteria Virorum Religiosorum. At Motus proprius *Pii V.* loquitur solum de admittentibus, & imponit solùm pœnam privationis Officiorum, non item Beneficiorum, nec inhabilitatis ad illa. Versa vice, Motus *Gregorii* exceditur à Motu *Pii*, quod ille comprehendit solos Prælatos facientes, aut permittentes ingredi, eosque solos includit, qui admittunt vi facultatum ingredientibus concessarum, nec imponit suspensionem à Divinis contra facientes, aut permittentes ingredi: Motus verò *Pii* loquitur de facientibus, aut permittentibus ingredi fœminas in Religiosorum Monasteria, & si non ingrediantur virtute alicujus facultatis; & ultra pœnam privationis Officiorum, & inhabilitatis ad illa, fert suspensionem à Divinis contra admittentes, vel facientes ingredi, sive hi sint Prælati, sive alii quicumque Regulares. *Sive* (inquam.) *Alii quicumque Regulares:* ex quo obiter inferas cum *Pellizz. in Man. Reg. to. p. cap.* 6. *sec.* 2. *qu.* 20. *n.* 61. quod cum in allatis Motibus propriis, non fiat mentio ulla de Laicis personis, si hæ fortè fœminas introducant intra Religiosorum Monasteria, etiam ad malum finem, non subiacent pœnis contentis in dictis Motibus; nam in pœnis non fit extensio ob rationis identitatem, cum ipsæmet, quam maximè debeant restringi, ex communi Doctorum, universaliter docentium, quod extensio per identitatem, aut similitudinem rationis, non admittitur in legibus præsertim pœnalibus, in quibus ratio sine voluntate Legislatoris non operatur. Ex allatis ergo Motibus, ac Pontificiis Constitutionibus.

282 Patet primo, Adversus Mulieres Monasteria Virorum extra casus permissos ingredientes, Statutam esse excommunicationem, in quam ipso facto incurrunt, Summo Pontifici reservatam [excepto mortis articulo] sive ingrediantur cum prætextu privilegii, sive sine prætextu ejusdem, juxta Praxim ab omnibus receptam, & Stylum Sacræ Pœnitentiariæ; quia ex dictis Motibus, excommunicatio afficit omnes Mulieres tam in genere, quam in specie. Privilegia enim antiquitus concessa Mulieribus quibusdam eminentioribus ingrediendi Virorum Monasteria revocantur *à Pio V. in cit. suo Motu proprio, Regularium personarum §.* 2. Ubi *: Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas facultates, & licentias ingrediendi Monasteria, ac Domos Carthusiensium, & aliorum quorumcumque Regularium Ordinum etiam Mendicantium, Mulieribus, cujuscumque Statutus, Gradus, Ordinis, Conditio-*

ditionis, & quacumque dignitate, ac præeminentia præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribusque, & insolitis Clausulis, necnon irritantibus Decretis ab Apostolica Sede quomodocumque concessas, quarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, tenore præsentium revocamus, & cassas, irritas, & inanes esse decernimus: ita *Pius V.* post quem, etiam *Gregor. XIII. in Motu proprio superius cit. Ubi Gratiæ:* easdem facultates, & licentias, etiam *Ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumque Principum contemplationem, vel supplicationem concessas, confirmatas, & etiam iteratis vicibus renovatas, cassat, annullat, revocat, &c.* ita *ejusdem Motus §. 1.* Et cum Summus Pontifex prohibeat ingressum in Monasteria Virorum quibusvis Mulieribus cujuscumque Status, Gradus, Ordinis, Conditionis, & quacumque dignitate, ac præeminentia præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, ut supra, ex his verbis clarum videtur, atque manifestum, Reginas, Imperatrices, Filias, Neptes Regum sub prohibitione non comprehendi. Tum quia Comitissæ, Marchionissæ, & Ducissæ expressæ fuerunt, ut gradus supremi. Tum quia sub generali prohibitione Mulieribus facta, Imperatrices, Reginæ, earumque Filiæ, & Neptes non censentur comprehensæ ob earum supremam, & supereminentem dignitatem, hinc *Peyrinus to. p. Privilegior: Constit. 6. Julii 2. §. 3. nu. 11.* (& cum ipso *Bassæus Verbo Clausura sub n. 19. Vers. Tertio quod*) ait: *Quæ supereminentem habent qualitatem, quales sunt Reginæ, & Imperatrices, nisi specialiter nominentur, non comprehenduntur sub generali Constitutione,* & ita etiam *Suar. de Relig. to. 4. lib. p. cap. 7. n. 5. & 6. Sanch. cap. cit. 16. n. 5.* ubi, *An comprehendantur quoque Reginæ, Imperatrices, & earum Filiæ, ita ut facultates his concessæ censeantur revocatæ? Respondetur, nequaquam comprehendi: Quia Pontifex revocans facultates Mulierum cujuscumque conditionis, explicuit, etiam si Comitissæ, Marchionissæ, aut Ducissæ sint, ubi Reginarum, Imperatricum, & filiarum non meminit, cum jure optimo earum meminisse oporteret, tanquam speciali nota dignarum, si illas comprehendere voluisset. Quare nec ipsæ ingrediendo virorum Monasteria, nec Religiosi illas admittentes contraveniunt huic prohibitioni. Et sic bene docet Manuel to. p. qq. Regular. qu. 48. art. p. Vers. Circa quam. Statim in principio. Et in Expositione hujus Motus proprii n. 3.* Et idem docent *Suar. l. c. n. 6.* extendens facultatem nedum ad filias Regum, verum etiam *Ad Neptes, quæ vulgari Sermone Infantes, vel Princessas appellari solent. Layman. lib. 4. trac. 5. cap. 12. nu. 5.* ubi expresse: *Excipiuntur primo Reginæ, earumque filiæ; cumbarum ingressus nullibi prohibeatur. Et Pala. Punct. cit. 8. n. 3.* dum ibi: *Manifestum est Reginas, Imperatrices, Filias, & Neptes Regum non comprehendi.* Qui etiam addit *n. 5.* Mulieres de Stirpe Regia, aliasque ex speciali privilegio Monasteria Virorum ingredientes, deferre secum posse eum comitatum personarum quo frequenter incedunt. *Argum. cap. Licet nobis de Priuil. in 6.* Et qui eisdem necessarius est: quod docuerunt etiam *Man. Rodriq. in Exposit. dictæ Constit. Pii V. n. 4. Layman. n. 5. c.* & Praxis ipsa testatur, Nec est credendum (inquiunt aliqui apud *Sanch. cap. c. 17. n. 6.*) mentem Pontificis esse, has personas ingredi aliter quam earum dignitatem decet. Hoc tamen ita universaliter dictum non placet ipsi *Sanch. n. c.* quia (inquit) cum Pontificia prohibitio sit facta ratione decentiæ Monasteriorum, ea attendi maxime debet; essetque valde indecens, ut puellæ solitæ has comitari ingrederentur. Unde placet, ut ingrediantur comitatæ paucis fœminis, senioribusque, & bonæ famæ. Quam limitationem optime amplectitur etiam *Pala. n. 5. c.* dicens *Spectanda tamen est semper decentia, & honestas, ob quam æquum est puellas comitantes excludi, & loco illarum; Mulieres provectæ ætatis assumi, illisque comitari.*

283 Adde hic cum *Bonac. de Clausf. q. 5. punct. 2. sub n. 5. Vers. Addo item:* quod etiam si præfatæ Imperatrices & Reginæ, atque earundem Filiæ, nunquam habuerint privilegium ingrediendi Religiosorum Monasteria, possunt nihilominus ingredi. Et ratio est, quia ipsæ in præfatis motibus non sunt expressæ, sed potius tacite exclusæ: nec alibi reperitur jus aliquod prohibẽs sub mortali ingressum harum fœminarum in Monasteria Religiosorum, ut bene observat *Suar. de Censur. dis. 22. sec. 6. n. 12.* ubi sic: *Nec in communi Jure Pontificio, neque in aliis Pontificum decretis inveni generalem legem hoc prohibentem sub mortali: neque etiam ex natura rei, aut ex ipsa professione, seu Votis Religiosorum video in hoc actu, per se intrinsecam malitiam: & ideo non existimo in universum esse hoc peccatum mortale, si excludantur extrinsecæ circumstantiæ pravi finis talis ingressus, vel scandali, vel violentiæ, aut injuriæ Monasterio illatæ, & similes. Consulenda ergo sunt*

sunt peculiaria Instituta ipsarum Religionum ; & si in aliqua invenitur prohibitio talis à Pontifice confirmata, quæ ex verbis, vel censuris præseferat talem obligationem, contra illam prohibitionem, ingredi erit peccatum mortale : ubi autem non fuerit talis Constitutio habens hanc vim, non erit tale peccatum, quia non est unde oriatur : ita *Suar. l. c.* & post ipsum, atque ex ipso *Sanch. cap. c.* 17. *nu.* 9. Præfatę igitur Imperatrices, Reginæ, ac ipsarum Filiæ, videntur posse ingredi Virorum Monasteria, etiam si nullum habeant privilegium : non enim opus est privilegio, ubi non est prohibitio. Vide etiam eundem *Suar. to.* 4. *de Relig. lib. p. cap.* 7. *n.* 6. Quod autem spectat ad Filias Imperatricum, & Reginarum, sentio cum *Pellizz. in Man. to.* 1. *tr.* 3. *cap.* 6. *sec.* 2. *qu.* 11. *n.* 42. *in fine*. *Vers. Et quidem* : posse ingredi etiam si nuptæ sint Viris inferioribus, cum etiam sic nuptæ, sint Filiæ Imperatricum, & Reginarum, & fumus in materia favorabili, quæ non debet restringi.

284 An verò Mulieres fundatrices possint ingredi Virorum Monasteria Religiosorum à se fundata. Negativè videtur respondendum, & quod ipsæmet etiam dictis Constitutionibus prohibitivis comprehendantur ; quia sub nomine Mulierum comprehenduntur, de quibus præfati Pontifices loquuntur indistinctè : *Manuel. Rodriq. in Expositione dicti Motus Pii V. n.* 3. ubi etiam ait, ideò *Pium V.* prohibuisse Comitissis, Marchionissis, & Ducissis intrare septa Virorum Religiosorum, quia hæ solent esse Fundatrices, & Patronæ Monasteriorum : & ad excludendam opinionem illorum, qui potuissent pensare, Fundatrices non comprehendi sub dictis Constitutionibus. Ità post *Manuel. l. c. Sanch. cap. cit.* 17. *nu.* 7. *Bonac. punct. cit.* 2. *nu.* 3. *Donat. tract. c.* 4. *quæst.* 10. ubi tamen advertit cum *Peyrino l. c. n.* 6. *Statutum Pii V.* non derogare Regulæ *Sancti Francisci de Paula*, neque alterius, si quæ sit illi similis, qua cavetur ut singulæ Dominæ de Stirpe Regia procreatæ, ac etiam omnes dicti Ordinis Fundatrices, cum honesta comitiva possint septa communiora visitare ; pro ut Sacra Congregatio jussu *Gregor. XIII.* declaravit *sub die* 21. *Novembris* 1577. apud *Peyrin. §. c.* 3. *n.* 6. Quare Religiones carentes tali Regula, vel consimilem non habentes, sine incursu pœnarum non valent admittere Fundatrices per *Sanch. n.* 7. *cit. Bonac. n.* 3. *cit. Donatum qu. citat.* & alios; quia idem *Gregor. XIII.* non indulgendo, sed declarando dixit, non censeri per *dictum Motum Pii V.* derogatum prædictæ Regulæ Minimorum.

285 Non carere nihilominus sua etiam probabilitate oppositum, quod Mulieres videlicet ; quæ fundant Monastaria Religiosorum, illæmet possint ingredi absque incursu censuræ, non obstante Pontificia prohibitione *Pii V. & Gregorio XIII.* sentiunt *Suar. l. c. de Relig. n.* 6. *Pala. punct. c.* 8. *n.* 40. *& Pellizzar. l. c. qu.* 12. *nu.* 44. unanimiter affirmantes, probabilitate non carere, Fundatrices exemptas esse à prohibitione dictarum Constitutionum *Pii V. & Gregorii XIII.* Tum quia Fundatrices Monasteriorum peculiarem habent rationem, ut non debuerint comprehendi sub generali prohibitione : tum quia jus Patroni, est valdè privilegiatum in jure : tum quia Fundatrices sunt quasi Dominæ suorum Monasteriorum, ac proinde non debuerunt ab iis excludi ea generalitate qua excluduntur aliæ fœminæ extraneæ, si enim hoc fieret, vitium saperet ingratitudinis. Neque ex præfata declaratione *Gregorii XIII.* aliquod argumentum desumitur ad affirmandum Fundatrices comprehendi sub his Constitutionibus, in ea Religione, in qua non est Regula permittens earum ingressum : secus ubi est Regula eum ingressum permittens : quia hæ Constitutiones non ad derogandas Regulas, sed ad derogandas facultates adversus Regulas expeditæ sunt, ita innuit *Suar. n.* 6. *c.* cum quo iidem *Pala.*, *& Pellizz.*

286 Patet secundo, ex dictis propriis Motibus *Pii V. & Gregorii XIII.* Religiosos, Monasteriorum Superiores, quoquo modo nominentur, præsumentes fœminas admittere, aut permittere, ut admittantur, sive ingrediantur septa Monasterii ; Nec non Religiosos subditos, præsumentes pariter hujusmodi fœminas admittere, vel introducere, ipso facto suspendi à Divinis (hæc suspensionis pœna non est Papæ reservata, ut ex ipsamet *Piana Constitutione* constat, & notant *Sanch. cap. c.* 17. *nu.* 41. *Thesaurus de Pœnis. Verbo Clausura par.* 2. *Praxis cap.* 3. *nu. p.* & cum ipsis *Donatus tract. c.* 4. *qu.* 26. *nu.* 3.) Item dicti præfati Religiosi, tum Superiores videlicet, tum Subditi, privantur Officiis, quæ in præsentia obtinent, & inhabilitantur ad illa, & alia omnia, ut in fine dicti *Motus proprii Pii V.* videre liquet. Ex *Bulla* autem *Greg. XIII.* Superiorum Monasteriorum, nedum suspenduntur à Divinis, & privantur Officiis, ut in *Bulla Pii V.* sed insuper excommunicantur, excommunicatione latæ sententiæ,

tentiæ, Papæ reservata, instar fæminarum præfatarum. Quæ excommunicatio, respectu Religiosorum non reperitur (ut patet legenti) in dicta *Pia Constitutione*. In terminis verò dictæ *Bullæ Gregorii*: Subditos non afficit, sed Superiores dumtaxat, ut constat ex illis verbis, ibi, *Abbatissis verò, & Abbatibus, &c.* & notant *Rodriq. to. pr. qq. Regular. q. 47. ar. 3. Vers. Abbatissis verò, fol. mihi* 279. *Sanch. cap. c.* 16. *n.* 84. *Flavius Cherub. in Compend. dictę Bullę Gregor. & Donat. qu. c. n.* 7. & 8. Nec obstant verba illa contextus, *& personis quocumque nomine vocentur*, quia hæc verba (ut etiam *Rodriq. Sanch. & Donat. ll. cc.*) referuntur ad Superiores Conventus, quovis nomine appellentur, quandoquidem hi Superiores, ac Prælati appellari solent Abbates, Provinciales, Magistri, Guardiani, Priores, Rectores, Præpositi, Pręsidentes, Præfecti & similes, & de his loquitur Contextus, non autem de particularibus, & privatis personis Monasterii, cum hæ personæ privatæ nominentur Patres, Fratres, vel Moniales, etenim *Constitutio* hæc pœnalis est, & non extenditur nisi ad expressa, ut optime *Rodriq. l. c.*

287 Et licet quidam ex Doctoribus probabiliter putent etiam Religiosos subditos affici excommunicatione in *cit. Bulla Gregorii XIII.* & ita esse in *Sacra Pœnitentiaria* usu receptum, ut inter alios testantur *Fillucc. To. p. Tract.* 15. *cap.* 5. *qu.* 7. *n.* 118. *Versu, secundo in Constitutione*: ibi, *Extenditur item hæc excommunicatio reservata ad quoscumque Religiosos eas admittentes, non tantum Superiores, ex Quaranta in Summa Bullarum, Verbo Monasteria Monialium fol.* 445. *in Constitut. Greg. XIII.* 36. *Ubi Gratiæ. In quo loco refert etiam, non tantum fœminas ingredientes prætextu facultatum, sed absolutè incurrere excommunicationem reservatam, & sic servare usum Sacræ Pœnitentiariæ.* Et *Franciscus à Coriolano de Casib. reserv. par.* 2. *Casu* 3. *sub nu.* 25. *Versu Quæ doctrina.* Ubi sic: *Sæpe factus est recursus ad sedem Apostolicam, pro illis Mulieribus, quæ ingressæ sunt Monasteria Religiosorum, & multoties declaratum est, non solum illas, verum & Religiosos, qui eas introduxerunt, in Excommunicationem Papalem incidisse, & necesse fuit obtinere absolutionem ab excommunicatione, etiam pro Fratribus.* Et licet inquam, hi Doctores, vel alii etiam, ita opinentur, in promptu est responsio *Bonac. de Clausf. qu.* 5. *pun.* 3. *prop.* 2. *nu.* 2. *Vers. Alii verò, in fine. Intelligendos esse* (videlicet) *hos Doctores, si Religiosi permittant feminas ingredi pretextu facultatum.* Quæ responsio fundatur utique in *Gregorianæ Constitutionis* Contextu ipso, dum ibi expresse sic: *Districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, nec non &c. ne in Monasteria, &c. quemquam prætextu licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant.* Quæ doctrina (seu responsio) *vera est, secundum se considerata* (inquit *Coriol. l. c.*) *Nihilominus praxis est in contrarium. Et sic communiter tenetur, nempè quod non solum prætextu facultatum, & licentiarum Mulieres non possunt ingredi Monasteria Virorum, quia prædictæ Constitutiones illas revocant, verum etiam neque alio prætextu, alioquin incurritur Censura.* Quæ per eundem *Coriolan. eodem loco*, extenditur etiam ad Religiosos Fratres subditos, ex Praxi Sedis Apostolicæ: & per *Filliuc.* supra, ex usu etiam, ac Stylo Sacrę Pœnitentiarię, & Romanę Curię, qui Stylus facit *Jus*, ut docet *Quaranta l. cit. pag. mihi* 449. *in princip.* loquens enim de dictis *Bullis*: sic ait: *Salva pace tantorum Virorum, præfatæ Bullæ satis videntur illam declarationem, extensionem recepisse, & resumpsisse, ex communi observantia Prætorii Sacræ Pœnitentiarię, cujus meminimus, & quæ sufficere debent ad illarum Constitutionum interpretationem, cum Stylus Romanæ Curiæ faciat Jus, ad Text. in cap. ex literis, ubi notat Panorm. nu.* 6. *de Constitut. & in cap. Quam, de crim. falsi.* Supposita igitur hujusmodi Praxi, & data veritate dicti usus, atque Styli Sacrę Pœnitentiariæ, & quod maximè idemmet Stylus pariat Jus (quod etiam docet *Leone in Praxi ad Literas S. Pœnitent. fol. cit.* 348. *colum.* 2. ibi, *Stylus Curiæ, magni faciendus est, quia facit Jus c. Quam gravi,* 6. *&c. licet* 5. *ubi Panorm. de crim. falsi.*) Hac de causa præcisè subscribendum puto (quo ad Religiosos subditos videlicet, ac simplices Fratres) sententiæ *Filliucc. & Coriol.*: sic concludentis *l. c. sub n.* 24. *Itaque omnes Regulares, sive Superiores sint, sive Subditi quotiescumque introducunt, vel introduci faciunt, admittunt, & recipiunt, vel admitti, & recipi faciunt Mulieres in Monasteria Regularium, incurrunt primo in excommunicationem Papæ reservatam nisi in mortis articulo.*

288 In quam tamen excommunicationem, nec in alias pœnas non incurrunt neque Superiores, neque Subditi, qui bono fine Mulieres introducerent, ut videlicet, essent absconsæ à persequentibus eas, à quęrentibus eas occidere, violare &c. Quod etiã dicendum est de Monialibus admittentibus Viros eodem bono fine, cum eadem sit omnino

omnino ratio. Nam pœnæ assignatæ in Decretis præfatorum Summorum Pontificum, imponuntur contra eos qui temerario ausu, & præsumptione introducunt: *Rodriq. to. p. qq. Regular. qu. 47. ar: 2. & in Exposit. Motus proprii Pii V. n. 11. Sorbus in Compend. Privileg. Mendicant. Verbo Ingressus Monasterium Monialium n. 7. Sanch. cap. c. 16. n. 97. Coriol. Casu 3. c. sub n. 20. Vers. Idem etiam* (advertens ibi, *Quod in inquirendis hujusmodi rebus Prælati cauti esse debent, ne inquirant eos, qui bono fine aliquid ex prædictis fecerunt.*) *Peyrin. to. p. Privileg. Constit. 6. Julii 2. qu. 5. Vers. Noto 3. n. 18. in fine* (ubi, *si Muliere dicto bono fine admissa quis abutatur, non incurret: Quia pœna est inflicta contra male admittentes, & ingredientes.*) *Pellizz. in Man. Regular. to. p. tract. 5. cap. 6. sec. 2. qu. 17. n. 56. Vers. Probabilior Casus* (ubi etiam cum *Portello in Dub. Regular. Verbo Clausura Monachorum n. 4.* asserit, Religiosum occultantem fœminas illicitè ingressas Monasterium, non incurrere pœnas latas contra Regulares admittentes fœminas intra Monasteria: si occultet bono fine, ver. gr. ad tuendum honorem fœminę, aut alterius Religiosi sui Ordinis, vel alterius: sic quippè adest necessitas excusans: uti esset in casu, quo fœmina ingrederetur aliquod Monasterium ad evadendas manus Satellitum; cum & hoc idem concedat *Sanch. cap. c. 16. n. 59.* de Malefactore ingrediente Monasteria Monialium ad evadendas manus Satellitum illum insequentium.) *Bassæ. Verbo Clausura sub n. 19. Vers. Quarto quòd. Donat. in Praxi t. 4. trac. 5. qu. 10. cum Tambur. De Jure Abbatissar. disp. 22. qu. 3. ad 6. dub.* & alii. Imò hic etiam adverto cum *Sanch. in Decal. to. 2. lib. 6. c. 15. n. 72.* (& ibi *Navarro, Graffio, Azor. Llamas, Zechio, Zerola,*) & cum eodem *Donato to. 4. cit. qu. 8. nu. 13.* Quod nec personæ receptantes, comitantes, vel recipientes Moniales illicitè egressas, incurrunt in pœnas latas à *Pio V. in suo Motu proprio*, qui incipit: *Decori, & honestati:* Si illas recipiunt, ob urgentem necessitatem, vel comitantur ad bonum finem, nempe, ut earum honori, & castitati consulant, aut hortantur redire, sic enim recipientes, non peccant, nec dicuntur cooperari illarum peccato. Sicut etiam illi soli receptatores hæreticorum contrahunt excommunicationem, contra ipsos latam, qui receptant ut hæreticos, & eorum fautores fovendo aliquo modo hæresim, ut docet *Navar. in Summa, de Excommu. Bullæ Cœnę, cap. 27. sub n. 55. in Quarta declaratione,* & ibi *Cajet.*, non ut subveniant illorum necessitatibus, &c. Et si id hoc habet locum (inquiunt *Sanch. & Donat.*) in peccato Hæresis, quod est peccatorum omnium gravissimum, quanto magis in casu, de quo hic. Idem habet *Bonac. de Claus. qu. p. punct. 4. n. 5.* Et nota quod ligantur pœnis omnes cooperantes peccato egressus Monialium sive Religiosi sint, sive Sæculares; quia Textus de his omnibus loquitur: ibi, *Nec non comitantes, ut illarum receptatrices personas, sive Laicas, aut Sæculares, vel Ecclesiasticas, consanguineas, vel non, &c.* Motum hunc referunt ad verbum *Sanch. cap. cit. 15. n. 63. Donat. q. cit. 8. n. 1.* aliique.

289 Pœna suspensionis à Divinis, quæ contrahitur à Transgressoribus præfati *Motus primi Piani*, ut patet, afficit eosdem ipso facto, ante ullam videlicet Judicis sententiam, quia cum suspensio sit Censura, sicuti excommunicatio, & interdictum *ex cap. Quærenti 10. de Verbor. signific.* nulla indiget declaratione, aut Judicis sententia, ut incurratur in illam: *Sorbo in Compend. Privil. Mendic. Verbo ingredi Monasteria Fratrum, vel Monialium n. 10. Vers. Notandum est, an committens. Sanch. cap. cit. 17. n. 40. Pala. punc. 8. c. nu. 10. Peyrin. l. cit. nu. 20. Vers. Noto 5.* ubi expresse sic: *Quo ad pœnas Suspensionis, & excommunicationis, incurruntur ipso facto ante ullam Judicis sententiam, sicut etiam eodem modo incurritur pœna interdicti, & irregularitatis. Pellizzar. l. c. qu. 21. n. 63.* aliique. Et quod ad incurrendas pœnas, seu censuras suspensionis à Divinis, & excommunicationis, latas in supra dictis Motibus non requiratur sententia Judicis, sed hæ incurrantur ante omnem sententiam, constat ex verbis ipsis, quibus eæ proferuntur. Suspendi autem à Divinis; idem est, quod suspendi ab exercitio (cum Pompa, & Solemnitate ex Officio) Ordinum quos habent, propter quod non possunt aliquod Sacramentum cum Solemnitate administrare, nec Solemniter orationes in Choro, nec Evangelium canere, nec Cereos deferre. Ac tandem sunt suspensi ab omnibus annexis Ordinibus, licet sint Minores, & illa exercendo peccant mortaliter, & irregularitatem incurrunt. Hac de re plura apud *Sorbum in Compend. Verb. Ingredi Monasteria n. 9. Navarr. in Man. cap. 27. n. 163. Tolet. lib. p. cap. 45. Avilam de Censu. par. 3. disp. 2. De effectibus suspensionis, Bonac. to. 1. tit. de Suspensione disp. 3. punc. 2. Bassæum Verbo Suspensio. 2. Donatum tract. cit. 4. qu. 29.* & apud omnes agentes de Censura Ecclesiastica

Suspen-

Suſpenſionis, qui ſunt innumeri, antiqui, & recentiores.

290 Ultra præfatas pœnas excommunicationis Papæ reſervatæ, & Suſpenſionis à Divinis, incurrunt etiam Religioſi Ex *Motu proprio Gregorii XIII.* ut conſtat (ſi fœminas faciant, vel permittant ingredi ſua Monaſteria) *pœnam privationis Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum ſuorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda*. Nomine autem *Officiorum*, quibus Religioſi introducentes fœminas, vel eas admittentes privantur, veniunt intelligenda Officia juriſdictionem habentia, quæ Superiorum propria ſunt, & ſuperioritatem quandam continent, ſcilicet eſſe Generalem, Provincialem, Viſitatorem, Commiſſarium, Præpoſitum, ſeu Superiorem localem, Vicarium Monialium: Non tamen eſſe Definitorem, Diſcretum, Concionatorem, Confeſſorem, Theologiæ Lectorem, Sacriſtiæ præfectum, & ſimiles, quia hæc Officia, & ſimilia, juriſdictionem nullam continent. *Sorbus l.c. n.8. Verſu Advertendum dum dicitur in privatione Officiorum. Sanch. c. 16. c. n. 66. Pala. Punc. c. 8. n. 10. Verſu, Quarto explicari, in fine. Baſſæ. Verbo Clauſ. n. 16. in fine. Merolla to. p. diſp. p. cap. 2. difficult. 10. ſub n. 524. Verſu Nomine autem*, & alii.

291 Si autem quæras quid ſibi velint, & qualiter differant inter ſe, *Ingredi facere, aut permittere, & introducere, & admittere*, de quibus ſupra, & in allegatis Motibus. Dico, per *ingredi facere, aut permittere*, intelligi actionem quamlibet poſitivam (ut jubere, conſulere, intromittere) vel negativam (uti eſſet non prohibere) per quam Prælatus cauſa ſit talis ingreſſus, cum ipſe ex Officio teneatur impedire, poteſtque commodè prohibere (ut ſuppono) & non prohibendo cenſetur cauſa ingreſsus indirecta. Per *admittere* verò, ſignificatur quæcumque cooperatio directa, aut indirecta ad ingreſſum. Hinc ſi ad Religioſum non ſpectat ex Officio impedire, aut admittere fœminas intra Monaſterium (quod eſt munus Prælati, & Superioris, Monaſterii, aut Janitoris) non peccat contra Clauſuram, ſi cum poſſit, non obſtat, vel non reſiſtit ingredienti: cum ſic nec directè, nec indirectè cooperetur ingreſſui: ſecus tamen ſi invitaret, aut aliquo modo poſitivo faceret ingredi mulierem aliquam ſine licentia; ſic enim directè admitteret. uti etiam peccaret is, cui incumbit ex officio impedire, & cum poſſet, non impediret: ſic namque indirectè cooperaretur admiſſioni: ita etiam *Sanch. c. cap. 16. n. 87. & 93. Suar. de Cenſ. diſ. 22. ſec. 6. n. 14. Portell. Verbo Clauſura Monachorum n. 2.* Addens *n. 3.* quod Monachus, ſeu Monialis quæ perſonas Seculares illicitè ingredientes non invitavit ad ingreſſum, nec ex officio ullo modo tenebatur impedire; poſtquam tamen ingreſſæ ſunt, ſi obvias eaſdem habeat, illas alloquatur, comitetur &c. iſte talis Monachus, vel Monialis, nec dici debeat admittere, nec conſequenter, talia faciens, in pœnas incurrere. Lex enim tam valdè pœnalis reſtringi debet, ac proinde puniens ſolos *permittentes, vel admittentes* ad ingreſſum, non puniet alloquentes, & comitantes perſonas poſt ingreſſum. Id enim oportebat explicari à Summo Pontifice in re tam pœnali. Uti facit idem *Pius V.* in altera ſua *Bulla*, quæ incipit *Decori, & honeſtati*, qua prohibuit, & gravibus pœnis punivit Moniales egreſſas à Clauſura indebitè, volens enim extendere pœnas etiam ad perſonas comitantes, & recipientes eaſdem Moniales extra ſuos Conventus; in eadem *Bulla* ſtatim expreſſit perſonas extra Conventum illas comitantes, & recipientes: aliàs dicti comitantes non incurrerent ſi non exprimerentur. Cum ergo in caſu noſtro præfati duo Pontifices ſolùm puniant malè admittentes, vel invitantes ad ingreſſum; non utique puniunt alloquentes, vel comitantes poſt ingreſſum: ita *Portell. n. 3. cit.* cui addo *Pala. punc. c. 8. n. 11.* ubi inquirens, an ſi fœminas jam ingreſſas, vel ibi extra caſus permiſſos commorantes, Religioſus comitetur, confabulationibuſvè detineat, ne egrediantur, cenſeatur illarum admiſſor, pœnaſque privationis, inhabilitatis, & ſuſpenſionis incurrat? Reſpondet ſi dictus Religioſus tenetur ex Officio ſervare cuſtodiam, cenſendus eſt ſine dubio admiſſor, pœnaſque ſupradictas incurrit, ſic enim ſaltem indirectè recipit, retinet, atq; admittit Fœminam iniquè intra Clauſtra commorantem: Et licet eam non introduxerit, ſufficit ſi introductam admittat, eo quia pœnæ non ſolum introducentibus, ſed admittentibus impoſitæ etiam ſunt. Si verò ex Officio talis Religioſus non eſt obligatus cuſtodiam ſervare, diſtinguendum eſt, vel ſuo comitatu vaniſque confabulationibus cauſa eſt, ut ibidem Mulier detineatur, & dicendus eſt illius admiſſor. Vel comitatus ſuus, ſeu confabulatio cauſa non eſt detentionis, quia illis etiam ſublatis, adhuc Mulier in Conuentu detineretur, & tunc admiſſor reputandus non

est, quia sic nec directè, nec indirectè detentioni concurrit. Et hanc eandem doctrinam, & sententiam sequi videtur *Merolla to. pr. Theol. Moral. disp.* 1. *c.* 2. *difficul.* 8. *n.* 516. *Vers. Sanch. deniq; fol. mihi* 87. *col. p.*

292 An verò supradictæ pœnæ ipso facto incurrantur absque ulla prorsus sententia declaratoria Judicis, distinguendum est, si sermo sit de pœnis *Excommunicationis*, & *Suspensionis à Divinis*, *ipso facto* in superius allegatis *Motibus* impositis, statim admissa culpa afficiunt animam, per omnes, absq; prorsus declaratoria Judicis sententia, excommunicatio enim, suspensio, interdictum, & irregularitas, cum sint Censuræ, statim commissa culpa, animam culpantis afficiunt ipso facto, ante Judicis declaratoriam sententiam per DD. communiter, ex dictis etiam supra, & ex communi observata praxi Ecclesiæ. Quod pariter docet *Molina de Just. to.* 1. *dis.* 96. *col. penult. Vers. Ut verò*, *fol. mihi* 262. Inquiens, consentire Doctores omnes, ex ipsoque Ecclesiæ usu, & praxi manifestum esse, pœnas Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, nulla expectata Judicis sententia incurri commisso crimine pro quo sunt impositæ, quando ipso jure, aut ipso facto, aliisve æquipollentibus verbis sunt impositæ. Irregularitas etiam, quia est impedimentum Canonicum ad Sacros Ordines suscipiendos, aut etiam ad illorum actus exercendos, sive in pœnam alicujus delicti, sive absque culpa, legitima aliqua de causa sit statuta, nulla expectata Judicis sententia incurritur: ita *Mol. l. c.* ex communi sententia. Et idemmet advertit *Tambur. de Jure Abbatiss. disp.* 29. *q.* 3. *nu. p.* quod etiam supponi videtur (addit idem *Tambur. nu. cit. p.* & ante ipsum) *Sorbus in Compend. Verb. Ingredi Monast. Fratrum, vel Monial. n.* 10. *Vers. Notandum est, an committens*, & *Vers. Sequenti*. *Idem dicendum* à *Concil. Trident. sess.* 24. *de Reform. c.* 6. dum enim ibi concedit *Trid.* facultatem absolvendi à casibus reservatis, & delictis occultis, supponit sine dubio illos, & illa incurri, etiam si ad exterius non sint deducti forum. Secus verò affirmandum est, si sermo sit, & loquatur de cæteris pœnis privativis; ad has enim incurrendas, pœnas videlicet privationis Officiorum, Beneficiorum, ac Dignitatum, & inhabilitatis ad illa, requiritur sententia Judicis declaratoria delicti: Unde Religiosi admittentes fœminas intra Clausuram, non tenentur in conscientia non uti suis Beneficiis, &c. nec seipsos iisdem privare, eaque relinquere ante Judicis sententiam, maximè si crimen sit secretum: nemo enim tenetur exequi pœnam tam rigorosam contra seipsum, absq; Judicis sententia, maximè si sibimet ipsis resultaret gravis infamia. *Portel. in dub. Regul. Verbo Inhabilitas n. p.* & 4. *in fin.* Hinc optimè. *Donat. to.* 4. *Praxis tr.* 4. *q.* 10. *n.* 3. sic: *Solum excommunicatio, suspensio, interdictum, & irregularitas, statim admissa culpa, afficiunt animam culpantis, ante Judicis declaratoriam sententiam; secus autem cæteræ pœnæ; eciamsi forent privativæ, & facto hominis non indigerent; quia ita communis usus recepit: unde nec quidem pœna privationis vocis incurritur ante Judicis sententiam, dummodo non consurgat ex violata censura, vel ab irregularitate: nam effectus sapit naturam suæ causæ, & accessorium, secundum Juris Regulam, sequitur naturam sui principalis: quod dictum magis procedit in pœnis contentis in præsenti Bulla Pii V. ubi illa Clausula absque alia declaratione, refertur tantummodo ad excommunicationem ibi positam, non autem ad alias pœnas, ut ibidem est videre*, hactenus *Donatus l. c.* Et ante ipsum *Sanch. Oper. Moral. to. p. l.* 2. *c.* 22. *n.* 20. (ubi pro se, & sententia sua citat *Covarru.*, *Mexiam*, *Ludovic. Lopez*, *Graff.*, *Henriq. Manuel. Sotum c.* 39. *n.* 32. Ubi item refert *Cordub.*, *Metinam*, *Aragon. Salon. Navarr.*, & *Molin.*) & *to.* 2. *ejusdem Moralis Operis l.* 6. *c.* 15. *n.* 65. & *c.* 17. *nu.* 39. Hi enim omnes probabilius tenent aliquem Judicis actum desiderari, nempe declaratoriam ejus sententiam criminis ad dictas incurrendas pœnas, cum enim hæ sint pœnæ rigidiores, non videtur æquum, neque usu receptum, ut incurrantur absque sententia Judicis: atque illa verba, *absque alia declaratione*, intelligenda esse de declaratione pœnę, in quam ipso facto post sententiam Judicis declarativam criminis incurritur. (Hinc optimè *Portel. in Dub. Regular. Verbo Lex n.* 6. ait: *Leges Pontificiæ, & Religionum, ponentes privationes ab Officiis, & Prælationibus ipso facto, seu absque ulla declaratione, non obligant transgressores, ut facto delicto deponant Officia per se ipsos, sed possunt procedere. Semper enim debet expectari declaratio Judicis, non de pœna, sed de crimine, pro quo pœna est imposita. Rodriq. cum communi to. p. qu.* 7. *art.* 16. & *Vega* 2. *par. verb. Leges*, *casu* 7.) Præter autem relatos *à Sanch.* ejusdem sunt sententiæ, & opinionis, *Suar. de Relig. to.* 4. *lib. pr. cap.* 7. *n.* 10. *in fine*: (ibi: *Quo ad alias verò pœnas, probabile est necessariam esse sententiam declaratoriam ad incurrendas illas, juxta communiorem doctrinam in materia de Legibus.*)

Legibus.) *Diana Coord. to. 7. tract. pr. res.* 246. *Ex par. 3. tract. 2. res.* 66. *Pellizzar. in Man. to. p. tract.* 5. *cap.* 6. *sec.* 2. *quaest.* 22. *n.* 63. *Bassae. Verb. Claus. nu.* 16. & alii. Contra *Sayrum in Clavi Regia lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 35. *Bonac. de Claus. to. p. qu.* 5. *punct.* 3. *Proposit.* 2. *nu.* 2. *juncta q. p. punct.* 4. *nu.* 7. *Merolla to. p. Theolog. Moral. disp.* 1. *cap.* 2. *difficult.* 10. *nu.* 523. ubi etiam refert *Sorbum loc. cit. Sylvestr. Verb. Assassinus. in fine*, & ibi *Tabienam qu. unica n.* 3. *Azor. to. pr. lib.* 5. *cap.* 7. *qu.* 6. & alios: quibus adjungo. *Coriolan. de Casib. reserv. par.* 2. *Casu* 3. *nu.* 26. *Vers. Dubitatur Octavo.* (Addunt tamen idem *Coriolan.*, *Sorbus*, *& Sayrus*, & cum istis etiam *Merolla*, Religiosum admittentem fœminam intra Claustra Monasterii, si crimen est occultum non teneri desistere statim à suo Officii usu, neque ab exercitio vocum activæ, & passivæ, si propriam infamiam, propriique delicti manifestationem timeret, juxta communem omnium Theologorum sententiam de propria tuenda fama, & honore conservando; teneri quidem mediis occultis dispensationem petere, & nullatenus acceptare aliud Officium, ratione inhabilitatis.) Quorum omnium Doctorum, traditæ eorundem sententiæ, commune, unicumque (præcipuum saltem) fundamentum est, quia in *Bulla* imponitur pœna à Pontifice, non solum *Ipso facto*, sed *Sine alia declaratione*. Cui fundamento satisfit breviter à *Sanch.* atque à cæteris Doctoribus cum ipso laudatis, insistendo cum iisdem, requiri sententiam criminis declaratoriam, atque ea verba *sine alia declaratione*, intelligi de sola pœnæ declaratione, hoc est *sine alia declaratione pœnæ* cum hæc imposita fuerit in Bulla à Summo Pontifice: unde eadem Clausula, & verba, in hujusmodi sententia non sunt superfluè posita (ut contendit *Merolla l. c.*) quia ut optimè etiam *Sanch. cap. cit.* 22. *n. c.* 20. non excludunt omnem Judicis declarationem, sed solam pœnæ: & quamvis per verba, *ipso jure*, *ipso facto*, esset satis exclusa declaratio pœnæ, non ob id sunt superflua ea verba, absque alia declaratione, quia adduntur ad maiorem eorum verborum declarationem. Nec novum est verba in Decretis multiplicari ad maiorem declarationem: Ut in simili docet *Covarr. lib.* 2. *Variar. cap.* 5. *n.* 9. apud, & cum eodem *Sanch. n. c.* 20. Ubi in ejusdem, & suæ sententiæ confirmationem, arguit præterea: Non potest negari rem hanc esse dubiam. At in dubio non est interpretandum voluisse Legislatorem obligare ad pœnam ante omnem Judicis sententiam. Ut bene docent *Navar. in Summa Hispana cap.* 28. *in additione ad n.* 66. *cap.* 23. *& Simancas de Instit. Cathol. Tit.* 9. *n.* 227. quod maximè est verum, quando est dubium Juris, quale est hoc. Hinc optimè *Molina to.* 1. *de Justit. disp.* 96. *col. ult. Vers. Quod dictum est, fol. mihi* 362. docet, pœnas amissionis Officiorum ipso jure, & ipso facto statutas, exigere Judicis sententiam, nisi verba luce clariora importantia nullam exigi sententiam commisso crimine addantur. *De Nullo namque Legislatore* (inquit ibi) *præsumendum est voluisse illaqueare conscientias suorum subditorum, eos solius legis vi obligando ad executionem talis pœnæ*. Eo maximè quia, quando lex ipso facto pœnam decernit (ut bene *Sotus de Just. & Jure lib. p. q.* 6. *art.* 6. *Vers. Tertia Conclusio*) tunc sententia Judicis non est necessaria, ut feratur super pœnam, sed super crimen. In conformitatem autem traditæ hucusque doctrinæ, ac sententiæ, *Diana l. c.* existimat ita etiam esse intelligenda verba similia apposita *à Clem. VIII. in Bulla de Largitione munerum*, ut doctè adnotavit *Sousa in illius Explicatione n.* 102. & à *Gregor. XIII.* in Bulla quæ incipit, *Dubia quæ emergunt contra Prælatos ingredientes Monasteria Monialium*. Et à *Paulo II. in Extravaganti Ambitiosæ, de Rebus Ecclesiæ non alienandis*, cum *Henriqu. lib.* 13. *cap.* 56. *nu.* 41. *Graffio in Decisionib. par.* 1. *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 41. & aliis.

293 Si verò pœnæ imponerentur sub terminis *ipso facto*, *aut ipso jure*, *aut eo ipso*, *&c.* incurrendæ: & insuper adderentur hujusmodi dictiones, *Absque ulla declaratione*, *ante omnem declarationem*, *absque ullo Decreto*, *aut Ministerio*, *aut Sententia*: tunc ex *Vasq. p.* 2. *disp.* 170. *& Suar. de Legib. lib.* 5. *cap.* 8. commisso delicto tales pœnæ incurrerentur, & in conscientia obligarent ante omnem declarationem: quia tunc nihil aliud intendere videntur Bullæ Summorum Pontificum, & Decreta Sacrarum Congregationum Cardinalium, nisi, quod nulla expectetur sententia ad hoc, ut pœnæ incurrantur in utroque foro, & in hoc sint similes Censuris, & Irregularitatibus, aliàs superfluè, & frustra adderentur illæ dictiones, *Absque ulla declaratione*, *absque ulla sententia*, *ante ullam sententiam*, *&c.* Nihilominus aliqui Theologi apud *Lezan. to. p. Summæ c.* 10. *n.* 31. oppositum etiam tenent, dicentes, per illas dictiones denotari solum, non requiri ad hoc ut tales pœnæ incurrantur etiam in conscientia, sententiam Judicis declaratoriam, sed ante il-

lam incurri: non verò denotari, non requiri sententiam, aut delicti declarationem, quia dicunt hanc semper necessariam esse: & hoc non videri improbabile, affirmant *Ascanius Tamburin. de Jure Abbatissar. disp. 29. qu. 3. n. 4. & 5.* & idem *Lezana n. cit.* Quia sic (inquiunt) temperatur rigor legum istarum, quod videlicet non teneatur reus in se exequi pœnam sui delicti: & idemmet *Lezana* fatetur, ita consuluisse *Pœnitentiarios Ecclesiæ Sancti Petri Romæ*. Si plura desideras, vide Doctores super hac re, præsertim citatos. Et tandem

294 Quæres ultimò, Quis possit à dictis pœnis absolvere, vel dispensare? Respondeo primo. Ab excommunicatione contracta ob ingressum, à solo Summo Pontifice absolvi posse, quia eam sibimet reservavit, excepto mortis articulo, ut constat ex Textu ipso superius allato. Ab Episcopo etiam, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, si excommunicatio occulta sit, neque ad forum contentiosum deducta, virtute: *Trident. sess. 24. de Reformat. cap. 6.* ibi enim: *Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per ipsos, aut Vicarium ad id deputandum specialiter, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari.* Accedunt etiam DD. communiter. Cui Sacrosancti Concilii Decreto, non videtur esse derogatum per nouas Constitutiones, *Suar. de Pœnit. disp. 30. sec. 2. n. 12. 13. & 14. Bonac. de Censuris in communi disp pr. qu. 3. punct. 2. nu. 9. Vers. An vero. Bossius de Jubileo sec. p. Casu 10. §. 5. num. 249. fol. mihi 53. Gavantus in Manual. Episcopor. Verbo Absolutio n. 4. Diana Coord. tom. 4. tract. 3. ref. 27. ex par. 7. tract. 2. resol. 20. Mazuchellus de Casib. reserv. disp. 2. cap. 2. Difficult. p. n. 24.* aliique. Itemque ab eadem excommunicatione contracta ob ingressum &c. absolvere etiam possunt Confessarii Regulares approbati, virtute suorum privilegiorum (quibus Religiones fruuntur communiter, & in quibus communicant) habent enim privilegium absolvendi quoscumque Christi fideles, à quibuslibet peccatis, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, & à quibuscumque censuris, sententiis, & pœnis Ecclesiasticis ex illis resultantibus, præterquam ab his quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini. *Paulus III. Societati Jesu, sub die 3. Julii 1545. Pontificatus sui anno 2.* Quod privilegium incipit. *Cum inter cunctas sollicitudines nostras, &c.* Et habetur in *Collectione Privilegiorum Jo: Baptistæ Confecti, Privilegio 3. Sub Paulo III. fol. mihi 151. & 152. in Compend. Privilegior. Societatis Jesu Tit. Absolutio §. p. & in Compend. Privilegior. nostrorum Theatinor. Tit. Absolutio* quo ad Sæculares *§. pr. fol. mihi 46.* de quo etiam Privilegio Doctores sparsim, Patres ejusdem Societatis præsertim. Quo supposito privilegio.

295 Inquirunt hic DD. an Regulares Confessarii virtute hujus privilegii possint absolvere à Censuris, quamvis illæ publicæ sint, & deductæ ad forum contentiosum. Negant aliqui apud *Sanch. cap. cit. 17. n. 42. Bonac. de Clauf. disp. p de Clauf. punct. 5. n. 3. & Bassæ. Verb. Clauf. n. 17.* Quia cum illa facultas absolvendi, odiosa sit, & inferat damnum Ordinariis, in eorum favorem videtur restringenda, per notata *Cap. Olim, de Verbor. significat.* Nihilominus dicendum est, cum iisdem *Sanch. Bonac., Bassæo ll. cc.* & aliis ab his citatis; quibus addo *Palaum part. 3. de Voto Religiosæ Obedientiæ, disp. 4. punct. 8. n. 12. Peyrin. de Privileg. to. p. Const. 6. Julii 2. qu. 6. n. 21. Meroll. to. 1. disp. 1. cap. 2. Difficult. 10. sub n. 527. Vers. Præterea quilibet, fol. mihi 89. col. 2. in princip. & Donatum to. p. Tit. de Violata Clauf. tract. 4. q. 34.* Cum his inquam, & aliis DD. dicendum est, absolvi posse in foro conscientiæ virtute privilegiorum quibus communiter fruuntur Confessarii Regulares approbati, quamvis Censuræ illæ deductæ sint ad forum contentiosum, & licet publicæ sint. Et ratio est, quia in privilegiis Religionum conceditur facultas absolvendi à Censuris sine ulla restrictione, aut limitatione, igitur absolutè intelligendum est, & non restringendum ad casum, quo crimen non est publicum, nec ad judicium delatum. Præterea quando Summus Pontifex intendit limitare facultatem absolvendi, vel dispensandi, id solet exprimere, ut constat ex privilegio Episcopis concesso in præfato Decreto *Trid. sess. 24 cap. 6. de Reformat.* cum autem in privilegiis Religiosorum, talem limitationem non adiecerit, non est cur nos illam addamus. Neque hoc privilegium obest potestati Ordinariorum Judicum, quia isti integrum jus semper retinent in foro suo exteriori, ac si delinquens absolutionem non obtinuisset in foro interiori. Ita DD. citati. Ex eo autem quod Concilium supra restrinxit Episcopis hujusmodi facultatem, non inde tamen inferas

cuili-

cuilibet Sacerdoti electo per Bullam, cuilibetque Religioso ob privilegium Ordinis, potiori jure restringendam esse, quia Episcopis restringitur, eo quod sunt Judices non solum pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo. Deinde quia concessio Concilii est per modum legis, & Statuti, quę in privilegio Bullæ, & Ordinibus concesso, non procedunt, proinde non est mirum, quod horum virtute excommunicatio publica, deductaque ad forum exterius, absolui possit in foro conscientiæ, non autem concessione Episcopis facta. Latius *Sanch. cap. c. 15. n. 76. & cap. 17. n. 43.* & cum eodem *Pal. n. 12. c.* Cum quo ad superius ultimum quæsitum

296 Respondeo secundo. A Suspensione à divinis incursa ab his, qui feminas iniquè in Monasteria admittunt, utpotè non reservata Summo Pontifici, potest Episcopus absolvere, quamvis ad forum Contentiosum deducta sit. A Religiosis Regularibus Confessariis approbatis, virtute suorum privilegiorum, toties quoties id necessarium fuerit. Ita idem *Pala. n. 5. Vers. Deinde à Suspensione. Merol. diffic. c. 10. n. 525. Vers. Suspensio autem.* (addens *n. seq.* 526. absolvi posse, etiam si deducta esset ad forum contentiosum, quia talis facultas absolvendi à censuris, sine ulla restrictione, seu limitatione concessa est: at privilegium sine limitatione concessum, à nobis limitandum non est) *Pellizzar. l. c. qu. 23. n. 69.* (ibi, *Quod spectat ad suspensionem; cum Pius V. qui illam tulit, ipsam non reservaverit, omnes ab ea possunt absoluere*) & alii.

297 Respondeo tertio. A pęnis privationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, & alia &c. incursis ab his qui contra præfatas constitutiones, feminas in Conventus admiserint, si hæ pęnæ ipso facto ante Judicis sententiam contrahuntur (quod negare videtur *Sanch. cap. c. 15. n. 65. & 78.*) & sint occultæ; neque ad forum contentiosum deductæ, potest Episcopus dispensare sibi subditos virtute *Conc. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6.* concedentis (ut supra) Episcopis omnes casus occultos etiam sedi Apostolicæ reservatos. Idipsumque possunt & Prælati Regulares ex concessione relata *Pauli III.* facta Prælatis Societatis Jesu, qua fruuntur omnes alii Religionum Prælati, & qui in eisdem privilegiis communicant: virtute cujus Concessionis in hac privatione, & inhabilitate dispensare possunt; quia ibidem conceditur potestas absolvendi ab omnibus casibus sedi Apostolicæ reservatis præter contentos in Bulla Cœnæ; & ab omnibus censuris, & pęnis consurgentibus ex eis. Cum autem hæ pęnæ consurgant ex delictis non reservatis in Bulla Cęnæ, possunt utique à dictis Prælatis dispensari. Et quamvis privilegium, verbo *absolvendi* utatur, & hæ pœnæ, non absolutione, sed dispensatione aboleri debeant, non obstat, quia sæpe absolutiotionis nomen habet in privilegiis latissimam significationem, ut significet, idem quod tollere, & abolere, quod notat etiam *Suar to. 4. de Relig. lib. 2. cap. 21. in fine n.* 16. ubi sic: *Dicendum, verbum absolvendi latius sumi pro verbo abolendi, seu tollendi, quæ verba abstrahunt ab absolutione, & dispensatione: sicut enim sub potestate ligandi, & solvendi, includitur potestas dispensandi, ita verbum absolvendi potest interdum sumi in illa generali significatione, quæ dispensationem includit:* idem innuit *Pal. n. c. 12. Vers. In privatione in fine*, cum eodem *Suar.*

298 Idemque possunt Prælati Regulares virtute alterius concessionis, & privilegii *Pii V.* de quo, *Sorbo in Compend. Verb. Ingredi Monasteria Fratrum, & Monial. in Annotat. pag. mihi* 366. *Versu Dico* 4. refert, ut sequitur: *Provinciales Ordinis Sancti Dominici in Hispania, & per viam communicationis, omnes Provinciales aliarum Religionum, eorum Privilegiorum participantium, possunt in foro conscientiæ suos Subditos absolvere; non solum à suspensione à Divinis, sed etiam ab aliis pœnis in præsenti Motu proprio contentis, habilitantes eos ad Officia habita, & habenda: Et hoc quando scilicet secreto Mulieres admiserunt in Conventu: Quæ quidem facultas colligitur ex illa Bulla Pii V. Provincialibus Ordinis Prædicatorum in Hispania concessa; In qua conceditur pro suis subditis in foro conscientię tota illa auctoritas, quæ à Sacro Concilio Tridentino Episcopis conceditur pro suis, ut possint, scilicet, dispensare in omnibus Irregularitatibus, & Suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, illa excepta quæ oritur ex homicidio voluntario, & in judicio non fuerit deducta.* Hactenus *Sorbo.* Et de hoc eodem Privilegio (uti & de aliis quæ brevitatis gratia omitto) mentionem faciunt Doctores, præsertim *Sanch. n. c.* 78. Ubi etiam notat, quod: *Licet Privilegium loquatur de Provincialibus Ordinum: Motus tamen proprius expresiè loquitur etiam de Superioribus localibus. Idque jure optimo, quia hi quoque quasi jurisdictionem Episcopalem in suos subditos habent. At nequeunt Superiores hi Religionis, hanc facultatem delegare:* ita *Sanch. l. c.* Et idem habet quo ad negatam facultatem delegationis idemmet *Sorbo l. c. Versu Unde ex hac:* (ibi enim.)

Debent

Debent ipsi Provinciales advertere, quod quamvis Episcopis concedat Concilium posse hanc authoritatem delegare, eis tamen est denegata in Bulla Pii V. Cum dicat, quod ipsi per se ipsos tantum illud possint. Quod advertit etiam *Pala. Versu cit. In privatione Officiorum* (ibi) *Ob Constitutionem Pii V. in favorem Dominicanæ familiæ, cujus meminit Man. Rodriq. to. p. qq. Regul. qu.* 69. *ar. p. possunt hujus Religionis Prælati, & omnes alii, Privilegiis eorundem fruentes, suis Subditis eas dispensationes concedere, quas possunt Episcopi, ea tamen conditione, ut per se ipsos, & non per substitutos, & delegatos faciant.* Cui conditioni valde quadrat quod docet optimè *Suar. de Relig. to.* 4. *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 4. Dicendum (ait) *ex vi Privilegiorum, in quibus Prælati nominantur, non posse Ministros inferiores, vel Confessores absolvere, quia nulli alii sunt proprii Prælati, & Privilegium non extenditur ultra verborum proprietatem.* (Vide eundem *Suar. n. p. & 2. c. c.* ubi, quando in Privilegiis, & Indultis conceditur facultas aliqua generatim Prælatis, an hæc extendatur etiam ad Prælatum Conventualem? Et quando conceditur in singulari, ut Abbati, vel Superiori locali, an ipso jure censeatur eadem facultas communicata Generali etiam, & Provinciali?) Præter autem citatos, sentiunt (inhærentes pariter eidem præfato Privilegio *in Piana Bulla* contento) Generales, & Provinciales, aliosque Superiores locales per se ipsos tantum, non tamen per alios à se delegatos gaudere eodem Privilegio erga suos subditos in foro conscientiæ, *Bonac. de Clauſ. disp. p. punct.* 5. *nu.* 5. *Verſ. Si verò. Meroll. Diffic. c.* 10. *n.* 129. *Verſu Cæterum quia. Donat. to. pr. par.* 2. *tit. de Violata Clausura tract.* 4. *quæst.* 30. *n.* 6. *Pellizz. to.* 2. *Man. tract.* 9. *cap.* 3. *sec.* 4. *quæst.* 9. *n.* 117. *Versu Addo quod: in fine*, & alii.

299 Si verò delictum est publicum, neque Episcopi, neque Superiores Religiosorum dispensare possunt in dictis pœnis, inhabilitatibus, ac privationibus, atq; adeò dispensatio obtinenda est à Summo Pontifice (cum sint pœnę Jure Pontificio Statutæ) quia inferior Summo Pontifice (regulariter loquendo) non potest in ejus lege, & pœnis ab eo latis dispensare, quod à fortiori in omnium sententia verum est, si secuta sit Judicis sententia. *Bonac. de Clauſ. disp. pr. punct.* 5. *nu.* 5. *Meroll. Diffic. c.* 10. *sub n.* 528. *Verſ. Sanch. denique, in fine*, & alii. Posse autem Episcopum, & Religionis Prælatum cum suis Subditis in dictis pœnis dispensare, postquam resipuerint, egerintque pœnitentiam, affirmat, & ut verius credit *Pala. sub nu. c.* 12. *Verſ. Sed quid in fine: Quia* (inquit) *cum hæ pœnæ Pontifici non sint reservatæ, censentur Ordinariis concessæ. Argum. Cap. Nuper, de Sententia Excommunicat. Expedit enim hæc concessio recto Ecclesiæ regimini. Sic pluribus firmavi Tract.* 3. *de Legibus disp. ult. de dispensat. punct.* 6. *appositis quibusdam limitationibus, quæ ibi videri possunt.* Videantur. Pro complemento autem, ac majori declaratione, notitiaque intimiori quorundam antedictorum, nonnulla ulterius remanent hic advertenda: Et

300 Primò, Circa præfatam Excommunicationis censuram Summo Pontifici reservatam, excepto mortis articulo, advertendum est, justè impeditum, vel impeditam (& cum non possit) non teneri personaliter Romam adire pro absolutione à Summo Pontifice obtinenda: ita etiam communiter DD. præsertim. *Duardus in Bullam Cœnæ Domini libr.* 3. *in §.* 2. *qu.* 8. *concluſ. p. à n.* 10. *fol. mihi* 739. & cum ipso *Tamburin. de Jure Abbatissar. disp.* 16. *qu.* 8. *nu.* 7. Et ratio Generalis est, ne scilicet periculum animæ immineat, ob dilationem absolutionis: Et ne reservatio, quæ pro bono charitatis est inventa, contra charitatem vergat, & in periculum animarum. Adde cum *Gregorio Polacco p.* 2. *Vacat. Epidem. de Confess. Monial. n.* 4. (relato *à Tamb. loc. cit. n.* 8.) quod si ab hujusmodi censuris non possent impediti per alium absolvi, quam per Romanum Pontificem, profectò ad impossibile obligarentur, contra textum *in l. impossibilium, ff. de reg. Jur.* Quo namque pacto senio confecti, infirmi, & alii similes, qui ad labores itineris penitus sunt inutiles, & multo magis Moniales, quibus imperata est perpetua Clausura, Romanam Sedem adire poterunt? Igitur ne Pia Mater Ecclesia videatur, fideles ad impossibile obligare, affirmandum quod sicut concessit, ut constituti in articulo mortis per alium quam per Romanum Pontificem absolvi possint ab omnibus casibus, & censuris, ita etiam idipsum concesserit justè impeditis. Et adeò hujusmodi impediti absolvi possunt per alium, quam per Romanum Pontificem à casibus, & Censuris Apostolicæ Sedi reservatis, ut non teneantur Epistolam ad ipsum Pontificem, nec Procuratorem mittere, vel Nuncium, qui eorum nomine vices gerat in petenda absolutione, quoniam à jure ad id non obligantur. *Navarr. in Man. cap.* 27. *num.* 89. (Ibi:) *Ii quibus justum adest impedimentum judicio*

judicio probi viri, quominus adeant Sedem Apostolicam, vel Nuncium à Latere (qui etiam potest absolvere) possunt absolvi ab Episcopis, &c. modo pro juribus satisfaciant, & jurent sublato impedimento, se præsentaturos apud Sedem Apostol. qui postea nisi se præsentent, quam citius commodè poterunt, reincidunt in eandem excommunicationem, Cap. Eos qui de Sent. Excommunicat. in 6.) Duardus l. c. n. 21. (Cum *Ugolino, & Alterio ibi citatis*, addens *n.* 23. *Impedimentum debere esse justum: & legitimum) Bonac. de Cens. in Comm. disp. pr. qu. 3. punct. 2. propos. p. q. 3. Vers. Respondeo posse: sub n. 4.)* Existimat tamen *Versu Ego verò* subsequenti, laborantem aliquo impedimento ex recensitis ab ipso *Vers. cit. antecedenti, Respondeo &c.* teneri mittere Romam saltem Epistolam, si commodè potest, pro absolutione obtinenda, quod tamen ex *Navar., Ugol., & Duardo*, negat *Tambur. l. c. n. 9. Quoniam* (inquit) *à jure ad id non obligatur (Henriq. lib. 6. de Pœnit. cap. 9. n. 7.* cum quo etiam *Avila de Cens. par. 2. cap. 7. disp. p. dub. 6. sub Conclus. 3. Vers. Secundo nota* (ubi, *Qui propter aliquod ex relatis impedimentis est impeditus ire personaliter Romam, non tenetur mittere procuratorem pro absolutione, nec Epistolam)* Adde cum *P. Diana to. 3. Coord. tract. 3. res. 28. n. 2. Ex par. 7. tract. 10. & Miscell. p. res. 23.* (contra *Thesaurum in Praxi de pœnis par. p. cap. 24. §. Respondeo tertio, Verbo Amplia tertio fol. mihi* 59.) impeditum aliquo justo impedimento Romam personaliter adire pro absolutione à Summo Pontifice obtinenda, nec teneri per Epistolam recurrere ad *Sacram Pœnitentiariam*. Sed neque talis impeditus adire Papam, tenetur (etiam si possit) adire Legatum à quo absolvatur; *Henriq. lib. 12. de Matrim. cap. 3. n. p. in Glossa, litera H* (ubi ait, Revera id non probari expresso jure, & sufficere non esse recursum ad solum Papam, sic .n. *Episcopus tamquam proprius Pastor posset, quando non est recursus ad solum Papam:* Addens, ita etiam sentire quosdam Recentiores) *Avila l. c. Versu Quarto nota* (ibi enim ait: *Et ego idem judico cum P. Henriq.: nam in his casibus absolvit Episcopus tamquam proprius Pastor, & potestate ordinaria: illa enim potestas ordinaria, quę sublata erat ei per reservationem, restituta est existente impedimento recurrendi ad Papam.* Versu tamen antecedenti, notat, quod qui propter aliquod impedimentum absolvitur ab Episcopo ab Excommunicatione reservata Papæ, debet cessante impedimento se præsentare Sanctitati suæ) *Duardus l. c. Conclus. 3. sub n. 56. Vers. Quod quidem:* sic ibi arguens: *Post Summum Pontificem Ordinarius Pastor est Episcopus: Ergo videtur dicendum absolvi posse hujusmodi impeditos ab Episcopo, etiam si à Legato obtineri posset.*

301 Neque huic doctrinæ obstat *Cap. Ea noscitur de sent. Excommunicat.* Ex quo constat, etiam post absolutionem ab alio datamquam à Romano Pontifice, vel ejus Legato propter urgentem necessitatem, comparendum esse coram Pontifice, vel Legato ejus, si id fieri possit, à quibus etiam absolutionis beneficium impertiri, & obtineri debebat: Ergo vi hujus *textus*, si ab initio absolutio obtineri potest à Legato, ab hoc eodem est quærenda, & danda non ab Episcopo, & inferiore. Non in quam obstat, nec contrarium ex hoc textu deducitur, quoniam idcirco vi ejusdem, absolutus tenetur se exhibere coram Romano Pontifice, vel ipsius Legato, quia absolutio de qua in *dicto cap.* est ab excommunicatione ob Clerici percussionem à qua absolvi potest etiam à Legato Romani Pontificis, ut in *eodem cap.* in quo, *In Summario* ejusdem sic: *Clemens III. Excommunicatus per Canonem Si quis suadente, sit dives, vel pauper, per Papam absolvendus est, vel ejus Legatum: Fallit in Muliere, sene, infirmo, vel mutilato; qui per Episcopum absolvi possunt.* Quo circa, licet concedatur quod eo casu quando absolutio obtineri potest à Legato, non sit tribuenda ab Episcopo: non tamen quo ad alios Casus Sedi Apostolicæ reservatos, quo ad illos enim dicendum, absolvi posse impeditos ab eorumdem Episcopo, etiam si absolutionem obtinere possent à Romani Pontificis Legato (ut supra) quoniam militat diversa ratio; & à diversis non fit illatio *l. Papinianus Exuli, ff. de minor.* Ita etiam *Duardus Vers. cit. Quod quidem. Et versu Sed revera n. 4. & versu sequenti. Confirmatur quoniam.* Favet etiam hujusmodi interpretationi *Summarium Cap. Quod de his, de sent. Excomm.* ita se habens: *Excommunicatus propter injectionem manuum in Clericum, impeditus ire ad curiam, potest ab inferiore absolvi: sed impedimento cessante, tenetur curiam visitare, suscepturus mandatum Apostolicum.* Et in eiusdem interpretationis confirmationem, sic in dicto *Textu Cap. citati Quod de his: Is qui asserit se in Canonem latę sententiæ incidisse, non aliter quam per Sedem Apostolicam, vel ejus Legatum absolutionis potest beneficium obtinere: Nisi fortè sit in mortis articulo, aut infirmitate, vel senectute tanta gravetur, quod ad Ecclesiam Rom. Laborem subire non valeat*

veniendi:

veniendi: Ex ibi notat etiam *Glossa Verbo Casus*, quòd, *In mortis articulo constituti, pauperes, senes, & debiles, vel alio justo impedimento impediti, si in Canonem latæ sententiæ inciderint, possunt ab Episcopo loci absolvi*. Favent igitur, ut constat, hujusmodi *Jura* traditæ doctrinæ; cui nec se opponere videtur *Cap. eos qui, de Sentent. Excommunic. in* 6. cùm ibi etiam *Textus*, & *Glossa* ponant casum in excommunicato ob Clerici percussionem, ut patet legenti, & notat pariter *Duardus versu cit. Confirmatur quoniam, in fine*: affirmans præterea *Prima Conclus. fol.* 739. *n.* 9. *in Princip. Primæ Conclus.* impeditos quamvis excommunicatos ob aliam causam quam ob Clerici percussionen, & quoscumque excommunicatos impeditos, absolvi posse etiam extra mortis articulum (seu periculum) ab eorum censuris, & casibus reservatis per alium quam per Romanum Pontificem, seu per eum, ad quem jure ordinario absolutio pertinet. Quod etiam probatur; tum ex dicto *Capit. Eos qui; de Sentent. Excommunicat. in* 6. Ubi Romanus Pontifex, *in textu*, loquitur generaliter de excommunicatis impeditis (absque ulla restrictione) ut videlicet ipsis indultum sit, ut ab alio absolvantur, quando impediuntur, quominus eum adeant; à quo jure ordinario absolvendi erant: nec distinguit de excommunicatis ob unam, vel alteram causam; igitur generaliter de omnibus excommunicatis intelligendus est, quia lex generaliter loquens, generaliter etiam intelligenda est, & si hæc non distinguit, nec nos distinguere debemus: *leg. prim. §. Generaliter, ff. de legat. præst. & leg. de pretio, ff. de public. in rem action.* Unde, & *Summarium ipsum ejusdem Capitis*: sic generaliter habet: *Absolutus propter mortis, vel aliud impedimentum ab eo, à quo aliàs non poterat: si cessante impedimento se non præsentat cum commodè potest, ei à quo aliàs absolvi debebat, recidit in eandem sententiam. Idem in absoluto, qui se debet alicujus conspectui præsentare, si hoc non faciat*. Tum quia Ratio qua Romanus Pontifex movetur ad indulgendum impeditis, ut ab alio, quam per eum, ad quem jure ordinario absolutio pertinet, absolvi possint, est generalis in quacumque reservatione, & non particularis, adeò ut non sit magis in una, quam in altera; ne videlicet, pro dilatione absolutionis, periculum animæ immineat (ut expressè ait *Gregorius IX. in Capitul. Ne pro: ultimo de Pœnitentiis, & Remissionibus. Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum permittimus Episcopis, & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam, providum, & discretum sibi possint eligere Confessorem.* ibique *Glossa, Verbo Periculum immineat sic: Propter periculum moræ detur absolutio statim, quę aliàs non daretur*.) Et ne, quæ pro bono charitatis est inventa, contra charitatem vergat. Hinc cùm hæc eadem ratio militet pro quocumque crimine, & reservatione, consequenter dicendum est, quòd excommunicati ob quamlibet causam, si justè sint impediti, absolvi possint per alium, quam per eum, ad quem jure ordinario spectat absolutio. Tum quia si justè impediti non possent ab inferiori absolvi: sit quis habens impedimentum perpetuum, & sic excommunicatus vivat centum annos, & nunquam posset absolvi, nisi in articulo mortis, is certè per adeo longum temporis spatium, privatus existeret Sacramentorum participatione, fidelium communione, & Ecclesiæ Suffragiis, quamvis ipse recesserit à contumacia, & paratus sit obedire Ecclesiæ mandatis: hoc autem cederet (ut patet) in detrimentum Pontificiæ benignitatis ejusdemque pietati proculdubio valde derogaret. Quod totum docet etiam *P. Duardus Conclus. p. cit.*: sub qua etiam *n.* 12. ampliat Conclusionem eandem, ac doctrinam, ut locum sibi vendicet in quocumque excommunicato impedito, sive à jure, sive ab homine excommunicatus sit, nam is etiam poterit (ut impeditus) ab inferiore absolvi: ut constat ex relato *Cap. Eos qui; de Sent. Excommunic. in* 6. ob sequentia verba *in princip. Cap.* posita. *Eos qui à Sententia Canonis, vel hominis &c.*

302 Quibus rationibus (& aliis etiam quæ videri possunt apud eundem *P. Duardum*) idem dicendum venit (*imo multo magis*; ait idem *P. Duardus*) de Excommunicatis, nedum in *Bulla Cœnæ*, ut supra, verùm etiam pro casibus specialiter reservatis in *Decreto Clem. VIII.* & ejusdem Declarationis, confirmationis, & innovationis *Sanctiss. Pauli V.* Videlicet, pro Violatione immunitatis Ecclesiasticæ in terminis *Constitutionis Gregor. XIV.* Violatione Clausurę Monialium ad malum finem. Pro provocatione, ac pugna in Duello. Pro violenta manuum injectione in Clericos. Pro Simonia reali scienter contracta: ac etiam pro Confidentia Beneficiali. Pro quibus quoque casibus, atque Censuris innodati, si impediti, ad eum non possint recurrere, ad quem jure Ordinario pertinet absolutio (hoc est ad Rom. Pontificem) possunt ab

inferiori

inferiori absolvi, ut supra in omnibus aliis Casibus. Quod tamen limita (ut supra, etiam, ex Jure Canonico, & Doctoribus communiter) quando impedimentum justum est, atq; legitimum: non enim quodlibet impedimentum est sufficiens, ut à reservatis possit quis absolvi per alium, quam per Rom. Pontifiem, sed impedimentum debet esse Canonicum, ut dicitur in *Cap. Quamvis de sentent. Excommunicat.* ubi, *Nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia: puerili, vel senili ætate, fragilitate sexus, seu alia corporis impotentia; sive quolibet impedimento Canonico retrahatur, quo minus Romanum Pontificem possit adire: vel nisi Juris beneficio à labore hujusmodi excusetur &c.* ibbi addens *Glossa (Verbo, Juris beneficio) Ut Servi &c.*

303 Hic autem obiter nota, *Mortis articulum*, primò inter impedimenta in jure Canonico, & à Doctoribus recensitis, strictè adeò intelligendum haud esse (vt volunt *Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. col. 4. Vers. Quæris autem.* & cum ipso *Valent. to. 4. disp. 7. qu. 10. punct. 2. Col. 6. Vers. Primo cum, & Cano in Relect. de Pœnit. par. 5.*) quando videlicet, mors est in fieri, & adeo certa, & proxima, ut moraliter vitari nequeat, sive violenter, sive naturaliter sit eventura. Verius enim dicendum est, cum *Molin. de Just. to. 4. tract. 3. disp. 63. n. 6. Vers. Quod verò, Caspensi Cursus Theologici to. 2. tr. 25. disp. 2. sec. 12. nu. 139.* & aliis, *articulum mortis*, quo ad effectum obtinendi absolutionem, de qua hic loquimur, idem esse, ac *periculum mortis*, & ita accipi debere in casu nostro *articulum mortis*. Et ratio est, quia Ecclesia providere voluit necessitati indigentis absolvi, ne absq; absolutione pereat: ergo non sunt excludendi constituti in periculo mortis. Quamvis enim si in verborum rigore loquendum sit, inter articulum, & periculum mortis, quo ad vim verborum utique illud discrimen est, quod *Sotus, & Canus* constituunt; nihilominus in *Jure* [ait *Moli. l. c.*] *& à Doctoribus, pro eodem hac in re usurpantur.* Si quidem (ut optimè etiam *P. Pasqualig. de Casib. occurrentib. tempore mortis qu. 212. n. 4.*) *Jura*, reservantia aliquos Casus, excipiunt nedum articulum mortis, sed etiam periculum, extendentes articulum ipsum, ad periculum mortis: Unde in *Cap. Si quis suadente, Causa 17. q. 4.* articulus mortis, dicitur mortis periculum, ibi, *Si quis suadente Diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Item in *Cap. Ea noscitur, de sentent. Excommun.* dicitur, *Infirmitatis tempore, timore mortis*, licitum esse ab eadem excommunicatione absolvere. Et in *Cap. Eos qui, de Sentent. Excommunic. in 6.* Agens Summus ille Pontifex de absolutione ab excommunicatione reservata, promiscuè utitur verbis, *Articulo mortis, & periculo mortis:* In *Summario* namque dicitur, *Absolutus propter mortis periculum, vel aliud impedimentum, &c.* In *Textu* sic: *Propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum.* Immediatè post: *Cessante postea periculo, vel impedimento hujusmodi, &c.* Et in *Glossa, Verbo Eos qui: Absolutus propter mortis periculum, vel aliud impedimentum ab eo à quo alias non poterat, si cessante impedimento, se non præsentat, cum commodè potest, ei à quo alias absolvi debebat, recidit in eandem sententiam.* Jura igitur, ut patet, non excludunt constitutos in periculo mortis, & meritò, quia ratio ob quam fuit ducta Ecclesia, ut vellet in mortis articulo absolvi posse pœnitentes ab excommunicatione reservata, ut supra, est, ne aliquis propter defectum absolutionis amitteret æternam felicitatem, cruciatibusque adigeretur sempiternis, sed hæc eadem ratio habet similiter locum etiam in mortis periculo, imò, & communem, ac receptum in Ecclesia usum (ut advertit etiam *Molin. n. 6. c.*) qui est optimus legum interpres. Ergo. Neque enim credendum est (ait idem *Molin. l. c.*) piissimam Matrem Ecclesiam, quæ Spiritu Sancto ducitur, contrarium voluisse in solo mortis periculo, ut si quis ex. gr. ingressurus sit justum periculosissimum bellum, quod neque licitè, ac sine peccato nequiret illud statuere, quod sufficientissimum est, ut asseramus absque omni dubio contrariam fuisse Ecclesiæ mentem. Præterea, si in verborum rigore in hac materia standum esset, intentumque Ecclesiæ fuisset, licere solum absolvere à reservatis in solo mortis articulo, & non in mortis probabili periculo, in quovis morbo lethali, aut periculoso non liceret patientem absolvere antequam ipse angustias mortis ingrederetur, quandoquidem, esto laboret infirmus morbo quantumcumque lethali, non dicitur propriè, ac in rigore esse in articulo mortis, quis autem affirmabit, tam arctam facultatem, hac in re ab Ecclesia fuisse concessam, cum neque id sanè habet Ecclesiæ usus? Adde etiam cum *Moli. in fine n. 6. c.*

T quod

quod sententia *Soti*, & sequentium admissa, sequitur ex ipsa, absolutionem à reservatis datam, ei, qui absque periculo mortem evasit, nunquam fuisse validam, eo quòd ille nunquam fuit verè in articulo mortis; proindeque de eo non esset dicendum, reincidere in Excommunicationem reservatam à qua fuit absolutus, si cum primum commodè posset, non se præsentaret Summo Pontifici, sed nunquam ab ea fuisse liberatum: Contrarium tamen habetur in *Cap. c. Eos qui:* & affirmat communis Doctorum sententia. Periculum mortis tunc censetur adesse, quando est probabile dubium de morte, & in eo casu frequenter evenire solet, ut in partu ver. gr. quarumdam feminarum: in periculosa navigatione: in conflictu periculoso in bello: in itinere cum periculo occisionis à prædonibus, vel inimicis sustinendæ: in morbo, qui majori ex parte mortem solet inferre, &c.

304 Quando igitur contingit aliquod ex recitatis, aut consimilibus, & adesse verum, mortis periculum, vel aliud impedimentum; sufficiens est quodlibet, ut quivis ita impeditus absolvi possit [ut supra] à reservatis per alium quam per Romanum Pontificem, dummodo justum sit impedimentum, legitimum, & satis ad excusandum quominus adeant Apostolicam Sedem. Qua in re, an videlicet tali periculo Vitæ, vel tali justo impedimento in particulari, ita quis excusetur, ut nequeat adire, *Judicio probi viri* statuendum esse, ait *Navar. in Man. cap. 27. n. mihi 88. & 89. fol. 546.* Et illud esse justum impedimentum, satisque ad excusandum (inquit *Duardus concl. p. c. n. 23. Vers. Secundò limitatur) quod ab Episcopo sufficiens erit judicatum: Et tunc absolvendus* (addit) *tutus erit in conscientia, si judicio Episcopi acquiescat.* Non esse tamen hujusmodi rem adeò coarctandam, ut solius Episcopi judicio standum sit, quin requiri quoque possit in hoc eventu, etiam pii, prudentis, ac docti viri sententia (ut supra *Navarr.*) docet *Alterius*, quem refert, & approbat idem *P. Duardus n. sub. seq.* 24. A quo etiam sub *n. n. 25. 26. & 27. seqq.* nonnullæ traduntur regulæ ad agnoscendum quando justum, & Canonicum sit impedimentum: quod facit etiam in *princip. cit. qu. 8. n. 2. Vers. Id autem, fol. 737.* Ubi sex enumerat impedimenta, sequentia videlicet. *Primò*, Ratione ætatis, ut sunt Impuberes. *Secundo*, Ratione sexus, ut sunt Mulieres. *Tertio*, Ratione imbecillitatis, ut sunt Senes, valetudinarii, membrorum destituti, & alii delicati, quod laborem veniendi ad Apostolic. Sedem nequeunt sustinere. *Quarto*, ex defectu libertatis, ut sunt Servi, Carcerati, & his similes: non tamen filii familias, nisi sint Impuberes, ut per *Glossam in Cap. Mulieres de Sentent. Excommunic. in Verbo Sui Juris. Quinto*, Ratione paupertatis, ut si tanta sit, ut excommunicatus non nisi mendicando Romam adire possit, cum alias mendicare non fuerit solitus. *Sexto*, Ratione cujuslibet Canonici impedimenti, quod consistit in qualibet alia rationabili causa: ut subvenire Parenti graviter indigenti: Uxorem alere, vel filios: exercere aliquod munus publicum, ratione Officii, quod gerit, quod sine gravi detrimento, vel communi, vel privato deserere non potest: ita cum *Alterio in Explic. ejusdem §. Col. 11. & 12. Duard. n. 2. cit.* quibus addo *Navar. in Man. cap. 27. nu. 88. 89. & 90. Avilam de Cens. par. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 6. concl. 3. & Caspens. to. 2. Cursus Theologici tract. 25. qui est de Cens. disp. 2. sect. 12. n. 134. fol. mihi 650.* Qui DD. & si in recensendis recitatis à *P. Duardo* impedimentis, tum in ordine, tum in numero varient materialiter aliquantisper: virtualiter tamen, implicitè, ac formaliter conveniunt, ut legenti, & consideranti patebit.

305 Sicuti autem habentes reservata Summo Pontifici, nec valentes Romam adire, detenti, ob aliquod justum, ac legitimum impedimentum ex prænarratis, si subditi sint Domini Episcopi (& eorundem delicta sunt occulta) absolvi possunt ab ipso, ut supra; ita etiam, si subditi sint Prælatorum Regularium, ab istis pariter queunt absolvi, quo ad forum conscientiæ; dispensarique respectivè. Quia Prælati Regulares, tum Supremi, uti sunt Abbates Generales, & Provinciales, tum infimi, ut Conventuales Priores, Præpositi, Guardiani, & similes, in suos subditos habent jurisdictionem quasi Episcopalem: prout tradunt *DD. in Clement. I. de Rebus Ecclesiæ non alien. Verbo Proprii.* Et colligitur *ex Cap. Abbates, de Privilegiis in 6.* Cum enim hi omnes non subdantur DD. Episcopis, sed immediatè Domino Papæ, loco ipsorum Episcoporum succedunt Prælati Regulares, quo ad regimen Religiosorũ Subditorum, unde dicuntur etiam hujusmodi Prælati Episcopi æquipollenter: & habere in suos Subditos jurisdictionem quasi Episcopalem, *Suar. to. 4. de Relig. lib. 2. cap. 12. & 13.* & aliis omissis, *Lezza. to. p. Summ. c. 18. n. 2.* ubi, *communiter Auctores in Clement. I. & in Cap. Abbates*, ut supra.

supra. Sed sic est, quod Episcopi jure *Concilii Trident. sess. 24. de Reform. cap. 6.* possunt in omnibus censuris, irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, & in omnibus aliis casibus Papalibus, ad forum contentiosum non deductis, delinquentes quoscumque sibi subditos, absolvère, & dispensare, ut *ibi* dicitur. Ergo & Prælati Regulares idem peragére possunt erga suos subditos: eo maximè quia, etiam ipsi, secundum probabilem opinionem comprehenduntur sub eodem *Tridentini Decreto*, ut tenent *Rodriq. to. pr. qq. Regular. qu. 61. art. 9. Sanch. de Matrim. to. 3. lib. 8. disp. 2. n. 12.* (cum aliis *ibi* relatis) item *disp. seq. 3. n. 9.* (cum aliis pariter *ibi* citatis.) *Bossius de Jubileo sec. 1. §. 10. n. 220.* (ubi *Beja p. 4. Casu 37. & à S. Fausto Thesauri Religiosor. qu. 125.*) *Portel. in Dubiis Regularium Verbo Prælati Potestas nu. 36. Sayrus in Clavi Regia lib. 6. cap. 11. nu. 82. Bordon. res. 2. q. 10. & res. 3. q. 17. Diana to. 3. Coord. tract. 3. resol. 6. Ex par. 4. tract. 4. & Miscell. resol. 211. Et tom. 7. Coord. tract. 1. res. 291. Ex par. 7. tract. 2. res. 5. Donat. in Praxi Regular. to. p. par. 2. tract. 4. qu. 30. & to. 4. tract. 4. qu. 8. nu. 10.* aliique, Quorum omnium doctrina, & sententia.

306 Probatur, tum quia Prælati Regulares sunt exempti, & habent jurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos Regulares, & etiam proprium Territorium, quod non est pars Diœcesis alicujus Episcopi, sed est veluti Diœcesis propria distincta à Diœcesi Episcoporum: Nam Monasteria Prælatorum Regularium sunt exempta, & immediatè subiiciuntur quo ad jurisdictionem in utroque foro eisdemmet Prælatis, & consequenter sunt Episcopi æquipollenter: comprehenduntur ergo in dicto Decreto, uti habentes jurisdictionem in subditos suos Regulares, uti Episcopi, & alii, in suos Sæculares. Vi igitur vi dicti Decreti, possunt uti dicta facultate dispensandi, & absolvendi erga suos subditos Regulares. Tum quia, illud *Trid. Decretum* est favorabile, ergo ob eandem identitatis rationem extendendum est etiam ad Prælatos Religionum, cum præsertim hoc idem resultet in bonum Religionis, cui certum est Sūmum Pontificem plurimum favere velle. Tum etiam quia, alioqui Religiosi pejoris essent conditionis quam Sæculares Laici, & relinquerentur à Concilio absque convenienti suarum animarum remedio, si in dictis Casibus pro dispensatione, & absolutione tenerentur adire, vel Summum Pontificem, vel alios Prælatos extra Religionem, & propria Monasteria, qui non essent Pastores proprii; quod etiam vergeret in grave damnum Regularis disciplinæ, quia Religiosis occasio vagandi præberetur. Hæ sunt rationes præcipuæ quibus DD. laudati firmant suam relatam sententiam. At quidquid sit de probabilitate ejusdem.

307 Apud me certum est, prædictam facultatem *Tridentini* competere Prælatis Regularibus per Bullam *Pii V.* Patribus Dominicanis concessam *die 21. Julii, Anno* 1571. (communem per participationem omnibus Prælatis Regularibus) relatam per extensum à *Confectio in Collect. Literar. Apostolicar. & Privilegior. Mendicantium, fol. mihi 186. in Impressione Veneta*, (& aliis omissis) à *Rodriq. punc. 9. c. in fine*, (& item aliis omissis) à *Piasecio in Praxi Episcopali p. 2. cap. 3. art. 6. sub n. 78. fol. mihi 246. in princip.* cujus *Bullæ*, *seu Privilegii* tenor est sequens. *Pius Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis circumspecta benignitas, honestis petentium Votis personarum, quæ sub Religionis jugo altissimo famulantium statum, & salubrem directionem respiciunt, ad exauditionis gratiam libenter admittit, & favoribus prosequitur opportunis. Exponi nobis fecit dilectus filius Prior Provincialis Provinciæ Hispaniæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, &c. Et insuper, quia Sacrum Oecumenicum Concil. Generale Tridentinum concessit Episcopis, ut absolvere possint in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sess. 24. cap. 6. habetur, ne Prior Provincialis, & Superiores Prælati, dicti Ordinis, tam in dicta Provincia, quam extra eam ubilibet, in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici, aut Sæculares existant, eisdem Priori Conventuali, & Superiorioribus Prælatis, vt ipsi per seipsos idem omnino possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi Subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & Laicos sibi subjectos.* Tam *quo ad absoluendi, & dispensandi hujusmodi, quam alias quascumq; facultates eisdem eadem authoritate, & tenore etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus. Decernentes præsentes literas durare, & valere, &c.* Hæc *Pius V.* Ob quæ, *P. Diana to. 7. Coord. resol. c. 291. n. 3.* ait, pœnes se certum esse (quidquid sit de antecedenti relata opinione, & quidquid asserat *Joannes de la Crux de Statu Religionis l. 1. cap. 6. dub. 14. concluf. 2.*) competere Prælatis Regularibus (vi relati *Pii V. Privilegii*) dictam facultatem *Tridentini*, & ita etiam docent *Sanch. disp. 2. cit. de Matrim. n. 13. Sigismundus à Bononia de Elect.*

Prælator. par. 2. cap. 1. dub. 57. Piasecius sub n. cit. 78. Versu absolvere tantum, in fin. fol. 245. Coriol. de Casib. reserv. par. 1. sec. 1. art. 23. nu. 4. & 5. { sub quo ponit etiam ipse per extensum præfatum *Pii V. Privilegium :* Concludens. *Licet itaque ex vi Concili, aut Declarationis Cardinalium non possent Prælati Regulares uti illa facultate : possunt nihilominus illa uti ex concessione Pii V. & non solum Fratres Prædicatores, verum & alii Regulares, qui cum ipsis communicant, possunt illa uti.*] *Barbosa de Potest. Episcopi par. 2. Allegat. 39. nu. 18. Vers. Ex eadem, in fine :* cum aliis ibi relatis (& in *Collect. Concil. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6. n. 8. Vers. Superiores etiam :*) Concludens *cit. n. 18. Et hæc opinio attenta dicta Pii V. Constitutione in Praxi sequenda est.* Ex qua *Constit.*

308 Habes primò, Prælatos Regulares eadem *Constit. & Privilegio* uti volentes, non posse facultatem eisdem in ipsa concessam, aliis delegare : quia Pontifex expressè vult, quod iidemmet Prælati per se ipsos absolvant, dispensent, &c. proprios subditos, & non aliter : dicit enim : *Ut ipsi per se ipsos idem omnino possint in Fratres, & Moniales sibi subditas, tam quoad absolvendi, & dispensandi hujusmodi, quam, &c.* Quod etiam notat. *Donat. to. p. par. 2. Praxis Regular., tract. 4. Tit. de Violata Claus. Monasterii q. 30. n. 6.* ibi: *Benè verum, quod Superiores non possunt prædictam facultatem alteri delegare, sed per se solos exercere, ut ibidem dicitur.* Idemque notat *to. 4. tract. 4. Tit. de Violata Claus. Monial. per egressum, quæst. 8. n. 10.* sic : *Regulares Prælati utentes dicto Privilegio Pii V. non possunt facultatem aliis delegare, quia Pontifex expressè vult, quod id faciant ipsimet Prælati per se ipsos, & non aliter.* Et ità habetur in dicta *Constit.* ut constat : Quod, & advertit (aliis omissis) *Pellizzar. de Monialib. cap. 9. n. 26.* ibi, *Per se ipsos tamen tantum.*

309 Habes secundo, Prælatos Regulares eadem facultate, & Privilegio uti volentes, absolvendi videlicet, dispensandi, &c. proprios subditos à Papę reservatis, id facere debere in foro animæ, & conscientiæ, uti ibidem præscribitur : *Ut absolvere possint in foro animæ, seu conscientiæ, ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, &c.)* Neque hinc deducas in vim hujus Privilegii debere semper conferri absolutionem Sacramentalem, quæ confitentium exigit præsentiam, contritionem, &c. propter dictam Clausulam, *In foro conscientiæ :* quia fallit hujusmodi deductio, ut observat etiam *Donat. p. 2. to. 1. cit. q. 31. n. 4.* fallit inquam, in Censuris, nam Censuræ, & pœnæ tolli possunt, & tolluntur extra Sacramentum Pœnitentiæ, quando ad hoc Privilegium non adstringit, uti esset, si Pontifex diceret, *Absolvat Sacramentaliter, vel Absolvat in foro Sacramentali, seu Pænitentiali, vel Auditis Confessionibus.* Verbum enim illud, *In Conscientia*, inquit *Suar. de Cens. disp. 41. sec. 2. n. 11.* non significat idem, quod in Sacramento Pœnitentiæ, ut ex vi verbi patet, sed quod semper relinquatur Ecclesiasticis Judicibus jus puniendi talia delicta in foro contentioso, si aliquando in eo denunciata, atque probata fuerint. Hinc optimè *Rodriq. to. 1. q. q. Regular. q. 20. art. 7.* ait, Ex his verbis, *In foro conscientiæ*, possunt aliqui suspicari dictos Prælatos non posse absolvere extra Sacramentum Pœnitentiæ à dictis Censuris, at eadem verba solum important, & significant, quod ipsis suffragabitur absolutio data in Sacramento, vel extra Sacramentum in foro conscientię tantum, & non in foro exteriori: & idem docet etiam *qu. 61. art. 7.* cui adde : *Mirandam in Man. Prælator. to. 2. q. 35. art. 21. Conclus. unica*, ubi circa eadem verba, *In foro conscientiæ tantum* (posita etiam in diversis Summorum Pontificum Privilegiis) inquit, *Intelligenda esse respectivè, & secundum terminos juridicos, ac dispositionem juris, ita ut absolutio à peccatis fiat in Sacramento Pœnitentiæ, ut jura disponunt, absolutio verò à Censuris, fiat etiam extra prædictum Sacramentum, si placuerit, aut libuerit, in quo conveniunt ferè communiter omnes Summistæ.* Hinc deduc cum *Bordono res. 3. q. 8. n. 22. Donato q. c. 31. n. 5.* & aliis, dari tres foros; nempè forus Sacramentalis, seu penitentialis, in quo absolutio datur solum in Sacramento Pœnitentiæ: Secundus forus, dicitur forus conscientiæ; in quo absolutio fit sine strepitu, & figura judicii, & prodest tantum apud Deum: & Tertius dicitur forus externus contentiosus, in quo partes litigant; quæ distinctio, & doctrina ab omnibus admittitur apud *Bordon. n. c. 22.*

310 Habes tertiò, ad eosdem Prælatos Regulares Superiores Monialium exemptarum sibi subiectarum, spectare absolutionem reservatorum Papalium prædictorum (nedum eorum absolutionem casuum, quos ipsi uti earumdemmet Prælati, immediati Ordinarii, sibimet erga illas reseruant.) Id habes inquam expressum in illis verbis: *Ut ipsi Prælati per seipsos idem omnino possint in Fratres, & Moniales Ordinis sibi subditas, tam quo ad absolvendi, & dispensandi hujusmodi, quam &c.* quod pariter advertit *Donatus*

natus Tom. 4. Praxis tract. 4. qu. 8. n. 10. dum affirmat ibi, extendi ad Prælatos Regulares, quod dicitur de Episcopis respectu Secularium & Monialium sibi subiectarum; ob facultatem *Cap. Liceat 6. Trid. sess. 24. de reformat.* ad eosdem Prælatos Regulares extensam per *Pium V. in dicta Constitutione.* Addidi, *Etiam eorum absolutionem casuum, quos ipsi uti earundemmet Monialium Prælati immediati, & Ordinarii, sibimet erga illas reservant.* Certum enim est ad hos Monialium exemptarum sibi subiectarum Superiores Prælatos Regulares spectare, reservare sibi casus erga illas, uti etiam erga proprios, Religiosos subditos; quia, *Quæ in Monachis instituta, atque dispositasunt, censentur etiam de Monialibus constituta, quo ad eis scilicet proportionabilia: Menochius de Arbitrariis Judicum lib. 2. Centur. V. Casu 421. n. 40. fol. mihi 785. cum Tambur. de Jure Abbatissar. & Monial. disp. 16. q. 8. n. p. &* aliis; Cum ad illum spectet absolvere, ad quem reservare pertinet, ut patet de Episcopo, & aliis: desumitur ex illo trito axiomate, *Illius est absolvere, cujus est ligare*: Hinc idem *Tambur. qu. c. n. 4.* loquendo de iisdem Monialibus exemptis, ait, absolutionem casuum prædictorum ad Regulares Prælatos Monialium earumdem spectare, cum ad illosmet pertineat dictos casus sibi reservare; Et *Pelliz. de Monial. c. 9. qu. 15. n. 24. Vers. Quod verò*, inquit, Moniales exemptas non subiacere Casibus ab Episcopo reservatis (nisi fortè in ordine ad Clausuram; uti quo ad ipsam, sedis Apostolice delegato) cum non sint ejusdem subditæ, bene tamen subiacere casibus reservatis à proprio Prælato Regulari cui subsunt, & subditæ sunt. Unde etiam *c. 10. sec. p. subsect. 2. q. 9. n. 46.* Inquirit, an tam Ordinarius loci, quam Prælatus Regularis, possint pro Monialibus sibi respectivè subditis reservare Casus, & Censuras, & respondet optimè, affirmativè, tum ex usu communi, tum quia potestas reseruandi casus, & censuras, iis omnibus competit, qui habent ordinariam jurisdictionem respectu illorum, quibus eam possunt delegare, hujusmodi autem sunt, tam Ordinarius loci, quam Prælatus Regularis quo ad Confessarios Monialium sibi respectivè subiectarum. Et hec est doctrina D.D. communis, de qua vide *Suar. de Pœnit. disp. 29. se. p. concl. 2. n. 7.*

311 Cum autem perpetuò impediti, ac imponentes, juxta communem DD. Sententiam, possint ab Episcopo, aut Ordinario proprio absolvi (ut supra) à quibuscumque casibus, ac censuris Sedi Apostolicæ reservatis, etiam extra articulum mortis: Et Moniales, ob earumdem perpetuam Clausuram, sint utique perpetuò etiam clausæ, ac impeditæ, hinc est, quod quæ immediatè subsunt Episcopo, & Ordinario loci, ab eodem debent à dictis reservatis absolvi: Quæ verò exemptę sunt, & Regulari Prælato subiectæ, ab isto etiam consequenter absolvi debent ab eisdem reservatis, ut & alii Religiosi Subditi pro foro conscientiæ. Et hæc est pariter doctrina communis. Idem *Pelliz. de Monial. c. 9. c. q. 15. n. 26. Vers. Quod cum, & Tamb. de Jure Abbatiss. disp. 16. quæst. 8. n. 7. 8. & 9.* in quo etiam addit; Quod quando Moniales Diœcesis Venetæ, adeunt ipsæ Patriarcham, Sedem Apostolicam adire dicendum est, cum circa Moniales, ipse sit ipsius Sedis Apostolicæ Delegatus, etiam privativè quo ad alios: & de hoc extare particulare *Breve Leonis X.* ita *Tamb. n. c. 9.* & apud eundem *n. 10. Homob. p. 3. Can. ref. c. 7. & 8.* probat, Moniales ob quemlibet excessum, etiam hæresis externo actu proditæ, absolvi posse ab Episcopo Diœcesano, vel à Confessario de ipsius Episcopi licentia, cum justum impedimentum Summum Pontificem adeundi subsit, nec Romam mitere, vel scribere Moniales ipsæ teneantur.

312 Secundò tandem, circa superius dicta, præsertim circa *prædict. Privil. Pauli III. Societati Jesu* concessum, virtute cujus Confessarii Societ. (approbati juxta *Conc. Trid.*) & Regulares alii cum istis communicantes, facultatem habent absolvendi quoscumque Christi fideles undecumque venientes, à quibuslibet peccatis, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, & à quibuscumque Censuris, sententiis, & pœnis Ecclesiasticis ex illis resultantibus, præterquam ab his quæ continentur in *Bulla Cœnæ Domini.*) Advertendum est, quod post idem Privilegium, alia emanarunt limitativa ejusdem, prohibentiaque tam amplam absolutionem casuum reservatorum, tamque adeò extensam facultatem in ordine ad hujusmodi absolutionem coarctantia: quæ tria fuere: Primum fuit *Clem. VIII. sub die 9. Januarii 1601.* cũ eiusdem Pontificis moderatione facta *die 26. Novembris 1602.* quo fuit limitata dicta facultas in sex casibus (sed per totam Italiam extra Urbem, nisi in articulo mortis) videlicet. *Primo*: Violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis *Constit. Greg. XIV.* incipientis *Cum alias nonnulli.. Secundo*: Violationis Clausuræ Monialium ad malum finem. *Tertio*: Provocantium, & pugnantium in duello, juxta

Decretum

Decretum Concil. Trid. & Constit. Greg. XIII. incipientem, *Ad tollendam, &c. Quarto:* Iniicientium violentas manus in Clericos, juxta *Canonem, Si quis suadente 17. qu. 4.* ac juris dispositionem. *Quinto:* Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. *Sexto*, & ultimo. In omnibus casibus, quos Ordinarii locorum sibi reservarunt, & imposterum reservabunt. Secundum Decretum fuit *Pauli V.* æditum *sub die 7. Januarii* 1617. quo confirmatur, atque innovatur antecedens *Decretum Clem. VIII.* cum sua moderatione, non obstantibus Privilegiis, &c. Per quod tamen non tolluntur omnia Privilegia Regularibus concessa absolvendi à casibus, & Censuris reservatis, ut putarunt aliqui, & ut clarè demonstrat noster Doctissimus *P. Duardus in Bulla Cœnæ l. 3. §. 2. à n. 29. usque ad 33. inclusivè*: Tertium Decretum fuit *Urb. VIII. æditum die 17. Novemb.* 1628. quo prohibetur Regularibus facultas absolvendi à casibus reservatis in *Bulla Cœnæ*, & à casibus reservatis Ordinariis locorum, ita ut nec intra, nec extra Italiam, nec virtute Privilegiorum, aut confirmationum, quas hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, possint ab illis absolvere. Ab aliis verò casibus, & Censuris Sedi Apostolicæ reservatis vi supradicti privilegii possunt Regulares Confessarii approbati, ut supra, absolvere extra, & intra Italiam. Extra Italiam, patet, tum *ex Decr. Clem. VIII. & ejus moderatione*, tum etiam *ex Decr. Urb. VIII.* ibi, *ab aliis vero casibus, &c.* Quod verò intra Italiam, patet ex *moderatione Clem. VIII. sub die 26. Novembris* 1602.

313 Nota tamen hic cum *Sà in Aphorismis Verb. Absolutio n. 20. & Tamb. de Jure Abbatiss. quæsito 8. cit. in fin.* Quod quivis Confessarius (nedum Regularis) à casibus quos sibi loci Ordinarius, & Episcopus reservavit, absolvere potest post illius mortem (nedum naturalem, sed etiam Civilem, hoc est per remotionem ejusdem ab Officio, & abdicationem jurisdictionis) quia tunc desinunt esse reservati ab homine: non autem illi qui de Jure sunt Ordinariis, & Episcopis reservati, seu quæ Jura illis reservant: quod addo cum *Quaranta in Summa Bullarii, Verbo Casus reservati in fine*, ubi sic. *Animadvertendum, id quod passim asseritur, scilicet per obitum Episcopi casuum reservationem cessare, intelligi debere de casibus, quos ipse Episcopus sibi reservaverit, sicuti communiter solent Episcopi uti his verbis, scilicet nobis reservamus, quia cum sint lati ab homine, ipso sublato, & ipsi extinguuntur. Secus vero de Casib. à Jure Episcopo reservatis (de quib. per Sylv. in Verbo Casus sub n. 3.) quia tunc per ejus mortem non expirant, & erit facienda absolutio à Successore, vel à Capitulo Sede Vacante succedente in ejus jurisdictione: & illud idem affirmandum, quoties casuum reservatio esset facta ab Episcopo vivente per modum Statuti, seu perpetuæ Constitutionis, veluti decernendo, quod absolutio ab eis fieri non possit, non nisi à nobis, vel Episcopo, qui pro tempore fuerit, vel reservando Curiæ, seu sedi Episcopali, tunc enim non expirat, nisi fuerit facta revocatio à Successore; vel à Capitulo Sede Vacante. Ad quæ faciunt text. in c. fin. de Offic. leg. in c. 2. §. Statuto, Constit. in 6. & dicta per Navar. in Man. cap. 27. n. 2. & sub n. 74.* Hactenus *Quaranta*, cum quo *Gavantus, de Synodo par. p. cap. 6. in Annotationib. §. 3. nu 3. in fine.* Advertens *in principio*, quod casuum *reservatio facta in Synodo, Valet, ut non expiret per Mortem Episcopi*, quia scilicet tunc reservatio est per modum Statuti, & sequitur naturam ipsius, quod ex se non expirat morte alicujus.

314 Insuper hic nota, prædictum Decretum *Clem. VIII.* & alia subsequentia, illius declarativa, & innovativa, nihil disponere de Prælatis, aut Confessariis Regularibus respectu suorum Religiosorum pœnitentium, sed in eis sermonem esse de iisdem Confessariis in ordine ad pœnitentes Seculares; & hoc idem notat expressè noster *Peregrinus in Compend. nostrorum Theatinor. Privilegior. Tit. Absolutio quo ad Fratres nostræ Congregationis, in Scholio*, ubi etiam refert, quod *Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium* declaravit de ejusdem *Clementis VIII.* mente, illius Decretum prohibens absolutionem à reservatis, esse contra Confessarios respectu Secularium pœnitentium, non Regularium, quod advertunt etiam, docent, & affirmant *Barthol. de Vecchis, de Novitiis disp. 9. dub. 7. n. 5. Bord. ref. p. qu. 7. nu. 17. Vers. Decretum autem: & resol. 3. nu. p. Vers. Resp. Dictum*, cum aliis ab eo ibi relatis. Ubi etiam *n. 2.* plura refert privilegia concessa Prælatis Regularibus absolvendi suos subditos à Sedi Apostolicæ reservatis, accepta à *Mari magno Sixti IV. Constitutione authentica pro Franciscanis registrata Constitutione 6. & pro Dominicanis Constitut. 7. in Bullario Novo*, ambabus incipientibus, *Regimini universalis*, apud *Confectium pag.* 54. quorum Summa est, quod Regulares Prælati dictarum Religionum, & aliarum cum eis communicantes

eantes possunt absolvere suos subditos, & alios sui Ordinis ad se declinantes à quibuscumque peccatis, & censuris excommunicationis, suspensionis, & interdicti, atque excessibus, quantumvis enormibus nisi talia forent, propter quæ consulenda esset Apostolica Sedes, & ibidem exprimuntur casus, in quibus consulenda est. Qui sunt, Hæreticorum relapsorum, Schismaticorum: falsificantium Apostolicas literas, & deferentium ad infideles prohibita. Vide *Peregrinum in Compend. nostrorum Theatinor. Privilegior. Verbo Dispensatio pag.* 145. *§.* 3. Ubi sic: *Confessarii nostræ Congregationis audientes Confessiones Fratrum cum licentia Superioris, possunt in absolutionibus uti hac forma, videlicet, post Misereatur &c. Indulgentiam &c. (Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli mihi concessa, absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis majoris, Suspensionis, & Interdicti; & Dispenso tecum in omni Irregularitate, quam quomodocumque incurristi, & restituto te Sanctis Sacramentis Ecclesiæ, unionique, & participationi fidelium, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.) Clemens VII. nostræ Congregationi, ut patet in Bullario Romano to.* 1. *Bulla* 38. *§.* 4. *fol.* 605. *quæ incipit Dudum, &c. quam firmavit Pius. V. Anno Domini* 1567. *idibus Februarii, ut patet in Bullario Romano to.* 2. *Bulla* 21. *Ad immarcescibilem, &c. fol.* 215. Vide etiam *Compend. Privil. Min. Verbo Absolutio Ordinaria quo ad Fratres, nu.* 7. *Vers. Idem Clemens concessit: pag.* 5. *& n.* 13. *Vers. Sixtus Quartus circa: pag.* 7. Advertens tamen in fine, quod dicti Prælati Regulares virtute dictorum Privilegiorum non possunt absolvere suos subditos à casibus reservatis in *Bulla Cœnæ Domini*, cum quolibet anno, ille processus Censurarum, de novo promulgetur, cum nova reservatione illorum casuum; & cum maximis Censuris contra absolventes, ponendo ibi expresse: *Non obstantibus Privilegiis, &c. etiam Ordinib. Mendicantibus concessis*, & aliis sufficientibus derogatoriis. Unde, & idem *Bordon. resol. cit.* 3. *qu.* 2. *n.* 4. ponit sequentem propositionem (quam etiam ibi probat) *Prælati Regulares nullatenus possunt suos subditos absolvere à casibus Bullæ Cœnæ Domini pro quovis foro*; cui propositioni subscribunt etiam (uti debent) DD. communiter. Vide eundem *Bordon. d. ref.* 3. *qu.* 3. *à n.* 5. *usq; ad* 7. *inclusivè*, & *ref.* 6. *q.* 14. Primo loco probat, nec posse Prælatos Regulares suos subditos absolvere à censuris, quas sibi communiter reservant *Reverendissimi Inquisitores*, & quidem meritò, Tum quia hujusmodi reservatio inefficax esset, & vana respectu Regularium, si posset tolli ab eorum Prælatis: Tum etiam quia *Sanctissimus Paulus V. in sua Constitutione* 26. *Romanus Pontifex*, extensa apud *Quarantam in suo Bullario, Verbo Hæretici, fol. mihi* 370. revocat facultates Superioribus quorumcumq; Ordinum concessas cognoscendi causas suorum subditorum ad Officium Sanctæ Inquisitionis pertinentes, eosdem in his subiiciendo *Inquisitoribus, & Ordinariis locorum*, ergo saltem post *Paulum V.* in his subiiciuntur Religiosi subditi Inquisitoribus, non propriis Prælatis. Et quamvis hujusmodi subjectio videatur primariò respicere forum externum: secundariò tamen respicit etiam forum pœnitentiale, cum absolutio ab hujusmodi excommunicationibus spectet ex Officio ad ipsos Inquisitores, quando illas sibi reservant. Secundò verò loco probat, neque posse Confessarios Regulares virtute suorum Privilegiorum absolvere sæculares à casibus contentis in Edicto DD. Inquisitorum, & ad Sanctum Officium spectantibus, quamvis non proveniant ex hæresi formali, vel ex aliis criminibus in Bulla Cœnæ contentis. Tum quia aliàs inefficax esset reservatio, ut supra. Tum quia hoc est specialissimum Tribunal contra quod nullum conceditur Privilegium, nec ullum prorsus habent Regulares, absolvendi ab hujusmodi reservatis, neque expressum, neque implicitum, quod habeat locum in S. Officio Inquisitionis, in quo agitur de causis maximi ponderis, totam Religionem tangentibus: nec in Bullis Pontificiis quæ adduci possunt, verbum quidem reperitur de casibus Inquisitorum; neq; ad eosdem casus trahi possunt etiamsi generaliter loquantur, quia lex seu privilegium generaliter loquens, non comprehendit casus specialiter Privilegiatos, & dignos excellentis notæ, *ex cap. De multa, de præbend Ex cap. De Sedes Apostolica de Rescript. Gutier. lib.* 3. *pract.* 16. *n.* 51. *Gomez ad Regul. Cancellar. qu.* 4. *§. & in eadem: apud Trimarcbum in suo tract. de Solicit. disp.* 8. *sec.* 4. *n.* 43. hæc *Bordon. Vers. Antequam tamen.*

315 Oppositum docuit *Portell. in Dub. Regular. Verbo solicitare fœminas, n.* 24. *Vers. Ultimo quæris*, do hic ejusdem verba: *Dubitatio est, an Religiosi per sua Privilegia concessa à Papa, ut possint absolvere Sæculares ab omni censura Sedi Apostolicæ reservata, sicut habent Patres Societatis Jesu, in suo Compendio, Verbo Absolutio §.* 1. *per Paulum III. An in-*

An inquam virtute istius Privilegii possint absolvere à reservatis Inquisitoribus (eo quia possunt absolvere ab omnibus peccatis, & Censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis casibus Bullæ Cœnę, & sex aliis expressis *in secundo Decreto Clem. VIII.* & reservatis Ordinariis locorum, cum ergo inter hos exceptos non numerentur reservati in Edicto Inquisitorum, sine dubio poterunt ab illis absolvere.) *Et ego credo quod possunt. Ducor primo, ex verbis concessionis prædictæ, in qua, inter alia dicitur, ut possint etiam Sedi Apostolicæ reservatis, &c. Ubi noto coniunctivam dictionem* (Etiam) *quæ innuit Regulares posse absolvere non solum à reservatis Papæ, sed etiam à reservatis cuicumque inferiori Papæ. Secundo, Ex Regula* 53. *in Regul. Juris in* 6. *ubi dicitur*: *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus. At plus est absolvere à reservatis Papæ, quam à reservatis Inquisitoribus, cum favores sint ampliandi. Tertio, Ex doctrina illa communi in materia de Censuris, excommunicationem videlicet ab homine latam, absolvendam esse ab illo, qui eam tulit, vel ab illius Superiore, vel ab illo, qui fuit ad id delegatus legitimè. At Regulares habent* (ut supra) *potestatem absolvendi ab omnibus Censuris, à quibus potest Papa absolvere, & Papa potest absoluere à Censuris latis per DD. Inquisitores, ergo etiam ab illis absoluere poterunt Regulares, qui habent jurisdictionem delegatam à Papa illis, generaliter concessam, exceptis Censuris contentis in Cœna Domini* (& aliis sex casibus, &c.) *Quarto, Facit, quod docet Sanch. lib.* 2. *Dec. cap.* 10. *n.* 26. *dicens, legentes libros prohibitos in Indice librorum prohibitorum, si non sunt libri alicujus hæretici, vel si sint, non tamen continent hæresim, vel non tractant de Religione, tales legentes non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnę reseruatam Papæ; sed excommunicationem positam in Indice, quæ non est reseruata, ac proinde omnes absolvunt, ut docent Graffius, Sayr. Azor. & Ugolin. Et tamen hujusmodi excommunicatio Indicis pertinet etiam ad Inquisitores. Quæ omnia dico sub illorum Censura, & correctione.* Hæc *Portell.* quæ etiam per extensum refert *P. Diana to.* 5. *Coord. tract.* 8. *ref.* 33. *ex part.* 4. *tract.* 5. *ref.* 8. ubi *nu.* 4. *in fine*, pro hac eadem sententia recensentur ab eodem *Freitas in Addit. ad tract. de Confess. solicit. & Acugna qu.* 21. *n.* 10. Concludit tamen idem *Diana*: *Sed ego in hac quæstione de meo, nihil dico, & nihil pono: solum refero, quid alii dixerunt.* Et hic ego pariter tantum refero, quod asserunt *Salmanticenses to.* 2. *sui Cursus Theologiæ Moralis, tract.* 10. *De Censuris, c.* 2. *punct.* 7. *n.* 91. *pag. mihi* 357. *& to.* 4. *tr.* 18. *de Privilegiis, cap.* 4. *punct.* 2. *§.* 10. *n.* 122. *pag. mihi* 334. *Posse videlicet Confessarios Regulares absolvere Pœnitentes à Criminibus, & Censuris, quæ sunt S. Tribunali Inquis. reservata, & extra Bullam Cœnæ contenta: ut sunt sortilegium, maleficium, superstitio, magia, adoratio. Dæmonum, solicitatio in Confessione, lectio librorum hæreticorum, sodomia, bestialitas, blasphemia hæreticalis, & omnia alia delicta, quæ in Edictis S. Inquisitionis continentur, & quorum punitio pertinet privatiuè ad hoc Sanctum Tribunal, quoties hęc crimina, non ex errore contra fidem, proficiscuntur, sed ex auaritia, concupiscentia, ira, aliaue passione: quia hec delicta quando absque errore contra fidem committuntur, verè non sunt hereses*: ita *Salmanticenses*, pluribus etiam relatis *cit. n.* 91.

316 At ego (ob superius dicta) positiuè recedo à recitata *Portell.* sententia, & doctrina, cum *Bordon. ref. c.* 3. *qu.* 3. *à n.* 6. cum quo etiam, *Portelli* argumenta resolvo, ut sequitur. Ad primum namque respondeo, Privilegium illud *Pauli III.* adductum non habere locum, vel procedere, aut hisce temporibus subsistere pro casibus Inquisitorum, sicut nec pro sex prænarratis casibus, aut pro Casibus Episcopalibus, ut supra. Nec dictio *Etiam* implicativa est, aut modo esse potest similium Casuum. Et DD. Inquisitores, ut patet ex dictis, sunt Judices omnes in casibus Inquisitionis. Ad secundum: Illam *Regulam* 53. *in* 6. non habere locum in odiosis, ut docet *Sigism. dub.* 8. *n.* 3. apud *Bordon. qu. cit. n.* 7. per aliam *Regulam* quæ est 28. *in* 6. *Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Unde nec eadem *Regula* habet locum in dispensationibus secundum *Sanch. de Matrim. to.* 3. *lib.* 8. *disp.* 1. *n.* 32. & alios: ac proinde neque in absolutione, quæ pari passu cum ea currit. Ad tertium: Delegatum posse absolvere, at in casu nostro (hoc est ad hujusmodi Inquisitorum casus) tam pro Sæcularibus, quam Regularibus, Religiosi Confessarii, aut Prælati, non sunt amplius delegati, ex dictis. Adde falsum esse, quod Regulares habentes Privilegium absolvendi à censuris reservatis Papæ habeant jurisdictionem absolvendi ab illis Censuris reservatis, à quibus Papa potest absolvere, absolvit enim Papa à Censuris *Bullæ Cœnæ*, ibi reservatis; à quibus non possunt absolvere Regulares, siquidem hæ excipiuntur in Privilegio *Pauli III.* Adde etiam, quod si possent Regulares Confessarii absolvere à

Censuris reservatis, à quibus potest Papa absolvere, Parem cum ipso potestatem haberent, quod pariter falsum est, nec admitti potest. Unde nec à sex illis casibus possunt absolvere; nec ab Episcopalibus; neque ab Inquisitorum casibus, quia Papa contentus non est, & in Privilegio *Paulino* Inquisitorum casus nullo modo, nec etiam tacitè continentur, quia odiosa non extenduntur ad ea, quæ expressa non reperiuntur. Ad quartum, conceditur totum, quia dicta excommunicatio in Indice librorum prohibitorum non est reservata, atq; adeò argumentum nil probat, vel urget in casu nostro; cum excommunicatio nulli reservata, tolli possit à quolibet simplici Confessario. Vide *Bordon. qu. cit.*

PRIVILEGIUM XXVI.

Omittens ex ignorantia invincibili recitationem Officii Divini, excusatur à culpa.

317 Habes hoc idem Privilegium apud *Navarr. to. 4. tit. de Oratione, & Horis Canon. cap. 11. n. 20. 38. & 39. Suar. de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 28. n. 3. 4. 5. Bonac. to. 1. Tit. de Horis Canon. disp. 1. qu. 6. punc. 3. à n. 8. Donat. to. 4. Praxis Regular. Tit. de Horis Canon. tract. 18. qu. 58. Less. de Just. lib. 2. cap. 34. dub. 32. n. 183. Vers. Secundo eos*, & apud alios. Patet hujusmodi Privilegium ex regulis generalibus toties in hoc opere traditis, & à DD. communiter in *Tractatu de Legibus, & de Peccatis*. Loquitur autem Privilegium, ut patet, de ignorantia inculpabili, & probabili (ut excuset à culpa) ad quam reducitur etiam naturalis oblivio, seu inadvertentia, hæc enim invincibili ignorantiæ comparatur (modo tamen ipsamet oblivio, propria culpa non advenerit, seu modo prævisa non fuerit, & non impedita) Ignorantia enim crassa, & vincibilis non excusat, ut sæpè dictum est; & docent communiter Doctores.

318 Advertit tamen, & optimè, *Suar. n. 3. cit.* & cum ipso *Donat. qu. cit. n. 2.* quod ignorantia Juris in hoc præcepto ferè haud potest esse probabilis, & ad excusandum sufficiens: est enim præceptum recitandi Horas Canonicas, præsertim Clericis in Sacris, vel habentibus Beneficium, adeò publicum, & notorium, ut nequeat invincibiliter ignorari, maximè ab illis, qui tenentur scire sui status obligationem, & ab illis, qui dum examinantur ad Ordines, & Beneficia, interrogantur de obligatione recitandi Divinum Officium. Posset tamen esse aliquando hæc ignorantia inculpabilis in aliquo Religioso, vel Religiosa ignorante, præsertim si adhibeat fidem alicui Viro, Docto, vel Confessori, quem valdè probum, & doctum existimat. Item potest esse invincibilis in puero, qui pensionem, aut Ecclesiasticum Beneficium recipit in tenera ætate, quando per se non potest satis advertere ad hujusmodi obligationem, nec in ejus cogitationem venit, neque ab illis instruitur, qui eum docere tenentur: *peccabunt enim illi* (inquit *Suar. n. 3. c. in fine*) *ipse vero omittens excusabitur*, & contra eosdem invehit *Navarr. l. c.* Vide eundem *Suar. n. 4.* ubi etiam per ipsum, ad ignorantiam facti reducitur naturalis oblivio: illud autem dicitur naturaliter oblitum, quod in mentem non venit, ac proindè voluntarium non est, consequenter nec peccatum, & *n. 5.* ubi pariter excusationem sumit etiam ex ignorantia recitandi Officium pro aliquo tamen tempore tantummodo, cum *Navarr. l. c. n. 21.* & dummodo in tali tempore (cum eodem *Navarr.*) moralem diligentiam faciat ad addiscendum, alioquin ea ratione non excusaretur.

319 Et nota hic, quod dicta *Juris* ignorantia potest quandoque esse inculpabilis: *In aliqua Religiosa ignorante, præsertim si adhibeat fidem alicui Viro Docto, vel Confessori, quem valdè probum, & doctum existimet*. Nota inquam, si maximè sis Monialium Confessor, ac Spiritualis Director: non enim ex Monialibus Choro addictis, desunt, quæ hac ignorantia laborent (testis ego ex ipsarummet, nec paucarum ore) firmè credentes, ac sustinentes ex doctrina à gravibus Doctoribus, imò à propriis quibusdam Confessariis hausta, ipsas non teneri ad Horas Canonicas privatim recitandas, (quando Choro non intersunt) sub onere lethalis culpæ. Quam sententiam illis insinuare potuerunt sequentibus Doctorum Authoritatibus, & rationibus. Antequam tamen hæc eadem referam; ad earumdem adæquatam intelligentiam, quædam præmittenda sunt, ac supponenda. Igitur

320 Supponendum primò: Neque, hic, neque apud DD. Sermonem esse de Religiosis Viris Laicis, aut Monialibus Conversis, ad Chorum non deputatis, nec consequenter ad Divini Officii pensum obligatis: Uti nec de Novitiis, qui sub nomine Religiosi in oneribus non comprehenduntur, neque pro illis est consuetudo, aut obligatio Divini Officii; habenturque in odiosis ut Sæculares, sic *Tambur. in Decal. lib. 2.*

cap. 5. Tit. de Horis Canon. §. 1. n. 6. in princ. & communiter D.D. pręsertim *Palao par. 2. tit. de Oratione, disp. 2. punct. 1. §. 3. n. 1.* aliis ibi relatis; ubi etiam, quod si aliquis Religiosus Choro deputatus ad Conversos authoritate Superioris transeat, eo ipso eximitur ab obligatione recitandi, quæ annexa est illi Statui: versa vice verò, si ex statu Laicorum, & Conversorum transeat ad statum Choristarum, induit statim dictam obligationem, ita etiam *Suar. de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 17. n. 7.* (ubi etiam rationem reddit, quam desumit ex fundamento obligationis ablato, vel adiuncto, quod fundamentum, est Professio Religiosa cum tali munere, seu deputatione ad Chorum, &c.) *Azor. par. 1. lib. 10. qu. 7.* & alii. Unde sicut Clericus in Minoribus (inquit *Azor.*) si Beneficiarius sit, & Beneficium deponat, eo ipso à lege Horarum Canonicarum solutus censetur [cum Sacris Ordinibus non sit initiatus] similiter, & Religiosus, qui à Choro divellitur, ab eodem onere liberatur. Item nec Sermonem esse de Religiosis illius Religionis, quæ ex suo Instituto non est Choro addicta, isti enim non sunt obligati Officium Divinum recitare, nisi sint in Sacris (hujusmodi sunt Religiosi *Sanctissimæ, Nobilissimæ, Doctissimæ, atque Eruditissimæ Societatis Jesu*, in qua talis Horarum recitatio in Choro non reperitur. Et Religiosi *Equites Militares*, qui non Choro, sed militiæ sunt destinati.) Quia obligatio hæc recitandi Officium Divinum privatim, succedit loco publicæ recitationis, quam Religio profitetur (*Pala. n. 1. c. in fine, Vers. Hinc fit*, cum *Suar. Vasq. Valent. Bonac.* & aliis) & ad quam vel ex Regula, vel ex consuetudine (ut infra) tenentur Religiosi Professi vel in Choro, vel privatim, etiamsi Sacris Ordinibus non sint initiati. Quam tamen consuetudinem sub lethali obligantem, in sua Religione non adesse, fatetur *Thomas Hurtadus* ex Clericis Regul. Minor. *part. p. Resolut. Moralium tract. 2. tit. de Obligat. Sacerdotum c. 7. n. 306. fol. mihi 84. Vers. Infertur tertiò. col. 2.* vbi sic: *Fallitur Diana p. 3. tr. 2. ref. 8. & p. 4. tr. 4. ref. 6. dicens, non esse Religionem in qua sit consuetudo non recitandi Clericos non ordinatos, quia inter nos nunquam viguit talis consuetudo; sicut viget canendi Missam diebus festivis in Domibus ubi est sufficiens Religiosorum numerus*: ita *Hurtadus*, cui respectu Religionis meę *Clericorum Regularium Theatinorum*, addi potest noster *Pat. Zacharias Pasqualigus de Sacrificio Missæ to. 2. tit. de Obligat. celebrandi qu. 889. n. 15. fol. mihi 117.* ubi pariter sic, contra eundem *Dianam*: *Et hanc consuetudinem apud meam Religionem obligantem sub mortali non auderem affirmare, nam quando Novitius induebatur Habitu Religionis, ut constat ex Veteri Rituali, inter alia Superior illi protestabatur: (Item quod nullus in Congregatione nostra, ante susceptos Sacros Ordines, etiam post expressam in scriptis professionem ad Horas Canonicas tenetur:) Et hæc protestatio mihi facta fuit, quando sumpsi Habitum, & plures ex gravioribus Patribus senserunt nullam talem adesse obligationem. Et quamvis postea in Rituali novo sublata sit hujusmodi protestatio, nihil tamen positivè sancitum est*: ita *P. Pasqualigus loc. cit.* Dictum autem nostrum *Vetus Rituale* ab ipso allegatum, in quo *pag. 3.* habetur per extensum præfata *Protestatio*, reperitur asservatum in Archivio hujus nostri Monasterii *Sanctæ Mariæ de Glarea Veronæ*, & impressum est *Venetiis apud Juntas*, *Anno* 1581. Suppositum hoc primum concludo, advertendo, Doctores omnes apud, & cum *Bordono ref. 30. Tit. de Horis Canonicis, q. 8. n. 12.* docere, Moniales ad Chorum deputatas teneri Divinum Officium recitare eo modo quo viri professi obligantur, vel ex consuetudine, vel ex Regula: nam etiam ipsæ conveniunt in principio communi, quod in aliis ad Chorum deputatis reperitur (seclusis cujusque Ordinis, & Congregationis statutis) quod principium, seu fundamentum per *Suar. n. 7. c. in fin.* est (ut idemmet supra innuit) *Professio cum deputatione ad Chorum, adiuncta consuetudine, quia utramque conditionem ad obligationem requirit.*

321 Supponendum secundò, Usum canendi, ac recitandi publicè, & in Choro Horas Canonicas, esse laudabile, Pium, Sanctum, & Spiritus Sancti instinctu in Ecclesia introductum, ut ostendit antiquissima, universalisque traditio, probantque universalis Ecclesiæ, ac Doctorum, & Sanctorum Patrum consensus, & testimonia plura Sacræ Scripturæ, sicuti latè probat (aliis omissis) *Suar. de Religione to. 2. lib. 4. cap. 1. n. 5.* (ubi etiam, *quod hæc doctrina de fide certa est*) *& cap. 7. n. 10.* ubi, quod hujusmodi usus, & consuetudo, fuit ab initio nascentis Ecclesiæ, tam in Oriente, quam in Ocidente, & quod fuerit Apostolorum ritus canendi in Ecclesia, &c. Verum quidem tamen est, quod ad hujusmodi Pium adeò, Sanctumque usum publicè canendi, aut privatim saltem recitandi Officium Divinum, illi tantum Religiosi professi obligantur, secundum communem Doctorum affirmationem, qui Choro sunt depu-

deputati, comprehendentes sub illis, & Mares, & Fœminas Moniales, ut ipsimet sese explicant, cum in hac re, ut iidemmet animadvertunt, diversitas sexus nihil faciat. Et hic insuper verum est hujusmodi præceptum, seu obligationem Officium recitandi Divinum, non oriri in Religiosis Professis (ad Chorum addictis) aut emanare, ex aliqno jure positivo scripto, hoc est, ex aliqua *Pontificia Constitutione*, vel *ex Sacro Canone* aliquo, id enim non reperiri *communis est omnium, ac recepta sententia*, inquit *Pala. n. 1. c. in princip.* qua de re *Suar. to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 10. n. 15. Fillinc. to. 2. tr. 23. cap. 4. q. 7. n. 133. Bonac. to. 1. de Horis Canon. disp. p. q. 2. punc. 2. n. p. Vers. Dixi ex consuetudine. Diana to. 2. Coord. tr. p. res. 87. n. 4. Ex p. 4. tr. 4. & Miscell. ref. 6.* ibi, *Apud veteres, & recentiores scriptores tam doctos, dictum præceptum in Jure Canonico non fuit inventum, &c. Tamb. de Jure Abbat. disp. 15. q. p. n. p. Bord. res. 30. n. 3. in fin.* aliique innumeri, unanimiter omnes affirmantes præfatam obligationem non oriri absolutè ex aliquo jure, aut Textu Canonico, eo quia jus tale nec affertur, nec afferri potest; evidens signum non extare. Neque ad id obstringi Jure naturæ, pertinente ad Divinum cultum, & Religionem (ut nonnulli apud *Barthol. à S. Fausto de Horis Canon. l. 2. q. 55. in princ. fol. mihi* 387. Quia videlicet, ad hunc cultum peculiariter per professionem dicati sunt.) Neque inquam ob hoc ad id obligantur, tum quia (ut optimè idem *à S. Fausto*) cultus Divinus latissimè patet, & multis aliis modis exhiberi potest, ut ex se constat, igitur ex tali solo capite non potest inferri obligationem hanc potius esse ad memoratam recitationem, quam ad alium alterius modi cultum Dei, præsertim cum Religiosus mancipans se Dei cultui per professionem, sibimet non imponat necessitatem determinatè ad aliquas actiones cultus Divini, nisi ad eas, quas expressè vovet; aut quas Regula, vel Prælatus præscripserit. Tum etiam quia, si Religiosi jure naturæ ad Divinum Officium, & Horas Canonicas obstringerentur, Religiosi omnes ad idem obligarentur, cum jus naturę idem sit in omnibus, quod nequit concedi, *Bonac. Vers. c.* & communiter DD. Neque obligantur ad id, ob eleemosynas à fidelibus acceptas, ut docet *Paludanus in 4. dist. 15. q. 5. art. p.* (apud eundem *à S. Fausto q. c.*) volens ad id obligari ex naturali lege Justitiæ, quia ex Christiani populi bonis in eleemosynam acceptis aluntur, & vivunt, ac proindè tenentur precari pro his, qui bene de ipsis sunt meriti. At neque inquam ex hoc capite ad Horas Canonicas recitandas, Religiosi obstringuntur: Tum quia, non sustentantur à populo propter hanc, vel illam determinatam actionem vitæ Religiosæ, sed simpliciter ut in tali statu perfectionis secundum suum Institutum vivant ad Dei Gloriam. Tum quia, eleemosynæ non conferuntur hac conditione, & pacto, ut suppono, quasi videlicet ex lege Justitiæ, & per modum stipendii orent pro populo, sed propterea quod sint Divino cultui mancipati, & pauperes ex professo. Tum quia (ut optimè etiam idem *à S. Fausto l. c.*) si *Paludani* fundamentum admitteretur, ad Horas Canonicas tenerentur pariter, & Conversi, quos Laicos appellamus, imo, & Novitii, quia, & hi aluntur, sicut, & alii, quod non est dicendum. Tum tandem quia, eodem fundamento admisso, ad summum probaretur adesse obligationem in singulis Monasteriis recitandi in Choro Horas Canonicas, non verò quod hujusmodi obligatio singulos obstringat, quando justa de causa absunt à Choro. Hic autem obiter adverte cum *Bord. res. 30. q. 5. n. 9.* quod quando in Monasterio adest in fundatione Conventus obligatio recitandi quotidie in Choro. Si recitatio hujusmodi omittatur, peccatum est mortale, peccantque singuli omittentes, mortaliter. Tum quia, singuli omittentes faciunt contra justitiam, cum singuli alantur ex illis fructibus. Tum quia, æquiparantur in hoc Beneficiariis de Collegio, qui ut singuli tenentur interesse Choro, & cum sit omissio contra justitiam, & in re gravi, dubium esse nequit, quin sit peccatum mortale. An verò præterea, teneantur ad restitutionem fructuum pro rata Officii omissi? Negat meritò idem *Bordon. n. c. Vers. Secundum probatur:* Quia si aliqua adesset ratio obligandi ad restitutionem, ea maximè esset expressa intentio Fundatoris, de qua non constat, ut supponitur, consequenter res est dubia, & cum sit talis, inclinandum potius est in partem negativam, quia in dubio nullus est obligatus, & in materia justitiæ melior est conditio possidentis, vt de communi & pluribus citatis, docet *Bonac. to. 2. Tit. de Restitut. in Genere disp. p. q. 2. punct. 2. §. Incidens.* Et obligatio ad insolita non extenditur *l. Fistula §. Frumenta ff. de contr. empt. referente Glossa Ver. Insolitam extr. com. de dolo.* Est autem insolitum, quod Fundator Monasterii obliget ad recitandas Horas Canonicas in Choro

cum obligatione restitutionis fructuum respondentium pro rata Officii omissi. Neq; huic doctrinæ obstat *Lateranense Concil. sub Leone X. & Constitutio Pii V. Ex Proximo, edita 12. Cal. Octob. 1571.* in qua innovatum fuit, declaratum, & auctum, *dicti Concilii Decretum* in quo statutum fuit, quod quilibet habentes Beneficium cum cura, vel sine cura, Divinum Officium omittentes fructus non faciant suos, sed eos uti injustè perceptos, in fabricas ipsorum Beneficiorum, vel pauperum Eleemosinas restituere debeant, & erogare teneantur, ut videre est apud *Bonac. to. p. Tit. De Horis Canon. disp. p. q. 5. punct. 2. proposit. p. n. 2.* Non inquam obstat, quia ut patebit legenti *Decretum, & Constit. Pianam* (extensam *à Bonac. l. c.*) loquuntur tantum de Clericis Beneficiariis, & Secularibus, qui utiq; Divinum Officium omittentes, fructus non faciunt suos. Regulares autem non dicuntur Beneficiarii, proindeque non subiiciuntur dictis Decretis, ut idemmet *Bonac. l. c. sub n. 3. Vers. Hinc patet*: ubi, *Hi qui ad titulum patrimonii, vel ad mensam Sancti Sepulcri Mediolani, vel ad mensam Regularium promoti sunt, non veniunt nomine Beneficii, vel Pensionis, de quibus in præcitatis juribus sermo est.* Neque enim illi redditus constituunt Beneficium: sed sunt simplex eleemosina ad congruam sustentationem Religiosorum, cum onere à Fundatore illam elargiente imposito, recitandi Divinum Officium in Choro. Ex quo patet differentia inter Clericos, & Regulares in ratione restitutionis, & convenientia in mortali culpa, à qua non excusantur dicti Regulares, nisi absint ex rationabili causa, quæ semper excusat (ait *Bord.*) & si non sit tam gravis, & tam legitima, quam Clericus Beneficiarius habere debet, ut non obligetur ad restitutionem, quia Clericus habet dominium utile Beneficii, Religiosus verò solum congrua alimenta recipit à Monasterio, apud quod est dominium directum, & utile rei relictæ. Et hinc habetur alia differentia inter Beneficium, & hujusmodi relictum, nam Beneficii proprietas non est penes Beneficiarium, sed apud Ecclesiam; Religiosi verò, Domini sunt Eleemosinæ sibi relictæ. *Bord. n. 9. c.* Et optimè etiam facit ad rem hanc, quod advertit *Caramuel in Theologia Regulari disp. 102. art. 2. ref. 6. num. 1350. litera h.* dum ibi sic: *Cum ita traditur eleemosina, ut recipiens ad aliquid præstandum teneatur* (ut in casu nostro, ad Horas Canonicas publicè in Choro psallendas) *debet claris verbis, & conditionibus tradi, ita ut ille qui recipit, sciat se illam recipere non gratis, sed cum onere: hoc est (clarius loquendo) se non recipere eleemosinam, sed stipendium. Hanc ergo claritatem debet eruere ex Fundatorum donationibus &c.* Quod hic obiter ex *Caram.* advertatur.

322 Supponendum tertiò, Neque præfatam obligationem recitandi publicè in Choro, vel privatim Horas Canonicas obstringere Regulares omnes in communi ex solo præscripto simpliciter Religiosarum Constitutionum præcipientium hujusmodi recitationem. Quod clarè patet, tum quia non omnes Regulares, neque Religiones omnes quamvis perfectæ sint, & verè Religiones, ex suo instituto, & Constitutionibus canunt in Choro, ut constat. Ex quo etiam infert *Palao §. 3. c. sub nu. pr. Vers. Hinc fit*: Religiosos illius Religionis, quæ ex suo instituto non est addicta Choro, non esse obligatos officium Divinum recitare, nisi sint in Sacris. Tum quia Religionum Constitutiones regulariter non obligant (saltem non omnes) subditos suos ad illarum observantiam sub culpa læthali; sicque neque ipsæmet solæ simpliciter, & ex se, obligabunt sub eadem culpa ad canendum publicè in Choro Horas Canonicas. Et hoc idem expressè docet *Suar. de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 10. n. 16.* sub sequentibus verbis: *Unusquisque Religiosus in particulari solum tenetur ad existendum, & Canendum in Choro ex vi Regulæ, quæ ordinariè non obligat sub reatu culpæ, sed tantum pœnæ.* Idemque habet *Bordon. ref. cit. 30. qu. 2. n. 6.* ibi, *Ferè nulla Religiosorum Regula eos obligat sub mortali ad recitandum Horas Canonicas, immo neque sub veniali, excepta prima Regula Divi Francisci, quæ suos alumnos in multis obligat sub culpa.* ita etiam docent *Bonac. de Horis Canon. disp. p. qu. 2. punct. 2. nu. 8. Filliucc. l. cit. q. 9. nu. 140.* aliique, quos vide apud DD. Agentes de Horis Canon.

323 Supponendum quartò, Neque tandem præfatam obligationem Choralem, vel privatam, in Regularibus Choro addictis, oriri ex eo quod Regularium Ecclesię sint Collegiatæ (quæ ut omnes docent tenentur ad Officium Divinum in Choro; imo sunt institutæ principaliter in hunc finem, *Filliucc. to. 2. tract. 23. cap. 4. qu. 5. sub n. 129,* & communiter) non enim Collegiatæ sunt Regularium Ecclesiæ, consequenter nec sub hoc titulo Regulares obligantur ad Chorum. Et quod tales non sint, sentiunt *Rodriq. to. pr. qq. Regular. qu. 43. art. 12. Diana to. 2. Coordin. tract. p. ref.*

83. *Ex*

83. *Ex par. 2. tr. 14. ref. 76. Villalobos in Sum. to. p. tract. 8. diffic. 19. n. 4.* (apud citatum *Dianam*) *Hieron. Rodriq. in Compendio resol. 25. de celebrat. Missæ n. 10. Peyrin. de Privileg. tom. 3. in Additam. ad Constit. Pyrrhi cap. pr. nu. 19. Gavant. ad Rubricas Missalis par. 3. Tit. 11. n. 12. Sanctor. de Melfi in Statuta, & Constit. S. Francisci Statuto 6. Vers. Verum appositum. Pasqualig. de Sacrificio Missæ to. 2. qu. 877. à n. 2.* & alii. Et quod tales inquam non sint: Suadetur Primò, Quia *in Clement. p. de Celebrat. Missar.* distinguuntur Regularium Ecclesiæ à Collegiatis, nam ibi dicitur; *Nec non ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis*; ergo cum sint à Collegiatis distinctæ Regularium Ecclesiæ, non sunt Collegiatæ, quod enim ab alio distinguitur, idem non est cum illo. Quod confirmari potest, ex eo quod tradit *Gavant. n. c. 12.* quia videlicet, Regularium Ecclesiæ appellantur propriè *Conventuales, ab Innocentio IV. in Bulla ejusdem 7. Bullarii*, ubi, *Flavius Cherubinus, in Compend. Bullar. Schol. p.* notat, *eo titulo appellari, ad differentiam Collegiatarum, quæ sunt propriè Canonicorum*. Neque huic primæ suasioni obstare videtur *Textus Concilii Trident. sess. 22. de Reform. c. 4. in princ.* in quo videtur quod Ecclesia Regularis sit Collegiata; sic enim habet. *Quicumque in Cathedrali, vel Colleggiata seculari, vel Regulari Ecclesia &c.* Ex quo videtur tribuere *Concilium* qualitatem Collegiatæ, tam Sæculari, quam Regulari Ecclesiæ, consequenter videtur esse propriè Collegiata. Non inquam obstat, quia non tribuit ibi *Concilium* (ut docet etiam *P. Pasqualig. qu. c. n. 6.*) Regulari Ecclesiæ qualitatem Collegiatæ, sed distinguit, & ipsum (ut facit etiam *Textus Canon. Citat. Clementinæ*) tres species Ecclesiarum, Cathedralium videlicet, Collegialium Secularium, & Regularium; & qualitatem Collegiatæ, tribuit solum Sæcularibus, quod declarat *Dictio Vel*, sic repetita. Cum enim habeat ex natura sua *disjungere*, juxta *l. si illud, ff. de Legat. 2. ubi Bald. & cap. Inter cæteras, de rescript. ubi Panorm. n. 4. Dec. n. 22.* dum dicit. *Vel Collgiata Sæculari*, eam disiungit à Cathedrali, & cum subdit: *Vel Regulari Ecclesia*, hanc disiungit à Cathedrali, & Collegiata. Addit autem dictionem *Sæculari*, & non dicit solum *Collegiata*, ut declaret qualitatem Collegiatæ convenire solum Sæcularibus Ecclesiis: ita etiam *P. Pasqualig. nu. 6. cit.*

324 Secundò idem suadetur: Quia illę dicuntur propriè Ecclesiæ Collegiatæ, quibus assignantur Beneficia, & redditus Ecclesiastici, ut deputentur plures Sacerdotes, & Clerici Sæculares ad illarum Servitium, & Ministerium, ut videlicet Canant in Choro Horas Canonicas, ut Missas celebrent, & hujusmodi. At Ecclesiis Regularium Ecclesiastici redditus, hoc fine non assignantur, ergo non censentur Ecclesiæ Collegiatæ: Minor probatur; bona namque Ecclesiastica, & eleemosynæ non tribuuntur Regularibus ex dictis, & Doctoribus (præsertim ex *Filliucc. to. 4. tract. 23. cap. 4. qu. 7. nu. 133.) & Diana to. 2. Coordin. tract. 1. ref. 87. n. 4. in fin. Ex par. 4. tract. 4. & Mis. resol. 6.* ut canant in Choro, & ut Ecclesiæ inserviant, sed ut solum Deo serviant iuxta propriam Regulam, & institutum. Et si quandoque Regularium Ecclesiæ vocantur Collegiatæ vel in Jure, vel à Doctoribus, id evenit, vel quia nomen Ecclesiæ Collegiatæ sumunt largo modo, & impropriè, vel quia tractatur de materia favorabili, in quo casu sub nomine Ecclesiæ Collegiatæ comprehendi potest etiam Monasterium Regularium: at non ita in odiosis, & quando agitur de inducendo novo onere, ut videre est apud DD. Sed

325 Contra id quod superius dicitur cum communi omnium sententia, non extare videlicet, nec reperiri jus aliquod, vel Canonem obstringentem Regulares Choro addictos, ad publicam Psalmodiam in Choro, oppones eundem *Textum Clem. I. de celebr. Missar.* quatenus in ipso videntur obligari canere in Choro hisce verbis: *Sancimus; ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis horis debitis devotè psallatur*: hujusmodi autem verba videntur esse præceptiva, maximè quia inferiùs additur, *Si Dei, & Apostolicæ Sedis indignationem evitare voluerint*: ergo ex vi Legis Canonicę tenentur Regulares professi psallere in Choro Horas Canonicas sub lethali culpa. Huic oppositioni, negata ejusdem consequentia; ad *Textum Clementinæ*. Respondeo primo cum *Antonio à Spiritu Sancto in Director. Regul. par. 2. tract. 3. disp. 6. sec. 11. §. 8. n. 1584. Diana Coordin. to 3. tract. 6. ref. 19. Ex par. 10. tract. 14. & Miscell. 4. ref. 3.* & aliis, ipsum non ponere, sed aliunde supponere obligationem, quæcumque ista sit, sive ex peculiari videlicet Regularium Regula, & instituto, sive ex consuetudine universali, sive ex præcepto, &c. ita etiam *Diana n. 4. cit. in to. 2.* ubi ait: *Ex Clement. I. de celeb. Missar. Regular. esse obligatos ad Officium in Choro juxta cujuscumque consuetudinem*,

dinem, & institutum. Respendeo secundò, *dictam Clementinam* benè examinatam, atq; intellectam, non præcipere Regularibus canere publicè in Choro Horas Canonicas, sed tantummodo præcipere debitum modum, & tempus psallendi, ad quosdam tollendos abusus, & inconvenientia aliqua valdè gravia, quæ in Ecclesia Dei tunc extabant, ut patet ex *Textu* ipso, in quo hęc habentur: *Plerique Ecclesiarum Ministri, modestia Ordinis Clericalis abiecta, dum offerre Deo Sacrificium laudis fructum labiorum suorum in puritate conscientiæ, & animi devotione debent Horas Canonicas dicere, seu psallere, transcurrendo, syncopando, extranea quidem, & plerumque vana, profana, & inhonesta intermiscendo colloquia, tardè ad Chorum conveniendo, seu Ecclesiam ipsam absque rationabili causa ante finem Officii exeundo frequenter. Aves interdum portando, seu faciendo portari, canesq; secum ducendo venaticos, ac quasi nihil prætendentes de Clericali militia, in corona, vestibus, & tonsura, divina etiam celebrare, aut eis interesse nimis indevotè præsumunt. Nonnulli etiam tam Clerici, quam Laici, &c.* Ex his autem verbis clarè habetur, quod erat in illis temporibus abusus psallendi in Choro Horas Canonicas extra tempus, & horas ab Ecclesia determinatas, indevotè, vana, profana, & inhonesta intermiscendo, & alia perpetrando delicta (ut in *Textu*) ob quæ postea Summus Pontifex coactus fuit statuere, ut in Ecclesiis debitis horis, & devotè psallatur, &c. Et ne transgressiones hujusmodi invalescant, aliisque veniant in exemplum, Ecclesiarum Prælatis committit solicitam, diligentemque curam in illis exequendis adhibere: concedendo insuper eisdem Prælatis, Ecclesiarum Superioribus, facultatem compescendi contradictores censura Ecclesiastica, & aliis opportunis remediis. Non tamen statuit, ut recitentur in Choro Horæ Canonicæ, potissimum quia, talis abusus non canendi in Choro tunc non vigebat. Neque item statuere idem videtur, ex eo, quod Prælatis Ecclesiarum concedit posse eos compescere subditos inobedientes Ecclesiastica censura, ex hoc enim inferri non debet, ergo Regulares tenentur ex præcepto juris sub mortali, ad Horas Canonicas quotidiè in Choro canendas, quia per concessionem illius potestatis, non fulminatur de facto censura, nec etiam comminatur, sed conceditur solum Prælatis facultas ad illam fulminandam contra subditos inobedientes, & contradicentes determinationibus, & ordinationibus Pontificiis editis ad tollendos illos abusus, de quibus *in cit. Textu*, & qui tunc in Dei Ecclesia cum gravi damno spiritual li vigebant. Præter hunc textum nullus alius afferri potest, vel extat (ut supra) qui loquatur, vel eos afficiat quo ad obligationem psallendi publicè in Choro Divinum Officium; nam, ut videre est apud DD. præcipuè apud *Less. de Just. lib. 2. cap. 37. dub. 9. n. 44.* in reliquis *Juribus* mentio fit semper vel de Presbyteris Sæcularibus, Parochis, & Ecclesiæ Rectoribus, vel de Clericis alicui Ecclesiæ deputatis, idest, qui habent Beneficium in aliqua Ecclesia, ratione cujus eidem inservire debent; vel de Prælatis, & Minoribus Clericis, &c.

326 Supponendum quintò. Horas Canonicas ex causa aliqua legitima persolvi posse etiam in Sacristia, vel Oratorio, etiam dissito ab Ecclesia, & quæ illi non conjungitur Muro communi, quia Officium in dictis locis dirigitur ad Ecclesiam, & Religiosi moraliter dicuntur canere in Ecclesia, quæ sic non privatur illo honore. Et sicut Canonici, qui magis rigorosè quam Regulares tenentur ad Chorum, ob justam, & rationabilem causam excusantur à *Bonac. to. 1. tit. de Officii recit. & Horis Canon. disp. 1. qu. 3. punc. 5. proposit. 1. n. 3.* multo magis Regulares excusandi sunt, & possunt, cum causa inquam, satisfacere etiam in Sacristia, vel Oratorio, &c. suæ obligationi psallendi in Choro: ita etiam *Bord. ref. 30. quæst. 17. n. 21.* apud quem rationabilis causa, est asperitas brumalis, seu frigus tempore hyemis; item si in Choro, vel in Ecclesia fabricetur; si sit occupatus aliquo alio Ministerio Spirituali, ut si ibi in Hebdomada Sancta fiat Sepulchrum Domini, aut aliqua Spiritualis demonstratio. Addo cum eodem *Bordon.* Quod in pluribus Monasteriis adest Chorus separatus ab Ecclesia per communem parietem, qui in hoc æquiparatur Sacristiæ, ergo si in eo satisfit, etiam in Sacristia. Vide *P. Dian. to. 3. Coord. tract. 6. resol. 22. n. 2. Ex par. 6. tract. 8. & Miscell. 3. res. 13.* ubi refert *Bonac., Pala.* & alios, asserentes, certum quidem esse *ex cap. Fin. distint. 92. & cap. 1. de Celebrat. Missar.* Horas Canonicas in Ecclesia persolvendas esse, admittentes tamen, ex necessitate posse in alio loco persolvi, nec se restringentes in Sacristia distante ab Ecclesia per plures Muros, vel in alio Oratorio, quia Officium quod in dictis locis recitatur, dirigitur ad Ecclesiam, & moraliter dicuntur Religiosi canentes in dictis locis, canere in Ecclesia, nec dissentit *P. Diana*: solum concludit: *Salvo tamen meliori judicio*

327 His

327 His igitur suppositis, ac præmissis (ex quibus, & ex DD. fideliter citatis, & ex communi, habetur, Religiosos ad Chorum professos, ad eundemmet non teneri Jure aliquo Canonico, cum nullus Canon ea de re extet; nec jure naturæ, quia non pertinet ad essentiam Religionis. Neque ex vi Voti, aut Professionis, quia ad hoc non se Voto astringunt: nec ratione eleemosynarum, quia non dantur cum hoc onere, sed ut vivant secundum suum institutum, &c. quæ omnia etiam, ut hic, enumerant, & docent *Less. dub. c. 9. n. 49. Diana nu. 4. c. in to. 3. Coord.*, aliique.) Modo inquiro (in gratiam Regularium, & Monialium) quo Jure absolutè teneantur, tum ad communem, & publicam recitationem in Choro, tum ad privatam, quando Choro non intersunt, nec sunt in Sacris, utraque enim pars obligationis considéranda est (affirmans *Pala. par. 2. disp. 2. punc. 1. §. 3. sub n. 1. Vers. Hinc fit*. Quod obligatio recitandi privatim, succedat loco publicæ recitationis, quam Religio profitetur) & meritò inquiro inquam, quo Jure ad id teneantur Regulares professi ad Chorum in communi, nam Doctissimus *Caram. in Theol. Regul. disp. 101. n. 1320. in princip.* ita scribit: *Communitates teneri sub peccato gravi legere Divinum Officium, asserunt communiter Authores: nullum legi qui asserat contrarium, nullum qui hanc obligationem demonstret. Ne igitur singularis videar, supponam ex communi, non posse communitatem aliquam Benedictinam omittere Officium Divinum sine culpa mortali*. Duæ autem sunt in hac re, & inter se contrariæ sententiæ, una negans obligationem ad recitandum; altera affirmans adesse, dicensque quo jure. Afferam utriusque Authores fideliter cum suis fundamentis: excusari autem me arbitror apud Lectorem, si in his afferendis nimia fortasse prolixitate immorari videar, non tamen operam perdo, nec frustra id facio, sic enim clarius, & facilius quæstionem hanc expendam, & robur valdè efficax conclusioni meæ præstabo.

328 Incipiam ergo à *P. Marco Vidal*: iste Pater in *Arca Vitali Theologiæ Moralis Tit. de Horis Canon. Inquisit. pr. n. 31.* sententiam tenens negativam (quam refert per extensum *P. Diana ubi infra*) ait, ut sequitur: *Consuetudo recepta penè in omnibus Religionibus canendi quotidiè in Choro publicè Horas Canonicas, non obligat sub mortali culpa Regulares, neque sigillatim personas, neque Communitatem, & Superiores locales, ità ut si aliquando desistant canere in Choro, etiam sine gravi causa, non ideò sunt condemnandi rei mortalis culpæ. Probatur assertio primo: Omnes ferè Regularium Religiones canunt quotidie in Choro Horas Canonicas ex consuetudine tantum recepta in quavis Religione: sed hæc consuetudo non habet vim legis, & præcepti: Ergo non obligat sub culpa mortali. Major, ut certa recipitur communiter à Doctoribus. Minor autem probatur; Consuetudo enim tunc habet vim legis, sive præcepti, quando à majori parte Communitatis introducitur cum Superioris legitimi consensu, & recipitur communi animo se obligandi, & quando participat justæ legis conditionis, atque etiam observatur per modum præcepti, & obligationis, sed nulla penè Religio introduxit talem consuetudinem canendi in Choro hac intentione, & animo observandi illam per modum præcepti, & legis: ergo sub mortali non obligat.*

329 *Secundo, Constitutiones ferè omnium Religionum non obligant regulariter subditos ad illas observandas sub culpa mortali: ergo neq; etiam obligabit sub mortali hæc consuetudo canendi publicè in Choro Horas Canonicas. Antecedens supponitur verum, & certum. Consequentia probatur: tum quia Regulares tenentur ex consuetudine canere in Choro juxta Regulam cujusvis Religionis, sed Regula non obligat sub culpa mortali: ergo neque etiam consuetudo: tum quia ista consuetudo canendi in Choro est orta, & dependet à Constitutionibus par.icularibus Religionum: ergo sequitur earum naturam: at Constitutiones non obligant ad culpam mortalem: ergo neque consuetudo ab ipsis dependens; quia accessorium sequitur naturam principalis, Leg. cum principali, ff. de reg. jur. Cap. Accessorium, de reg. jur. in 6. potissimum quando militat eadem ratio, ut in casu nostro: nam tam Constitutiones, quam consuetudo canendi in Choro tendunt ad idem bonum, & ad eundem finem: ideo, &c.*

330 *Nec obstat dicere, quod consuetudo circa rem gravem, quasi semper vim legis habet: ergo obligat sub mortali: ergo etiam hæc canendi in Choro Horas Canonicas quotidiè in Regularium Ecclesiis, cum sit consuetudo circa rem gravem, ut per se patet: ideo, &c. Nam respondetur negando absolutè antecedens. Et ratio negationis est. Primo; quia dantur aliquæ consuetudines, quæ habent vim legis, & tamen non sunt de re gravi, & difficili, neque communiter servantur. Ita Pasqualig. decis. 487. n. 3. Ergo. Secundo, cum eodem Pasqual. l. c. n. 5. In aliquo loco introduci potest ex devotione exercitium alicujus virtutis, quod ab omnibus communiter servetur, & sit difficile, & etiam quod sit res gravis: & nihilominus talis consuetudo non obligaret sub culpa saltem mortali; illa enim quæ sunt ex liberalitate, non*

introducunt obligationem, quia proveniunt ex libera voluntate, quæ cum liberaliter operetur, se obligare non intendit: ergo. Tertio; consuetudo nunquam vim legis præceptivæ habet, nisi sit introducta, & instituta cum consensu Superioris, ac animo se obligandi, & tali etiam intentione observetur: ita asserunt communiter Doctores, ut Suar., Azor., Rebellius, Reginaldus, Vasquez, Facund., Filliucc., Layman, Becanus, & alii, quos citat, & sequitur Diana par. 3. tract. 2. res. 8. §. Sed hæc opinio. Nam sicut lex quo ad suam obligationem dependet ab intentione Legislatoris, ita etiam consuetudo dependere debet ab intentione illorum, qui eam inducunt, cum participare debeat conditiones legis, ut vim legis habeat, aliter non obligabit; quia actus voluntarii non plus operantur, quam velint operari. Lege Voluntariè, cap. de excus. tut. & leg. fin. Cod. ne Uxor. pro Mar. & actus agentium non debent operari ultra eorum intentionem, leg. non omnes, ff. si certum, cap. Ad audientiam de decis. ergo. Quarto, In actionibus de Consilio, & liberis requiritur semper agentis intentio, per quam se obligare intendat ad aliquod opus, ut dicatur in conscientia esse obligatum, ut patet in Voto. Sed ut aliqua consuetudo introducatur, est quid dependens à libera hominis voluntate, cùm sit quoddam jus non scriptum, quod continuo actuum similium usu nascitur: Ergo ad introducendam consuetudinem obligantem in conscientia, inter alia requiritur illorum intentio, qui eam introducunt: quia intentione se obligare in conscientia velint, & intendant. Igitur consuetudo recepta in Religionibus canendi quotidiè in choro Horas Canonicas, cum non sit introducta, & instituta hoc animo se obligandi sub mortali, sequitur quod vim legis præceptivæ non habeat; quoniam ut sentiunt DD. communiter, consuetudo nunquam vim habet obligandi in conscientia, nisi sit de consensu illius, qui potest legem condere, & nisi sit introducta hac intentione obligandi: Ita cum D.Tho. p. 2. q. 97. ar. 3. ad 1. asserunt Doctores, ut Suar. de Legib. lib. 7. cap. 9. Reginald. lib. 13. n. 143. Filliuc. tract. 23. cap. 6. n. 97. Clavis Regia lib. 13. c. 11. n. 5. Bonac. de Legib. disp. 1. quæst. 1. punc. ultimo, n. 28. Sà Verbo Consuetudo, nu. 4. Fagund. in Præcepto 1. Eccles. lib. 1. cap. 6. n. 7. & alii. Sed Regularium Constitutiones apud plures Religiones, leges præceptivas obligantes sub mortali culpa non habent; ergo, neque etiam ullo pacto asserendum est, quod in illis Religionibus consuetudo canendi in Choro fuerit introducta hoc animo, ut vim legis præceptivæ habeat, cum dependeat ab Instituto, & Regula ipsarum Religionum. Hæc, & alia plure docet *P. Vidal. l. c.* pro sua negativa sententia, quam, *Anton. à Spiritu S. in Direct. Regul. p. 2. tr. 3. disp. 6. sec. 2. §. 8. Verf. Dico primo n. 1584. fol. mihi* 189. dicit, *non esse improbabilem*: Ejusdemq; non improbabilitas.

331 Confirmari potest primò, ex doctrina quam tradit *P. Pasqualig. de Sacrif. Missæ to. 2. q.* 889. *nu.* 7. Quia tunc consuetudo locum habet, & pro lege suscipitur, cum deficit lex *cap. Consuetudo dist. 1. ubi Glossa Verb. Cum deficit*. Et quando aliquid observatur communiter, quia ita lex præscribit, non est dicenda consuetudo, sed observantia legis. Et ut videatur ex qua obligatione procedat, non est consideranda consuetudo, sed quam obligationem lex imponat. Neque enim observantia legis inducit obligationem supra obligationem legis: Ergo cum psallere in Choro quotidiè Horas Canonicas apud Religiones sit ex præscripto suarum Constitutionum, non est in hoc inquirenda obligatio consuetudinis, quia hæc consuetudo obligativa non adest; sed obligatio Constitutionum, ita ut præter hanc, nulla sit alia obligatio: At constitutiones, ut suppono, non obligant ad illarum observantiam sub culpa lethali: ergo, &c.

332 Secundò confirmari potest. Ex eodem *P. Pasq. qu. c. nu.* 8. Quia si quando constitutiones Religionum præcipiunt aliquid, posset ipsis supervenire consuetudo asserens ipsamet suam propriam obligationem juxta naturam consuetudinis, quam superadderet obligationi constitutionum, sequeretur, quod omnes Religiosi, quorum constitutiones non obligant ad peccatum, ex eo quod modò observarent dictas Constitutiones, obligarentur ad peccatum grave, vel leve, juxta gravitatem, vel levitatem materiæ quo ad omnia, quæ præcipiuntur in constitutionibus; quia inducta esset consuetudo quæ propriam haberet obligationem. Hoc autem dici non potest, & est contra communem sensum. Doctores enim sentiunt communiter, quod hujusmodi Religiosi non obligentur sub peccato ad observantiam constitutionem. Hinc Summus Pontifex *in Clem. Exivi, de Verb. Signif.* Declarans Regulam *Fratrum Minorum*, separat ea, quæ continent præceptum, ab iis quæ non obligant sub peccato, quod facere non potuisset, si fuisset inducta consuetudo obligans sub peccato, ex eo quod observaverint Regulam etiam quo ad ea, quæ sub peccato non obligant.

333 Tertiò confirmari potest, ex eodem *l. c. n.* 9. Quia ut inducatur consuetudo habens vim legis, requiritur (ut supra) animus se

se obligandi, qui si desit, nunquam vim legis acquirit consuetudo, ut communiter DD. in materia de Legibus (ubi de consuetudine) sed hic animus non potuit adesse in Religiosis quo ad psallendum publicè in Choro quotidie Horas Canonicas. Ergo. Probatur Minor, quia Religiosi psallentes, &c. habuerunt animum implendi, quod præcipitur in suis Constitutionibus, ita ut actus ex hoc animo provenerit. Ergo procedere non potuit ex animo inducendæ consuetudinis, & se obligandi, quia talis animus supponit non adesse obligationem, & intendit eam inducere. Animus autem servandi Constitutiones, agnoscit obligationem quæ adest. Nec dici potest, quod adfuerit animus inducendi novam obligationem sub peccato; tum quia hic animus non potest presumi, nisi de ipso apertè constaret. Tum quia omnes de novo profitentes Regulam illam, profitentur ex suppositione, quod non obligentur sub peccato quo ad ea, quę præscribuntur in Constitutionibus.

334 Quarto confirmari potest ex eodem *n.* 10. & 11. Quia consuetudo est lex non scripta, & quando lex deficit, suscipitur pro lege. Ergo quando alicui collectioni legum adiicitur aliqua consuetudo supplens in aliquo defectum legis, obligabit eo modo, quo obligant leges, quibus adiicitur. Ergo quando adiicitur Constitutionibus Religiosorum, quæ non obligant ad peccatum, neque etiam ad peccatum obligabit: sed erit in eodem ordine obligationis, in quo sunt Constitutiones. Adde tandem, quod consuetudo non plus obligat, quam se intendant obligare, qui eam introducunt, si quidem accipit vigorem ab actibus quibus introducitur, & actus non operatur ultra intentionem, *l. Non omnis, ff. si cert. pet. & l. In agris, ff. De acquir. rer. Domin.* Non est autem verisimile, quod Religiosi habentes Constitutiones, quæ non obligant sub peccato, velint introducere consuetudines circa ea, quæ pertinent ad vitam Religiosam, ut sunt ea, quæ Chorum concernunt, obligantes sub peccato; sed solum præsumetur animus se obligandi eo modo, quo obligant Constitutiones, nisi clarè de opposito constet. Hæc doctissimus *P. Pasq. q. c.* in qua licet agat de obligatione quam habent Regulares celebrandi Missas Conventuales in suis Ecclesiis: an scilicet, & ex quo capite eas ipsi teneantur celebrare, ejus tamen doctrina (quatenus docet, quod consuetudo superveniens constitutionibus Religionis non obligat ultra constitutiones) coincidit, ut patet, cum doctrina *P. Vidal*, cujus tamen sententiam, tanquam singularem, & contra Theologorum omnium (etiam Regularium) communem, reiicit *Diana to. 3. Coord. tract. 6. ref. 19. n. 3. ex p. 10. tract. 14. & Miscell. 4. ref. 3.* quam sic concludit: *Doctrina est communis inter Theologos circa obligationem recitandi Horas Canonicas in Choro, quam habent Religiosi: unde caveant ipsi, opinionem contrariam in praxim deducere.*

335 Communis igitur inquam, imo communissima est omnium sententia, in Ecclesiis Regularium adesse obligationem canendi publicè in Choro Horas Canonicas sub peccato, & nullum quidem Doctorem legit *(Caramuel supra)* asserentem contrarium, sed nec ullum, qui obligationem hanc demonstret adinvenit, uti nec ita facilè est talem obligationem demonstrare: Unde & *Oliverius Bonartius de Horis Canonicis l. 2. cap. 3. n. 1. fol. mihi* 144. ait: *Communis sententia DD. est hujusmodi obligari: quo vero jure obligentur, laborant D.D. quia difficile est obligationis radicem invenire.* Nam (inquiunt ferè communiter, præsertim *Diana ref. cit. n. 4.* & idem *Bonart. l. c. n. 2. & 3.*) non tenentur, ut per se constat (& etiam ex superius dictis) ratione ipsius Religionis in genere, quia ex hac ordinantur ad perfectionem, quæ hoc medium necessario non requirit, cum Religio, & quidem perfecta, sine Officio Chori reperiatur. Et Conversi illarum Religionum, quæ Chorum profitentur, sunt veri Religiosi, & si sint sine obligatione ad Horas. Nec etiam hoc debitum sequitur ratione professionis, aut votorum, quia in votis substantialibus hoc non exprimitur. Præterea non tenentur ad Horarias preces aliquo *Jure Pontificio*, quia nullus pro hoc Canon profertur. Ulterius non astringuntur ex vi virtutis Religionis, cum solum ad eum modum divini cultus se obligent, qui votorum formula; vel ipsa professione continetur; vel ipsa Regula præcipitur per modum legis, Psalmodia vero neutro istorum ex obligatione comprehenditur. Intuitu etiam alimentorum, quæ à Christiano populo recipiunt, non videntur præstare debere illud onus: tum quia tali mente non tribuuntur, nec etiam cum illis hujusmodi pactum initur: tum quia Monasteria fundari solent, ut Religiosi in iis vivant convenienter suo Instituto: nisi fortè peculiaris, fundationis Titulus, Monasterium obliget ad illud, quod extraordinarium est. Unde solum tenentur titulo gratitudinis ad orandum pro benefactoribus quomodo Re-

gula præscribit, vel ipsi voluerint. Tandem nec pendet hujusmodi Psalmodiæ choralis obligatio ex approbatione Ecclesiæ. Quia Ecclesia approbans Religionem aliquam, approbat quidem ipsius Institutum, & Regulam, sed hæc approbatio non imponit strictiorem obligationem Religiosis quam ipsi profiteantur, hinc si ipsorum vivendi formula hoc chori debitum non comprehendit, Ecclesia illis sua approbatione non iniicit. Ita communiter ferè omnes Doctores, ut videre est apud ipsos. Verum, si ex nullo ex recensitis capitibus habetur obligatio choralis sub culpa mortali, & hanc volunt omnes DD. adesse in Religiosis choro addictis, ex quo ergo fonte emanat? ex qua oritur radice?

336 Respondent communiter, Religiosos ad chorum professos ad id teneri ex præscripto Regulæ, & ex consuetudine ubique in Religionibus recepta, & præscripta, vim legis obligantis habente. Ita expresè. *Sanch. de Relig. to. 2. lib. 4. Titulo de Horis Canon. n. 7.* ubi: *Dicendum est de Ecclesiis Regularibus, in eis esse obligationem dicendi publicè Horas Canonicas juxta uniuscujusque Institutum, & consuetudinem: ita docent communiter Auctores &c. Less. de Justit. lib. 2. cap. 37. dub. 9. n. 49. Soto de Just. lib. 10. qu. 3. art. 3. circa finem. Filliuc. to. 2. tr. 23. quæst. 7. n. 133. Bonac. to. 1. de Divino Officio disp. 2. quæst. 1. punct. 1. n. 9. Diana ref. c. 19. Coord. n. 4. Bonartius l. c. n. 4. Valent. to. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 10. §. 2. cujus Titulus, Quinam teneantur recitare Horas Canonicas. Pala. par. 2. disp. 2. punct. p. §. 3. n. 1. Antonius à Spiritu S. n. c. 1584. Leza. in Sum. To. p. cap. 12. n. 9. à S. Fausto de Horis Canon. lib. 2. qu. 55.* (dicens, *Consuetudinem hanc inveteratam esse, & præscriptam, & instar præcepti obligare*) *Bordon. resol. 30. qu. p. n. 5.* & alii apud citatos, & communiter. At huic communi responsioni, & conclusioni obstare videtur, præfata doctrina clara, & optima *P. Pasqual.* idest quod *Consuetudo superveniens Constitutionibus Religionis, non obligat ultra Constitutiones*; unde si istæ non obligant ad mortale, nec consuetudo superveniens ad id obligabit. Obstare etiam videtur responsioni, & conclusioni eidem communi, doctrina quam tradit *P. Diana t. 2. Coord. tr. p. ref. 86. Ex par. 3. tr. 2. ref. 8.* quam doctrinam inquit desumere à *Suar. de Legib. lib. 7. cap. 14. n. 6. ab Azor. Rebell. Reginal. Fillincc. Becano, Vasq. Laym. Fagund. Granado, Villalobos, & aliis*: Reiicit ibi *P. Diana* sententiam *nostri P. Alexandri Peregrini*, docentis *in Commentar. nostrar. Constitut. Theatinar. par. p. cap. p. littera E.* Missam Solemnem omittere in nostris Ecclesiis diebus Festis absque justa causa, esse peccatum lethale, non solum ratione scandali, si scandalum oriretur apud Sæculares, sed etiam secluso scandalo, quia hujusmodi omissio est contra præscriptum nostrarum constitutionum, & contra consuetudinem, &c. Non placet *P. Dianæ* hæc sententia, ejusque fundamentum omninò coincidit cum superius tradita doctrina *P. Pasqual.* Tum quia (inquit) non omnis consuetudo obligat ad culpam mortalem, sed tantum illa quæ inducta est cum tali intentione, per modum obligationis, & præcepti (ut notant *Suar.* aliique post ipsum *à P. Diana* hic relati) ad consuetudinem enim necesse est, ut eo animo, & intentione servetur, ut jus imposterum fiat, nam actus agentium non transgrediuntur intentionem eorum. Tum quia, de ratione legis est, ut fiat intentione obligandi, & nullus se obligat absque intentione se obligandi, ut in Voto, & Professione constat: Tum quia consuetudo, quam affert *P. Peregr.* oritur ex nostra Regula, & Constitutionibus: Sed nostræ Constitutiones, non obligant (ut patet) ad peccatum mortale: Ergo necessariò sequitur, quod neque consuetudines ex illis ortæ ad id obligabunt, cum accessorium sequatur naturam principalis, ut tradit *lex cum principalis: & l. nihil dolo, ff. do regul. Juris*. Et notant communiter D. D. quos ad satietatem adducit *Barbos. in Collectan to. 3. lib. 5. Sexti Decret. Regul. 42. n. p. & Menochius volum. p. cons. 58. n. 13.* Dictamque consuetudinem (addit *Diana n. 3.*) non fuisse introductam cum intentione obligandi, patet (ultra supradicta) ex sensu communi omnium Patrum nostræ Religionis, qui in Capitulis Generalibus tam difficulter, etiam in casibus magni momenti, noluerunt imponere præcepta obligantia sub mortali, conformando in hoc seipsos nostris Constitutionibus, quæ ad culpam noluerunt obligare; & ideò tandem in Capitulo celebrato *Anno 1622.* fuerunt abrogata omnia præcepta imposita sub mortali aliis præteritis capitulis. Cum Regula nos non obliget sub onere peccati mortalis, &c. Addit præterea *n. 4.* quod quando adest dubium, an consuetudo fuerit introducta, cum intentione obligandi, non obligat, ut docet *Suar. de legib. cap. 15. n. 13.* quia in dubio nemo præsumitur velle obligari, nec expedit multiplicari præcepta, ubi moraliter certa non sint. Nec valet dicere, quod talis consuetudo sit con-

formis

formis Sacris Canonibus, & consuetudini Generali Ecclesiæ, nam id concedendo, non inde sequitur, nec deduci potest, quod dicta consuetudo nostra obliget ad mortale (non enim omnia quæ in jure Canonico continentur obligant ad mortalem culpam: *Sayr. in Clavi Regia lib. 3. cap. 7. n. 1. Suar. de Legib. lib. 3. cap. 22. & lib. 5. cap. 4. n. 2. Salas de Legib. disp. 10. sec. 5.* & alii. Nec quælibet Ecclesiæ consuetudo, ad mortale obligat, ut per se constat) concludit tandem *Diana*; si in dicta omissione adesset scandalum, mortaliter delinqueretur, alioquin minimè. Hæc *Diana*, cujus doctrina coincidit (ut patet) cum superius tradita à *P. Pasqual.* & utraque contradicit prædictæ communi DD. responsioni, & conclusioni, ut clarè constat. Igitur Religiosorum consuetudo psallendi quotidiè publicè in choro Horas Canonicas, ut supervenïens eorum Constitutionibus, & quatenus oritur ex præscripto earundem ad mortale non obstringentium, neque ipsa ad mortale adstringit. Verum (rubrica doctissimi *Caramuelis* utendo) ne, & ego singularis videar, & unus, unicusvè contra innumeros.

337 Admitto esse peccatum mortale omittere Horas Canonicas in choro: at dico, hoc peccatum committi solum à Superioribus, quibus curare incumbit, ut celebrentur: quod dico cum *P. Pasq. q.c.* 889. *n.* 16. ubi sic ait: *Cur sit peccatum mortale omittere Horas Canonicas in Choro, relinquo inquirendum suo loco: Interim tamen dico, quod hoc peccatum committeretur solum à Superioribus, ad quos pertinet curare, ut celebrentur. Ideò autem peccarent, non quia consuetudo obligaret, quia hoc verti potest in dubium, supposito quod Constitutiones illas præscribant, & non obligent ad peccatum; sed peccarent mortaliter, quia ratione muneris tenentur conservare regularem disciplinam, cujus præcipua est institutum Chori: Unde omittendo Horas Canonicas, læderent Institutum, & disciplinam Regularem in notabilissima parte, & ideo peccarent mortaliter.* Quæ validissima ratio confirmari optime potest ex iis quæ tradidi in mea *Filiatione Spirituali*, ibi enim *Cap. 4. Dub. pr. n. margin. Filiat. Vulgaris* 120. & *Latinæ n.* 138. docui, Prælatos Regulares negligentes ad extirpandas subditorum transgressiones etiam leves peccare mortaliter, cum ipsi sint (ut ait *Less. de Just. libr. 2. cap. 41. dub. 9. n. 76. Vers. Quintò si præcipiat*) *Custodes Regulæ, & Instituti*; consequenter tenentur ratione sui muneris, & sub reatu lethali conservare institutum, ac disciplinam Regularem. Quod etiam expresse docet *P. Peregrin. in Comment. nostrar. Constitut. Theatinar. in Proœmio, sub Verbo Contemptum litt. B §. p. pag.* 29. sub sequentibus verbis: *Licet in Subditis trasgressio frequens Constitutionum non esset peccatum mortale: cum non ex contemptu formali procedit, sed ex libidine, idest ex nimia cupiditate, vel ex negligentia, vel ex alia causa: tamen Prælatis erit peccatum mortale, si fuerint negligentes ad extirpandas istas malas consuetudines in Monasteriis.* Redditque rationem: *Quia videlicet, Prælatis ex officio incumbit cura boni publici: & ideò tenentur notabile damnum publicum sub reatu mortali purgare, si possunt: & peccata venialia, quando sunt frequentia in Republica, magni momenti est illa extirpare. Ita docent Soto De ratione tegendi, & detegendi secretum, Membro 2. qu. 2. Conclus. 3. Vers. Secundam verò partem &c. Bann. in 2. 2. D. Tho. qu. 33. art. 2. dub. 2. Suar. in tract. de Charit. disp. 8. sec. 2. sub nu. 6. Vers. Addendum est ultimo. A S. Fausto in Thesauro Religiosor. qu.* 152. *n.* 3. Eandemque admonitionem Superioribus Regularibus intimat *P. Didacus Sgroia Capuccinus*, in suo perdocto Libro, cui titulus *Lux Prælatorum, Præsertim Regular. par. p. Proœmiali cap.* 2. *n.* 11. *in fine, &* 12. *pag. mihi* 54. In hunc modum: *Guardianus relinquens suos subditos frequenter transgredientes Constitutiones Ordinis, etiam in casibus, in quibus non adest nisi peccatum veniale, sine debita correctione, propter nimium affectum pacis, potens illos commodè corrigere, peccat mortaliter, Sanch. in Præcept. Decal. lib. pr. cap. 6. n. 29. Villalob. to. 1. tract. 4. Difficult. 2. n. 5. Diana par. 3. tract. 2. res. 42. Quia tenetur sub mortali procurare observantiam Regulæ, & Constitutionum proprii Ordinis, etiam in Casu quo illos non obligent ad peccatum, vel tantum ad veniale. Lugo de Just. to. p. dis. 9. sec. p. n. 21. Antonius à Spiritu S. de Regim. Prælatorum tract. 5. disp. 4. sect. 7. n. 317. Girag. par. 3. dub. 39. nu. 238. ubi, quod hæc doctrina est communis omnium Doctorum, præsertim Bann. Sot. Suar. Lorc. Torres Palai, Turriani, Layman, Bassæi, Coninck. de Charit. disp. 28. dub. 3. n. 24. Caspens. to. 2. de Charit. tract. 7. disp. 6. sec. p. n. 8. Nam Superior obligatur ex præcepto, ratione sui Officii, ad consulendum bono spirituali, & profectui Subditorum; & Observantiæ Regulari, quæ per hujusmodi defectus toleratos, & permissos, maxime in Religione, labefactatur. Inferunt ex hoc Doctores, quod ad hunc effectum, potest etiam Guardianus rem levem, præcipere sub pœna gravi, quando ratione finis, & circumstantiarum, potest fieri gravis, nam & quæ apud Sæculares;*

etiam Clericos, levia reputantur, apud Regulares gravia cenſentur, & Excommunicationis, vel Suſpenſionis capacia eſſe ſolent, ex eo quod illa ad Obſervantiam Votorum eſſentialium, valde ſunt neceſſaria: & hujuſmodi ſunt, ſecundum Llamas par p. Methodi cap. 9. §. 22. relatum ab Alphonſo de Leone Centur. Recoll. p. n. 258. Ingreſſus in alterius Cellam: Revelatio Secretorum Religionis: Alloquutio Novitiorum: Omiſſio culpabilis Socii in itinere, &c. (Vide Peyrin. de Prælato qu. 3. cap. 3. n. 15.) Et erit materia gravis ſi permitteret ire in deſuetudinem Obſervantiam ſilentii debitis temporibus. Horam conſuetam Matutini Chori, frequentiam. Aſperitatem, ac rigiditatem in Veſtitu, ac fabricis, aliiſque rebus ſecundum Ordinis Statutum: Si permitteret notabilem negligentiam in rebus Spiritualibus; & ita de ſimilibus, de quibus DD. cc.

338 Ecce igitur ex hactenus recenſitis, quod ſolis Superioribus in omiſſione Horarum Canonicarum (abſque rationabili cauſa, ut infra) adſcribitur peccatum mortale (uti & in aliis tranſgreſſionibus Regulæ, & Conſtitutionum) eo quia ad ipſos ratione ſui muneris, & Officii pertinet curare ut recitentur, nec poſſunt diſpenſare abſque cauſa rationabili ut omittantur. Non verò ipſos peccare, quia conſuetudo eos obliget, cum hujuſmodi conſuetudo quo ad vim obligandi verti poſſit in dubium, ut ſupra *P. Paſqual. nu. c.* 16. Ubi tamen addit: *Si verò innitamur conſuetudini, poſſet etiam dici, quod cum conſuetudo de Horis Canonicis ſit de aliquo tanquam neceſſario pro Inſtituto Religioſo, quia eſt de Oratione fundenda, ad quam ratione Status tenentur Regulares; ideò cum conſuetudo illas præſcripſerit tanquam illam Orationem, quam ratione ſui Status tenentur fundere Religioſi, ſit, quod obliget ſub mortali:* ita *P. Paſqualig.* cui ſubſcribo.

339 Dixi Prælatos, & Superiores Regulares peccare in omiſſione Horarum Canonicarum, ſequuta abſque juſta, & rationabili cauſa, ſine qua non poſſunt utique diſpienſare, ut non recitentur, cum juſta tamen, & rationabili poſſunt, nec peccant. Quod docet etiam *Leſs. de Juſt. lib. 2. cap.* 55. *nu.* 51. ubi quærens, Utrum Superior poſſit, in hac obligatione ex cauſa diſpenſare. Reſpondet poſſe diſpenſare, quando cauſa ſubeſt; ſicut in aliis Statutis, etiam obligatoriis, poteſt. Quæ reſponſio ſuaderi eò magis poteſt, quo certum eſt Regulares non tam arctè teneri pſallere publicè in choro Horas Canonicas, atque Canonici, & Beneficiati. *Bruno Neuſſer de Horis Canonicis diſp. 13. qu. 9. n. 34. in fine* (Ubi, *Omnes ſupponunt non adeſſe tantam obligationem perſolvendi Divinum Officium in Eccleſiis Regularium, quanta eſt in Cathedralibus, & Collegiatis. Unde & facilius poteſt intermitti in Eccleſiis Regularium, quàm in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis.*) *Bonart. cap. 3. cit. n. 4. Baſſ. Verb. Horæ Canonicæ p. n. 8. Verſ. Religioſi ſingulariter. Suar. de Religione to. 2. lib. 4. cap. 10. n. 16. & 17. Bordon. reſ. 30. qu. 2. n.* 6. reddens ibi rationem: quæ tamen ex ſe clara eſt, certa, & evidens; Quia videlicet Regulares tenentur recitare in choro Horas Canonicas ex Regula, & uniuſcujuſq; Religionis Inſtituto, & Conſtitutionibus, quæ nullum ferè Religioſorum obligant ad mortale: immo neque ſub veniali (addit etiam *Bordon.*) excepta prima Regula Divi Franciſci, quæ ſuos alumnos in multis obligat ſub culpa. Unde *Suar. n. c.* 16. ait: *Facilius poſſe excuſari Religioſum ab onere canendi in Choro, quam poſſit Clericus Sæcularis excuſari à culpa mortali, quando alioqui ratione Beneficii tenetur. Ratio quo ad Religioſum eſt, quia unuſquiſque Religioſus in particulari ſolum tenetur ad exiſtendum, & canendum in Choro ex vi Regulæ, quæ ordinariè non obligat ſub reatu culpæ, ſed tantum pœnæ, & ideo licèt practicè, ac moraliter vix violetur ſine aliqua culpa levi, tamen ſi aliqua moderata cauſa intercedat, poterit omnem culpam excuſare.* Sic etiam docent *Bonac. de Horis Can. diſp. 1. qu. 2. punct. 2. n. 8. Baſſ. l. c. Tamburin. in Decal. lib. 2. cap. 5. Tit. de Horis Canon. n. 12. Verſ. Dico ſecundo*, & alii. At Canonici, & alii Beneficiati ſtrictiorem habent obligationem intereſſendi choro, ad id enim ex Juſtitia tenentur, cum ob id etiam accipiant diſtributiones, & Beneficium (quod per omnes datur propter Officium) & quod eis confertur non ſolum ob privatam Divini Officii recitationem, ſed maximè ob publicam, ex præcepto Canonum, ut colligitur ex *Clementina prima de Celebrat. Miſſar.* ibi, *Sancimus, ut in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis horis debitis devotè pſallatur*. Item *ex Cap. Finali. Si quis Presbyter diſt.* 92. ubi ſic: *Si quis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus, ſi intra Civitatem fuerit, aut in quolibet loco in quo Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſallendi Officium Matutinis, vel Veſpertinis horis ad Eccleſiam non convenerit, deponatur à Clero: ſi tamen caſtigatus, veniam ab Epiſcopo per ſatisfactionem noluerit promereri.* Item *ex Cap. Quia per ambitioſam, de Conſuetudine in* 6. Ubi, quod datur Eccleſiaſticum Beneficium propter Officium, ex cujus omiſſione (inquit Pontifex:) *Minuitur*

cultus

cultus Divinus, *quem desideramus augere*. *Quod volentes emendare quantum possumus*, *quæ nobis licere non patimur*, *nostris Successoribus indicamus*. Hinc dicti Canonici, & Beneficiati, negligentes, nec Choro interessentes, vel si, absque devotione, ac modestia; censuris compelli possunt, & ita compelluntur *in Cap. dolentes de Celebrat. Missar.* sub his verbis: *Hæc igitur*, *& similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus*, *districtè præcipientes in virtute obedientiæ*, *ut Divinum Officium nocturnum*, *pariter*, *& Divinum*, *quantum eis Deus dederit*, *studiosè celebrent pariter*, *& devotè*. Igitur Canonici, & alii Beneficiarii strictiorem habent obligationem interessendi choro, quam Regulares, tenentur enim ex justitia, & sub mortali, eisque præcipitur interessentia sub pœna depositionis, &c. non autem Regularibus. Et qui ex Canonicis, & aliis Beneficiatis, qui quotidianas distributiones recipiunt propter assistentiam in choro, nequeunt illas tuta conscientia recipere, nec receptas retinere, si choro non intersint: Ita *Bonifacius VIII. in Cap. Vnico Consuetudinem*, *de Cleric. non residentib. in* 6. Ubi sic: *Qui aliter de distributionibus ipsis quicquam receperit*, *rerum sic receptarum Dominium non acquirat*, *nec faciat eas suas*, *imo ad omnium restitutionem*, *quæ contra hujusmodi nostram Constitutionem receperit*, *teneatur*. Quæ Constitutio renovatur *in Conc. Trid. sess.* 24. *c.* 12. cum addito, Ut qui assistunt, distributiones recipiant; quibus alii absentes privantur: *Quavis collusione*, *aut remissione exclusa*. (Quæ duo verba rigorosa sunt, & valdè notanda, inquit *Suar. l. c. n.* 20. ex quibus absolutè deducit ipse, distributiones quotidianas donare, aut remittere absentibus non licere, quod probat etiam ex *Declaratione Sacræ Congregationis*: quod hic obiter nota, & vide eundem *Suar.*) Quamvis autem dicta Canonicorum, & Beneficiatorum obligatio sit adeò stricta, & rigorosa, ut supra, potest nihilominus admittere legitimam aliquã excusationis causam: Quia obligatio etiam ratione stipendii, non est absolutè tam rigorosa, ut excusationem moralem non admittat, quod docent omnes apud *Suar. l. c. n.* 18. Et est per se notum. Oportet tamen (addo cum eodem *Suar. ibi*) quod causa sit vera, & quod bona fide procedatur. Causa autem, seu casus in quibus etiam absentes (fictione Juris) censentur interessentes, & assistentes, atque adeò distributionum capaces, & eisdem debitæ, numerantur, & assignantur ab eodem Sũmo Pontifice *Bonif. VIII. in dicto Cap. Unico*: his verbis: *Exceptis illis*, *quos infirmitas*, *seu justa*, *& rationabilis corporalis necessitas*, *aut evidens Ecclesiæ utilitas*, *excusaret*. De quibus excusationis causis, vel casibus. *Barb. de Canon.*, *& Dignitatib. cap.* 24. *Moneta de Distributionib. Garzias de Beneficiis. Thom. Hurtadus de Residentia Canonicor. Palaus de Horis Canon. Franciscus Ceccoperius de Canonicis*, aliique innumeri. Hinc

340 Omnes supponunt non adesse tantam obligationem persolvendi Divinum Officium publicè in Ecclesiis Regularium, quanta est in Cathedralibus, & Collegiatis, in quibus obligatio est ex justitia, in illis verò ex Regula, &c. Unde *Basi. Verbo Horæ Canonicæ p. sub n.* 8. *Vers. Ex quib.* ait: *Non est damnanda illorum Religiosorum consuetudo*, *qui de suorum Superiorum licentia*, *certa aliqua die à choro vacant*, *ut corpus defatigatum recreent*, *quo frequentius postea aliis diebus ad psallendum surgant*, *dummodo saltem duo in choro psallentes relinquantur*; *cum de Jure Canonico Conventus*, *sive Monasterium*, *etiam ex duobus constet*. *Ut innuit Glossa juncta Textui cap.* 10. *q. p.* Hoc *Bassæi* dictum, confirmat etiam praxis, & experientia ipsa, quoad illas Horas, quæ aliquando, cum Superioris consensu, non alta, sed submissa voce recitantur in choro, à duobus tantum, quod nec adeò rarò contingit ob aliquam causam.

341 *Bordon. cons.* 30. *q.* 3. *n.* 7. Quærens. An Superiores permittentes aliquando ex levissima causa omissionem Divini Officii, etiam in totum, peccent mortaliter: Item tolerantes duos, aut tres recitare illud post Completorium, & non de nocte, vel Matutinali tempore? Respondet. *Attendendæ sunt uniuscujusque Religionis Constitutiones*, *& usus*, *præscindendo enim ab illis Regulis*, *quæ sub culpa præcipiunt recitationem Divini Officii in Choro*, *puto in aliis nullum esse peccatum saltem mortale præfatas permissiones*, *præsertim primam*, *& tertiam*, *quas neque censeo veniales*, *Utique vero peccatum veniale perniciosum in secundo casu*, *quia Choro non plenè*, *& ut est debitum*, *satisfit*, *& absentibus est facilis occasio neque illud dicendi extra Chorum*, *in hoc ergo casu vigilare debent Superiores*; *& magis expedit illud recitare in sero post Completorium*, *quam de nocte*, *vel mane cum paucis Clericis*; *cum perversio temporis*, *maximè apud Regulares non Reformatos*, *nullum sit peccatum*, *saltem mortale*, *recitare Matutinum post Completorium*. *Etenim Clement. I. de Celebr. Missar. præcipiendo etiam Regularibus*, *ut in suis Ecclesiis debitis horis psallant Divinum Officium*, *non idcirco ponit obligationem simpliciter recitandi*; *sed*

di; sed suppositæ adiecit tempus; cum autem ex supra probatis constet non esse rigorosam hujusmodi obligationem, cum laxior sit illa quam habent Collegiatæ, & Cathedrales, consequenter obligatio temporis sequitur obligationem recitationis, & cum hæc non sit sub mortali, oportet inferre eam esse sub veniali tantum; & in quibusdam Religionibus nullum peccatum; ut puto non esse in mea Religione, quia neque in Regula Nicolai, neque Leonis, neque cap. 14. Nostrorum Statutorum, id ordinatur, & si enim ibi fiat mentio citatæ Clementinæ, tamen postea in ordinando Statuto, dicitur simpliciter, quod conveniant in Templa ad persolvendas Canonicas Horas, non determinans tempus, ergo illud relinquit arbitrio Superiorum Localium, aut Majorum, determinandum. Quod autem non sit peccatum mortale, docent Cajetan. & Valentia quos pro se citat Bonac. disp. 1. de Horis Canon. qu. 3. punct. 3. n. 7. §. Ego, contra Navarr. to. 4. cap. 3. de Orat. n. 63. Regin. lib. 18. n. 180. & alios. Hactenus *Bordon.* quem omnino sequitur *Antonius à Spiritu S. in suo Direct. Regular. part. 2. tr. 3. disp. 6. sec. 11. §. 8. n. 1600.* his verbis: *An autem in illis Religionibus in quibus sub mortali non præcipitur in suis Constitutionibus, ut recitentur quotidiè in Choro Horæ Canonicæ possint Superiores sine omni culpa permittere aliquando ex levissima, ut ommitantur in choro, vel in totum, vel in partem, & etiam, ut Matutinæ preces recitentur post Completorium, & non de nocte Matutinali tempore. Respondeo affirmativè. Bord. supra n. 7.* Limita tamen hanc doctrinam cum eodem *Bord. ref. c. q. 5. n. 9.* Quando in Monasterio adesset obligatio recitandi, quotidiè in choro Horas Canonicas in fundatione Conventus, tunc enim omittentes peccarent mortaliter, ut singuli. Tum quia singuli omittentes, facerent contra Justitiam, cum singuli alantur ex illis fructibus. Tum quia, in hoc æquiparantur Beneficiariis de Collegio, qui ut singuli tenentur interesse choro, & cum sit omissio in re gravi contra Justitiam, nulli dubium quin sit peccatum mortale. Non tamen tenerentur ad restitutionem fructuum pro rata Officii omissi, nisi constaret de expressa ad id intentione Fundatoris, quæ intentio, nisi esset clara, non supponitur: cum insolitum sit, quod Fundator Monasterii obliget ad recitandas Horas Canonicas in choro cum obligatione restitutionis fructuum respondentium pro rata Officii omissi. Nec enim illi redditus (inquit idem *Bord. cum Bonac.*) constituunt Beneficium, sed est simplex eleemosyna ad congruam sustentationem Religiosorum, qui habent onus recitandi Officium in choro; hincque patet differentia inter Clericos, & Regulares in ratione restitutionis, & convenientia in culpa mortali, à qua non excusantur, nisi absint cum rationabili causa, quæ semper excusat, licet non sit tam gravis, & tam legitima quam illa, quam Clericus habere debet, ut non obligetur ad restitutionem, quia Clericus habet Dominium utile Beneficii, Religiosus verò solùm congrua alimenta recipit à Monasterio, penes quod est Dominium directum, & utile rei relictæ: & hinc patet alia differentia inter Beneficium, & hoc relictum, nam Beneficii proprietas non est apud Beneficiarium, sed penes Ecclesiam; Religiosi verò sunt Domini eleemosynæ sibi relictæ: ita & optimè *Bordon. n. 9. c.* Sed

342 Quæres, An excusetur communitas Religiosorum ab obligatione chori, in parvis conventis, si solum in istis resideant quatuor, vel quinque ad chorum deputati. Respondeo affirmativè, cum *Pelliz. to. p. Manual. tr. 5. c. 8. sec. 1. qu. 23. n. 50. Bord. ref. c. q. 4. n. 8. Tamb. in Decal. l. 2. c. 5. de Horis Canon. §. 1. n. 12. Vers. Dico secundo, & Brunone Neusser de Horis Canon. disp. 13. qu. 9. n. 35.* Ratio est, quia, & si quatuor, vel quinque, immo, & duo sufficiant ad rigorem chori, tamen ad constituendum chorum ex obligatione, & ut cum aliquo decore alternatim cantetur, & publicè psallatur, ne tantum onus quotidianum tam paucis imponatur ex obligatione, potest communitas talis paucorum Religiosorum (inquit *Tambur.*) hanc opinionem sequendo, à tali onere se tunc liberare. Eò magis quia, strictius est jus per omnes, quo urgentur Beneficiarii, & Collegiati, qui obligantur etiam si essent tantum duo, propter pactum saltem implicitè initum inter Fundatores, & Beneficiarios, quod requirit ex Justitia, ut servetur chorus, usque dum alternitas canentium aliqua tandem ratione servari potest, ut potest inter duos. Unus solus non obligandus, uti non obligat *Tambur.* Confirmatur responsio quia duo, aut tres nequeunt commodè Divinum Officium recitare publicè in choro; id autem quod commodè fieri non potest reputatur impossibile in jure (inquit *Bordon.* & cum ipso *Pellic. ll. cc.*) ac proindè nulli subiectum obligationi, consequenter illi duo, aut tres, non tenentur recitare in choro Horas Canonicas. Unde concludo cum eodem *Bord. n. 8. c. in fine: Ut plurimum excusarem etiam quatuor, vel quinque residentes, cum hujusmodi obligatio recitandi in choro Regulari*

gularibus non sit ita strictior, sicut Beneficiariis Collegiatis, ut probatum est. Et hæc tandem sint satis circa obligationem, quam habent Regulares Professi ad chorum psallendi quotidiè publicè in ipso Horas Canonicas, quæ dicta etiam esse intelligantur de Monialibus ad chorum deputatis, cum, & ipsæ teneantur Divinum Officium recitare eo modo, quo Viri Professi obligantur, ex Regula videlicet, consuetudine, &c. ut docent omnes apud *Bord. res. c. q. 8. n. 12.* animadvertentes (apud *Francis. Bardi in Selectis Moralib. l. 8. q. p. §. 2. n. 3.*) quod hac in re diversitas Sexus nihil facit. Modo ergo.

343 Transeo ad recitationem privatam, & inquiro, An viri Professi Regulares carentes Sacris, ad Chorum deputati; uti, & Moniales, item Choro addictæ, quando non intersunt publicæ Psalmodiæ in Choro, teneantur privatim sub mortali supplere, & recitare Horas Canonicas: Qua in re, duæ extant inter se contrariæ sententiæ, negans una, sustinens altera mordicus obligationem. Qui primam negantem sectantur sunt sequentes, refero eum suis Fautoribus, istorum etiam fundamenta. Et incipio à *Cajet.* Iste Doctor Eminentiss. expresse habet hæc: *Dicuntur, & tertio obligati Religiosi Professi. Et certe nisi consuetudo illos obliget (de qua nihil scio) non tenentur ex Professione, ut patet*. Ita in *Summula Verb. Horæ Canonicæ initio*. Quem sequens, *Bartholomæus Fumus in sua Summa Armilla*, sic ait *n. 4. Religiosi Professi non existentes in Sacris, secundum Cajetanum, non tenentur de Jure dicere Officium, neque ex Professione, neque ex victu, quia eis debetur, ex quo dedicati sunt perpetuo servitio Dei, fortè ex consuetudine tenentur, de qua dicit se nihil scire. Contrarium tenent communiter alii. Tamen hoc nullo Jure probant. Ideo opinio Cajetani melior videtur*. Et pariter sic prosequitur *nu. 5. De Monialibus dic pariformiter sicut de Religiosis Professis tantum, quia non videntur teneri nisi ratione consuetudinis*. Pro eadem negativa sententia, sunt etiam sequentes (relati *à P. Diana to. 3. Coord. tract. 6. tit. de Horis Canon. res. 17. Ex p. 10. tract. 11. & Miscel. p. res. 45. à Francisco Bardi in Selectis Moralib. lib. 8. qu. p. §. 3. n. 7. à Leandro part. 6. tract. 8. de Horis Canon. disp. 2. qu. 10.* & ab aliis) *Joann. Medina Cod. de Oratione qu. 6. Villalobos in summa to. 1. tract. 24. difficult. 9. dub. 8. Alphonsus de Castro lib. 4. de lege pœn. cap. 8. Martinus de S. Joseph in Monita Confessarior. to. 1. lib. 1. de Ordine tract. 10. n. 3. Aragon in 2. 2. D. Th. qu. 83. ar. 12. Vers. Explicatis jam duob. Bruno Chassaing de Privil. par. 2. tract. 8. c. 4. propos. 4. fol. 443. 444. & 445.* aliique infra recitandi, quorum præcipuus est.

344 *Petrus Marchant. in Tribun. Sacrament. to. 2. tract. 2. par. 2. tit. 3. sec. p. qu. 2. fol. 185.* ubi sequentia, quæ videri etiam poterunt extensa apud *P. Dianam to. 3. cit. Coord. trac. 6. res. 14. ex par. 9. tract. 6. & Miscell. p. res. 7.* Sunt autem hujusmodi. *Regulares, sive Viri, sive Moniales, quæ ex vi Regulæ, vel Voti, speciale Præceptum non habent, sub nullo peccato obligantur ad Horas Canonicas privatim recitandas. Ratio mea fundamentalis est: Quia tantum onus sine speciali lege, vel titulo, sub peccato mortali imponere, est jugum intolerabile, & violentum. Dixi (quæ ex vi Regulæ, vel Voti; speciale præceptum non habent) si enim habent, ut Fratres Minores, Moniales Annunciatæ, & si qui alii, vel aliæ reperiantur, quorum, quarumque Regula in ratione Divini Officii obligat ad mortale, illi sine dubio obligabuntur. Nec ratio consuetudinis vim legis habentis aliquid concludit, & si enim consuetudinem Sanctam Religionum communiter negare non possumus, illam tamen consuetudinem habere vim legis ad peccatum mortale obligantis, nullus probare poterit; nec vidi ullum, qui hoc probare intenderet, qui enim hanc vim consuetudinis allegant, illam communiter supponunt, non probant*.

345 *Dico ergo primo, Sanctam consuetudinē esse, ut Religiosi, ubi choro non intersunt, privatim Horas Canonicas, à quibus absuerint, legāt*.

346 *Dico secundo, Hanc consuetudinem receptam esse sub titulo pietatis, & Sancti exercitii, quam qui prævaricaretur, indevotionis, & negligentiæ, seu defectus fervoris in rebus pietatis argueretur*.

347 *Dico tertio; Hanc consuetudinem non habere vim legis: ut enim consuetudo vim legis habeat, non sufficit, ut communi sensu, & consensu sit recepta simpliciter (recipi enim potest ob decentiam, pietatem, utilitatem, quæ in illa continetur) sed requiritur, ut recipiatur per modum legis sub peccato obligantis. Taliter autem receptam esse à Regularibus consuetudinem illam communiter dicendi Horas Canonicas, absolutè negandum est*.

348 *Dico quarto, Fictitium esse, consuetudinem illam receptam esse per modum legis ad peccatum mortale obligantis: hoc enim absque certo fundamento liberè dicitur. Constans autem mihi est ista Regula: nullam legem, multo minus consuetudinem, ad peccatum mortale obligare, nisi constet certo de fundamento tantæ obligationis. Vide, quæ diximus supra tract. 1. tit. 10. q. 1. per totam*.

349 *Dices*

349 *Dices primo: Multi sunt in ista opinione obligationis, quæ si tollatur, plures Religiosi negligent Horas legere. Respondeo, minus malum esse negligere, quam negligendo Deum offendere. Et cum opinio illa legitimè fundata non sit, melius est errorem, qui pluribus est offendiculum peccati, tollere, quam unum peccatum mortale permittere: quilibet enim scrupulosus sibi conscientiam erroneam formare posset, & imprudenter hoc titulo consuetudinis se in gravissimos laqueos conscientiæ præcipitare. Pii certè, & suæ salutis amatores attendentes fructus pietatis, & utilitatem, & Sanctam consuetudinem Religionis, Horas facilè non omittent. Cur autem ob piorum diligentiam, incurios, & infirmos volumus exponere periculo peccati mortalis, & æternę damnationis? Consueverunt Religiosi certis Horis Orationi, & Exercitationi mentali vacare; certis diebus disciplinas sumere; ex pietate certis diebus jejunare; Officium B. V. M. recitare, quin frequenter ad illa consuetudinem communem à suis Directoribus compelluntur: ergo peccant mortaliter illa omittendo, vel ex omissione hujusmodi, formanda est in illis conscientia peccati mortalis, aut ubi erroneè fundata est continuanda? Hoc dicant cęci, qui cęcis Ducatum præbentes, in foveam ruunt. Ego tali assertioni repugno.*

350 *Dices secundo: Beneficiati ad Horas tenentur, quia ex fundationibus propter Officium vivunt: Ergo, & Religiosi, qui sive fundationibus, sive piorum oblationibus, & mendicationibus victitant, similiter obligantur. Respondeo, negando consequentiam, Fundationibus enim Beneficiorum correspondet præcisè Canonicum Officium ex debito Justitiæ, & contractuum virtualium: Fundationibus autem Monasteriorum, ac oblationibus Piorum, &c. correspondent omnia, quæ facit Religiosus, utpotè, arcta Statutorum observatio, Orationes, Jejunia, Disciplinæ, Austeritates, Doctrina, Sancta exempla, &c. quorum intuitu, Titulo charitatis, Monasteriis factæ sunt, & in dies fiunt, eisque, qui omnia pro Christo reliquerunt, rependuntur à sapientissimo retributore Deo: Unde bene dicebat Sanctus Pater noster Franciscus, Fratres suos Mundo debere exercitationes pietatis, exemplum, & doctrinam: Mundum, titulo charitatis debere illis victum, vestitum, hospitium, gratuita benignitate. Sufficienter itaque Religiosus, exercitiis, & austeritatibus Religionis satisfacit oblationibus, & eleemosynis piorum, nec privatim, & singulariter ad Horas Canonicas obligari potest.* Huc usque *Marchant.*

351 Contra cujus sententiam, & doctrinam, insurrexit *P. Ludovicus Bertrandus Loth, Doctor Dominicanus*, acriqueconsura eum momordit, illumque inculpat de excessu: Unde veluti coactus idem *Marchant.* In sui defensam denuo calamum sumpsit, & in suo *Opusculo Coloniæ Edito*, *apud Joannem Bussæum Bibliopol. Anno* 1655. cui Titulus, *Notabiles Resolutiones Variorum casuum, &c. casu* 32. (qui inscribitur, *De obligatione Monialium ad recitandas Horas Canonicas, estque Relectio singularis necessaria*) *à fol. mihi* 456. *usq; ad* 465. *inclusivè*; scribit quæ sequuntur, *R. P. Ludovicus Bertrandus Loth Ordinis Prædicatorum in suis Resolutionibus Belgicis tract.* 23. *de Monialibus q.* 1. *de Horis Canonicis ar.* 8. *magnam se Operam præstitisse Ordinibus Monialium credidit; si, ut supponit, communi Doctorum torrente illas exponat obligationi Horarum Canonicarum sub pœna peccati mortalis, periculo quidem frequentis naufragii, à quo studueram Moniales justis, ut spero, fundamentis præservare. Invehitur verò graviter me inculpans de excessu: Vocando (inquit) sententiam communem Theologorum, errorem, & addit: cum erroneum in Theologia vocetur, quod opponitur conclusioni Theologicę, ut ex principiis fidei evidenter deductæ: ex quibus vero (infert) Principiis fidei deducet Marchantius Moniales non teneri ad Horas? Sequitur: Potiori Jure possemus [inquit] suam Opinionem Temerariam appellare, cum sine sufficienti ratione, & auctoritate contra torrentem Theologorum militet. Quidni etiam scandalosa appelletur, cum præbeat occasionem ruinæ: eximendo Moniales ab onere Horarum sine solido fundamento, ad quas concors Theologorum Schola eas stringit. Hæc P. Loth.*

352 *Dissimulassem quidem hæc Boni Patris, & si in Domino non obdormisset, correctione fraterna illum prevenissem. Verum urgentibus Viris gravibus, & doctis, qui Monialium curam gerunt, aut gesserunt, & nostram doctrinam amplexati sunt, & cum multo fructu, & animarum afflictarum emolumento, ad quietandas scrupulosas, & turbatas conscientias: placuit in hac secunda Editione ad calcem, sententiam nostram manifestius explicare, & tantisper ligna à fervore igniti illius excessus P. Loth subtrahere, ut bulliens nimis aqua subsidat.*

353 *Dico itaque Primo. Marchantium, Theologos contrariæ sententiæ, erroris, nunquam condemnasse: sed dumtaxat erroneas conscientias, & turbatas mitiori sententia, quæ mihi certa videtur, voluisse quietare: verba mea sunt. (Melius est errorem, qui pluribus est offendiculum peccati, tollere, quam unum peccatum mortale permittere. Quilibet enim scrupulosus sibi conscientiam erroneam formare posset, & imprudenter hoc titulo Consuetudinis,*

nis, se in gravissimos laquos conscientiæ præcipitare, &c.) Turbatum autem se ostendit P. Loth in eo, quod errorem alium non agnoscit, quam in materia fidei, seu in eo, quod opponitur Conclusioni Theologicę ex principiis fidei deductæ, &c. Turbaris P. Loth. Datur error in materia Morum: datur error in materia Legum: datur error in conscientiis, & in qualibet etiam Mechanica arte, qui non est fidei: datur error strictus in materia falsi: datur error Inadvertentiæ, & alicujus Inconsiderationis, ratione cujus: Quandoque Bonus dormitat Homerus. Datur, & error nescientię in Animabus inquietis, & scrupulosis. Non arguit Marchantius Torrentem Theologorum erroris, sed charitativè proponit argumenta penitioris considerationis, in materia peccati, & legis, ne involvantur animæ.

354 *Dico ergo secundo, & sustineo: Solam Consuetudinem Monialium legendi Horas Canonicas, non probare, obligationem peccati mortalis: nisi Consuetudo sub hac obligatione probetur introducta, vel recepta, ut latius ibi dixi. Debebat itaque P. Loth probare Consuetudinem illam Monialium legendi Horas Canonicas sub tali obligatione introductam, receptam, vel (ut ait) præscriptam: debebat ostendere in toto illo Torrente Theologorum, unum saltem qui probaret ex aliquo certo, & evidenti principio, sub hac obligatione fuisse Consuetudinem sic introductam, vel receptam, &c. Allegat quidem Doctores dicentes Consuetudinem obligare: nullum adfert, qui aliquo argumento ostendat aliquem titulum, vel fundamentum, ex quo inferatur hæc obligatio Consuetudini inhærere, nec ipse P. Loth hujusmodi adfert. Imo, omnibus fundamentis ex quibus talis obligatio nasci posset, sive Consuetudini advenire enarratis, omnia negat: Verba sunt: (Quæ, inquit, obligatio non oritur ex aliquo Jure positivo scripto, quia nullum extat: neque ex vi Professionis, quia ratione illius solum obligantur conari ad perfectionem, quem conatum explere possunt ex aliis exercitiis spiritualibus, absque Horarum recitatione; neque ex Eleemosynis fidelium &c.) Dicat P. Loth, aut quivis alius quispiam, ex quo principio hæc obligatio Consuetudini adveniat, aut fateatur (omnem Consuetudinem ad peccatum mortale obligare) quod nemo prudens diceret. Intolerabile autem est, & contradictorium, quod pro prima ratione suæ doctrinæ adfert P. Loth, ut probet Moniales per talem Consuetudinem obligari ad mortale: (Quia, inquit, hæc Consuetudo Monialium dicendi Horas, & aliorum Regularium Choro deputatorum, est instar Clericorum in Sacris; Ergo sicut non est probabile Clericos omittentes, semel Horas non peccare mortaliter, ita non est probabile Religiosos, & Moniales non peccare mortaliter, si omittant, cum Consuetudo habeat vim præcepti.) Insigne argumentum: Unde constat P. Loth obligationem Monialium legendi Horas, esse instar obligationis Clericorum in Sacris. Cum hæc obligatio Clericorum sit ex lege clara, & positiva, annexa Ordinibus Sacris: de Monialibus autem nihil simile (ipso etiam P. Loth supra testante) legitur, cum neget (aut ex jure scripto, aut ex vi Status, sive Professionis) Moniales obligari: Clericis autem in Ordinibus Sacris ex jure scripto, & præcepto annexo Ordini Sacro, ista obligatio adveniat: Quid hic rogo ad instar est Clericorum? Probet ergo primum illud (instar) P. Loth: probet, & omnem Consuetudinem, aut hanc saltem, habere vim Præcepti, & concludat firmiter, nec erret, & vagetur circa petitionem principii.*

355 *Dico amplius tertio. Sententia Marchantii asserens Moniales non obligari ad Horas Canonicas sub peccato mortali, non est temeraria, sed fundata. Primò, ratione certa, & sufficienti. Secundò, Auctoritate non tantum Virorum Doctorum, sed etiam Apostolicæ Sanctæ Sedis. Primò itaque: Ratio fundamentalis est, quia de obligatione illa legis, vel Consuetudinis non constat aliquo firmo fundamento, & agitur de lege, sive Consuetudine humana, & positiva, & de re planè indifferente, & (ut loquuntur) de se libera, & devotionali: quibus imponere obligationem in foro Dei ad peccatum mortale, & damnationem æternam, absque speciali, & manifesto titulo, non tantum imprudentiæ est, sed etiam crudelitatis. Apud omnes enim certum est: Legem Ecclesiasticam positivam, multo minus Consuetudinem, non obligare ad culpam mortalem, nisi aut virtute contineat aliquam Legem Divinam, aut idipsum Ecclesia exprimat, aut ex circumstantiis deducatur [utpote] quia in materia gravi; periculum peccati, vel malum aliquod grande, avertente (ut docuit Marchantius Tom. 2. tract. 1. Tit. 8. ferè per totum, singulariter qu. 3.) Quid autem cum his commune habet lectio personalis, & solitaria unius Mulieris Monialis, latinæ linguæ ignaræ, ut nullo formali Præcepto interveniente, dicatur obligari sub peccato mortali, & pœna damnationis, æternę, legere Horas Canonicas, sicut Clericus in Sacris? Cui enim hoc tantum gravamen Divino Præcepto consonat, aut quod includit. vel quo humano Præcepto indicitur: quodque malum grande, vel periculum peccati avertitur, quodve tantum bonum conciliat, ut illius omissio pœna æterna damnetur. Bene S. Augustinus Epist. 119. ad Januarium cap. 19. eos arguit. Qui, inquit, ipsam Religionem, quam*

quam in paucissimis, manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum.) Et causam subdit (Qui, ait, etiam si tempus libertatis non agnoverint: legalibus Sacramentis, alias sarcinis, non humanis præsumptionibus, subiiciuntur.) Quod porrò est Consuetudinem legendi Horas (ubi de Præcepto, & lege non constat) ad peccatum mortale Monialem obligare, quam humanis præsumptionibus subiicere. Unde ibidem paulo ante dixerat (Omnia itaque talia, quæ neque Sacrarum Scripturarum auctoritatibus continentur; nec in Conciliis Episcoporum Statuta inveniuntur, nec Consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, &c. Sine ulla dubitatione resecanda existimo.) Ut autem manifestè constet Ecclesiam nunquam hanc obligationem Horarum, Monialibus indixisse, produco pro Auctoritate duos Pontifices.

356 *Secundò ergo probo ex declaratione Eugenij IV. in Bulla apud Emanuelem Rodriguez, ejusdem Pontificis 31. quæ incipit: Ordinis tui, &c. Data Romæ Anno 1446. Nonis Februarii. Pontif. Anno 10. in qua, cum B. Joannes Capistranus in Vicariatus Officio existens declarasset in Regula Prima S. Claræ contineri centum, & triginta Præcepta Regularia (inter quæ cap. 3. Regulæ erat præceptum de Lectione Horarum Canonicarum) in quorum transgressione Moniales peccatum mortale incurrerent. (Cum nos id, ait Pontifex, nimis durum, & periculosum judicemus, auctoritate, tenore præsentium declaramus, & volumus, quod in nullius prædictorum transgressione, præter quam eorum quatuor quæ concernunt principalia Vota, Obedientiæ scilicet, Paupertatis, Castitatis, & Clausuræ, & super electione Abbatissæ, & depositione, peccatum mortale incurrunt.) Hæc ibi.*

357 *Ex quo constat, Moniales Ordinis S. Claræ, declarante Summo Pontifice Eugenio IV. nunquam fuisse obligatas, sub peccato mortali, ad legendas Horas Canonicas, & si in earum Regula cap. 3. Expresè continetur. (Ut Sorores litteratæ faciant Divinum Officium secundum Consuetudinem Fratrum Minorum) ab hujus enim Præcepti transgressione, sicut ab aliorum Præceptorum in Regula contentorum, removet reatum peccati mortalis Pontifex, non dispensatione aliqua, sed simplici declaratione. (Quia, inquit, nimis durum, & periculosum judicamus.) Quod ergo (nimis durum, & periculosum) judicat Sancta Sedes in Clarissis, illud sola consuetudine non approbabit in cæteris Monialibus. Notanter autem advertendum est, Clarissis Regulam imposuisse (legere Divinum Officium secundum Consuetudinem Fratrum Minorum) Pontificem autem consequenter declarare Consuetudinem ex se non obligare ad peccatum mortale, & si enim Fratres Minores obligentur sub peccato mortali ac Officium Divinum: Id non ex vi Consuetudinis, sed ex vi Præcepti, sive Præcepto æquipollentis provenit: ut declaravit Clemens V. unde similiter, si quæ Moniales, ut Annuntiatæ: & si quæ aliæ, obligentur ad Horas sub peccato mortali, id non ex vi Consuetudinis, sed ex singulari, & expresso Præcepto, cui voluntariè per Professionem se subjecerunt.*

358 *Produco denuo declarationem Leonis X. in Regulam, quam dedit pro Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis S. Francisci sub tribus Votis Solemnibus in Congregatione viventibus: in qua Cap. p. obligat tantum illas sub peccato mortali ad tria vota Essentialia, Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, & ad Clausuram eas, quæ illam expresiè voverunt. Quamvis verò multa alia in Regula contineantur, quæ observanda præscribuntur, & inter alia cap. 4. (Quod Sorores, quæ Horas Canonicas sciunt per se dicere: debeant illas secundum usum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ persolvere.) Ne Sororeres putarent sub mortali peccato se teneri universaliter: dicto cap. 4. Declarat Pontifex. (Omnia, & singula in præsenti Regula contenta esse Consilia adfacilius salvandas animas Viatorum, & nulla esse obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, nisi Humano, vel Divino Jure aliquis aliàs esset obligatus.) Hæc ibi. Ergo Moniales Tertii Ordinis S. Francisci (qui est amplissimus, & longè, latèque diffusus) non tenentur sub peccato mortali ad Horas Canonicas: sicque ruit illa universalis Consuetudo P. Loth, & sui (Torrentis communis) secundum quam omnes Moniales tenerentur sub peccato mortali ad Horas Canonicas: cujus oppositum declararunt Summi Pontifices.*

359 *Dico tandem Tertiò: Sententia Marchantii, quod Moniales non teneantur ad Horas Canonicas sub peccato mortali, non est (scandalosa, nec præbet occasionem ruinæ) sed est pia, secura, tollens offendicula, & animarum pericula. Ita Eugenius IV. supra, qui dictam obligationem, cum cæteris à B. Joanne Capistrano ex Regula S. Claræ desumptis [judicavit nimis duram, & periculosam Monialibus] adeoque, Declaravit Auctoritate Apostolica (Nullam: si nimis duram.) Ergo contraria sententia Marchantii est (magis) pia. Si (nimis periculosa.) Ergo sententia contraria Marchantii (secura.) Ergo, & periculum, & consequenter scandalum, & offendiculum tollit, quod alii posuerunt. Ignosce Lector prolixitatem: Zelus quietis Animarum calamo vires addidit.* Hæc *Marchantius l. c.*

360 Cujus sententiæ, & doctrinæ favere videtur (nec parum) *Georgius Gobat*, Tum *In Alphabeto Officii recitandi Casu* 23. *n.* 632. *fol. mihi* 453. dum ibi sic : *Puellæ quæ timore obligationis mortalis ad Officium Canonicum est anxia, & ideo absterretur ab ingressu Religionis, potest dicere Confessarius, quod non obligetur sub mortali, & quod non sit peccatura mortaliter, etiam si voluntariè distrabatur, aut cesset in Choro psallere per spatium aliquot Psalmorum. Expedit enim, uti sententia probabili, ob tantum bonum. Ita loquitur, resolvitque Less. in Consil. Verbo Horæ Canonicæ Casu* 14. *n.* 34. *Conformiter doctrinæ relatæ ex ipso supra nu.* 570. Tum in hoc eodem *n.* 570. *fol. mihi* 411. ubi : *Less. litteris ex Hispania, à quodam Reverendissimo Domino interpellatus respondit, fuisse sibi semper visam etiam in praxi probabilem sententiam, quod Choristę, neque Moniales, obligentur ex ulla etiam Consuetudine ad Breviarium, probatque multis rationibus, itemque auctoritate Joannis Medinę, & Emanuelis Sa, Verb. Horæ : vultque hoc suo Responso uti Confessarios, ut videre est in ejus Consiliis Moralib. Verb. Horæ Casu* 14. *qui totus spirat stylum, & genium Lessianum : nec contrarium docet lib.* 2. *de Justit. cap.* 37. *dub.* 9. *nu.* 49. Tum etiam *In Alphabeto Sacrificantium Casu* 21. *num.* 702. & 703. *fol. mihi* 476. dum ibi pariter ait sic : *Mihi displicet asseri aliquid esse peccatum etiam veniale, & consequenter extare aliquod Præceptum, quando non habetur sufficiens fundamentum. Et longè horreo noxam lethalem asserere, nisi vel clara ratio, vel authoritas irrefragabilis cogat*. Quod dictum confirmari optimè potest provido monito *D. Thom. Quodlibeto* 9. *qu* 7. *ar.* 15. *in Corp.* ut sequitur : *Periculosè determinatur, aliquid esse peccatum mortale ; nisi expressa veritas habeatur*. (Quod monitum habes etiam apud eundem *Gobat in Clypeo Clementium Judicum sec.* 8. *nu.* 130. *in princip.*) Non habetur autem expressa veritas, quando adest tantum probabilitas. Idemque *S. Doctor pr.* 2. *qu.* 107. *art.* 4. *in Corp.* videtur hanc eandem confirmare doctrinam, sua, & *S. Augustini* monitione, sub his verbis: *In iis quæ ex Institutione Sanctorum superaddita sunt præceptis naturæ, Christi, & Apostolorum moderationem attendendam esse, ne conversatio fidelium onerosa reddatur, &c.* Et hic omninò facit generalis ratio quam in materia de Horis Canonicis promit *Arragonius in* 2. 2. *qu.* 83. *art.* 12. *in titul.* 30. *Conclus.* 3. his verbis : *Certè videtur durum, & à Christiana charitate alienum, mittere aliquem in infernum, & dicere quod peccet mortaliter, sine evidenti, & certa ratione* : ita ille, quam habes etiam apud *Gobat in Alphabeto Recitantium Breviarium, Casu* 23. *n.* 723. *in fine, fol. mihi* 527.

361 Sed præter supra relatos, accedit etiam *Lessius* qui pariter eandem sententiam docet *in Resolutionibus Casuum Conscientiæ post* 1. 2. *D. Th. Verb. Horæ Canonicæ. Casu* 14. *fol.* 194. eumque per extensum refert etiam *P. Diana to.* 3. *Coord. tract.* 6. *res.* 14. *num.* 10. 11. 12. 13. *ex par.* 9. *tract.* 6. & *Miscel. p. res.* 7. Probat ergo *Lessius* eandem sententiam primò : *Quia Moniales non tenentur ad Horas Canonicas aliquo Voto, vel ex vi suæ Professionis, ut passim Doctores fatentur : neque ex aliquo Ecclesiæ Præcepto, neq; ex vi alicujus Statuti, aut Regulæ, sed solum consuetudine, ut communiter Doctores admittunt. Atqui illa consuetudo non est ita durè interpretanda, ut sub peccato mortali obligare singulis vicibus censeatur : tum quia id parum humanum esset, & sæpè periculosum saluti : tum quia consuetudo Regularis non debet censeri magis obligare, quam expressum Statutum Regulæ. Atqui si esset expressum Statutum Regulæ de Horis à singulis recitandis, illud non censeretur obligare sub mortali, sed solum sub reatu Regularis correctionis, vel ut summum sub peccato veniali, & pœna regulari, sicut alia Statuta regularia : nisi fortè haberet verba, quæ perspicuè majorem obligationem designarēt, qualia sunt (Præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ. Præcipimus. Strictè injungimus; &c.) Verum nullum est Statutum Regulare, ut existimo, quod verba tam obligatoria habeat :*

362 *Confirmatur : Quia obligatio sub mortali est res valde odiosa, ac proinde minimè præsumenda, nisi ubi necessitas cogit. Atqui hic nulla cogit necessitas præsumendi, aut inducendi tam gravem obligationem : quia sicut ad alias Regulas, & ad disciplinam Religiosam servandam sufficit obligatio ad pœnam, & castigationem Regularem, ita etiam ad servandam hanc consuetudinem. Alia ratio est de Beneficiariis, & Ordinatis : Beneficiarii enim stipendia ab Ecclesia accipiunt, ut Officium Divinum persolvant ; unde instar Mercenarii tenentur ex quasi contractu, & Officio : Ordinati verò Ordine Sacro spontè se in Ministerium Ecclesiæ tradiderunt : ad hoc enim ordinantur, ut Ecclesiæ serviant : ac proinde æquissimum fuit, ut Ecclesia illis tanquam suo Ministerio mancipatis, hoc onus imponeret. Moniales verò non ideo deserunt Sęculum, & se in Monasterium abdunt, ut aliquod Ecclesiæ Ministerium obeant, aut ut stipendia ab Ecclesia percipiant ; sed ut suæ perfectioni vacent, & Deo serviant, alimenta gratis percipiunt, ut pauperes. Itaque ex hoc capite nulla fuit ratio tam*

gravis vinculi imponendi. Et sanè cum illæ Seculum deserant, omnes opes, voluptates, propriam voluntatem, & in latebras perpetuas se abdant, ut occasiones peccatorum vitent, & liberiori spiritu Deo serviant; parum videtur humanum, si novus ille laqueus illis imittatur, & sub peccato mortali ad preces tam longas, & multiplices, quas non intelligunt, adstringantur. Sat enim ipsæ sibi oneris imponunt, cum tribus Votis se obstringunt, & disciplinæ Religionis subiiciunt. Quis novam illam obligationem adeò gravem non reformidet? Non esset hoc Sacras Virgines ad Religionem allicere, sed absterere.

363 *Neque obstat, quod dicantur consuetudine teneri sub mortali: quia, ut rectè Cajetanus, & alii, de tali consuetudine habente tale vinculum non constat. Et si enim satis constet de consuetudine, qua Moniales consueverunt publicè Horas canere: non tamen satis constat de consuetudine, qua tantum vinculum singulis privatim sit impositum. Deinde hæc consuetudo non aliter potuit inducere talem obligationem, quam mediante hominum opinione, qui putaverunt se obligari sub mortali, & judicabant se peccare mortaliter, si omitterent. Talis autem obligatio facile tollitur, si ostendatur, opinionem illam non solido niti fundamento. Sicut olim ante Sotum communis erat opinio, omnem Beneficiatum sub peccato mortali teneri quotidie ad Horas Canonicas, etiam si Beneficium solum duos, aut tres aureos ei penderet: & ista consuetudine, Doctorum opinione tenebantur sub mortali: verum, postquam Sotus præclaro judicio docuit contrarium, passim cœpit illa rigida sententia exolescere. Simili modo putabatur esse peccatum mortale facere Sacrum ante preces Matutinas. Itaque talis obligatio statim evanuit, quo ad gravitatem peccati mortalis, simulatque ostensum fuerit, eam solido fundamento minimè niti.*

364 *Denique probabilissima sententia est, posse obligationem imponi sub veniali, etiam si materia secundum se sit gravis, & capax obligationis sub mortali; maxime quando juxta ratio subest non imponendi majorem obligationem sed sistendi intra limites venialis. Hic autem justissima videtur esse ratio non imponendi, aut interpretandi majorem obligationem, quam sub veniali, juncta simul Regulari correptione: sic enim abundè obtinebitur finis status, & conscientiæ infinitis scrupulis, & periculis peccati mortalis eximentur.* Et hæc omnia docet *Lessius l. c.* Ex cujus, uti, & ex præcedenti allata *Marchantii* doctrina.

365 Constat, hos duos Doctores fateri quidem dari talem sanctam consuetudinem, negare tamen eam obligare ad mortale. Et idem novissimè tenet *Bord. consil. 30. à n. 1. usque ad 4. inclusivè*: ibi enim sic: *Quidam Clericus in Sacris Ordinibus nondum constitutus, cui suus Confessarius, eo quod extra Chorum nunquam Divinum Officium recitabat, gravem injunxit Penitentiam, asserendo toties peccare mortaliter, quoties illud omittit, dubitando de hac opinione Confessarii, petit ejus resolutionem: Respond. Clericus Regularis nondum in Sacris Constitutus ad Chorum deputatus, quando abest à Choro Officium omittens non peccat, nisi ex vi Regulæ obligetur sub culpa illud simpliciter celebrare. Probatur. Tum quia jure communi nullum extat Præceptum Religiosis, ut sic recitandi Divinum Officium, neque in Cap. Dolentes de Celebr. Miss. ubi nulla mentio fit de Regularibus: Neque in Clement. 1. eod. hujusmodi obligatio inducitur, sed aliunde ea supponitur, & solum præcipitur, ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis, Horis debitis Divinum psallatur Officium, ut observat Suar. to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 17. n. 2. & alii omnes, quos sequitur Bonac. disp. de Horis Canonicis qu. 1. punc. 1. n. 9. Tum neque jure Professionis, aliàs omnes Religiosi tenerentur ad hoc: & si enim tenentur tendere ad perfectionem, hanc aliis mediis assequi possunt. Neque jure Divino, cum in Sacra Scriptura non inveniatur hujusmodi obligatio. Neque ob Eleemosynas, quia non dantur sub hoc titulo. Tum quia non tenentur ex vi Regulæ, nam in Regula hujus Religiosi (qui est Tertii Ordinis) cap. 15. ordinatur quidem Officium celebrandum debitis Horis Matutinis, & Vespertinis in Ecclesia ex Regula Nicolai IV. cap. 8. & Leonis X. cap. 4. nullibi autem in dictis locis adest obligatio sub culpa; est enim hoc certum in hoc Ordine, nullum caput ex dictis Regulis obligare sub culpa, ut colligitur expressè ex postremis capitibus dictarum Regularum, & Prooemio Constitutionum, nisi contineant Jus Divinum, & humanum aliàs obligans: constat autem ex supra allatis nullum Jus Religiosos Sacris non initiatos obligare ad Horas Canonicas, ergo consulens non peccavit omittendo illas. Ac proindè neque ex vi Professionis Regulares obligantur, quia hujusmodi obligatio in ejus forma non exprimitur, & hoc expressè colligitur ex Constit. 5. Exponi nobis Julii II. relata per Confectium pag. mihi 121. & hoc expressè, quod Clericus Tertii Ordinis non obligetur ad recitandum Horas Canonicas, asserit Cartusianus, declarans Regulam Nicolai VI. art. 19. post initium.*

366 *Tota difficultas consistit in consuetudine, quam communissima opinio asserit obligare Religiosos Professos ad Chorum deputatos, ad recitandum Divinum Officium, quando absunt*

ab

ab Ecclesia, de qua, Doctoribus citatis; Bonac. disp. p. de Horis qu. 2. punct. 2. n. p. Rodriq. tom. pr. qu. 24. art. 20. extendit etiam ad Moniales, sicut, & Bonacin. n. 5. & Diana res. 17. de Horis Canon. Miranda to. pr. qu. 37. artic. 7. Portel. Verb. Horæ Canon. nu. pr. 2. & 3. dicit Franciscanos sub prima Regula teneri ex vi Regulæ, & de consuetudine, non placet, quod n. 2. ait Mendicantes Professos carentes Ordine Sacro, teneri ex eo solum, quod per professionem sunt positi in statu irrevocabili, seu impedito ad Matrimonium, & Choro addicto, ubi citat Rodriqu. to. 3. Summæ Verb. Horæ Canon. conclus. 11. Quia Status Religionis, ut sic, non includit hujusmodi obligationem, aliter omnes Religiosi tenerentur, constat autem Conversos non teneri, ut infra probabo qu. 6. Deindè Professio, quæ illos in hoc statu ponit, non obligat, sed solum constringit ad tria Vota, & alia contenta in forma Professionis, ut docet Bonac. cit. nu. 7. & ego retuli supra ex Constitut. Julii XI. Sed in nulla forma Religionum exprimitur hujusmodi obligatio, ergo neque inducitur ex vi Status Religiosi: remanet ergo sola consuetudo, ut ex Cajetano benè dicit Miranda cit. in fine. Dicunt autem hanc consuetudinem obligare sub mortali, cum sit de re gravi.

367 *Quamvis de hac consuetudine fere omnes testentur, tamen cum sit quid facti, difficilè est, de ejus subsistentia judicium ferre; unde ego puto hanc consuetudinem referri ad Chorum, non præcisè ad deputatum ad chorum, quando abest. Quod suadeo, quia consuetudo in vim legis obligans, non inducitur ex actibus privatis, sed publicis, & manifestis, ut docent communiter cum Bonac. de Consuetud. nu. 26. Officium autem extra chorum, dicitur occultè, & non manifestè: ergo signum est eam consuetudinem referri ad Professum non ut sic, sed quatenus recitat in choro. Deindè nullo jure probatur esse obligationem recitandi in choro, nisi ex consuetudine, aut ex vi Regulæ, de qua obligatione infra quæst. pr. ubi probabo non afficere singulos, sed Communitatem, quatenus chorus non debet cessare ab hujusmodi recitatione.*

368 *Quare sequendo opinionem Cajetani, qui Verb. Horæ Canonicæ, dubitat de hac consuetudine, & cum eo Medina de Oration. trac. 6. Armilla Verb. eodem, n. 4., ac proinde dicunt non obligare sub mortali, dico saltem non peccasse mortaliter dictum Clericum, imo neq; venialiter stante responsione Cartusiani in terminis nostri Casus, quare dicta consuetudo locum non habet in hac Religione, in cujus Regula, neque præcipitur hujusmodi recitatio extra Chorum, & si præciperetur, non esset sub culpa, cum in Regula nihil sub culpa statuatur, sed tantum sub pœna.* Ita *Bordonus*.

369 Cujus sententia (& præcitatorum Doctorum, *Lessii*, *Marchant.* &c.) nempè consuetudinem de qua loquimur, non obligare sub mortali Professos Regulares juniores Sacris carentes, nec Moniales ad privatam Officii Divini recitationem, suaderi etiam potest. Primo, quia ex doctrina *P. Pasq. de Jejun. Decis.* 69. *n.* 3. & 4. nulla consuetudo obligat ad mortale, etiam si ab immemorabili tempore introducta sit, nisi introducta fuerit cum animo se ad mortale obligandi, & quatenus introducta cum tali animo, à Superioribus approbata (ut communiter Doctores) unde immemorabiles consuetudines non obligant, ut recitandi Salutationem Angelicam, sumendi Cinerem in feria quarta Cinerum, & aliæ hujusmodi, absque tali animo se obligandi ad mortale introductæ. Immo etiam si approbetur consuetudo à Superiore tanquam inducta ex animo se obligandi, & re vera cum tali animo inducta non sit, neque adhuc obligat, quia approbatio procedit ex falsa suppositione, & ideò non potest subsistere, cum non subsistat fundamentum ex quo procedit. Cum autem in casu nostro consuetudo de qua loquimur, recitandi videlicet privatim Horas Canonicas à junioribus Professis carentibus Sacris, & à Monialibus, inducta sit in Religionibus ex consuetudine secundum Regulam (per omnes) quæ non obligat ad peccatum, stat præsumptio consequenter, quod consuetudo pariter, inducta potius fuerit ex devotione: non autem quod ipsamet obliget sub peccato. Unde cum non constet quod fuerit introducta cum animo se obligandi, nec etiam constat de obligatione ejusdem, & ideò nec iidem tenentur se subiicere oneri illius de quo non constat an sit impositum. Et sicut lex (inquit idem *P. Pasq. Dec. cit. n.* 5. *in fin.*) non obligat, nisi sit sufficienter promulgata, & notificata, cur obligabit consuetudo, de qua non constat, an habeat vim obligandi? Atque cum simus in odiosis, restringenda est consuetudo, ut non obliget, non verò amplianda, ut habeat vim obligandi, cum de ipsa non constet.

370 Secundò suaderi potest: Quia dum certò non constat de intentione, qua introducta fuit hujusmodi consuetudo, ad minus dubium est, quod introducta fuerit cum animo se obligandi: Et si aliqui modo existiment introductam fuisse cum tali animo, atque ita procedant, ac si verè tali pacto

li pacto introducta fuisset, est specialis ipsorum opinio (ait etiam *P. Pasq. Dec. cit. n.* 6.) quæ non notificat aliquid de eorum animo, qui eam introduxerunt, unde animum ipsum relinquit ignotum, & proindè relinquit nos quoque dubios. In dubiis autem melior est conditio possidentis, ut notant passim Doctores, & cum unusquisque possideat suam libertatem, potest eam retinere, & uti jure suo, nec tenetur eam subdere obligationi incertæ. Item, & dum in dubiis versamur, præsumere debemus potius devotionis causa, quam obligationis fuisse introductam consuetudinem, de qua hic: Ergo Religiosi non sunt sub gravi culpa adstringendi, nec Moniales ad recitandas privatim Horas Canonicas.

371 Nec facit contra, quod plures, imò etiam communiter putent se ad id adstringi, & obligari, nam hoc provenit [uti dicunt] ex ignorantia, ex eo videlicet, quod credunt, adesse præceptum, vel saltem consuetudinem obtinuisse ab initio vim legis: consuetudo autem, quæ fundatur in ignorantia, & errore, non potest acquirere vim legis, ut habetur *in cap. consuetudo dist.* 8. ibi *consuetudo sine veritate, vetustas erroris est:* Unde Doctores communiter fatentur in materia *de Legibus*, quod consuetudo nixa ignorantiæ, vim legis acquirere non valet; *Salas de Legib. disp.* 19. *sec.* 6. *n.* 61. *Vers. Tertia conditio. Sancius in Selectis de Sacramen. disp.* 54. *n.* 33. *Vers. Quibus rationibus, ubi alios citat. Pasqual. decis. cit. n.* 7. *ubi Rota in Trevirensi Abbatiæ Sancti Maximi* 24. *Januarii* 1625. *coram Coccino*. Ratio autem est, quia error, & ignorantia, facit, quod ex ipsa, & tali pacto operans, non habeat intentionem se obligandi, sed potius ita operetur, quia putat se esse obligatum, unde cum consuctudo non acquirat vim legis, nisi interveniat animus se obligandi, neque hic intervenìat, non potest consuetudo acquirere vim legis. Juxta quam doctrinam communem concludit *Sancius n. c.* 33. *constito, igitur, ex ignorantia comparatam fuisse consuetudinem, quatenus arbitrabantur homines devinctos se esse operari, quia à lege erat imperatum, quæ tamen id minimè jusserat, deinceps ad operandum non erunt constituti, nec lege scripta, quæ non extat; nec consuetudine, quæ tunc est effectus legis imaginariæ*. Ad quam Sancii conclusionem, & doctrinam communem confirmandam; & ad probandam consuetudinem in conscientia erronea subditorum fundatam, non obligare, affero hic casum, quem refert *Bardi lib.* 8. *c. q.* 2. *n.* 18. qui est hujusmodi. Olim in Siciliæ Regno præsertim apud Universitates remotiores ab exterorum commercio, magna Vulgi pars existimabat sine Bulla esse abstinendum à lacticiniis die Veneris, & Sabbati per totum annum, quamvis in hos dies jejunia Ecclesiæ non incidissent. Et quia existimatio ista oriebatur ex ignorantia, idcircò Viri Sapientes, populum à tali ignorantia liberarunt, ostendentes hujusmodi obligationem non reperiri: Igitur consuetudo, quæ in ignorantia fundatur, vim obligandi non habet, & cum talis præsumatur esse consuetudo recitandi privatim Horas Canonicas à Junioribus Professis, & à Monialibus quando absunt à Choro, idcircò eos, & eas minimè obligari asserendum est.

372 Neque item facit contra, quod Prælati, & Superiores reprehendant, & etiam puniant subditos, vel subditas non recitantes privatim Horas, quando absunt à Choro; non enim per hoc censendum, consuetudinem habere vim legis (ut optimè, sed ad suum propositum, arguit etiam *P. Pasq. decis. cit. n.* 8.) quia id faciunt Prælati, eo quod inter observantias, & consuetudines Regulares extat privata etiam Horarum Canonicarum recitatio, & eum iidemmet sint custodes (ut supra) Regulæ, & constitutionum, incumbit ipsis sub peccato (ut dictum est) invigilare, atque exigere à propriis subditis earundem observantiam. Et quatenus id facerent Prælati ex eo, quod putarent consuetudinem obligare, oppositam sententiam sequentes, secundum quam possunt judicare, non dant consuetudini vim obligandi, sed illam relinquunt in suo statu. Nec verum dicit *Leander apud P. Pasqu. dec. c. n.* 9. quod scilicet, ex eo, quod faciunt præsentes, & intendunt facere, colligi, quid intenderint præteriti, qui inchoaverunt consuetudinem: Nam sensus præsentium oriri potest ex errore, ex dictis.

373 Tertiò, suaderi potest ex doctrina *Oldradi consil.* 244. *n.* 13. *quartam diluentis obiectionem: Rochi de Curte de consuetud. sect.* 8. *n.* 28. *Mascbardi de probationib. conclus.* 429. *n.* 2. & aliorum apud ipsum, quam refert etiam *Franc. Bardi q.* 2. *c. n.* 12. docet enim ibi *Oldradus*: In præscriptione longissimi temporis, de cujus contrario hominum memoria non habetur, non esse quærendum, qua intentione inceperint actus inducentes consuetudinem, frustra enim quæritur, quod inveniri naturaliter prohibetur: ita hi Authores [apud eundem *Bardi l. c.*] nos admonent. Unde cum natura-

naturaliter sit impossibile (arguit idem *Bardi*) notitiam habere de intentione, qua primi homines consuetudinem, de qua hic, induxerint, vanum esset talem investigare intentionem: idcirco tempore, tam immemorabili transacto, ad coniecturas recurrendum, ex quibus animum inclinare possimus ad prudenter judicandum, an dicta consuetudo potiùs ex obligatione, quam ex simplici devotione introducta fuerit. Et quod ex simplici devotione tantum, coniecturas tradunt præfati, & Classici D. D. *Fumus in Armilla*, *Lessius*, *Marchant.* & novissimè *Bordon.* Cui, & post ipsum, addo etiam

374 *Brunonem Neusser Ordinis Minorum Recollectorum S. Francisci, in suo Tractatu de Horis Canonicis, Moguntiæ Impresso Anno* 1669. qui docet quæ sequuntur; *Disp.* 11, *qu.* 3. in qua inquirens, *An Regulares utriusq; Sexus vi Consuetudinis obligentur ad recitationem Horarum sub peccato gravi, à fol. mihi* 268. ita resolvit: *Respondeo primò. Non est aliqua universalis consuetudo omnium Ordinum, vi cujus sub mortali obligentur Regulares utriusque Sexus Choro deputati ad recitandas Horas Canonicas. Ita Gobatius citans, & sequens Tannerum contra Layman, ac plures alii, quos citat, ac sequitur Leander qu.* 10. *Probatur. Nemo potest probare tantum nexum inter Religiosos Ordines, ut quod placet uni, placeat alteri. Et hinc sunt aliqui Ordines, qui illam obligationem non assumunt, vel quia tantum sunt deputati ad Opera Misericordiæ Corporalia, uti est Religio S. Joannis; vel ad bonum Litterarum Studium, uti facit Societas Jesu, quæ nunquam illud onus assumit, quousque ejus Professi Sacris Ordinibus initientur, uti testantur plures apud Leandrum citatum, & etiam docet Andreas Mendo ipsius Societatis Alumnus, vel ob alias causas. Et Thomas Hurtado ex Ordine Clericorum Minorum par.* 1 *ref. Moralium tract.* 2. *cap.* 7. *nu.* 306. *testatur in suo Ordine non adesse consuetudinem obligantem sub mortali Professos ad recitationem Horarum. Idem de suo Ordine, nempè Clericorum Regularium Theatinorum adstruit Zacharias Pasqualigus in Tractatu de Sacrificio Missæ qu.* 889. *affirmans contra Dianam, Alumnum ejusdem Instituti, in Professione expresè à Patribus sibi fuisse intimatum, non adesse talem obligationem, & sic plures respondisse, & in veteri Rituali Superiorem id Novitio protestatum fuisse.*

375 *Respondeo secundo: Si in aliqua Religione extet consuetudo, eo animo introducta, ut Choro deputati sub peccato obligentur ad Horas, & pro tali agnita, certum est tunc obligationem adesse gravem respectu Professorum ejusdem Religionis, nisi adsit Privilegium Pontificium eximens Professos ab illa recitatione. Est certa apud Theologos, & constat ex ipsis terminis.*

376 *Respondeo tertiò. Probabile est in nulla Religione adesse consuetudinem obligantem choro deputatos, aut deputatas sub culpa mortali ad recitationem Horarum extra chorum. Probatur primò. Ut consuetudo sit obligatoria sub reatu peccati gravis, necesse est, ut Theologi, & viri docti communiter, & indubitatè judicent adesse talem consuetudinem, atqui communiter Viri docti non admittunt indubitatè talem consuetudinem in omnibus Religionibus: Ergo. Majorem docent Tancredi apud Andream Mendo in Statera Opinionum magis benignarum disp.* 7. *quæst.* 2. *n.* 9. *& alii. Et constat ex iis, quæ tradunt in materia de Legibus, & Conscientia, Theologi, asserentes communiter ad hoc, ut Præceptum obliget exigi, ut certò de ejus existentia constet, & quod si sint dubia, & opiniones de ejus existentia, tunc non obliget. Minor probatur. Quia illam consuetudinem simpliciter negant, adeoque Regulares, utriusque Sexus choro deputatos, antequam initiati sint Sacris Ordinibus, non obligari ad Horas, docent ex nostris Marchant. in Tribunali, & in Casibus, Martinus à S. Joseph To.* 2. *de Ordine tract.* 10. *nu.* 3. *Bordon. resol.* 30. *nu.* 3. *Caramuel; Joannes Medina Complutensis; eamque probabiliter non existere Cotonius lib.* 3. *Controver.* 3. *cap.* 2. *Mauritius Philippi tract.* 11. *cap.* 3. *conclusion.* 4. *Villalob. Uterque Rodriquez, Vega, Arragon., Less., Castro, affirmans Moniales Sanctæ Claræ, & Dominicanos non obligari ad Horas apud Mendo supra. Probatur secundò eadem minor, quia de illa consuetudine se nil scire dicit Cajetanus, cujus sententiam meliorem vocat Fumus, & de ea dubitat noster Bruno Chassaing de Privilegiis Regularium par.* 2. *tract.* 8. *cap.* 4. *proposit.* 4. *asserens idcircò non esse certum, quod Regulares obligentur ad recitandas Horas.*

377 *Probatur secundo Responsio. Quando dubium est, quo animo introducta sit consuetudo, dicendum est, quod consuetudo sit introducta ex devotione, & non ex animo obligandi, uti docent Serra, Gallego, & alii plures apud Mendo; & plurimi alii, quos plena manu congerit, & sequitur Pasqualig. in Tract. de Sacrificio Missæ q.* 411. *Atqui hic non solum est dubium, an consuetudo Regularium recitandi Horas, sit introducta animo se obligandi, quin magis verisimile est, quod non sit animo se obligandi introducta, ultra quam habuerunt ex Regula, & Constitutionibus. Ergo. Minor quo ad hanc ultimam partem probatur. Regulares consueverunt recitare Horas eo animo, ut satisfaciant Præcepto Regulæ, vel Constitutionum*

eos

eos obligantium ad recitationem Horarum, ergo habebunt tantum illam obligationem, quam iis Regula, & Constitutiones imponunt; unde antequam quid statuatur de obligatione consuetudinis, inspicienda est obligatio Regulæ, & Constitutionum, & juxta eam determinandum, num sit obligatio ad culpam, vel ad pœnam: antecedens liquet, quia nullum extat fundamentum, ex quo inferatur Regulares ex alio fine consuevisse recitare Horas, quam ut Regulæ, & Constitutionibus satisfacerent. Consequentia probatur. Si ex consuetudine observandi ea, quæ à Regula, & Constitutionibus præscripta sunt, liceat inferre obligationem ad culpam, jam transgressio omnium eorum, quæ ordinantur in Regula erit peccatum, quod nemo dicet, & est contra declarationem Clementis V., declarantis, aliqua poni in nostra Regula sub Præcepto, alia sub Consilio. Et ita docet Pasqualigus qu. 989.

378 Confirmatur rursus. Consuetudo pro Lege suscipitur, quando deficit Lex, ut constat ex Cap. Consuetudo distinct. pr. Sed adest Lex recitandi Horas respectu Regularium (quamvis, ut constat ex dictis, si excipiantur Fratres Minores, & Annunciatæ, ac Carmelitæ) solum obligans ad pœnam. Ergo

379 Dices cum Joanne à Sancto Thoma. Pius V., & Clemens VIII. Supponit Regulares, & specialiter Religiosos Ordinis Sancti Dominici obligari ad recitationem Horarum, ergo id est asserendum. Confirmatur. Regularibus, ut infra patebit, concessa sunt Privilegia, per quæ eximuntur Choristæ, necdum Majoribus Ordinibus initiati, à recitatione Horarum; Ergo. Respondeo. Negando antecedens, quia ad Summum supponit id de obligatione ad recitandas Horas publicè, de quo infra. Ad Confirmationem dico, sæpè concedi Privilegia, quia petuntur, uti nonnulli ex ipsis Adversariis concedunt. Hæc Neusser qu. cit. Vide P. Pasqualig. de Jejunio qu. 415. n. 4. ubi, quod licet aliquod Pontificium Privilegium, non sit necessarium, est tamen utile pro sedandis conscientiis respectu illorum, qui opinionem amplectuntur; idcircò nunquam sunt inutilia, nec otiosa.

380 Placet hic tandem etiam referre doctrinam Antonii Cotonii, quem pariter pro se (inter alios, ut supra) citat idem Bruno Neusser. Igitur etiam Antonius Cotonius Tertii Ordinis Sancti Francisci in suo Opere Controversiarum celebrium lib. 3. Controver. 3. de Horis Canonicis cap. pr. qu. 3. nu. 22., & 23., fol. mihi 330. docet sequentia. Dubitatur de Professis Minoribus, & Monialibus choro addictis, an teneantur ad Horas Canonicas? de qua dubitatione egit Diana par. 2. tract. 12. resol. 17., par. 7. tract. 11. res. 4. par. 9. tract. 6. resol. 7. par. 10. tract. 11. res. 45. Et ubique affirmativam amplexus est, asserens, esse communem tam Theologorum, quam Canonistarum. Ex quibus Ferdinand. de la Nave tract. 1. cap. 9. negativam censet, improbabilem, & Bertrandus Loth in restit. Theol. tract. 23. qu. 1. art.... Temerariam. Fundamentum hujus partis præcipuum est consuetudo, de qua ipsi testantur, & quam speciali Decreto adesse declaravit in Diœcesi Palermitana Archiepiscopus de Leon apud Bardi lib. 8. qu. 1. §. 2. Et Roccaful to. 2. par. 3. lib. 6. c. 4. qu. 3. probat esse obligatoriam, & non meræ Devotionis. Et Sà, qui contrarium docuit, in Editione Romana correctus fuit, ut notat Pal. to. 2. tract. 7. disp. 2. pun. 1. §. 1. n. 3. Et habere locum non solum extra chorum, quando sunt in Conventu, sed etiam in itinere, & quando manent extra Claustra, cum, vel sine licentia Superiorum, ad tempus, vel in perpetuum. Herrera de Statu Rel. dec. 8. n. 2. idem probat ex Privilegiis Dispensantibus cum prædictis, quo die valdè occupati fuerint, dummodo recitent Officium Parvum B. V. Leonis X. cum Camaldulensibus, Clementis VII. cum Monialibus S. Claræ, & aliorum, nam hinc fit, Pontifices hanc obligationem supponere.

381 Ego vero semper fui in sententia negativa: quia & Cajetanus, Medina, & alii dubitarunt, an hæc consuetudo extra Chorum adesset, & illam negant Caramuel, Martinus de S. Joseph, & P. Magister Bordon.: quia consuetudo non inducitur actibus privatis, sed publicis. Et dato quod sit, non credam inductam esse animo se obligandi: Quod propterea docent Marchant. & Less., non multum curantes de correctione Sà. Nec Pontificia Privilegia aliquid probant: quia conceditur quod petitur. Potuerunt autem supponere in illis Religionibus præcipi ex Regula, vel Constitutione peculiari. Nam neque ad dispensandum cum prædictis ex justa causa necesse erat facultate Pontificis, cum Prælati ipsi dispensare possent, ut ex Lessi. docuit idem P. Diana. Censuræ vero hujus opinionis merentur ipsæ Censuram. Nam quis dixerit Temerariam, sententiam tot, & tantorum Virorum, negantium obligationem, fundatam in facto incerto consuetudinis? Adverte etiam Tamburin. lib. 2. in Decalog. cap. 5. §. pr. n. 18. excipere illos Religiosos Minores, qui per longum tempus vivunt in Sæculo: quia consuetudo, quam dicunt esse intra Claustra, non potest esse præscripta in Sæculo, ubi tam pauci ex illis, & rarò morantur: ita Cotonius l. c. qui præterea cap. 2. sequenti n. 26. & 27. idem ait: Sed ego (inquiens) existimo prædictos non obligari sub culpa, quod latè probant

Auctores

Auctores Capite praecedenti relati, & praesertim Less. pro Monialibus: quia ea consuetudo, si adest, fundata est in decentia Status Religiosi; unde non videtur introducta cum majori obligatione, quam quae est de Oratione Mentali, & aliis Piis exercitiis Praeceptis in Regula. De Subdiaconis alia est ratio: quia eorum consuetudo introducta est adinstar Diaconorum, & Sacerdotum, & deinde Praecepta communiter in Cap. Dolentes. Et ita tenet etiam Machadus to. 2. lib. 5. punct. 2. documen. p. n.p. Hucusque idem *Cotonius*.

382 *Palaus par. 2. tract. 7. disp. 2. punc. 1. §. 3. nu. 3. Diana to. 3. Coord. tract. 6. de Horis Canonicis ref. 15. n. 2. ex part. 6. tract. 8. & Miscell. 3. ref. 12. & eodem tract. 6. ref. 17. n. 4. ex par. 10. tract. 11. & Miscell. 1. ref. 45. Franciscus Bardi in Selectis Moralib. lib. 8. qu. 1. §. 3. nu. 10. Versic. Ut autem. Basilaeus Verb. Horae Canonicae pr. nu. 5.*, & alii: Opponunt negativae sententiae praefatorum Doctorum, quod correcta fuit apud *Emanuelem Sà* à Magistro Sacri Palatii in Editione Romana, & expuncta illa verba, quibus probabilis iudicabatur talis sententia ab eodem *Sà*, *Verb. Horae Canonicae n. 1.* his verbis: *Quidam tamen, & Moniales, & eos omnes, qui non sunt in Sacris obligatione liberant (quod, & si probabile) non est usu receptum.* Reverendissimus autem Magister in Editione Romana correcta, abstulit illa verba: *(Quod, & si probabile,)* & ideò in Editionibus expurgatis ampliùs non inveniuntur. Hinc *P. Diana l.c.* putat hujusmodi sententiam, esse prorsus improbandam. At, quicquid de tali correctione, eaque imò supposita, & admissa, oppositioni huic satisfieri potest respondendo, post dictum *Emanuelem Sà*, tot alios Doctores, nec inferioris notae Theologos extare qui nedum vocant talem sententiam probabilem, sed absolutè veram, piam, &c. ut patet ex dictis, idque absque correctione Sanctae Romanae Ecclesiae, ut constat ipsa experientia usq; adhuc. Quia tamen tunc temporis communis erat contraria opinio, ideò meritò *Pater Sà* à Magistro Sacri Palatii correctus fuit, ac expurgatus. Multae enim opiniones videntur adeò singulares ab initio, ut nec censeantur tutae in conscientia, advenientibus postea Doctoribus, qui nedum illas amplectantur, verum etiam novis argumentis, & solidis, ac fundatis rationibus roborentur, absque scrupulo ab Ecclesia, & à Reverendissimis Inquisitoribus admittuntur, & dici potest, quod accidat in casu recitatae sententiae pro qua etiam extare videntur duo Pontifices Summi, supra relati, *Eugenius IV. & Leo X.* Hinc

383 Reiici potest hic id, quod gratis asserit doctissimus *Bardi n. 12. cit. in fine*, dum ibi sic: *Et quamvis daremus consuetudinem hanc vim legis obligantis initio minimè habuisse: nihilominus temporis progressu viri Sapientes existimantes consuetudinem hanc obligare, eam acceperunt tanquam veram legem pro se, & pro suis posteris: proindè practicè censere minimè debemus nos in dubiis versari, sed in iis, quae moralem habent certitudinem.* Hoc inquam, gratis assertum, reiici potest: Quia nullus Doctor quem legerim, *acceptavit pro se, & suis posteris*, tanquam obligantem legem, consuetudinem de qua loquimur, ipse solus hoc affirmat: aliud enim est, quod Viri Sapientes (ut ipsemet ait, & optimè) existimaverint (ut communissimè existimant, atque docent) interpretatique fuerint illam obligare sub mortali; aliud quod ipsi, ut talem eam pro se, & posteris acceptaverint, hoc secundum reiicitur, primum conceditur tanquam certum. Viri namque Sapientes, & D. D. communiter, declarant quidem sententiam propriam circa eandem consuetudinem, existimantes (& ex hac existimatione docentes) atque interpretantes illam strictè obligare; non acceptantes ipsimet immediatè obligationem; quod potiùs spectare videtur ad eos, qui sub obligatione servare tenentur consuetudinem ipsam; ut etiam innuit, apud eundem *Bardi lib. 8. cit. qu. 1. Illustrissimus, & Reverendissimus Archiepiscopus Civitatis Panormi Fr. D. Martinus de Leon, in sua Epistola ad Moniales suae Panormitanae Civitatis, & Dioecesis*, in qua inter alia sunt sequentia verba, *fol. mihi* 404. *colum. 2. Tutti questi Dottori, e molti altri insegnano questa dottrina, la quale fondano nella consuetudine immemorabile introdotta* (nota) *dalle medesime Monache, che ben possono farlo nelle cose appartenenti à loro.* Ex quibus verbis clarè constat, ad Moniales (quibus incumbit observantia hujus consuetudinis) spectare acceptationem, ad Doctores verò declarare solum sententiam propriam circa eandem consuetudinem, & ipsius obligationem, relinquendo illam in suo statu, & esse, ut supra. Quorum Doctorum sententia impedire haud potest, quo minus consuetudinis veritas praevaleat, esto veritas contraria esset eisdem DD. sententiae: iuxta *Canonicum Textum in Cap. Consuetudo: dist. 8.* ibi, *Consuetudo quae apud quosdam obrepserat, impedire non debet, quominus veritas praevaleat, & vincat. Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est.*

384 Doctus *P. Baldellus in Theologia Morali to. 2. lib. 3. disp. 22. n. 13.* (apud *Dianam Coord. to. 3. tract. 6. res. 17. n. 4. Ex par. 10. tract. 11. & Miscell. p. res. 45.*) loquens de consuetudine Religiosorum, & Monialium persolvendi Horas Canonicas, sic asserit (contra sententiam negativam *Bordoni*, & aliorum.) *Et quatenus possit dubitari de hujusmodi consuetudine, utrum obliget ad mortale, eodem modo illam interpretantur, quo supra diximus de Subdiaconis, qui similiter solum tenentur ex consuetudine, & communiter existimantur teneri ad mortale, quia eorum consuetudo est inducta ex credulitate obligandi, & per modum legis non scriptæ, & est de re gravi, imò, & graviore, quam sit lex de Jejuniis, de Sacro audiendo, de Confitendo semel in anno, de Communicando in Paschate, & de similibus, in quibus signanter, & specialiter non exprimitur, quod sint ad mortale: Quæ tota ratio etiam valet de consuetudine similiter inducta pro Religiosis Professis; eamque consuetudinem ita interpretantur communiter Viri Docti, & timorati. Et hoc totum quod dicimus de Viris Religiosis Professis deputatis ad Chorum, quod tenentur sub mortali ad Horas Canonicas, dicendum etiam est de fœminis, & de Monialibus similiter Professis, & deputatis ad Chorum*. Hæc *Baldellus*. Cui addo *P. Bardi qu. c. 2. n. 14.* in quo eorundem, & aliorum similium paritate, confirmare videtur idem *Baldelli* argumentum. Arguit autem, & ipse, ut sequitur: *In jure communi, ut ferè omnes communiter advertunt, nulla invenitur lex, quæ obliget Diaconum, & Subdiaconum ad recitandum Divinum Officium, quod rectè ostendit Lessius disp. illa 9. n. 44 & 45. aliquos ponderans Textus Canonicos, qui in contrarium adduci poterant, cum aliis concludit obligationem hanc fundari in antiqua consuetudine: Rursus in pervigilio Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, & diei Festi Omnium Sanctorum, est Jejunium obligans sub culpa gravi, & non ex lege positiva, sed ex consuetudine: contra quam si quis argueret, non esse legitimè præscriptam, & non constare de intentione, qua inducta fuerit, ex devotione ne, an ex obligatione: vel si dicat procedere posse ex errore hanc exhistimationem de obligatione servanda, si quis inquam ita argueret, esset repellendus; quia sufficit per tot sæcula ita fuisse à Sapientibus, & Piis Viris judicatum: Ita etiam, & ego dicam de consuetudine recitandi apud Regulares, & Moniales, cum nullum prorsus descrimen appareat*. Quibus tum validis, tum efficacibus oppositionibus.

385 Responderi potest primò, adesse hic discrimen, & rationem disparem, ex doctrina enim *P. Pasqual. de Sacrific. Missæ to. 2. qu. 889.* Consuetudo recitandi Officium Divinum privatim extra Chorum in Religionibus, non est propriè consuetudo, sed observantia potius Constitutionum, quæ non obligant ad peccatum, sicque nec recitatio ipsa privata Horarum, ut ordinata à Constitutionibus est sub tali obligatione consequenter. Secundò Respondetur: Diaconos, & Subdiaconos teneri ad Horas Canonicas ex Jure Canonico, & in ipso Jure tale onus imponi: ad hoc enim ordinantur in Sacris, ut Ecclesiæ inserviant, ac proindè æquissimum fuit, ut Ecclesia illis tanquam suo Ministerio mancipatis, hoc onus imponeret. Unde meritò qui sunt in Sacris tenentur sub mortali ex Jure Canonico, & Ecclesiastico persolvere Horas Canonicas. Sic communiter Canonistæ apud *Leandrum part. 2. tract. 6. disput. 13. qu. 8. Vers. Negant deindè: ibi, Teneri Subdiaconos ad Divinum Officium recitandum Jure Canonico, & Ecclesiastico, habito in cap. 1. de Celebr. Missar. quod (ut inquit Navarr.) ad verbum est caput Presbyter 91. dist. affirmant communiter Canonistæ, & alii apud Bonac., quos ipse sequi videtur, de Horis Canonicis disput. 1. quæst. 2. puncto 3. n. 1. Machado lib. 4. par. 1. tract. p. doc. 14. n. p.* Esto autem, quod Diaconi, & Subdiaconi ad pensum Officii Divini non ex aliquo scripto, & Canonico Jure tenerentur, ut contendit *Leander qu. cit. Vers. Sed probabilius:* eo quia per ipsum, *Navarr.*, & alios *citati Textus*, de solis Sacerdotibus loquuntur, tenentur tamen lege naturali divina (inquit idem *Leander Vers. c.*) determinata per universalem consuetudinem, eos ad idem pensum obligantem sub mortali per omnes, nemine excepto; quod per omnes, ut patet ex dictis, non obligat Juniores Religiosos, nec Moniales. Consuetudo prætereà persolvendi privatim Horas apud eosdem & easdem non est tanti ponderis, nec adeò gravis, *ut gravior censenda sit, quàm lex de Jejuniis, de Sacro audiendo, de Confitendo semel in anno, de Communicando in Paschate, & de similibus*, ut opponit citatus *Baldellus*; nec ullus sanè Doctor id affirmabit. Hæc enim sunt Ecclesiæ Præcepta, per omnes, extra controversiam ad mortale obligantia. Non verò extra controversiam est, an obligent sub gravi culpa pervigilia Pentecostes, Sancti Joannis Baptistæ, S. Laurentii, & omnium Sanctorum, ut videre est apud *Pasqualig. de Jejunio dec. 171. & 172.* Hinc soluta etiam manet altera oppositio *P. Bardi*. Verum, tot, tantisque præmissis

præmissis minimè obstantibus.

386 Optimè sciens, quod ait *Baldus consil.* 122. *l.* 2. *Rarò benè loqui* (videlicet) *qui contra omnes loquitur*, puto, & ego non esse recedendum ab affirmativa communissima sententia, cujus fautores enumerat *Bardi qu. pr. cit. §.* 2. *n.* 3. *in fin.* non quidem omnes, quia hoc fortè nequit, sed usque ad septuaginta, quos omnes (non contentus ab aliis relatos) voluit in fonte legere, ut ipsemet testatur. Quorum omnium idem, unicumq; fundamentum (ut apud eosdem videre est) Diuturna nempè, antiquissima, & immemorabilis consuetudo legitimè præscripta; tot enim sunt sæcula, nedum anni, in quibus consuetudo ista suum retinet vigorem. Unde quamvis concederemus hujusmodi consuetudinem, initio sui, vim legis obligantis minimè habuisse, nihilominus temporis progressu incepit legitimè præscribi, & consequenter transacto tempore ad præscriptionem requisito, vim legis habere cœpit: eo pactoquo (ut notant Doctores in Tractatu de Legibus) incipiunt aliæ consutudines (etiam contra legem ipsam) præscribere: initio enim vim legis non habent, sed pedetentim progredientes, continuando, transacto tempore à præscriptione requisito, strictè obligant, vimque legis habent. Et talis est consuetudo, de qua hic, ratione cujus Regulares Professi Juniores ad Chorum deputati, uti, & Moniales, obligantur recitare quotidiè septem Horas Canonicas; easque sine rationabili causâ omittendo, graviter delinquunt, ex hac eadem efficaci ratione; quam admittunt, eiq; (uti basi superquam astruunt affirmativam hanc sententiam) unanimiter subscribunt innumeri [etiam primæ classis] Doctores, ad quos, expugnandos, eorundemque enervandam, infirmandamve communem sententiam, non sufficit aliquorum paucorum Authoritas, absque manifesta, & evidenti ratione, ac sole clariore tali apparente. Addo præterea cum *Salmanticensib. to.* 4. *Theologiæ Moralis tract.* 16. *de Horis Canonicis cap.* 2. *punc.* 2. *n.* 22. & 23. Consuetudinem de qua hic, persolvendi videlicet privatim Officiũ Canonicum ab illis Religiosis Professis, non in Sacris Constitutis, & Monialibus, qui Chorum profitentur, & ex sua Professione Choro adiiciuntur, non ex devotione dumtaxat, sed ex vero animo obligandi, fuisse introductam. Quod exindè constat: quia Doctores communiter tres assignant conditiones ad agnoscendũ, quando consuetudo censeatur ex animo se obligandi introducta, quas in hac de qua hic, negabit ullus reperiri. *Prima est*: quod materia sit gravis, à populo, vel à majori parte continuo observata, absque interruptione: quia non solent tanta firmitate servari, quæ solum ex devotione fiunt. *Secunda*: si Superiores graviter reprehendant, aut puniant non observantes talem consuetudinem. *Tertia*, cum prudentes, & timorati malè sentiunt de his, qui talem non observant consuetudinem, vel scandalizatur communiter populus exhistimans transgressores talis consuetudinis peccare. Quis autem negabit in consuetudine, de qua loquimur, allatas conditiones inveniri? Et quis insuper cordatæ mentis affirmabit, constare, ex errore consuetudinem eandem fuisse introductam? Cum ergo constet de consuetudine, deque obligatione illius, debebat de ejus excusatione constare, ut ejusdem rueret obligatio. Licet enim modo observantes aliquo modo, errent, nescientes, unde ejus proveniat obligatio, an ex lege tradita? Ipsi tamen introductores consuetudinis haud sunt, eidemmet vim obligandi conferentes, sed eam in illa iam supponunt, à primis introductoribus communicatam. Probari autem nequit, illos primos Parentes, & Fundatores, qui hanc eandem consuetudinem introduxere, ex errore processisse: quin potius sicut in aliis rebus, credendum est, eos ex motione Spiritus Sancti inductos fuisse ad eam introducendam, ex certa scientia, vel saltem non ex errore, putantes, se aliqua Lege Ecclesiastica adstrictos esse, sed se voluisse obligare, sive aliàs obligati essent: quia illi non ad has versutias attendebant, sed ad id, quod magis Sanctum erat, atque perfectum, & quod majorem facultatem præbebat sine impedimẽto Dominum obsecrandi. Ita *Salmanticenses loc. cit.* Sed

387 Dices ex parte Monialium, non potuisse ipsas saltem, consuetudinem hanc viribus firmare, quia sicuti fœminæ nequeunt leges statuere, ita neque consuetudinem, quæ vim legis habet, ideòque Bartolus *in leg. prim. ff. de legib. nu.* 7. ait. Usus Mulierum non inducit consuetudinem. Respondeo negando absolutè antecedens, falsum enim est consuetudinem vim legis habentem non posse introduci nisi ab habente facultatem ad condendam legem, aliter Civitates illæ, quæ sunt sub Dominio Principis non possent ullam consuetudinem obligantem introducere, quia illæ nequeunt legem condere: nihilominus oppositum constat, & docet *D. Tho.* 1. 2.

quæst. 90. *art.* 3. *& qu.* 97. *art.* 3. *ad.* 3. ubi quod non introducunt consuetudinem per modum legis, ex sua authoritate, sed ex consensu tacito, vel expresso Superioris: *Si multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legem à Superiori potestate positam removendi, tamen ipsa consuetudo in tali multitudine prævalens, obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur ad quos pertinet multitudini legem imponere, hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit*. Sunt verba *Doctoris Angelici qu. cit.* 97. *artic.* 3. *ad.* 3. *in fine:* cui adhærent *Suar. de Legib. lib.* 7. *cap.* 9. *n.* 7. *&* 11. *Salmanticenses punct. c.* 2. *n.* 21. & alii, unanimiter ob eandem rationem, dicentes, communitatem Mulierum, & Fœminarum posse sua consuetudine jus inducere, sunt namque, & ipsæ capaces legis, & ad legum onera subiectæ, &c. Possunt igitur Mulieres consuetudinem introducere in iis, quæ ad ipsas spectant. Et ita etiam *Montesinus in* 1. 2. *to.* 2. *disp.* 23. *qu.* 13. *n.* 220. ubi sic ait (apud *Dianam Coord. to.* 6. *trac.* 2. *res.* 22. *Ex part.* 6. *tract.* 5. *res.* 11.) *Quamvis verum sit, quod Mulieres Regulariter non possint introducere consuetudinem generalem obligantem omnes, etiam Viros; sicut Regulariter non sunt habiles ad condendas leges, benè tamen potest per Mulieres introduci consuetudo habens vim legis obligantis ipsas, non Viros. Ut si in aliquo loco esset consuetudo, quod Mulieres audirent Sacrum in Sabbato, vel jeiunarent Feria sexta in honorem Beatæ Virginis. Ita Montesinus, & Diana*. Et idem etiam docent *Azor. tom. pr. libr.* 5. *cap.* 18. *quæst.* 11. *& Salas de Legib. disp.* 19. *cap.* 11. *n.* 91. *fol. mihi* 498. *litt. B* ubi expressè sic: *Consuetudo Monialium, potest inducere legem*, in iis videlicet, quæ ad ipsas spectant: quod affirmat *Bardi qu.* 2. *c.* §. 2. *num.* 17. *Vers. Respondeo posse:* ubi refert etiam *Rochum de Curte cap. ult. de Consuet. sect.* 4. *nu.* 53. *& Petrum de Ravenna eodem tract. sect.* 4. *nu.* 54. Recitare autem Horas Canonicas valdè congruenter spectare potest ad fœminas, atque adeò introduci poterit apud ipsas Moniales consuetudo recitandi easdem Horas, accedente maximè, implicitè saltem, Summi Pontificis consensu. Et quod Cõmunitas fœminarum possit sua consuetudine jus inducere, cum fœminæ sint capaces legis, & ad onera legum teneantur, consequenter consuetudo Monialium, saltem si sit acceptata à Prælato, possit inducere legem Moniales obligantem, præter citatos, affirmant (& cum eodem *Bartolo in lib.* 2. *Cod. quæ sit long. consuetud. n.* 13.) *Suar. n. cit.* 11. *& Bonac. to.* 2. *tit. de Legib. in genere, & in particulari, disput. pr. qu. pr. punct. ultim.* §. 3. *proposit.* 1. *n.* 15. Quo verò ad primum locum *Bartoli* in contrarium superius in argumento desumptum, respondent citati *Suar.*, *& Bonac.*; *Bartolum*, ibi non negare simpliciter per fœminas introduci posse consuetudinem, cum in hoc secundo loco oppositum asserat, Cõmunitatem scilicet fœminarum esse capacem legis, atque adeò earum consuetudinem acceptatam à Prælato, posse legem inducere. In citato autem primo loco, loquitur ipse de rebus, quæ ad Viros spectant, hoc est, non posse à Mulieribus induci consuetudinem contra legem ad Viros pertinentem, & ita etiam exponunt *Bartolum* plures alii, ut notat *Bardi n.* 17. *cit. in fine, &c.*

Adverto hic tandem circa obligationem, quam habent Regulares, etiam Moniales, recitandi Horas Canonicas, plura, & pulchra privilegia colligere, & recensere *Salmanticenses in suo Theologiæ Moralis Cursu, tom.* 4. *tract.* 16. *de Horis Canon. cap.* 13. *punct.* 7. *à n.* 51. *usque ad* 64. *inclusivè*, *à pag. mihi* 181. Videantur, & non pigebit.

PRIVILEGIUM XXVII.

Beneficiarius, qui ex ignorantia invincibili, vel ex inadvertentia, aut oblivione inculpabili Officium Divinum prætermittit, excusatur nedum à culpa, verum etiam à restitutione fructuum.

388 Qui tenentur Officium Divinum recitare, maximè Beneficiarii, peccant utique mortaliter per omnes, illud non recitando, aut illius partem notabilem omittendo, quia violant Præceptum in re gravi ad virtutem Religionis pertinente, & ad Deum colendum, nisi eos excuset ignorantia inculpabilis, quæ illos indubiè excusat, ex *præcedenti Privilegio in principio*, uti etiam eosdem excusat inadvertentia, aut oblivio inculpabilis, vel justum, ac rationabile impedimentum. Item qui tenentur ad pensum Divini Officii, & recitationem Horarum Canonicarum *Titulo Beneficii*, in ipsa recitationis omissione culpabili, hoc est, non excusante illum ignorantia, bona fide, vel alio legitimo impedimento, præter peccatum mortale, quod contra dictum Præceptum committitur ab eisdem, peccant ulteriùs contra Justitiam, & duplex specie peccatum committunt, in Confes- sione

ſione exprimendum: cum ſit in eis duplex obligatio ad diverſas virtutes ſpectans, ſcilicet ad Religionis virtutem ratione Ordinis; & Juſtitiæ, ratione Beneficii: *Paulus Squillas de Obligat. Clericorum par. 1. dub. 34. n. 71. in fine. Sanch. de Matrim. to. 3. lib. 9. diſp. 15. n. 6. Bonacin. to. 1. de Horis Canon. diſp. 1. qu. 5. punct. 1. propoſition. 2. nu. 4.* ubi etiam *Layman, Suar., Garzias*, & alii. Hinc peccantes contra Juſtitiam ob omiſſionem Canonicarum precum tenentur ad reſtitutionem fructuum proprii Beneficii pro rata omiſſionis recitationis, ut patet ex *Concilio Lateran. ſub Leone X. & ex Bulla Pii V. apud Navar. in Man. cap. 25. n. 122. Bonacin qu. 5. cit. punct. 2. propoſit. 1. nu. 1. & 2.* & apud alios, utriuſque Pontificis Conſtitutiones percenſentes, in quibus exprimitur famoſiſſima, & veriſſima illa Regula: *Beneficium datur propter Officium*, ſcilicet *Canonicum*. Ad reſtitutionem inquam fructuum receptorum proprii Beneficii ob dictam omiſſionem tenentur, quia per omnes ſunt injuſtè præcepti, conſequenter tunc temporis non facti proprii Beneficiarii, unde pro rata omiſſionis, ſeu omiſſioni reſpondentes, reſtituendi, & erogandi in fabricas ipſorum Beneficiorum, vel in Pauperum Eleemoſynas, cum tunc temporis (ut dictum eſt) non faciant fructus ſuos.

389 Reſtituendi inquam à Beneficiario, niſi omiſerit iſte recitationem Officii Divini ex ignorantia, vel ex inadvertentia, aut oblivione inculpabili, ut in propoſito Privilegio, quia hoc in caſu, ſicuti excuſatur à culpa, ita etiam à reſtitutione fructuum. Et licet lex iſta Eccleſiaſtica reſtitutionis fructuum, ſeu impoſitiva reſtitutionis, non videatur in rigore eſſe pœnalis *ex antecedent. num.* Quia potius eſt declarativa injuſtitiæ, quæ committitur in omiſſione Horarum Canonicarum, & impoſitiva ob id reſtitutionis fructuum, tanquam injuſtè perceptorum, ut dicunt *Concil. Lateranen. & Pius V.* Quod ſuaderi etiam poteſt, eo quia Eccleſia nulli confert Beneficium gratis, ſed cum onere, quare qui illud aſſumit, aſſumit cum illo onere, quod importat pactum, & conventionem. Undè ex violatione talis oneris, ac conventionis oritur obligatio reſtituendi, hinc ad reſtitutionem teneretur Beneficiarius, etiam ſi nulla lex id fieri præciperet. Quando verò iſta lex præcipit fieri reſtitutionem, non videtur conſtituere jus de hoc, ita enim eſſet lex pœnalis, ſed potius declarare jus, & obligationem reſtituendi ortam ex obligatione Juſtitiæ. Et licèt inquam hoc: nihilominus Doctores de hac eadem Eccleſiaſtica lege loquentes (etiam ad noſtri Privilegii rem) appellant ipſam pœnalem; Ita præſertim *Reginald. to. 3. l. 30. tract. 3. c. 4. ſect. 4. n. 44. Verſ. Quartum eſt, fol. mibi 710.* Ubi ait: *Ab hac obligatione reſtituendi, excuſare poſſe, tum materiæ parvitatem, tum ignorantiam, oblivionemque inculpabilem, quia imponitur ob peccatum mortale, quod ſalutis ſuæ immemor parvipendens, temporali pœna urgetur exequi, quod tenetur. Parvitas autem ea materiæ contingit ex parte Horarum Canonicarum, cum omiſſio non eſt tanta, ut conſtituat peccatum mortale.* Idemq; Privilegium recenſent, & admittunt: *Naldus Verbo Officium Divinum n. 15.* (ibi) *Officium Divinum recitare omittens Beneficiarius ex oblivione, vel ignorantia invincibili, videtur excuſatus à reſtitutione fructuum, nedum quo ad fructus conſumptos, ſed ſimpliciter de omnibus: & ratio eſt, quia ſumus in materia pœnali, & ideò eſt reſtringenda ad Caſum culpæ. Garzias de Beneficiis to. 1. par. 3. cap. 1. n. 23. Verſ. Subinfertur etiam. Squillas par. 1. cit. dub. 32. n. 67.* ubi ſic arguit, *fol. mibi 40. col. 1. Verſ. Aliqui ſimpliciter in fine: In Concil. Lateranen. excuſatur, qui Officium non dixerit ex legitimo impedimento, ſed naturalis oblivio, vel ignorantia invincibilis cenſeri poteſt legitimum impedimentum. Merolla to. 1. diſp. Moralium Theologicar. diſp. 1. cap. 2. Coroll. 2. n. 56. Verſ. Confirmari poteſt, fol. mibi 16. Leſſ. de Juſt. lib. 2. cap. 34. dub. 32. n. 183.* qui pariter ſic: *Beneficiarii non habent abſolutum dominium fructuum, etiam ante perceptorum, niſi poſtquam Officium tempori illi reſpondens dixerint; vel certè abſque culpa prætermiſerint: nam expreſsè dicit Pontifex, & Concilium. (Ut fructus non faciant ſuos, ſi ceſſante impedimento Officium omiſerint.) Et ſequitur, Eos, qui per ignorantiam inculpatam omiſerunt, non teneri ad reſtitutionem. Suar. de Relig. tom. 2. lib. 4. Tit. de Horis Canonicis cap. 30. n. 16. Bonac. to. 1. de Horis Canon. diſp. 1. qu. 5. punct. 2. n. 4.* & alii. Unanimiter concludentes (ut in Privilegio noſtro) quod quando non intervenit culpa, nec incurratur hæc reſtitutionis obligatio (ſeu pœna, ut loquuntur) & ubi Beneficiatus à culpa excuſatur; & à pœna excuſetur. Et ait *Suar. n. cit.* verum non eſſe quod quidam ſentiunt, non recipi videlicet fructus, ſeu ſtipendium ab eo, qui de facto non exhibet ſervitium, hoc eſt, non recitat Officium propter quod ei debetur ſtipendium tum quia non exhibet ſervitium ad quod: ex Juſtitia tenetur, tum etiam quia illa

lex

lex non est tantum pœnalis, sed etiam conditio, sub qua datur tale stipendium: Negat inquam *Suar.* hanc secundam partem, idest, quod *talis lex sit etiam conditio*, ut faciat sensum, *tibi do Beneficii fructus, si Horarias preces recitaveris*: quod, & negat *Azor. to. 1. lib. 10. cap. 14. qu. 7.* Quia lex ista per ipsos pœnalis est, ideoque restringenda, ut non imponat pœnam, nisi ibi intercesserit culpa. Unde non debet intelligi ipsam esse quasi conditionem affirmativam: *Si Officium dixerit*, sed negativam, scilicet: *si non omiserit Officium, seu non intermiserit* (ut ait *Pius V.*) utique *culpabiliter*, seu *voluntariè*, hoc enim est propriè *omittere*. Adde, quod *Concilium, & Constitutio Pii V.* habet: *Si Officium Divinum non dixerit legitimo impedimento cessante, restituat.* Naturalis autem oblivio, vel ignorantia invincibilis, legitimum impedimentum à Doctoribus citatis censetur, & est. Et infra ait: *Eos tanquam injustè perceptos*, igitur ad restitutionem exigit titulum injustæ acceptionis. Item inquit infra: *Si ultra dictum tempus in simili negligentia permanserit*, ubi expende particulam illam *in simili*, hæc enim supponit debere esse omissionem ex negligentia culpabili. Ergo ubi non intervenit culpa, non incurritur hæc pœna, seu per nos, obligatio restitutionis ex Justitia, ut supra. Sicuti nec incurritur hujusmodi pœna, seu obligatio restitutionis fructuum à Parocho non residente sine causa, ex ignorantia pœnæ latæ *à Trident. sess. 23. cap. 1. de Reform.* Quod etiam habet expressè, *Thomas Hurtado de Residentia tom. 1. lib. 4. res. 5. subres. 1. pag. mihi 163.* Sequentibus verbis: *Si Parochus bona fide ignorans invincibiliter pœnam latam à Tridentino contra non residentes, non resideat ultra bimestre, aut invincibiliter judicet causam absentiæ esse sufficientem, cum postea intelligat non fuisse talem, non tenetur restituere pro rata absentiæ, quia jure naturali facit fructus suos, & à pœna excusat ignorantia, etiam juris pro foro externo*, sicque verum Privilegium nostrum. Sed

390 Quæres primò. An Beneficiarius non habens Ordinem Sacrum, peccet lethaliter non recitando Officium Divinum, cum animo tamen restituendi fructus. Ratio quæsiti est, quia cum ex una parte obligatio recitandi Officium in eo fundetur, quod Beneficiarius accipiat Beneficii fructus in stipendium, & mercedem sui laboris (Beneficium enim datur propter Officium) idcircò peccare videtur contra Justitiam accipiendo fructus, nec satisfaciendo debito sui Officii; ex altera parte videtur quod cesset culpa, & injustitia, eo ipso quod Beneficiarius nihil prorsus vult sibi accipere ex fructibus, aut emolumentis Beneficii, sed vult eos integrè expendere in fabrica eiusdem Beneficii, vel in usus pauperum ad quos solum *Pius V.* obligat in sua *Bulla* contra Beneficiarios non recitantes Officium.

391 Respondeo: Cum *Joanne de Lugo lib. 5. Responsorum Moral. dub.* 6. peccare absolutè lethaliter: *Tum quia*, intentio, & animus restituendi omnes fructus non impedit lethale peccatum omittentis recitare Officium Divinum: independenter enim ab obligatione restitutionis fructuum, extat Ecclesiæ Præceptum obligans Beneficiarium ad dictam recitationem, cui Præcepto, quod jam antea extabat, aliud accessit postea *Leonis X. in Concil. Lateranen. & Pii V. in sua Bulla*, obligans ad restituendos fructus pro rata Officii omissi: Unde sunt hic duo Præcepta. Quamvis ergo Beneficiarius nolens retinere fructus Beneficii correspondentes omissioni Officii non peccet contra secundum Præceptum restituendi fructus; non liberatur tamen à transgressione primo antecedenter obligantis ad recitationem Officii Divini. *Tum quia*. Et si ab Ecclesia (ut optimè etiam arguit idem *De Lugo dub. c. n. 3.*) non sit imposita obligatio primis sex Mensibus ab adepta possessione Beneficii restituendi fructus ob Officium Divinum non recitatum, nihilominus obligationem habet sub mortali Beneficiarius recitandi Officium etiam in illo semestri, ut declaravit idem *Pius V. in prædicta Bulla*; ergo obligatio recitandi Officium non dependet ab obligatione restituendi fructus, sine hac enim obligatione invenitur illa. Nil minus ergo perseverabit eadem obligatio recitandi toto tempore sequenti independenter ab obligatione restituendi fructus. *Tum quia*, repugnat quem excusari ab onere recitandi Officium, & obligari ad restituendos fructus. Vide eundem *De Lugo dub. 6. c.* Hinc

392 Inferas cum *Sanch. to. 1. Consil. lib. 2. cap. 2. dub. 16. n. 2.* Quod nesciens Officium Divinum recitare, licet peccet acceptando Beneficium, quia tamen non peccat non recitando, & omittendo Horas, durante impotentia recitandi ob ignorantiam, & defectum Directoris, pro eo tempore, quo recitare nequit, nec habet instructorem, non tenetur restituere fructus. Et idem dicendum est de non recitante ob defectum Breviarii, vel aliam impotentiam, licet culpa sua in eam impotentiam inciderit.

Ita

Ita *Sanch. n. c.* (ubi refert etiam *Navar. in cap. Quando.*) Qui etiam *dub.* 61. *anteced. n.* 4. cum eodem *Navarr.*; & aliis: pariter excusat, à recitatione Horarum eos, qui ignorant latinè legere, modo dent operam, ut id discant: Quia videlicet pro tunc sunt impotentes ad recitandum, & ratione hujusmodi impotentiæ (ut etiam supra) excusantur, qua postea cessante impotentia, & impedimento, cessat excusatio. Quia, in omnium Doctorum sententia, habens Ecclesiasticum Beneficium tenetur ad Horas Canonicas. Et sicut Sacer Ordo sine Beneficio obligat ad Horas: Ita Beneficium Ecclesiasticum absque Sacro Ordine ad easdem obligat: Quia *Beneficium datur propter Officium, cap. fin. de rescript. in* 6. ut etiam clarè habetur *in Decreto Concilii Lateranen. sub Leone X. sess.* 9. *§. Statuimus: & in Motu proprio Pii V.* Videatur *Sanch. cap. cit.* 2. *dub.* 58. *fol. mihi* 229.

393 Quæres secundò, Cui teneantur restituere fructus, Beneficiarii non recitantes Horas Canonicas. Respondeo restituendos esse fructus fabricæ Ecclesiarum, ubi sunt Beneficia, vel Pauperibus: sic enim expresse habetur in *Concilio Lateranen. & Motu proprio Pii V.* in præcedentibus relatis, & apud *Sanch. cap.* 2. *c. dub.* 87. *n.* 1. *Bonacin. de Horis Canon. disp.* 1. *qu.* 5. *punct.* 4. *propos. Unica, nu.* 1. *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 32. *n.* 177. *Gobat in Alphabeto Breviarii recitandi Casu* 23. *num.* 581. & communiter. Restituendi autem sunt fructus fabricæ, licet ea sit ditissima (infert *Sanch. dub. c. nu.* 2, cum aliis.) Ratio est, quia faciunt id, quod jubent *Concilium, & Pius V.* præcipientia hanc restitutionem. Et fabricæ illius loci ubi Beneficium situm est, seu Ecclesiæ Beneficii. Notat tamen *Bonac. l. c. n.* 2. cum aliis, & benè, posse fieri etiam in utilitatem fabricæ Domus Beneficii, ut Domus in qua Beneficiarius habitat, vel alterius Domus ipsius Beneficii, vel etiam in emendis, aut meliorandis agris, ut fructus in perpetuum augeantur: hæc enim sub fabricæ nomine continentur, & comprehenduntur: eo magis quia *in cit. Juribus* (ut observat etiam *Suar. cap. c* 30. *nu.* 19.) non fit restrictio in *fabricas Ecclesiæ Beneficii*, sed dicitur, *In fabricas ipsorum Beneficiorum*, ut patebit legenti *Pianum Motum proprium*. Ex quo collige cum DD. citatis, Beneficiarium, qui Divinum Officium omisit, nequire restitutionem facere in alterius loci utilitatem; quia *Pius V.* mentionem facit *fabricæ Beneficii*, non verò alterius loci, & in consequens Beneficiarius, qui Officium prætermisit, non potest fructus insumere in Ædificationem Ecclesiæ, vel reparationem bonorum, alterius Beneficii.

394 Limitat tamen *Bonac. sub c. num.* 2. *Vers. Hoc tamen*, nisi hujusmodi restitutio redundet in utilitatem pauperum, qui in eo loco aluntur: Ratio est, quia restitutio fabricæ, restricta quidem est, ut fieri debeat fabricæ Beneficii, & ubi Beneficium situm est; at pro pauperibus, non est adeò restricta, unde fieri potest pauperibus sive illius loci ubi situm est Beneficium, sive alterius. *Less. nu. c.* 177. *Suar. cap. c. n.* 20. *Vers. Ergo hoc. Bonac. l. c. n.* 3. & alii. Non est inquam adeò restricta, tum quia *Bulla, & Concilium* loquuntur generaliter de pauperibus: tum quia hoc mitius est, & reddit faciliorem restitutionem. Et hinc est, quod si Beneficiarius ipse, qui debet restituere fructus, sit verè pauper, potest sibi eos retinere, sibique paupertatis titulo applicare. Ratio est, tum quia cum verè pauper sit, non debet esse deterioris conditionis, quam alii pauperes: tum quia in *præcitatis Juribus* non excluditur, & hęc est eleemosyna, quam non tam ipse sibi, quam Pontifex per eum facit. Ita *Navar. in Man. cap.* 25. *n.* 122. *in fine, & n.* 123. *in princip. Suar. cap. c. num.* 18. *Tolet. lib.* 2. *cap.* 12. *in Adnotatione n.* 5. *Sanch. dub. c.* 87. *n.* 3. *Less. n. c.* 177. *Bonac. l. c. nu.* 8. aliique plures apud eosdem. Advertit tamen *Less. n. c. in fin.* & cum ipso *Bonac. l. c. sub n.* 9. *Vers. Adverte tamen*. Quod quando res est occulta, & restituendo distributiones, vel alios fructus, suum peccatum proderet Beneficiarius, & periculum infamiæ immineret, posset in alios pios usus expendere. Nota hic tamen obiter, cum *Toleto nu. cit. in princip.* & aliis: quod quando restitutio est distributionum (quas Canonici, vel Beneficiati ex Ministerio, vel Choro habent) tunc non debet fieri, nisi ipsis Canonicis, & Beneficiatis, qui Officio interfuerunt, cum eisdem accrescant distributiones ex absentia aliorum, ac inter ipsos soleant tales redditus distribui: Nam quando res habet certum Dominum, non debet reddi pauperibus: ita, & optimè *Tolet. nu. cit.* (ubi, concedit quidem, & ipse, cum communi, quod possit aliquando accidere, ut ille Beneficiarius, qui restituere tenetur, sit aliquis pauper, & meritò consequenter possit ei eleemosyna conferri, sed tunc [addit] judicio Confessoris posse illum sibi reservare, sed dummodo inde non occasionem sumat vacandi ab Officio.) Cui addo

Navarr.

Navarr. in Man. n. c. 123. *Versu Nota Quarto*, ubi, & ipse expresse sic: *Non sufficit prædictam restitutionem facere fabricæ, vel pauperibus, quando restituenda sunt lucrifacta per distributiones quotidianas, quæ debentur iis, qui horis illis diebus, in quibus illi non recitarunt, interfuerunt, quibus accrescunt, & non sufficit dare pauperibus, quod debetur alteri: arg. c. Ea te, de jure jur. nisi quando ignoratur quis sit, Cap. Cum tu, de Usur. ubi Gloss. cum communi*. Et idemmet habet *Sanch. in Consiliis cap. c. 2. dub.* 88. *nu.* 3. ubi ponit sequentem conclusionem: Quantum ad distributiones quotidianas, quæ sunt in Cathedralibus, & Collegialibus, quando quis amittit illas ex eo, quod non assistit Horis Canonicis, debent distribui inter eos, qui interfuerunt Horis illis diebus. Et probatur, quia *in Trid. sess.* 21. *cap.* 3. *de Reform.* decernitur, ut omnes distributiones quotidianæ dividantur inter eos, qui divinis intersunt Officiis. Et quamvis prima facie hujusmodi Decretum videatur esse contrarium alteri Decreto ejusdem *Trid. sess.* 22. *cap.* 3. in quo statuitur, quod distributiones absentium applicentur fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat: vel alteri Pio loco, arbitrio Ordinarii: Non tamen contrarium est (ut notat etiam *Sanch. l. c. n.* 4. *cum Navarr.*) prius namque Decretum, intelligitur de distributionibus, quæ dividi solent inter assistentes Divinis Officiis; posterius verò de distributionibus, quæ amittuntur ab iis, qui non adimplent onera particularia ab Episcopo sibi imposita: qui (ut *ibi* decernitur) perdunt nedum distributionem, quæ sibi datur propter illud onus, sed totam illius diei distributionem: sic enim ait *Concilium* in posteriori Decreto: *Qui eas* (distributiones videlicet) *obtinent, si personaliter competens sibi servitium juxta formam ab eisdem Episcopis præscribendam, quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquomodo Dominium acquirant, sed fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri Pio loco, arbitrio Ordinarii applicetur*.

395 An verò fructuum restitutio ob omissionem Officii, sicuti fieri potest pauperibus, fieri etiam possit in celebrandis Missis, vel in aliis Suffragiis offerendis pro Defunctis? Respondeo affirmativè cum *Suar. cap. c.* 30. *nu.* 18. Ratio quia membrum de eleemosynis pauperum, potest hic habere satis latam interpretationem ex dictis, & Doctoribus. Hinc si Sacerdos pauper sit non erit ab hac restitutione alienum (inquit *Suar.*) dare illi eleemosynam cum onere celebrandi Missas aliquas, præcipuè si in satisfactionem offensæ Deo factæ non recitando, vel pro illis fidelibus, qui fructus Beneficiorum persolverunt, dici præcipiantur. Tum quia, si vivis pauperibus fieri possunt eleemosynæ ex talibus fructibus, & bonis, poterunt etiam fieri pauperibus Defunctis, dando eleemosynas, ut pro illis fiant suffragia, & Sacrificia. Unde ad opera illa omnia, quæ comprehendi possunt sub pauperum eleemosynis, fieri potest extensio, non tamen extra illa. Huic responsioni, & doctrinæ subscribit etiam (cum aliis) *Bonac. l. c. n.* 4. ubi expresse concedit, hanc restitutionem fieri posse in celebrandis Missis, vel in aliis Suffragiis pro Defunctis offerendis, cum etiam Defuncti sint indigentes. Concedit tamen cum limitatione, quam affert infra *n.* 9. (quam ponunt etiam ante ipsum, idem *Suar. l. c. n.* 17. *& alii*.) Modò videlicet, aliud non constet, aut aliud rationabiliter non præsumatur de voluntate Summi Pontificis. Item, modò ex lege, vel consuetudine, aut statuto aliquo particulari approbato non sit facienda, & applicanda ad certum aliquod opus pium; aut non sit facienda aliis Canonicis, vel Clericis ejusdem Ecclesiæ, quibus accrescat, ut accidit in distributionibus quotidianis, *Cap.* 1. *de Clericis non resident. in* 6. *& Trident. sess.* 21. *cap.* 3. *& sess.* 24. *cap.* 12. Ratio est, quia nec *Concilium*, nec *Pius V.* intendunt derogare hujusmodi Statutis, consuetudinibus, legibusque; sed solum determinare, cui facienda, aut applicanda sit talis fructuum injustè perceptorum restitutio, quando aliàs non est determinatum. Et in eventu quod hoc determinatum sit, nec Beneficiarius pauper potest sibi fructus restitutioni obnoxios applicare titulo paupertatis, ut concludit etiam *Bonac. n. c.* 9. *Vers. Secunda limitatio*, cum aliis *ibi* relatis.

396 Et ex his patet quid dicendum sit de Pensionario: Affirmandum enim est, Pensionarium qui tanquam Clericus recipit fructus, & Officium Parvum Beatissimæ Virginis omisit, teneri ad restitutionem, eo modo, quo tenetur Beneficiarius, ut constat ex *Bulla Pii V.* in qua Summus Pontifex eandem obligationem ei imponit, ut sequitur: *Quicunque Pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, ut Clericus percepit, eum modo prædicto ad dicendum Officium Parvum B. Virginis Mariæ decernimus obligatum, & Pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium*. Dum ergo *Pius V.* dicit absolutè, Pensionarium non recitantem

tantem *esse obnoxium amissioni fructuum modo prædicto*. Et modus prædictus erat, ut non recitans, non faciat fructus suos, sed eo ipso maneant applicati fabricæ, vel pauperibus, clarum est, quod eadem dispositio procedit in fructibus Pensionum, ac in fructibus Beneficiorum. Vide *Suar. cap. c.* 30. *n.* 21. *Bonac. qu.* 5. *cit. punct.* 2. *nu.* 21. *Vers. Septimo patet*, & alios quos ipse *ibi* refert.

397 Quæres tertiò: Quæ quantitas fructuum restituenda sit à Beneficiario ob omissionem recitationis Horarum Canonicarum? Respondeo. Illa quantitas quam determinat *Pius V. in suo Motu proprio*, quamque sic describit: *Qui Horas Canonicas uno, aut pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidiè dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes horas, alteram dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejus diei amittat*. Ita statuit Summus Pontifex *Pius V.* verè piè, & justè; nec ullus quem viderim DD. revocavit in dubium, an hujusmodi *Motus proprius* sit usu receptus, licet non ubique nec apud omnes in eodem rigore interpretatus, ut sonant corticis ejusdem verba. Unde lex hic definit restitutionis quantitatem pro singulis horis, ut quilibet Beneficiarius sciat quid pro singulis, vel illarum partibus omissis, restituendum sit. A qua restitutione non liberatur qui intenderet alio die supplere defectum in recitatione commissum, quia obligatio recitandi est diei affixa, & transit cum ipso die, & sicut ille non satisfacit Præcepto Jejunii, aut Missæ, qui alio die ab Ecclesia non præscripto jejunat, vel Missam audit, neque pariter satisfacit Præcepto Divini Officii, qui alio die illud recitat, qui enim illud omisit, jam contraxit obligationem ad pœnam à Superiore impositam (ad cujus executionem tenetur etiam ante Judicis sententiam) unde non potest (uti inferior) auctoritate propria eximere se à pœna, quam contraxit, ex *lege citata Pii V.* in qua habetur absolutè, eum, qui non recitat suo tempore Officium non facere fructus suos pro rata omissionis: Ita etiam Doctores generatim. Sed vide *Dianam Coordin. to.* 3. *tract.* 6. *resp.* 114. *Ex par.* 9. *tract.* 9. & *Miscell.* 4. *resol.* 24. Vide etiam ejusdem *Tractatus* (qui est *de Horis Canonicis*) *resolutiones sequentes*, in quibus proponit, & resolvit ferè omnes difficultates vertentes circa obligationem restitutionis fructuum quam habent Beneficiarii ob omissionem recitationis Horarum Canonicarum. Item vide *Layman lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 5. *n.* 2. *Vers. Quæres quanta*. *Gobat in Alphabet. Breviarii recitandi Casu* 23. *à num.* 581. *Vers. Dico* 6. & alios apud ipsos, & superius citatos.

398 Solum hic ultimo loco noto cum *Sanch. in Consiliis lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 87. *n.* 4. Quod Beneficiarius, qui noluerit integros fructus injustè perceptos restituere, remedium habet optimum, ut componat videlicet se de talibus fructibus cum Papa, vel ejus Nuncio, si habet à Papa eam facultatem: in qua compositione minor est scrupulus, quàm in aliis, etiam si Papa pro parva parte remittat reliquum, dummodo fiat Papæ vera, & integra relatio. Et ratio est clara, quia hæc obligatio restituendi ex solo Decreto Pontificio consurgit ex dictis, ergo Papa potest illam remittere per compositionem: & ita etiam alii Viri Docti, apud eundem *Sanch. l. c.*

PRIVILEGIUM XXVIII.

Alloquens Moniales cum ignorantia crassa excommunicationis, ac prohibitionis, excusatur à Censura nedum, verum etiam à peccato mortali.

399 Ponit hoc idem Privilegium, & sub iisdem ferè verbis, *Merolla to.* 1. *Moralium Disp. disput.* 1. *cap.* 2. *Corol.* 13. *diffic.* 1. *nu.* 586. & probatur, tum ex his quæ docui *Privileg.* 8. 9. & 10. *hujus Cap.* Tum quia hæc excommunicatio non fertur pro facto, jure naturali damnato, non enim prohibetur hic res intrinsecè mala: Cum igitur solum hic prohibitum sit, ne quis loqui præsumat, seu (quod idem est) ne scienter quis loquatur cum Monialibus, eo ipso, quod quis ignoranter loquitur, etiam crassè (ut probavi *in c.c. Privilegiis* non facit contra Præceptum, ac proindè excusatur, & à Censura, & à mortali peccato. Si verò quis scientiam haberet prohibitionis, ignorantiam verò excommunicationis, excusaretur quidem ab excommunicatione, ut constat ex his quæ docui *Privil.* 3. & 4. *hujus Cap.* & ex dictis etiam ab eodem *Merolla*, tum hic, tum superius *sub eodem cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 78. *Vers. Ex dictis*, *fol. mihi* 20. Non verò excusaretur à peccato mortali: quia tunc scienter faceret contra Prælati Præceptum. Vide *Petrum Bellochium de Casib. reserv. par.* 2. *qu.* 4. *n. n.* 523. & 524.

400 Addit autem, & optimè, idem

Merolla sub eodem c. n. 586. quod quamvis loquens cum Moniali, cum ignorantia crassa excommunicationis, ac prohibitionis non peccet mortaliter peccato ejusdem speciei, quod committeret, si scienter alloqueretur: nihilominus non omninò excusatur à peccato, repugnat enim, quod ignorantia sit vincibilis, uti est crassa ignorantia, & operatio quæ ab ea procedit, non sit culpabilis, nam si vincibilis, ergo culpabilis, consequenter operatio ex illa proveniens culpabilis erit, atq; peccatum, quod in casu hoc, in specie erit, incautæ, seu temerariæ locutionis; & reductivè contra idem Præceptum, ac virtutem, contra quæ esset, si scienter admitteretur. Non erit tamen hoc peccatum reservatum, unde quilibet Confessarius, poterit ab eo absolvere: Ita *Merolla l. c.* cujus doctrina.

401 Confirmatur ex alia simili, quam tradit idemmet, *Cap. eod. c.* 2. *Corollario* 7. *Difficult.* 1. in qua quærens. *An legentes libros hæreticorum, ignorantia crassa, excusentur non solum ab excommunicatione, verum etiam à peccato mortali*, tradit *nu.* 323. *fol. mihi* 56. sequentem responsionem, & doctrinam.: *Dicendum existimo legentes libros hæreticorum, ignorantia crassa, non excusari à peccato mortali; repugnat enim, quod ignorantia sit vincibilis, & operatio, quæ ab ea procedit, non sit culpabilis. Addo tamen hoc peccatum non esse ejusdem speciei cum eo, quod admitterent, si scienter legerent; ex quo provenit, quod non incurrant excommunicationem, latam contra scienter legentes: quia hæc pœna est annexa huic culpæ, & non illi, ut clarè patet ex verbis Bullæ. Ut autem hæc nostra assertio melius intelligatur. Sciendum est, ad rationem, & essentiam peccati, requiri necessariò aliquam scientiam, seu cognitionem: nam de intrinseca ratione peccati est, ut sit voluntarium; at verò voluntarium includit in sua essentia aliquam cognitionem, ut constat ex definitione voluntarii, Cap.* 1. *Dub.* 1. *Hæc autem scientia, seu cognitio, non eodem modo requiritur in omni specie peccati. In aliquibus enim requiritur tantum, ut conditio necessaria, ut actus sit voluntarius, & humanus; & hoc modo requiritur in peccato homicidii, ex quo fit, ut homicidium, ignorantia vincibili commissum, sit ejusdem spieciei cum eo, quod scienter fit, nam cum ignorantia vincibilis non tollat voluntarium, ut patet ex dictis Dub.* 7. *ideo manente voluntario; & substantia homicidii exterioris; erit peccatum ejusdm speciei, ac si esset scienter perpetratum. Alia vero sunt peccata, quæ requirunt aliquam cognitionem, non solum tanquam conditionem necessariam, ut actus sit humanus, ac voluntarius, verum etiam ut circumstantiam substantialiter requisitam ex parte obiecti formalis specificantis peccatum: quare, ablata hac cognitione, etiam si remaneat voluntarium sufficiens, ut actus sit humanus, & peccaminosus, non tamen illud est peccatum ejusdem speciei, ac si scienter admitteretur: quia non adest ea circumstantia cognitionis ex parte obiecti formalis necessariò requisita, ut peccatum sit talis speciei. Exempli gratia, peccatum infidelitatis, seu hæresis, quod quis committit negando aliquem articulum fidei, necessariò requirit, ut quis habeat notitiam, quod is articulus proponitur ab Ecclesia, tanquam à Deo revelatus, ac necessariò credendus: Quare si aliquis neget illum articulum, ignorando hanc propositionem Ecclesiæ, non dicetur infidelis, quantumvis ignorantia sit vincibilis., & crassa, ut probavimus dub.* 12. *quamvis non excusetur à peccato mortali, quod tamen non est infidelitatis, sed alterius speciei, ut dixi dub.* 13. *Idem est in peccato mendacii, & perjurii. Si quis enim dicit falsum ignoranter, quod tamen putat esse verum, non peccat peccato mendacii, & consequenter si adest juramentum, non dicitur propriè perjurus, quamvis ignorantia fuerit vincibilis, & crassa, ut dicemus dub.* 18. *n.* 662. *sed non excusabitur omninò à peccato mortali, quod tamen erit diverse speciei à mendacio, & perjurio. Ex quo fit non incurrere excommunicationem, latam contra perjuros, seu falsum deponentes in judicio, ut dicemus dicto dub.* 18. *Sicut, quamvis negans aliquem articulum fidei, ignorantia crassa, peccet mortaliter, non tamen incurrit Censuras, latas contra infideles, seu hæreticos, quia illud non est propriè peccatum infidelitatis, seu hæresis, ut dixi.*

402 *Quod si quæras, unde proveniat, quod in aliquibus peccatis, scientia, seu cognitio requiratur, ut circumstantia substantialiter requisita ex parte obiecti formalis, specificantis peccatum, in aliis verò non. Responderi potest id provenire ex natura præceptorum, quibus aliquid vetatur, vel præcipitur. Sunt enim aliqua præcepta, quæ eam scientiam postulant, vel explicitè vel implicitè. Exempli gratia, præceptum naturale de non mentiendo, nihil aliud vetat, nisi ut non proferamus dicta, non consona menti, & sic non dicetur quis mentiri, nisi aliquod asserat, putans non ita se habere quamvis in hoc erret. Et è contra, si quis dicit, quod à parte rei est falsum, & ipse existimat, esse verum, non dicitur mentiri, quamvis vincibiliter erret, quia jam dictum, est menti consonum. Et in præceptis positivis, exemplificari potest in Casu nostræ Bullæ, quæ prohibet, ne quis scienter legat libros hæreticorum, & ita clarè petit*

scientiam,

scientiam, tamquam circumstantiam substantialiter ex parte obiecti requisitam. Similiter praeceptum fidei eandem scientiam, saltem implicitè, postulare videtur; per illud enim nihil aliud praecipitur, nisi quod unusquisque, habita notitia, quod aliquis articulus ab Ecclesia proponitur, ut credendus, tanquam à Deo revelatus, illi assensum praebeat. Quare notitia propositionis Ecclesiae, est circumstantia substantialis, ex parte obiecti requisita. Alia verò sunt praecepta, quae non censentur ita imponi, ut hanc scientiam requirant. Ut est praeceptum naturale de non occidendo, & Ecclesiasticum, de non vescendis carnibus die Veneris, audiendi Missam diebus festis, &c. Et hinc provenit, quod peccata contra haec praecepta posterioris generis, semper sint ejusdem speciei, sive scienter, sive ignoranter admittantur: secus verò est de peccatis contra praecepta prioris generis. Quamvis Cajetanus, etiam in peccatis contra praecepta posterioris generis, id neget, saltem, quando ignorantia est facti, ut dicemus dub. 18.

403 *Sed dices, si legens libros haereticorum, ignorantia crassa, peccat mortaliter, & non peccato ejusdem speciei cum eo, quod admittitur, scienter legendo; quod nam peccatum illud erit, & cujus speciei, & contra quam virtutem? Responderi potest, esse in specie incautae, seu temerariae lectionis. Sicut dicit Cajetanus, juxta suam opinionem, de eo qui sagitta occidit hominem, ignorantia vincibili, putans esse feram; inquit enim peccare mortaliter, non peccato homicidii, sed incautae sagittationis, ut videbimus d. dub. 18. Similiter qui dicit falsum ignorantia vincibili, credens esse verum, peccat quidem, non peccato mendacii, sed incautae, ac temerariae assertionis. Quod apertè colligitur ex D. Augustino in Enchirid. ad Laurentium cap. 18. Et lib. de Mendacio cap. 3. & 4. ubi ait, eum, qui incautè dicit falsum, quod putat esse verum, non esse arguendum vitio mendacii, sed temeritatis. Et idem dici potest de eo, qui ignorantia vincibili, asserit aliquid contra fidem. Omnia autem haec peccata ignoranter admissa, dici potest, esse reductivè contra eandem virtutem: contra quam sunt scienter commissa.* Et idem tandem affirmari potest (cum eodem *Merolla*) ob eandemque penitus rationem, de eo, qui loquitur cum Moniali, cum ignorantia crassa excommunicationis, ac prohibitionis, videlicet, quod non peccet mortaliter peccato ejusdem speciei, quod admitteret scienter loquendo, sed in specie incautae, & temerariae locutionis, & reductivè contra idem Praeceptum, ac virtutem, contra quae esset, si scienter admitteretur. Vide eundem *Merollam disp. 1. cap. 2. dub. 12. fol. 34.* ubi *n. 177.* affirmat (ut probabilius) nullum errorem contra fidem ex ignorantia vincibili, etiam crassa, commissum, esse haeresim. Reduci tamen ad haeresim, affirmat cum aliis (sicque loquitur consequenter) *Dub. seq. 13.* Quod, & confirmat *Dub. seq. 18. n. 662.* Uti, & cum communi postea, & verissima sententia concurrit *n. anteced. 661. fol. mihi* 114. seutiendo peccata contra dicta Praecepta prioris generis ex ignorantia vincibili commissa, esse ejusdem speciei, cujus essent, si scienter admitterentur, sive sit ignorantia juris, sive facti, sive juris naturalis, sive positivi. Videatur. Sed

404 Quaeres primò. Si quis colloquatur cum Moniali, cum scientia prohibitionis, & ignorantia vincibili excommunicationis, ita ut excusetur ab excommunicatione, non verò à peccato mortali contra prohibitionem Praelati, remanet ne ejusmodi peccatum reservatum Ordinario, sicuti reservata est Censura, ita ut absolvi nequeat ab iis Confessariis, qui à reservatis non possunt absolvere? Respondeo, posito quod quis verè sciat id esse prohibitum, etiamsi ignoret excommunicationem annexam, ejus peccatum adhuc remanere reservatum. Ita etiam *Merolla cap. c. 2. difficult. 11. n. 642. Vers. At omninò, fol. 111.* Ratio est, quia Ordinarius sibi reservat non solum Censuram, sed etiam Casum ipsum, seu peccatum, ut clarè constat, quoniam reservat sibi casus annexam habentes Censuram, ergo utrumque sibi immediatè reservat. Quod etiam patet ex eo, quia sibi etiam reservat alios casus, nullam habentes censuram: propter connexionem igitur cum Censura, non desinunt illi casus esse immediatè reservati. Nec est eadem ratio de censuris Summo Pontifici reservatis. Nam Summus Pontifex immediatè sibi reservat censuras, & quasi mediatè casus, propter connexionem videlicet cum censuris, idcircò si quis à Censura, ob ignorantiam excusetur, casus, seu peccatum non remanet reservatum. Ita etiam *Merolla n. c. Vers. c.* cum quo *n. seq. 643.* (ne hic erret quis, ex doctrina *Suar. de Poen. disp. 19. sec. 2. n. 8. & Sanch. in Summ. lib. 2. cap. 8. n. 5.*) adverto, in Censuris Summo Pontifici reservatis, tam Censuras per se, & immediatè reservari, quam culpas, & peccata, non verò haec solum mediatè, & per accidens; illas verò per se, & immediatè, eo quia nimirum à peccato nullus absolvi potest, quin prius à Censura absolvatur, ac proindè reservata per se, & immediatè censeatur Censura, mediatè verò, & per accidens

peccatum, ut insinuare videntur *Durand. in 4. dist. 17. q. 15. n. 13. & Cajet. in Summula Verb. Casuum reservatio*. Sed utrunque per se reservatur, ut probant *Suar. & Sanch. ll. cc.* Verum, quia id peccatum reservatur propter connexionem cum censura, dependenterque ab illa, ob hanc rationem dicitur supra, & dici potest, reservari per se primariò Censuram, secundariò verò peccatum: & ideo etiam dictum est supra, Pontificem reservare sibi immediatè Censuras, idest per se primariò, & quasi mediatè peccatum, idest, per se secundariò. Hinc est (ut optimè ait *Suar. dicta sec. 2. n. 11. & cum ipso Sanc. n.c. in fine*, & cum utroque *Merolla n. c.* 643.) quod, sicut à principio, & velut in fieri connexa sunt censura, & peccatum, ut peccatum sine censura minimè reservetur, sed dependenter ab illa; ita etiam in conservari, sive in duratione sua, eandem connexionem, & dependentiam habent, ita ut ablata censura ab habente potestatem, cēseatur reservatio culpæ sublata, & concessa potestate ad absolvendum à tali censura, censeatur concessa facultas ad absolvendum à tali peccato: quare si hæreticus ratione ignorantiæ censuræ excommunicationis, eam non incurreret, peccatum ejus posset à quovis Confessario absolvi, quia non est reservatum. Hinc est, quod si Papa, vel ejus Pœnitentiarius absolvit à censura excommunicationis reservata, quilibet Confessarius deindè in conscientiæ foro absolvere poterit à peccato, cui talis censura erat annexa, *Tolet. lib. 3. cap. 14. n. 2. Vers. Sequitur secundo. Navarr. in Man. cap. 27. n. 261. Vers. 9. Dico. Henriq. lib. 6. cap. 14. n. 1. Laym. lib. 3. tract. 6. cap. 12. n. 2. Coninch. de Sacrament. disp. 8. dub. 11. n. 82. Fagund. in 2. Ecclesiæ Præcept. lib. 8. cap. 1. n. 5.* & alii. Similiter si quis delictum patravit in Bulla Cœnæ contentum, sed ob ignorantiam à censura tali delicto annexa excusatus sit, ab inferiore absolvi potest, ut notant *Henriq. n. c. in fin. Coninch. n. c.* & alii. Ex dictis autem

405 Deduc peccatum collocutionis cum Monialibus, non posse absolvi à quolibet Confessario, immò neque ab iis, qui habent facultatem absolvendi à casibus reservatis, non habentibus annexam excommunicationem: quia casus noster de quo hic, verè ex numero est illorum, qui habent annexam excommunicationem, & per accidens est, quod excommunicatio non sit contracta. Et si quis etiam potestatem haberet simpliciter ab Ordinario absolvendi à suis reservatis casibus, valdè probabile est, idem pariter affirmandum esse: quoniam facultas simpliciter data absolvendi à casibus reservatis, non extenditur ad casus habentes annexam censuram, quia hi sunt casus qualificati, idcircò nisi specialiter concedantur, non possunt absolvi vigore ejus facultatis, ut docent communiter D. D. cum quibus etiam *Meroll. sub n.* 644. Ubi tamen, oppositum probabilius existimat in hoc casu: Quia hæc facultas (inquit) ita generaliter concessa, videtur favorabilior priori, & ideò interpretanda est, ut solum non extendatur ad casus, habentes annexam censuram, ut sic, videlicet, quatenus actu eam habent annexam; & hoc colligi potest, ex modo loquendi, quem Doctores usurpant; dicunt enim, facultatem concessam ad absolvendum à reservatis casibus, non extendi ad censuras reservatas. Sic loquitur *Cathechis. Neapolit. lib. 6. de Casib. reservat. cap. 2. n. 2.* Et huic eidem sententiæ absolutè adhæret *Ioseph Januarius de Casib. reservat. resol.* 42. ubi sustinet, quod, qui locutus est cum Monialibus ignorans excommunicationem, sciens tamen prohibitionem de non loquendo, & talem casum reservatum esse, absolvi possit ab habente potestatem absolvendi à reservatis sine censura. Ratio ejus est, quia talis incidit tantum in casum reservatum, non in censuram, à qua excusatur ob ignorantiam: Ergo delictum hoc remanet reservatum sine censura, at circa casus reservatos sine censura talis confessarius habet potestatem, ut supponitur, ergo potest talis confessarius illum absolvere in hunc casum reservatum incursum.

406 Nec dicas, quod iste casus verè est ex illorum numero, qui habent annexam excommunicationem, & per accidens sit, quod non sit contracta. Quia contra est (inquit *Januar. resol. c. n.* 3. Ex eo enim, quod iste casus est ex numero illorum, qui habent annexam excommunicationem, per hoc habet duplicem considerationem, & secundum quod peccatum reservatum est, & secundum quod censuratum est. Et reservatio cadit æquè principaliter supra censuram, ac super reservationem. Ita sentiunt *Suar. de Pœnit. disp. 29. sec. 2. n. 7. Vasq. to. 4. in 2. par. q. 91. art. 3. dub. 1. n. 15.* & in Papalibus fatetur ipsemet *Meroll. l. c. n. 643. ex Sanch. lib. 2. Summ. cap. 8. n. 5.* Ergo si talis non incidit in excommunicationem, non incidit per se, & non per accidens.

407 Confirmat primò *Jannuar. n. 4.* Quia absolutio tribuenda est pœnitenti à casibus, prout

pro ut sunt à tali pœnitente commissi; non verò pro ut sunt in Tabella expressi. Ideò ignorantes reservationem, committentes reservata extra Diœcesim, sunt à confessario inferiori absolvendi, quia pro ut sunt à tali pœnitente reservata non sunt (ut diximus supra) sed pro ut est noster à tali operante est sine censura: ergo potest absolvi à tali inferiori, non obstante, quod aliter sit expressum in Tabella.

408 Confirmat secundò à fortiori ex doctrina *Fagund. 2. Ecclesiæ præcept. libr. 8. cap. 1. n. 5.* Data licentia, & facultate ad absolvendum à peccatis, quibus annexa est Censura, consequenter dari ad absolvendum à Censura. Et data ad absolvendum à Censura, jam peccatum non remanet reservatum, & consequenter ab illo quemlibet Sacerdotem Confessarium potest absolvere. Hæc ibi. Sed non incurrere in Censuram ex ignorantia, minus est quam incurrere, & postea habere facultatem ab ea absolvendi; Ergo si potest ille absolvi à quolibet Sacerdote inferiori, si facultatem obtinuit absolvendi à Censuris, à fortiori poterit absolvere eum, qui non incidit in Censuram, qui facultatem habet absolvendi ab omnibus reservatis non Censuratis.

409 Quæres secundò: An accedentes ad Monialium Monasteria, quandoque excusentur quandoque à reservatione, & ab excommunicatione ei adnexa? Supponit hoc quæsitum, prohibitum esse accessum ad dicta Monialium Monasteria in ordine ad loquendum, & tractandum cum Monialibus, ut constat; non autem accessum materialem, vel in alios fines à dicta collocutione alienos, ut accessum ver. gr. ad ædes videndas, vel ad picturas ibi expositas inspiciendas, &c. hic enim accessus non comprehenditur sub reservatione, sed solum si fiat ad colloquendum cum Monialibus, nec etiam eorum accessus comprehenditur, qui animo quidem deliberato accedunt ad Monasteria cum intentione alloquendi cum aliqua Moniali, absque ulla licentia, minimè tamen loquuntur, vel quia pœnituerunt, vel quia dubitaverunt ne ab aliquo viderentur, vel ex quacumque alia causa, etenim ad hunc casum incurrendum requiritur accessus ad Monasterium, & allocutio cum Moniali, hujusmodi enim accessus intelligendus secuto effectu locutionis, *Bordon. ref. 7. n. 79. Vers. Quinto ad eas, & Leza. in Summa qq. Regular. to. 3. Verb. Casus reservati Regularium nu. 12.* cum ergo hi non loquantur, hanc incurrisse excommunicationem non sunt censendi. Esset casus reservatus ubi reservatur: *Accessus tantum ad Monasteria Monialium. Bellochius de Casib. reserv. par. 2. qu. 4. nu. 519. Vers. Non incidunt, fol. mihi* 258. Quo supposito. Ad quæsitum.

410 Respondeo affirmativè. Probatur tum quia ignorantia ipsa, in hoc casu etiam, est vera excusationis causa, juxta doctrinam *Salmanticensium to. 4. Cursus Moralis tract. 18. tit. de Privilegiis cap. 3. punct. 6. §. 2. n. 13. pag. mihi* 310. dum ibi asserunt: *Ab omni reservatione Casus, & Censuræ ignorantiam saltem culpabilem excusare.* Tum quia *per eosdem l. c.* quælibet reservatio est pœna Medicinalis, pœna autem Medicinalis ab ignorantibus illam minimè incurritur. Tum etiam, quia sicut in aliis præceptis communiter dantur causæ excusantes à transgressione, ita pariter in hoc casu excusantur quandoque à reservatione, & ab excommunicatione loquentes cum Monialibus, ut ex sequentibus constabit. Et primò. Ex *Peyr. de Privilegiis tom. 2. Constit. 6. Pii V. qu. 14. sub n. 36. Vers. Resp. Casum. Bord. ref. 7. n. 82. Vers. Hinc colligitur. Pellizz. de Monialib. cap. 10. sect. 3. subsect. 2. n. 277. Lezza. in Summa to. 4. Verbo Moniales n. 20. in fine. Tambur. de Jure Abbatiss. qu. 5. n. 2. in fin. Quarto de Casibus reserv. sect. 1. cap. pr. Quar. casu reser. difficult. 1. Vers. Resp. ad quæsitum. Diana pluribus in locis apud hic citatos, & sequentes. Thom. Del Bene de Immunit. Eccles. par. 2. cap. 14. dub. 5. sect. 3. num. 3. Verricelli qq. Moralium, & Legalium tract. 8. Miscell. qu. 66. nu. 28 Vers. Neque incurreret, fol.* 487. & ex aliis: Causa excusans videtur esse, utilitas spiritualis Monialium, ut si quis Monialem alloquatur ex zelo Dei, & in ordine ad profectum spiritualem illius, disserens de rebus piis, & spiritualibus, dando salutaria consilia; proponendo bona status Religiosi; ad pacandam ejus conscientiam, ad auferendos ejus scrupulos, solvendo, aut declarando dubium, & casum ad conscientiam spectantem. Item si alloquatur Moniales, ob componendam gravem aliquam seditionem inter ipsas exortam: ad consolandam aliquam eorum gravissima tristitia affectam, ad consulendum in re gravi concernenti bonum Monasterii; & ad alios similes effectus. Et ratio est, tum quia non præsumitur Prælatus, velle hoc bonum impedire *Quarti l. c.* tum quia hujusmodi alloquutio (inquit *Peyrin. l. c.*) speciem habet sermonis, & exhortationis: Tum etiam quia præfati casus per Epikejam censentur excepti, nam finis prohibitionis, non fuit iste, sed potius oppositus

Del

Del Bene l. c. cum aliis citatis.

411 Confirmatur eademmet excusatio ex doctrina *cit. P. Quarti* à pari de excommunicato non tolerato, cum quo prohibita est communicatio, etiam in humanis; & tamen in utilitatem spiritualem ejusdem excommunicati licitum est fidelibus loqui, & tractare cum eo, ut communiter docent DD. ex illo vulgari versiculo; *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*: Ergo pariter dicendum videtur in casu nostro de locutione prohibita cum Monialibus. Hinc, qui Concionem habet ad Moniales; vel privatim eas hortatur ad observantiam suarum Regularum: quive ad sedandam conscientiam explicet veram doctrinam, ut Monialem liberet à scrupulis, ut supra, & in similibus casibus, non incurrit in reservationem: ita *d. P. Quarti*. Addit tamen cum *Diana*, tales colloquentes cum Monialibus excusari à peccato in foro conscientiæ, sed posse puniri ab Episcopo in foro externo: ne quis sub prætextu utilitatis spiritualis audeat violare Constitutiones Episcopales. Quia tamen ad authorizandam responsionem hanc, & doctrinam præfatorum DD. afferunt ipsi (ut videre est apud eosdem *ll. cc.*) eundem *Dianam*, quasi absolutè ponentem (pluribus in locis suarum resolutionum) doctrinam eandem, & sententiam, & ita verè non est (ut legentibus patebit) refero hic ejusdemmet verba, quæ habet *to. 7. Coord. tract. 1. res. 318. n. 3. Ex par. 9. tract. 7. & Miscell. 2. res. 55. aliàs 54.* Suntque sequentia: *Ego (ut legentibus patet) in 3. par. tract. 2. res. 104. tantum refero sententiam Peyrini; meam autem non promo. Verum, licet speculativè loquendo, ejus sententia, & supradictorum Authorum, tanquam probabilis admitti possit; tamen puto, non esse in praxi deducendam, nam Pontifex, & Sacra Congregatio absolutè prohibet accedere ad Monasteria Monialium ad colloquendum, & tractandum cum eis, nec distinguit inter colloquutionem, & tractatum causa urbanitatis, vel pietatis, & ubi lex absolutè loquitur, absolutè est intelligenda; & ubi non distinguit, nec nos distinguere debemus. Et si aliter diceremus, elusoria remaneret prohibitio Sacræ Congregationis; nam impunè possent Regulares semper colloqui cum Monialibus, asserendo, se colloquutos fuisse cum eis causa pietatis, & declarando eis quendam casum conscientiæ. Unde quicquid sit de peccato, quo ad forum internum, stante authoritate Doctorum Virorum, Lezzanæ, Pellizzarii, & Bordoni, ubi supra, saltem in foro externo possent Episcopi dictos Regulares punire, tanquam Sedis Apostolicæ delegati; unde se abstineant ab his colloquutionibus.* Hæc *P. Diana l. c.* cui adde *P. Pasqu. in Francum par. 1. n. 1117. & 1118.* dicens: *Alloquentes cum Monialibus peccare mortaliter, nisi excuset parvitas materiæ, ut essent verba salutationis, aut aliqua pauca verba urbanitatis causa. Et hoc habere locum, etiam si loquutio esset de rebus indifferentibus, imò etiam de rebus bonis, & concernentibus utilitatem licet spiritualem. Quia finis probibitionis est tollere commercium præsentiale propter pericula, quæ inde oriri possunt, hoc autem commercium exercetur in quacunque colloquutione, de quacunque materia sit; & proindè militat semper eadem ratio finalis.* Et hæc sententia tenenda est, uti magis cohærens, atque conformis posteriori Decreto *Sacræ Congregationis*, de quo in calce sequentis causæ secundæ excusantis, &c.

412 Secunda causa excusans à peccato mortali, & consequenter à pœna excommunicationis est parvitas materiæ, seu collocutio ad breve tempus, ex urbanitate, aut alia ex causa; Siquidem ex communi Regula inter Morales Doctores, notum est, peccatum aliàs mortale ex genere suo, ratione parvitatis materiæ transire in veniale; & in casu nostro collocutionis cum Moniali, praxis ipsa virorum timoratorum id observat, & docent hoc expressè *Grassius Decis. Aurearum part. 1. lib. 4. cap. 8. n. 5. Peyrin. l. c. Bonac. to. 1. tit. de Clausf. qu. 3. punc. 5. n. 1. Bordon. res. 7. n. 70. in fine. P. Diana to. 5. Coord. tract. 1. res. 84. n. 6. §. Nota sexto. Ex par. 3. tract. 2. res. 48. Et eodem tract. 1. res. 124. Ex part. 3. tract. 5. & Miscell. 1. res. 69. Verricelli qu. c. 66. n. 31. Del Bene sec. c. 3. n. 1. Tambur. n. c. 2. Bellochius l. c. n. 521. Quarti l. c. Vers. Secunda causa*, & alii. Quænam autem in hoc casu censenda sit parva materia, seu brevis collocutio cum Monialibus? *Grassius n. c. 5. fol. mihi 441.* sic ait: *Si excommunicantur colloquentes cum Monialibus, non comprehenditur qui transeundo Monialem salutaret, vel parum cum ea loqueretur.* Idem docet *Finellius de Casibus reser. cap. 5. n. 10.* apud *P. Dianam res. cit. 124. n. 1.* ubi sic asserit: *Si paucis alloquaris Monialem, vel transiens illam salutes, aut salutatus respondeas, sive de statu ejus ipsam interroges, sive interrogatus respondeas, non incidis in excommunicationem propterea.* At difficultas est, quod tempus dicatur breve, ut cum Monialialibus colloquentes, non incidant in excommunicationem. Aliqui tenent esse quadrantem horæ, inter quos sunt *P. Quarti l. c. Vers. Cæterum cum:* ubi ait: *Dicendum videtur, quadrantem horæ esse breve spatium,*

spatium, & *P. Verricelli n.* 31. *c.* Ubi: *Neque incurrit pœnas, si ex urbanitate, aut alia ex causa loquatur per quadrantem horæ, quia ista censetur parva materia, & ita observat praxis virorum timoratorum.* Quod tamen, *mihi non placet (ait Diana n.* 1. *c. in fine.)* Quod confirmat *ref.* 84. *cit.* §. & *n.* 6. *cit. Nota sexto:* Dum *primo loco* ait; *Mihi non placet, sed si quis per spatium unius Miserere, cum illis loqueretur, puto ratione parvitatis materiæ in dictam excommunicationem non incidere.* Secundo verò loco, item ait: *Ut alibi diximus, collocutio de rebus indifferentibus cum Moniali per spatium unius Miserere, & aliquod amplius, ratione parvitatis materię, non sufficit ad incurrendam excommunicationem, licet aliqui asserant, sufficere decem verba, imò duo, vel tria tantum, si collocutio esset de rebus obscęnis.* Cum tamen idem *Psalmus Miserere*, recitari possit majori, vel minori pausa (inquit *P. Quarti Vers. cit.*) hæc regula non videtur omninò firma. *Januar. resol.* 34. *n.* 37. in hac re tam ambigua, non audet (inquit ipse) suam proferre sententiam. Dicit solum, à nemine dubitari, in collocutione cum Monialibus, maximè de rebus honestis, dari parvitatem materiæ: *Et in qualibet opinione verba debere esse modica, & compendiosa, ita quod occupent breve tempus.* Qua propter melius quænam sit parvitas materiæ, relinquitur, attentis omnibus circumstantiis, judicio prudentis viri. *Del Bene nu.* 1. *c.* Supposito tamen cum *Diana dicto Vers. Nota sexto*, & aliis, quod collocutio non sit de rebus obscœnis, talis enim, quamvis brevis non excusatur à mortali, si fieret maximè ob finem mortaliter peccaminosum, vel cum periculo scandali, & gravis peccati, quod communiter timeri potest. Addit etiam ibi idem *Diana*, quod aliquando potest esse longa collocutio, & de rebus obscœnis, nec tamen hec sufficiens sit ad incurrendam excommunicationem, ut si Dominus ex. gr. qui solitus minas exequi, comminaretur aliquod grave malum servo, aut ancillæ, nisi accedat ad colloquendum cum Moniali de rebus turpibus; quia lex Ecclesiastica non obligat tanto cum rigore, ideò in tali casu servus, vel ancilla, licet peccent, non tamen in hanc excommunicationem incurrunt. Non desinam tamen hic Lectorem meum advertere, recitatam doctrinam de parvitate materiæ, rejectam postea fuisse (ut notat etiam *Petrus Maria Passerinus in Cap. Unicum Periculoso, de Statu Regularium, sub n.* 164. *fol. mihi* 316.) *à Sacra Congregatione Concilii*, speciali suo Decreto sub *Clem. IX.* Summo Pontifice (quod refert etiam idem *Passerinus l. c.* per extensum) sequentis tenoris.

413 *Die* 11. *Maii* 1669. *Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Habita notitia, quod nonnulli Regulares, absq; licentia, Crates Monasteriorum Monialium adire, & frequentare non dubitent, prætendentes non esse interdictum per breve tempus, etiam usque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod Horologio arenario, aliquando metiuntur, Moniales, aliasque personas intra Clausuram existentes, alloqui, & hanc opinionem tanquam tutam affirmant, disseminant, & forsan etiam evulgant, proprias graviter illaqueantes conscientias, scandala confoventes; ad hujusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans, reiiciens, ac damnans, declaravit. Regulares cujuscumque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, & Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad Monasteria Monialium, quamvis ab Ordinarii jurisdictione quomodolibet exempta, & etiam ipsis Regularibus subiecta, vel alias speciali mentione digna, absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium, cum Monialibus, aut aliis intra Clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosq; sub excommunicationis, privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque contra Regulares, accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium, statutis pœnis, posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, coerceri.*

Et die 7. *Junii ejusdem Anni, facta relatione Sanctiss. Domino Nostro, Sanctitas Sua præsentem declarationem approbavit, ac Typis dari jussit.* Ex quo Decreto clarè patet, quod nedum prohibita est in ipso alloquutio cum Monialibus, verum etiam cum aliis quibuscumque fœminis intra Clausuram degentibus.

414 Tertia causa excusans, est metus cadens in constantem virum, & in casu posito de Domino, qui solitus est minas exequi, si minetur videlicet servo grave damnum, nisi deferat ad Monialem literas, vel nuncium de rebus obscœnis, idem servus non incurrit in reservationem, aut in excommunicationem, si Domino obtemperet, quamvis non excusetur à peccato mortali contra jus naturale: Leges enim Ecclesiasticæ non obligant cum tanto rigore, *Diana* §. & *n.* 6. *c. Bellochius qu.* 4. *c. n.* 528. *Bonac. de Clausi. qu.* 3. *punct.* 1. *n.* 2. *Vers. Quartò illum. Del Bene sect. c.* 3. *n.* 14. *Quarti l. c. Vers. Quarta causa*; & communiter à

Et

Et confirmari potest hæc eadem causa tertia excusans: Quia licet jus naturale obliget cum magno rigore, cum eodem tamen rigore non obligat jus positivum (ut communiter docent) hinc regula generalis est (etiam in ordine ad peccatum, inquit idem *Del Bene n.c.* & optimè) quod in iis, quæ juris positivi sunt, si absque contemptu, ac refutatione finis, ex metu gravi urgente, vel ex apparente ibi excusatione transgressio fiat ab eo, qui animum habet nullo modo consentiendi contra Præceptum obligans ad mortale, non incurratur mortale peccatum, quia non est intentio piæ, & justæ Matris Ecclesiæ bonas hujusmodi animas tam hostili vinculo illaqueare: & propterea talis apud Deum, neque censuras incurret, ita *Del Bene* (concludens) *quamvis fortasse absolvendus sit ad cautelam*. Et nota hic obiter cum *Bonac. Vers. c.* Non dici accedere, qui famulum, vel ancillam, aut alium ad Monasterium transmittit, aliud enim est personaliter ire, aliud alium mittere; famulus verò, aut alius, qui mittitur, dicitur accedere, & pœnis accedentium afficitur, nisi justa de causa excusetur, ut hic, &c.

415 Quarta causa excusans est Puerilis ætas. Unde Pueri, & Puellæ, si ante annum decimum quartum completum alloquantur Moniales, sine licentia non incidunt in pœnas, nec comprehenduntur sub reservatione, contra *Graff. to. 1. Consilior. Consil. 22. de sentent. Excommunicat. n. 9.* dummodo (ait) sint doli capaces: Nam sicut (inquit) possunt hi mortaliter peccare, ita etiam possunt puniri Censura, quæ fertur in peccati pœnam. Confirmat, quia Ecclesia suis censuris ligat Pueros doli capaces in *Cap. 1. & ult. de sentent. Excommunic.* Et illos non excusat à pœna, quamvis eam alleviet, nam ibi Impuberes pro injectione manuum in Clericum sunt excommunicati, non tamen tenentur pro absolutione ire ad Sedem Apostolicam, quia eos ætas excusat, sed ab Episcopo absolvi possunt, ut in *Textu ipso*. Quo tamen non obstante, cum *Bonac. to. 1. tit. de Cens. in comm. qu. p. punct. 4. n. 9. Diana resol. 48. Coord. c. n. 5. Vers. Nota 5. Tambur. de Jure Abbatiss. disp. 25. q. 8. ad octavum. Pellizz. de Monial. c. 5. sec. 5. q. 21. n. 221. Quarti l. c. Vers. Tertia causa. Donato in Praxi to. 4. tit. de Accessu ad Moniales tract. 6. qu. 24. nu. 2.* & aliis. Probatur, & hujusmodi quarta excusans causa, quia quamvis validè excommunicari possint dicti Impuberes doli capaces (ut etiam optimè docet *Bonac. n. c. 9.* cum aliis ibidem relatis) nullum, enim jus extat, quod invalidam reddat Censuram latam contra Impuberes: imò constat Impuberem ligari interdicto, quando populus interdicitur, cum ipse etiam servare interdictum teneatur. Nihilominus verum etiam est, quod cum eodem *Bonac.* dicunt præfati DD. non posse videlicet licitè Impuberes excommunicari, excommunicatione lata ab homine, *argumento cap. 1. & 2. de delictis Puerorum, & Glos. ibid. Verb. Casus:* ubi in fine: *Ratione ætatis mitius agitur*: Et præcipuè in casu nostro, tum quia respectu eorum, qui ad annos pubertatis nondum pervenere, cessat causa finalis prohibitionis, & consequenter dispositio legis, secundum id quod communiter, conceditur, quod *cessante fine, seu causa finali legis, cessat legis dispositio*. Nam causa finalis hujus prohibitionis, & edicti Episcopalis est utique ut vitetur occasio luxuriandi, & lasciviendi, quod non potest habere locum in Impuberibus, ut satis expressè colligitur ex *Cap. Pueris 1. c. de delictis Puerorum:* ubi. *Quod meritò crederemus, si nulla essent peccata, nisi quæ membris genitalibus admittuntur*, & *Glossa* ibi: *Verbo Casus in fine*: ait: *Omne delictum cadit in Puerum præter delictum carnis*. Tum etiam quia, Ecclesia cogere quemquam non solet suis Censuris, ante annos pubertatis, compatiens fragilitati illius ætatis, ut probat *Cap. Referente 2.* item *citatum eodem tit. de delictis Puer.* in quo sic: *Quoniam in Pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris ætatis humanæ leges dicunt severius corrigendum*. Videatur *Glossa, Verbo Inultum*. Et adde, quod Impuberes, quia non sunt ita doli capaces, ut viri, idcircò etiam per leges Civiles, non adeò graviter puniuntur illorum delicta, pro ut puniuntur delicta aliorum maturioris ætatis, & judicii. Adde tamen hic cum *Del Bene sect. 3. c. n. 10. & Verricelli qu. cit. 66. n. 33.* quod quamvis Pueri, aut Puellæ peccent mortaliter obscena loquentes cum Monialibus ante ætatem expletam, neque in hoc casu incurrunt excommunicationem, &c. tum ob rationes allatas, tum etiam ob usus rationis non satis completam perfectionem. An verò, Puer dubitans an compleverit ætatem, post factam diligentiam, possit tuta conscientia loqui, tenet affirmativè *Diana to. 5. Coord. tract. 1. res. 87. n. 8. Vers. Nota quinto, prope finem. Ex par. 10. tract. 14. res. 51. alias 49. Quia possessio non stat pro statuto, sed pro ætate*, subscribit *Dianæ P. Quarti l. c. Versu Tertia causa, in fine, & Merolla to. 1. cap. 2. difficult. 6.*

difficult. 6. *nu.* 610. *fol. mihi* 105. Expresse etiam docent (approbante *P. Verricelli qu. cit.* 66. *nu.* 33.) Pueros, & Puellas, in dubio, an ætatem expleverint colloquendo cum Monialibus, neque peccare, neque excommunicationem contrahere. Quia in dubio melior est conditio possidentis, possessio autem stat pro libertate Pueri. *Sicut is, qui facta sufficienti diligentia, dubius adhuc est, an expleverit vigesimum primum annum, non tenetur jejunare, ut dicemus disp. 3. cap. 3. dub. 2. Corrol.* 9. ita *Merolla*.

416 Quinta causa excusans est dignitas Monialis cum qua fit loquutio, hinc non ligatur reservatione, nec excommunicatione loquens cum Abbatissa, vel simili Superiora, absq; Ordinarii licentia. *Tamburin. de Jure Abbatiss. disp.* 25. *qu.* 8. *Vers. Ad quintum. Diana lo. cit. Vers. Nota Secundò. Lezza in Summ. to.* 4. *Verb. Moniales n.* 22. *Pellizz. de Monialib. cap.* 5. *sec.* 5. *qu.* 8. *nu.* 208. *Januar. ref.* 44. *per totam P. Pasqual. in Francum par.* 1. *Tit. de Accessu ad Monasteria Monialium qu.* 2. *in Additione, n.* 122. *P. Quarti l. c. Vers. Quinta causa. Del Bene sec.* 3. *c. n.* 7. *Bordon. ref.* 7. *n.* 70. *Vers. Loqui est. Verricelli qu. c. n.* 25. aliique. Et ratio horum omnium communis, ac fundamentalis est: quia sicuti nomine Monachorum in odiosis non venit Abbas, ut notant *Glossa, & DD. in cap. fin. de Simonia*: ita nomine Monialium non venit (item in odiosis) Abbatissa: bene in favorabilibus: Racionem hujus habes apud *Lezza. in Sum. to.* 3. *Verbo Abbas n.* 6. Quia videlicet Monachus per assumptionem ad Abbatiam non desinit esse Monachus, sicuti Rector, per rectoratum Scholarium, non desinit esse Scholaris: Igitur in favorabilibus comprehenditur appellatione Monachi. Item, quia Monachus per assumptionem ad Abbatiam habet qualitatem Superioris, & Prælati super alios Monachos: in odiosis consequenter non comprehenditur appellatione Monachi. Et eadem videtur ratio de Abbatissa omninò: licet enim ipsa sit etiam Monialis, quia tamen habet qualitatem Superioris super alias Moniales, ideò appellatione Monialis non debet venire. Quod confirmari potest ex eo, quod etiam quando *Constitutiones* volunt nomine Monialium, Abbatissas includere, vel nomine Abbatissarum comprehendere Moniales, se explicant, ut in *Cap. Quoniam de Simonia*: ibi, *Sive sit Subdita, sive Prælata*; Sed in casu nostro statutum, seu ædictum, vel reservatio non se explicat: Signum ergo, quod non vult Abbatissas comprehendere. Vide *Naldum verbo Abbas nu.* 1. ubi optimè advertit hanc doctrinam esse utilem ad questionem in praxi frequentem, an videlicet excommunicatio, lata in Monachos aliquid facientes, afficiat etiam Abbatem contravenientem. Favet pariter, id quod notant idem *Naldus l. c. Januar. ref. cit. n.* 3. & alii: Nec appellatione scilicet Ecclesiæ Parochialis venire in odiosis Parochialem Ecclesiam Collegiatam, quia licet hæc sit Parochialis, habet tamen Superiorem Collegii qualitatem: à pari ergo, licet Abbatissa sit Monialis, quia Superioritatis qualitatem habet super Moniales, nomine Monialis haud venire debet. Adde tandem cum *Juanuar. ref. c. nu.* 5. *in fine, & P. Pasqualigo n. c.* 1122. *in fine*. Quod cum Abbatissa sit vna, & senior, prudentior, & sanctior, ut colligitur ex *Concil. Cabilonensi* 2. *& Can. Juvenculas* 20. *qu.* 1. *& ex Trident. sess.* 25. *cap.* 7. *de Regularibus, & Monialib.* cessant quo ad ipsam probatæ vitæ, illa pericula, propter quæ facta est prohibitio. Si dicas ex *Grassio de Casib. reserv. lib.* 1. *cap.* 5. *nu.* 8. *& lib.* 2. *cap.* 5. *nu.* 37. *Merolla t. p. disp.* 1. *cap.* 2. *diffic.* 4. *n.* 604. *Defendente Quadrio de Casib. reservat. disp.* 3. *casu* 13. *conclus.* 8. *Megala par.* 1. *Promptuarii. Verb. Corruptio, nu.* 14. *Paulo Squillante de Obligationibus, & Privilegiis Episcopor. par.* 1. *cap.* 13. *n.* 58. *fol. mihi* 139. & aliis, sententibus sub hac prohibitione comprehendi etiam Abbatissas, & omnes alias quovis nomine appellentur Moniales Superiorissas; sic hujusmodi prohibitio cum sit utique lata principaliter in favorem animarum, & Monasterii, censetur favorabilis, ergo extenditur ad Abbatissas, &c. Quia hæ in favorabilibus veniunt (etiam per nos) nomine Monialium. Si verò odiosa est talis prohibitio, odiosa non est respectu Monialium, sed tantum quo ad eos, quibus fit prohibitio, hoc est respectu solum loquentium cum illis: nam hos tantum excommunicat, non autem Moniales: ergo nulla est ratio cur nomen Monialis restringi debeat, ut sub eo non comprehendatur Abbatissa: non enim per Abbatissatum desinit esse Monialis. Respondeo negando utramque consequentiam. Ad primum assumptum, dico, quod si hujusmodi prohibitio (& lex) ex eo, quod respicit favorem animarum esset favorabilis, omnis lex vetans peccatum, seu obligans in conscientia (inquit etiam *P. Pasqual. n. c.*) esset favorabilis. Non enim omne id, quod est ob bonum animæ est ampliandum. Nam etiam pœnitentia à Confessario imposita est ob bonum animæ, nihilominus

minus, quia pœnalis est, strictè est interpretanda. Item Votum est etiam de meliori bono animæ, attamen non est amplè interpretandum. Hinc qui vovit, vel pœnitentiam habuit à Confessariò, ut det frumentum per eleemosynam, non tenetur dare de meliori, secundum omnes, & ita etiam *Januar. nu. 5. c. prope finem.* Cum quo concludo, statuere ne quis simpliciter loquatur, maxima pœna est, & si ob bonum animæ ipsius, & idcircò cum tantum explicet Moniales, ad has solum restringendum est, nec ad Abbatissas extendendum. Ex quo patet responsio ad assumptum alterum; Si enim prohibitio est odiosa, & pœnalis respectu loquentium tantum cum Monialibus, ergo (arguit etiam *Januar. n. 6.*) respectu horum restringenda est, ut uidelicet non loquantur cum Monialibus tantum: & cum favor proveniat ab hac eadem prohibitione tantum, nec sit alius, nisi prohibitio ipsa, quæ pœna est, simpliciter restringenda est. Addo cum *P. Pasqualig. n. c.* Quod cum loquens sit correlativum audientis, & prohibita loqutione veniat in consequentiam privatio audiendi, dum lex, & prohibitio est odiosa, & pœnalis respectu loquentis, est etiam talis respectu audientis. Ad id autem, quod Abbatissa sit etiam Monialis, nec desierit per Abbatissatum esse talis; Jam supra responsum est, quod quidem sit adhuc Monialis, sed qualificata, altiorisq; ordinis: Unde non desinit utique esse Monialis sed incipit esse Monialis qualificata, quæ qualitas supponit in ipsa virtutes nonnullas, quæ non supponuntur in cæteris Monialibus; idcircò ad Abbatissas, quæ Moniales qualificatæ sunt, prohibitio extendi non debet, ut dictum est de Ecclesia Parochiali Collegiata.

417 Quæres tertiò: An Episcopi, aliique Prælati dum extra suam Diœcesim reperiuntur, possint licitè accedere ad Moniales, illasque indifferenter alloqui sine licentia Ordinarii, absque peccati scrupulo? Supposita *Constitutione Bonifacii VIII.* relata in *Cap. Periculoso Unico, de Statu Regularium in* 6. innovata per *Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. de Regularib. & Monialib.* per *Pium V. in sua Constit. incip. circa Pastoralis Officii sub Dat. IV. Kal. Junii* 1566. (quam refert *Peyrinus tom. 2. Privileg. Constitut. 6. Pii V.*) & *Gregor. XIII. in Constitut. sua incip. Deo Sacris. Sub Dat. 3. Kal. Januarii* 1572. (quam refert *Quaranta in Summa Bullarii. Verbo Monasteria Monialium, fol. mihi* 443.) hoc inquam supposito, certum est, non posse licitè accedere, nec loqui, &c. aliter si indebitè accedant, hoc est absque expressa, vel tacita licentia Ordinarii, incidunt in pœnas latas *Concil. Trident. loco cit.* utpotè comprehensos in *d. Cap. Periculoso, & Constitutione c. Bonifacii VIII.* quæ loquitur de omnibus accedentibus, & universalis est; unde afficit etiam Episcopos, & Eminentissim. Cardinales, ubique gentium existentes, ut probat *Donatus in Praxi to. 4. tract. 5. qu. 21. & 24. & tract. 6. qu. 23. n. 1.* in quo etiam ipse sic, & optimè: *Benè verum est, quod hi Episcopi, loquendo cum Monialiabus sine licentia, ex tacita, seu præsumpta licentia Ordinarii scientis, & non contradicentis, possunt à peccato excusari.* Quo supposito. Videtur posse tantum procedere quæsitum propositum: An Episcopi, aliique Prælati extra propriam Diœcesim existentes, & colloquentes cum Monialibus sine licentia Ordinarii cui subsunt, incidant in pœnas latas in ejus statuto, & edicto?

418 Negativè respondere videntur *Graff. de Casib. reser. lib. 2. cap. 5. nu. 27. & 54. Diana tom. 5. Coord. tract. 1. res. 84. Vers. Nota quinto in fine, n. 5. Ex par. 3. tract. 2. resol. 48.* (ibi: *Experientia constat, quod Episcopi sine scrupulo cum Monialibus loquuntur, absque Ordinariorum licentia*) & *Pellizzar. de Monialib. cap. 5. sec. 5. qu. 10. n.* 210. Quorum ratio est, tum quia dicti Episcopi, & Prælati sunt exempti ab omni jurisdictione Episcopi loci, ad quem divertunt; sed nullus potest puniri à judice non suo; ergo: tum quia, punitio emanat à jurisdictione, quam Judex puniens habet in subditum punitum, sive puniendum, ut docent omnes: tum etiam, quia experientia constat Episcopos, etiam timoratæ conscientiæ, absque ullo scrupulo, indifferenter Moniales alloqui, sine licentia Ordinarii, ergo. Hæc responsio, & sententia, etsi probabilis, nihilominus.

419 Respondeo ad quæsitum, probabilius esse oppositum, tutius in conscientia, & in praxi omninò servandum, quod etiam tenent *Stephanus Gratianus* (multis aliis citatis) *to. 2. Disceptationum Forensium cap. 393. Antonius Novar. in Summa tit. de Clausura, & Accessu, n. 10. Manriquez qq. Moral par. 2. qu. 14. Tamburin. de Jure Abbatissar. disp. 25. qu. 2. Merolla to. 1. cap. 2. difficultat. 6. sub n. 623. §. Cæterum,* ubi plures alios refert, *fol. mihi* 107. *col. 2. & Donatus tract. 6. c. qu. c. 23. à nu. 3.* cum quibus probatur hujusmodi responsio, & sententia: *Primò,* Quia Episcopus, & Archiepiscopus in alieno territorio censentur ut privatæ personæ, pro ut testantur

Panorm.

Panorm. Anchar. Hostien. Calderin. Everard. & plures alii apud citatos, præsertim apud *Gratianum*, *& Merollam*: Ergo eos ligari hoc statuto, & edicto dicendum est, sicuti obligantur aliis legibus, seu statutis, ac consuetudinibus locorum, in quibus repe-riuntur: tenentur enim servare jejunia, ac festa ab aliis Episcopis in eorum Diœcesibus indicta, aliaque omnia pro communi bono, & salute animarum. *Secundò*: Quia si Episcopus extra suam Diœcesim posset sine licentia Episcopi loci, accedere ad Moniales, id etiam posset ejus Vicarius Generalis, quia unam eandemq; jurisdictionem habet cum ipso, cum faciant unum, & idem Tribunal, *Cap. 2. de Consuetudine in* 6. cum unum, & idem Concistorium constituant, *Cap. Romana*, *Vers. Eorum vices*, *& Vers. Unum sit Concistorium*, *de appellationibus in* 6. *Leo in Thes. Fori Ecclesiastic. par.* 1. *cap.* 10. *nu.* 10. *Sbrozzius de Vicario Episcopi lib.* 1. *qu.* 23. *nu.* 7. *Carolus Pellegrinus in Praxi Vicarior. lib.* 1. *sect.* 2. *sub sect.* 2. *n.* 1. & communiter: *Tertiò*, quia Episcopus Diœcesanus in casibus concernentibus Clausuram Monialium exemptarum, procedit ut delegatus Sedis Apostolicæ: igitur ejus authoritas extenditur ad omnes personas quovis titulo in sua Diœcesi repertas: *Quartò*, quia. Ita *Sacra Congregatio* rescribens *Archiepiscopo Barensi* authenticè declaravit, ut referunt *Antonius Novarius l. c. Tamburin. qu.* 2. *c. sub nu.* 4. *Pellizzar. l. c. Donatus qu.* 23. *c. n.* 8. per sequentia præcisa, & formalia verba.

420 *Perillustris, ac Reverendiss. Domine, uti Frater. Nomine Ampliationis tuæ petitum fuit Illustrissim. Patribus Concilii Tridentini Decreta interpretantibus, declarari, an Prior Ecclesiæ Collegiatæ S. Nicolai Barens. quamvis Episcopus, possit pro tuitione jurisdictionis Archiepiscopalis in Casibus à Sacro Rotæ Romanę Auditorio resolutis, servatis servandis excommunicari, & an eidem Priori permissum sit ad Monasteria Monialium istius Civitatis accedere, absque Amplitudinis tuæ licentia, & absq; eo, quod incurrat in Censuras in edicto desuper publicato, contentas. Sacra Congregatio, licet censeret, Amplitudini tuæ licere Dominum Priorem Baren. excommunicare auctoritate tua ordinaria, illumque edicto contravenientem pœnis in eo contentis subjacere, attamen tutius esse putavit, etiam S. D. N. Annuente, ut Amplitudo tua tamquam Sedis Apostolicæ delegata contra dictum Priorem in casibus supra expressis ad Censuras, & pœnas respectivè procedat. Hæc Amplitudini tuæ significare volui, ut sciat quomodo se gerere debeat, cui salutem, & prosperitatem à Domino præcor. Romæ* 20. *Martii* 1619. *Amplitudinis tuæ perillustris, & Reverendissimæ, ut Frater studiosissimus Cosmus Cardinalis de Torres.* Quibus tamen non obstantibus, adhærere volens recitatæ priori (etiam probabili sententiæ,) *Graffii, Dianæ, & Pellizzarii*, potest item persistere in eadem, iterumque affirmare Episcopos, aliosque Prælatos posse alloqui Moniales in aliena Diœcesi: Quia sicut nomine Monialium non veniunt Abbatissæ, ita nomine quorumcumque non venire Prælatos, quia, & ipsi qualificati sunt, & ut assumpi ad Prælationem animarum videntur esse perfectioris virtutis. Ad auctoritatem autem *Sacræ Congregat. pro Archiepiscopo Baren.* Respondetur illam esse potius in favorem hujus opinionis. Quia dum dicit: *Tutius se putare, ut tanquam delegatus à S. Sede adversus dictum Episcopum procederet*. Videtur innuere potuisse insurgere magnam controversiam in Jure, si auctoritate ordinaria adversus eum processisset. Et tandem cum esset Prior Ecclesiæ Collegiatæ Barensis, quo ad hoc videbatur esse subditus Episcopo loci.

421 Huic declarationi opponit *Pellizzar. nu. c.* 210. *in fine*, quod ipsa lata fuerit in favorem Archiepiscopi Barensis contra Priorem Barensem Episcopali dignitate fulgentem, & subditum dicto Archiepiscopo, ac proinde non probare, quemlibet Ordinarium loci posse excommunicare Episcopos extraneos, indebitè accedentes ad Moniales ipsis subiectas. Verum resolvitur oppositio [cum *Donato qu. c.* 23. *nu.* 10.] quia ut supra dictum est, Episcopi, & Archiepiscopi, extra suam Diœcesim fiunt minores, & personæ privatæ, sicut Præses extra suam Provinciam; atque adeò si in alterius Diœcesi delinquant, possunt ab Ordinario loci puniri, quia ratione delicti, efficiuntur de foro illius, &c.

422 Quæres quartò: An Advenæ, & Peregrini, si sine licentia loquantur cum Monialibus, ligentur excommunicatione lata ab Odinario contra hujusmodi alloquentes? Negant *Diana §. c. Nota quinto. Pellizzar.* (cum distinctione tamen, ut infra) *l. c. n.* 211. *Januar. de Casib. reser. to.* 1. *res.* 34. *n.* 24. *Del Bene sect.* 3. *c. n.* 11. *Verricelli quæst. c.* 66. *nu.* 34. (qui tamen *num. subseq.* 36. asserit, oppositum videri probabilius) & alii. Et probant: hanc negativam: *Tum quia*, Peregrini, & Advenæ non subiiciuntur jurisdictioni, ac legibus loci, in quo obiter reperiuntur, & per quem transeunt, præciso tamen scandalo,

leg. hæres absens, *§. proindè*, *ff. de judiciis*. Tum quia, hujusmodi negativa, & sententia, videtur expressa in *Cap. à Nobis il* 1. *de sentent. Excommun.* ubi habetur, exteros furantes in Diœcesi, in qua furtum est prohibitum sub pœna excommunicationis ipso facto, &c. in hanc non incidere, cum non sint de jurisdictione Episcopi excommunicantis. *Pellizzar. nu. c.* 211. *in princip.* Pro decisione hujus quæsiti, distinctionem hanc præmittit (quam, & apud alios habet) vel enim (inquit) supponimus, prohibitionem accedendi ad Moniales contentam esse in jure communi, nec fuisse abrogatam, & cum sic lex communis sit, & universalis, obligat consequenter omnes fideles, etiam extra proprium territorium, & ubicumque existent: Vel supponimus, quod prohibitio accedendi ad Moniales, sit de jure particulari locorum (sive sit per modum statuti, vel edicti, vel per modum sententiæ generalis,) & si sic, prohibitio hæc [probabiliter saltem] non afficit Advenas, & Peregrinos, quia hi non tenentur servare leges, & consuetudines particularium locorum, & ea quæ videntur esse de jure particulari eorundem locorum, co quod jurisdictio requiritur, & subiectio ad obligandum aliquem legibus: Peregrini autem, & Advenæ, ob brevem hospitii moram (qualem hic supponimus) non subiiciuntur jurisdictioni, seu non acquirunt forum, ut constat ex *cit. leg. hæres absens*, *&c.* ita distinguit *Pellizzar.* Quæ distinctio confirmari potest, tum ex supra relato *Cap.* 2. *de Constit. in* 6. in quo *Bonifac. VIII.* dixit, quod fur, qui furatur extra Diœcesim excommunicatoris pro furto, in excommunicationem non incidit. Tum ex præcitato *Cap. à Nobis*, in quo *Clemens III.* declaravit, quod exteri furantes in Diœcesi, non incidant in illam: ergo nec à pari Peregrini, & Advenæ colloquentes cum Monialibus, dummodo non adsit periculum scandali, &c. Accedit etiam ratio (qua pariter utitur *Januar. resol. c.* 34. *nu.* 25.) Quia loqui cum Monialibus, non est malum de sua natura, ergo necessariò debet præcedere præceptum sub pœna excommunicationis, ut quis cum illis non loquatur; sed præceptum fieri non potest, nisi subditis; ergo Peregrinus debuit prius fieri subditus, & deindè teneri ad præceptum, sed hic Peregrinus non est subditus huic Episcopo, ergo non tenetur ad hoc sui præceptum. Et si non tenetur ad præceptum, ergo eidem præcepto non obediens, non dicitur contumax, nec huic Episcopo inobediens: sed qui contumax, & inobediens non est, (eo maximè, quia subditus præcisè non est,) non potest excommunicari, quia excommunicatio contemptum, & inobedientiam præsupponit, *Can. Nemo Episcoporum* 12. *qu.* 3. Et

423 Si dicas, hic Advena, & Peregrinus sit subditus ratione delicti. Contra: Quia ut benè advertit *Salas de Legib. disp.* 14. *sect.* 4. *nu.* 44. *fol. mihi* 325. (contra *Gloss. in præcitat. Cap. à Nobis*,) & cum ipso *Januar. l. c. n.* 26. in hac dictione, & doctrina involvitur repugnantia: nam ante delictum esse debet subjectio, ratione cujus possit Episcopus prohibere delictum, &c. aliter hic talis non est Episcopo inobediens: & cum loquutio sit indifferens, nec mala ex sui natura, neq; idemmet peccabit contra jus naturæ: Quia Episcopi præceptum ipsum Peregrinum non afficit, & consequenter nullo modo peccat; & si latum sit præceptum respectu mali notabilis extrinseci contenti in ipsa locutione, &c. tale tamen præceptum afficit tantum subditos. Et

424 Si iterum dicas. Quod Ordinarius in causis concernentibus materiam Clausuræ Monialium procedit, ut Sedis Apostolicæ delegatus, hincque sequi, etiam Peregrinos ei subiici in dictis causis, æquè ac subiiciuntur ipsimet Sedi Apostolicæ; ideòque teneri servare Edicta Ordinariorum prohibentia accessum ad Moniales, non secus, ac si edicta essent à Papa: Contra est: Quia talis delegatio ipsis facta est, solum in ordine ad Moniales exemptas, ut constat ex *Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 5. *de Regularib.*, *& Monialib.* non verò in ordine ad Moniales sibi subditas, de quibus procedit tradita doctrina. Quo verò ad exemptas: *Delegatio ipsis facta est* (inquit *Pellizzar. n. c.* 211. *in fine*) *ad hoc scilicet*, *ut*, *non obstante Privilegio exemptionis*, *possint procedere contra illas in causis concernentibus Clausuram*, *non autem in ordine ad Peregrinos earum Monasteria adeuntes indebitè.* Hęc ille, quæ tamen (quo ad secundam partem) non videntur conformia *Decreto Concil. Trident. cap.* 5. *c.* ex quo patet, delegationem, & potestatem datam Episcopis ab ipsomet Concilio super Monasteria exempta Monialium non esse limitatam, ad procedendum, videlicet, tantum contra illas in causis concernentibus Clausuram, sed datam illimitatè ad inducendam, & conservandam Clausuram contra quoscumque eandem violantes, vel impedientes, ibi enim: *Inobedientes*, *atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas*, *aliasque pœnas quascumque*,

quascumque, appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Ex quibus Concilii verbis, benè colligitur, quod ibi Episcopi deputantur à Sede Apostolica, uti delegati ad tuendam Clausuram in ordine ad Monasteria Monialium ab eorum jurisdictione exempta (intra tamen suam Diœcesim,) & quod possunt consequenter excommunicare, &c. (uti tales) quoscumque violantes, vel impedientes eandem Clausuram, etiam Advenas, & Peregrinos ad eadem Monasteria exempta ad colloquendum. Cui conclusioni, & doctrinæ subscribit expresse, & idemmet *Januar. resol. c.* 34. *nu.* 20. & 27. etiamsi, quo ad Monasteria non exempta DD. Episcopis subjecta, non dissentiat (ut supra) à *Pellizz.* sententia, imò ex professo, ut patet Legenti, eam tueatur. Et idem docet *Donat. in Praxi to.* 4. *Titul. de Accessu ad Moniales tract.* 6. *quæst.* 22. *n. c.* 3. *in fine*, ubi sic ait; *Ordinarius in casibus concernentibus Clausuram exemptarum Monialium, procedit, ut Sedis Apostolicæ Delegatus, ut constat ex supra dictis, & præcipuè ex Constitut. Gregor. XV. incip. Inscrutabili. Ergo Peregrini in hac materia, saltem respectu Monialium exemptarum, æquè subiiciuntur Ordinariis, ut Sanctæ Sedis Delegatis, ergo, Edicta hujusmodi condita ab Ordinariis, censentur lata à Papa, cui omnes Christi fideles, quo ad bonum animæ, tenentur obedire in omni loco, ut patet de cultu, & observantia festorum*. Igitur possunt Episcopi, ut taliter Delegati, Peregrinos accedentes ad Monialium exemptarum Monasteria, cum eisdemque colloquentes excommunicare, &c.

425 Et quamvis *Merolla l. c. difficult.* 6. *sub n.* 618. *Versu Sed hæc sententia, fol. mihi* 106. videatur sentire, delagatam potestatem traditam Episcopis à *Trident.* super exempta Monialium Monasteria, limitatam esse, quo ad Clausuram, scilicet inducendam, vel conservandam tantum; & ad violantes, vel impedientes hanc Clausuram, tantum excommunicandos, &c. non verò colloquentes, idque solum colligi ex Concilii verbis. Contra est, quia ad conservationem Clausuræ Monialium spectat prohibitio accessus ad loquendum cum ipsis Monialibus, ut benè advertit *Barbosa de Potest. Episcopi par.* 3. *allegat.* 102. *n.* 11. *fol. mihi* 455. *col. p.* sub sequentibus verbis: *Ad Auctoritatem Episcoporum in custodienda Monialium Clausura, pertinet, impedire accessum ad ipsas Moniales, & colloquia cum eisdem: nec non ingressum intra septa Monasterii, & illorum egressum è Monasteriis, juxta dispositionem Concilii dicto cap.* 5. Idemque docent *Sanch. in Sum. to.* 2. *libr.* 6. *cap.* 16. *n.* 105. *circa finem, & Januar. res. c.* 34. *nu.* 19. in quo sic: *Ad conservationem Clausuræ Monialium spectat accessus ad loquendum cum ipsis Monialibus; aliter enim Clausura nulla esset*: & *n.* 20. pariter ait: *Probibitio locutionis spectat ad conservationem Clausuræ, Clausura enim cum libertate loquendi, non esset Clausura Monialium, sed carcer, & esset omninò frustatoria, & vana. Si ergo Episcopi sunt delegati ad finem, qui est Clausura, erunt etiam delegati ad medium, quod est locutio*: ita *Januar.* Et hic obiter nota cum *Barbosa Allegat. cit. n.* 74. Quod Censura per Statutum, aut Edictum Episcopale adversus adeuntes Monasteria Monialium, & cum illis alloquentes, comprehendit etiam accedentes ad Monasteria exempta Monialium subdita Regularibus, qui non subsunt jurisdictioni Episcoporum, existentia intra suam jurisdictionem; dum tamen expressè vetitus fuerit accessus, &c. etiam ad Monasteria exempta, alioquin generica prohibitio non afficit euntes ad Monasteria exempta: & idem notat *Tamburin. de Jure Abbatissar. disp.* 25. *qu.* 9. *n. p. in fine*, & apud eosdem idem docent *Sylv. Verb. Excommunic.* 2. *n.* 14. *Rosella eodem Verb.* 7. *sub nu.* 4. *Rolandus à Valle consil.* 33. *incip. Illustriss. sub n.* 32. *Novarius in Summa Bullarum Tit. de Clauss. & Accessu nu.* 15. & alii. Non enim Episcopus, qui excommunicationem fert, præsumitur voluisse eam ferre, in hoc casu omni meliori via, & modo, quo potest, & inferendo eam, velle uti tam potestate ordinaria, quam à Sede Apostolica delegata. Dixi, Censura lata per Statutum, aut per Edictum Episcopale (addi potest etiam per modum sententiæ generalis) quia hæc, quo ad obligationem non differunt, sed solum quo ad durationem; nam (ut advertit etiam *Januar. resol. c. n.* 24. *cum Coninch*) lata per Statutum est perpetua, nec spirat morte excommunicantis, lata verò per Edictum, seu per modum sententiæ generalis, expirat morte excommunicantis.

426 Sed tandem ad propositum quæsitum redeuntes: Dico, illius resolutionem pendere ab illa quæstione: An leges, ac statuta alicujus Territorii, obligent Advenas, & Peregrinos, dum ibi reperiuntur, circa quam, & si probabile sit (cum *Doctoribus c. c.*) Advenas, & Peregrinos non obligari legibus, & consuetudinibus Territorii, in quo reperiuntur, eo modo, quo obligantur incolæ, quando in proprio domicilio

micilio non sunt eædem leges: nihilominus contrarium longè probabilius existimo. Et secundum hanc affirmativam sententiam in præsenti: Respondeo ad quæsitum, eos non evadere dictam excommunicationem, si absque licentia Ordinarii, cum Monialibus loquantur, Legem enim Territorii obligare Advenas, & Peregrinos in conscientia, & eo modo, quo obligat incolas, est sententia, & opinio communis apud *Meroll. to. 2. disp. 4. tit. de Legib. cap. 3. dub. 42. sect. 1. n. 524. fol. mihi 174.* quam etiam ipse sequitur, tum *nu. cit. tum sect. seq. 4. conclusion. 4. à num. 536.* eandemque sententiam docent pariter *Suar to. 1. de Religion. lib. 2. tit. de diebus festis cap. 14. nu. 18. & in tract. de Legib. libr. 3. cap. 33. à nu. 3.* (in quo, & ipse ait, hanc esse communem sententiam interpretum, *in leg. Cunctos populos, Cod. de Summa Trinit. & in cap. à Nobis 1. de sent. excommunic.* Præsertim *Innocent. Hostiens. & Panormit. & in cap. 2. de Constitution. in 6.*) *Less. de Just. lib. 4. cap. 2. dub. 7. n. 50. Fagundez primo Ecclesiast. Præcepto lib. 1. cap. 8. n. 20.* (in quo tamen limitat, quod faciunt, & alii, nisi videlicet, præsentia solum sit in transitu, aut per modum hospitii, prandendo, cænando, pernoctando, & statim discedendo, tunc enim ait, non teneri hujusmodi Advenas, & Peregrinos, ad leges locorum, per quos transeunt.) *Pontius de Matrimon. libr. 5. cap. 7. §. 1. num. 6. Salas de Legib. disp. 14. sect. 4. Versu Dico quartò. Molfesius in Summa to. 1. tract. 10. cap. 4. n. 17. Reginald. in Praxi to. 2. lib. 19. cap. 2. qu. 3. Versu Posterior propositio. Pala. part. 1. Operis Moralis tract. 3. disput. 1. punc. 24. §. 3. n. 11. Donat. to. 1. Praxis part. 1. tract. 1. tit. de Legib. in genere qu. 5. sub n. 14. Versu Perinde velit, & to. 4. tract. 6. tit. de Accessu ad Moniales quæst. 22. n. 2.* aliique plures, apud citatos præsertim: cum quibus hujusmodi sententia.

427 Probatur primò, quia lex pro tali Territorio generaliter fertur: ergo omnes ibi actu degentes obligat, pro tempore, quo commorantur ibi: Consequentia probatur, tum ex parte causæ finalis, quia ad bonam Territorii gubernationem, nedum convenientissimum, sed moraliter necessarium videtur, ut leges latæ habeant vim hanc, cum ad pacem, tranquillitatem, & bonos mores loci necesse sit, quod Advenæ etiam conveniant cum moribus populi, quandiù ibi versantur, ut etiam in jure sæpè insinuatur: *Cap. Illud breviter, distin. 12. Cap. Quæ contra mores, distin. 8. Cap. Quisquis, distin. 41. & Cap. Illa autem, distin. 12.* Idque docet satis experientia ipsa, quia si aliter fiat, sequuntur scandala, & dissidia, igitur cum ferantur leges ob commune bonum, & pacem, ac bonos mores loci, & ad hoc præcipuè intendant, necessè est, ut vim habeant obligandi omnes, etiam Advenas. Tum etiam, ex parte causæ efficientis, seu potestatis Legislatoris probatur consequentia: Quia unusquisque Reipublicæ gubernator habet potestatem necessariam ad suæ Reipublicæ conservationem, & ad ejus bonos mores tuendos, ergo potestatem habet ad ferendas leges, quas omnes ibi morantes observare teneantur, hac enim ratione habet potestatem puniendi Advenas ibi delinquentes, ergo, & eadem ratione potestatem habet obligandi per suam legem omnes ibi morantes, quatenus ad bonum suæ Reipublicæ necessarium est: quam potestatem habere videntur Legislatores ex jure gentium, ut benè *Suar. to. 1. de Relig. lib. 2. tit. de dieb. Festis cap. 14. nu. 10. fol. mihi 197.* Confirmatur, quia si Peregrinus in loco, ubi est, delinquet contra jus naturale, conveniunt omnes, puniri posse à Superiore illius loci, at hoc alia nulla ratione contingit, nisi quia ad rectam Reipublicæ gubernationem convenit, ut ubi quis delictum committit, ibi puniatur, & malum exemplum punitione reparetur; sed æquè ad rectam gubernationem convenit, ne mala exempla præbeantur, neque aliis occasio transgrediendi leges præbeatur: ergo justum est, quemlibet obligari, ac legibus illius loci conformari.

428 Et si dicas, Peregrini, & Advenæ non sunt subditi, nam subiectio quo ad morum directionem, & obligationem, non acquiritur, nisi per domicilium, vel saltem per quasi domicilium, ergo nequeunt legibus Territorii obligari, quia Legislator non potest, nisi subditos obligare: Si hoc inquam dicas: Contra, quia ut benè arguit *Suar. de legib lib. 3. cap. 33. nu. 4.* & cum ipso *Merolla sect. 4. cit. nu. 539.* licet Advenæ, & Peregrini non dicantur simpliciter subditi, seu permanenter, non deest tamen illis titulus sufficiens subjectionis, ratione cujus obligari possunt legibus Territorii; quia sicut illa obligatio, respectu illorum, est quasi transiens, & secundum quid, ita ad illam sufficit quasi transitoria subjectio, ad quam satis est commoratio actualis, & præsentia, licet futura non sit diuturna; nam sicut is, qui transfert domicilium in alium locum, eo ipso

vult

vult obligari legibus illius permanenter ; vel ex consequenti obligatur, etiam si nolit : ita si alicubi ad breve tempus vult commorari, eo ipso vult, & velle debet subdi pro tunc regimini illius loci, quo ad ea, quæ ad generales mores, & leges spectant : ita *Suar.* Quod confirmatur etiam ex eod. n. c. à contrario sensu : nam incola discedens à suo Territorio ad breve tempus, statim pro eodem desinit obligari legibus sui Territorii (ut probat idem *Suar.* & tot alii) & consequenter pro tunc fit non subditus actu . Ergo è contrario, Advena existens in alieno Territorio, incipit eo ipso obligari legibus illius Territorii, & fit subditus illius actu : nam est eadem ratio ; & æquitas postulat in utroque, ut servetur paritas, & proportio, absurdum enim videtur, Peregrinos exemptos esse ab omnibus legibus municipalibus, sive proprii, sive alieni Territorii. Adde, quod *Sanch. de Matrim. to.* 1. *libr.* 3. *disp.* 18. *sub n.* 3. *Versu Similiter est*, *Salas de Legib. sect.* 4. *c. sub n.* 40. *Vers. Dico secundo*, *Suar. cap. cit.* 14. *de Relig. n.* 15. *Pala. l. c. n.* 6. aliiq; Doctores, conveniunt, teneri Peregrinum servare leges Territorii in quo reperitur, si in loco sui domicilii sit eadem lex (& contrarium dicere, reputant absurdum, ut videre est apud ipsos) sed non tenetur servare leges illas, ut esset v. gr. audire Sacrum, &c. in loco, ubi reperitur, ex vi constitutionis suæ Patriæ, vel domicilii, quia lex non obligat (per D. D. etiam adversarios) extra Territorium : ergo si obligatur, obligatur ex vi statuti illius loci, in quo reperitur : quia non obligatur ex lege aliqua generali, ut supponitur, & utique oportet, quod ex aliqua lege obligetur : ergo obligatur nil minus, ac si in terra sua non esset eadem lex, quia supposita absentia, illa lex nihil confert ad hanc obligationem : ergo vel etiam in illo casu non obligabitur, quod reputatur à D. D. absurdum, vel semper obligabitur.

429 Probatur secundò eadem sententia: Ex consuetudine fidelium, fideles namque, rudes nedum, sed etiam docti, passim ubique putant, se obligari legibus locorum, ubi ipsos versari contigerit, adeò ut si quis deprehendatur violare hujusmodi leges, punitur à Principibus, seu Magistratibus locorum, tanquam transgressor, ut si quis ver. gr. deferret arma prohibita loqueretur cum Moniali absque licentia Ordinarii, &c. Sed consuetudo ex tali opinione orta inducit obligationem non minus, quam lex universalis; non alio enim modo, id, quod ante non obligabat, incipit per consuetudinem obligatorium esse, quam, quod homines incipiant, illud passim, tanquam obligatorium servare, ut communiter tradunt Doctores de consuetudine . Itaque cum consuetudo servandi aliquam legem, tanquam obligatoriam, inducat obligationem, & consuetudo, de qua hic, talis sit, videtur omninò inducere obligationem. Igitur Advena, & Peregrinus, velit, nolit, sicut eo ipso, quod est extra suum Territorium, desinit obligari legibus illius; ita eo ipso, quod accedit aliquo, per accessum incipit hujus Territorii lege obligari ; perpetuò, si accedat cum animo ibi perpetuò manendi, transeunter, vel ad breve tempus, si cum tali voluntate fiat accessus: sicque obligatio, seu subiectio Territorii erit transiens, vel permanens, eo modo, quo fuerit eorundem Peregrinorum mora, ut latè *Suar. de Legib. cap.* 33. *c.* & ex ipso *Merolla sect.* 4. *c. à n.* 536. Aliàs rationes, uti, & responsa ad objecta, quæ contra hujusmodi sententiam fieri possunt, vide (brevitatis gratia) apud eosdem, nec non apud *Palaum*, & *Donatum l. l. c. c.* cum quibus, & ex eademmet, unicaque eorundem doctrina, ac ratione, inferes multa, ea præsertim, quæ enumerat *Donat. qu.* 5. *c. à n.* 13. suntque sequentia.

430 *Primò*: Quòd si Italus eo confluat, ubi *Concil. Trident.* non fuit receptum, poterit sine Parocho, & testibus Matrimonium contrahere. *Secundo*: Quod si Romanus Mediolanum petat, potest tutè ibi non jejunare, sed vesci carnibus, & lacticiniis, quatuor primis diebus antecedentibus Dominicam primam Quadragesimæ, quia jus commune Ecclesię Romanę ibi non viget. Et versa vice, si Mediolanensis reperiatur Romę permanenter, vel transeunter, tenetur ad festa, jejunia, & similia indicta à Romana Ecclesia : & sic ei Romæ non licet vesci carnibus, & lacticiniis, quatuor illis diebus præcedentibus primam Dominicam Quadragesimæ: quia tenetur ad legem communem Romanæ Ecclesiæ, quia Mediolanensium Privilegium est locale, & sic extra Territorium non valet. *Tertio* : Peregrinum non teneri ad festa sui domicilii, si eò pergat, ubi dicta festa non servantur: ut in *Cap. Toto de Constitutionibus in* 6. *Quarto* : Sacerdotem Græcum, si Neapolim veniat, in Ecclesia Latinorum posse tuta conscientia celebrare in Azimis, sicut, & nos celebramus, pro ut *Leo IX. Epist. ad vers. præsumpt. cap.* 29. Idipsum procedit de Sacerdote Latino, si in Græciam iret, & ibi

Lati-

Latinorum Ecclesia non foret; posset enim more Græcorum in fermentato celebrare; quia jus Ecclesiæ Latinæ eo non viget. *Quinto*: Castellanum, ubi fuerit in Lusitania, non posse licitè die Sabbato vesci pecudum intestinis, pro ut poterat in Patria, quia Castellanorum Privilegium est locale, non autem personale, unde inhæret loco, non personæ. Et item Lusitanum in Civitate Castellana contra morem suæ Patriæ, posse licitè die Sabbato vesci intestinis animalium, ob legem Territorii, in quo reperitur. *Sexto*: Deferentem arma prohibita contra statutum loci, per quem transit, & si in sua Patria tale statutum non sit, posse justè puniri. *Septimo*: Advenam loquentem cum Monialibus absque licentia Episcopi, incurrere excommunicationem. Hæc, & optimè infert *Donat. l. c.* ex recitata, & ab eodem admissa sententia. Aliaque etiam plura similia ex eadem inferri possunt, quæ omnia, una eademque ratione probantur: Quia videlicet Peregrini, & hospites, eo quod à proprio domicilio absunt, & alibi se recipiunt, non tenentur, Patrias leges servare, si eo in loco, ubi per transitum reperiuntur, sint abrogatæ, aut non receptæ, pro ut colligitur ex *Cap. 2. de Constit. in 6. Vers. Statuta Episcopi*, ubi habetur, subditum furantem extra Territorium Episcopi, non ligari excommunicatione ejusdem lata in furantes, & redditur *ibi* ratio: *Cum extra Territorium jus dicenti non pareatur impunè*. Vide *Sanch. de Matrim. to. 1. lib. 3. disput. 18. n. 18.* Cum igitur jus dicenti, extra Territorium non pareatur impunè, fundamentum unicum omnium prædictorum, & inferendorum, videtur esse Territorium, quia lex de sua natura, & ex se, habet respicere Territorium, adeo sic, ut sicut non se ostendit ultra Cancellos Territorii, ita intendat ligare omnes existentes in eodem Territorio, & solo, cui inhærent, cujusvis sint generis. Unde leges, & statuta Territorii attendenda sunt absolutè, aliter nulla lege adstringerentur Peregrini, si aliquo, communes essent abrogatæ. Et de hoc satis, qui plura desiderat, percurrat Doctores supra laudatos.

431 Quæres quartò: An qui absque licentia Ordinarii loquitur cum Moniali, ipsa nihil respondente, excommunicatione ligetur? Negant *Graff. de Casib. reserv. lib. 2. cap. 5. n. 1. Pellizz.* (sed non adeò absolutè) *de Monialib. cap. 5. sect. 5. n. 217. Januar. de Casib. reser. to. 1. ref. 39. per totam, & Del Bene de Immunit. Eccles. par. 2. cap. 14. dub. 5. sect. 3. n. 6.* Quia prohibetur colloquutio, qui autem loquitur, non colloquitur, quia colloqui requirit mutuam loquutionem, & significat, simul loqui, non enim quando unus tantum loquitur, dicitur propriè colloquum; & verba legis pœnalis, qualis est hæc, non sunt extendenda ultra proprium significatum, sed potius restringenda, nam pœnæ sunt odiosæ, odia autem sunt restringenda, *Reg. Odia, de Reg. Juris in 6.* ita citati, præsertim: *Del Bene n. c.* ubi expresse sic: *Non peccant, nec pœnas incurrunt, si loquuntur cum Monialibus, nihil eis respondentibus; quia neque hoc est propriè loqui, seu colloqui cum Monialibus, & ex alio capite verba legis pœnalis non sunt extendenda, sed potius restringenda*: Hoc tamen non obstante. Respendeo ego ad quæsitum, affirmativè: Cum eodem *Graff. to. p. Consilior. lib. 5. tit. de sentent. excommunic. consil. 22. n. 33. fol. mihi 562.* (ibi enim ait, sufficit alloquutio ex parte unius ad incurrendam excommunicationem majorem, *si multiplicaret plurima verba, Moniali nihil respondente*) *Diana to. 5. Coord. tract. 1. ref. 84. n. 1. & ref. 87. n. 2. & 3. ex par. 3. tract. 2. ref. 48. ex par. 10. tract. 14. & Miscell. 4. ref. 51. aliàs 49. Tambur. de Jure Abbatiss. disput. 25. qu. 8. Versu Ad secundum resp. Pasqual. in Francum part. 1. Tit. de Accessu Regular. ad Monast. Monial. qu. 2. in Addit. n. 1123. Quartè de Casib. reserv. sect. 1. cap. 1. casu 4. reservato: difficult. 2. & Merolla to. 1. disput. 1. cap. 2. difficult. 2. à n. 589. fol. mihi 101. & Donato in Praxi to. 4. Tit. de Accessu ad Moniales tract. 6. qu. 13. n. 2.* cum quibus absolutè dico, etiam per simplicem allocutionem cum Moniali absque licentia, ipsa non respondente, excommunicationem incurri. Probatur, tum quia consuetudo, quæ potest legem facere multo magis potest legē interpretari, & ideò dicitur optima legum interpres, *leg. si de interpretatione 37 ff. de legib. & Cap. Cum dilectus de Consuet.* ibi: *Et consuetudo est optima legum interpres*. At vero, quamvis locutio propriè significet duorum simul locutionem, tamen consuetudo semper illud intellexit, etiam de simplici allocutione: unde communiter omnes, non solum rudes, & illiterati, verum etiam periti, ita loquuntur, quod scilicet alloquens Moniales sine licentia Ordinarii, est excommunicatus. Sed usus communis loquendi præfertur proprio significato vocabuli, etiam in materia pœnali, & odiosa, ut est ista, & materia Statutorum. Textus est notabilis *in l. Labeo*, & ibi notat *Bartol. ff. de supell. leg.* & docet idem *Bartol. in leg. Omnes populi, quæst. 6. principali, Vers. Juxta præmissa quæro, ff.*

de Just.

de Just. & Jure. Tum quia, & si verba legis pœnalis regulariter non sint extendenda ultra proprium significatum, tamen limitatur hoc, nisi lex redderetur inutilis, & finis, seu mens Legislatoris frustraretur, tunc enim impropriari debent verba legis, & extendi ultra proprium significatum, ut docent communiter Doctores. *Argum. Cap. Si Civitas de sentent. excommunication. in* 6. Et de verbis *Testamenti*, quod impropriari debeant, ut voluntas Testatoris locum habeat, asserunt, *Socin. Sen. consil.* 2. *nu.* 8. *volum.* 4. *Decius*, *consil.* 399. *n.* 7. *volum.* 2. *Surdus* (alios referens) *consil.* 116. *n.* 69. *volum.* 1. relati *à P. Diana resol. cit.* 87. *n.* 2. In casu autem nostro, si nomen collocutionis non extenderetur ad quamlibet allocutionem, prohibitio redderetur inutilis, inutileque Statutum: & mens, seu finis Prælati statuentis frustraretur, ut clarè patet: nam prohibitio, & Statutum contemneretur, & Prælatus non assequeretur finem intentum, qui est tollere occasionem peccati, & removere impedimenta, quæ Moniales ab acquirenda perfectione, retardare possunt. (Nota hic obiter cum *P. Diana nu.* 2. *cit. in fine*, conari Adversarios, respondere ad hæc adducta nostra argumenta) Hinc etiam *P. Pasqu. num. cit.* ait, & optimè, quod finis hujus prohibitionis, & legis, est tollere commercium locutionis, quod habetur, sive Monialis respondeat, sive non. Et quod praxis ita interpretatur hanc prohibitionem, & proindè cum communis usus, ita habeat, ut censeatur prohibita loquutio, præferendus est strictæ significationi, verbi *Colloqui*: ita *P. Pasqualig. l. cit.* ubi etiam addit, quod spectato fine hujus legis, dicta adversariorum ponderatio, est admodum levis, spectatis etiam verbis: si quidem confunditur colloqui cum alloqui, etiam à *S. Congregatione*, in hac eadem materia, & in uno eodemque *Decreto* (quod refert ad verbum, idem *Pater l. c. n.* 1118.) in quo (ut patet legenti) quod prius dixerat *Colloqui*, dicit postea *Alloqui*. Concludo tandem cum *P. Diana resol. c.* 87. *n.* 3. Res morales, moraliter, non metaphysicè tractandas esse, ideòque duo ista verba *Colloqui*, & *Alloqui*, in materia de qua hic, tanquam synonima esse sumenda, idemque significantia; quo pacto etiam sumi videntur à *Sacra Congregatione in dicto Decreto relato à P. Pasqualigo*: & in aliis duobus ejusdem *S. Congregationis*, appositis per extensum à *Lezza. in Sum. to.* 4. *Verb. Moniales nu.* 18. & 19. in quorum primo, contra Regulares accedentes ad Monasteria Monialium, *Anno* 1590. & in secundo, *Anno* 1693. Eminentiss. Cardinales, id, quod primum statuerunt, & prohibuerunt cum verbo *Colloqui*, postea statuunt, & prohibent cum verbo *Alloqui*, ut Legentibus patet. Ergo. Et adde, quod lex non est posita verbis, sed rebus: & quod legis mens magis est attendenda, quam verba, ut Jura, & D.D. apud eundem *Dianam n.* 3. *c.* & alibi.

432 Verum quidem est, quod non contraveniret dictis *S. Congregationis Decretis*, neque Edicto Episcopi, qui audiret Monialem sibi loquentem, ipso nil respondente; quia prohibitio est lata contra loquentes cum Monialibus, non contra illas audientes, audire autem non est loqui, nec in larga significatione vocabuli: ergo. Et ita etiam tenent *Lezza. l. c. n.* 20. *Diana n.* 3. *c. in fine*. *Pellizzar. n. c.* 217. *Quarti l. c. Pasqualig. n. c.* 1123. *in fine*. *Del Bene n. c.* 6. *Merolla to.* 1. *disp.* 1. *cap.* 2. *n.* 591. *in fine*. *Verricelli tract.* 8. *qq. Moralium, & Legalium*, *qu.* 66. *n.* 24. aliique.

433 Quæres quintò: An qui per nutus, & signa, Moniales alloquitur, contraveniat prohibitioni, & incidat in excommunicationis Censuram? Negant *Del Bene sect.* 3. *cit. n.* 4. *Verricelli qu. cit. nu.* 22. & alii: Quia loqui (propriè loquendo) est, voce articulata, alteri explicare internos mentis conceptus: ergo signis, vel nutu illos manifestare, non est propriè loqui, & per consequens, cum lex sit odiosa, intelligi debent verba ipsius in propria significatione, videlicet, ut comprehendat tantum, voce articulata loquentes. Quo tamen non obstante: Ad quæsitum respondeo affirmando: Et dico incidere in excommunicationem, etiam illum, qui per nutus, & signa Moniales alloquitur absq; licentia. Probatur tum quia prohibita est locutio secundum formalem rationem locutionis, quatenus scilicet est manifestativa sensuum internorum, mentaliumque conceptuum, ac animæ passionum præsentiali modo, quæ manifestari possunt, nedum verbis, & externa voce articulata, verum etiam nutibus, & signis, ut patet in surdis, & mutis, qui per signa, & nutus validè contrahunt, & sua peccata confitentur, consequenter talis etiam manifestatio, est prohibita; nam quod manifestentur verbis articulatis, aut signis, spectat ad modum locutionis, non ad substantiam. Tum quia, qui loquitur cum Moniali per nutus, & signa, verè explicat ei suos internos affectus, ad quos explicandos est institu-

instituta loquela. Quod verò fiat hæc explicatio per externa articulata verba, aut per alia signa, parum refert. Sicuti si Monialis habet linguam Græcam, & loquens, eadem lingua polleret. Si loquela Græca colloqueretur, verè incideret in casum: sicque etiam quando loquuntur per signa, aut nutus, quibus ipsi soli se intelligunt, verè loquuntur, cum verè explicent affectus, & conceptus internos. Loquutio enim generalissimè accepta, aliud non est quam manifestatio interni conceptus alteri facta (præsentiali aliquo modo) ut tradit *D. Th. p. p. qu.* 107. *art.* 1. *in Corpore*. Statim ergo, ac quis in natura rationali, alteri aliquo modo explicat suum internum conceptum, dicitur cum illo loqui: sicque cum aliquo loqui, quis dicitur, quando illi aperit suos affectus, & cogitationes, sive hoc præstet voce articulata sensibili, & materiali, sive nutibus, sive scripto, sive alio quocumq; signo, per quod alteri possint interni conceptus innotescere. Immo, quia, cum quis obiectum aliquod intelligit, illud idem obiectum sibimet manifestat, dicitur etiam sibimet loqui, & intellectio appellatur à Philosophis loquutio mentalis. Quare licet forsan loquutio, primariò sit dicta de vocali, & externa loquutione, tamen propriè etiam dicitur de quacumque manifestatione interni conceptus alteri facta. Hinc non est de intrinseca ratione loquutionis, ut sic, ut fiat per verba vocalia, sed sufficiunt alia signa instituta ad internos conceptus alteri manifestandos; ut clarè patet etiam de Angelis, qui verè, ac propriè inter se loquuntur (per actum videlicet voluntatis, quo volunt suos conceptus, alioquin occultos, alteri manifestari, ut dicunt Theologi *in Tract. de Angelis*) quod colligitur ex *Scriptura pr. ad Corinth.* 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum:* ubi supponit Apostolus, esse in Angelis loquutionem, ut ibi notant Sancti Patres, & Expositores. Et ratio ipsa suadet; quia cum Spiritus Angelici constituant unam Rempublicam, & Societatem, ab hac exigitur, ut possint mutuò conversari, & consociari, at hoc perfectè haberi nequit, nisi valeant internos conceptus (alioquin occultos) sibi manifestare, &c. & per consequens ad invincem loqui. Angeli igitur loquuntur, communicando inter se spiritualì modo cogitationes suas, consilia, & conceptus; & tamen non utuntur verbis vocalibus: Ergo. Tum etiam quia, licet etiam signis, ac nutibus conceptus internos manifestare, non esset ita propriè alloqui, in hoc tamen colloquio, militat eadem prohibitionis ratio, ac in colloquio verbali, omninò, ut discurrenti patebit: Ergo. Pro hac responsione, & doctrina, sunt *Graff. de Casib. reserv. l.* 2. *c.* 5. *n.* 33. *Diana to.* 5. *Coord. tr.* 1. *res.* 84. *n.* 2. *& res.* 88. *n.* 3. *Ex par.* 3. *trac.* 2. *res.* 48. *Ex par.* 10. *tr.* 14. *& Miscell.* 4. *res.* 53. *alias* 51. *Pasqu. l. c. n.* 1120. *Merolla l. c. à n.* 593. *Januar. to.* 1. *de Casib. reser. res.* 34. *nu.* 49. *Carolus de Baucio de Casib. reserv. Eccles. Neapol. in Edit. secunda, Casu* 4. *Petes* 2. *fol. mihi* 21. *Tambur. de Jur. Abbatiss. disp.* 25. *quæs.* 8. *ad Tertium*. *Quarti l. c. difficult.* 3. & alii.

434 Huic quæsito, videtur esse affine alterum, quod movetur de loquente cum Moniali per interpretem, seu per intermediam personam in præsentia Monialis audientis, & per eandem interpositam personam respondentis, an videlicet, iste etiam excommunicatione ligetur, & mortaliter consequenter peccet? Affirmant *Graff. l. c. n.* 32. (adducens ibi *Geminianum in c. fin. n.* 2. *dist.* 8. dicentem quod, *qui per interpositam personam verba explicat, verè loqui dicitur.*) *Merolla l. c. n.* 595. *Lezz. l. c. nu.* 20. *Pasqual. n. c.* 1120. & alii. Ratio affirmationis est: quia sic in effectu idem est, ac si verè cum ipsa Moniali colloqueretur, cum ad ipsammet præsentem directa sit loquutio, sicut qui cum alio loquitur per interpretem, communi hominum æstimatione censetur cum ipso loqui; sicut confessionem faciens per interpretem, censetur cum Confessario præsenti loqui, & finis loquentis in casu nostro, est communicare suos sensus Moniali, & fraudem legi facere, & proindè illam violare, & reddere eam consequenter illusoriam. Solum hoc admitti posset (inquit *Pasqual. n* 2. *c. in fine*,) quando loquens non dirigeret suam loquutionem ad Monialem, sed solum colloquens referret Moniali, quod ab ipso percepit. E contra, negant *Diana res. Coord. c.* 84. *n.* 2. *Vers. Nota* 2. *in fine*. (Ubi sic: *Ego in hoc contrarium teneo, & ita in praxi etiam à Viris timoratis observatur; & à fortiori non incurreret in excommunicationem, qui mitteret Moniali absenti nuncium, vel Epistolam*) *Del Bene l. c. n.* 4. *Januar. h. c.* 49. *Vers. Secus verò*. *Verricelli l. c. n.* 21. *Tambur. l. c. Vers. Ad quartum*, & alii. Quorum ratio est, quia prohibetur colloquutio cum Moniali, hic autem non loquitur cum Moniali immediatè, sed cum interprete, cui verè explicat suos internos affectus, & ex hoc Moniali, quod non est prohibitum: sicut si quis per scriptum suos internos explicaret affectus,

non

non incideret in casum, &c. In sententia *Quarti difficult. 3. c.* utraque opinio videtur probabilis. Huic subscribo. An verò incideret, qui per interpretem loqueretur aliqua lingua, quam Monialis non intelligit, sed interpres explicaret Moniali sensum verborum, negativè respondendum videtur, cum *Merolla l. c. sub n.* 595. *Vers. Non tamen, in fine, & n.* 608. quia hic non potest dici verè loqui cum Moniali, sed cum interprete, unde idem est, ac si mitteret Moniali nuncium, in quo casu utique non incideret. Sicut, nec multò minus incideret, qui absque interprete loqueretur aliquo idiomate, quod Monialis non intelligeret, ut si loqueretur lingua Turcica, aut Indiana. Quia licet talis sit vera etiam loquutio, nam verbis exprimit conceptum mentis, non tamen est in ordine ad alium, sed ad seipsum, sicuti si quis loqueretur nemine audiente. Et hinc etiam fit, non ligari hac Censura, qui loquitur Moniali surdæ, nihilque percipienti: aut qui Moniali loquenti lingua Hispanica, responderet lingua Hebraica. Ut in simili dicitur de eo, qui legit librum Hæretici, conscriptum, vel impressum lingua, quam non intelligit, hunc videlicet non incurrere excommunicationem, latam contra legentem libros Hæreticorum; ergo multo magis idem dicendum in hoc casu nostro.

435 Quo verò ad Epistolam, de qua supra à *P. Diana* mentio facta est, sentio cum ipso, & cum *Graff. l. c. n.* 34. *in fine, & n.* 60. *Vers. Ex quibus. Barbosa de Episcopo par.* 3. *allegat.* 102. *n.* 81. *Merolla l. c. sub n.* 595. *Vers. Non tamen. Rodriq. to.* 1. *q.q. Regular. qu.* 45. *art.* 3. *Bonac. de Clauf. qu.* 3. *punc.* 2. *n.* 5. *Januar. ref.* 46. *Squillante de Privil. Episcopor. par.* 1. *c.* 13. *n.* 48. *Pasqualigo in Francum l.c. n.* 1121. *Pellizz. l.c. q.* 18. *n.* 218. & communi D.D. apud, & cum *P. Quarti l. c. Diffic.* 5. sentio inquam, mittentem Epistolam, & literas ad Moniales, non incidere in Censuram comminatam contra euntes, & loquentes cum illis. Probatur, quia prohibetur loquutio, seu colloquutio, sub quo nomine non veniunt literæ, seu Epistolæ, vel internuncia; non enim sunt idem (nisi impropriissimè) scribere, & loqui (Epistola namque mittitur ad absentes, loquutio fit ad præsentes,) & cum verba non conveniant scripturæ, nec etiam convenit dispositio: ergo. Consequentia hæc videtur esse manifesta, quia à *Diversis non fit illatio. Barbosa loco* 37. & communiter. Addo cum eodem *Barbos. n. c.* 81. quod prohibitio accessus, & loquutionis cum Monialibus, ob id fit, ne illæ à Divinis Officiis abstrahantur, & in mundanis colloquiis tempus consument, quod quidem deest, cum litteræ mittuntur; & cum *Merolla Vers. c.* item addo, quod quando Prælatus vult excommunicare, non solum alloquentes, sed etiam mittentes literas, vel Nuncium, id explicat in suis Statutis, & Tabellis, & nonnulli etiam faciunt, ut videre est apud D. D. maximè, si literæ contineant res turpes, vel obscenas: quo in casu (ut notat etiam *Quarti diffic.* 5. *c. in fine*) tam mittens literas, per internuncium; quam deferens, incurrunt in excommunicationem, quia id expressè prohibetur sub Censura, ut suppono, & patebit hoc ex textu in Tabella, &c. Sed

436 Obiicies, cui prohibitum est loqui cum excommunicato, eidem prohibitum est etiam nuncium, vel literas mittere, ut videre est apud *Suar. de Cens. disp.* 15. *sect.* 1. *n.* 2. *Sayr. eodem trac. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 2. apud quos etiam jura, & D.D. Sed in casu nostro prohibitum est cum Monialibus loqui, ergo, prohibitum etiam est nuncium illis, vel literas mittere. Respondeo cum *Barbosa Allegat. c.* 102. *n.* 84. negando paritatem. Cum excommunicatis enim non solum prohibetur ab Ecclesia expressè loquutio, sed etiam expressè participatio, quæ fit per literas, & nuncium, & quæcumque communicatio, ut videre est apud Canonica jura, & D.D. communiter. Cum Monialibus verò, ab Ordinariis earum, prohibetur (ut supra) sola loquutio, ne ipsæ (ut dictum est) ab Officiis Divinis abstrahantur, & in mundanis colloquiis tempus consument. Quod notat pariter cum *Barbosa, Defendens Quadrius de Casib. reserv. disp.* 3. *casu* 13. *concl.* 9. *n.* 1495. in quo, uti, & in tota conclusione, defendit, & ipse, prohibitionem, de qua hic, non esse extendendam ad scribentem, & mittentem literas Monialibus, vel internuncium, & ob eamdem hucusque suppositam fundamentalem rationem, quia videlicet pœna extendi non debet ad alios casus, *l. factum cuique §. in pœnalib. ubi Decius, ff. de Reg. Juris, c. in pœnis, eod. tit. l.* 6. Etiamsi extensio fiat ex similitudine rationis, ut probat pluribus citatis Doctoribus. *Barbosa in Libello de princip. utriusq; Juris litera P. n.* 15.

437 Et hic obiter nota: Cum *Graff. n.* 60. *Vers. Ex quibus supra c.c. Rodriq. art.* 3. *cit. Miranda de Monialib. quæst.* 4. *artic.* 5. *in fine. Sanch. in Decal. to.* 2. *lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 117. *Merolla l. c. n.* 601. *Tambur. quæst.*

8. c. *Verſ. Ad ſextum. Bonac. de Clauſ. qu.* 3. *punct.* 2. *n.* 6. *Verſ. His non obſtantibus. Barboſ. Allegat. c.* 102. *n.* 77. *in fine. Et de Jure Eccleſiaſtico lib.* 1. *cap.* 44. *n.* 171. *Januar. de Caſib. reſerv. to.* 1. *reſ.* 46. *n.* 1. *Donato in Praxi to.* 4. *tract.* 6. *tit. de Acceſſu ad Monial. qu.* 11. & aliis; Quod ſi Epiſcopus, & Ordinarius prohibeat ſub pœna excommunicationis, ne quis Monialibus ſcribat, tali excommunitatione non ligatur, ſcribens Epiſtolam, quæ caſualiter non pervenit ad Monialem. Ratio eſt, tum quia hæc videtur eſſe mens, & intentio Superioris prohibentis ſcribere, parum enim refert literas componere, & ſcribere, niſi perveniant. Tum quia, licet effectus extrinſecus, regulariter loquendo, non cadat ſub prohibitione, nec ſit illius materia, ſed potius finis; nihilominus ſub prohibitione cadit, & illius materia cenſetur, quoties Superior illum expreſsè, vel tacitè petit, ut probatur ex *leg. ſi Burſatorem, C. de fidejuſs.* ubi habetur, illum, qui promiſit Judici latronem invenire, non ſatisfacere, niſi latronem captum Judici exhibeat. Quamvis igitur literas ſcribere, & tranſmittere, non ſignificet propriè, ut perveniant; præſumitur, id voluiſſe Prælatum ſtatuentem, quia tranſmiſſio Epiſtolæ, non noceret Moniali, niſi perveniret ad illam. Confirmari poteſt Doctrina hujus notabilis à ſimili, de excommunicatione lata contra ſcribentes Cardinalibus clauſis in Conclavi, pro Electione Summi Pontificis, qui tali non afficiuntur excomunicatione, ſi literæ ipſæ ad Cardinales non pervenerint, eo quia effectus ex parte ſcribentis, & mittentis non ſit conſumatus (ut latè *Diana to.* 9. *Coord. reſ.* 104. *ex par.* 12. *reſ.* 11. *Bonac. in tract. de Electíon. Summi Pontific. qu.* 4. *Propoſit.* 2. *n.* 2. *Verſ. Reſpondeo ex vi, fol. mihi* 114. *Petrus Maria Paſſerinus tract. eod. quæſt.* 12. *n.* 35. *Verſ. Dubitatur decimo, fol. mihi* 62. & alii apud eoſdem.) Ubi autem actus contra legem non eſt conſumatus, pœna ordinaria non habet locum. Et præterea, quia verba cum effectu intelligenda ſunt, *leg.* 1. *§. hæc verba, ff. quod quiſque juris, leg. quoties, ff. qui ſatiſd. cog. & cap. ſi à Judice de appellation. libr.* 6. Ex quo ſequitur (infert *Bonac. Propoſit. c.*) eum non affici excommunicatione, qui literas ſcripſit alicui Cardinali, ſed illæ ad Cardinalem non pervenerunt, etiam ſi fortè is, qui eas intercepit, eidem Cardinali ſignificaverit, quid in ipſis contineatur. Ratio eſt, quia effectus, ex parte mittentis non eſt conſummatus, quod tamen intelligitur, modo is, qui eas intercepit, non ſignificet contenta in literis de mandato illius, qui literas miſerat, is enim munere nuncii fungeretur. Et hinc etiam patet, nec pœnis aſfici ſcribentem literas Monialibus, quæ ad ipſas non pervenerunt, etiam ſi aliquis Monialibus ore detulerit, quæ in literis continebantur; quia hoc pacto literæ non dicuntur, ad Monialem pervenire, ſed ſolum indicatur, quid in literis contineretur: non eſt autem idem relatio, quod traditio Epiſtolæ, requiſita, ut effectus completus judicetur, & habeatur. *Sanch. n. c.* 117. *Bonac. ſub n.* 6. *c. de Clauſ. Verſ. Hinc patet. Donatus qu.* 11. *c.* & alii. *Eſſet tamen excommunicatus* (concludit *Graff. Verſ. cit. Ex quibus collige tria*) *etiam ſi literas ad manus illius non devenerint, ſed per mediam perſonam Moniali lectæ fuerint, quia non curamus de modo, ſi habemus effectum.*

438 Quares ſextò: An delinquat contra prohibitionem accedendi ad colloquendum cum Monialibus, & excommunicatione ligetur, qui de Domo ſua propè Monialium Monaſterium poſita, loquitur cum aliqua illarum? Non delinquere ſentiunt *Pellizzar. de Monialib. c.* 5. *ſect.* 5. *nu.* 214. *Tamburin. qu. c.* 8. *Verſ. Ad primum. Januar. reſ.* 34. *n.* 15. *Verſ. Item excuſantur qui. Del Bene ſect. c.* 3. *n.* 13. *Pax Jordanus volum.* 2. *lib.* 7. *tit.* 12. *n.* 57. *fol. mihi* 61. *Bonac. qu.* 3. *cit. de Clauſ. punct.* 1. *Verſ. Secundò ſequitur.* Hi, & alii, ſentiunt, inquam, non delinquere illum, qui domum ſuam Monaſterio contiguam habet, & à feneſtra ejuſdem domus, ex. gr. Monialem alloquitur, quia is non dicitur ad Monaſterium accedere, cum non ſe transferat ad Monaſterium, dum ibi exiſtit; & acceſſus indicet motum ad aliquem locum, ſicut receſſus ſignificat, è contra, motum ab aliquo loco. Prohibitio autem, de qua hic, duo copulativè vetat, acceſſum ad Monaſteria Monialium, & loquutionem, & ideò cum lex hæc, & prohibitio ſit pœnalis, non habet locum in ſola loquutione. Nihilominus

439 Reſpondeo ad quæſitum, probabilius eſſe oppoſitum, & hoc tenendum, uti etiam tenent *Graff. cap.* 5. *c. de Caſib. reſer. num.* 44. *Verſ. Et ſi ſimpliciter, in fine* (ſibi contrarius *to.* 1. *Conſilior. conſil.* 22. *de ſent. excommunic. n.* 23. *in fine, fol. mihi* 559.) *Merolla l.c. à n.* 625. *P. Paſqualig. l.c. n.* 1124. *P. Verricelli qu. cit.* 66. *n.* 20. *Donat. tract. c.* 6. *qu.* 15. *n.* 2. & alii. Ratio eſt: Quia acceſſus ad Monaſteria non prohibetur per ſe, & principaliter, ſed tantum, ut medium ad loquutionem, & per accidens; unde quod

de quod per se, & ratione sui prohibetur, est sola loquutio, accessus verò solum ratione alterius, & per accidens. Hinc tota ratio prohibitionis est in loquutione, & proinde habet locum prohibitio, quoties intervenit loquutio; alioquin qui haberent domum propinquam Monasterio Monialium, & adesset commoditas loquendi è fenestris, possent continuò loqui, absque ullo scrupulo, quod non est concedendum. Et hic optimè subintrat, quod una via prohibitum, non censetur alia concessum *Regula* 84. *de Reg. Juris in* 6. *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*. Unde si per viam accessus ad Monasteria, est prohibita loquutio, erit etiam prohibita, quacunque alia via fieri possit. Confirmatur, *Tum quia*, in præsenti casu prohibetur simpliciter alloquutio cum Monialibus sine licentia, hoc autem debet intelligi sive loquatur in Monasterio, sive extra. Non enim casus distinguit, sicque nec nos distinguere debemus, & ideò casus prohibet accessum, quia ponit ipsum à communiter accidentibus, non tamen mens est prohibentis, quin si quis loquatur extra Monasterium cum Moniali quæ intus est in Monasterio non includatur, aliter existens quis in Platea propè portam Monasterii, loquendo ad libitum quantum vellet cum Monialibus, nunquam ligaretur Censura, quod videtur absurdum. *Tum quia*, finis hujusmodi accessus, adeò est colloquutio simpliciter, ut ipsa impossibili reddita, non sit, qui desideret ad Moniales accedere, ergo accessus considerandus est, ut medium tantum ad loquutionem, & non per se, sed per accidens solum, eo quod regulariter præcedere soleat colloquutionem, & nemo soleat alloqui Moniales, existentes in Monasterio, nisi accedat prius ad Monasterium; igitur deficiente hoc accessorio, non desinit locum habere prohibitio, & excommunicatio. *Tum quia*, ex opposita Adversariorum responsione, & sententia sequeretur, non ligari excommunicatione eum, qui accederet ad Monasterium absq; animo absolutè loquendi cum Monialibus, & postea, illic existens, mutatò animo, loqueretur cum illis, quod certè affirmabit nullus. Sequela probatur, quia excommunicatio, de qua hic, fertur tantum in eos, qui accedunt ad Monasteria Monialium, ut colloquantur cum illis, ut constat ex prohibitione ipsa, & expressè inter alios docet *Petrus Maria Passerinus par.* 2. *in l.* 6. *Decretal. in Cap. Periculoso Unicum. De Statu Regularium n.* 157. *fol. mihi* 315. per hæc verba: *Neque prohibitus est merus accessus personalis Physicus; possunt enim exteri accedere ad Ecclesias Monialium, & etiam ad externa loca, non ingrediendo Clausuram, sed prohibitus est accessus ad Moniales ipsas, causa alloquendi ipsas: vel etiam causa aspectus illarum tam activi, quam passivi*: ergo ad incurrendam excommunicationem hanc, non quilibet accessus, simul cum loquutione sufficit, sed requiritur accessus ad finem colloquendi cum Monialibus. Ne igitur hoc dicamus, & hujusmodi inconveniens adimittamus, affirmandum est, id, quod formaliter, ac per se, excommunicatione punitur, esse ipsam collocutionem, accessum verò se habere omninò per accidens. *Tum etiam quia*: Mens, & finis Prælati Ordinarii, hujusmodi prohibitionem, ac excommunicationem indicentis, est utique per omnes, ad tollendam occasionem peccandi ipsis Monialibus, & removendi omnia impedimenta, quæ possint eas à Divino servitio distrahere earum communitatem, per loquutionem destruere, &c. sed hæc ratio militat etiam in casu, de quo hic, ut ex se constat: Ergo.

440 Si dicas, accessus ad Monialium Monasteria consideratur per nos materialiter tantum, & per accidens, & est in se res indifferens, sicuti indifferens res est, loquutio cum ipsis Monialibus, ergo in casu nostro non obligat ad mortale, maximè si qui loquitur, certus est, non destruere communitatem, &c. per suam loquutionem, quia tunc cessat finis. Si inquam hoc dicas, Contra: Nam esto etiam, quod accessus ad Monasteria Monialium, & locutio cum ipsis, res sint indifferentes, tamen in casu nostro obligant sub peccato mortali, & transgressor consequenter est excommunicatus. Quia materia indifferens, ratione circumstantiæ evadit gravis. Ut optimè etiam *Valent. to.* 2. *disp.* 7. *qu.* 5. *punct.* 6. *Vers. Tertiò colligitur, fol. mihi* 957. ubi ait: *Arbitror nonnullos decipi, qui putant, Prælatos Ecclesiasticos non posse, quantumcumque velint obligare sub peccato mortali subditos, ut servent, verbi gratia, silentium, hoc, aut illo tempore, vel aliquid faciant, quod ex suo genere, non sit magni momenti. Fieri enim potest, ut circumstantia aliqua addat ejusmodi materiis gravitatem*. Hinc pariter *Januar. ref.* 34. *n.* 13. *Vers. Nota tertiò*: cum eodem *Valent.* item ait: *Et sic silentium præceptum à Superiore tali tempore, si ad bonum communitatis, vel ad non scandalizandum proximum tendit, obligat sub mortali. Sic etiam accessus ad Hortum Conventus, aut ad talem Domum alicujus*

alicujus sæcularis, aut transitus per talem vicum, vel plateam: aut ne cum tali, aut tali persona loquatur, hæc enim, & si sint in se parvi momenti, tamen si comparentur ad honestatem, bonum nomen Religiosorum, aut ratione periculi, scandali, vel alterius circumstantiæ, efficiuntur res magni momenti, & ideò obligant sub mortali: ita Januar. & ante ipsum, eademmet verba, & exempla profert *Sayr. in Clavi Regia lib. 3. cap. 7. n.* 14. cum aliis ibi, & apud *Salas de Legib. disp.* 10. *sect.* 6. *sub n.* 32. *fol. mihi* 234. *Vers. Observant etiam*. Ubi in principio, & ipse sic: *Observant etiam Suar. Med. Valent. Sayr. & alii, aliquando materiam, quæ ex se est indifferens, aut levis, relatam ad aliquod commune bonum esse gravem: ideò si præcipiatur sub Censura* (ut fit in casu nostro) *validam esse Censuram*. Secus verò dicendum est, quando materia est levis, inspectis etiam circumstantiis, benè addit *Januar. n. c.* 13. cum *Baldello to.* 1. *lib.* 5. *disp.* 20. *n.* 8. Cum igitur, in casu nostro, loquutio cum Monialibus tendat ad destructionem communitatis, & decentiæ Clausuræ: Si n. omnes Moniales vellent loqui cum sæcularibus indifferenter, & Clausura otiosa esset, & communitas destrueretur, nec possent Moniales opportunius Deo servire, ut in *Cap. Periculoso Unico, de Statu Regularium in* 6. Ideò loquutio, & accessus habent conditiones graves in casu nostro, ob quas prohiberi possunt sub reatu mortali, & in pœnam, excommunicationem addere: Et ob quas etiam ipsa *Sacra Congregatio* alloquutionem eandem, tanquam aliquid grave prohibet, & imponit transgressoribus pœnam valdè gravem, quæ non solet imponi, nisi pro peccato mortali, ut notant communiter Doctores, quos recenset, & sequitur *P. Pasqual. l. c. n.* 1117.

441 Nec, quod ultimò assumitur in oppositione, quod videlicet possit loqui, qui certus est, per suam loquutionem non destruere communitatem, &c. eo quia tunc cessat finis, verum non est; non enim cessat adæquatus finis. Quia dici non potest, quod hujusmodi lex, & prohibitio sit fundata in præsumptione, qua cessante, cesset etiam obligatio ipsius; nam falsum est, quod fundetur in præsumptione colloquii ad malum finem, sed fundatur in periculis annexis tali colloquutioni. Lex autem semper obligat, quamvis in aliquo casu non adsit periculum, quod intendit vitare, quia non cessat finis adæquatus ipsius. Ita inter alios notat *Januar. ref. c.* 34. *n.* 14. & cum ipso *P. Pasqu. l. c. n.* 1118. Lex namque seu præceptum multoties non fundatur in præsumptione facti, vel delicti, sed fundatur in periculo facti, vel delicti. Quando lex, seu præceptum fundatur in præsumptione facti, vel delicti, si factum, vel delictum cessat, cessat etiam obligatio legis: *Quotiescumque lex aliqua positiva, aut Judicis sententia fundatur super sola præsumptione, non obligat in conscientia illum, qui de veritate in contrarium certus est: Sayr. cap. c.* 7. *n.* 8. *in principio* cum aliis pluribus Doctoribus ibi recitatis, quibus (omissis aliis) addo *Suar. de Legib. lib.* 3. *cap.* 23. *n.* 9. *& Januar. l. c. n.* 14. Quando verò lex, seu præceptum fundatur in periculo facti, seu delicti, & si delictum, seu factum cesset in aliquo casu speciali, quia tamen non cessat generaliter, & absolutè, ideſt, non cessat ab entitate præcepta in se, & ideò, nec cessat lex, aut præceptum. Cui doctrinæ subscribit etiam *Donat. tract.* 6. *cit. q.* 5. *in fine*, ubi ait: *De legibus prohibentibus locutionem cum Monialibus, dicendum est; ipsas non præsumere periculum aliquod determinatè, sed vagè, & indeterminatè, quare obligant omnes subditos in singulis casibus, etiamsi in aliquo non adsit periculum, ut benè advertit doctissimus Verricellus n.* 18. *ubi supra*. Hac de causa, inquiunt DD. communiter, præsertim *Pal. to.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 14. *n.* 13. Contractus Minoris, & Pupilli sine authoritate Tutoris, & aliis conditionibus requisitis: Donatio Uxoris facta Marito; obligatio dotis; renunciatio illius, aut legitimæ: Confectio Testamenti: Electio, & alia plura sine definita à jure Solemnitate effecta, irritantur; quia hujusmodi contractus sine propria à jure præscripta Solemnitate, judicantur habere periculum fraudis. Matrimonium pariter Clandestinum, alienatio bonorum Ecclesiæ, sine Solemnitate à jure requisita, invalida sunt, quia in modo illo contrahendi præsumitur, seu judicatur periculum adesse fraudis; esto etiam in hoc, vel illo casu nullum sit, semper enim verum est dicere, talem contractum sic factum periculosum esse, ut latè etiam explicant *Suar.*, *Salas*, *Bonac.*, & alii apud eundem *Pala.* apud quem sub *n. c.* 13. *Vers. Ex hac*: optimè deducit *Basilius de Leon lib.* 5. *de Matrim. cap.* 5. *n.* 11. Religiosorum præcepta prohibentia in virtute obedientiæ ingressum in Cellas, ob aliqua incommoda vitanda, obligare in casu, in quo aliquis certò sciat, non adesse ibi periculum, ratione cujus præceptum impositum fuit, quia esto non adsit periculum in illo casu, adest tamen generaliter, & ut plu-

mum, quod sufficit, quia fuit hæc causa imponendi præceptum. Sicque etiam in casu nostro, præceptum hoc, & hæc excommunicatio non fundatur in præsumptione destructionis communitatis, & decentiæ Clausuræ, sed in periculo tantum illius, quod periculum semper esse potest, quando quis loquitur sine licentia, & si actu non sit, & periculum tantum sufficit ad hoc, ut lex, seu præceptum subsistat. Et ita etiam *Januar. n.* 14. *cit. in fine*. Et hæc eadem doctrina confirmari potest, ex acceptissimo Doctorum axiomate, quod lex, videlicet, accidentarios casus non respicit, sed ea, quæ ut plurimum contingunt. Unde *Pomponius*, *ff. de leg.* ait: Jura constitui debere in his, quæ accidunt, & usu venire possunt: non tamen in his, quæ præter opinionem, & insperatè contingunt. Quare, & si ratio legis fuit, & est, ut obvietur malis, & peccatis, nihilominus, & si in aliquo casu talis deficiat finis, lex non desinit, suum retinere vigorem: quod inspexit, & docuit etiam *Sotus de Just. lib.* 4. *qu.* 5. *art.* 3. in quo, & ipse in vim suæ, communisque doctrinæ sic exemplificat. Prohibet lex, pueros sua propria sponte bona sua alienare: cujus utique finis est, ne per eorum imprudentiam malè dilapidentur. Contingit esse puerum decem, vel duodecim annorum, qui sapientissimè, & in rem suam possit de suis bonis disponere, contractus propterea inconsulto tutore ab ipso factus, tenebit in conscientia? profectò non. Item, finis legis jejunii, est corporum maceratio; quis illa maceratione non indiget, fiet iste exemptus à lege? minimè. Prohibet etiam lex arma nocturna, qui pacificus est, potest illa deferre? nequaquam. Eodem ergo modo in casu nostro, accedat quis ad Moniales, colloquatur absque interventu scandali alicujus, &c. cessat lex in isto? minimè gentium.

442 Quæres septimò: An prohibitio colloquendi cum Monialibus, absque licentia, comprehendat etiam Novitias, Puellas in Monasterio, pro educatione commorantes, & alias fœminas, ibi degentes causa securitatis, &c. Respondeo negativè, attento præcisè jure communi, cum *Graff. to.* 2. *consil. lib.* 5. *tit. de sentent. excommunic. consil.* 22. *n.* 26. *Bellochio de Casib. reser. par.* 2. *qu.* 9. *n.* 181. *Tamb. de Abbatissis Disp.* 25. *qu.* 8. *Vers. Ad quintum, in fine*. *Diana to.* 5. *Coord. tract.* 1. *res.* 84. *Vers. Noto nonò, n.* 9. *ex par.* 3. *tract.* 2. *res.* 48. *Pellizz. de Monial. cap.* 5. *sect.* 5. *qu.* 8. *num.* 208. & aliis. Et quidem si de Novitiis sit sermo, patet responsio, quia de Jure communi tantum interdicitur accessus ad Moniales, & ad colloquendum cum illis, appellatione autem Monialium propriè veniunt professæ, quæ degunt sub aliqua Regula, *Cap. Unico Periculoso, de Statu Regularium in* 6. & D. D. communiter: ergo excluduntur Novitiæ, cum simus in pœnis, in quibus facienda est stricta interpretatio, eo quia Novitia non sit verè Monialis, consequenter loquens cum ea, non alligatur reservatione, &c. Quod confirmari optimè potest à pari, ex stricta prohibitione (ut infra) quam habent Regulares accedendi ad Moniales, & cum illis alloquendi. Hac supposita, inquirit *P. Pasqualig. in Francum par.* 1. *n.* 1125. an hæc prohibitio extendatur ad Novitios: & negativè respondet cum *Portel. de dub. Regular. Verbo Novitii absolutio, nu.* 35. *& Paulo Squillante de Privileg. Episcopor. par.* 1. *cap.* 13. *n.* 51. loquendo nedum de Novitiis Equitum Hierosolymitanorum, sed etiam de Claustralibus. Quia videlicet licet Novitii (sicque etiam Novitiæ) in favorabilibus veniant nomine Religiosorum, non tamen in odiosis, atque adeò non comprehenduntur sub legibus pœnalibus loquentibus de Religiosis. Siquidem ante Professionem remanent Laici, *Cap. Constitutionem, de Regular. in* 6. *Et Cap. Religioso, de sentent. excommunicat. in* 6. ubi: *Is qui Religionem ingreditur, Religiosus censeri cum effectu non potest, donec sit tacitè, vel expressè Professus:* & idem omninò est de Religiosa. Unde in casu nostro, de utrisque eadem est ratio, ac de Laicis, & Sæcularibus. Et si prohibitio accedendi ad Moniales, non comprehendit accessum ad Novitias, quia istæ ante Professionem censeri cum effectu, & propriè non possunt Religiosæ, & Moniales: à fortiori eadem ratio probat responsionem nostram de Puellis manentibus in educatione, & aliis Fœminis, quibuscumque commorantibus intra Monasteria Monialium; nam hæc nullo pacto nomine veniunt Monialium, neque in odiosis, neque in favorabilibus, cum alias in favorabilibus Novitiæ reputentur Moniales. Dixi, *attento præcisè jure communi*, ut innuerem jure particulari locorum, quandoque contingere posse oppositum; ut si alicubi prohibeatur accessus ad Moniales, & alias quascumque fœminas intra Clausuram degentes; sicut revera fit in aliquibus locis (& factum est etiam à *S. Congregat. Concilii*, in suo superius tradito Decreto, à *Sanctiss. Clem. IX.* approbato, in quo, ut patet

ut patet expreſsè, prohibita eſt loquutio, abſque licentia, *cum Monialibus, aut aliis intra Clauſuram degentibus*,) tunc enim requiritur facultas Ordinarii, etiam, ut quis accedat ad Novitias. Puellas, aliaſq; fœmias, cum Monialibus degentes cum prohibitio ſit generalis, & comprehendat illas omnes. A quibus excipe, cum *P. Paſqu. l. c. n.* 1119. Moniales Converſas, non ſervantes Clauſuram, quæ deſtinatæ ſunt ad mendicandum: teſtante enim *Naldo in Summa Verbo Monialis, n.* 17. *Verbo Si quæ autem* (apud eundem *P. Paſqualig.*) *Sacra Congregat. Epiſcopor. & Regularium* ita reſcripſit Generali P. P. Cappucinorum *die* 15. *Martii* 1594.

443 Quæres ſeptimò: An Regulares, accedentes ad colloquendum cum Monialibus, peccent mortaliter ob tranſgreſſionem Conſtitutionum Summorum Pontificum, & Decretorum Sacræ Congregationis, quibus prohibetur dictus acceſſus? Supponit quæſitum, extare Summorum Pontificum Conſtitutiones, & S. Congregationis Decreta prohibentia Regularibus acceſſum ad Moniales, ad colloquendum cum illis, uti certè extant, & per extenſum videri poſſunt apud *Lezza.*, *Dianam*, *Paſqualig.*, *Bonac.*, *Quarant.*, *Novarium*, *Tambur.*, *Pellizzar.*, *Bord.*, *Peyrin.*, *Donatum*, alioſque innumeros: quo ſuppoſito, hic inquiritur: An Regulares hujuſmodi prohibitionem tranſgrediendo, peccent mortaliter. Reſpondeo affirmativè, cum *Salas de Legib. diſp.* 15. *ſect.* 1. *concluſ.* 2. *n.* 16. *in fine*, *Verſu Hinc decretum*. *Duardo in Bullam Cœnæ lib.* 3. *§.* 8. *quæſt.* 2. *n.* 45. *Bonac. de Clauſ. quæſt.* 3. *punct.* 4. *n.* 4. *Peyr. de Privil. tom.* 2. *Conſtitut.* 6. *Pii V. §.* 10. *n.* 36. *Pellizz. de Monial. cap.* 5. *ſect.* 5. *qu.* 5. *n.* 199. *Coriol. de Caſib. reſer. par.* 2. *caſu* 8. *n.* 28. & 29. *Lezza. in Sum. to.* 4. *Verbo Moniales n.* 20. *Tambur. de Jure Abbatiſſar. diſp.* 25. *quæſt.* 5. *nu.* 1. *Diana to.* 7. *Coord. tract.* 1. *reſ.* 305. 306. 307. *nu.* 2. & 308. *n.* 2. *Ex par.* 1. *tract.* 10. *reſ.* 22. *Ex par.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 104. *Ex par.* 10. *tract.* 13. & *Miſcell.* 3. *reſ.* 26. *Ex par.* 10. *tract.* 14. & *Miſcell.* 4. *reſ.* 54. *alias* 52. *Paſqualigo in Francum par.* 1. *n.* 1117. *Verricelli qu. c.* 66. *n.* 15. *Squillante de Privilegiis Epiſcopor. par.* 1. *cap.* 13. *n.* 56. *Barboſa de Jure Eccleſiaſtico lib.* 1. *cap.* 44. *n.* 156. *Pace Jordano volum.* 2. *libro* 7. *tit.* 12. *n.* 27. *Donato qu.* 5. *c. n.* 5. aliiſque pluribus. Et reſponſionem hanc noſtram, totque Claſſicorum Doctorum, hodie certam eſſe dicit *Tambur. n. p. cit. in princip.* adeò, ut omninò dicendum videatur, negativam ſententiam non eſſe ſuſtinendam, inquit *Diana reſ. cit.* 308. *Coord. nu.* 3. neque circa eam relinqui amplius diſputationi locum, *Coriol. n.* 28. *cit.* quod etiam clarum eſt, quia ita cenſuit, ac declaravit *Sacra Congregatio die* 1. *Julii* 1606. quorum verba invenies apud *Duardum*, *Peyrin.*, *Dian.*, *Coriolan.*, *Tamburin.*, *l. l. c. c.* & apud alios, quæ iſta ſunt: *Sacra Congregatio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotiis Regularium Præpoſita attentis narratis, ac dubio præfato, maturè diſcuſſo, cenſuit, ac declaravit, Regulares accedentes ad Monaſteria Monialium contra formam Decreti, quo hujuſmodi acceſſus per Sacram Congregationem prohibetur, ultra pœnas privationis Officiorum, ac vocis activæ, & paſſivæ, incurrere etiam pœnam peccati mortalis, & ita, &c.* Accedit etiam ratio, quia lex imponens pœnam gravem, obligat ſub mortali, ut notant communiter Doctores; item quando prohibet aliquid prohibet aliquid, tanquam grave, ſed talis eſt lex, prohibens Regularibus acceſſum, & locutionem cum Monialibus, cum privet tranſgreſſores, nedum Officiis, ſed etiam voce activa, & paſſiva, reddatque illos illegibiles, & impoſtulabiles activè, & paſſivè, ut notat etiam *Lezza. Verbo Moniales n.* 20. ergo obligat ſub mortali. Vide DD. relatos.

444 Quæres octavo: An excommunicatio Epiſcopi contra accedentes ſine licentia ad Monaſteria Monialium, afficiat Regulares ſine licentia accedentes? Reſpondeo, quod, & ſi antiquitus hoc idem quæſitum controverſum fuerit, & de Regularibus Privilegium habentibus, ut non poſſint excommunicari ab Epiſcopis, partem negantem Doctores plurimi ſequuti fuerint, quos referunt *Barboſa de Poteſtate Epiſcop. par.* 3. *alleg.* 102. *nu.* 73. *Verſ. Dubitari poteſt*, & *Tambur. diſp. c.* 25. *quæſito* 9. *n.* 1. hodiè tamen non eſt dubitandum, nec amplius huic dubitationi locus eſt (ut notant etiam *Paſſerin. in cap. Periculoſo de Statu Regul. n.* 196. & *Donat. in Praxi tom.* 4. *tract.* 6. *Tit. de Acceſſu ad Moniales qu.* 20. *n.* 1.) quod excommunicatio Epiſcopi, ejuſdemque reſervatio afficiat Regulares, etiam exemptos: hodie enim inquam, clarum eſt, poſſe hos ab Epiſcopo loci coerceri, & puniri, etiam ſi colloquantur cum Monialibus ſibi ſubiectis, nam, habetur hoc expreſsè in *Conſtitutione Gregorii XV. incip. Inſcrutabili, de Exemptorum Privilegiis*, quam habes per extenſum apud *Donat. in Praxi Rerum Regular. to.* 1. *par.* 2. *tract.* 13. *Tit. de Exemptione Religioſorum ſub quæſt.* 91. *fol.* mihi

mihi 337. & apud alios; estq; *Constitutio* 18. *inter Constitutiones hujus Pontificis in Bullario Romano novo, tom. 3. fol. mihi* 296. *edita Anno* 1622. *Nonis Februarii, Pontificatus Anno secundo*, in qua sic §. 4. *in fine*: *Ad hæc tam Regulares, quam Sæculares, hujusmodi, nullis Privilegiis, aut Exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa Clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo loci similiter, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant*. Hæc ibi: sed posita D. Episcopi reservatione, accedere ad Monasteria Monialium, & colloqui sine licentia, & indebitè, est delinquere in locutione, circa personas ibi detentas, contra dispositionem *dictæ Constitutionis Gregorii XV.* ab *Vrb. VIII.* etiam ejus Successore *de Anno* 1624. approbatam, ut notant *Bonac. de Clausf. qu. 3. punc. 4. proposit. 3. Vers. Quintò dubium est, n. 8. in fine. Donat. to. cit. 4. tract. 6. qu. 20. n. p. in fine*, aliique, ergo. Et quod item modò Episcopi contra Regulares delinquentes circa personas Monialium, aut circa Clausuram, possint (nullo obstante Privilegio) per excommunicationem procedere, confirmari evidenter potest, ex *Decreto Sacræ Congregat.* supra per extensum relato, & à *Sanctiss. Clement. IX. sub die* 11. *Maii* 1669. approbato, dum in ipso, ut patet legenti, ita præcipitur: *Regulares cujuscumque Ordinis, Militiæ, & Societatis, Congregationis, & Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad Monasteria Monialium, quamvis ab Ordinarii jurisdictione, quomodolibet exempta, & etiam ipsis Regularibus subjecta, vel alias speciali mentione digna, absque legitima facultate, accedunt, culloquendo, etiam per quodcumque Modicum temporis spatium, cum Monialibus, aut aliis intra Clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque contra Regulares, accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium, statutis pœnis, posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, coerceri*, hæc *Sacra Congregatio Sanctitate Sua approbante, servarique mandante*: Vera igitur nostra responsio, & quod nunc videlicet dicta Episcopalis, ac reservata excommunicatio, liget etiam Regulares (imò, & Moniales, addo cum *Passerino n.* 196. *c.*) facta de illis mentione, adeò, ut Superiores Regulares, ab hac excommunicatione absolvere non possint, quod decisum fuisse à *Sacra Cardinalium Congregat.* refert *Stephanus Quaranta Verbo Monasteria Monialium, Vers. Dubitari potest, fol. mihi* 453. sub his verbis: *Regulares sic excommunicati, non possunt absolvi à suis Superioribus, sed ab Episcopo, qui sibi hanc absolutionem reservavit, & ità Sacram Congregationem respondisse die* 4. *Aprilis* 1587. *ex Capuccino in Compendio Mendicant. refert Roderic. to. pr. qq. Regul. qu.* 45. *art.* 2. Clarum enim est, atque indubitatum, quod nullus à non suo Judice ligari potest, nec solvi, *Cap. Cum inferior, de Majoritate, & Obedientia*: ut notat etiam *Tambur. de Jure Abbatissar. disput.* 25. *qu.* 9. *n.* 2. addens in fine, quod, *dum non est expresiè vetitus accessus ab Episcopo ad Monasteria exempta, generica prohibitio non afficit euntes ad Monasteria exempta*, pro qua re citat etiam *Sylvestrum, Campanil. Novarium, & Doctores in Capitul. fin. de foro compet.* Addens insuper, & *Passer. n. c.* 196. *in fine*, hac in re attendi debere, *quod cum Regulares digni sint speciali expressione, sub generalibus Edicti Episcopalis verbis non comprehenduntur, nisi nominatim exprimantur, vel Clausulæ sint adeò universales, & prægnantes, ut æquivaleant expressioni specificatæ*. Et hæc optima advertentia valido fundamento firmari potest; eo quia videlicet, ad hoc, ut excommunicentur Regulares, necessarium est, ut nominatim exprimantur, & ita pro *Minoribus Fratribus* declaravit *Nicolaus V.* noluitque, *Fratres ligari aliqua Censura excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, Juris, & hominis, nisi nominatim fiat mentio de illis, nec sufficit, si dicatur in sententia generaliter, ut proinde valeat, ac si essent expresiè nominati, &c. Quæ declaratio habetur in Bibliotheca Vaticana, ut dicitur in Compend. Societat. Jesu, Verbo Excommunicatio, & refert Rodriq. tom.* 2. *qu.* 59. *art.* 5. Quod totum habes apud *Donat. in sua Praxi To. pr. par.* 2. *tract.* 13. *titul. de Exemptione Religiosorum qu.* 25. *num.* 1. *fol.* 303.

445 Dixi supra cum *Salmanticensib.* quod quœlibet reservatio est pœna Medicinalis, & quod pœna Medicinalis ab ignorantibus illam minimè incurritur. Quoniam autem hujusmodi dictum, pro praxi valdè deservit, probatur hic cum iisdem *Salmanticensibus*: Quia videlicet pœnæ Medicinales, quamvis, ut pœnæ imponantur in punitionem præteriti delicti; ut Medicinales tamen imponuntur ad præcavendum peccatum in futurum, ut saltem timore pœnæ perterritus peccator retrahatur à lapsu. Ideò enim reservantur peccata, ut homines, scientes difficulter absolutionem obtenturos,

tenturos, ab eis committendis cohibeantur. Ob idque graviora peccata sunt, quæ reservantur, ut timore adeundi ad Superiorem pro illorum relaxatione, difficilius committantur, ad quod notitia reservationis, omninò requiritur, quia respectu illius, qui nesciret, peccatum esse reservatum, reservatio nullo modo à commissione illius cohiberet, & finis intentus à Superiore, in tali reservatione omninò cessaret, ergo sicut respectu ignorantis, cessat finis reservationis, nec ista est Medicina retrahens à peccato, ita respectu illius cessat reservatio: sic etiam *Salmanticenses l. c.* Ex quorum doctrina hic obiter deduc, quam probabile, sit id, quod, & sub probabilitate etiam tantum affirmo dicta *hujus cap. Privil.* 13. & 14. ignorantiam videlicet invincibilem casuum reservatorum Episcopalium, tum cum Censura, tum absque, impedire eorundem casuum reservationem, ab eaque excusare.

446 Ob majorem autem traditæ doctrinæ claritatem, iidem *Salmanticenses l. c. n.* 14. Eandem explicant duplici exemplo: Primum est, quod in excommunicatione accidit. Excommunicatio namque, simul est pœna, & Medicina, ratio autem Medicinæ in ipsa, non tollit rationem pœnæ, licet una cum alia connectatur. Qua parte est pœna, dicitur, ad jam factum delictum puniendum: qua verò parte est Medicina, dicitur talis ad impedimentum faciendum: & cum hæc impedimentum non apponat respectu ignorantis illam, ab eo non incurritur excommunicatio, nec ratione pœnæ, nec ratione Medicinæ. Secundum exemplum est in Voto pœnali: si quis enim talem pœnam sibi imponat, si in tali, vel tali crimine labatur, talis pœna est Medicinalis ad retrahendum à commissione peccati, ut saltem timore talis pœnæ ab ipso retrahatur peccator, & tamen si oblitus pœnæ delictum committat, eam non incurret, quia talis pœna respectu illius, in hoc casu non est Medicinalis; eo quia finis intentus à vovente in impositione illius penitus cessat, cum non possit perterrere, nec à peccato retrahere pœna, eum, qui illam ignorat, aut ejus omninò, obliviscitur: similiter ergo Philosophandum est in reservatione. Supponunt hic *Salmanticenses*, id quod advertunt superius *nu.* 10. *ejusdem §.* 2. *Vers. secundò supponendum*, & quod nos pariter pluribus in locis, affirmamus, oblivionem videlicet actualem, seu inadvertentiam excommunicationis, alteriusve Censuræ, vel reservationis ejusdem, aut alterius casus, eodem modo, ac ignorantia, ab illarum, illorumve incursione excusare; si quidem oblivio, inadvertentia, & ignorantia invincibilis æquiparantur in ordine ad excusandum à culpa, & ita etiam in ordine ad excusandum à pœna, vel reservatione, quæ quasi pœna judicatur, ut probant etiam *Sanch. lib. pr. Summ. cap.* 16. *n.* 8. *& lib.* 4. *cap.* 22. *n.* 18. *Diana Coordin. to.* 5. *tract. pr. resol.* 35. *Ex part.* 9. *tract.* 6. *& Miscell. pr. resol.* 13. quam vocat multum animarum consolatoriam, pro qua alios plures, & classicos citat. Et *Matthæus de Moya in selectis qq. tract.* 3. *disp. pr. qu.* 2. *nu.* 8. ubi ait: hoc esse maximè observandum ad plurium casuum resolutionem.

447 Nec ex tradita doctrina sequitur (quod fortasse obiici potest quis) Votum Castitatis, v. g. seu Religionis reservatum, tale non manere in eo, qui illud emisit cum ignorantia invincibili reservationis: Non, inquam, sequitur ob rationem disparitatis, videlicet, quæ intervenit inter reservationem Voti, & reservationem peccati: reservatio namque Voti non imponitur, ut pœna, sed propter Voti, & materiæ ejusdem gravitatem, ob quam æquum minimè erat, quod res maximi ponderis passim relaxaretur; & cum res sit tanti momenti, solum Superiori, ac Principi supremo reservata maneret. Neque hæc eadem reservatio imponitur, ut Medicina retrahens à vovendo, sed potius, ut magis, & plus voventes firmentur in Voto, & ne de facili à promissione Deo facta recedant. Unde Votum Castitatis, v. g. reservatum manet, etiam respectu illius, qui dum illud emisit, ignarus, vel immemor erat illius reservationis, quod secus propter oppositam rationem contingit in Casibus, & Censuris reservatis.

PRIVILEGIUM XXIX.

Monialis Professa, quæ invincibiliter ignara propriæ inhabilitatis ad testandum, condit causa mortis suum Testamentum, à culpa lethali excusatur ratione ignorantiæ, & si ejusdem testamentaria dispositio irrita sit, ac nullius valoris.

448 Religiosam Monialem Professam, nequire condere Testamentum, aut Codicillum (uti nec Virum Regularem Professum) neque per propriam ultimam voluntatem disponere causa mortis, certum est, ac declaratum, *in Authentica Ingressi, Cod. de Sacrosanct. Ecclesia*, quæ Canoniza-

ta est

ta est per *Gregorium Papam in Cap. Quia ingredientibus, Causa* 19. *qu.* 3. ubi, *Ingredientibus Monasterium, nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem Monasterii juris fiant, aperta legis definitione decretum est*; etiam constat ex alio, item *Cap. Ingredientibus* 2. *de Testamentis* quod pariter est *Gregorii confirmantis Authenticam*: in quo, quod *Abbatissa testari non potest, etiam si nunquam induisset habitum Monachalem*. Et si Monialis Professa (uti, & Religiosus Professus) absque dispensatione Papæ, faceret Testamentum, aut Codicillum, nedum peccaret, ob illicitum patratum actum, sed etiam actum irritum, invalidum, ac nullum ageret. Tum quia Religiosa (& Religiosus) vi Voti Paupertatis privatur omni dominio, & incapax illius efficitur; testari autem supponit quod habeatur proprium, aut dominium: tum etiam quia, quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio; sicque nihil habere potest, de quo disponat per Testamentum, aut Codicillum. Ita *Suar. to.* 3. *de Relig. lib.* 8. *Tit. de Paupertate, & de Testamentis Religiosor. cap.* 16. *n.* 1. *Sanch. in Decal. to.* 2. *lib.* 7. *cap.* 8. *n.* 2. *Less. de Justit. lib.* 2. *c.* 19. *Tit. de Testamentis dub.* 4. *n.* 40. *Lezza. to.* 1. *cap.* 9. *n.* 19. *to.* 4. *Verbo Legata Regularib. relicta n.* 4. *& eodem to.* 4. *Verbo Testamentum, quo ad Regulares n.* 1. *Laym. lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *n.* 3. *Versu Religionem Professus. Jo: de Lugo de Justit. to.* 10. *disp.* 3. *sect.* 6. *n.* 109. *Stephanus D'Alvin de Potestate Episcopor. Abbatum, & Abbatissar. cap.* 8. *Versu Disponere inquam. Diana to.* 7. *Coord. tract.* 3. *res.* 65. *n.* 3. *Ex par.* 5. *tract.* 3. *res.* 28. *Pellizzar. in Man. Regul. to.* 1. *trac.* 4. *cap.* 2. *sect.* 3. *quæst.* 11. *n.* 204. *Palao par.* 3. *Tit. de Obligat. Religiosi Status, disp.* 3. *punct.* 12. *n.* 1. *Bordon. de Paupertate Religiosa cap.* 8. *qu.* 17. *n.* 44. *Antonius à Spiritu S. in Director. Regular. part.* 2. *Tit. de Obligationib. Religiosor. tract.* 3. *disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 135. *Salmanticenses to.* 3. *Cursus Moralis tr.* 12. *Tit. de Just. & Jure cap.* 2. *punct.* 12. *§.* 3. *à n.* 186. *pag. mihi* 122. & omnes, unanimiter asserentes. Regulam certissimam esse, Moniales Professas, & Religiosos item Professos, nec licitè, nec validè testari posse, nec etiam consequenter Codicillos facere, quia Codicillus pars est Testamenti, illiusque defectum supplet; ideoque impotens testari, capacitatem non habet condendi codicillum. Hujusmodi autem incapacitas condendi Testamentum, aut Codicillum, solo jure humano inducta est, ut constat ex *Juribus, & Doctoribus c. c.* sicuti etiam solo jure humano juxta veriorem sententiam (apud, & cum *Sanch. l. c. n.* 4.) Religiosus est incapax dominii, ac proprii: hinc fit, quod cum eadem incapacitas, ac prohibitio à jure Pontificio dimanet (ut notat pariter idem *Sanch. n.* 5.) & æquè afficiat ipsosmet Prælatos Regulares, nullus Prælatus Summo Pontifice inferior potest dispensare cum Religioso Professo, ut possit facere Testamentum, aut Codicillum: Sed solus Papa sine dubio dispensare potest cum Religiosis, ut etiam post Professionem Solemnem testari possint de propriis bonis, ipsorum scilicet usui concessis: si quidem ipse solus potest dispensare in quocunque Jure positivo Ecclesiastico, quale est istud, de quo hic agimus, ut habent communiter D.D. præsertim *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 8. *à n.* 71. ubi habet, quod sequitur: *Non ideò quis est incapax Juris, & dominii, quod Deo paupertatem promiserit: nec ratione tacitæ renunciationis, quia aliud est, se dominio spoliare, aliud inhabilem se ad illud reddere; sed id provenit ex duabus aliis causis. Prima est: Traditio sui in Jus Ordinis; ita enim se tradidit Ordini, ut partim mancipio, partim filiosfamilias comparetur, quorum neuter sibi acquirit, sed ei, in cujus potestate est. Secunda est: Decretum Ecclesiæ Professioni annexum: hoc enim non solum traditionem illam confirmat, ut ille non possit veluti manumitti, aut emancipari sicut servus, vel filius; aut sui Juris effici; sed etiam illum directè incapacem dominii acquirendi facit, sicut ejusdem Ecclesiæ Decretum reddit profitentem inhabilem ad Matrimonium. Confirmatur, quia non apparet ratio, qua quis seipsum sua authoritate ad hujusmodi inhabilem, & incapacem facere possit, quantumvis enim quis promittat, voveat, aut juret, se nunquam Matrimonium cum hac, vel illa contracturum, aut rem aliquam comparaturum, non ideò efficitur inhabilis, ita ut si contrafaciat, sit irritum. Idem dicendum de dominii abdicatione: debet igitur hæc res ex lege, & potestate Superioris provenire, sicut irregularitas, & inhabilitas ad Beneficia, vel Officia, quam nemo sine Ecclesiæ Constitutione sibi irrogare potest. Privat Professio potestate utendi rebus suo jure, seu absque dependentia à voluntate Superioris: & facit hoc præcisè per Votum paupertatis: in hoc enim paupertas Religiosi essentialiter consistit, ut quis non possit ulla re uti, aut ullam rem possidere, absque Superioris arbitrio, & ut sit paratus omni momento, omne jus à se abdicare. Ut autem careat re ipsa omni dominio, vel ut sit incapax illius, non est de essentia paupertatis Religiosæ; sicut nec de essentia castitatis Religiosæ est, non esse coniugatum, aut esse incapacem coniugii. Hinc*

sequitur primò : Religiosum, si aliquid donaverit, vel alienaverit absque consensu Superioris, non solum peccare mortiferè, violando Votum paupertatis; sed etiam dispositionem esse irritam, & eos, qui acceperint, teneri ad restitutionem: quia caruit potestate disponendi. Idem dicendum, si fecit quidem ex consensu Superioris, sed Superior consensum dare non poterat: ut si expendit in rem turpem. Secundò sequitur : Religiosum non posse validè testari: quia per Professionem privatus est omni dominio, & incapax illius redditus, &c. Hæc, & optimè *Lessius*, ex quibus, uti, & ex antecedentibus.

449 Patet certa veritas nostri propositi Privilegii : Ignorantia enim, quæ hic utique supponitur, & fuit in dicta Moniali, eam excusat absque dubio à peccato mortifero, quia, ut aliquid sit peccatum, debet esse voluntarium (quod usque modo, ita verum esse testatur *D. Augustin. lib. de vera Relig. cap.* 14. ut asserat, quod: *Nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat,*) non est autem voluntarium in Moniali, de qua hic, quippe quæ voluit quidem condere Testamentum, at non voluit voluntariè peccatum, quod ignorabat, consequenter voluntarium esse nequivit. Unde hic quadrat, quod *D. Tho. qu.* 3. *de Malo art.* 8. ait : *Cum aliquis nescit, fornicationem esse peccatum, voluntariè quidam facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum*. Nesciens igitur, & hujusmodi Monialis, peccatum esse mortiferum, contra paupertatis votum, testamentum condere, voluntariè quidem illud condidit, sed non voluntariè fecit peccatum, ergo ab ipso excusatur, sicque vera prima pars Privilegii. Et vera etiam secunda, ut constat, quia testamentum conditum ab incapaci, cujuscumque dominii, ut in casu nostro, irritum est, invalidum, ac nullius roboris, aut valoris: nisi esset factum (quod non fuit) ex concessione, & consensu Summi Pontificis, à quo solo habere potest totum robur suum, non ab alterius inferioris Prælati, aut Superioris concessione, ut supra. Sed contra

450 Dices, refert *Portell. in respons. Moralib. to.* 2. *casu* 85. & ex ipso *Leza. in Sum. to.* 4. *Verbo Testamentum, quo ad Regulares n.* 1. quod quidam Provincialis in scriptis concessit cuidam Moniali, ut res aliquas mobiles, & æstimabiles, quibus utebatur in vita, post mortem ipsius venderentur, & pretim ipsarum applicaretur totum pro Missis celebrandis in Suffragium animæ ejusdem Monialis, præcipiens cum Censuris, ne Abbatissa de illis rebus aliter dispone-ret; sed hoc in substantia est conferre licentiam Moniali, ut possit facere testamentum, ergo non solus Papa, sed etiam Prælatus inferior potest illam concedere. Respondeo negando minorem, & consequentiam. Ad majorem dico cum iisdem *Portello, & Lezza.* (quibus adde *Bordon. in Opere Posthumo, cons.* 88. *pag. mihi* 204.) præfatam Provincialis licentiam fuisse validam, non tamen testandi facultatem: tum quia, talium rerum designatio non fuit facta coram Testibus, Notario, &c. quod requiritur ad formam veri testamenti : tum quia illa non habet vim ex voluntate defunctæ, quod etiam requiritur ad testamentum, sed ex voluntate solummodo Prælati Provincialis concedentis licentiam, quam semper revocare potuit, etiam post mortem Monialis: tum quia, vi hujus licentiæ non fuit facta à Provinciali dispensatio in voto paupertatis : tum etiam quia, quemadmodum dictus Prælatus poterat applicare eadem bona mobilia alteri personæ, post mortem illius Monialis, ita etiam ea applicare potuit in utilitatem animæ ejusdem.

451 Suppone hic cum eodem *Portell. l. c. n. pr. in fine* : res æstimabiles, ad quas distrahendas pro Missis in Suffragium dictæ Monialis celebrandis licentiam concessit Provincialis, eas illi non dedisse Conventum, sed Sæculares, Consanguineos, vel Amicos, aut eas ipsam propria industria acquisivisse : juxta distinctionem illam, quam ex doctrina *Magistri Nicolai Bravi in Tract. Monastico cap.* 20. *n.* 4. *& Petri de Ledesma par.* 2. *Summ. Tract. de Statibus cap.* 4. *de Statu Religiosorum pag.* 66. *colum.* 2. tradit *P. Diana to.* 8. *Coord. tract.* 7. *res.* 58. *à nu.* 6. *Ex par.* 11. *tract.* 2. *& Miscell.* 2. *resol.* 65. quæ videlicet interdicit inter duo genera earum rerum Religiosorum, quæ idest, aut procedunt ab ipsa communitate, & sunt, & vocantur propria, domus, & Monasterii, utpotè ab ejus juribus, ut sic proferantæ: aut proficiscuntur ex peculiari ratione hujus, vel illius Religiosi, & vocantur eleemosynæ, aut depositum illorum singularium Religiosorum. Et hoc non ob aliquod dominium, aut proprietatis possessionem (quod absit) sed propter permissionem Prælati, & Superioris, & destinationem ad usus personæ Religiosi singularis, dum ex Missis, aut Concionibus, vel scriptis, vel donativis Consanguineorum, aliisque modis cum respectu ad eamdem personam Religiosam conceduntur ex consensu, & licentia Superioris, & Prælati, & ab ejus nutu dependentes in usu ; cujus neq; in con-

sumpti-

sumptibilibus dominus est Religiosus, taliaque sive mobilia, sive pecuniæ, neque in ratiociniis, neque in sumptibus domus admiscentur: & quodammodò extranea, & adiectiva reputantur. Et nota videtur esse differentia inter hujusmodi duo genera, & in Praxi admissa, nam si Minister rerum temporalium, in reddendis ratiociniis deficiat, cogitur auctoritate Superioris, & Ordinis satisfacere, & restituere defectum, de eleemosynis illis, aut deposito, sibi peculiariter permisso: nec ignorat Religio, totum illud ad dominium domus, & Communitatis pertinere; considerat ergo illud, quodammodò alienum, & indebitum domui, cui per illud satisfactum est. At si Religiosus male expendat eas eleemosynas, aut peculiare depositum, etiam si quo ad mores, si Prælatus sciat, corrigatur, reprehendaturque, tamen de restitutione expensi, nec ad ratiocinium venitur, nec curatur, tanquam si sibi soli damnum intulerit, seipsum solum defraudaverit, patiaturque damnum, & peccati, & amissionis, &c. Neque hujusmodi distinctio bonorum Communitatis, & privatorum Religiosorum videtur esse prohibita per *Conc. Trident. sess. 25. de Regularib. cap. 2.* nam *Sanch. in Decal. to. 2. lib. 7. cap. 22. n. 11. cum Navarr.*, *Fulvio Paciano*, *Graff.*, *Sà*, *Vega*, *Rodriq.* (quibus adde *Portell. Casu cit. 85. sub n. 1. Vers. Ante probationem*, & alios) efficaciter probat *Concilium*, eo loco non prohiebere peculium, seu depositum habere particulare de licentia sui Prælati, ad usus pios, revocabile tamen ad nutum ejusdem. Quæ sententia est usu ipso probata, ex praxi omnium ferè Monialium Conventuum, ac ferè omnium Religiosorum Virorum, in quibus videmus particularia peculia, atque deposita haberi ex Superioris licentia. Quod specialiter permittitur, & ut quid valdè necessarium in Conventibus, in quibus communitas non suppeditat sufficienter necessaria ad victum, & vestitum Monialium, & Religiosorum. Dicit ergo Privilegium nostrum, præfatam Monialem (nec non Religiosum Virum Professum) non posse testari, nec Codicillum facere, & ab ipsis factum, esse omninò irritum, & nullum, non tantum quoad dispositionem in ipso bonorum primi generis, sed etiam quoad dispositionem, & ordinationem secundi, ideft, peculii privati, ac depositi personalis. Quia testari, supponit habere proprium, & dominium verum, quod non habent Religiosi, hoc enim repugnat eorum statui: Unde nec eorumdem persona-le peculium, aut depositum est sub illorum vero dominio, & proprietate, cum illismet ad usum solum concedatur, per omnes, & non aliter, atque ad nutum Superioris. Possunt quidem facere aliquam schedulam, qua rogent Prælatum, ut det alicui ea, quæ ipsi habent ad usum; cum hoc non sit facere Testamentum, aut Codicillum, nec sit alicubi prohibitum, neque deroget Voto paupertatis, & maneat in libertate Prælati, & Superioris ea sic, vel aliter disponere. *Navar. in Man. cap. 27. n. 270. ad finem*, & *Commentar. 2. de Regularib. n. 22. Corolar. 10. Graf. p. 1. decis. lib. 3. cap. 5. n. 58.* & *par. 2. lib. 3. cap. 19. n. 14. Rodriq. qq. Regular. to. 3. qu. 69. art. 2. fin.* & *art. 3. in fine. Sanch. in Decal. to. 2. lib. 7. cap. 8. n. 12. Portel. casu c. 85. n. 2. Lezz. in Sum. to. 1. cap. 9. n. 19. Tit. de Obligationib. Regularium*, aliique. Sed

452 Quæres primò: An præfata Monialis potuerit saltem donare aliquid causa mortis, idque etiam facere queant tuta conscientia Viri Religiosi Professi. Respondeo affirmativè, dummodò id faciant ex sui Superioris licentia, & donatio sit moderata, atque suo statui proportionata. Ratio est, tum quia jure positivo solum interdicitur Professis testari, non donare ex Superioris licentia, ergo sicuti ex tali licentia possunt donare inter vivos, etiam possunt causa mortis: non enim apparet ratio, cur possit Religiosus statim ex Superioris licentia aliquid donare, & nequeat illud idem, causa mortis donare, ut post mortem habeat effectum, & confirmetur ea donatio; tum quia potestas testandi, & potestas donandi causa mortis non sunt connexæ, sed diversæ: stat enim, posse quem testari, non tamen donare causa mortis: ut constat in Uxore, quæ absque sui Viri licentia potest testari, & tamen juxta frequentissimam, & probabilissimam sententiam: *Covarru. in Rubrica de Testamentis, par. 3. n. 12.* & aliorum multorum, nequit absque ejusdem sui Viri licentia donare causa mortis. Quia donatio causa mortis, magis assimilatur contractui, quam ultimæ voluntati. Et è contra Filiusfamilias, ne Patre quidem consentiente facere potest Testamentum, tamen mortis causa donare, cum Patris consensu permittitur, utrumque habetur, *l. Tam 1525. ff. de donat. causa mortis*, *leg. final. tit. 4. part. 5.* Non ergo ex prohibitione testandi facta Religiosis rectè deducitur prohibitio donandi causa mortis. Tum etiam, quia plus juris, ac legitimæ potestatis postulat testamentum, quam do-

natio,

natio, hæc enim etiam mortis causa, ad naturam dispositionis inter vivos plurimum accedit, & quo ad sui initium, & ordinationem assimilatur contractui conditionato, qui licet per conditionem suspendatur, ea tamen posita, retrotrhaitur ad diem, quo fuit celebratus, ac si eadem die conditio advenisset, *leg. qui Balneum*, *leg. Potior*, *ff. qui potior in pign. leg. si quis sub condit. ff. de testam. tutel.* Unde cum donatio Religiosi etiam causa mortis, fiat in tempore habili, & cum debita Superioris licentia, est licita, etiam si respiciat effectum post mortem: ad hoc enim non requiritur dominium, sed sufficit usus, & administratio, & consensus ejus, qui illum dare potest: quod potest, quando donatio, & alienatio, non est tantæ quantitatis, quantæ alienare nequeat, nec ex Superioris licentia. Huic responsioni subscribunt *Sanch. in Decal. to. 2. libr. 7. cap. 8. nu. 11. cum aliis ibi citatis. Less. de Just. lib. 2. cap. 41. dub. 8. sub n. 73. Vers. Sequitur secundò. Portel. casu c. 85. n. 2. Vers. Hoc posito. Laym. lib. 3. tract. 5. cap. 3. n. 4. Pellizzar. in Man. to. 1. tract. 4. cap. 2. sect. 3. qu. 11. n. 206. Vers. Hinc fit. Anton. à Spiritu S. in Direct. Regular. par. 2. tract. 3. Tit. de Obligationib. Religiosor. disp. 4. sect. 4. n. 236. Vers. Dico secundò. P. Pistacchius Theat. de Votis, quibuscumque, to. p. tract. 4. Tit. de Voto Paupert. cap. 5. nu. 31. Salmantic. l. c. nu. 187.* aliique. Vide eosdem *Salmantic. l. c. §. 4. à n. 193. pag. 123.*

Et huic eidem responsioni videtur pariter ex Recentioribus subscribere *P. Philippus à Domina Nostra Septem Dolorum Fratrum Eremitar. Discalceatorum Ordinis Sancti Augustini in suo Speculo Monastico Tit. de Obligat. Regularium ad Votum Paupertatis cap. 5. n. 32. Vers. Potest tamen. fol. mihi 61.* dum, & ipse *in principio num. fol.* 60. sic affirmat cum communi Doctorum: *Nullus Prælatus, nec etiam Capitulum Generale cujusvis Congregationis potest concedere Religioso facultatem Testandi, aut disponendi tempore suæ mortis, de rebus sibi ad usum concessis in favorem cujusvis; quia hæc facultas est contra jus commune, prohibens Religiosis Professis testari, ex Authent. Ingressi C. de Sacrosanct. Eccles. & Cap. Quia ingredientibus 19. qu. 3. & cap. 2. De Testam. &c. Unde ad solum Papam pertinet facultas hujusmodi, cum ipse solus sit supra jus Canonicum.* Et postquam hoc præmisit, subdit postea *Versu cit.* quod sequitur (confirmans & ipse ut patet, nostram responsionem) ait enim: *Potest tamen permitti Religioso facere Schedulam, qua roget Prælatum, ut det alicui, quæ habet ad usum, cum hoc non sit facere Testamentum, neque disponere per modum Codicilli, nec hoc est alicubi prohibitum, nec derogat paupertati: Navarr. in Summa cap. 27. & Comm. 2. de Regularib. nu. 22. Graff. par. pr. Decisionum lib. 3. cap. 5. nu. 58. Ratio est quia designat personas, quibus à Superiore applicari debent, si ipse Superior voluerit, nec cogit Superiorem, sed rogat. Sanch. lib. 7. in Decal. Cap. 3. n. 8.* ita dictus *A Domina Nostra, Vers. cit.* idem repetens omnino *Cap. 13. De Casibus prohibitis à Jure, Consiliis, & Summorum Pontificum, & Sacræ Congregationis Decretis erga Regulares, num. 9. fol. mihi 248.* ibi enim pariter sic: *Potest tamen Religiosus facere schedulam, qua roget Prælatum, ut det alicui, quæ ad usum habebat, quia hoc non est Testamentum, nec Codicillum, nec est alibi prohibitum, nec derogat Voto paupertatis. Item potest Testamentum à se factum ante professionem interpretari, & declarare, si necesse fuerit, quia hoc non est disponere de aliquibus bonis, sed solum declarare dispositionem à se factam, quando potuit illam facere. Lezana cap. 9. Sup. num. 19. Bordonus resp. 54. nu. 8. Cabassutius libr. pr. cap. 24. n. pr.* Vide eundem *Cabassutium cap. cit. à num. 2. fol. mihi 112.* Ubi inquirit: *An Religiosus factus Episcopus efficiatur Dominus redditũum, & de his possit condere Testamentum.*

453 Ex hac autem responsione, & doctrina deduc cum *Portello nu. c. 2. in fine*: Monachum, seu Religiosum, & Monialem, posse causa mortis cum eadem licentia donare etiam sibi ipsi; si enim cum licentia Prælati potest donare alteri, quare non poterit sic donare, & sibimet? & curare, ut res sui usus distrahantur, & illarum pretium insumatur in Suffragiis pro Anima sua faciendis? Et id maximè concedendum, si Conventus paucissima Suffragia curet pro suis Religiosis, & Professis Defunctis. Est enim causa nimis pia, ut Prælatus possit dare hanc licentiam, cum præsertim hæc donatio, non fiat erga sæculares, nec res, quæ distrahuntur, fuerint ex bonis primi generis, idest Religionis in communi, sed ex bonis veluti propriis, hoc est, peculii, ac depositi privati, & quodammodò proprii. Et nedum Prælatus, verum etiam Abbatissa, vel Priorissa, & Prælata, potest suis Monialibus subditis concedere hanc licentiam, quia, & hujusmodi Superiorissæ habent liberam bonorum Monasterii administrationem; ideò eamdem licentiam suis Monialibus concedere possunt, quam possunt Prelati Religionis suis subditis

tis Religiosis, nisi ex consuetudine, aut ex constitutionibus Monasterii, aut ex præcepto Prælati, cui subduntur, sit eis prohibita talis facultas; vel considerata (uti res magni momenti) quod habeat relationem ad Episcopum, seu Prælatum earum. Unde *Abbas cap. 2. n. 4. de his, quæ à Prælato, Baldus cap. 1. n. 16. de his, qui in feudum dare possunt, & ibi Jason n. 6. Navar. Comm. 3. num. 4. Vers. Ampliatur hoc notab. Sanch. lib c. 7. cap. 19. nu. 44. Laym. lib. 4. tract. 5. cap. 7. n. 15. Rodriq. to. 1. qq. Regular. qu. 17. art. 12. Tambur. de Jure Abbatissar. disp. 32. qu. 13. Diana to. 7. Coord. tract. 3. resol. 51. & n. 2. ex par. 1. tract. 6. res. 22. P. Pistacchius cap. c. 5 n. 37. Donat. in Praxi to. 4. tract. 8. qu. 16.* & alii communiter affirmant, universam tam temporalem, quam spiritualem administrationem Monasteriorum Monialium pertinere ad Abbatissas, Priorissas, Præpositas, & alias quocumque nomine appellatas, quæ Monialium Conventibus præficiuntur: sicque *Rodriq. art. c. in fin.* ait: *Quæcumque competunt Abbati, ea ferè omnia locum habent in Abbatissa*, Item *Laym. nu. c. 15. Quod de Prælatis Ordinum dictum est, idem quoque sentiendum de Abbatissis; & Pellizzar. de Monialib. cap. 4. sect. 1. sub qu. 44. nu. 68.* pariter sic: *Quando in materia paupertatis quærimus, an Moniales de licentia Superioris possint facere, hoc, aut illud; nomine Superioris intelligimus, tum propriam ipsarum Superiorissam, cum illarum Prælatum, sive Sæcularem (si sint immediatæ subiectæ Sedi Apostolicæ, aut Ordinario loci) sive Regularem, si sint exemptæ: quod est bene notandum*, cujus assertionis fundamentum est, quia (ut supra) Superiorissa, quæ Monasteriis Monialium præficitur, habet dignitatem cum administratione universa tam spirituali, quam temporali bonorum Monasterii, quorum fœmina est capax, nec fœmineo sexui, & Sacris Canonibus repugnant, uti non repugnat eidem facultas, de qua hic est sermo: nec etiam supponitur arctata, aut impedita ex consuetudine, aut constitutione, vel præcepto aliquo Superioris, cum id nullibi constet (quod ego sciam) & ubi extaret hujusmodi arctatio, & limitatio, observanda esset. Uti etiam in eo Conventu observanda, in quo dicta licentia considerata esset inter res magni momenti, & quæ propterea relationem haberet ad Episcopum, seu Superiorem earum Monialium: *Tambur. qu. cit. 13. in fine*.

454 Quæres secundò: An Militares Professi possint testari? Respondeo primò, quod Milites Equites Hierosolymitani Divi Joannis, qui solemniter profitentur (sicque sunt incapaces Matrimonii ineundi) possunt testari, quia non vovent eam Religiosorum Claustralium rigidam paupertatem: sed bona sua retinent, & de illis disponunt. Nec enim à Claustrali Professo ad hos Equites Melitenses circa Voti Paupertatis observantiam, ita rigidè arguendum est, sed multò suavius, ac ferè juxta morem sæcularem, uti eorum nobilitati, ac instituto magis accommodatum, dumtaxat obligantur. Et in suis Constitutionibus solum illis interdicitur testari, absque licentia Capituli Generalis, seu Magni Magistri, tanquam quid Voto paupertatis dissonum. Cum enim hi Nobilissimi Milites Equites vitam suam degant in sæculo: aliis sæcularibus similem, consonum erat, vt Votum paupertatis non esset adeò strictum, sed permitteret eos retinere dominium suorum bonorum, illorumque dispositionem, Superioribus consentientibus. Sic alios allegans, & multis firmans, docet *Jacob. de Bereta cons. 96. n. 2. & 3. volum. 1.* quem refert, & sequitur *Sanch. d. libr. 7. cap. 8. n. 36.* quibus addi possunt *Diana. Coord. to. 7. trac. 3. resol. 55. ex par. 2. tract. 11. Miscell. 1. resol. 54. Gratianus disceptationum to. 5. disceptat. 880. nu. 30. & seqq. & nu. 45. Pal. in Opere Morali par. 3. tract. 16. Tit. de Oblig. Religiosi status disp. 3. punct. 11. nu. 8. Alexander Sperellus Decisionum Forens. to. 1. decis. 21. n. 41. & 42. Bordon. de Paupert. Religiosa cap. 8. qu. 22. n. 51. P. Pistacchius cap. 5. cit. n. 32.* & aliis omissis *Io: Nicolaus Lucidorus in suo tractatu de Illegitimis Clericorum, ac Regularium cap. 7. Vers. Hæc tamen n. 22. fol. mihi 138.* ubi sic: *Circa licentiam testandi concedendam Equitibus Hierosolymitanis, licet sicut cæteri Professi sint intestabiles, nihilominus ex inveterata apud ipsos consuetudine, ac etiam vigore Statutorum Religionis, potest licitè, ac validè illam eisdem concedere eorum supremus Prælatus, scilicet Magnus Magister, nec egent Pontificio indulto ad validè disponendum, ex Statuto 20. sub tit. 9. del Maestro, cujus Religionis Statuta, apud ipsos sunt in viridi observantia, & successivè confirmata auctoritate Summorum Pontificum pro tempore existentium, &c.* ita *Lucidorus*. Advertens *n. 29.* dicta licentia testandi uti non posse ad favorem illegitimorum, nisi expressè in ea specificentur, quia cum talis facultas à Prælato, qui tanquam Ecclesiasticus præsumitur abhorrere istos filios abusivos, ac ex peccato genitos, argumento *text. in Canon. Meretrices 32. qu. 4.* & nunquam in dubio sub Privilegio

vilegio ab Ecclesia concesso censeantur comprehensi, sequitur, quod facultate testandi concessa à Prælatis, uti non possit ad commodum illegitimorum, qui ex præsumpta mente Ecclesiæ, ab omni ejus dispositione censentur exclusi, ut benè, & ad rem hanc sentit etiam *Decianus consil.* 25. *n.* 12. *&* 13. *ad fin. lib.* 5. Excipè tamen cum eodem *Lucidoro nu.* 30. nisi dispositio facta vigore dictæ facultatis testandi respiceret causam Alimentorum, vel Dotis, in tali namque casu dicta licentia uti potest ad illegitimorum favorem, quia Ecclesia, quo ad Alimenta non solum illegitimos non abhorret, sed omninò amplectitur, & jubet, ut ea prædictis subministrentur, ad *Text. in Cap. Cum haberet, ad fin. de eo qui dux. in Matrimon. quam poll. per Adulter.* ubi omnes notant.

455 An verò Magnus Magister, possit sibimet etiam concedere, sicut aliis Religiosis subditis licentiam, & facultatem disponendi, ac testandi, affirmo cum *Lucidoro nu.* 23. Stando in terminis Juris communis; & supposito quod huic affirmativæ non repugnet aliquod speciale statutum dictæ Sacræ Religionis, quod non vidit *Lucidorus*. Ratio est, quia Regulariter Prælatus in illis rebus, in quibus potest cum subditis, potest etiam secum dispensare, *Suar. to.* 4. *de Religion. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 4. *Sanch. de Matrim. to.* 3. *lib.* 8. *disp.* 3. *n.* 9. *Vers. Quarta conclusio*, ibi: *Prælati Regulares, sive Provinciales, sive Præpositi locales, qui toti Domui præsunt, & eorum absentium Vicesgerentes, uti sunt Vicerectores, Vicepriores: hi omnes possunt secum dispensare in omnibus iis, in quibus possunt cum subditis. Quia non debent esse in hoc pejoris conditionis, quam subditi, cum quibus ipse Superior dispensare potest*, & pariter *in Decalog. tom.* 1. *libr.* 4. *disp.* 37. *n.* 45. ait: *Omnes Prælatos Sæculares, & Regulares habentes jurisdictionem ordinariam dispensandi in Votis, & aliis, posse quoque secum dispensare in iisdem*. Sed M. Magister potestatem habet impartiendi suis subditis facultatem disponendi, & testandi, ergo pariter potest ipsemet uti eadem ad favorem propriæ dispositionis, ne ex Superioritate deterioris evadat conditionis, quam sint, alii privati Equites. Hinc

456 Obiter sequitur, Prælatos Regulares posse pariter secum dispensare in omnibus iis, in quibus possunt cum subditis suis; sicque etiam posse sibi ipsis concedere parem licentiam, quam dant suis subditis in causa Voti paupertatis (formaliter in eam intendendo) duraturam pro tempore futuro, quando Superiores amplius non erunt: Ut ex. gr. dare sibi facultatem, utendi tempore futuro, quando erunt subditi, Veste, ac Libris ab amico receptis tempore Prælaturæ. Item tempore Prælaturæ accipere posse pecuniam ad usus non communes, sed suos, eamque retinere, quando facti sunt subditi, vel apud se, vel apud depositarium, apud quem alii deponunt id, quod cum licentia ad usus suos accipiunt. Tum quia sicut cessatio Officii non facit cessare licentiam subditorum (quousque à Successore revocetur) ita neque respectu sui ipsius cessat: Cum ipse Prælatus factus subditus, non minus sit in possessione utendi sua propria licentia, quam sint subditi, quibus in hoc comparatur, cum ipsemet sit etiam subditus, dum est Superior, quatenus videlicet utitur licentia in seipso; non enim repugnat, quod eadem persona sit Subditus, & Superior, nam Prælatus localis est Superior sui Conventus, & subditus Provinciali. Tum quia licentia intransitiva Superioris pro seipso ejusdem est rationis, ac sit licentia ab eo subditis concessa sine temporis limitatione, nuncupata transitiva, de utrisque enim idem faciendum est judicium. Tum etiam quia videtur absurdum, quod Superior in eodem genere Beneficii impertiri possit subditis majus Beneficium, & non sibi, debet igitur esse par in hujusmodi licentia cum subditis, & non conditionis inferioris.

457 Pro hoc tradito sectario, sunt quidem etiam *Cardin. Lugo de Pœnit. disp.* 19. *sect.* 2. *n.* 42. 43. *&* 44. *Diana Coord. to.* 7. *tract.* 3. *resol.* 17. *ex part.* 11. *tract.* 8. *& Miscell.* 8. *res.* 54. (ibi etiam *Dicastillus de Sacram. to.* 2. *tract.* 8. *disp.* 10. *dub.* 7. *nu.* 147.) & (ex eodem *Lugo*.) *P. Pistacchius cap. c.* 5. *n.* 22. Sed cum limitatione, & distinctione: nam *Cardin. Lugo, & P. Pistacch. l. l. c. c.* concedunt, Superiorem finito Officio, retinentem sibi pecuniam, quam receperat dum erat in Officio, non peccare, si non petat licentiam à Superiore, eam verò non posse expendere sine illius licentia. Pro cujus rei probatione advertunt, licentias, quas Prælatus concedit, esse in duplici differentia; aliæ enim sunt, quę nunc executioni mandantur, quamvis earum effectus perseveret etiam tempore futuro, ut ex. gr. licentia accipiendi Vestem, vel Librum, Breviarium, &c. ab amico, quæ immediatè executioni mandatur, & usus perseverat, etiam tempore futuro, absque nova licentia Successoris. Aliæ ve-

rò

rò sunt licentiæ, quarum executio Anno sequenti, ex. gr. ponenda est, quo non amplius erit Superior, ut licentia donandi, expendendi, vendendi, & similes. Posita hac distinctione, asserunt D. D. citati, quod Prælatus non potest nunc sibi dare licentiam expendendi pro Anno sequenti, quo non amplius Superior erit. Et si eis inquiras, cur Prælatus potest nunc dare subditis licentiam recipiendi, & disponendi pro Anno sequenti, quo non erit Superior, & eandem non potest pro se recipere? Respondet (præsertim *de Lugo*) eam esse differentiam, quia hæc delegatio cadit inter personas distinctas, & capaces, ipse verò Superior non est capax recipiendi à seipso hanc commissionem, quia inter delegantem, & delegatum debet esse distinctio. Unde nec potest nunc dare facultatem absolvendi, homini non Baptizato, aut non Clerico, qui futurus est Baptizatus, vel Clericus, sicut nec sibi dare nunc facultatem absolvendi alios Religiosos à reservatis, quando jam non erit eorum Prælatus; nec etiam, ut ipse ab eis absolvatur. Posse tamen dare nunc facultatem suo subdito absolvendi à reservatis pro eo tempore, quo non erit Superior, & hanc sibi dare non posse, quia pro tunc incapax est, dum non est Superior. *P. Dianæ l. c. n.* 3. non placet omninò hujusmodi opinio *Cardinal. de Lugo*: sed sequitur *Dicastillum l. c.* ubi vult, cum Officio licentiam finire, quam sibi dederat Prælatus suæ Prælaturę tempore, ex quo nova licentia necessaria est in illius opinione, tum ad retinendum, tum ad expendendum pecuniam, quam ex propria licentia acceperat, dum erat Superior. Ratio illius est, tum quia uterque actus retinendi videlicet, & expendendi pro eo tempore, quo amplius non erit Superior, est factus sine legitima facultate, à non domino, & simul impedito per Votum: & sicut Superior sibi dare licentiam non potest expendendi, quando non erit amplius Superior, ita neque retinendi, quando non erit in Officio. Tum quia retentio pecuniæ pro illo tempore, quo non est amplius Superior, est moraliter quædam acceptio pro eo tempore, quæ differt à prima acceptione, sicut in Physicis quędam conservatio à prima productione; quę ideò non est prima productio, quia hæc præcessit tempore præcedenti existentia termini ab eadem, vel alia causa, quod est satis extrinsecum, & accidentale, &c. Hęc docet *Dicastill. apud Dianam*, & *Bordon. de Paupert. Religiosa cap.* 17. *qu.* 24. *n.* 65. qui non adhærens, nec *Dicastillo*, neque *Card. de Lugo*, contra utriusque doctrinam, & distinctionem Magistraliter, subtiliter, & optimè habet, quæ sequuntur *à n.* 66. *usque ad* 77. inclusivè. Et contra dictum Eminentiss.

458 Primò sic: Differentia, quam ipse supponit, in suis facultatibus, non potest diversificare naturam ipsius licentiæ, quæ in se una est, per quam sibi dat jus accipiendi, retinendi, & expendendi pecuniam acceptam, sicut dat subditis; nam facultas statim, ac per licentiam confertur à Superiore pro se, seu subditis, recipit suam virtutem ad operandum, cum opus erit, & occasio se præsentaverit, non verò fit talis per suos effectus, & executionem, quæ illam, ut causam sui supponunt, non constituunt. Præcedit ergo facultas, & licentia cum suo vigore quemlibet effectum, & executionem, vt quælibet causa suum effectum, non solum natura, sed etiam, ut plurimum, tempore, ut patet in exemplis allatis ab ipso Cardinali. Quare facultas sive ab initio mandetur executioni, sive post, non diversificatur, nec variatur in sua virtute, quæ operatur cum opus est. Cum ergo Superior possit sibi dare nunc licentiam, dum est Superior, recipiendi, retinendi, & expendendi, sicut dat subditis exercendi illos tres actus pro futuro tempore, quo noverit Superior, cur non poterit in eo durare illa facultas, postquam erit absolutus ab Officio, si durat in subditis? Utitur ergo licentia intransitiva pro se, sicut subditi transitiva ad eos, nihil renovando, neque enim assignabilis differentia, cur una extinguatur, & alia non, absoluto Superiore ab Officio, cum utraq; data sit sine limitatione temporis.

459 Neque dicas, antiquam licentiam, quam sibi dederat, expirasse cum Officio, & sic nova indigere, quo ad expensionem secundum *Cardinalem*, & etiam, quoad utrumque secundum *Dicastillum*. Quia respondetur. *Primo*, non esse majorem rationem, cur in ipso cessaverit Superiore, & non in subditis, cum respectu utriusque fuerit concepta, & data sub eodem tenore, absque limitatione temporis. *Secundo*, in Superiore non cessavit, finito Officio, respectu retentionis, secundum *Cardinalem*, ergo nec respectu expensionis, cum ex natura rei, pecunia, maximè à Religiosis, non retineatur, ut conservetur, id enim est signum avaritiæ, fugiendæ, non solum à Religiosis, sed etiam à Laicis, sed ut expendatur pro indigentiis ipsius retinentis, nam ejus usus, pro quo retinetur, est

consumptio, & expensio, ergo qui dedit licentiam retinendi, dedit etiam facultatem expendendi, ad quem effectum retinetur. Retentio ergo pecuniæ, tanquam antecedens ordinatur ad illius expensionem, tanquam ad illam consequens, ut occurratur propriis indigentiis; sed concesso antecedente, censetur quoq; concessum consequens, *l. non cogendum* 45. *§. si procuratori*, *ff. de procurat. l. si cui*, *ff. de condit. & dem.* Absurdum enim est dicere, quod, quis habet licentiam retinendi arma, & illis non utendi, ergo licentiam habens retinendi pecuniam, eandem etiam habet expendendi, ne sit frustratoria, & otiosa facultas retinendi. *Tertio*, ex sententia ipsius. *De Lugo n.* 38. (quem vide, & non pigebit) licentia, seu jurisdictio delegata ad absolvendum à reservatis, non expirat morte concedentis, quia est gratiosa, & favorabilis, ad differentiam contentiosæ, ergo nec perit licentia, & facultas ad recipiendum, & expendendum, cum, & ipsa sit favorabilis, & gratiosa. Imò magis videtur durabilis facultas disponendi, seu expendendi, quam absolvendi, quia facilius perditur potestas delegata, quam ordinaria, *leg. prim. §. Qui mandatum*, *ff. de Offic. ejus cui mand. leg. Judicium solvitur*, *ff. de judiciis. Sanch. de Matrim. lib. 3. disp.* 22. *nu.* 24. Sed licentia ad reservata est delegata; licentia verò intransitiva magis babet de Ordinario, cum de jure sit debita, ergo plus durare debet in persona, ac proindè etiam post absolutionem ab Officio.

460 Contra secundò: Allata distinctio personalis inter dantem, & accipientem, non est necessaria in omnibus facultatibus, sed tantum, ubi agitur de jurisdictione contentiosa, seu præjudicio tertii, & de jurisdictione in materia Sacramentorum; dans enim Sacramentum, debet esse distinctus à recipiente, ut colligitur ex tenore verborum exprimentium pronomina. Ego, & Tu, quæ important distinctionem personalem. Sed licentia, & facultas, de qua loquitur, est omninò gratiosa, ergo non requirit distinctionem personarum, sicut non requirit, dum est in actu Officii: dum ergo est Superior, non impedit identitas personæ, neque cum erit absolutus ab Officio, cum remaneat eadem persona.

461 Contra tertiò: Quia esto non possit conferri facultas absolvendi non Baptizato, neque non Clerico, nec minus Laico pro eo tempore, quo erit Sacerdos exercenda, tamen Superior sibi facultatem pro Voto paupertatis dare potest exequendam à se, postquam erit absolutus ab Officio, quia sicut illius capax est receptionis, dum est Prior, ita, & post Officium remanet capax illius exercitii. Unde hinc patet ratio disparitatis, nam nondum Clericus omninò est incapax recipiendi pro illo tunc facultatem absolvendi pro eo tempore, quo erit Clericus, ac proindè semper talis remanebit, Clericus etiam, & Sacerdos factus, quia ea facultas verè non fuit illi delegata ob ejus incapacitatem, nec tunc, nec pro futuro tempore, ut enim facultas verè delegetur, debet ab initio persona esse capax, quia tunc confertur, & non futuro tempore, quo erit habilis, implicat enim, quod aliquid nunc detur pro futuro tempore, & non dicatur nunc datum, in quo consistit radix nullitatis dati, quia scilicet hic, & nunc, est incapax, datum ergo, respicit tempus præsens, cum actus fiat de præsenti, & non de futuro, agendum enim, non est actum, sicut nec futurum est præsens, si ergo quis dat nunc aliquid cum respectu ad futurum, si verè datio sortitur suum effectum, signum est, recipientem esse capacem, & tunc ille respectus in futurum, importat executionem illius potestatis datæ antecedenter ad operandum tempore debito. Modo Superior existens, dat sibi licentiam recipiendi, retinendi, & expendendi pecuniam, absque limitatione temporis, & efficaciter illam sibi dat, cum sit capax, non solum pro subditis, sed etiam pro seipso, ergo eam exercere potest facultatem, cum absolutus fuerit ab Officio. Neque enim absolutio ab Officio, reddit eum incapacem ab exercitio suæ facultatis, quæ adhuc in eo viget secundum *Cardinalem*, absolutio enim ab eo aufert solum Superioritatem, non datam aliàs licentiam, quæ in conservari non pendet à Superioritate, sed ab existentia propria, nondum destructa. Itaque capacitas in Superiore producit suum effectum receptionis licentiæ exercendæ, pro eo tempore futuro indeterminatè, cum opus erit, habet enim tractum sui exercitii successivum. Non Clericus verò, ex sua incapacitate, nihil recipit, nec pro præsenti, nec pro futuro tempore, quo erit capax, quod si tempore capacitatis conferetur illi facultas, non dicetur retroacta ad tempus præteritum incapacitatis, cum antea nullatenus subiectum fuerit habile.

462 Dices, *Cardinalis* non loquitur de licentia, quam Superior sibi dat ad agendum, præscindendo à tempore præsenti, & futuro, sed loquitur præcisè de licentia,

quam

quam sibi nunc dat ad utendum pro eo tempore, quo erit absolutus ab Officio, intendit enim futuram licentiam, quæ incipiat sortiri suum effectum usus, postquam amplius non erit Superior, tunc enim incipit esse. Sed revera, verba facit *Cardinalis* de licentia, quam tunc ea intentione sibi dat, ut illa utatur absolutus ab Officio, ita quod nunc sibi confert licentiam in habitu, ut ita dicam, ponendam in actu futuro tempore, quo non erit Superior. Et hæc dabilis est cum suo exercitio, sive sit generalis, absque limitatione temporis, & cum exercitio, & ejus usu coniuncto, cum ipsa datione, ut concedit subditis: sive specialis, data tunc, solum exercenda post Officium, utramque verè, & efficaciter conferre potest, nam generalem sibi conferre potest, quia confert aliis etiam secundum *Cardinalem*, ergo, & hanc specialem, cum videatur esse quid minus.

463 Contra quartò: Quia non benè comparantur inter se, hæ duæ facultates absolvendi, & expendendi, quod scilicet possit Superior sibi eas dare exercendas pro tempore, quo non erit Superior: nam facultatem absolvendi, nec sibi dare potest, nec in seipso exercere potest in quocumque tempore, quia petit distinctionem personarum, ut dictum fuit supra, non verò facultas disponendi, seu expendendi; quinimmò ex natura rei, qui habet licentiam agendi in seipsum, agit dum utitur licentia, non in alium, nec per alium. Subdit. Non poterat Superior existens dare sibi facultatem absolvendi alios Religiosos à reservatis, quando jam non esset eorum Prælatus, nec etiam, ut ipse ab eis absolveretur, quia illa licentia mandanda esset executioni tempore sequenti, quo jam ipse non posset eam concedere. Ergo, &c. Ego dico, quod Superior potest dare facultatem Sacerdoti suo, absolvendi à reservatis, toties quoties casus occurrerit etiam sine limitatione temporis, quæ non expirat morte concedentis tum naturali, tum civili, sed ulterius durat, quousque positivè revocetur. Ita ferè omnes cum *Florono de Casib. reser. part.* 1. *cap.* 4. *§.* 3. *n.* 14. *Suar. de Pœnit. disp.* 26. *sect.* 3. *n.* 7. *Sayr. lib.* 7. *de Cens. cap.* 14. *n.* 17. cum aliis. *Bonac. de Privileg. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. *§.* 1. *nu.* 14. Nec dissentit *De Lugo*, qui eadem *disp.* 19. *n.* 37. dicit, potestatem audiendi Confessiones non expirare morte concedentis, etiam civili, ergo neque potestas absolvendi à reservatis, cum sit eadem ratio ex illimitata temporis concessione. Ratio est, quia hæc licentia est gratia facta, quæ non expirat morte concedentis, *Palao de Privileg. disp.* 4. *de Legib. punct.* 16. *§.* 4. *n.p.* Cum ergo talis licentia sine limitatione data duret post mortem concedentis, illam habens, uti poterit, absolvendo à reservatis post absolutionem ab Officio, & si durat ulterius, poterit Superior existens se declarare cum subdito, do licentiam tibi absolvendi me à reservatis, dum absolutus ero ab Officio, si enim eam concedere potest indefinitè duraturam, ex natura rei post amotionem ab Officio, à fortiori eandem dare poterit cum expressione, ut absolvat, dum non erit Superior, id enim, nihil aliud est, quam licentiam indeterminatam determinare, & declarare valere, vel non valere morte concedentis. Et tunc sicut ille Confessarius potest absolvere alios, ita, & ipsum aliàs Superiorem virtute dictæ licentiæ, quæ ab ipso emanavit. Et ex his manet probatum, quod dabilis nunc est licentia sibi exercenda pro tempore futuro, quo dans, non amplius erit Superior. Igitur Superior existens, potest sibi dare licentiam ut absolvatur, ut expendat, post amotionem ab Officio, quia ab initio est capax accipere illam, licet postea sit factus incapax, quia tunc per electionem Confessarii, non dicitur illi tribuere licentiam, cum jam habuerit ab eo, sed tantum ab illo petere executionem fundatam in ea potestate existente jam in delegato; unde parum refert, quod amotus ab Officio, dicatur incapax ad dandam licentiam, cum illam dederit, dum erat in Officio non solum aliis, sed etiam sibi exercendam per alium respectiuè ad absolutionem, & per seipsum in ordine ad Votum paupertatis.

464 Contra *Dicastillum* respondeo: Ipsum supponere licentiam, extingui cum cessatione Officii, dum requirit novam licentiam tam pro retentione, quam rei expensione, quod tamen non probat, & supra patet in sententia omnium, licentiam concedi posse sine limitatione temporis, & ad vitam, ac proindè morte concedentis non expirare, ut dixi supra; consequenter prosecutio retentionis, & subsequens expensio rei retentæ est ex legitima facultate facta, dum pendet ab illa licentia adhuc durante, cum ipse non probaverit ejus extinctionem, ut debebat, facile enim est, ex suppositione, ad ulteriora procedere. Ad confirmationem, quando dicit, retentionem pecuniæ eo tempore, quo non est Superior, esse quamdam novam acceptionem differentem à prima, sicut conser-

vatio differt à prima productione præcedente conservationem: dico, hanc similitudinem potius facere pro me, nam conservatio est perseverantia existentiæ rei in esse sine nova actione, sicut enim productioni respondet existentia, ita conservationi duratio, quæ immediatè nullo tempore interiecto, sequitur ipsam rei existentiam, ut docent omnes Philosophi, & sicuti conservatio continuatur existentiæ, &c. tempus non intermediat, ita prima acceptio conservatur, usque ad expensionem sine nova actione, ex parte retentionis, sicut nihil novi datur in conservatione rei existentis: nec video, existentiam tempore præcedere conservationem, cum sine intermissione res, dum incipit existere, incipit etiam conservari: pari ratione res legitimè accepta, sine aliqua actione nova conservatur apud eum, qui eam legitimè retinet, quousque revocetur positivè à Superiore Successore: Unde si non revocatur, retinens eam cum eadem prima licentia, quæ ad nullum actum fuit limitata, ut suppono, expendere potest, viget enim ulterius, cum, absolutione ab Officio non fuerit extincta, nec à Successore revocata. Hæc doctissimus *P. Bordon. l. c.* Addens *qu.* 26. *n.* 79. dicta à se de Viris Religiosis, locum habere etiam in Monialibus; idest, quod etiam Abbatissa, & Superiorissa habeat eandem potestatem licentiandi seipsam, & Monialem subditam, eo modo, quo Superiores Viri licentiant se, & suos subditos, juxta superius dicta. Tum quia Abbatissa, & Superiorissa, recipit Votum paupertatis à Monialibus sibi subiectis, sicuti Superiores Regulares recipiunt idem Votum à suis Novitiis, ergo super ipsis, & pro ipsis habent potestatem licentiandi illas ad observationem hujus Voti, sicut habent Regulares Superiores. Hinc DD. apud, & cum *Diana tom.* 7. *Coord. tract.* 3. *res.* 51. *ex par.* 1. *tract.* 6. *res.* 22. affirmant, Abbatissam posse concedere Monialibus licentiam donandi, quam potest Prælatus Regularis suis subditis: item licentiam habendi peculium, &c. nisi ex consuetudine, aut Constitutionibus propriis, aut præcepto Superioris Prælati, arctata sit ejus facultas. Tum quia hæc potestas est administrationis, & Superioritatis non præsupponentis aliquem Ordinem, nec Clericalem Characterem, & ideò Abbatissa, & Superiorissa illius est capax, consequenter ea uti potest pro se, & pro suis Monialibus: Et ita etiam *Sanch. in Decal. to.* 2. *lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 44. *Laym. libr.* 4. *tract.* 5. *cap.* 7. *nu.* 15. *Palao par.* 3. *Tit. de Voto Religiosæ Obed. disp.* 3. *punc.* 23. *n.* 11. *in fine*: aliique plures apud ipsos. Nullusq; contradicit, ut notat etiam idem *Bordon. qu. c.* 26. *Vers. Respon. affirmativè, in fine*.

465 An verò etiam Religiosi ad breve tempus substituti in locum Prælati à Monasterio absentis, possint sibi conferre facultatem accipiendi, retinendi, & dandi aliquid pro eo tempore, quando erunt subditi in Monasterio, uti supra, de Prælatis ipsis dictum est, affirmo cum *P. Pistacchio cap. c.* 5. *nu.* 36. Quia nec ipsi esse debent deterioris conditionis, ac sint eorum subditi. Nec enim, quia brevi tempore sunt Superiores, non sunt verè Superiores, dum re vera in tali brevi tempore jurisdictionem Superioris habent. Quod procedit etiam in substitutis Superioris ad duos, aut tres dies. Cum etiam in hoc casu verè jurisdictionem habeant in Religiosos subditos, & totam facultatem, quam jure ordinario habet Supurior ipse Monasterii. Idemq; docet *Ant. à Spiritu S. in Director. Regular. par.* 2. *trac.* 3. *disp.* 4. *sect.* 6. *n.* 356. ubi, & ipse quærens: An Religiosus ad breve tempus substitutus loco Prælati Monasterii, ver. gr. ad unum diem naturalem, possit sibi ipsi conferre licentiam dandi, & accipiendi res pretio æstimabiles pro eo tempore, quo ei Monasterio fuerit subditus? Respondet sibi posse eam facultatem dare, quam potest aliis, nam ipse non debet esse deterioris conditionis, ac alii, quod autem ad breve tempus sit Superior, non tollit, quod verè Superior sit. Et *P. Naldus Verb. Absentia n.* 11. affirmat, ad transferendam jurisdictionem Prælati Regularis in ejus vicemgerentem, sufficere absentiam à Conventu, quæ sit ultra unum diem naturalem: nisi obstet usus contrarius, vel statutum, aliquod peculiare Religionis. Ita etiam *Pellizz. in Man. tom.* 1. *tr.* 4. *cap.* 2. *sect.* 5. *subsect.* 4. *qu.* 29. *n.* 445. Addens in fine, non acquiri hanc jurisdictionem à Superioris substituto, quando ipse Superior per paucas horas è Monasterio egreditur. Modo tandem

466 Respondeo secundò ad quæsitum, cæteros Equites Ordinum Militarium posse testari de suis bonis patrimonialibus, & etiam de fructibus suarum commendarum, si usu, consuetudine, vel constitutionibus particularibus, non sit illis hoc interdictum: qua de re vide *Sanch. Operis Moral. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 8. *à n.* 26. *Lezza. in Sum. par.* 2. *c.* 5. *n.* 33. *&* 34. *& à nu.* 54. *usque ad finem capitis*. *Pala. par.* 3. *disp.* 3. *punct.* 12. *n.* 6. *&* 7.

& 7. *Bordon. de Paupertate Religiosa c. 8. q. 22. num.* 52. & alios.

467 Adverte tamen hic, quod quamvis Religiosus Professus testari non possit, nihil tamen prohibet, quin declarare possit Testamentum à se ante Professionem actum, cum id non sit testari, & declaratio nihil ponat in esse, ut facit condens Testamentum, sed tantum, quod obscurè inerat, declarat, per actum interpretativum suæ mentis ad formam verborum, & juxta eum verum sensum, quem recipere possunt: qua in re nihil renunciat, nihil dat, nihil tribuit, sed quod jam renunciavit, tribuit, & dedit, & declarat, & factum suum dubium, & obscurum reddit clarum, ut necessè etiam est: unde absque ullo prorsus conscientiæ scrupulo declarare potest, ad verum sensum; quem patiuntur verba in Testamento dubiè expressa, & in suo sensu explicare: nullus enim melius declarare potest mentem suam expressam in verbis dubiis, quam ipse Testator, quo non utitur conjecturis, sed veritate mentis suæ, quæ talis fuit ab initio, qualis postremo declaratur. Et quod possit hoc facere quivis Religiosus Professus (etiam Capuccinus) non obstante ejus rigorosa paupertate, confirmari etiam potest, quia Professus declarando suum Testamentum, non facit, nec contra Votum Obedientiæ, cum de hac re (ut supponitur) non extet prohibitio, vel statutum aliquod prohibitorium, & si extaret, licentiam, & dispensationem à Superiore petat, qui debet eam dare, & nequit denegare. Nec item facit contra Votum Paupertatis, cum in hujusmodi declaratione nullum exerceat proprietatis actum, quia in hoc nihil sibi usurpat, vel alteri dat, sed merum actum intellectus exercet, qui Votum Paupertatis non violat, cum hoc Votum per voluntatis actum violetur, cum vitium proprietatis à sola voluntate procedat. Nec tandem in hac declaratione præjudicat tertio, quia in ea nihil disponit, sed tantum declarat, quod aliàs disposuerat sine alicujus prægjudicio, cum esset dominus dispositorum in Testamento. Subscribunt *Sanch. lib. 7. cap. 11. n. 16. ex Rodriq. to. 3. qu. 69. art. 3. Reginald. lib. 18. n. 397. Portell. Verbo Novitius n. 44. Vecchius disp. 8. de Novitiis, dub. 12. n. 2. cum Peyr. de Prælato qu. 3. cap. pr. num.* 209. quos refert, & sequitur *Bordon. in suo Opere Posthumo consil. 21. in fin. pag. mihi* 43.

PRIVILEGIUM XXX.

Celebrans bona fide, ac ignoranter in Altari fixo quod amisit consecrationem, eo quia remotum fuit à stipite, seu ab inferiori junctura, aut structura, excusatur à transgressione in re gravi Ecclesiasticæ legis, & à culpa lethali.

468 IN Ecclesia Romana duo Altarium genera sunt in usu. Alia enim stabilia sunt, atq; semper fixa eodem in loco. Alia verò, quæ, ut de uno ad alium locum moveri faciliter queant, parva sunt, & vulgo *Are* vocantur. Ex lapide autem fiunt tam fixa, quam mobilia, ita decernente *Sancto Sylvestro Papa*, qui primus Altare lapideum Chrismate delibutum erexit in Dedicatione Ecclesiæ S. Petri Apostolorum Principis, atq; ex eo tempore Sanciuit, ne deinceps ex alia fieret materia. Dictum autem Altare fixum si removeatur mensa à stipite seu ab inferiori junctura, & structura cui adhæret, illicò consecrationem amittit: Unde eo ipso quod Mensa movetur, Altare exsecratum redditur. Sic enim decernitur *in Cap. Ad hæc, in Cap. Quod in dubiis, & in Cap. Ligneis de Consecrat. Eccles. vel Altaris*. Ibi namque dicitur: De novo consecrandum esse Altare, si motum, vel confractum fuerit; Unde cum ponatur Motio, vel confractio sub distinctione, ex sola separatione Mensæ ab inferiori structura, aut junctura, amittitur Consecratio. Ita etiam *Sylvest. Verbo Altare qu. 8. Suar. to. 3. in 3. par. disp.* 81. *sec. 5. Vers. Tertio additur. fol. mihi* 1015. *col. p.* (declarans *Cap. Si motum de Consecrat. dist. p.* ubi dicitur: *Si motum fuerit Altare, denuo consecretur Ecclesia*: idest inquit *Suar. ibi*; quantum ad Altare: non enim propter solam Altaris remotionem, tota Ecclesia iterum consecranda est, ut etiam *in cit. Cap. Ad hæc, expressè declaratur) Hieron. Rodriq. in Compend. ref. 9. n.* 20. (ubi, *Altare Stabile consecrationis formam amittit, si ejus Mensa à stipitæ, vel columnis quibus innititur amoveatur &c.*) *Pasqualig. Decis.* 40. (Addens *num.* 3. Hujusmodi separationem Mensæ ab inferiori structura esse quamdam fractionem Altaris: quia Altare non dicit solam Mensam, sed totam structuram: per hanc autem separationem tollitur forma Altaris, & structura; sicut tabula mensalis diceretur frangi, & non esset amplius mensalis tabula, si ab ipsa separarentur stipites) *Diana, Coordin. to. 4. tract. pr. ref.* 24

ref. 24. Ex par. 11. tract. 8. Miscell. 8. ref. 8. Gobat de Indulgentiis par. 2. Cap. 26. n. 537. Petrus de Murga to. p. Disquisitionum Moralium, & Canonicar. tract. 2. Disquisit. 9. §. p. conclus. p. n. 30. fol. mihi 133. Piasecius in Praxi Episcop. par. p. cap. p. art. 4. Vers. Violatur Altare nu. 13. fol. mihi 88. Barbosa de Potest. Ppiscopi par. 2. Allegat. 27. num. 26. Miranda in Man. Prælator. to. 2. qu. 39. art. 3. Conclus. p. aliique plures apud citatos; imò communiter. Quod

469 Probatur tum ex *Canone Si motum el 19. Consecrat. dist. p.* in quo sic decernit *Iginius Papa: Si motum fuerit Altare, denuo consecretur Ecclesia.* Ideſt *Altare* denuo conſecretur; ut ibi exponit *Gloſſa Verbo Eccleſia*, & notat etiam *Barboſa n. c.* 26. Tum ex d. *Cap. Adhæc el p. De conſecrat. Eccleſiæ, vel Altaris:* Ubi *Alexander Papa III.* decrevit ita: *Adhæc ſi Altare motum fuerit, aut lapis ille ſolummodo ſupra poſitus, qui ſigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet denuò conſecrari.* Tum ex *cit. Cap. Quod in dubiis el 3. eodem titulo*, in quo ſic *Innocentius Papa III. Altare verò, in quo tabula, cui Conſecrationis benedictio Pontificali miniſterio adhibetur, ſi mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò Conſecrari.* Tum etiam ex relato *cap. Ex ligneis el 6. eod. tit.* in quo, An corruente tecto, parietibus illæſis, & menſa Altaris non enormiter fracta, Altare, & Eccleſia debeat conſecrari? idem *Innocentius*, ſic reſcribens decernit. *Inquiſitioni tuæ taliter duximus reſpondendum, quod cum parietes in ſua integritate permanſerint, & tabula Altaris mota, vel enormiter læſa non fuerit, ob cauſam prædictam* (tecti ſcilicet conſumptionem caſualem) *nec Eccleſia, nec Altare debet denuo conſecrari.* Ergo &c. Hoc tamen limita

470 Primo, cum *Tabiena Verbo Altare §. Quinto, n. 7. Sylveſt. Verbo c. qu. 10. in fine. Suar. l. c. Paſqual. deciſ. c. n. 4. Gobat l. c. Diana reſ. c. n. 2.* quod Altare amittat conſecrationem ſi menſa removeatur à ſtipite, ſeu ab inferiori ſtructura, quando cum tota ſtructura Altare conſecratum fuit, ſecus verò ſi menſa ſeorſim fuerit conſecrata, & poſtea ſuper poſita inferiori ſtructuræ, etiam ſi ita conjuncta fuerit, ut permanſura ſit inſeparabilis. Et ratio eſt, quia inferior ſtructura non communicat in conſecratione: atque adeo nec eſt pars Altaris: nec per talem motionem perditur forma Altaris. Neque exigit Altare ſic conſecratum permanere affixum ratione conſecrationis inferioris ſtructuræ.

471 Secundo, cum *Laym. cap. c. 6. n. 6. Paſqualig. Diana, & Gobat l. l. c. c.* Altare amittere conſecrationem, ſi menſa removeatur à ſtipite, quando videlicet ipſa menſa conjungitur inferiori ſtructuræ firma, & ſtabili conjunctione, qualis eſt conjunctio coementaria. Secus verò ſi conjunctio ſit ex natura ſua movibilis, & ex inſtitutione. Et ratio eſt, tum quia, *Ipſa menſa.* (*Sylveſt. l. c.* cum aliis) *tunc eſt Altare portatile:* Tum etiam quia (ut optimè *Paſqualig. Deciſ. ci. nu. 5.*) Altare conſecratur cum illa mobilitate conjunctionis, conſequenter cum conditione, quod poſſit moveri juxta mobilitatem conjunctionis, idcirco ſi moveatur, non amittit ſuam formam; quia in ſua forma includit mobilitatem, tamquam aliquid de ipſa forma: hinc conſecrationem non amittit, quæ ſolum deperditur ad perditionem formæ.

472 Tertio limita cum eodem *P. Paſqualigo n. 6. Diana, & Gobat l. l. c. c.* ut procedat ſolum de Altari, cujus inferior ſtructura eſt lapidea: ſecus autem ſi ſit lignea: Quia Altare non poteſt conſtare ex ligno, *Cap. Altaria p. de Conſecrat. diſt. pr.* (ibi) *Altaria, ſi non fuerint lapidea, Chriſmatis unctione non conſecrentur.* Quamvis enim in primitiva Eccleſia, cum fideles ob Tyrannorum perſecutionem, in cryptis, & ſpeluncis rem divinam facere cogebantur, ligneis Altaribus uſi fuerint quæ facilè de loco ad locum portari poterant. Pace tamen poſtea per *Conſtantinum* Eccleſiis reddita, Statutum eſt, ut nonniſi in lapideo Altari ſacrificium fieret, partim eo quia hæc materia firmior, durabiliorque eſt, partim verò quia idonea ad ſignificandum Chriſtum, qui dicitur *Petra angularis p. Corinth. 20.* Unicum tantum antiquiſſimum Altare ligneum, in quo *S. Petrus* Sacrificavit, juſſu *S. Sylveſtri* Papæ ſervatum eſt, ut in eo ſolus Summus Pontifex ſacrificet. Qua de re inter alios *Layman. Cap. c. n. p.* Sicut igitur Altare non poteſt conſtare ex ligno, nec etiam lignum poteſt recipere conſecrationem, conſequenter forma Altaris nequit includere lignum, aut conjunctionem ad lignum: & ideò ex tali prædicta ſeparatione non deperdetur conſecratio, & forma Altaris: & potius habebit rationem Altaris portatilis, quam ſtabilis, ut ſupra etiam innuit *Sylveſter* cum aliis. Et ſi opponas, quod non poſſit conſecrari ſola menſa: Contra, hoc enim falſum eſt, cum nullo jure prohibeatur: ſicut enim poteſt conſecrari menſa parua, vt in

ut in Altari portatili: ita etiam mensa magna; quod enim difficulter portari posit, per accidens se habet. Ita *Pasqualig. Decis. cit. n.* 6.

473 Quarto tandem limita cum *Suar. vers. supra cit. Tertio additur circa medium. Gobat l. c. n.* 538. *Pasqual. Decis.* 41. *n.* 2. & ibi *Barbosa t.* 2. *in Jus Canon. in cap.* 1. *de Consecrat. Eccles. vel Altar. n.* 2. *& Lugo de Eucharist. sec.* 2. *n.* 74. non amittere videlicet consecrationem Altare stabile, si integrum de loco ad locum transferatur, cum enim sic remaneat integrum, remanet etiam forma ipsius, consequenter etiam consecratio, quæ addicta est tantum materiæ, pro ut stat sub Altaris forma, hinc salva forma, etiam consecratio salva est. Et si quis dicat, Altare stabile, consecratur ut stabile, idest ut fixum, & immobile: ergo si de loco moveatur, amittet consecrationem: quia amittet illam conditionem, cum qua est consecratum: hinc est quod in tribus relatis Superioribus Capitulis *Ad hæc; Quod in dubiis; & Ligneis de Consecrat. Eccles. vel Altar.* dicitur sub disiunctione, ut patet, quod Altare amittat consecrationem, si motum, vel enormiter sit fractum. Non potest autem intelligi, nisi de sola motione locali, qua totum integrum moveatur; quia in quacumque alia motione frangitur, quia perit forma Altaris. Si inquam quis hæc dicat, non obstant, quia *text. allati*, non intelliguntur de motione illa, in qua salva manet forma, sed de illa in qua perit, atque adeo de motione, in qua partes separantur: ut notat *Glossa in d. cap. Ad hæc. Verba Altare* sic: *Dicit, motum, idest mutatum quo ad formam, ita quod formam amiserit, per diminutionem, vel augmentum, cũ hæc sit forma rei, &c.* His ergo præmissis.

474 Dicit privilegium propositum, quod celebrans bona fide, ac ignoranter in Altari fixo, quod aliqua de causa amisit consecrationem, non peccat mortaliter. (Idem dic de eo etiam qui bona fide celebrat in Altari non consecrato). Ita *P. Pasqualig. decis.* 45. *nu.* 10. *cum quo P. Diana tom.* 4. *Coord. res.* 24. *num.* 6. *ex par. xj. tract.* 8. *& Miscell.* 8. *res.* 8. *& Gobat. de Indulg. par.* 2. *cap.* 26. *n.* 541. *pag. mihi* 257. *in principio:* Ubi sic, ex *P. Pasqual. Decis. cit. Si quis in Altari, quod vel nunquam habuit, vel amisit consecrationem, celebret, bona, vel etiam mala fide, Altare illud non indiget alia consecratione esto peccarit mortaliter, qui mala fide in illo sacrum fecit* (non qui bona fide) *Et consequenter sine ulteriore consecratione valebit favor Altaris privilegiati*. Quæ doctrina (inquit *Gobat. l. c.*) *nedum probabilis est, sed perutilis Parochis, in quorum Ecclesiis sunt per ista tempore bellica factæ variæ mutationes circa Altaria* sed quod non amiserit consecrationem, iterum infra. Unde hic

475 Quæres primo An reliquiæ sint ita de essentia consecrationis Altaris, ut per remotionem, aut fractionem Sepulchri, seu loculi ubi collocatæ fuerant Reliquiæ, Altare exsacratum remaneat? Resp. negativè: atque adeò validam esse Altarium consecrationem sine Reliquiis factam, nec esse de substantia consecrationis Altaris, hujus Reliquiarum appositionem: consequenter non indigere Altare reconsecratione per fractionem, remotionem, vel diminutionem illius, quod non est de substantia consecrationis ipsius, ita etiam censent. *Suar. to.* 3. *in* 3. *par. D. Tho. disp.* 81. *sec.* 5. *Vers. Tertio additur in fine. Sotus in* 4. *dist.* 13. *qu.* 2. *art.* 3. *§. Sexto denique. Hieronym. Rodriq. in Compend. qq. Regularium res.* 9. *n.* 3. *Sã Verbo Altare. Coninch de Sacramentis qu.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *n.* 240. *Summa Angelica Verbo Altare n.* 3. *Reginald. in Praxi Tom.* 3. *sec.* 5. *sub n.* 190. *vers. Porrò difficult. est. pag. mihi* 636. (Ubi cum eadem *Summa Angelica* confirmat ex Rubrica in Missalibus antiquis præscribente, ut si Reliquiæ non fuerint, omittatur particula Orationis Sanctorum, quæ dicitur à Sacerdote post Confessionem, scilicet, *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic sunt, &c.* Quod notat etiam *Rodriq.* cum eodem *Azorio*, dicens, *Quod si Reliquiæ non fuerint in Altari, omittatur illa particula Orationis, quæ dicitur post Confessionem, nempe, Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum Reliquiæ hic sunt.*) *Lezan. in Summa to.* 3. *Verbo Altare n.* 6. (ubi notat, quod licet plures, Canonistæ præsertim) velint esse de essentia consecrationis Altaris, ut in eo Reliquiæ Sanctorum ponantur, ex *Canone Placuit de Consecrat. dist. p.* ubi habetur, Altaria quædam in quibus nullæ Reliquiæ conditæ probabantur evertenda ab Episcopis; verius tamen esse, ibi ait, id non esse de essentia consecrationis, tum ex usu Ecclesiæ, quo constat, plura Altaria sine Reliquijs consecrari. Tum quia ille Canon, solum superstitiones, seu incertorum Martyrum erectas memorias prohibet, & esto præcipiat Reliquias veras Altaribus adhibendas esse, præceptum hoc jam cessavit in Ecclesia, quia in tanta Templorum, & Altarium multitudine, certæ, & exploratæ Sanctorum Reliquiæ haberi non possunt. *Layman. lib.* 5. *de Sacrificio Missæ tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 8. (Ubi sic: *Et si demus. olim omnibus*

etiam

etiam Altaribus reliquias adhibendas fuisse, nunc vero, præceptum desiisse videatur; partim quia causa præcipiendi desiit; partim, quia in tanta Templorum, & Altarium multitudine, certæ, & exploratę Sanctorum Reliquiæ difficile haberi possunt. Nihilominus pertinet ad Ecclesiarum Prælatos providere si fieri commodè possit, ut pia, & antiqua consuetudo in omnibus Templis, & Altaribus sacras reponendi reliquias, perseveret, quod, & in introitu Missæ significatur. Oramus te Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt. Porrò exinde non improbabiliter resolvit Coninch, Altare, seu stabile, seu portatile, non execrari per solam fractionem, vel amotionem sigilli, seu sepulchri in quo sacræ reliquiæ conditæ sunt, quamvis contrarium dicant Canonistæ &c.) Leander par. 2. Tract. 8. de Sacrif. Missæ disp. 7. qu. 6. Versu sed longè probabilius. Ubi expressè ait: Non esse simpliciter necessarium in consecratione Altaris, quod in eo Reliquiæ Sanctorum ponantur, Quia praxis, & usus docent, consecrari absq; reliquiis Altaria &c. Pasqualigus Decis. Morali 46. & 47. & de Sacrif. Missæ qu. 691. à n. 4. Franciscus Lugo de Sacramentis libr. 5. de Missa cap. 7. qu. p. n. 14. Vers. Dico primo (ubi sic: Reliqutarum appositio non est de essentia consecrationis Altaris. Sic Authores pro communi sententia relati, & quidem etiam antiquiores admittunt validam Altaris consecrationem sine reliquiis appositis: magis apertè Suarez dixit, reliquias non esse de essentia hujus consecrationis, ut ex usu constat, & forsan nunquam fuisse, quia Canones id non convincunt, ut ex contextu Conciliorum deducit.) Et qu. seq. 3. nu. 25. Versu Nobis tamen (ubi sic: Dicendum est, nec Altare portatile, nec fixum per solam amotionem, aut fractionem sepulchri, vel sigilli exsecrari, quia nec illud sepulchrum, vel sigillum est de substantia consecrationis Altaris, sicut nec appositio reliquiarum, ut vidimus supra nu. 14. nec in eo forma consecrationis, vel Altaris consistit, nec ullo jure cavetur. Nam in capitibus relatis solum deciditur, Altare consecrationem amittere si tabula ipsius, seu mensa in qua est sigillum frangatur; non quia sigillum frangitur, potest enim ea fractio contingere quamvis sigillum maneat illæsum (sed quia mensa, scilicet, lapidea, frangitur, quæ per se consecratur immediatè &c.) Facund. p. Eccles. præcep. lib. 3. cap. 22. n. 8. Ubi expressè sic: Non est de substantia consecrationis Aræ, quod inibi reliquiæ collocentur. Nec refert, quod Sacerdos dicat, dum accedit ad Sacrificandum, Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt: Nam ideò id dicit, quia ordinariè, & de more reliquiæ ibi apponuntur; non tamen de obligatione, aut necessitate: & cum ordinariè id fiat, sufficit ad veritatem prædictæ Orationis, quamvis in hoc, vel illo Altari deficiant: Regulæ enim Missalis, orationesque, sicut & leges humanæ, non fiunt pro hoc vel illo casu, sed pro communibus casibus: leges enim, & instructiones attendunt id, quod communiter contingit: & ideò simpliciter latæ censentur veræ, quamvis in uno casu, vel altero deficiant, ut est communis resolutio in materia de legibus. Hactenus Fagund. l. c. Quartus in Rubricis Missalis, par. p. Tit. 20. De Altari &c. Dub. 3. difficult. pr. Versu Tertia sententia probabilior: cui adherens ipse: Sustinet. Primo: Certum esse appositionem Reliquiarum non esse de essentia consecrationis Altaris. Secundo, probabilius esse, eam non cadere sub præcepto: quia vel non constat de tali præcepto: consequenter non est asserendum: vel si olim hoc fuit jure præceptum; contraria tamen consuetudine fuisse illi derogatum ob difficultatem habendi reliquias authenticas, & certas, ad tantam copiam Altarium Ita citatus: Qui tamen paulò infra. Versu Colligitur secundo: addit, & optimè: Quamvis tamen inclusio reliquiarum non sit necessaria ad consecrationem ex præcepto: maximè tamen decere, ut omnino fiat, quia idest conforme communi consuetudini Universalis Ecclesiæ. Pertinet tamen ad Episcopos, ut eadem laudabilis consuetudo omnino servetur, & perseveret, sicut cum Layman, & aliis notat Lezana in Summa Verbo Altare n 6. ita dictus. Quartus l. c. Quibus etiam addi possunt Oliverius Bonartius De Sacrif. Missæ Tit. de Institut. cap. 18. n. 16. Ubi sic; Reliquiæ Sacræ non pertinent ad rationem consecrationis, nec ex ullo Canone hoc probatur, ut rectè Suarez, & Vasquez. Nec obstat, quod Sacerdos Altare ascendens, sic precetur, Oramus, te Domine per merita Sanctorum, quorum Reliquiæ hic sunt &c. Quia, ut bene Fagundez, intelligitur illa Oratio, de eo quod ordinariè est, & lex vera est, etiam si in uno, atque altero casu deficiat: ita pag. mihi 45. & pag. anteced. 44. n. 15. Versu, Deinde perit: sic: Non amittitur consecratio, si totum Altare loco moveatur sine separatione mensæ ab inferioribus lapidibus: nec etiam violatur Altare per fractionem sigilli, vel sepulchri, ut Coninch supra. Petrus de Murga Disquisitionum Moralium, & Canonicar. Tom. p. trac. 2. Disquisit. 9. Conclus. 6. à n. 36. plures alios præter supra relatos referens pro nostra tradita responsione, ac sententia. Quæ etiam.

476 Probatur cum eisdem P. Pasqualigo, & Quarto l. l. c. c. quia admitti non debet tan-

bet tanquam quid de essentia, & substantia consecrationis, & præcepto ejusdem, quod non constet præcipi ut tale; nullum autem habetur, vel extat præceptum de ponendis reliquiis in consecratione Altaris, ita ut sine ipsis nequeat fieri consecratio: ergo. Probatur minor, nam *Cap. Placuit. De Consecrat. dist. p.* ex quo desumi videtur tale præceptum, non præcipit ut includantur Reliquiæ in Altari, sed præcipit evertendas esse Aras, in quibus continebantur reliquiæ incertæ, ut advertit etiam *Quartus Difficult. p. c.* Solebant enim (notat etiam *P. Pasqualig. decis. c. 46. n. 4.*) passin in agris erigi Altaria in memoriam Martyrum, ob quasdam revelationes inanes; hujusmodi autem Altaria ibi prohibentur: & statuitur, quod nulla Martyrum memoria acceptetur, ubi Corpus non sit, aut Reliquiæ certæ, aut origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis: *Quod utique longè diversum est* (inquit, & optime *Pasqualig. n. 4. c.*) *à præcepto non consecrandi Altaria sine reliquiis.*

477 Quod, ut manifestè pateat, dò hic per extensum Verba Canonis. *Placuit, ut Altaria, quæ passim per agros, & per Villas tanquam memoriæ Martyrum construuntur, in quibus nullum Corpus, aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab eis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest evertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non sinitur; plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ut, qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione devicti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi Corpus, aut Reliquiæ certæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicumque constituantur Altaria, omnino reprobentur.* In hujusmodi *Textu*, de Consecrando Altari cum reliquiis, nec verbum quidem extat, ut constat. Nec similiter hujusmodi præceptum habetur paulò inferius *in Cap. Non oportet:* dum ibi sic: *Non oportet Clericos ignaros, & presumptores super monumenta in campum ministeria portare, aut distribuere Sacramenta, sed aut in Ecclesia, aut in Basilica, ubi Martyrum sunt Reliquiæ depositæ, ibi pro defunctis oblationes offerri. Nec licet Christianis prandia ad Defunctorum sepulchra deferre, & sacri facere mortuis.* Basilica autem (ut optime etiam *P. Pasqualig. n. 5.*) ubi sunt depositæ Reliquiæ Martyrum, non est Altare: & si esset, ponitur sub distinctione cum Ecclesia. Adde, non dici in *cit. textu*. Quod Altare consecretur cum Reliquiis: sed quod celebretur, ubi sunt Reliquiæ Martyrum; quod longè diversum est; ut notat etiam idem *P. Pasqualig. n. c. 5.* Addens *n. 6.* Quod nec obstet consuetudo; tum quia eam negat *Suarez*, & si haberet locum, non esset obligativa: tum quia (ut notat idem *Suar.*) in tanta multitudine Altarium servari nequit: tum etiam quia inducta est hujusmodi consuetudo in honorem Martyrum, non pro necessitate consecrationis. Hinc est quod Missalia antiqua admonebant, quod omitteretur illa Oratio, *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt*, Si in Altari non essent repositæ reliquiæ. Unde nec item obstare videtur (quod advertit etiam idem *P. Pasqualig. decis. c. n. 8.*) *Canon septimus septimæ Synodi Generalis*, in quo præcipitur deponi qui Templum consecraverit sine Sanctorum reliquiis, quia cum loquatur de Ecclesiis, non debet extendi ad Altaria. Adde cum eodem *Pasqualig. n. c. 8. in fine*: quod hodie cessavit hujusmodi præceptum etiam quo ad Ecclesias, quia cessavit finis; tunc enim præcipiebatur, Ecclesias cum Sanctis reliquiis consecrari, ob hæreticos illius temporis, quia abstulerant reliquias ab Ecclesiis. Et cum cessaverit præceptum ponendi reliquias, & solum ex laudabili consuetudine ponantur, remanet consequenter in libertate consecrantis eas ponere, vel non, proindeque si non ponantur, non fit contra aliquam obligationem, nec peccat qui sic consecrat. Vide *Suar. to. 3. in 3. p. disp. 81. sec. 5. Vers. Tertio additur, in fine. Coninch De Sacramentis qu. 83. art. 3. dub. 2. n. 241. Soto in 4. Sentent. dist. 13. qu. 2. art. 3. §. Rursus etiam. Vers. Sexto denique. Pasqual. Decis. Morali 47. n. 2.* & alios.

478 Et hic obiter adverte ex doctrina *Suar. Vers. c. Tertio additur* (quem etiam referunt & sequuntur *Portel. in Dub. Regularib. Verbo Altare, n. 4. & P. Pasqualig. Decis. Morali 52. n. 2. & 3.*) Altare portatile non amittere consecrationem, si frangatur in quatuor Cornibus in quibus consecratur, dummodo lapis qui remanet sit tantæ quantitatis, ut possit commodè capere Calicem, & Hostiam (si enim pars remanens non posset Calicem, & Hostiam capere, tunc solum nec poterit in illa celebrari.) Ratio est, quia in consecratione, totus lapis consecratur, quamvis vnctiones fiant tantum in angulis; unde tam una pars, quam altera eodem modo manet consecrata. Adde quod hoc Altare non requirit certam formam, sed solum quod lapis

sit planus, ita ut possit capere Calicem, & Hostiam: Igitur si frangatur in Cornibus, adhuc lapis ille Sacer erit; & cum possit capere Calicem, & Hostiam, poterit adhiberi in usu Sacrificii. Ita etiam *P. Pasqualig. num. cit. 3. & P. Quartus in Rubric. Missalis p. p. Tit, 20. dub. 5. Versu Dico secundo*, ubi (cum aliis, ab ipso citatis) ait: *tunc Consecrationem, Aram portatilem deperdere, quando ita frangitur, ut non remaneat pars apta ad Sacrificium, idest capax calicis, & patenæ &c.* Quibus adde *Palaum par. 4. Operis Moralis Tract. 22. Tit. De Altari necessario ad Sacrificium. Disp. Unica, punct. 9. n. 7.* Ubi sic, & ipse: *Altare tam fixum, quam portatile consecrationem amittit, si ita frangatur, aut diminuatur, ut pars quæ integra remanet Calicem cum patena commodè continere non possit: quia eo ipso redditur ineptum muneri Sacrificii. Sic omnes Doctores referendi. At si pars quæ remanet commodè Calicem, cum Patena continere possit, consecrationem non amisit; quia non amisit formam sibi debitam, quæ calicem cum patena contineat, quare ea magnitudine perseverante, & forma Altaris remanet, & consecratio perseverat, uti colligitur ex cap p. Cap. Ligneis. Cap. Quod in dubiis de Consecrat Eccles. vel Altaris, & tradunt Sylvest. Saa, Suarez, Vasquez, Bonac. disp. 4. de Sacram. qu. ult. par. 9. n. 15. Barbosa Alleg. 27. n. 25. Layman, &c. Cum autem dubium est, an diminutio, seu fractura impediat legitimam Calicis, & Patenæ continentiam, Episcopus judicare debet, neque alteri arbitrium comittitur, Barbosa, Bonaccina, Layman.* Hucusque *Palao*. Sed

479 Quæres secundo. An si quis celebret in Calice, & Patena non consecratis, Hoc ipso maneant consecrata? Quæsitum procedit siue bona, siue mala fide quis celebret in Calice, & Patena non consecratis, quia militat eadem ratio, ut docent etiam *Sà Verbo Ecclesia num. 19. Tamburin. de Sacrif. Missæ libr. pr. cap. p. §. 4. nu. 2* (ubi sic: *Idem puto, tum si bona fide, tum si mala quis in Calice, & Patena non consecratis celebret, quia quo ad nostram rem eadem est paritas, semper enim adest idem contactus. Scio aliquos agentes de Sacrificio in Ecclesia violata peracto, ponere discrimen inter peractum mala, & peractum bona fide: sed profectò difficulter quo ad id, de quo loquimur, aptum discrimen invenire poterunt: Sic de Lugo De Eucharist. disp. 20. sec. 2. n. 62. Layman. libr. 5. tract. 5. n. 13. Vers. Addendum quarto.) & P. Quartus in Rubric. Missalis par. 2. tit. pr. dub. 3. Vers. Colligunt secundo.* Qui postea *sequenti Versu, Secunda sententia*, consecrationem manere negat, si mala fide quis celebrat in Calice, & Patena non consecratis, pro qua sententia refert etiam *Cardin. de Lugo de Euch. disp. 20. nu. 91. Fagundez præcep. p. lib. 3. cap. 21. n. 15. Suar. disp. 81. sec. 7. §. Alia autem forma*, & alios; à fortiori tenentes Ecclesiam pollutam non reconciliari celebratione Missæ, ut *Say. Portel. Layman, &c.* Verum.

480 Respondeo ad quæsitum remanere probabiliter consecrata, cum *Auila de Censuris par. 5. disp. 7. dub. 3. Conclus. p. Sà l. c. Henriquez lib. 9. de Missæ Sacrif. cap. 27. n. 6. in fine* (ex aliorum sententia, & de Ecclesia polluta, quod quid majus est) *P. Diana to. 2. Coord. tract. p. res. 173. Ex par. 2. tract. 14. res. 69.* (ubi quod hæc responsio, & sententia probabilis sit, & tuta in praxi, loquendo etiam de Ecclesia polluta, si in ea bona fide ab aliquo Sacerdote celebratum fuerit, nedum loquendo de Patena, & Calice) & *resol. seq. 174. Ex par. 5. tract. 13. & Miscell. p. res. 60.* (ubi pro se citat *Franciscum de Nigro in addit. ad Ruiz par. 6. animadv. 8. P. Trimarchum, Peyrinum, & Cælestinum in Compend. Theologiæ Moralis trac. 8. cap. 5. quæs. 9.*) quibus addo *Petrum de Murga Disquisit. Moralium, & Canonicar. Tract. 2. Disquisitione 20. conclus. 4. à nu. 12. pag. mihi 139. Ausonium Noctinot in Summa Diana. Verbo Vasa Sacra num. pr. Hermanum Bussembaum in Medulla Theologiæ Moralis lib. 6. tract. 3. cap. 3. De celebrat. Missæ, Dub. 5. n. 4.* (Ubi sic: *Sub mortali requiritur Calix, & Patena consecrata: si tamen in nondum consecratis aliquis bona fide, imo addit Bordon., & Tamburin., mala fide celebrasset, licet sic celebrando peccasset mortaliter, probabile est, quod hoc ipso censeantur consecrata. Liceatque in iis celebrare &c. Idemque de Sacris Vestibus, item de Corporali, Pixide &c. quæ immediatè tangunt Eucharistiam &c.*) relatus autem *Bordon. To. 3. Variarum Resolution. par. 2. res. 83. de Calice, & Altari n. 4.* Quærit, An si adhibeatur Calix non consecratus, fiat consecratus per Sacrificium Sanguinis Jesu Christi in eo factum? Et cum *Cælestino, & Diana ll. cc.* respondet affirmativè *nu. 5.* & hoc esse verum, quid quid dicat *Lugo citatus*; respondet autem sic. *Sacrificans in Calice non consecrato peccat mortaliter, si hoc faciat scienter, quia in re gravi se negligenter gerit transgrediendo mandatum Ecclesiæ; bona fide, & inadvertenter excusatur, & Calix remanet Sacratus, ita ut deinceps non egeat benedictione, sive adhibeatur ab eodem, sive ab aliis Sacerdotibus; quod verum puto etiam si mala fide Sacerdos ille usus fuerit, sciens non esse consecratum, quia, bona,*

aut

aut mala fides Calicem non consecrat, sed sanguis, & Corpus Jesu Christi in ipso, & Patena ministratum: & Sicut Sacerdos ad hujusmodi virtualem consecrationem nihil confert, cum tota pendeat à confectione sacramenti, ita neque illius bona, vel mala fides obesse, vel prodesse potest hujusmodi Sacration, per quam Calix effectum est aptum vas, & Sanctum, ad hujusmodi Ministerium: hactenus *Bordon. n.* 5. *cit.* concludens *n. anteced.* 4. cum *P. Diana*: Quod Eccelsia polluta, celebratione consecratur, nec eget alia consecratione, nec communi Doctorum, sicque etiam Calix, quia cum per contactum Sanguinis Christi sanctificetur non indiget benedictione, & sanctificarione.

481 Ratio igitur pro firmanda responsione data ad propositum quæsitum ex citatis Doctoribus, & pro rei veritate, videtur esse, quia per immediatum contactum Corporis, & Sanguinis Jesu Christi Domini Nostri, Calix, & Patena altiori, & efficaciori modo consecrantur, quam per ipsam Chrismatis inunctionem: Quod procedit (ut optimè etiam *Murga l. c. nu.* 13. *aliique ex citatis*) tam in casu quo Sacerdos celebret bona fide, credendo Calicem, & Patenam inunctos fuisse; quam in Casu, quo Sacerdos sciat nondum fuisse inunctos, nec consecratos, & sic mala fide. In utroque nanque casu locum habet responsio, quod videlicet ad contactum illum reddatur Calix consecratus, & Patena pariter consecrata fiat. Quia bona, aut mala fides nihil confert ad consecrationem, uti benè docet præter citatos *Pellizzar. in Man. Regularium to.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *sec.* 3. *n.* 101. Ubi, cum aliis, Sic, *Bona, aut mala fides nihil facit ad rem præsentem: cum benedictio, & consecratio non procedant ex bona fide Ministri ejusmodi Vestes, aut Vasa adhibentis, sed ex eo, quod dictæ res deserviunt ad Missæ Sacrificium, & alioqui mala fides non possit impedire virtutem Sacrificii, quin dictas res sanctificet, sed solum impediat sanctificationem animæ ipsius Ministri, qui dictis rebus non benedictis, aut non consecratis utendo, peccat, & quidem, ut puto, mortaliter, stante gravitate materiæ.* Hactenus *Pellizzarius l. c.*

482 Confirmatur primo eadem ratio ex eodem *Murga l. c. n.* 15. Ideo fit consecratio Calicis, & Patenæ, ut habilitentur ad contactum Corporis, & Sanguinis Christi. At habilitas hæc complementum recipit cum actualiter continet Corpus, & Sanguinem Christi, Ergo per hujusmodi contactum Calix, & Patena altiori, efficaciorique modo consecrantur, quam consecrarentur per inunctionem Chrismatis. Major certa est; quia (ut optime etiam *Ascanius Tamburinus De Jure Abbatum to. p. disp.* 23. *quæsito* 5. *nu.* 4.) præcipue Calix, & Patena consecrantur, propter contactum Corporis, & Sanguinis Christi: & idem asserunt omnes alii Doctores. Minor etiam certa videtur, quia nihil aliud excogitari potest, per quod habilitas illa perfici, & compleri possit, quam per contactum actualem, & continentiam Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Consequentia verò ex præmissis clarè deducitur.

483 Confirmatur secundò cum eodem *Murga l. c. n.* 16. Quia altiori, ac efficaciori modo consecrantur Calix, & Patena per actualem contactum Corporis, & Sanguinis Christi, quam per Chrismatis unctionem: Ideo enim inunctio Chrismatis consecrat, quia participat Sacerdotio Christi diffuso, & participato in nobis (uti docet *Cajetanus apud eundem Murgam num. cit.* 16.) & à quo habet efficaciam. Ergo per immediatum contactum Corporis, & Sanguinis Christi, altiori, efficaciorique modo Calix & Patena consecrata manebunt. Propter quod enim unumquodque tale, & illud magis. Quod utique etiam declarat ipsius Christi Domini nomen: *Christi namque nomen (D. Augustinus tract.* 33. *in Joannem, post initium; & Sancta Mater Ecclesia, in Officio Sabbati post Dominicam tertiam Quadragesimæ) à Chrismate dictum est: Chrisma autem Grecè, Latinè Unctio nominatur.*

484 Adde cum eodem *De Murga l. c. n.* 18. Quod Christus minorem virtutem non habet ad consecrandum per sui, quam per Chrismatis contactum: imo incomparabiliter multò majorem, cum totam virtutem ipse Chrismati, ministerio communicet Sacerdotali: minorenque efficaciam non habent Corpus, & Sanguis, quam pars parietis, aut auri consecrati præexistens habeat: nec magis unitur nouus paries, & nouum aurum jam præexistentibus, quam Corpus, & Sanguis Christi Domini, Calici, & Patenæ à quibus continentur. Si ergo in plurium Authorum Sententia pars parietis, aut auri consecrata præxitens, potens est, partes de novo advenientes ad se trahere, & consecrare, cur id denegabitur Corpori, & Sanguini Christi Domini? Hæc, & alia ad rem hanc, & optimè, relatus Doctor, cum quo, *Diana*, & alii apud eosdem *l. l. c. c.* ad quos Lectorem mitto brevitatis gratia.

CAPUT QUINTUM DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ

CIRCA PRÆCEPTA CHARITATIS.

485 Uo sunt præcepta Charitatis, Amor Dei videlicet, & proximi: de quibus sic loquitur Christus Dominus *Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet, & Prophetæ*. Hujusmodi autem mandata, ac præcepta (licet inter se non differant specie, ex communi D. D. cum *D. Tho. 2. 2. qu. 25. art. p.* quia sunt ab eodem habitu, & sub eadem ratione formali) sunt distincta ab omnibus aliis, & obligant utique in conscientia ad sui observantiam sub reatu lethali (ut videre est apud Theologos, & Doctores Morales) nil minus ac obligent cetera alia quæcumque. Quia tamen in eorum materiali transgressione, (maxime per omissionem) sua privilegia (excusationes videlicet) quandoque habet Ignorantia; prosequens meum institutum, eadem Privilegia hic subiiciam, ac referam, ad propositum caput spectantia. Unde sit:

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Ex Ignorantia omittens adimplere præceptum dilectionis Dei in primo instanti quo quis usum rationis assequitur, excusatur à culpa, & hujusmodi omissio culpa in ipso non est.

486 Adesse præceptum dilectionis Dei, & obligationem ita gravem pro dicto instanti negat *Palaus to. p. Operis Moralis Tit. de Charitate tract. 6. disp. p. punc. 4. n. 2.* cum aliis ibi relatis. Quia (inquit) licet conveniens sit, ut quilibet se, suaq; in Deum dirigat, cum primum rationis usum assequitur: hoc tamen ex obligatione fieri, nec suavitati legis divinæ, nec imbecillitati humanæ consonum esse potest; imo potius videtur impossibile, nisi aliquo superiore, & extraordinario lumine illustretur. Quod sic probo. Nam ad executionem hujus præcepti requiritur illius perfecta cognitio: at ante usum rationis nequeunt pueri perfectè cognoscere, quomodo sit Deus super omnia diligendus: accedente verò usu rationis, si tunc ligantur præcepto, ligantur sine illius cognitione. Item nullus est, qui cognoscat primum instans suæ rationis principium; quomodo ergo ligari præcepto pro illo tempore potest? Hæc quidem ratio convincit (meo judicio) si sumatur instans rationis Physicum. At si sumatur moraliter pro aliquibus horis, vel diebus, & si non ita convincat, suo etiam modo efficaciam habet. Nam brevi illo tempore vix possunt pueri instrui perfectè in iis, quæ necessaria sunt ad illius executionem. Deinde rarò, vel nunquam instruuntur, quod est signum sufficiens non adesse pro illo tempore talem in pueris obligationem. Sic docet *Pal. nu. c.* cum aliis: E contrariò, volunt, *D. Thom. p. 2. q. 89. art. 6.* & illius Expositores communiter, illo tempore quemlibet obligatum esse, se ad Deum convertere, & omnia sua in eum tanquam in ultimum finem dirigere, quia consentaneum est creaturæ rationali, ut suum Creatorem recognoscat, & amet.

487 Utraque opinio est probabilis, habens pro se Classicos asseclas suos: pro his tamen, qui adhærentes huic secundæ sententiæ, admittunt dictum charitatis, & amoris Dei præceptum, & contendunt illud idem obligare pro illo instanti, & tempore (cum primum videlicet usum rationis quis assequitur) pro his inquam, facit propositum privilegium; & ita, ut ab ullo negari haud possit: Nam quis affirmabit ad executionem hujus præcepti non requiri illius perfectam cognitionem? Quis dicere audebit, omittentem ex ignorantia adimple-

adimpletionem ejusdem, peccare mortaliter? nullus prorsus, nisi qui fortasse admitteret, me ligari præcepto in actu secundo, quod prorsus ignoro, falsum autem, & absurdum admitteret. Vide quæ diximus supra *Privilegio X. Tertii Cap.*

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Qui ob ignorantiam, vel nescientiam propriæ futuræ salvationis, aut damnationis, deliberatè desiderat perpetuò in hac Vita degere, excusatur à culpa lethali, nec lethaliter peccat contra præceptum dilectionis Dei.

488 N*avarr. in Man. cap.* 11. *nu.* 20. *Versu Octavò peccat. Adrianus (apud hunc* 3. *de Confess. qu.* 4. *sub fin.) Bartholom. de Ledesma in Summa Sacramentor. ubi de Confess. post dub.* 12. *in interrogat. circa prim. præcept. p.* 710. *Sanch. in Decalog. cap.* 35. *in fine n.* 11. *ubi refert Man. Rodriq. To. p. Summ. in* 2. *editione cap.* 11. *in fine. Bonac. in Decal. disp.* 3. *qu.* 4. *de Charit. punc. p. in fine:* & alii: absolutè docent, Lethale esse (contra præceptum dilectionis Dei) desiderare deliberatè perpetuò in hac Vita degere. Quia præfert Deo, ejusque visioni, & fruitioni delitias hujus sæculi. Vacare tamen culpa (addunt) longam tantum Vitam desiderare. Ab hoc tamen dicto, & ab hujusmodi sententia dissentiunt, nec illam universaliter approbant *Pal. p. pr. de Charit. tract.* 6. *disp. pr. punct.* 2. *num.* 6. *& Leander in Decalog. par. p. tom.* 6. *disp.* 2. *de Charit. qu.* 5. Hi etenim Doctores concedunt quidem verè peccari mortaliter, contra præceptum dilectionis Dei, casu, quo quis vellet perpetuò in hac Vita degere, præponendo vitam hujus sæculi bonis, quę sibi Deus in æternum præparavit: secus si alio fine. Solum ergo per hos Doctores tale absolutum desiderium est peccatum mortale, cum de facto præponit quis suam vitam hujus sæculi, bonis ipsis, quæ sibi Deus præparavit in æternum, quod raro, vel nunquam accidit, nisi in sceleratissimo homine. Addit præterea *Palaus* (& benè) in confirmationem sui dicti: Si ex eo quod velit quis in hac vita perpetuò durare, infertur, eum delitias humanas divinæ fruitioni præferre, etiam cum longam vitam desiderat, præfert pro illo tempore delitias humanas divinæ fruitioni: Ergo hoc etiam sufficit ut peccet, quia summa perversitas est pro uno, & minimo instanti divinam fruitionem humanæ voluptati postponere. Quapropter cum vitam sine termino desideres, solum videris desiderare hac vita non privari. Hoc autem per se malum non est, sed potius bonum. Ita *Palaus*. Ex quo patet excusari posse (ex aliquo saltem capite) à mortali, deliberatum desiderium manendi perpetuò in hac Vita.

489 Et ita etiam est (dico ego) quod ex capite ignorantiæ, & nescientiæ, dictum deliberatum desiderium excusatur pariter à mortali, ut in proposito privilegio. Quod item approbatur expresse ab eodem *Pala. nu.* 6. *c. in fine*: sub his verbis: *Adde, te nescire an post hanc vitam salvandus sis, an condemnandus: ergo cum desideras in hac vita perpetuò manere, potes illud desiderare, ut periculum condemnationis fugias: sed hoc periculum fugere non est malum. Ergo non est peccatum mortale tale desiderium absolutum. Ergo solum esse potest, cum de facto præponis tuam vitam hujus sæculi, bonis, quæ tibi Deus in æternum præparavit, quod raro, vel nunquam nisi sceleratissimo accidit.* Hactenus *Pal.* & ante ipsum *Fagund. To. p. in Decal. libr. p. cap.* 37. *nu.* 5. *vers. Aliqui volunt*: ubi sic: *Aliqui volunt quod peccatum mortale contra hoc præceptum committat ille, qui deliberatè desiderat perpetuò in hac vita degere, quia suo illo desiderio delitias hujus sæculi Deo, & vitæ æternæ præponeret penè atheus, licet longam vitam desiderare nullum prorsus peccatum sit etiam veniale; ita Navarr. Adrian. Rodrig. Ledes. Bonacc. (l. l. c. c.) Quod verum quidem est, si quis desideraret in hac vita permanere, revera præponeret hanc vitam, & ejus voluptates æternæ vitæ, & visionis claræ Dei delitiis, quod nonnisi scelestissimus facere potest. At verò si quis vellet in perpetuum hanc vitam conservare, ne hoc bono privetur, non apparet cur peccatum mortale sit, præcipuè (Nota) si id fecisset, quia nescit an salvandus sit.* Igitur nescientia, & ignorantia propriæ futuræ salvationis, aut damnationis excusat, etiam per citatos Doctores, à lethali culpa, eum, qui ob eandem nescientiam, & ignorantiam deliberatè desiderat perpetuò degere in hac vita, ut in privilegio proposito.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Sicuti pluries obligat præceptum dilectionis Dei, ità multoties à speciali peccato contra hoc idem præceptum excusat ignorantia.

490 CErtum est, imò de fide, dari præceptum de dilectione Dei, *Deut. c.* 6. *Diliges Dominum Deum tuum, &c. Matth. cap.* 27. *Hoc est primum, & maximum mandatum,*

mandatum; p. Joann. 3. Qui non diligit manet in morte. Ratio est, quia amor Dei est necessarius ad salutem: quod autem est necessarium ad salutem, etiam est in præcepto, ut bene *Trullench in Decalog. lib. p. cap. p. dub. 3. nu. 3. & cap. 5. dub. 3. n. p.* & tradunt verissimè Theologi, apud, & cum *Valent. to. 3. disp. 3. qu. 19. De præceptis Charit. punc. p. versu Tertiò quia, pag. 1021.* Hoc autem præceptum non continetur formaliter expressè in Decalogo, cùm sit distinctum à Decalogi præceptis, ut (inter alios) optimè docet *Pala. de Car. Tract. 4. disp. p. punc. 2. n. 3. & 4.* licet sit prævium & præambulum ad illa, per eundem *Pala. n. 4. c.* ubi sic: *Fateor in Decalogi præceptis, non contineri formaliter præceptum de dilectione Dei, & proximi, sed potius esse præambula ad omnia illa, ut docuit D. Tho. 2. 2. q. 44. art. 3. ad 3. & p. 2. qu. 100. art. 4. ad p. Navar. cap. 11. nu. 5. Sanch. lib. 2. in Decal. in Præfatione.* Quamvis autem non contineatur expressè in Decalogo hujusmodi præceptum, includitur tamen virtute in omnibus Decalogi præceptis, ut communiter D.D. præcipuè *Pala n. 4. c. & Trullench. n.p.c.* Unde *Pala.* concludit sic: *Restat ergo ut dicamus, hæc duo præcepta amoris Dei, & proximi, ad reliqua omnia præambula esse, & in illis tanquam in primis principiis includi, ac proinde observatis illis duobus præceptis, omnia observantur, quia in illis duobus universa lex pendet, & Prophetæ.*

491 Duplex autem à D.D. constituitur dilectionis Dei præceptum: negativum scilicet, quo prohibemur, ne Deum odio habeamus, vel quid unquam agamus, quod ejus dilectioni, & amicitiæ contrarium sit. Et affirmativum, quo præcipitur, ut actum Charitatis, & dilectionis Dei quandoque eliciamus. Primum (secundùm omnes) obligat semper, & pro semper, seu ad semper, sicut expostulat natura præcepti negativi: hinc nunquam possumus Deum odio habere, & tenemur in quacumque occasione, & temporis differentia, Deum odio non habere. Est enim odium Dei intrinsecè malum, & peccatorum omnium maximum. Secundum verò, idest affirmativum, obligat tantummodo aliquando: & quandoque per se, quandoque per accidens, & ratione alterius, in quo conveniunt etiam Doctores. Tota varietas, & difficultas inter ipsos consistit in constitutione temporis, vel temporum, in quo, vel in quibus præceptum istud affirmativum obligat: & si enim utilissimum, & maximè saluberrimum sit, ut homo, non solum temporibus assignandis, & constituendis, sed etiam quotiescumque potest, exerceat Charitatis actum; quia est nobilissimus, excellentissimus, & omnium virtutum magis meritorius; immò, & necessarium sit, ut in animi præparatione, & affectu, semper sit ad illum paratus: nihilominus ex communi Doctorum sententia (apud *Leandrum in Decalog. par. 6. Tract. 3. de Charit. disp. 2. q. 11. in fine.*) certis tantum temporibus obligat: Unde & *ipse l. c.* sic: *Supposita existentia hujus præcepti, ut mihi certum Respondeo: per se obligare pro aliquo determinato tempore, sicuti pro illo obligat præceptum fidei, ut constat ex dictis tract. 2. disp. 2. qu. 38. Quia eadem est utriusque præcepti ratio. Sic communiter D. D.* Ita *Leander*, & ante ipsum *Laym. in Theol. Morali lib. 2. tract. 3. cap. 2. nu. 6.* sub his verbis: *Dico secundò: Præceptum affirmativum de Deo super omnia diligendo, certis tantum temporibus obligat. Ita omnes.* Addit postea. *Sed quænam sint illa obligationis tempora, difficile est definire.*

492 Tota ergo inquam varietas inter Doctores, & difficultas, est, in assignando tempore, in quo præceptum hoc affirmativum de Deo *super omnia* diligendo obligat. Dico & ego cum *Layman. super omnia diligendo*: Quod tamen cum communi D. D. intellige *super omnia solum appretiativè: non intensivè*: præceptum enim de diligendo Deo super omnia, ad hoc non obligat, sed tantum ad illud. Tunc autem amore appretiativo amamus Deum super omnia, quando cum omnibus aliis rebus præferimus; & ita illius amore affecti sumus, ut parati simus, pati potius omnia mala, vel nos omnes perdere, quàm ipsum Deum perdere, & offendere. Tunc verò intensivo amore Deum super omnia amamus, quando ferventiori, intensiori, & vehementiori actu, quam omnia alia diligimus. De hoc igitur amore intensivo non intelligitur præceptum de diligendo Deum super omnia, sed de amore appretiativo. Quod patet, tum quia de illo amore intelligitur præceptum, quod de se efficax est ad omnia præcepta servanda: sed hic est amor appretiativus, quia habens illum præfert Deum omnibus aliis rebus: ergo de hoc amore præceptum intelligitur. Tum quia, si adesset obligatio diligendi Deum super omnia, intensivè, cum nobis certò constare non possit, an unus actus sit intensior alio, sequeretur hominem continuis, & maximis vexari scrupulis, ferè semper dubitando, an actus sit sufficienter intensus, & vehemens, quod non est conforme di-

vinæ bonitati, cujus jugum suave est, & onus leve. Tum etiam quia, nullum datur præceptum de intensivo amore: ergo solum de appretiativo extat. Antecedens probatur. Quia utique non datur amor Dei ita intensus, quin nulla ratione intensior esse possit: alias hoc præceptum exequentes, amarent Deum ità intensè, ac Christus Dominus amavit. Neque datur ita intensus, qui expleat totam efficaciam auxilii; alias habens auxilium ad amandum Deum, ut octo v. g. si illum amaret, ut quatuor, non diceretur præcepto Charitatis satisfacere. Neque denique datur amor, qui in intensione præcedat omnes alios creatos amores: aliàs dolens filius, qui de Patris morte, & condemnatione doleret æquè intensè ac de suis peccatis, non amaret Deum super omnia. Imo si de facto intensius Patrem, aut Matrem amaret plusquam Deum, verè peccaret, juxta illud *Matth.* 10. *Qui amat Patrem, aut Matrem plusquam me, non est me dignus*. Quæ omnia sunt absurda: ergo manifestum est non de Intensione, sed Æstimatione præceptum dilectionis esse intelligendum. Sic omnino *Palaus tract.* 6. *disp. p. punc.* 2. *n.* 5. *post Vasq. p.* 2. *disp.* 194. *cap.* 3. *Coninch disp.* 25. *dub. p. n.* 14. *Sanch. in Decal, lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 2. & 3. *Fagund. in p. præcept. Decal. cap.* 27. *nu.* 2. & 3. *Trullench lib.* 1. *in Decal. cap.* 5. *dub.* 3. *n.* 10. *Bonac. in p. Decal. præcept. disp.* 3. *qu.* 4. *punc. p. n.* 2. *Suar. de Pœnt. disp.* 4. *sec.* 4. *nu.* 7. & *disp.* 5. *de Charit. sec.* 2. *Azor. lib.* 9. *cap.* 4. *qu.* 3. *Leander in Decal. De Præcept. Charit. disp.* 2. *qu.* 3. & 4. & communiter alii. Unanimiter docentes, obligare quidem Charitatis præceptum, ut Deum super omnia diligamus, ly tamen *super omnia*, intelligi ità debere, ut videlicet pluris faciamus, & æstimemus Dei amorem, quàm amorem omnium aliarum rerum, ita ut postponendus sit amor creaturarum divino amori, quod est amare Deum appretiativè, & æstimativè. Non enim obligat Charitatis præceptum (ut supra diximus) ut Deum intensius, & vehementius amemus: ne nimis anxios, & scrupulosos redderet etiam homines bonos.

493 Et hinc est quod nulla datur regula de magnitudine intensionis circa hoc præceptum, cum quilibet actus charitatis cum quolibet gradu, sit charitas; sicuti quilibet actus odii, seu detestationis peccati ex charitate procedens, est contritio: quod etiam expressè docet *Laurentius Brancatus* (nunc Eminentissim. Cardinal.) in suo *To. de Pœnit. disp.* 8. *art.* 6. *sub n.* 110. ubi imo ponens sequentem conclusionem: *Nullus gradus parvitatis excludit contritionem à sua specie contritionis virtuosæ si habeat requisita:* eam probat (quod facit maximè ad præsens propositum) sequentibus argumentis *à n.* 110. *c.*

494 Primò. Quia vel contritio oritur immediatè à charitate, vel à pœnitentia: quicquid dicatur, parvitas eam non impedit, ergo. Minor probatur: quilibet actus charitatis, cum quolibet gradu est charitas: ergo quilibet actus odii ex charitate procedens est contritio: patet consequentia: nam non plus requiritur ad consequens, quàm ad antecedens, ex quo sequitur: sed odium mali ex motivo charitatis Dei, provenit ab ea, tamquam à causa: ergo quælibet parvitas stat cum actu charitatis; & quælibet etiam stat cum contritione, quæ est gratia charitatis: cum Deus, vel plus exigat amari, quam non offendi, vel æquè utrumque. Prob. de 2. Actus odii cum uno gradu imperatus, vel elicitus à pœnitentia circa peccatum, quatenus offensa Dei, & aversivum ab eo, est verus actus pœnitentiæ; non attritio, quia non habet motiva illa infima, scilicet pœnarum timorem, & peccati turpidinem, ob quæ, dicitur *ex Concilio* contritio imperfecta, & attritio, ergo. Consequentia probatur, quia non datur medium.

495 Secundò; quia nulla datur regula de magnitudine contritionis (idem dic de magnitudine actus, seu gradus charitatis) ergo cum qualibet parvitate consistit. Antecedens probatur, nam si detur, assignetur. Si dicatur, quod debet esse odium super omnia: statim dicetur esse super omnia appretiativè: uti etiam dicitur de actu charitatis, quod videlicet sit amor Dei super omnia appretiativè.

496 Tertiò. Actus fidei, & spei Theologicæ cum qualibet parvitate intensionis consistunt; similiter actus justitiæ, prudentiæ, ac temperantiæ: ergo & contritionis (consequenter, & charitatis, seu dilectionis Dei super omnia.) consequentia probatur: ideo priores cum quolibet gradu consistunt, quia sunt circa objectum, & finem illarum virtutum; sed etiam talis contritio parva, quia supponitur esse circa peccatum detestabile, quatenus Dei offensa: ergo.

497 Quartò: Ille gradus requiritur ad actum contritionis necessario, cum quo stare potest actus voluntatis circa objectum contritionis (idem dic de actu charitatis, & de hoc actu argue eodem modo à pari) sed cum omni gradu salvatur actus voluntatis circa objectum contritionis, ergo. Major pro-

jor probatur. Actus contritionis est actus voluntatis circa objectum contritionis; igitur quomodo salvatur actus voluntatis, ita actus talis virtutis: nil enim aliud facit, quod actus voluntatis sit talis, vel talis virtutis, nisi objectum, & finis, seu motivum. Minor probatur. Actus voluntatis circa objectum naturale, etiam si unum gradum habeat intensionis, adhuc est actus liber, & adæquatè voluntarius physicè: ergo si sit circa objectum morale, vel supernaturale, etiam cum uno gradu intensionis, erit adhuc voluntarius, & liber; cum nullum objectum, in quantum tale, exigat plures gradus in actu circa ipsum, quam exigat ipsemet actus, ut sit alicujus potentiæ actus. Alias rationes pro confirmanda supra relata sua conclusione, desumenda esse inquit idem *Eminentiss. Author art. c. n.* 113. *in fine*: ex iis, quæ ab ipso dicta sunt de genere contritionis (scilicet odio, & detestatione peccati) *disp. præced.* 7. *art.* 9. & 10. quæ, *quia ad idem sunt* (ut ipsemet ait,) & ad rem utique nostram, etiam (de actu charitatis, & dilectionis Dei super omnia) apprimè faciunt, ideò optimum duxi, & eadem hic pariter ad verbum referre, ut ex tanto etiam Doctore, agnoscat Lector, sub quolibet gradu intensionis subsistere contritionem perfectam, & dilectionem Dei super omnia, si habeant requisita; ita ut nullus gradus parvitatis intensionis excludat contritionem, & dilectionem Dei super omnia: quod probatur igitur

498 Quintò: Neque odium contritionis, neque odium attritionis requirit ut sit intensius omni alio odio cujuscumque alterius mali: ergo: probatur antecedens: Nullum datur ab Ecclesia, vel à Christo immediatè tale præceptum maximæ intensionis in contritione, vel attritione, quæ sunt odia peccatorum: ergo. Consequentia patet; nulla obligatio imponenda est fidelibus, in iis, quæ pertinent ad salutem, nisi à Christo, vel ab Ecclesia sit imposita. Antecedens etiam patet: nullus enim scripturæ locus videtur assignandus, neq; Conciliorum Decretum: his enim duobus modis loquuntur Christus, & Ecclesia, quando obligant.

499 Sextò: Ex praxi pœnitentium, qui in statu salutis, & perfectionis sunt, vel credunt esse, cum per actum aliquem contritionis perfectæ, vel atritionis, accedunt ad Sacramentum pœnitentiæ, & experiuntur se non habere odium, displicentiam, aut detestationem ita vehementem, & intensam, sicut habent de morte v. g. Filiorum, de gravissimo morbo, &c. ergo actus odii, ut sit actus pœnitentiæ, non requirit intensionem omni alia majorem. Imò si sic, pauci, aut nullus haberet actus veros pœnitentiæ: cum pauci, aut nullus habeat odium, ac detestationem intensissimam. Adde quod non est in animæ potestate causare tantum dolorem.

500 Septimò: Odium intensissimum causat dolorem intensissimum, ergo induceret mortem, & sic faciens actum pœnitentiæ deberet mori. Consequentia probatur: Maximus dolor est, qui causat divisionem corporis ab anima. Confirmatur. Complacentia in peccato non fuit intensivè major omnibus complacentiis: ergo neque odium ejus debet esse intensivè majus omnibus. Hæc *Eminentiss. Brancatus l. l. c. c.* ex quibus constat, odium peccati, uti & contritionem, & actum similiter dilectionis Dei super omnia, non exigere determinatos gradus intensionis, sed sub quocumque gradu intensionis (etiam minimo) subsistere, ac esse posse verum actum odii, contritionis, & dilectionis Dei super omnia appretiativè. Sed

501 Dices ex *Fabro to. de Pœnit. disp.* 16. *c.* 2. (apud eundem *Brancatum disp.* 7. *cit. art.* 10. *n.* 193.) Contritio est actus imperatus à charitate, sed hæc includit intensionem, quia amat Deum super omnia, ergo. Et si ei dicas, quod intelligitur super omnia appretiativè. Hoc non est solvere, (inquit ipse) quia præceptum charitatis erga Deum obligat, ut ametur *ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima*, *Deut.* 6. Hoc autem exhiberi nequit, nisi toto conatu causetur amor, totisque viribus: ergo actum intensum faciunt, & ad hunc tenetur homo, maximè cum conteritur.

502 Huic objectioni respondeo primò (cum eodem *n. cit.*) negando antecedens: causari enim potest contritio à virtute justitiæ, seu pœnitentiæ, licet sit implicitè ex motivo charitatis. Secundò: Esto ex motivo charitatis, quæ super omnia diligit, quid inde sequitur? utique nil aliud nisi quod quilibet actus charitatis, sive sit prosecutionis erga Dei bonitatem, sive sit fugæ erga malum contra Deum, sit super omnia amabilia, & odibilia, sed non quod sit omnibus aliis odiis, vel amoribus intensior, alioquin si ut duo Deus diligeretur, & Filius, ut quatuor, dicendum esset non diligi ex charitate, vel non ordinatè. Similiter cum mors carorum magis intensivè displi-

displicet ; quam peccatum, non esset virtuosa displicentia, quæ sunt falsa. Nam intelligendum est de majoritate appretiativa, quæ illam conditionalem electionem possibilem includit, ut si optio daretur magis, seu potius unum, quam aliud eligeretur ; & potius unum, quam aliud odiretur. Ad probationem illam *ex toto corde*, *&c.* patet, quod eodem modo explicanda est : quia experientia patet, magis intensivè amari liberos, & alia, quam Deum; at non magis appretiativè: nam potius homo exponit liberos morti, quam Deum offendat. Patet de constitutis ante Tyrannos, qui passi sunt filios suos trucidari potius, quam fidem negare.

503 Hinc, certum est, ut optimè etiam *Fagund. in Decal. To. p. lib. p. cap. 27. n. 3. Leander. qu.4.c.& alii* communiter, non esse peccatum, Patrem, aut Matrem, vel aliam Creaturam intensiori, & ferventiori amore sensibili, quàm Deum diligere : quia certum est, ut constat ex dictis, non esse nobis datum præceptum, ut Deum intensius, quam cætera omnia diligamus : quonaim præcepto Charitatis in Deum satisfacimus, qualicumque, etiam minima amoris intensione; dummodo Dei amorem, vel tenuissimum etiam, cæteris præferamus : quo supposito, ut certò, certo constat, posse quem, Patrem, aut matrem, &c. magis intensivè, quàm Deum, diligere licitè, & absque peccato : dummodo Deum appretiativè super omnia diligat. Neque hæc ad invicem contrariantur. Stat namque bene à quopiam magis intensivè amicum diligi, quàm parentem, & tamen si detur ei optio, magis eliget in urgenti necessitate amicum perire, quam parentem: & si utrique succurrere non possit, parenti potius, quam amico succureret. Simili ergo modo potest quis licitè aliquando magis sensibiliter, intensivèque parentem amare, quam Deum : non tamen magis appretiativè, quia ex vi præcepti dilectionis Dei tenetur ita esse paratus, ut in occasione oblata velit potius Patrem offendere, si opus sit, quam Deum: ac proinde licet amor ille Parentis major sit intensivè, quam amor Dei, iste tamen, major est appretiativè. In hoc, & dictis supra, conveniunt omnes Authores supra citati, aliique apud ipsos, & communiter, tum Veteres, tum Recentiores. Discrepant tamen, variiq; sunt inter se (ut supra etiam innuimus) in assignando tempore, pro quo obliget præceptum affirmativum dilectionis Dei super omnia. Nam per omnes, utique, certis temporibus obligat per se ; quandoque verò per accidens. Quænam autem sint illa obligationis tempora, valdè incertum est.

504 Primò : Secundum *D. Th.* & alios alibi relatos, obligat per se, quando quis pervenit ad usum rationis, quia tenetur tunc se ad Deum convertere, & actum dilectionis Dei elicere, & si non eliciat, peccabit mortaliter per ipsosmet, ut videre est apud *Trullench dub. 3. c. n. 3.*

505 Secundò : Obligat per se cum insurgunt tentationes odii Dei, & est periculum illis consentiendi : ita docent *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 35. n. 9. in fine*: *Bonac. in pr. Decal. præcept. disp. 3. qu. 4. punct. 2. n. 2. in princ. Trullen. dub. 3. c. n. 4. & alii:* Quia tunc dilectio, & amor Dei est medium necessarium ad Deum non odio habendum.

506 Tertiò : Obligat per se hoc præceptum, quando quis tenetur ad veram cordis pœnitentiam, peccati detestationem, ejusque odium extra Sacramentum. Ita *Azor. to. p. lib. 9. cap. 4. qu. p. in fine. Bonac. nu. 2. cit. Versu, Secundò obligat. Trullench dub. cit. nu. 6. Leander in Decalog. tract. 4. De Charit. disp. 2. qu. 18.* & alii (Quando autem obliget præceptum contritionis, vide Doctores de Pœnitentia, præcipuè *Bonac. to. p. De Pœnit. Sacram. disp. 5. qu. 5. punc. 2. nu. 5.*) Ratio est, quia hoc præceptum (sicut Fides, & Spes) est constitutum tanquam remedium ad justificationem impii, quare iis temporibus suam obligationem affert, quibus improbum hominem oportet sua peccata per veram pœnitentiam odio habere, & detestari, ut obtenta venia, ad divinam gratiam revocetur. Quare quandocumque quis debet de suis peccatis per veram cordis pœnitentiam dolere, ut eorum veniam obtineat extra Sacramentum reipsa susceptum, ipso jure divino cogitur actum charitatis elicere, quia fine eo, vera, & legitima pœnitentia non est, quæ sufficiat ut idonea, ad peccata lethalia post Baptismum delenda extra Sacramentum (quamvis cum Sacramento pœnitentiæ sufficiat is dolor, quem Theologi attritionem appellant, qui actus charitatis non est, cum sit detestatio peccati non amore Dei, sed metu gehennæ, vel odio turpitudinis, quæ peccatis inest, vel spe bonorum cœlestium suscepta) & licet *Fill. iuc. to. 2. tract. 22. qu. 9. n. 29.* & alii existiment in hoc casu præceptum charitatis obligare non per se, sed per accidens, ratione scilicet contritionis; verius tamen est

(quod censet etiam *Trullench n. 6. c.*) obligare per se: tum ob rationem dictam: tum etiam, quia contritio est actus elicitus charitatis; licet enim (ut optimè etiam *Leander qu. 17.*) dilectio Dei perfecta non sit formaliter contritio, est tamen virtualiter, eminenter, & æquivalenter, quod sufficit ad hoc ut obliget, quoties obligat contritionis præceptum, cum sit dolor peccatorum supernaturalis, propter Deum super omnia dilectum: includit igitur necessariò dilectionem Dei supernaturalem, à qua proficiscitur, ideò, &c. Obiter autem hic nota cum *Sanch. c. n. 9. Bonac. n. 5. c. in fine. Trullen. dub. 3. c. n. 6. in fine*, & aliis: in hoc casu, sive per se, sive per accidens obliget præceptum charitatis, omittentem illud, solum committere unum peccatum: nam si obligat per se, certum est unum peccatum committere: si verò per accidens ratione contritionis videlicet, tunc etiam illius omissionem unum peccatum esse, certum videtur, quia non ratione sui, sed ratione alterius obligaret. Hinc optimè *Leand. qu. c. 18. in fine*: ait sic: *Qui omitteret præceptum dilectionis Dei, in casu præassignato, minimè committeret duo peccata, sed unum tantum, quidquid renuat Rocafull. Quia licet dentur duo præcepta, sunt in ordine ad unum finem adæquatum, & formalem, quod est justificatio impii, & recuperatio Dei gratiæ, & amicitiæ. Sic Sanch. Filliuc. & alii.*

507 Quartò: præceptum dilectionis Dei obligat quemlibet instante morte, etiam si conscius non sit peccati mortalis: imò etiam si illius conscius, Sacramentaliter confiteatur: tunc enim, cum vita clauditur, maximè opus est, se Deo conjungere per usum præcipuarum virtutum, qualis est charitas: eo maximè quia mortis articulo instante tentationes, & machinationes Dæmonis acerrimè infestant, hinc tenetur homo actus dilectionis Dei præsidio, adversus ea se communire. *Azor. to. p. lib. 9. cap. 4. qu. p.* & cum eo *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 35. n. 9. vers. 8. tempus est. Pala. to. p. tract. 6. disp. p. punct. 4. n. 9. versu 5. asserunt*; negant hujusmodi obligationem: in quam sententiam videtur inclinare *Trullen. dub. 3. c. n. 5. in fine*: dum ibi sic: *Et si enim hoc utilissimum, & probabile sit, non tamen est certum, nam ut bene Sanch. sup. n. 9. & Pala. cum eo, sup. n. 9. in fine: Tunc aliis remediis potest se quis tueri, ut Oratione, & cæteris Sacramentis.* Alii verò concedunt quidem tunc obligare, at non per se, & directè, sed indirectè, & per accidens, ratione periculi. Ita *Arriaga disp. 36. sec. 2. n. 17.* apud *Leand. disp. 2. c. qu. 20. in principio*: Ubi postea ipse resolvit: *Etiam tunc probabilius obligare, & per se, & per accidens: per se quidem, quia per se pro illo tempore est impositum: & per accidens, ratione imminentis periculi.* Quod totum pariter affirmat (apud *Dian. par. 5. tr. 14. res. 105. vers. Dico secundò*: & eundem *Leandrum qu. 20. c.*) *Petrus Hurtad. de Mendozza 2. 2. disp. 174. sect. 5. subsect. 2. §. 27.* idque probat: *Quia, lege charitatis propriæ, tenemur ad securitatem vitæ æternæ, vitandumque discrimen æternę damnationis: sed actu dilectionis Dei super omnia vitamus omnia pericula æternę damnationis, reddimurque securi æternę vitę, eumque actum possumus exercere, quia præsto est gratia Dei supernaturalis, & ex meritis Christi: ergo tenemur eum actum exercere. Finge te non esse ritè baptizatum, aut absolutum, & te inscio horum eventuum accessisse ad Sacramentum, sine contritione perfecta, aut charitate, damnaberis profectò. At licet nunquam fueris baptismate ablutus, neque absolutus à Sacerdote, si Deum diligis super omnia, charitate Theologica, non dubium quin ineas vitam salutis æternæ. Cur igitur experienda est alea contingentium eventuum, cum in tua potestate gratia Dei salutem tuam constituerit? Hæc obligatio partim est per se, quia hoc pręceptum nobis imponitur intrantibus, & exeuntibus in vitam: partim est per accidens ratione periculi proprii.* Ita *Petr. Hurtad. ex Valent. to. 3. disp. 3. qu. 19. punc. p. Versu Septimus casus*; affirmante cum *Soto, & Navarr.* certum esse, & extra dubium, obligare tempore mortis hujusmodi præceptum: quibus præter *Suar. to. 4. in 3. par. disp. 5. sec. 4. n. 9. & de Charit. disp. 5. sect. 3. nu. 3.* addi potest *Conincb disp. 24. dub. 3. Conclus. 3. n. 51.* ubi sic ait: *Tenemur per se elicere actum charitatis circa articulum mortis. Quod non solum intelligendum est, quando non habemus copiam Confessarii, & conscii nobis sumus peccati mortalis (quo casu res omnino certa est, quia sine actu charitatis nequimus elicere contritionem, ad quod tamen tunc, ne damnemur, obligamur) sed etiam si Sacramentaliter confessi sumus.* Sic ipse quod latè probat *Joseph Rocafull.* uti refert *Leander qu. 20. c. in fine*, & ut probabile admittit *Diana ubi supra.*

508 An verò, ex dicto precepto eliciendi actum dilectionis Dei super omnia in articulo mortis, oriatur obligatio habendi etiam contritionem in eodem articulo, adeò ut præcepto contritionis neutiquam suppleatur cum Sacramento tantum pœnitentiæ, nec sufficiat attritio cognita cum Sacramento. Divisi sunt Doctores: adhærentes

rentes quam plures affirmativæ sententiæ: nonnulli verò, negativæ: hi sunt *Azor. To. p. lib. 9. cap. 4. qu. p. Sanch. in Decal. to. p. lib. 2. cap. 35. n. 9. Versic. 8. tempus, & Pala. par. p. Tit. de Charit. tract. 6. disp. p. punc. 4. sub n. 9. vers. 5. asserunt*. Ubi licet fateatur hanc obligationem esse satis probabilem, & in praxi semper consulendam: addit tamen non esse omnino certam, si constitutus in articulo mortis, peccati mortalis conscius non est, atque adeo illam reiicit cum *citatis Azorio, & Sanch.* infirmando ejusdem obligationis rationes, & fundamenta. Videatur *l. c. pag. mihi* 580.

509 Quintò: præceptum dilectionis Dei obligat etiam sæpè in vitæ decursu, vel per se, & ex vi charitatis: vel per accidens, ratione videlicet alterius adjuncti, cui charitatis dilectio necessaria est. Quando autem dilectio non est per se, sed aliunde necessaria, si illam quis omittat, non adversus charitatem, sed adversus aliam virtutem peccat, ut innuunt etiam *Diana par. 5. tract. 14. res. 105. Versu Nota etiam, n. 6. & Palaus l. c. n.* 10. cum quo sic declaro: Existens in mortali, vult ministrare, aut recipere aliquod Sacramentum, tenetur peccatum expellere ab anima, ut dignè ministret, vel recipiat, quod nisi media attritione cum Sacramento Pœnitentiæ, vel contritione, quæ amorem Dei super omnia includit, fieri non potest. Si tunc ille omittat hæc media assumere, & Sacramenta ministret, vel recipiat, non adversus charitatem, sed adversus Religionem peccabit: quia ex Religione, obligatio habendi dilectionum ortum habet. Loquendo ergo modo non de hac obligatione, sed de illa, quæ per se, & ex vi charitatis oritur diligendi Deum, dicimus hanc adesse etiam sæpè in vitæ decursu. Difficultas est circa tempus. *Hurtadus* relatus à *Diana res. 105. c. Versu dico 3. nu. 3.* putat hanc obligationem currere per singulos annos, & quidem ait, satis remissivè nobiscum agitur annuo dumtaxat amore nobis petito. Unde *Lorca in 2. 2. sec. 3. disp. 58. nu.* 8. (apud eundem *Dianam. Versu, & n. 3. c.*) ait sic.: *Me judice, si quis anno integro omissionem hujus actus incurrat, certusque sit Dei sui immemorem tanto tempore se extitisse, debet se judicare transgressorem, quoniam Ecclesia simile arbitrium sumpsit circa præceptum pœnitentiæ, quod ejusdem rationis est*. Ita *Lorca*: & ante omnes *Ledesma in Summ. to. 2. tract. 3. cap. 5. post 6. conclus.* Sed *P. Diana l. c.* putat hac obligatione non teneri adultum annis singulis: *quia (inquit) hoc est nimis durum, & nullo firmo fundamento nititur*. Quod etiam docet *Pala. n. 10. c.* ubi firmat hanc obligationem multo tempore non esse differendam, & dilationem trium annorum putat esse gravem: *Hac ergo obligatione* (sic ille) *existimo quemlibet adultum teneri, non singulis annis, ut placuit Petro de Ledesma, quia hoc est nimis durum, & nullo firmo fundamento nititur, sed aliquoties in vita, ita ut non multo tempore hoc exercitium differatur: signare autem hoc tempus, fieri non potest, sed prudentis arbitrio mensurandum est; reputarem autem dilationem trium annorum esse gravem. Nam qui tanto tempore divinam bonitatem non redamat, eam videtur contemnere, & in periculo eam offendendi, & humanis rebus postponendi constitui*. Ita *Palaus*. Quod tempus assignant etiam *Suar. de Charit. disp. 5. sec. 3. nu. 4. & Coninch disp. 24. dub. 3. n. 53.* ubi ait: *Videtur omnino mortaliter peccaturus, si hoc præceptum, quis, ad tres, vel quatuor annos spontè differat*. Advertit tamen idem *Palaus n.* 11. rarò quemlibet fidelem, nisi moribus depravatus sit, hujus peccati reum existere, quia sæpè conatur contritione se ad absolutionem disponere, sæpeque beneficia divina, & summam bonitatem considerat, quibus ad effectum debitum amicitiæ excitatur. Quod idem etiam pariter notat *Petrus à S. Joseph in sua Summula Casuum Conscientiæ cap. p. de p. Decalog. Præcepto art. 4. pag. mihi* 47. sub his verbis: *Valdè incertum est, quam frequenter debeat elici actus amoris Dei ad servandum præceptum per se obligans ad amandum Deum: cum aliqui putent, satisfieri præcepto, si semel in anno eliciatur actus amoris Dei; alii, si tertio quoque anno; alii, si non differatur ultra quinquennium. Vix tamen contingit, ut fideles tanto tempore hoc præceptum negligant, quantum requiritur, ex multorum sententia, ut mortaliter peccent, cum aliquoties, vel audiendo Sacrum, vel aliàs de Dei bonitate cogitando, vel ad sumptionem Sacramentorum se disponendo, ad amorem Dei se excitent*. Ita *citatus à S. Joseph*.

510 Qui tamen, quod ultimo loco recitat ex aliorum sententia (non committi videlicet mortale contra præceptum per se dilectionis Dei, quando actus amoris ejusdem non differtur ultra quinquennium) damnatum recitat, ab *Innocentio XI*, cum idem Pontifex in serie damnatarum propositionum istam posuerit sexto loco: *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum*. De qua re, recenter ait modernus Author sic; *Quod semel singulo quoque anno*

obliget præceptum Charitatis Dei secundum sententiam, quam docet Petrus de Ledesma, potest probabiliter teneri: sed verius censeo semel in Mense dictum præceptum obligare: & ducor, quia aliqui volunt, ut Sotus in 4. dist. 27. qu. unica, illud urgere singulis Festis; & adhæret Tabiena verb. Charitas qu. 20. Alii volunt urgere quandocumque Eucharistia est sumenda. Igitur nec laxè, nec strictè loquentes, videtur rationabilius dictum, tale præceptum urgere singulo quoque Mense, sicuti de præcepto Orationis docent Trull. in Decal. lib. p. cap. 7. dub. 4. nu. 4. cum Lessio, & Palao to. 2. disp. p. punct. 8. n. 3.

511 His præmissis pro clara intelligentia, & notia privilegii propositi. Continetur in ipso, quod sicuti ex præhabitis, præceptum dilectionis Dei, ex sententia vera, & citatorum Doctorum, pluries obligat in vitæ decursu, ita multoties à speciali omissionis peccato contra idemmet præceptum, excusat ignorantia. Quod privilegium utique (& expressè) approbant, atque admittunt, *Petrus à S. Joseph l. c.* ubi sic: *Contingit ignorantiam, aut inadvertentiam invincibilem plerosque excusare, ne peccent, non eliciendo actum amoris Dei: cum tempus obligationis valdè incertum sit ex Theologorum sententia. Valent. to. 3. disp. 3. qu. 19. De Præcept. Charit. punct. p. propè finem, versu Porrò licet*, dum ibi ait: *Licet in tam variis casibus, ut jam dictum est, præceptum istud Charitatis obliget: tamen variis etiam modis contingere potest, ut quis à speciali peccato contra hoc præceptum excusetur. Primo, si putet, non in omnibus ejusmodi casibus illud obligare; ut de quibusdam est probabile, ob contrarias opiniones Doctorum. Secundò, si per inculpabilem incogitantiam, aliquis, in casu quo obligat, non advertat se teneri ad illud implendum. Quod facillimè accidet, præsertim in casibus inopinatæ mortis; quando variis modis aliquis præpeditur, quominus cogitet, quod tunc est opportunum. Consultum tamen est aliquando in Confessione se accusare sub dubio, si fortè præceptum istud sit neglectum, sicut & de omissione aliorum præceptorum affirmativorum, de quibus non satis certò constat quando obligent, & quando violentur. Quamvis absolutè quidem non teneamur confiteri de eo, in quo nec scimus, neque ob aliquam peculiarem rationem dubitamus, nos peccasse. Diana res.* 105. *c.* quæ *in To. 6. Coord. trac. pr.* est *resol. 3.* ibi enim *nu. 4. Versu Notandum est*. Ita approbat privilegium propositum. *Neque se torquere quis debet, ut observat Hurtadus in 2.2. disp. 174. sec. 5. §. 24. utrum huic præcepto satisfecerit, quia quamdiu positivo, & probabili argumento non meminit, se hoc præceptum omisisse culpatè, sibi persuadeat se contra illud non peccasse: vel quia Deum dilexit, vel quia illud inculpatè prætermisit. Coninck disp. 24. dub. 3. n. 50. in fine* approbat similiter, & expressè, dum sic: *Seclusa omni ignorantia, & inadvertentia, sine gravi peccato, nequimus valde diù differre actum Charitatis erga Deum. Trullench* tandem, *in Decalog. lib. p. cap. 5. dub. 3. n. 9. Valentiam* sequens ubi supra, hoc idem approbat propositum privilegium, inquiens: *Cum præceptum hoc Charitatis variis casibus obliget, variis casibus contingere potest, ut quis à speciali peccato contra hoc præceptum excusetur: & primò si putet in hujusmodi casibus illud non obligare, aliorum sententiam sequutus. Secundò, si per incogitantiam inculpabilem, aliquis, in casu quo obligatur, non advertat, se teneri ad illud implendum, quod facilè accidet, &c.*

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Excusatur à culpa, nec peccat contra præceptum divinum charitatis de diligendo proximum, non subveniens (ex ignorantia) eidem, in gravi, vel etiam in extrema necessitate constituto.

512 DUo (ex dictis, & Doctoribus, ac de fide) sunt præcepta Charitatis, alterum, quo Deum, alterumve quo proximum præcipimur diligere. In præcedentibus hujus Capitis, tria enumeravimus, approbavimusque privilegia circa primum ejusdem Charitatis præceptum, de Deo videlicet diligendo. Modò quartum ponimus, quod (ut patet) spectat ad secundum Charitatis præceptum, de diligendo proximum. Cùm autem vi hujus præcepti, teneamur, nedum illum odio non habere, nec ei nocere (sine causa) in ulla re; verum etiam eidem in gravi, & multo magis in extrema necessitate, tum spirituali, tum corporali constituto, subvenire, ut communiter Doctores, hinc est, quod hujusmodi præceptum, per eosdem etiam Doctores, tunc dicitur obligare (quatenus affirmativum est) quando proximus in gravi, vel (& præcipuè) extrema necessitate constitutus est. Addidi (quatenus affirmativum est) quia charitatis præceptum, quatenus negativum est, obligat semper, & ad semper, seu pro semper, & in quacumque temporis differentia: *Navarr. in Man. cap. 14. n. 8. & 9. S. Thom. 2. 2. quæst. 25. art. 6. 8. & 9.* quia nunquam

possumus

possumus excludere proximum, etiam inimicum nostrum ab amore, quo Deum, & proximum in genere diligimus, nisi sit jam damnatus, quod est diligere proximum negativè. Quare tenemur semper odium proximi deponere, esseque animo paratos ad eum diligendum: sicque præceptum charitatis, quatenus negativum est, obligat semper, & ad semper, seu pro semper, & in quavis differentia temporis.

513 At, quatenus affirmativum, obligat, vique ipsius tenemur diligere proximum, quando is in extrema necessitate constitutus est, nostroque amore indiget, ut salutem spiritualem, vel corporalem penitus consequatur, ut si infans, aut mente captus, aut etiam cordatus jam sine Baptismo esset moriturus: qualis etiam esset, qui deposceret aliquod consilium, auxilium, vel solamen aliquod spirituale à nobis, sine quo verisimile est, eum condemnatum iri. *Navarr. n. 9. c. Vers. Respondeo tertiò. Azor. tom. 2. lib. 12. cap. 5. qu. 3. Filliucc. tom. 2. tract. 28. cap p. qu. 5. n. 13.* Addens *n. 14. Universaliter dici posse, tunc obligare hoc præceptum Charitatis, quando proximo tenemur benefacere corporaliter, aut spiritualiter, juxta ea, quæ dicuntur de præcepto eleemosynæ, & fraternæ correctionis. Trull. in Decalog. lib. p. cap. 5. dub. 4. à n.* 9. cum aliis ab ipso relatis. Advertens *n.* 14. & bene, cum *Villalobos 2. p. tract. 3. diffic. 5. n.* 6. & aliis: *peccare etiam contra Charitatem eum, qui proximo indigenti, & in necessitate constituto, etiam si non sit extrema, non succurrit: unde si videt proximum transeuntem juxta parietem minantem ruinam, tenetur illum monere, ne opprimatur. Similiter, si videat proximi domum incendio flagrantem, tenetur, si commodè potest, ei subvenire; & sic in similibus*: & eidem non subveniendo, utique peccat, nec excusatur à culpa.

514 Excusatur tamen si ei non subveniat ex ignorantia, ut in proposito Privilegio: patet hoc apertissimè: primò, ex illo *Jo. p. cap. 3. Qui habuerit substantiam hujus Mundi, & viderit* (idest agnoverit) *fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, &c.* Secundò ratione. Quia non subvenire ex ignorantia proximo in extrema, vel gravi necessitate constituto, facit omissionem subventionis involuntariam: unde sicut talis omissio est involuntaria, ita nec est peccatum, quia nullum est peccatum nisi voluntarium. Tertiò auctoritate. *Azorii Instit. Moral. par. 2. lib. 12. cap. 8. Vers. Tertiò quæritur*: ubi sic: *Satisfaciunt huic præcepto dum hujusmodi necessitatibus quas norunt, commodè subveniunt, & dum parato sunt animo ad eas sublevandas quas rescierint. à Sancto Fausto Tract. de Horis Canon. lib. p. qu. 19. Vers. Hinc qui est*; ubi loquens *de Oratione in Communi*, & supponens præceptum orandi pertinere ad Charitatem Dei, & proximi, quod postea, (cum *Alexand. Alens. 4. qu. 26. n. 3. artic. p. ad 2.* & aliis plerisque) probat *seq. q. 21.* sic ait: *Non peccat mortaliter qui pro proximo in mortali existente negligit orare Deum ut ab eo liberetur, quantumvis sciat oratione sua iuvandum, ut docet Navarr. de Oratione cap. 3. n. 15. Dummodo advertat aliud esse remedium, tum pœnitentiæ, cujus nullum sufficiens impedimentum ipsum habere apparet: tum admonitionis, & curæ, quæ de eo ab aliis geritur. Et ratio hujus est, quia in hoc casu est aliud remedium, ut à peccatis liberetur præter orationem. Quæ resolutio facit ad solatium conscientiarum timoratarum, ad quod solatium etiam facit, quod docet Valent. 2. 2. d. 6. qu. 2. punc. 3. scilicet, non peccari per omissionem orationis, nisi quis tempore quo oportet orare, advertat, vel advertere possit ex præcedente alia præcognitione (qualis fuit, quam Matth. 26. acceperunt Apostoli à Christo, dicente illis, Vigilate, & orate, &c.) quod necesse sit tunc orare: quia si id nullo modo veniat in mentem, sicut omissio illius non erit voluntaria, ita nec erit peccatum, quia nullum est peccatum, nisi voluntarium.* Sed

515 Quæres primò. Quænam sit proximi indigentia, seu necessitas extrema; & quæ gravis, cujus causa (ex charitatis præcepto) tenemur eidem proximo in tali statu constituto (sub mortali) subvenire? Respondeo: Videatur, præter alios quamplures, *Coninch disp. 27. De Eleemosyna, dub. 8. à n. 112. pag. mihi* 448. ibi namque iste Doctor refert cum aliis triplicem necessitatem, Extremam videlicet, Gravem, & Communem, describitque differentiam, quæ procedit inter ipsas: & circa easdem alia notat, & affert ex mente etiam aliorum Doctorum. Videatur inquam.

516 Quæres secundò: Quinam nomine proximi intelligantur? Respondeo: Qui supernaturalis Beatitudinis sunt capaces. Sic Doctores cum *D. Augustino lib. p. de Doctrina Christ. cap. 23. 26. & 30.* Quapropter, fidelis, & infidelis, peccator, & inimicus, prædestinatus, & reprobus, nomine proximi veniunt intelligendi; quia omnes h dum in hac vita degunt, capaces sunt Beatitudinis, illisque Beatitudinem velle potes. Quod si tibi revelatum esset aliquem esse reprobum, & condemnandum, adhuc circa illum

ea illum charitatem exercere potes, quia & velle posses absolutè, ne plura peccata committat, & simplici affectu ut Beatitudinem assequatur: absolutè tamen, ex suppositione, quod reprobus sit, velle non poteris illi Beatitudinem, quia velles impossibile, scilicet revelationem non esse veram. Pari ratione de damnatis (qui etiam suo modo proximi nobis sunt) velle potes, ne tot peccata committant, & simplici affectu desiderare illis beatitudinem; non tamen absolutè, quia absolutè est impossibilis. Sic *Suar. disp. p. de Charit. sec. p. à nu.* 3. & ipso relato, *Palao par. p. Tract.* 6. *De Charit. disp. p. punc.* 5. *nu. p.*

517 Quæres tertiò: Quomodo intelligatur præceptum diligendi proximum, cum dicitur *Levitici* 19. *Diliges amicum tuum sicut teipsum* : *& Matth.* 22. *Diliges proximum sicut teipsum*. Respondeo cum *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 44. *art.* 7. & Theologorum communi, particulam (*sicut*) non significare, proximum esse diligendum tantum, quantum nos, sed eo modo quo nos; videlicet, ut eum diligamus propter ipsum, non propter nos ipsos, nimirum ut gratiam, & vitam æternam consequatur; ac propterea, ut ei optemus gratiæ cœlestis bona, ac cætera, quatenus ad salutem æternam consequendam sunt necessaria. Et ut diligamus proximum, quia homo est, sicut & nos sumus homines, quasi dicatur, diligendus est proximus, quia est nostræ naturæ particeps.

CAPUT SEXTUM
DE PRIVILEGIIS
IGNORANTIÆ
CIRCA PRÆCEPTA DECALOGI.

Et primò circa primum Decalogi Præceptum, *Unum Cole Deum*,

518 
Posse dari ignorantiam invincibilem inculpabilem præceptorum, quæ in Decalogo continentur, tenent *Thomistæ cum D.Tho.* apud, & cum *Trullench in Decal. lib. p. dub.* 5. *n.* 3. Idem tenent *Petrus de Ledesma to.* 2. *tract. p. cap.* 3. *Conclus.* 8. 9. *&* 10. *Tannerus in p.* 2. *D. Tho. disp.* 4. *qu.* 9. *dub. p. nu.* 14. *Diana par.* 4. *tr.* 4. *res.* 36. *Leander in Decal. par. p. & in ordine* 6. *tract.* 2. *disp.* 2. *qu.* 78. ubi expressè sic: *Respondeo : Posse dari ignorantiam invincibilem præceptorum, quæ etiam directè in Decalogo continentur, non solum pro brevi tempore (ut Authores nuper citati dicunt) sed pro multo tempore, licet hoc non in multis, sed in raris contingat hominibus. Probatur. Quia in primis, furtum, directè prohibetur in Decalogo, & tamen, ut notat D. Thom.* 2. 2. *qu.* 94. *art.* 4. *certa gentium natio, sine ulla ratione existimabat non esse peccatum, ergo de hoc præcepto potest, & pro multo tempore, dari ignorantia invincibilis. Rursus fornicatio simplex, est etiam directè vetita in Decalogo : & ut Diana cum Tannero admittit, frequentius potest de illa, ignorantia hæc dari.* Saltem apud Barbaros, & incultos populos per *Azor. par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 4. *qu. p. & Fagund. in Decal. to.* 2. *lib.* 6. *cap. p. n.* 12. & alios) *ergo si non æqualiter de omnibus, de aliquibus tamen Decalogi præceptis, potest dari etiam non rarò, nec pro brevi tempore ignorantia invincibilis. Legantur Oviedo hic tract. de Fide Controv.* 7. *in fine, & p.* 2. *tract.* 6. *punct.* 4. *n.* 24. *Vasq. p.* 2. *disp.* 122. *cap. p. Montisin. ibi, disp.* 8. *qu.* 5. *& alii plures apud ipsos ; ita Leand.* Ex quo, & quibus, patet, dari ignorantiam invincibilem præceptorum, quæ in Decalogo continentur: de qua ignorantia, seu mavis ignorantiæ privilegiis, ad eadem Decalogi præcepta spectantibus, tum in præsenti Capite, tum in sequentibus ordinatim agemus. Incipiendo igitur à primò præcepto, *Unum cole Deum*, sit

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Verum, & unum Deum ex invincibili ignorantia non colens, excusatur à culpa; & hujusmodi carentia cultus, quoadusq; ignorantia talis durat, in ipso culpa non est.

519 Quod Deus sit, & sit unus, constat ex divina Scriptura, atque adeò ex doctrina fidei certum id est, nec ullum dubium in hoc esse potest, cum Sacræ paginæ sæpissimè, & pluribus in locis testentur, & Deum esse, & esse unum. Illustria de utroque testimonia sunt (præter alia) *Exodi cap.* 3. Ubi Deus ipse, adeò se esse asseverat, ut ab existendo, nominari, ac cognosci velit, inquiens: *Ego sum qui sum*. Et *Psal.* 52. ubi pronunciatur *insipiens* qui Deum non esse dicat: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*. Et (loquendo de unitate Dei) dicitur *Deuteronom.* 6. *Audi Israel, Dominus noster, Dominus unus est*. Item *Deuter.* 32. *Videte quod ego sum solus, & non sit alius Deus præter me*. Et *Isaiæ* 45. *Extra me non est Deus*. Manet ergo de fide, & Decalogi præcepto, Deum unum esse ab omnibus colendum: hocque adeò certum est, ut quamplures ex Theologis negent dari posse ignorantiam invincibilem, & inculpabilem de existentia Dei, etiam apud homines incultos, & agrestes, ac in Sylvis, & Montibus enutritos: hinc *Ludovicus Caspensis Tom. p. Cursus Theologici disp.* 2. *sec. p. nu.* 5. absolutè ait: *In eo, qui pervenit ad annos discretionis, non posse dari ignorantiam invincibilem existentiæ Dei, quantumcumque barbarus, & agrestis sit, nam impossibile videtur quin cognitis creaturis, quæ sensibus ipsis patent, veniat saltem in mentem aliqua cognitio artificis illarum, vel aliquod dubium, an sit aliquod principium, & finis rerum, præsertim ipsius hominis ut illum agnoscat, & colat; ac proinde occurrat menti oportere id inquirere, quod sufficit, ut si non inquirat tribuatur culpæ, & consequenter quod ignorantia vincibilis sit*. Ita *Caspensis*: & post ipsum, inter alios, *Gonet Theologiæ Thomisticæ tom. p. disp. p. art.* 3. *§. p. nu.* 60. ubi sic: *Dico non posse dari ignorantiam invincibilem, & inculpabilem de existentia Dei, etiam apud homines incultos, & agrestes, ac in Sylvis, vel montibus enutritos. Est contra Molinam hic art. p. §. Ex dictis colligitur, ubi oppositam sententiam tanquam probabilem amplectitur. Nostra tamen conclusio communis est apud Theologos. Et Valentia hic puncto* 2. *dicit, in hac veritate omnes Orthodoxos debere convenire*. At *Valentia* eo loco, idest *Tom. p. disp. p. qu.* 2. *punc.* 2. *versu Secunda assertio*: tantum affirmat; *Deum esse, ita posse à posteriori probari ex Dei effectibus, ut ob notitiam hujus rei per ejusmodi probationem comparatam, teneantur homines cultum, & obsequium deferre Deo tanquam primæ causæ; sive id probetur evidenter, sive secus*. Hoc inquam tantum affirmat *Valentia*: quod verum est, & adeo verum, ut optimè etiam addat: *Omnes Orthodoxos debere in eo convenire*. At hoc idem asserere, non est indè negare (in hominibus saltem incultis, qui sunt incapaces demonstrationis, & discursus) posse dari ignorantiam invincibilem pro aliquo saltem tempore de existentia veri, & unius Dei, ejusdemque cultus debiti. Hinc

520 Probatur primò nostrum propositum privilegium, Authoritate Doctorum. *Molinæ in p. p. D. Tho. tom. p. qu.* 2. *art. p. Versu Ex dictis*: ubi sic: *Ex dictis colligi potest, tam rudes, & incultos posse aliquos homines esse, ut maxima cum probabilitate affirmare possimus, in eis ignorationem invincibilem Dei posse reperiri; quod primò, & secundò, cum de ignorantia ageremus observavimus. Porrò ea ignoratione excusabuntur à peccato infidelitatis, & quod Deum non colant, nec ei honorem debitum exhibeant, non erit eisdem culpæ tribuendum, &c. Tanneri*, quem refert, & sequitur *Diana par.* 4. *tract.* 4. *ref.* 36. sub his verbis: *Respondeo cum Tannero p.* 2. *D. Tho. disp.* 4. *qu.* 9. *dub. p. n.* 14. *Ex communi, & vera sententia, ignorantiam invincibilem contingere posse, non solum circa jus positivum humanum, ac particulares facti circumstantias; sed etiam circa jus positivum divinum, & Mysteria fidei nostræ: imò etiam circa jus naturale, non quidem quoad universalissima præcepta juris naturæ, sed quoad alia; facilius quidem, & frequentius circa ea, quæ difficilius ex præceptis universalibus naturæ deducuntur: ut est v. g. bigamia; accipere lucrum ex mutuo; proprias injurias ulcisci, & simplex fornicatio, aut etiam mendacium officiosum, &c. difficilius autem, nec ferè nisi pro brevi tempore, circa præcepta illa, quæ facilè ex universalibus illis præceptis deducuntur, ut sunt cultus unius veri Dei, & cætera, quæ directè continentur in præceptis Decalogi. Trullench in Decal. lib. p. cap. pr. Dub.* 5. *nu.* 3. *in fine, ex Ledesma to.* 2. *tract. pr. cap.* 3. *à conclus.* 8. *Circa præcepta* [sunt Verba *Trullen.*] *quæ ex Decalogo, facta diligenti inquisitione colliguntur, potest dari inculpabilis ignorantia etiam per multum temporis, ut tenent Thomistæ cum D. Tho.*

D. Th. qu. 76. c. Nam & si ex Decalogo, per evidentem consequentiam colliguntur, requiritur tamen diligens inquisitio, cum aliqua difficultate. Sic Gentes aliquando putabant licitum, habere plures uxores: & homines posse falsis Diis sacrificare. Inter Christianos autem, vix potest talis ignorantia admitti: quia sæpissimè prædicatur, & docetur, esse peccatum mortale. Videndus Ledesma l. c. concl. 8. 9. *&* 10. *P. Morand. to. p. Theolog. tract. p. qu.* 2. *n.* 55. *versu Sed contra in fine:* ibi enim sic: *Dico cum Arriaga in p. p. To. p. disp.* 2. *sec.* 3. *& aliis, possibilem esse ignorantiam de Deo invincibilem in aliquibus rudibus.* Qui quidem *Arriaga sec.* 3. *c.* nedum sentit cum *Molina*, *Quod possit Deus invincibiliter ignorari*: sed etiam censet *sub n.* 16. *hanc eandem Molinæ sententiam esse probabiliorem:* consequenter admittit nostrum propositum privilegium: quod præterea.

521 Probatur secundò ratione. Cognitio Dei non est nobis immediatè à natura insita, sicut notitia primorum principiorum, sed habetur solum per ratiocinationem, & discursum: ergo cum multi sint homines inculti, & agrestes, qui sunt incapaces demonstrationis, & discursus, in illis saltem dari potest ignorantia invincibilis de existentia Dei, & inculpabilis: in illisque verificari consequenter potest nostrum propositum privilegium. Antecedens admittitur ab ipsismet adversariis, præcipuè à *Gonet art.* 3. *c. §.* 2. *n.* 64. Quod etiam antea affirmat, videlicet, eiusdem *Disput. p. art. p. §.* 2. *sub n.* 6. *Versu Confirmatur primò*, ibi enim dicit: *Deum esse, non cognosci à nobis sine ullo medio, & absque ullo discursu, ex sola terminorum apprehensione, sed mediatè, & per effectus ab ipso productos: nec esse propositionem per se notam quoad nos, sed indigere demonstrari per ea, quæ sunt magis nobis nota: scilicet per creaturas, & per motus rerum sensibilium, & corporalium. Invisibilia enim Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ad Rom. p. Unde D. Tho. p. contra Gent. cap.* 11. *ait: Sicut nobis est per se notum quod totum sua parte sit majus, sic videntibus ipsam essentiam divinam, per se notissimum est, Deum esse, ex hoc quod sua essentia est suum esse. Sed quia ejus essentiam videre non possumus, ad ejus esse cognoscendum, non per seipsum, sed per ejus effectum pervenimus.* Admisso autem antecedenti, uti admitti debet, & communiter à Theologis admittitur; consequentia sequitur: in his enim, qui inculti sunt, & ita agrestes, ut incapaces sint demonstrationis, ac discursus, quo fundamento negabitur dicta ignorantia inculpabilis? Hinc *Molina l. c. Versu Ad hæc*, dicit: Quod ex multorum relatione audivit, Brasiliæ incolas, nullum coluisse Deum, antequam à Lusitanis edocerentur.

522 Confirmatur eadem ratio ex *Arriaga sec.* 3. *c. n.* 17. Quia, Deum existere non est propositio per se nota quoad nos; debet ergo discursu, & ratiocinatione colligi: hic autem discursus indiget magna consideratione, utpote res valde à sensibus aliena, atqui frequentissimè experimur homines multos, etiam si rationis simpliciter capaces, ita tamen hebetis ingenii, ut etiam quando conatur alius res faciliores eis persuadere, exemplis facillimis eas res declarando; tamen vel non percipiant, vel summè difficulter. Quo ergo fundamento possumus dicere, istos, & similes, etiam sine ullo Magistro, ex seipsis incepturos, & continuaturos ratiocinationem, & discursum adeò metaphysicum, quo veri Dei existentia, unitas, cultus, &c. probetur? *Ego sane vix dubito, quin multi possint inveniri, in quibus nec per umbram similis excitetur ratiocinatio, poterunt ergo habere ignorantiam invincibilem Dei.* Ita concludit *Arriaga* argumentum, quod utique optimum est, & sufficit ad efficaciter firmandum propositum Privilegium, omissis aliis rationibus, quæ minus efficaces sunt, nec difficultate carent: cujusmodi sunt: Primò: Quod multi de facto negaverint Deum: Cui respondetur, inde probari ignorantiam, non autem eam esse invincibilem, sic Judæi olim non agnoverunt Christum, non per ignorantiam invincibilem, sed crassam. Secundò: Quod omnes Gentiles, Deorum catervam colentes, verum Deum videntur invincibiliter ignorasse: Cui item respondetur neque urgere, nam illi saltem confusè colebant aliquod numen, licet deciperentur in eo explicando, hic autem agimus de ignoratione Dei, etiam in communi. Sufficiat ergo pro firmando nostro Privilegio argumentum factum. Verum

523 Obiicies primò. *Deum esse, & existere*, est quasi propositio per se nota, ergo malè supponimus hic tantam in ea difficultatem, ut inde probemus posse invincibiliter ignorari. Respondeo, dato antecedenti, nego consequentiam: Supponimus enim tantam difficultatem quia in privilegio nostro, & conclusione, non loquimur respectu hominum mediocris ingenii, quibus semel excitata est jam species de Deo, sed loquimur de aliis omnibus, comprehensis videlicet etiam hominibus incultis,

ac he-

ae hebetis ingenii. Addo etiam cum *Arriaga sub n. 17. c.* Et si concedamus *Deum esse*, esse per se notum, non ob id tamen negari, in multis adesse posse ignorantiam invincibilem: non enim propositio per se nota dicitur respectivè ad omnes, etiam maximè rudes. Præterea, etiam in Doctoribus ex defectu excitationis specierum potest esse ignorantia invincibilis propositionis per se notæ.

524 Objicies secundò: Plura loca Sacræ Scripturæ. Item plures Sanctorum Patrum Authoritates, quæ omnia congerit *Gonet art. 3. c.* Quibus tamen omnibus cum ex abundanti satisfaciat *Arriaga sec. 3. cit. à nu. 18. usque ad finem sect.* Respondeo breviter cum ipso, talia testimonia, vel solum probare, quod excitata jam specie de Deo, non possit negari; non verò eam necessariò debere excitari in omnibus. Vel ex illis tantum probari, eum, qui habet aliqualem vim ingenii, & discurrere incipit, facilè posse devenire in cognitionem Dei; per hoc tamen non dici, neminem id posse ignorare, rudioris ingenii causa, aut educationis defectu: quod si conceditur unum posse, debet concedi & multos posse: quia non est ratio, quare in his terris possint aliqui, & non etiam totidem alibi: his annis aliqui, & non sequentibus totidem, & plures. Vel intelligenda esse eodem modo universaliter, ad ferè omnes extendi eam obligationem: vel casu quo incipiat quis dubitare, tunc certè incipere obligationem, non verò excitari in omnibus eam speciem, & omnes discurrere incipere circa eam veritatem. Vel loqui de eo, qui affectat ignorare suum Creatorem, in quo sine dubio non est ignorantia invincibilis, sed crassa: nos autem hìc loquimur de eo, in quo non excitatur ea species, nec eam affectat ignorantiam. Vel tandem respondendum est, talia testimonia, quæ contra nostrum privilegium videntur posse afferri, vel afferuntur apud Doctores, loqui tantum ut plurimum, & de majori parte, non de uno, aut altero: aut loqui de Gentibus, quæ habuerunt aliquam notitiam numinis, hinc eo ipso debuerunt ad ulteriorem indagationem anhelare.

525 Objicies tertiò: Et si non sit per se notum, *Deum esse*, in hac re tamen videtur semper annexa aliqualis dubitatio, sicut in præceptis naturalibus, quæ statim luminæ naturæ noscuntur, de quibus ob id, secundum aliquos nequit esse, vel dari ignorantia invincibilis: hinc sequitur, quod licet homo non sit ex se adeò ingeniosus, ut queat demonstrationem invenire (quod solum videtur probare argumentum nostrum supra factum) saltem ad dubitandum videntur omnes habuisse sufficientem discursum; ergo non potuerunt habere ignorantiam invincibilem. Respondeo cum *Arriaga sec. c. n. 20.* Verum quidem esse, multo minus requiri ad dubitandum (ut obiectio contendit) quam ad formandam demonstrationem de Deo, de qua nos supra: semper tamen adhuc nostrum privilegium subsistere: nam illud ipsum, nempe excitari speciem de Deo, est utcumque difficile, & saltem non dubium, quin à seipsis eam non acquirant primò. Addit præterea idem *Author n. 2.* (quod dicit etiam esse valdè in præsenti considerandum) *Nos hic agere de ignorantia culpabili, non est autem omnis ignorantia vincibilis, culpabilis Ratio est, quia multæ sunt res, de quibus mihi occurrit ratio dubii, non tamen pecco non ulterius inquirendo: sunt enim res quarum mea non interest, & de his non teneor amplius inquirere, ut per se patet. Quo posito: etiam si aliquod dubium suboriatur in multis barbaris hominibus, an sit aliqua causa v. g., quæ produxerit cælos, non tamen propterea excitatur species, quod illa sit Legislator, vel veneratione digna, quod illa dederit præcepta, quæ ego debeam inquirere. Imò fortè sæpè in contrarium, ad me talia discutere non pertinet, nec utile est: sicut si jam excitetur dubium in aliquo, quo pacto arbores crescant, non peccat certè ulterius non inquirendo causam: unde infertur non esse culpabiles in tali ignorantia, etiam si fuerit vincibilis physicè.* Ita *Arriaga*.

526 Ad id autem, quod innuit obiectio de præceptis naturalibus, dico, de multis adhuc facilius esse posse invincibilem ignorantiam, quam de Deo. De aliis verò, quia sunt de rebus ad ipsum hominem pertinentibus, non ità, ver. gr. furari, alterum lædere, &c. nam sicut sentit, & dolet quis (ait, & optimè *Arriaga n. 21. c.*) sibi violenter aliquid accipi, & multò magis si lædatur in corpore: ità statim insurgit cognitio, quod in hac re ipse malè faciat, furando, vel alterum lædendo ex eo principio, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne facias:* Vel quia Deus propter gubernationem moralem videtur hominibus indere naturalē pudorem in talibus actionibus, quo occultare statim desiderant, & clam id facere, unde naturaliter insurgit altera cognitio, *ergo hoc non est bene factum*. At cognitio de Deo, quæ magis est abstracta à sensibus, non ita facile excitatur. Sic

etiam relatus *Arriaga num. cit. in fine*.

527 Et si instes, ergo ignorans Deum, non peccabit mortaliter, etiam si alium occidat, & putet se male facere: nam peccatum mortale communiter definitur, *Dictum, factum, vel concupitum contra Dei legem æternam*: ille autem, eam legem ignorat, ergo non peccat, licet agnoscat se contra rationem agere. Huic eidem instantiæ satisfacit idem *Arriaga n.* 22. & ego cum ipso: dicendo, talem non promeriturum per illud factum pœnam æternam, sed temporalem gravem, ad modum quo à Republica sufficienter punitur furtum (quatenus est contra illam) virgis, vel suspendio. Nam ratio promerendi pœnam æternam, solum desumitur ex eo, quod aliquis homo saltem in confuso agnoscat, se offendere Deum Summum, quod in id ignorante non reperitur: nec inconveniens est in tali concedere eam actionem non esse pœna æterna dignam ex ignorantia illa invincibili.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Baptizatus nutritus ab infantia inter Infideles, adorans Idola, excusatur à culpa contra fidem, quam invincibiliter ignorat.

528 HOc idem propositum privilegium admittit, & sub iisdem ferè verbis, *Trullench*, dum dicit de Baptizato nutrito inter Infideles, aut Hæreticos: *Hic, adorans Idola, vel hæreses proferens, peccat quidem contra jus naturæ, non verò contra fidem, quam invincibiliter ignorat*: ita *in Decalogi lib. pr. cap. p. dub.* 6. *n.* 3. & ante ipsum *Sanch. Tom. pr. Operis Moralis lib.* 2. *cap. pr. n.* 8. ubi loquens pariter de Baptizatis, nutritis tamen ab infantia inter Infideles, vel Hæreticos; ait: *Hos peccare, adorando Idola, contra jus naturæ dictans unum Deum colendum: & similiter proferendo hæreses, quæ juri naturæ adversentur: Ut si dicant licere fornicari: nisi adeò rudes essent, ut invincibiliter ignorarent hæc opponi juri naturę. At minimè peccarent contra fidem, quam invincibiliter ignorent*. Sic *Sanch. n.* 8. *c. in fine*. Hinc & *Valent. in* 2. 2. *disp. p. qu.* 10. *punc.* 4. *paulò post princip. Versu Hoc verò procedit*; loquens de ipsis Infidelibus, & de his, qui ex parentibus Hæreticis nati sunt, optimè advertit, eos nec peccare contra fidem, circa eam dubitando, si hæc illis nondum sufficienter proposita sit, ratione utique ignorantiæ: *Nam si nondum illis fides sufficienter proposita est, licitum est illis dubitare, & ex dubitatione inquirere veritatem. Quod est advertendum propter Infideles, & eos, qui parentibus hæreticis nati, incipiunt primò instrui circa fidem*. Verba sunt *Valentiæ l. c.*

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Provisi de Beneficiis Curam animarum habentibus; item de Dignitatibus, vel Canonicatibus in Cathedralibus, omittentes ex ignorantia invincibili Juramentum professionis fidei (ad quem actum ex præcepto Trident. sess. 24. De Reformatione cap. 12. *tenentur, intra bimestre à die adeptæ possessionis) nedum excusantur à culpa, verum etiam à pœna amissionis fructuum, in conscientiæ foro.*

529 PRovisi de quibuscumque Beneficiis curam animarum habentibus, tenentur ex præcepto Ecclesiastico, intra duos ad minus à die adeptæ possessionis menses, in manibus Episcopi, vel eo impedito, coram ejus generali Vicario, aut Officiali, externam publicam Orthodoxæ suæ fidei professionem emittere, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondere. Provisi verò de Dignitatibus, & Canonicatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu ejus Vicario, sed etiam in Capitulo, illam emittere tenentur: *Tridentinum l. c. §. Provisi*. (Formam dictæ professionis faciendæ, ordinavit *Pius IV. in Constit. quæ incipit, Injunctum nobis. Sub dat. Romæ Idibus Novembris* 1564. quam referunt *Quaranta in Summa Bullarii, Verbo Fidei Professio, Piasecius in Praxi Episcopali par.* 2. *cap.* 5. *Barbosa de Canonicis, & Dignitatibus cap.* 17. *sub num.* 33. & alii.) Hujusmodi autem emissionis fidei præceptum, urget adeò, ac ligat dictos provisos, ut si eorum quis eam facere omittat intra id statutum tempus, lethaliter peccet: *Petrus de Ledesma in Summa par.* 2. *tract. p. cap.* 4. *concl.* 10. *Rodericus q. q. Regular. to.* 2. *quæst.* 72. *art.* 2. *Bonac. to.* 2. *disp.* 3. *qu.* 2. *punct.* 3. *n.* 14. & 15. *Palao to. p. tract.* 4. *Tit. De Fide disp. p. punct.* 19. *n.* 2. *Sanch. to. p. Oper. Moral. lib.* 2. *cap.* 5. *nu. p. Filliuc. tract.* 22. *cap.* 3. *num.* 94. *in fine: Garzias de Benefic. par.* 3. *cap.* 3. *n.* 64. *Squillante De Obligationib. Clericorum par. p. n.* 95. *Barbosa cap. c.* 17. *n.* 20. *Trullen. in Decal. lib. pr. cap. p. dub.* 8. & quamplures alii ab his relati. Ratio est, tum quia verbum illud positum à *Concil. Trident. l. c.* (*Teneantur*) est necessitatis, & præcepti, quod peccatum mortale inducit

ducit juxta notata per *Abb. Felin. Sylvest. Armillam. Castrum. Medin. Navar. Philiarcum. Vegam. Rodriq. Sayr. Salas. Suar.*, & alios apud, & cum *Garzias l. c. n.* 65. Tum quia res est gravis; gravibus verbis imponitur; & ad gravissimum finem ordinatur; qualis est exaltatio, & promotio nostræ fidei, & errorum extirpatio: Tum etiam quia sub gravibus pœnis præcepta est; ultra enim peccatum lethale, quod committit omittens fidei professionem, incurrit quoque post dictos duos menses à die captæ possessionis, fructuum amissionem, ut idem *Trid. d. cap.* 12. Statuit sub illis verbis: *Alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur*. Uti nec eisdem suffragari potest pro foro exteriori *ignorantia*, per *Garziam l. c. n.* 67. aliosque quamplures primarios Authores apud ipsum, perque Doctores communiter. Quia hujusmodi ignorantia cum sit juris clari, & notorii, minimè excusat, *c. Ignorantia de Regulis juris in* 6.

530 Excusat quidem in foro animæ, ac interiori, & coram Deo *ignorantia ipsa*, & nedum à dicta culpa lethali, verum etiam à pœna amissionis fructuum, ut in proposito privilegio. Quod probatur. Quia ignorantia, maximè invincibilis, extra controversiam excusat à lethali culpa, & liberat etiam consequenter à pœna coram Deo. Præterquamquod dicta lex, & dispositio *Tridentina* pœnalis, privat quidem fructibus, ad quos tamen provisus habet jus, & titulum. Confirmatur Authoritate *Rodriq. qu. c.* 72. *art.* 3. *Filliuc. l. c. n.* 100. *Garziç l. c. nu.* 68. *Barbosæ de Canonicis cap. c.* 17. *n.* 21. *Pala. punct. c.* 19. *n.* 17. *Vulpe in Praxi Fori Ecclesiastici cap.* 48. *n.* 55. *Squillantis par. pr. c. n.* 101. *Versu Contrarium tamen*. *Trullench dub. c.* 8. *n.* 12. & aliorum plurium Doctorum ad abundantiam apud citatos. Hi etenim, una omnes, & unanimiter asserunt (ut videre est apud eosdem) *Eum, qui ex dictis provisis, ob puram ignorantiam, aut inadvertentiam, seu incogitantiam dicti præcepti, sincerè, & absque malitia omisit Fidei professionem, quoad Deum excusari, & à peccato, & à fructuum restitutione; quamvis in foro exteriori, talis ignorantia, utpote juris clari non admittatur*.

531 An verò prædicti provisi, elapsis duobus mensibus, nec emissa ob dictam inculpabilem ignorantiam, Fidei professionem, teneantur illam emittere post habitam notitiam *Trident. præcepti*. Dico teneri, nam ille terminus duorum mensium, à *Concilio* non est positus ad finiendam obligationem, sed ad exequutionem differendam. Ita etiam communiter Doctores, præcipuè *Sanch. cap. c.* 5. *n.* 5. sub his verbis: *Quod si obligati ad professionem fidei intra bimestre faciendam juxta Tridentinum Decretum, intra id tempus eam non emiserint, tenentur eo transacto. Quia non in temporis honorem, ea temporis assignatio adhibita est, sed solum ut terminus obligationis implendæ: in quo casu transacto termino non cessat obligatio.*

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Proferens ex ignorantia invincibili propositiones, & blasphemias hæreticales contra Deum, & fidem, excusatur à culpa; & ab hæresi.

532 Probatur hujusmodi privilegium, quia operans cum ignorantia invincibili, vel ut alii dicunt, insuperabili, caret prorsus omni culpa, nec potest considerari aliqua malitia. Hinc *Farinac. de Heresi qu.* 179. *§.* 3. *n.* 23. ponit sic: *Regula sit affirmativa, quod ignorantia excusat in crimine hæresis, qui enim ignorat, non consentit, & sine consensu, & voluntate, hæresis crimen non committitur, ut suo loco dictum est, nullumque crimen nescientem maculat, & qui per ignorantiam agit, non spontè agere dicitur*. Ergo verum propositum privilegium: Cui præter *Farinac. l. c. & alibi*, subscribunt communiter Doctores: *Summ. Armilla Verbo Heresis nu.* 2. *Arnaldus Albertinus in Tract. de Agnoscendis assertionibus Catholicis, & hæreticis qu.* 36. *tractatus ultima n.* 2. *pag. mihi* 250. *Antonius Sousa in Aphorismis Inquisitorum lib. p. cap.* 12. *n.* 6. *Summa Sylvestrina in Verbo Heresis p. n.* 4. *in fine, Versu, Quintò quis*. *Antonius Ricciullus De Jure personarum l.* 5. *c.* 7. *nu.* 6. *Sanctarellus de Heresi cap. p. Dub.* 5. *n.* 20. *Repertorium Inquisitorum Verbo excusari. Versu, An si fortè, in fine*; aliique plures apud ipsos, imò (ut dixi) communiter D. D.

533 Hinc *P. Pistacchius Theatinus noster in suo Tract. De Superstitione par.* 2. *cap.* 20. *Tit. De Reorum Defensionibus in Tribunali S. Officii*: Quærens. Quomodo defendi possit non esse hæreticum, qui propositionem, & blasphemias hæreticales protulit: Optimè respondet *n.* 24. *Posse primò se defendere, probando ignorasse verba, quæ protulit, esse contra fidem, & hæreticalia: quia quamvis non sit alliganda ignorantia in manifestis articulis fidei, quos omnes scire tenentur: tamen ignorantia non solum invincibilis, sed crassa, & affectata, ab hæresi excusat, quando*

taliter ignorans est paratus corrigi ; quia in eo non est pertinacia, quæ necessariò requiritur in hæresi. Ita iste Pater cum *Alphonso à Castro , de Justa hæret. punitione lib. pr. cap.* 9. *& lib.* 2. *cap.* 17. *Ricciullo l. c. n.* 10. *& seq. Sanctarello n.* 20. *c. & n.* 21. *Farinac. n.*23. *c. & seq.* & cum aliis. Quibus adde *nostrum P. Thomam Del Bene , de Offic. S. Inquis. par. p. dub.* 3. *Petitione p. n.* 2. *pag. mihi* 10. Ubi cum pluribus aliis ibidem relatis, absolutè docet : *Quod ignorantia quamvis sit crassa, & supina (quæ tunc est , quando quis non ex industria, & proposito, sed ex vincibili, seu culpabili negligentia quadam magna , ignorat ea, quæ potest, & debet scire) excusat à peccato hæresis* . Circa quam positionem , & doctrinam, vide etiam quæ diximus *in superioribus Privilegiis*, 7. 8. 9. *&* 10. *Capitis* 4. cum quibus convenit hæc doctrina.

534 Ratio autem ejusdem (ex qua utique confirmatur magis nostrum propositum privilegium) eadem videtur esse quæ supra : quia ad hæresim videlicet requiritur pertinacia, hic autem non est pertinacia : Ergo. Quæ ratio item confirmatur : tum quia de ratione hæresis est, ut agnoscatur Ecclesiam determinasse aliquid esse de fide credendum ; quod si hoc non agnoscatur, qui contrarium credit non est pertinax : ignorantia autem crassa, seu supina tollit talem cognitionem, & scientiam, ergo tollit pertinaciam , atque adeo etiam hæresim . Tum etiam quia , si hic sciverit quod teneat Ecclesia , paratus est errorem suum deponere: ergò potius implicitè credit quidquid tenet Ecclesia, sicque non est propriè hæreticus. Quapropter *in Cap. dixit Apostolus* 24. *qu.* 3. dicitur, eos qui à parentibus sunt decepti, sed ita errant contra fidem, ut parati sint corrigi, hæreticos nequaquam esse : Ut quis enim sit hæreticus, requiritur quod circa fidem erret ex scientia : Sicque etiam ut dicatur quis , & verè sit hæreticalis blasphemus , ac proferens hæreticales propositiones , debet ex scientia Dei , & fidei , contra Deum , & fidem ipsam easdem proferre hæreticales blasphemias, ac propositiones non ex ignorantia , quia hæc excusat ab hæresi ex dictis, ergo verum quoad hoc propositum privilegium.

535 Vide eundem *P. Del Bene Petit. c. p.* 6. Ubi cum *Mascardo de Probationib. lib.* 2. *conclus.* 879. *num.* 33. *Andr. Gayllo lib.* 2. *Observat.* 48. *n.* 18. *Jo: Baptista Costa de Facti scientia , & Ignorant. Inspect.* 81 *Arragonio* 2. 2. *qu.* 11. *art.* 2. *Suar. de Fide disp.* 19. *sec.* 3. *nu.* 18. *Vasqu. p.* 2. *disp.* 126. *cap.* 2. *Pesantio* 2. 2. *qu.* 11. *art. p. disp. p. conclus.* 5. *Versu Secunda pars , Azor. to. p. lib. p. cap.* 14. *qu.* 9. *& lib.* 8. *cap.* 8. *qu.* 4. *& cap.* 9. *qu.* 8. *Becano de Fide cap.* 14. *qu.* 2. *n.* 16. *Ledesma in Summa to. p. cap.* 6. *conclus.* 4 *difficult.* 2. *Sayro in Clavi Regia lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 20. *Ricciullo de Jure personar. lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 13. & cum aliis pluribus : Docet, Ignorantiam etiam affectatam (quæ tunc est, eum quis ex industria, & proposito vult aliquid ignorare, ut ex. g. ex industria , & proposito velle non adhibere diligentiam inquirendi quid doceat Ecclesia , ut sic evitet laborem in assequenda veritate fidei Catholicæ ; vel , ut sic persistere possit in sua sententia) excusare similiter à peccato hæresis . Cujus doctrinæ fundamentum est : *Tum quia*, qui habet ignorantiam affectatam, habet etiam voluntatem obediendi Ecclesiæ, quotiescumque sciverit quid de aliquo fidei articulo ipsa definiverit : ergo non est pertinax , ac proinde non est propriè hæreticus. *Tum quia*, si quis crederet aliquid esse verum , & esset ita persistens in sua opinione, ut quamvis Ecclesia aliter doceret, in dicta sua opinione paratus esset, & vellet persistere, utique is esset propriè hæreticus , propter talem suam pertinaciam : Ergo ab opposito , si quis ob ignorantiam affectatam crederet aliquid falsum, sed ita paratus , & dispositus esset in sua opinione, ut si sciverit quod Ecclesia aliter doceat, non persisteret utique in tali opinione, non esset hæreticus , quia non esset iste pertinax : imò esset eum affectu subiiciendi se auctoritati Ecclesiæ . *Tum quia*, qui habet ignorantiam affectatam alicujus articuli fidei, propterea vult quid doceat Ecclesia ignorare , quia non vult ab Ecclesia dissentire : ergo cùm sit paratus obedire Ecclesiæ, non erit propriè hæreticus. *Tum quia*, qui habet prædictam ignorantiam affectatam, est in tali voluntate , quod si talem articulum ab Ecclesia propositum haberet , crederet illum, & vellet sentire cum Ecclesia : ergo propter talem ignorantiam affectatam excusatur ab hæresi, cum talis ignorantia affectata tollat pertinaciam, quæ necessariò requiritur ad propriam, & veram hæresim. *Tum tandem quia*, taliter ignorans, credit alios articulos fidei, & credit etiam quod Ecclesia quando definit aliquid non possit errare : ergo non est propriè hæreticus, cum hæretici omnes putent , quod Ecclesia in definiendis rebus fidei possit errare. Ità dictus *P. Del Bene à n.* 6. *c. usque ad* 11. *inclusivè*. Cum quo etiam *n.* 12. *&* 13. & ex eadem allata doctrina.

536 Deduc

536 Deduc *primò*: Quod ab hæresi è contra non excuset ignorantia, tametsi affectata non fuerit, quando quis ita affectus est suæ opinioni, ut quamvis sciverit quod Ecclesia Catholica aliter doceat, adhuc nolit mutare, quia tunc est verè pertinax, cum habeat voluntatem resistendi Ecclesię aliter docenti, & nolit judicium suum privatum subiicere auctoritati Ecclesiæ; & non agnoscat in Ecclesia infallibilem auctoritatem in proponendis, sicut & in definiendis rebus fidei. *Secundò*: Quod neque ab hæresi excuset ignorantia affectata, quando hæc oritur ex falsa opinione contra Ecclesiam, nempe qui habens talem ignorantiam, putat parvi momenti esse, quæ Ecclesia ad credendum proponit. In quo sensu *Vasqu. par. 2. qu. 76. art. 4. disp. p. ante quintam Conclusionem. Turrianus de Fide disp. 55. dub. 2. Sanch. lib. 4. Moral. cap. 7. nu. 3.* loquuntur, quando dicunt, quod ignorantia affectata non excusat ab hæresi. Et si dicas: Qui habet hujusmodi ignorantiam, non advertit se sentire contra Ecclesiam, quod tamen in materia fidei necessariò requiritur ad pertinaciam. Respondetur: quod licet iste non advertat se sentire contra Ecclesiam in aliquo articulo particulari, advertit tamen se sentire contra Ecclesiam in communi, advertitque se parvifacere ea, quæ ad credendum proponuntur ab Ecclesia, quod sufficit ad pertinaciam, atque adeo ad inducendam veram, & propriam hæresim. Sed

537 Contra doctrinam superiori *n.* 535. allatam, obiicies primò: Ignorantia culpabilis non excusat ab aliis peccatis, cum furtum, sacrilegium, homicidium, & similia, semper sint peccata, sive fiant ex scientia, sive non, sed solum ex ignorantia culpabili: ergo neque etiam excusabit ab hæresi, cum error circa fidem semper sit similiter peccatum hæresis, sive fiat scienter, sive fiat ignoranter, modo ignorantia sit culpabilis. Respondeo cum *Del Bene n.* 15. dato antecedenti, negando consequentiam. Disparitas est, quia pertinacia est de ratione, seu de essentia hæresis: & nemo in rebus fidei est pertinax, nisi sciat, & advertat se sentire contra Ecclesiam. Quapropter qui hoc non advertit, sed ignorat, non est pertinax, & consequenter neque hæreticus. At verò pertinacia non est similiter de ratione, seu de essentia aliorum peccatorum, & ideò cum committuntur alia peccata non requiritur in peccante ut advertat se delinquere contra legem Dei, sicque eam contemnere, sed satis est, si id vel advertat, vel de ea re habens saltem dubium, possit, ac debeat advertere.

538 Obiicies secundò: Errans contra fidem committit peccatum, quod adversatur fidei: sed ad malitiam peccati sufficit ignorantia, culpabilis, præsertim si fuerit affectata: Ergo & ad peccatum hæresis sufficit similiter ignorantia culpabilis. Respondeo (item cum eodem *Del Bene n.* 16.) negando pariter consequentiam: & disparitas est, quia error circa materiam fidei ex ignorantia culpabili, & hæresis, differunt inter se: Nam error circa materiam fidei ex ignorantia culpabili non opponitur directè auctoritati Ecclesiæ, sed opponitur directè obligationi sciendi articulos fidei. At hæresis opponitur directè auctoritati Ecclesię, & propterea ille error non est infidelitas, ac proinde neque etiam est hæresis. Tum quia ille error non excludit fidem, cum is, qui talem errorem habet, paratus sit obedire Ecclesię, quam fidem tamen excludit hæresis. Tum quia ille error est peccatum omissionis, hæresis autem peccatum commissionis: differunt igitur inter se se error circa res fidei; & hæresis formaliter.

539 Neque valet si instes: Ut aliquis sit Judęus, vel Paganus, sufficit si erret circa fidem ex ignorantia culpabili circa fidem Catholicam: ergo similiter ad hoc ut aliquis sit hæreticus, sufficit etiam si erret ex ignorãtia culpabili circa fidem Catholicã: ergo similiter ad hoc ut aliquis sit hæreticus, sufficit etiam si erret ex ignorantia culpabili circa aliquem fidei articulum particularem. Non inquam valet, negatur enim iterum cõsequentia: & disparitas etiam est, quia (ut optimè idem *Del Bene n.* 17.) infidelitas privativa potest esse sine pertinacia, per solam scilicet carentiam totius fidei: sed infidelitas positiva, quæ fidei opponitur, qualis est hæresis semper requirit pertinaciam, quæ non reperitur in eo, qui culpabiliter errat circa fidem, si quotiescumque sciverit quod Ecclesia aliter sentiat, errorem suum deponere paratus sit.

540 Obiicies tertiò: Voluntarium directum, vel indirectum non faciunt diversitatem specificam, sed error directè oppositus fidei, est hæresis, ergo error etiam indirectè oppositus fidei, erit hæresis (in quo errore necessariò includitur ignorantia culpabilis) consequenter, & qui ex tali ignorantia errat in fide, est etiam propriè hæreticus. Respondeo (cum *Del Bene n.* 18.) & distinguo antecedens: Voluntarium directum, vel indirectum non faciunt diversitatem specificam in aliis, concedo: in casu nostro, nego; quia quando quis indirectè habet errorem circa fidem, cum

tunc

tunc ignorantia occultet obiectum, à quo peccatum hæresis specificatur, potest voluntarium indirectum mutare speciem peccati. Nam ignorantia, quod Ecclesia aliquid definiat de fide credendum, occultat proprium obiectum hæresis, & facit, quod error non opponatur formaliter auctoritati Ecclesiæ, & propterea impedit peccatum hæresis, & solum inducit peccatum ignorantiæ, quod est specie diversum ab hæresi.

541 Si instes: Ignorantia affectata non minuit, sed auget malitiam peccati: ergo non excusabit ab hæresi, quia si excusaret ab hæresi, nun augeret, sed minueret malitiam peccati. Respondetur distinguendo antecedens: Ignorantia affectata non minuit, sed auget malitiam peccati, augendo malitiam erroris voluntarii, concedo: augendo, vel etiam inducendo malitiam hæresis, negatur: quia cum ignorantia, ut supra, occultet obiectum hæresis, tullit consequenter peccatum hæresis. Et si reinstes; Qui vult ignorare, quid in aliqua re sentiat Ecclesia, hoc ipso nun vult sentire cum Ecclesia, quod est formaliter hæresis: Ergu. Distinguitur pariter antecedens: si vult ignorare quid in aliqua re sentiat Ecclesia, ex eo quod putet parvi momenti esse, quæ Ecclesia ad credendum proponit, conceditur: si vult ignorare ex alio capite, negatur: quia ex dictis esse potest ignorantia absque pertinacia, & cum affectu credendi totum id, quod sentit Ecclesia. Hæc ex *P. Del Bene à n. c. 6. usque ad 20. inclusivè*, quæ hic afferre volui, quia maximè faciunt ad rem, & tractationem nostram, ut patet.

PRIVILEGIUM QUINTUM

Errans ex ignorantia circa Deum, & fidem, si admonitus à Viris doctis de suo errore, quod sentiat aliquid contra definitionem Romanæ Ecclesiæ, ipse tamen hoc sibimet non persuadeat, excusatur ab hæresi formali, & & à censuræ incursu consequenter.

542 HUjusmodi privilegium sequitur ex præcedenti nedum, quinimmò habet cum illo rationem ipsam fundamentalem communem. Quia videlicet nec is taliter ex ignorantia errans, vere est pertinax, donec advertat se Ecclesiæ Romanæ repugnare, ergo nec verè hæreticus est, sicque ob ignorantiam excusatur ab hæresi formali, & ab excommunicationis censura consequenter. Antecedens patet ex dictis in præcedenti privilegio, & alibi: Consequentia sequitur, quia pertinacia est necessariò requisita ad hæresim, & plus facit ad ipsam, quam error. Verum quidem est, quod talis peccat contra fidem obligantem ipsum, supposita tali monitione, ad mutandam sententiam. Confirmatur, quia si talis credat suam opinionem non esse contra communem sensum Ecclesiæ, & ipsos Viros doctos decipi, non est verus hæreticus pertinax; cum nisi credat se opinari contra communem sensum Ecclesiæ, sicque contemnat Ecclesiam, non fit hæreticus pertinax, ut patet ex toties dictis in præcedentibus: ergo.

543 Accedit Doctorum Auctoritas, expressè admittentium nostrum propositum privilegium: Suntque *Valent. to. 3. disp. p. qu. 11. punc. p. difficult. 4. Versu 2. sequitur.* Ubi sic: *Si quis à Theologis, vel etiam ab Episcopo admoneretur, quod sentiat aliquid contra fidem Ecclesiæ Romanæ, & tamen ipse non sibi hoc persuadeat, non esse censendum hæreticum; etiamsi res sit ejusmodi, ut non possit ille probabiliter judicio Episcopi, & Theologorum repugnare, sed verè peccet contra fidem obligantem ipsum, supposita tali monitione, ad sententiam mutandam. Sic notavit Canus lib. 12. De Locis Theologicis cap. 9. & indicavit etiam satis Cajet. 2. 2. qu. 11. art. p. & est communis sententia etiam aliorum. Ratio est, quoniam talis non est verè pertinax, donec advertat se Ecclesiæ Romanæ repugnare. Sayr. de Cens. lib. 3. cap. 4. n. 17.* sub iisdem ferè verbis sub quibus *Valentia. Salas in p. 2. trac. 13. disp. 7. sec. 7. n. 53.* quem (cum aliis) refert, & sequitur *P. del Bene lib. De Parlamentis Dub. 4. sec. 19. subsect. 31. Subcorrolar. 4. n. 6. pag. mihi 91. Editionis primæ Lugdun. de anno* 1644. in qua sic lego: *Infertur secundò, nec satis esse ad pertinaciam, ut quis de suo errore ignoranter admisso, à viris gravissimis, etiam Inquisitoribus, vel à proprio Episcopo admoneatur: si enim ipse adhuc post monitionem existimet doctrinam suam non esse contra sensum Ecclesiæ, eosque viros oppositum putantes, errare, non est formaliter, & propriè hæreticus, nam (ut dixi) nisi quis credat se contra Ecclesiæ doctrinam opinari, non est pertinacia, & sic nec propriè hæreticus, quantumvis, & à quovis admoneatur (excipè, nisi existimet se opponi Pontifici, vel Concilio, quorum est res de fide definire, & quibus adversari, est toti Ecclesiæ scienter opponi) quamvis in foro externo hæreticus præsumatur: atque ita habetur in cap. Ad abolendam de hæret. & docet Canus, &c.* ita dictus *Del bene.* (Qui tamen postea, videlicet, *P. p. de Officio*

ficio S. Inquisit. dub. 4. nu. p. in fine, asserit, *probabile esse etiam oppositum, quod docent Bart. in l. Tutor. §. Tutores, ff. de suspect. Tutorib. Rebuff. in Bullam Cœnæ, Excomm. p. art. p. verb. Hæresis. Ugolinus in Bull. Cœn. 2. par. cap. p. §. p. n. p. Pegna p. p. Comm. 26. ad qu. 12. Suar. de fide disp. 19. sec. 3. n. 21. Albertin. qu. 30. Duard. in Bull. Cœn. lib. 2. Canon. p. qu. 25. n. 4. Simancb. Tit. 48. n. 18. & seqq. & Farinac. De Hæretic. qu. 169. n. 10. talem scilicet tam in foro externo, quam in foro interno hæreticum pertinacem reputandum esse.) Sanch. Oper. Moral. p. p. lib. 2. cap. 7. nu. 25*, ubi expresse sic: *Dicendum est neutiquam reperiri pertinaciam requisitam ad hæresim, dum quis existimans se non contravenire Ecclesiæ, aut Pontifici, defendit hæresim, quamvis non acquiescat Episcopo, Inquisitoribus, & Viris doctis contrarium asseverantibus, & quamvis temerarius sit, ac mortaliter peccet, illis non acquiescens. Ratio est, quod solius Ecclesiæ, ac Pontificis sit, res fide tenendas definire: cæteri autem, & fallere, & falli possunt. Cum ergo certæ regulæ fidei non contradicat, minimè erit pertinax, ac consequenter nec hæreticus. Ita docent Canus lib. 12. de Locis Theol. cap. 9. Columna 17. Versic. At quid pertinacia. Torres de Trinit. qu. 32. art. 4. in 4. par. Commentarii, statim in principio. Valent. Sayr. Vasq. pr. 2. qu. 76. art. 3. disp. 226. cap. 3. n. 7.* Hactenus *Sanch.* Et aliis tot omissis classicis D.D. idem docentibus, affero tandem *Sanctarellum de Hæresi cap. p. dub. 6. nu. 28.* nostrum privilegium expresse pariter cum supracitatis admittentem, ait enim *Versu Dico Tertiò. Qui tenet aliquid contra fidem, deque admoneatur ab Episcopis, Inquisitoribus, & aliis Viris Doctis, & nolit acquiescere, putans se rectè sentire cum Ecclesia Catholica, & cum Romano Pontifice, non est hæreticus, præsertim si de hoc protestetur. Ita Canus, &c. quia hic est paratus obedire Ecclesiæ declaranti, aliquid esse de fide tenendum, putatque se cum Ecclesia Catholica sentire, & vult contrarium tenere ei, quod tenet, quoties Ecclesia proposuerit illi aliquid de fide, ergo non est pertinax, nec hæreticus: non enim Episcopi, & Inquisitores habent assistentiam Spiritus Sancti, ità ut nec falli, nec fallere possint, & possunt putare aliquid esse de fide, quod re vera non est.* Ita *Sanctarellus*. Ecce igitur, quod cum ex dictis supra (uti & pluries alibi) & ex auctoritate Doctorum, necessaria sit ad hæresim pertinacia, & hæc ignorantiæ, & erroris causa in privilegio proposito non supponatur, ipsum consequenter uti verum admittendum est, sicuti etiam ob id expresse admittitur à laudatis D.D. & aliis.

544 Quare meritò supra insinuavi, *plus facere pertinaciam ad hæresim, quam errorem*, & esse pertinaciam necessariò requisitam ad hæresim. Licet enim ad fidem, præter assensum veritatis, requiratur etiam pia affectio voluntatis, sicuti & hæresis præter errorem intellectus pertinaciam requirit in voluntate; differentia tamen est (quam tradit etiam *Sayr. cap. 4. c. n. 18.*) quia in fide principalior est actus intellectus, & magis in intellectu consistit fides: in hæresi autem principalior est pertinacia voluntatis, quam error intellectus, sine qua pertinacia hæreticus quis censendus non est. Hinc *S. Augustinus Epist. 162. quæ habetur in cap. Dixit Apostolus 24. qu. 3.* ait: *Qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Et idemmet *Sanctus Augustinus lib. 4. contra Donatistas, Cap. 6. Constituamus* (inquit) *aliquem sentire id de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse Catholicam fidem, nondum illum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Ecclesiæ, maluerit quod tenebat, eligere.* Constat ergo pertinaciam omnino ad hæresim necessariam esse. Pertinacia verò propriè est, quando quis ità firmiter alicui opinioni assentitur, & adheret, ut quamvis sciat contrarium ab Ecclesia Romana doceri, paratus tamen non est judicium suum determinationi Ecclesiæ submittere. *Et hæc apud omnes certa sunt* (sic concludit *Sayr. n. c. 18.*) Et si certa, admissibile utique consequenter (& absque scrupulo) nostrum propositum privilegium. Circa quod

545 Adverte primò, cum *Toleto lib. 4. Sum. cap. 3. n. 4. §. Maximè tandem notandum. Sanch. cap. 7. c. n. 26. Del Bene par. p. de Offic. S. Inquisit. Dub. 4. n. 6. Farinac. de Hæresi qu. 179. §. 2. nu. 14.* & aliis apud ipsum: Latius patere, verificari, & admitti in Viris simplicibus, mulieribus idiotis, & indoctis, quam in Viribus doctis, in quibus latior etiam invenitur, & inveniri potest pertinacia, quam in illis. Quia Viri docti pertinaces sunt, quoties tenent aliquid contra traditiones Apostolicas, aut Ecclesiæ, Pontificisve definitiones. Quippe has certas fidei regulas esse norunt. At rustici, idioti, indocti, non sunt pertinaces, credentes aliquid quod sciunt esse contra traditiones Apostolicas, aut Pontificis deter-

determinationem, dummodo credant non esse contra Ecclesiam, parati ab ea corrigi: eo quod hi non teneantur scire in particulari illas esse certas fidei regulas; & ratio illis credendi, sit hæc, ut videlicet credant quidquid tenet Ecclesia; ità citati, præcipuè *Tolet. & Sanch.* Hine *P. Pasqualig. in Decisionib. Moralib. Decis.* 162. in qua quærens: ***An si proferens propositionem hæreticam ex ingorantia, eam defendat contra admonentem esse hæreticam, sit hæreticus?*** optimè docet, & dicit *n.* 9. quod si talis proferat, & defendat propositionem hæreticam contra admonentem, eam contrariam esse rebus fidei, quas quilibet explicitè tenetur scire, nec non aliis præcipuis Mysteriis, quæ notissima sunt, & communiter præsumuntur sciri, pertinax, & hæreticus censendus est: *nisi fortè (addit) tanta sit ruditas, & ignorantia ipsius, ut præsumatur nescire illa Mysteria communiter ab omnibus credi*. Item nisi fortè (sic *n.* 12. & 13.) defenderet aliquam aliam propositionem hæreticam, ex iis, quæ inter Catholicos communissimè non sciuntur esse de fide: cujus additi ratio, desumenda est (inquit ad casum nostrum) ex conditionibus hæretici pertinacis. Ut etenim talis sit, debet volens, & sciens, sentire contra Ecclesiam: quod si sentiat contra ea, quæ proponuntur credenda ab Ecclesia ex ignorantia, hæreticus tantum erit materialiter, non autem formaliter, atque adeo non erit pertinax; unde cum præsumi possit ignorantia, non erit neque præsumptivè hæreticus pertinax, nec ut talis puniri poterit. Ità dictus *Pasqualigus*. Et si ei opponas non posse præsumi ignorantiam, dum admonetur propositionem suam esse hæreticam. Respond. Talem admonitionem non esse sufficientem, ut tollatur præsumptio ignorantiæ: quia dum contra ipsam defendit (admonitus) suam hæreticam propositionem, ostendit etiam, quod fidem non præstet admonenti: consequenter quod non deponat ignorantiam; & ideo adhuc durat præsumptio illius. Hoc totum confirmat, ut patet, privilegium nostrum: circa quod iterum.

546 Adverte secundò (cum supra citatis) errantes ex ignorantia in rebus fidei, ut in proposito privilegio, excusari quidem à pertinacia hæresis, & ab hæresi formali, atq; ab incursu Censuræ consequenter, ut in ipso: non tamen à peccato mortali præsumptionis; quia irrationabiliter absque ullo fundamento scientiæ, & doctrinæ, præsumerent se plus ceteris scire; & quamvis ignorantes, nollint se docentibus submittere. Verum tamen est, quod ab ipsomet peccato mortali absolvi possent à quolibet Confessario approbato, eo quia non cadit tale peccatum sub reservatione, cum non habeat annexam Censuram, seu excommunicationem Papalem Bullæ Cœnæ Domini, in quam non incidunt, nec in ejusdem pœnas, & reservationem, ex dictis, & Doctoribus communiter, absque pertinacia. Sed

547 Obiicies primò. Ad monitus à gravibus Theologis, & Viris doctis, quibus probabiliter repugnare non potest, in errore persistit, & ut antea dicimus, & concedunt *Canus*, & alii; is peccat contra fidem, & peccato infidelitatis; non Paganismi, neque Judaismi, cum fidem Catholicam professus sit: Ergo peccato hæresis, quia non sunt plures species. Respondeo ex dictis, illum peccare quidem contra fidem, peccato hæresis, sed materialiter tantum, non autem formaliter. Vel dic cum *Valent. Difficult.* 4. *c. in Responsione ad Tertium*, peccare peccato hæresis indirectè, ac reductivè, sed non ejus hæresis, de qua communiter agitur. Sicque in hoc non est controversia (concludit idem *Valent.*) nisi de nomine, ut insinuavit etiam *Canus* ubi supra.

548 Obiicies secundò. Qui admonitus à gravibus Theologis, & Viris doctis, adhuc persistit in defendenda hæretica propositione, evadit pertinax, nam cum nolit audire admonentes, censetur nolle devenire in cognitionem veritatis; dum autem contemnit veritatem pertinax est in errore: sicque hæreticus formaliter, impius, & iniquus: juxta *Cap. Quid autem* 24. *qu.* 3. in quo sic expressè: *Quid amplius iniquius est quam impia sapere, & sapientibus, doctoribusque non credere?* Igitur Privilegium propositum non est admissibile. Respondeo negando hanc ultimam consequentiam: & ad rationem dico cum *P. Pasqualigo Decis.* 162. *num.* 17. Quod licet quis nolit audire admonentes, non statim pertinax censendus est, aut nolle devenire in agnitionem veritatis: sed inspiciendum est unde proveniat quod nolit audire admonentes. Nam si hoc provenit ex eo quod ipsos non censeat tantæ scientiæ, aut auctoritatis, ut possit ab iis admoneri, non erit pertinax; sed solum si id faciat, quia velit defendere suos errores quomodocunque se habeant. Hinc ad textum relatum oppositum, cum eodem *P. Pasqual. n.* 15. item dico: Quod cum ratio impietatis in eo textu consistat, quod dum quis impia sapit, non credat sapientibus, & doctis

doctis viris; sequitur quod non sit impius, si quis non credat iis, quos non habet pro sapientibus, & doctis: quamvis alioquin sint tales; quia si sapientia est ratio, cur quis sit impius non credens sapienti; dum censetur non intervenire sapientia, neque etiam interveniet impietas in non credendo. Ideo autem aliquis non credens sapientibus, quos revera ut sapientes haberet, esset impius, quia esset pertinax in suis erroribus: nam sciens, se posse certificari de veritate ab illis, quia supponeret esse sapientes, & se posse certificare: certificari nollet. Sed

549 Obiicies Tertiò; *Caput &c. ni in Ecclesia* 24. *quæst.* 3. Ubi sic habetur. *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, pravumq; sapiunt, si correpti, ut sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt*. Ergo. Resp. hujusmodi Textum haud opponi privilegio nostro, in ipso enim loquitur (ut optimè etiam *P. Pasqual. l. c. nu.* 16.) de correptione quæ legitimè fit, ab iis videlicet, ad quos spectat esse Judices, & Ministros publicæ fidei: quia cum hi sint veluti conservatores fidei in Ecclesia: si quis non acquiescit monitioni, ipsorum, contradicit Ecclesiæ: quia contradicit ministris ipsius. Non autem intelligitur de correptione cujuscumque. Quod Confirmari potest ex *Cap. Ad abolendum Extra de Hæreticis*, in quo innodantur vinculo excommunicationis hi, qui vel ab Ecclesia Romana, vel etiam à singulis Episcopis in suis diæcesibus cum Concilio Clericorum, aut si opus est, vicinorum Episcoporum, judicantur herætici. Ex hac enim Decretali colligitur quod non statim ac quis admonetur à Viris doctis, se Ecclesiæ Catholicæ repugnare, contraque ipsam sentire, censendus sit, & dicendus hæreticus, atq; excommunicatus: nec etiam ut talis constituendus, quem Episcopi judicent sensisse contra Ecclesiam Romanam, sive hoc ipsum ille sciverit, sive non. Sed quod ille sit hæreticus censendus, & excommunicatus, quem Episcopi, discussa controversia Juris, & facti, tamquam judices determinaverint habuisse pertinaciam (sine qua nullus est hæreticus) contra fidem, hoc est, scienter repugnasse fidei Ecclesiæ Romanę: huic confirmatur subscribit *Valent. Diffic.* 4. *c. Versu Ad Quartum Respendeo*. Hinc.

550 Quæres: Si admoneatur ab Inquisitore, & Episcopo, non tanquam à privatis personis, sed tanquam à publicis, & adhuc perseveret in errore contra fidem, censendus ne sit hereticus pertinax, etiam si ipsis non credet? Respondeo affirmativè, & talem censendum esse hæreticum non solum in foro exteriori, sed etiam in interiori. Error tamen debet esse circa ea, quæ sunt jam definita de fide, & ut talia ab Ecclesia proposita, ut certa, & indubitata. Ità etiam *P. Pasqual. in Decis. Moralib. Decis.* 163. *nu.* 6. Ratio autem hujus responsionis desumitur ex eo quod Inquisitores sunt Judices circa res fidei, delegati ad hoc munus à Summo Pontifice, à quorum judicio nemo potest se subtrahere, alioquin se subtraheret à judicio etiam Summi Pontificis: quod utique non eveniret, nisi in foro externo præsumeretur hæreticus, quando ab ipsis, admonitus, adhuc persisteret in errore: nam per id quod diceret, se credere Ecclesiæ, non posset ab ipsis puniri. Et cum Inquisitores sint Judices circa res fidei, utique præsumuntur scire quæ ut fide tenenda docet Ecclesia: imò repræsentant Ecclesiam ipsam, tanquam ii ad quos spectat manutenere fidem Ecclesiæ. Qui ergo ipsis contradicit in iis, quæ de fide tenenda proposita sunt ab Ecclesia, contradicit Ecclesię, cum contradicat publicis personis repræsentantibus Ecclesiam quoad auctoritatem manutenendi fidem, idcircò etiam in foro interno hæreticus est. Et hoc idem etiam asserendum est de Episcopis: Cum & ipsi ex officio repræsentent Ecclesiam, & vices gerant Pontificis, sintque Pastores Animarum, atque adeo habent in hoc munere repræsentare Ecclesiam, & ratione ejusdem muneris debent habere scientiam, cum ad ipsos spectet ex officio docere populos (*Euntes docete omnes Gentes, p. ad Timob.* 3.) ac pascere salubri doctrina fidei, consequenter tenentur subditi acceptare doctrinam quam nomine Ecclesiæ proponunt. Licet enim ad solam Ecclesiam universalem, aut ejus caput spectet definire, & proponere res fidei; postquam tamen propositæ sunt; spectat etiam ad alios, qui ex officio sunt ministri fidei eas declarare, manutenere, &c. cum in hoc vices gerant Ecclesiæ. Hi autem sunt Inquisitores, & Episcopi, quia sunt Judices fidei. Et ideo qui eos monentes non audit, sed pertinax sentit contra ipsos, sentit etiam contra Ecclesiam, ac proinde hæreticus est.



Ii PRI-

PRIVILEGIUM SEXTUM.

Ex ignorantia utens divinatione superstitiosa, excusari potest à culpa mortali.

551 Divinationis nomine intelligitur quædam prænuntiatio futurorum ex *S. Tho. 2.2. qu. 95. art. p.* In Sac. literis, & apud Scriptores Ecclesiasticos; nunquam in bonam partem accipitur, ut adnotavit *S. Hieronymus in cap. 3. Micheæ*, circa illud: *Audite hoc principes Jacob:* & videre est apud *Valent. in 2. 2. disp. 6. q. 12. punc. p. in princip.* & consistit in hoc, quod quis sibi arroget cognitionem, quæ ad solum Deum pertineat, idque modis indebitis, à divina providentia minimè constitutis. Cognitio autem ad solum Deum pertinens, est cognitio certa contingentium; sive futurorum juxta illud *Esai. 41. Annunciate nobis futura, & dicemus, quòd Dii estis vos:* sive præsentium (occultorum tamen) cujusmodi sunt cogitationes, & affectiones cordium, & facta hominum occulta, &c. juxta illud *2. Paral. 6. Tu solus nosti corda hominum.* Qui igitur rerum hujusmodi cognitionem, vanis mediis aliunde quærit, quam ex ipso Deo, duplici ratione convincitur esse superstitiosus. Primò, eo quia in ignominiam Dei cedit, aliunde vanis inventionibus procurare, id, quod ad solum Deum pertinet, atque adeo ex ipso solo quærendum esset. Secundò, quia omnis vana occultorum inquisitio, nititur auxilio Dœmonis, à quo nimirum quis erudiri vult, *tacitè*, aut *expressè* illum invocando, unde illi tribuit divinum cultum: quatenus quærit ex ipso (ut dictum est) cognitionem occultorum, in casu, quo ea expectare potest ex solo Deo. Quapropter meritò *Divinatio* prohibita est jure Divino, & humano, ut videre est apud Doctores, præcipuè *Valent. punct. c.* & ex suo genere est peccatum mortale: Unde inter alios *Cajet. in Sum. Verbo Divinatio*: sic ait: *Divinatio pro quanto significat indebitam usurpationem cognitionis futurorum eventuum, vel preteritorum, aut præsentium occultorum, peccatum est, quia contra rectam rationem est. Et est ex suo genere mortale in quantum dæmoniaco innititur auxilio*. Hinc

552 Vel dicta divinatio est cum *expressa* invocatione dæmonis, & si sic, nunquam excusari potest à culpa mortali, quia ipsamet invocatio, Dœmonis *expressa*, clarissimè ostendit suam gravem malitiam. Ideoque tali invocatione uti ad cognoscendum occulta, semper est peccatum mortale, non excusans in hoc nec materiæ levitas, ut optimè etiam innuit *Martin. del Rio Disquisit. Magicar. libr. 4. cap. 2. qu. 4. & Valent. qu. c. punc. 4.* eo quia hæc est usurpatio cognitionis, reservatæ Deo, quæ per se admodum gravis est, etiamsi abstrahatur à materia. Vel dicta divinatio est tantum cum *tacita* dœmonis invocatione: & si hoc secundo modo externum superstitiosum opus exerceatur, ita ut illo utens ex ignorantia utatur, nec ignorantia ipsa sit affectata, neque crassa, & supina, tunc excusatur à mortali, dummodo si scivisset ille, inesse tacitam dœmonis invocationem illud opus non fecisset. Quia propriè loquendo, talis non invocat *tacitè* dęmonem, nisi materialiter, & involuntariè ob ignorantiam, quod non facit hominem socium Dęmoniorum, idcircò non peccat mortaliter. Ità docent *Cajet. 2. 2. qu. 95. art. 2. §. Ad evidentiam. Et in Sum. Verbo Divinatio, Versu, Si ignota est. Valent. qu. 12. cit. punct. 4. Versu, Quando autem Divinatio. Sayr. in Clavi Regia lib. 4. cap. 5. n. ult. Del Rio l. c. Less. lib. 2. qu. 43. Dub. 10. n. 64. P. Pistacchius De Superstit. c. 10.n. 9.* & alii. Et nos idem pariter hic intendimus, & cum illismet idem affirmare volumus in privilegio proposito, & non aliter.

PRIVILEGIUM SEPTIMUM.

Ignorantia invincibilis, sive juris, sive facti, nedum antecedens, verum etiam concomitans, excusat tum à peccato, tum etiam ab excommunicatione, legentes, vel retinentes Libros, vel scripturas continentes hæresim, vel superstitiones Magicas.

553 Pius IV. in Bulla de approbatione Indicis Librorum prohibitorum ædita 24. *Martii* 1564. quæ incipit: *Dominici gregis*: Statuit ut sequitur: *Qui libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris scripta, propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque probibita legerit, habuerit ve, ipso jure in excommunicationis pœnam incidat.* Idem statuitur *in Bulla Cœnæ nu. p.* Et *in Constitutione Joannis XXII.* contra Magos, magicasque superstitiones: quæ refertur ab *Eymerico par. 2. Director. qu. 43.* sic decernitur: *Præcipimus, & mandamus, quod nullus eorum libellos, scripturas quascumque, de præfatis damnatis erroribus* (idest magicis superstitionibus) *quidquam continentes, habere, aut tenere, vel in ipsis studere præsumat: quin potius volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ*

obedientiæ cunctis præcipimus; quod quicumque de scripturis præfatis, vel libellis, quidquam habuerit, infra octo dierum spatium, ab hujusmodi ædicti nostri notitia computandum, totum, & in toto, & in qualibet sui parte, abolere, comburere teneatur. Alioquin volumus, quod incurrat sententiam excommunicationis ipso facto: processuri contra contemptores hujusmodi (cum constiterit) ad pœnas graviores. Et etiam in *Indice librorum prohibitorum* habetur: *Libri omnes, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Æromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Occromantiæ, sive in quibus continentur Sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magiæ, prorsus reiiciantur.* Igitur, vi harum Constitutionum, & Apostolicarum Ordinationum, legentes, vel retinentes Libros, libellos, Scripturas, &c. (ut in ipsis) peccant mortaliter nedum, verum etiam excommunicationem contrahunt.

554 Nihilominus, accedente ignorantantia, ab utroq; (saltem in foro interno) excusantur, uti ponitur in proposito privilegio. Quod probatur, tum ex dictis supra *Privil. 8. Cap. IV. n.* 140. tum ex Doctoribus in *d. Privil.* adductis, & ex infra adducendis: tum etiam ratione: Quia universaliter loquendo, quando nulla alia lege actio aliqua prohibita est, nisi ab illa, quæ pœnam imposuit, ignorans invincibiliter legem illam, si eam transgrediatur, nec peccat, nec pœnam contrahit. Non peccat, quia involuntariè agit, cum legem invincibiliter ignoret: Nec contrahit pœnam, quia, qui non peccat, nec lege puniendus est, *ex Regul.* 23. *de Regul. juris in* 6. Hinc *Farinac. De Heresi qu.* 180. *n.* 44. ad nostrum Privilegium sic: *Excusantur retinentes libros hæreticorum, scriptores, & latores eorum, si non scienter, sed ignoranter eos retineant, deferant, seu scribant, &c. istos enim ignorantia, quæ, hoc casu in dubio præsumitur, excusat omnino.* Ita *Farinac.* alios plures ibi referens, *Pegnam, Mascardum, Ugolin. Petr. Binsfeld. Azzor. Sanch. Grassium.* Quibus adde *Pala. to. p. tract.* 4. *disp.* 2. *punct.* 10. *§.* 2. *nu. p. Tambur. in Decal. lib.* 2. *cap. p. n.* 26. & apud ipsum *Merolla to. p. disp. p. cap.* 2. *d.* 16. *Coroll.* 7. *n.* 312. sicuti & apud *Pala. nu. cit. Suar. disp.* 20. *sec.* 2. *num.* 17. Sed

555 Dices contra primò: Ignorantia quando est comitans, transgressor habet malum animum, seu affectum legendi, &c. etiam si sciret prohibitionem, ergo peccat. Respondeo: Malus ille animus, si solum est in habitu, non est peccatum, ut ex se constat, donec exeat in actum: Et si sit in actu, erit quidem peccatum, sed externus ipse actus legendi, &c. cum nullo modo procedat (ut supponimus) à tali affectu, sed ab ignorantia, à tali peccaminoso affectu infici haud potest. Ita etiam ex *Merolla Tambur. l. c. nu.* 26.

556 Dices secundò, *ex Carena de Sanctiss. Inquisit. par.* 2. *Tit.* 13. (Ubi *de Bulla Pii V. Si De protegendis) §.* 22. Licet Constitutio pœnalis regulariter ignorantes non liget *Cap. Dixit Sara* 32. *qu.* 4. *c.* 2. *in Constitut.* cum aliis latissimè cumulatis per *Farinac. in suis Frag. crimin. p. p. in Verbo Bannimenta n.* 28. *& in Verbo Constitutio n.* 685. Attamen cum Constitutio est Papæ (ut in casu nostro) vel alterius Principis non recognoscentis Superiorem, & ulterius est perpetua (uti pariter est in nostro casu) tunc talis Constitutio ligat etiam ignorantes, ut communiter Canonistæ, præcipuè allegati per *Farinac. in Verbo Bannimenta n.* 42. *& in Verbo Constitutio n.* 696. Et postquam Constitutiones sunt publicatæ, tunc earum ignorantia non præsumitur, nam quilibet scire præsumitur, quod publicè scitur, ut dixit *Jason Cons.* 83. *n.* 2. *volum. p. Farinac.* alios alegans *in dicto Verbo Bannimenta n.* 29. *& in Verbo Constitutio nu.* 687. Stante igitur hac doctrina, & positione, ruit, nec subsistit privilegium nostrum. Respondeo negando hanc consequentiam: & ad doctrinam *Carenæ* pro antecedenti assumptam, dico, Constitutiones pœnales perpetuas, publicatas, Papæ, vel alterius Principis non recognoscentis Superiorem, ligare quidem etiam ignorantes, sed in actu primo tantum, ut alibi in superioribus concessum est, & approbatum: hoc autem est dicere, ipsas Constitutiones non ligare ignorantes in conscientia, & foro interno, atque actu secundo, prout tantum affirmamus in nostro privilegio. Sed solum ligare præsumptivè, & in foro externo, de quo solum loquuntur, & intelligendi sunt Doctores, & Canonistæ, asserentes communiter dictas Constitutiones ligare etiam ignorantes; ut patet ex eorum contextibus ad literam: ex eodemmet *Carena* præcipuè: dum & ipse *§. c. n.* 91. expresè ait cum *Jasone, Farin.* & aliis: *Postquam Constitutiones hujusmodi sunt publicatæ, tunc ignorantia earum non præsumitur, nam quilibet scire præsumitur, quod publicè scitur.* Scire præsumitur in foro utique externo, de quo non loquitur nostrum privilegium, sed de interno tantum. Et adde, quod per *Cravettam Conf.* 193. *nu.* 8. *& Surdum Decis. Mantuana* 221. *nu.* 14. allegati ab

gati ab ipſomet *Carena l. c. n. 92. hæc ſcientia præſumpta non ſufficit ad imponendam pœnam corporalem*. Ergo Conſtitutio pœnalis ignorantes non ligat, conſequenter verum privilegium noſtrum. Ex hucuſque dictis

557 Infertur primò: Quod ad incurrendam ipſo facto excommunicationem inflictam contra ſcienter legentes, vel retinentes libros, ſcripturas, &c. ut in propoſito privilegio, requiritur primo, ut legentes, vel retinentes, & cæteri, ſciant librum eſſe prohibitum: unde in hanc excommunicationem non incidunt, qui ignoranter illum retinent, ac legunt. Secundò, requiritur, ut auctor libri, aut ſcripturæ ſit hæreticus. Tertiò, ut hæreſim contineat, vel de Religione tractet. Quartò ut librum legat, vel retineat abſque licentia. Sic etiam *Farinac. De Hæreſi qu. 180. nu. 45. P. Piſtacchius De Superſtit. cap. 28. n. 2.* & alii.

558 Infertur ſecundò, Regularium Superiores excuſari à culpa, & à pœna privationis Officiorum, vociſque activæ, ac paſſivæ, ob ignorantiam, vel oblivionem, aut inculpabilem inadvertentiam, ſive inconſiderantiam, non exequentes Sacræ Congregationis Decreta *legendi litteras Apoſtolicas ad Sanctum Officium pertinentes, De Celebratione Miſſarum*, &c. Si namque ignorantia excuſat à culpa, & ab incurſu Cenſurarum: excuſabit etiam, & multo magis in hoc caſu, à culpa, & à pœna privationis, &c. & nedum ob ignorantiam, verum etiam ob inculpabilem oblivionem, & naturalem inadvertentiam, ſeu actualem inculpatam inconſiderationem, quæ æquivalet ignorantiæ invincibili, ut docent *Cajet. in Sum. verb. Inconſideratio; Sylv. verb. Naufragium in fin. Vaſquez p. 2. diſp.* 107. *cap.* 3. & alii. Et ad hanc eandem rem, ita *Peyrin. de Privileg. to. 3. in Additam. ad Conſtit. Urbani VIII. c. 12. in princ. n. 4. verſ. Noto 2. pag. mihi* 480. *col. p. in princ. In Conſtit. 9. Urbani VIII. quæ eſt Decretum Congreg. De celebratione Miſſarum: Jubentur omnes Superiores locales ſub pœna privationis Officiorum ipſo facto incurrenda, bis in anno, ſcilicet feria 2. poſt primam Dominicam Adventus; & feria 6. poſt octavam Corporis Chriſti, curare, ut in publica Menſa dicta Decreta legantur. Circa quod quæro, An remaneat Superior privatus, qui eo die determinato non facit legi dicta ſtatuta ex negligentia, vel inconſideratione, vel ignorantia, ſed legi facit poſt menſem v. g. Reſp. quod dicta ſtatuta determinatis diebus legi debent, quod ſi non legantur, legi debent die ſequenti, & ſic deinceps. Non enim ponitur terminus ad finiendam obligationem, ſed ne dilatetur executio. Quare tranſacto aſſignato termino, non ceſſat obligatio, leg. Celſus, ff. de recept. arbitr. cap. Cum dilecti, §. Præterea, de dolo, & contum. Unde cum pœna privationis non ſit ſtatuta ad canonizandum diem ibi præfixum, ſed ſolum ad obligationem inducendam lectionis dictarum Conſtitutionum, ne ullo unquam tempore in oblivionem, aut deſuetudinem abeant, quod eſt finale motivum dictæ lectionis: dicendum eſt, quod qui ex ignavia, ſeu negligentia, vel oblivione, dictas Conſtitutiones diebus præfixis non curaverit legi, non incurret dictam pœnam, ſi alio tempore, poſt menſem v. g. termini præfixi legi faciat, facturas legi in termino ſtatuto ſi meminiſſet, vel ſciviſſet. Ubi namque quis facit ſine culpa contra legem præcipientem, vel prohibentem aliquid fieri, pœnam non meretur. Sed ignorantia, inconſideratio, negligentia non craſſa, quæ eſt cauſa, cur non impleatur præceptum, excuſat à culpa omnino, vel multum minuit, juxta doctrinam D. Tho. p. 2. qu. 76. art. 3. & 4. ergo etiam à graviſſima privationis pœna. Atque ita in ſimili Ledeſ. Navarr. Filliucc. Azor. Scortia, Sigiſm. Ugolin. Pariſ. Garz. Sanch. Adde quod pœnæ Conſtitut. Pontificalium ſolent eſſe moderatæ, ita ut delicti menſuram non excedant, juxta illud Deuter. 16. Juxta menſuram delicti, ſit & plagarum modus. At culpa, cur non legantur dicta Decreta die præfixa, provenit ex ignorantia, inadvertentia, & negligentia, quæ ſuppletur altero die. Ergo pro ea non eſt imponenda tam gravis pœna, qualis eſt officii privatio*. Hactenus *Peyrin.* cui ſubſcribit *P. Piſtacchius De Superſtit. cap.* 35. *n.* 14. & quem ſequitur *Diana to. 7. Coord. tr. p. reſ.* 18. *ex p.* 5. *tr.* 14. *& Miſcell.* 2. *reſ.* 15. ubi etiam ait, hujuſmodi ſententiam tenere alios juniores viros Doctos hac de re à ſe conſultos, quibus addo ego *Bordon. in Deciſionib. Miſcell. Deciſ.* 14. in fine: ubi *nu.* 4. & 5. aſſerit, Superiores ommittentes ex oblivione legere ea decreta, eorum pœnas non incurrere, nec etiam in foro externo: *niſi conſtaret Superiorem admonitum, nolle ut legerentur, quia tunc temerarius diceretur, ſpernens eam monitionem verbo, & facto*. Extendit autem idem *P. Diana reſ. c. in fine*, doctrinam eandem *Peyrini* ad aliam ſupradictam Conſtitutionem ad Sanctum Officium pertinentem: ibi enim ſic: *Et idem dicendum eſt de alia Conſtitutione Urbani VIII. edita feria 6. die 4. Aprilis 1643. de Obſervantia Bullarum pertinentium ad Sanctum officium. Ubi Sanctiſſimus decernit quod legantur ſingulis annis in publica menſa ideſt feria 6. poſt octavam Aſſumptionis B. Mariæ Virgin. ſub. pœna privationis officii, & vocis activæ, & paſſivæ*.

559 Ad-

559 Addit prætereà *Peyr.* prosequens suam rem, *Quod posset etiam quis excusari à lectione dictarum Constitutionum die præfixo, si eo die in Conventu fieret aliquod magnum festum, & in Refectorio adessent devoti sæculares; vel si Religiosi ivissent ad Processionem, vel ad sepeliendum mortuos, & non possent omnes adesse; quibus stantibus, decerneret superior dictas Constitutiones non legere eo die, sed differre in sequentem, putans id sibi iis casibus licere, alioquin legi facturus. Nam qui bona fide transgreditur legem humanam, putans se habere justam causam transgrediendi, non peccat, nec pœnas transgressoribus impositas incurrit, quando de justa causa constat, juxta D. Tho. 1. 2. qu. 96. art. 6. in corp. & 2. 2. qu. 147. art. 3. quem cum communi sequuntur Navarr. in Man. cap. 23. n. 43. & lib. 2. Consil. De Jure iur. Cons. 12. n. 2. Sayr. in Decis. tit. de Summ. Trinit. decis. 3. Rodriq. to. 2. Q. q. Reg. qu. 72. art. 3. Justa autem causa est, propter quam Legislator, si præsens esset, eum excusaret: vel quę bona fide pro justa habetur, & ob quam, nisi talem eam judicaret, contra legem non faceret. Ita Navarr. in Man. l. c.* & ita ad litteram *Peyrinus*.

560 Et si ab eo quæras, An subditus teneatur monere Superiorem de dictis Statutis legendis, & quo jure? Respondet (*in fine cit. n. 4.*) affirmativè: idque *ratione justitiæ, ex eo quod Prælatus, & subditus debent eodem jure censeri, Prælatus autem ratione justitiæ tenetur adiuvare subditum suum quantum potest, ut probavi to. 2. Prael. qu. p. Unde collige, quod subditus scienter omittens monere Prælatum suum, ut die statuta legi faciat dicta Decreta, mortaliter peccat propter grave damnum, quod ex sua omissione malitiosa infert Prælato suo, unde potest, & debet à Superiore puniri*. Hæc omnia *Peyrinus*, quæ volui per extensum hic referre in gratiam Regularium.

PRIVILEGIUM OCTAVUM.

Legentes prædictos Libros, vel Scripturas retinentes, &c. ex vincibili ignorantia sive juris, sive facti, ex ignorantia inquam, sive notabili, sive crassa, & supina, sive etiam affectata, & ex lata culpa. Nisi adeò crassa sit, ut sit ingens temeritas; excusantur, si non à culpa, ab incurrenda excommunicatione.

561 Sequitur hoc privilegium ex dictis, tum *in privilegiis* 8. 9. & 10. *Cap.* 4. tum alibi pluries in superioribus, & prætereà probatur. Quia lex pœnalis, seu Bulla, quæ imponit pœnam excommunicationis, legentibus, vel retinentibus prædictos libros, Scripturas, &c. petit *scienter hæc fieri*, maximè *Bulla Cœnæ*, ut patet. Sed quando scientia petitur, quævis ignorantia excusat, nisi sit ingens temeritas, quia ubi intervenit ignorantia, deficit voluntas delinquendi: ut notant *Sylv. Verbo Ignorantia qu. 8. dicto 4. num. 18. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 10. n. 38.* & alii innumeri. Ergo. Confirmatur, quia quando Canon postulat *scienter* aliquid fieri, petit manifestè dolum. Ignorantia autem etiam crassa, & supina, sed non temeraria, excludit dolum, ut patet. Ergo qui non scienter, sed cum hac ignorantia librum vetitum, vel scripturam legit, aut retinet, excommunicationem non incurrit, ab ipsaque saltem (si non à culpa) excusatur. Et ita etiam docent *Sanch. l. c. Duard. in Bullam Cœnæ lib. 2. Can. p. qu. 36. à nu. 3. Bonac. tom. p. de Excommun. disp. 2. qu. 5. punct. 4. n. 8. & 9. Palao to. p. tr. 4. disp. 2. punc. 10. §. 2. n. p. Sanctarell. de Hæresi c. pr. dub. 5. n. 23. Diana to. 5. Coord. tract. 12. res. 36. n. 9. ex p. 4. tr. 7. res. 36. Navarr. in Man. cap. 27. n. 141. relatus à Duardo l. c. n.* 8. extendens apud ipsum privilegium nostrum ad omnes alias pœnas, dum ait ibidem: *Certum esse, quod quacumque ignorantia quis aliquid facit, verè non faciat scienter, & ita verè non continetur sub lege lata contra facientem scienter, saltem in foro conscientiæ: & si in foro exteriori interdum aliter præsumi posset. Tamb. in Decal. lib. 2. cap. p. de Fide n. 27. P. Pistacchius de superst. cap. 28. nu.* 3. aliique plures tum apud ipsos, tum allegati *in dictis privilegiis Capitis* 4. tum alibi pluries in Superioribus. Excipitur autem in privilegio, ignorantia cum ingenti temeritate conjuncta; quia si hæc ingens temeritas adest, jam adest scientia, cum talis ingens temeritas etiam per *c. c. Sanch. Duard. Bonacin.* & alios, non contigat sine gravi suspicione malitiæ: hinc *Bonac. n. 9. c. in fine:* sic: *Ingens temeritas dicitur, quando habetur magna suspicio pravitatis libri.*



CAPI-

CAPUT SEPTIMUM DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ

CIRCA SECUNDUM DECALOGI PRÆCEPTUM:

Non assumes Nomen Dei tui in vanum.

562 
Hoc idem præceptum habetur *Exodi* 20. & sub iisdem omnino verbis: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. Sicut autem in primo præcedenti Decalogi præcepto, præcipitur, uni, vero, & soli Deo, honorem Divinum exhiberi: ita in hoc secundo, divinum ipsius nomen; honore debito prosequi jubetur: simulque illud in vanum quovis modo assumere prohibetur. Assumitur autem sic, quotiescumque quis temerè, ac frustra, *jurat*, *blasphemat*, *aut malè vovet*, ut communiter tradunt Doctores, teste *Clavi Regia lib.* 5. *cap. p. in princip.* Idcircò in hoc secundo Decalogi præcepto (omissis privilegiis circa Blasphemias, de quibus egimus in *Privilegio* 4. *præcedentis Capitis*) afferam ignorantiæ privilegia circa Juramenta, & Vota, uti ad ipsum præceptum spectantia. Quare sit;

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Jurans falsum ex invincibili ignorantia, ob ignorantiam ipsam excusatur à mortali.

563 Juramentum derivatur à jure *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 89. *art. p.* quia pro jure, seu ad instar juris, & legis introductum est. Quandoque Sacramentum noncupatur, eo quia Religionis actus est, & rei Sacræ attestatio. Definitur autem, *Invocatio Dei in testem*: hinc jurare, est Deum in testem invocare: sic communis cum *D. Tho. l. c.* Unde duo necessariò requiruntur ad juramentum: & quod Deus invocetur: & quod invocetur in testem: sive id fiat expressè, ut dum quis ait, juro per Deum, vel per Trinitatem, per Christum, &c. sive tacitè, ut si quis juret per Evangelia, vel per Crucem, &c. aut per Creaturas, in quibus specialiter relucet bonitas, & potentia Dei; ut si juret per Sanctos, per Angelos, per Animam rationalem, per Cœlum, per Solem: in his enim, & similibus juramentis censetur creatura adduci in testem, non per se, sed quatenus dicit ordinem ad Deum; præsertim si addatur nomen Dei, ut si jures per Solem Dei, per ignem Dei, &c. Verum quidem est, quod si quis adducat creaturas, non per ordinem ad Deum, sed secundum dignitatem, quam in se habent, iste non censetur jurare; quia non intendit Deum adducere in testem suorum verborum, sed tantum per res humanas dictum suum confirmare. Qua ratione, voces istę, per fidem meam, in conscientia, fide boni viri, vel Religiosi, &c. multoties non sufficiunt ad juramentum, quia eas usurpantes, tantum significant se loqui ex veracitate, & fidelitate, quæ virum probum, Sacerdotem, Religiosum decet. Circa quod tamen inspicienda jurantis intentio, ita communiter Doctores.

564 Debet autem juramentum esse *justum*, *necessarium*, *& verum*. *Justum*, quia fieri nequit juramentum nisi de re licita, & honesta, unde fieret injuria gravis Deo si adduceretur in testem rei turpis: imò nec obligat juramentum factum de re sub peccato prohibita per quamcumque legem, sive naturalem, sive Divinam, sive humanam. Sicut nec obligat juramentum factum de re ex se indifferente, quia Deus non vult obligare ad aliquod vanum: quale esset v. g. juramentum non ludendi cum tali persona: non transeundi per talem viam, &c. nisi hoc haberet aliquid boni; ut si non ludendo cum tali persona; aut non transeundo per talem viam, effugeret jurans aliquam occasionem peccati, & ad id cavendum juraret. Nec præterea obligat juramentum factum de re contraria divinis Consiliis, ut si quis juraret non ingre-

di Re-

di Religionem: imò peccaret iste venialiter, quia Deum testem adduceret contra ipsius consilia: & si in comtemptum Religionis fieret juramentum, eatenus peccatum esset mortale. *Necessarium*. Quia nonnisi ex causa necessaria, & gravi fieri debet juramentum: Quare jurans sine necessitate, & in causa levioris momenti, peccat venialiter. *Verum*. Veritas autem juramenti in eo consistit, ut quod juratur verum sit. Unde juramentum assertorium obligat sub mortali ad dicendum verum, etiam in re levi, præterita, aut præsenti. Imò ioco falsum jurans: aut dubium ut certum: vel è contra certum, tanquam dubium, peccat mortaliter.

565 Peccat inquam mortaliter per omnes D. D. falsum jurans. A quo tamen mortali excusat ignorantia invincibilis, ut in proposito privilegio. Quod probatur. Quia sic jurans, deponit id quod existimat verum, & tantum materialiter falsum jurat, quo juramento non irrogatur Deo summæ veritati irreverentia. Hinc etiam *Trull. in Decalog. lib.* 2. *cap.p. dub.* 6. *n.* 3. sic: *Peccat ne mortaliter ille, qui ex ignorantia falsum jurat? Respondeo: Si ignorantia est invincibilis, idest, si facta debita diligentia, putat verum esse quod jurat, nullo modo peccat*. Et idem docuit ante *Navarr. in Man. cap.* 12. *n.* 6. extendens *n.* 7. privilegium nostrum, cum *Jo. Andrea in cap. Tua, de jurejurand. Angelo, & Silvest. verb. Periurium c. Homines* 22. *qu. p.* ad ignorantiam etiam crassam, vel supinam: ibi enim: *Qui per ignorantiam, quam crassam, vel supinam vocant, jurat falsum, credens se jurare verum, quamvis si debitam adhibet diligentiam, nihil peccet; si tamen aliquam adhibet, non amplius quam venialiter delinquit, secundum eosdem*. Quibus tamen non assentio, ut paulò infra sequenti numero 567. Confirmatur; Quia qui sic jurat, (ex ignorantia videlicet invincibili, & præmissa debita diligentia) non facit contra mentem suam, sed potius id jurat quod in corde, & in mente sentit; mentiri autem est contra mentem iri. Cum igitur ille non est contra mentem, verum formaliter dicit, licet materialiter per accidens sit falsum. Neque se exponit periculo jurandi falsum, qui jurat quod præmissa debita diligentia, ex ignorantia invincibili sibi videtur verum, jurat .n. quod moraliter certum est: ac proinde per accidens est, quod res non ita sit à parte rei: semper enim jurans præmissa debita diligentia, liber evadit à periurio. Et hujusmodi doctrina (consequenter propositum privilegium) admittitur nedum à præcitatis, verum à communi Doctorum: firmiter asserentium: quod, jurans rem falsam pro vera, credens tamen ex ignorantia (præmissa debita diligentia) esse veram, nullum peccatum mortale, vel veniale committit. Ita præcipuè *Sanch. in Decal. lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 14. *Tolet. libr.* 4. *Summ. cap.* 21. *n.* 3. *Versu Tertia quando, in fine. Azor. to. p. lib.* 11. *cap.* 4. *qu. p. in principio. Suar. de Relig. to.* 2. *lib.* 3. *cap* 5. *n.* 3. *Versu Secunda Regula*: ubi, *Quod doctrina hæc, communis est, & clara* (hinc & privilegium nostrum tale, commune videlicet, & clarum) *Sotus de Just. lib.* 8. *qu.* 2. *art.* 3. *conclus.* 6. *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 42. *nu.* 17. *Valent.* 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 7. *punc.* 3. *Versu, Si autem desit; & versu sequenti. Fagund. in Decalog. to. pr. in* 2. *precept. lib.* 2. *cap.* 6. *nu.* 7. alii apud ipsos, & communiter. Sed

566 Obiter hic quæres. An ex ignorantia invincibili jurans falsum, falsumque deponens, si ob ejus falsam depositionem aliquis notabile damnum patiatur, teneatur ad restitutionem? Respondeo negativè, cum *Cajet. in* 2. 2. *qu.* 70. *art.* 4. *Petro à Navarra de Restit. libr.* 2. *cap.* 3. *num.* 255. *Lessio de Just. libr.* 2. *cap.* 7. *dub.* 6. *nu.* 26. *& cap.* 30. *dub.* 7. *nu.* 55. *Pistacchio de Superstit. Cap.* 19. *n.* 59. Et ratio est, quia si ratione inculpabilis ignorantiæ excusatur ille à perjurio, & Dei offensa, magis excusabitur ab offensa proximi, & læsione ejusdem. Confirmatur, quia qui non peccavit, mortaliter saltem (ut hìc supponitur) in damno inferendo, nec tenetur damnum illatum restituere. Hinc computanda est (inquiunt citati) materialis illa damnificatio (si damnificatio dicenda est) inter eas, quæ casu fortuito accidunt, vel inferuntur. Ex qua doctrina infert etiam *Less. n. c.* 55. *in fine, cum Cajet. l. c.* jurantem falsum inculpabiliter ob invincibilem ignorantiam, non teneri cum vitæ periculo suum testimonium retractare. De qua re in sequenti privilegio.

567 An verò à restitutione item liberetur, qui ex ignorantia crassa, & vincibili, falsum jurat, ratione cujus alter damnum acceperit. Respondetur quod non, sed teneri ad restitutionem damnorum in solidum. Ratio est: quia sicuti falsum jurans ex tali ignorantia, non excusatur à mortali, ità nec eximitur ab obligatione restitutionis: & sicut peccavit mortaliter sic jurando, ità ad restitutionem damni illati tenetur, cum sic etiam injustè, & per injuriam proximum damnificaverit, sua

falsa

falsa atteſtatione jurata, ex ignorantia quidem, ſed culpabili, utpote craſſa. Quiſq; enim tenetur damnum, quod alteri paravit, & intulit, impedire, etiam cum pari damno ſuo, ut patet in aliis reſtitutionibus, ut famæ, honoris, & bonorum, & ex illa regula, *In pari damno potior cenſeri debet conditio innocentis*. Hocq; patet etiam ex *cap. Si tua culpa, de injur. & dam. dat. & ex cap. Parochianos de ſentent. excomunic.* ibi, *donec læſis congruè ſatisfaciant*. Et docent idem *Farinac. par. 2. Praxis, qu. 62. n. 5. pag. 308. col. 2. Leſs. dub. 7. c. n. 52. P. Piſtacchius n. c. 59. in princip. Fagund. in Decal. to. 2. lib. 8. cap. 42. n. p.* & alii ab eiſdem allegati. Et adeò ad reſtitutionem damni illati tenetur is, qui falſum juravit ex ignorantia quidem, ſed craſſa, ut *Leſs. dub. 7. c. nu. 53.* velit, (& cum ipſo *Fagund. cap. c. 42. n. 4.*) quod teneatur etiam ad retractandum ſuum dictum (ſi id profuturum putet) ratione cujus alteri mors, vel mutilatio eſſet inferenda, cum æquali etiam periculo vitæ, mutilationis, famæ, boni temporalis, aut honoris, ſi ſimile alteri ſui falſi dicti cauſa teneatur. Et idem docent *Filliuc. to. 2. tract. 40. cap. 8. n. 254. & Sayr. in Clavi Regia lib. 12. cap. 19. n. 8.* Ubi ſic: *Dubium eſt, ad quam reſtitutionem teneatur teſtis falſo deponens in judicio contra innocentem, cujus dicto, ad mortem innocens damnandus eſt: an teneatur cum propriæ vitæ periculo teſtimonium retractare, quo innocens à morte liberetur? In qua re certum eſt, quod ſi retractatio nihil eſt profutura, non tenetur illam facere, ſed ſolum reſtitutionem pro vita, & damnis, ut dicitur in materia reſtitutionis. Secundo certum eſt, ſi ex loco tuto, ſententiam ſuam revocare poteſt, ita ut proſit, non tenetur ſe coram judice prodere. Solum igitur quæſtio eſt, cum ita res ſe habet, ut niſi cum certo vitæ ſue periculo non poſſit illum liberare, an ad id teneatur? Nonnulli ejus opinionis eſſe dicuntur, ut putent non teneri, eo quod quiſque ſibi potius quam alteri conſulere tenetur, atque adeo videretur ſuæ morti cooperari, ſe offerendo, ut ſalvet innocentem.*

At, omnes quos ego hactenus authores legere potui, planè fatentur in hoc caſu teneri falſum teſtem cum vitæ propriæ periculo, & diſpendio, rectratare dictum ſuum, ut innocentem liberet à morte, cujus ipſe ſuo falſo teſtimonio cauſa fuit. Favet Cajet. 2. 2. qu. 70. art. 4. Sotus expreſſè lib. 4. de Juſt. q. 6. art. 3. in reſp. ad quartam, dub. 3. verſic. Gravius autem dubium. Jo: Medin. c. de reſtit. qu. 3. cauſa 4. ad quartum. Navarr. in Man. c. 25. nu. 17. verſic. 23. Petrus Navarra lib. 2. de reſtit. cap. 3. par. 2. dub. 11. n. 252. Ludov. Lopez par. pr. Inſtruct. Conſc. c. 69. in fine. Anton. de Corduba in Summ. Caſuum Conſcien. q. 17. verſic. Tertiò. Petrus de Aragon. 2. 2. qu. 62. a. 2. cont. 16. concluſ. 3. Toletus l. 5. Inſtruct. Sacerd. c. 59. in fine; & Emanuel Rodriquez tract. de Ordine Judiciali cap. 7. concluſ. 3.

Ratio eſt, quia licet unuſquiſque vitæ ſuæ magis, quam alienæ, providere teneatur, id tamen verum eſt ſolum cæteris paribus: ſed in hoc caſu innocens eſt in periculo mortis ob injuſtitiam à teſte factam contra illum, & cum cæteris paribus vita utriuſque ſit par, majus eſt jus penes innocentem injuſtè accuſatum, quam penes teſtem, ob cujus falſum teſtimonium vitam emittit. Ergo lege juſtitiæ cum vitæ periculo eum liberare tenetur, ſibique imputet teſtis quod ſeipſum in has anguſtias redegerit. Quamvis igitur in æquali gradu innocentiæ mibi plus tenear, quam proximo, cum ſint omnia paria, cum tamen ego ſum cauſa damni efficax, potior eſt alterius, qui innocens eſt, conditio. Quod tamen intelligendum eſt, ut diximus, dummodo putet retractatione ſua ſic damnatum fore liberandum, & non aliàs, ob rationem, dictam: ſi enim ſufficeret retractatio ejus in abſentia, & loco tuto conſtitutus, ſine vitæ periculo, tunc ſatis eſſet id Judici veritatem manifeſtare, miſſis literis, & proprio juramento confirmatis, etiam cum damno famæ, & honoris, ſibique imputet, qui hujus tanti mali cauſa fuit. Quod ſi alter non incurrit amplius periculum vitæ, eo quod vel jam ſuſpenſus ſit, aut vitam ſuam redemit, reconciliata, & ſatisfacta parte adverſa, tunc quidem ſufficit dictum ſuum præſtito juramento, retractare, & ſe in loco tuto conſtituere, donec ſatisfecerit parti offenſæ ſi adhuc vivus fuerit, aut filiis, & parentibus, ob damnum famæ, honoris, ac rerum temporalium ex tali teſtimonio falsò illatum, veniamque ſupplex petat. Quod ſi in vita id præſtare non poſſit, aut quia incurrat propriæ vitæ periculum, aut propter perpetuas inimicitias, quas veriſimiliter ex tali ſua retractatione ſecuturas animadvertit: aut quia facta tali reſtitutione, parum, aut nihil ei ſupereſſe novit, unde ſe, & familiam ſuam alere poſſit, tunc ſatis erit, quod in morte ſua dictum ſuum retractet, & meliori quo poſſit modo ſatiſfaciat. Hactenus *Clavis Regia toto nu. 8. cit.* Cujus doctrina, tota, & totaliter facit ad noſtrum reſponſum, ut patet de juramento falſo ex ignorantia craſſa, cum hæc nec excuſet in caſu propoſito à culpa mortali, nec ab injuſtitia, &c. Vide eundem *Sayr. n. 9.* ſequenti, ubi inquirit: Quid agendum ſit, quando teſtis falſo depoſuit, & eo retractante dictum ſuum, adhuc ſunt alii teſtes, qui

qui non retractant dicta sua : an scilicet teneatur testis ille in hoc casu rectratare dictum suum.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Ex ignorantia non culpabili, vel oblivione, falsum jurans, ob quod alter morti est condemnatus, excusatur à retractatione sui dicti, nec tenetur cum vitæ suæ periculo alterum eripere; sed neque ad damnorum factorum restitutionem aliquam obligatur.

568 Teneri ad dictam retractationem, necnon obligari ad restitutionem damnorum omnium, ex ignorantia crassa (consequenter culpabili) jurantem falsum, definitum videtur in præcedenti primo Privilegio : in hoc autem secundo, ab utraq; obligatione eximitur, si falsum juraverit, & deposuerit ex ignorantia, vel oblivione non culpabili, quod privilegium etiam sequitur ex præcedenti, ut constat, & admittitur expressè, & sub iisdem verbis à *Sayro l. c. n.* 11. *versu, Quintò*, dum ibi sic: *Si quis ignorantia non culpabili, vel oblivione falsum dixit testimonium, ob quod alter morti est destinatus, non tenetur juxta ea, quę dub. pr. proposit.* 4. *diximus, cum vitæ periculo illum eripere, sed neque ad damnorum factorum restitutionem aliquam obligatur. Ratio patet ex dictis, cum neque teneatur ratione rei, nihil enim positivè accepit : neque ratione injustæ dictionis, quandoquidem non perfectè, & formaliter falsum tulit testimonium, sed materialiter tantum, ac proinde ad ista non tenetur cum tanto suo damno, & incommodo. Si enim excusatur in hoc casu à perjurio, & Dei offensa, magis excusabitur ab offensa proximi, atque adeò à restitutione, juxta ea, quæ ibi dicta sunt. In qua tamen re diligenter cavendum est, ne sibi ipsi blandiatur quispiam, cum raro contingere possit ignorantia, & oblivio inculpabilis in tam gravi materia.* Hucusque *Sayrus*, & ante ipsum *Petrus Navarra de restit. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 255. sub sequentibus verbis : *Adnotat Cajet. in d. art.* 4. *quod si quis ignorantia quadam non damnabili, vel oblivione, falsum dicit testimonium, ob quod alter morti est condemnatus, non tenetur cum vitæ periculo illum eripere, & mihi ità videtur; imò nec ad damnorum factorum restitutionem ullam teneri putarem; & computanda est illa damnificatio, si damnificatio dicenda est, inter eas, quæ casu fortuito inferuntur : vel ex levissima culpa, quæ non obligare ad restitutionem satis ostendi.* Accedit etiam *Eman. Rodriq. in trac. de Ordine Judiciali cap.* 7. *conclus.* 5. & auctoritas eorundem doctorum, quos allegavi in præcedenti privilegio, sub *n.* 566. uti pariter faciunt ibidem dicta pro præsenti secundo proposito.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Quis se mihi offerens spontè, absque ulla videlicet inductione mea, ad jurandum id quod ex ignorantia, & bona fide putat esse verum, & si ego falsum norim, conducat tamen juramentum ad probandum verum, & tuendum jus meum, licebit mihi id permittere [nihil tamen cooperando] & uterque in hoc à culpa prorsus, etiam veniali, immunis erit.

569 Video hujusmodi privilegium, relatum, & admissum à *Sanch. par.* 2. *Operis Moral. l.* 3. *cap.* 8. *n.* 10. *in fine*. Et cum ipso, meritò approbatum à *Fagund. in Decal. to. p. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 18. quod præterea cum iisdem probatur. Nam & si verum sit, mihi (& nemini) licere eum ad jurandum inducere, quem scio falsum in reipsa juraturum, licet bona fide deceptum, putando id esse verum, ut docent *Azor. tom. p. lib.* 11. *cap.* 11. *quæst.* 2. *Versu Quæres*; idem *Sanch. n. c. Fagund. l. c. n.* 17. *Suar. de Relig. to.* 2. *De Juram. lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 8. *Pasqualig. Cent. p. qu.* 5. *Julius Mercor. in sua Praxi Opinionum limitata par. pr. art.* 5. & alii : ex. gr. mea interest ad tuendum meum jus aliquid probare, & est aliqua circumstantia, quam veram esse putat is qui vult jurare, & scio ego illam esse falsam : non est mihi licitum eum inducere, ut id quod bona fide verum putat, juret : quia & si jurans in opinione sua, ignorantiæ causa, non juret falsum nisi materialiter, jurat nihilominus id, quod reipsa ego eum inducens ad jurandum, falsum esse scio : quapropter ego eum inducens ad jurandum, nequeo excusari à crimine perjurii, cum inducam alterum ad afferendum Deum in testem rei falsæ : & id esse mortale credit *Sanch. l. c.* licet alii apud ipsum dicant tantum id non licere, non tamen asserunt sub mortali, vel veniali. Et si inquam mihi, & nemini, liceat eum inducere ad jurandum, si tamen absque inductione mea ille se offerat Judici ad id jurandum, quod ex ignorantia, & bona fide putat verum, licet ego sciam falsum esse, & conducat ad probandam rem meam veram, ne jure meo defrauder, licebit mihi tale juramentum permittere; quia in hoc casu jurans, nec venialiter

 peccat;

peccat; ratione ignorantiæ, & bonæ fidei: Ego verò permittendo prædictam circumstantiam, quam falsam esse scio, negativè tantum me habeo, nec utor eo testimonio ad falsum aliquid probandum; sed ad probandum id quod verum est, ac jus meum tuendum, quamvis ea circumstantia sit falsa. Ita *Sanch.* & cum ipso *Fagund.*

570 Tradita doctrina confirmatur, & privilegium propositum magis roboratur. Et si fas non sit deferre jusjurandum ei, quem puto pejeraturum, quia teneor tantam Dei injuriam, & proximi peccatum vitare, & impedire, nihilominus justa subsistente causa licitum id est, ut Judici si pars postulet, vel aliàs ratio officii exigat, &c. *D. Tho.* 2. 2. *quæst.* 98. *art.* 4. *in corp. Cajet.* ibidem, & communiter *D. D. de Juramento*; præcipuè *Lessius de Just. lib.* 2. *cap.* 42. *Dub.* 10. Ubi quod possum perjurio alterius uti in meum commodum: *etiamsi norim illum juraturum per Mahumetum, vel idolum; ut in contractibus, & aliis causis, ubi est justa ratio ad damnum, vel injuriam cavendam, & possum in his causis exigere, vel etiam cogere ut juret, non quidem determinatè tali modo, sed absolutè, & in genere: quod est quotidianum apud Mercatores, qui cum infidelibus contrahunt.* Ita *Less. dub. c. n.* 50. & alii communiter. Modò sic: Possum justa cum causa, & in meum commodum, ex Doctorum sententia, ut supra, juramentum exigere ab eo, quem puto pejeraturum formaliter, ergo potiori ratione, & multo magis permittere: potero juramentum mihi spontè, & absque ulla mei inductione oblatum, in mei commodum, & ad tuendum jus meum, imò ad probandum verum, ut in proposito privilegio, quotiescumque falsitas juramenti ignorantiæ causa est tantum materialis, ut in casu nostro, nec ullam omninò culpam includit, neque venialem. Patet ex se consequentia hæc, nec eget probatione.

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Juramentum suum esse obligatorium invincibiliter ignorans, si juret se aliquid facturum, vel non, nec obligationem contrahit illud adimplendi, nec culpam non adimplendo, ignorantia ipsa excusante.

571 HUjusmodi privilegium admittit utique *Sanch. in Decal. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 10. *in fine*, loquens de Juramento, & *lib.* 4. *c. p. n.* 25 loquens de Voto (sed eadem est ratio de Voto, & juramento) dum docet expresfsè, talem ignorantiam excusare in juramento, ut in proposito privilegio; & quoad votum etiam, expressè dicit: Votum non obligare quando vovens existimabat illud non esse obligatorium, aut hoc ignorabat, quia de tali obligatione nunquam cogitavit. *Sanch.* sequitur *Fagund. in Decal. tom. p. Præcept.* 2. *cap.* 9. *nu.* 15. Probatur igitur privilegium propositum. Quia jurans, re vera nullam obligationem per juramentum intendit sibi imponere (& idem dic de vovente) sed id solum enunciare vult, quod per juramenti verba significatur, credens ea non obligare, vel ignorans obligationem ipsam. Hoc tamen intelligendum est (ut advertunt etiam citati) nisi ignorans juramenti, & voti, ac promissionis naturam, velit eo modo jurare, & promittere, quo ceteri jurant, & promittunt, quia tunc virtualiter, & implicitè se obligare vult. Aut nisi ignorantia sit vincibilis: eo quod scilicet, dubitans de obligatione juraverit, & promiserit, cum ignorantia hæc non auferat omnino voluntarium, nam cum sic dubitans juraverit, voluit consequenter, & virtute quicquid obligationis ex juramento consurgit; & idem dic de Voto. *Suar. de Relig. to.* 2. *De Juram. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 18. videtur dissentire ab hoc privilegio, dum existimat dictam ignorantiam non excusare, quia & si illa ignorantia, quando est invincibilis, excuset in obligationibus, immediatè, & directè pendentibus ex voluntate contrahentis, non tamen excusat in consequentibus naturaliter ex priori actu, velit, nolit agens: nam si tunc actus ex quo sequitur obligatio, fit voluntariè, sequitur necessitate naturali, obligatio, non obstante ignorantia. Verum rectè quidem loquitur *Suarez*, inquiunt *Sanchez nu.* 10. *cit.* & *Fagund. l. c.* (ego quoq; cum ipsis) sed consequenter ad suam opinionem quam habet idem *Suar. eo cap.* 7. *c. à n.* 11. Vide *Sanch. eodem cap.* 10. *n.* 8. & 9.

PRIVILEGIUM QUINTUM.

Juramentum præstitum ex ignorantia dante causam jurandi, jurantem non ligat; imò à culpa eum liberat ignorantia ipsa, ac excusat, etiam si is non ponat actum juramento promissum.

572 HOc idem privilegium admitti à Doctoribus communiter nedum, verum etiam certissimum esse, & à nemine negari, quando maximè ignorantia dans causam juramento versatur circa substantiam

tiam rei juramento promissæ, est aperta, & expressa conclusio *Fagund. in 2. Decal. præcept. lib. 2. cap. 13. n. 27. Concl. p.* in qua sic: *Quando error, seu ignorantia antecedens, & dans causam contractui, & juramento, est circa substantiam rei juramento promissæ, nihil prorsus ualet juramentum, nec relaxatione indiget: & hæc est certissima, & à nemine negatur. Et ita præter Authores numero præcedenti allegatos, qui absolutè loquuntur, speciatim docent Suar. tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 11. n. 5. Less. to. p. de Just. lib. 2. cap. 42. dub. 7. nu. 33. Sanch. to. pr. Decal. libr. 3. cap. 11. nu. 42. Exemplum sit, ut si quis juret alicui dare rem, quam putet esse vitream, & postea inveniat esse gemmam, non tenetur tali juramento, quia est error circa substantiam. Idem si juravit se ducturum in vxorem Mariam, putans esse Martham. Ratio est aperta, quia error, & ignorantia circa substantiam, tollit absolutum consensum, ac proinde reddit irritam promissionem, & Matrimonium, ut latè probat Sanch. libr. pr. de Matrim. disp. 18. nu. 12. Errantis enim circa substantiam rei, nullus est consensus, nulla voluntas; ut est commune Jurisperitorum effatum, deductum ex lege, Si per errorem, ff. de Jurisd. omn. Jud. & leg. cum testam. & lege, non idcircò C. de juris, & facti ignorantia.* Ita *Fagund. nu. 28. c.* ubi pro eodem sumit ignorantiam, & errorem, licet ut ipsemet notat *n.* 24. ignorantia latius pateat, quam error. Igitur si ignorantia antecedens, & dans causam juramento, illud idem facit irritum, & nullum, ità ut nec relaxatione indigeat, multo magis à culpa excusabit jurantem, promissa in juramento non adimplentem: sicque verum consequenter, ac indubiè privilegium propositum.

573 Initio dixi (Quando maximè ignorantia dans causam juramento versatur circa substantiam rei juramento promissæ) quia error, & ignorantia versari potest vel circa substantiam rei, ut si putes vitrum esse gemmam: aurichalcum esse aurum: & in Matrimonio, si putes, te ducere Bertam, cum Mariam ducas. Vel circa qualitatem, ut si putes vinum esse album, cum sit rubrum; domum esse ampliorem, cum sit stricta; gemmam esse majoris valoris, & minoris invenias, & his similia. Quando circa substantiam versatur ignorantia, & hæc juramento causam dedit, nulli dubium verificari tunc, & à nemine reprobari nostrum propositum privilegium, ut dictum est, & constat ex se, cum desit consensus jurantis, & sit irritum juramentum. Posset esse difficultas quando ignorantia versatur circa solam qualitatem rei juratæ, etiam si ignorantia sit antecedens, & dans causam promissioni, ac juramento: an videlicet, quando etiam circa rei qualitatem versatur ignorantia, antecedens tamen, & dans causam, &c. de ipsa pariter verificetur privilegium propositum, ad ipsamque extendatur. Et quamvis aliqui apud *Fagund. l. c. n.* 29. negativè sentiant: dicantque juramentum esse validum, & obligare tunc in conscientia, consequenter non excusari à culpa jurantem promissis non stantem, non obstante ejusdem antedicta ignorantia; quia & si error, & ignorantia causam dederit juramento; & promissioni, ita ut nullo modo fuisset facta jurata promissio, nisi adfuisset talis ignorantia: tamen quia error, & ignorantia fuit tantum circa rei qualitatem, non circa substantiam illius, ignorantia ipsa non sustulit consensum absolutum, nec fecit actum involuntarium omnino circa substantiam rei, sed solum sustulit consensum secundum quid, id est, circa accidentia, & qualitates rei juramento promissæ, atq; adeò ad illam nec extenditur, nec extendi debet privilegium positum. Nihilominus.

574 Respondeo ego, extendi. Et dico, quotiescumque ignorantia est antecedens, & dans causam promissioni, & juramento, quamvis sit tantum circa rei qualitatem excusare etiam semper à culpa, ut in proposito privilegio, nil minus ac excuset ignorantia circa rei substantiam. Pro hac extensione sunt Doctores, qui (apud *Less. de Just. lib. 2. cap. 42. dub. 7. n. 34. in princip. & Fagund. l. c. n. 26.*) non distinguentes de errore, dolo, & ignorantia circa substantiam, vel qualitatem rei, de utraque generatim loquentes, docent simpliciter juramentum non obligare, cui dolus, error, & ignorantia causam dederit, nec relaxatione indigere. Sunt & alii, qui distinguentes etiam inter errorem (dantem causam juramento) vel ignorantiam quoad substantiam, & quoad qualitatem, expressè sunt cum nostra responsione, & extensione, & hi sunt *Less. nu. 34. c. & 35.* & apud ipsum *Navarr. in Summ. Latina cap. 12. nu. 13.* ubi insinuat hanc esse sententiam communem. *Sylv. Verbo Jurament. 4. qu. 8. ex Arcbidiacono. Panormit. Jo: Andrea, & Federico:* item *Sà Verbo Juramentum:* expressè *Panormit. in cap. Cum contingat 28. n. 3. & 23. de Jurejurando. D. Antoninus 2. part. tit. 10. cap. 6. §. Quintus Casus, & Covarr. lib. 1. Variarum cap. 4. n. 7.* Ubi approbat sententiam *Panormit.* Hos

omnes citat, & sequitur *Lessius* allegatus, nec reprobat *Fagund. l. c. n.* 30. & 31. Probatur ergo primò nostra responsio, & privilegii propositi extensio, cum eodem *Lessio*. Quia ubi error est, & ignorantia antecedens, & dans causam contractui, & juramento, totaliter excluditur voluntas *lege* 2. *ff. de dolo:* Ubi autem excluditur voluntas absoluta, excluditur consensus, & ubi non datur consensus, non datur juramentum. Secundò probatur; Quia juramentum non obligat extra mentem, & intentionem jurantis, sicut nec votum, *cap. Quintavallis, & cap. Veniens, de jurejurando:* atqui intentio jurantis non est se hoc casu obligare, nam ejus mens tacitè repugnat; si enim sciret rei qualitatem nollet promittere, nec contrahere, ergo &c. Tertiò, quia Deus non acceptat juramentum, nisi secundum intentionem ejus, qui bona fide jurat, non autem secundum intentionem ejus, qui fraude extorsit, *Cap. Humanæ aures* 22. *qu.* 5.

575 Exemplis res confirmatur ex eodem *Lessio n.* 35. Primò. Juramento promisisti puellæ nuptias, putans esse Virginem; postea intelligis talem non esse, excusaris à peccato non exequens, quia non teneris juramento, ut omnes fatentur, & tamen error est circa qualitatem personæ, non circa substantiam, nec circa ipsam personam. Et ratiò est, quia error, & ignorantia antecedens dedit causam promissioni, & juramento, non enim promisisses, nec jurasses, si scivisses; & prudentum judicio hic casus censetur exceptus. Secundò juramento promisisti emere domum Petri, quam putabas bonam, & firmam, & postea deprehendis vitium in fundamentis, vel esse subiectam spectris, non teneris ob eandem causam. Tertiò, Puella dolo, & ignorantia inducta à fratribus renuntiavit hæreditati paternæ cum juramento pro certa dote, non tenetur tali juramento si putabat hæreditatem esse mediocrem, & postea inveniat multo plus valere. Quartò, vendidisti domum tuam, & juramento promisisti stare contractui; postea reperis te graviter læsum, potes agere ad supplementum pretii, non enim juramento intendisti cedere juri tuo, si ex ignorantia deceptus esses in pretio. Hæc exempla affert, & approbat *Less. n.* 35. *c.* & in omnibus error, & ignorantia est circa qualitatem, non circa substantiam rei, ut patet: *nec contra illius sententiam sic explicatam* (ita concludit *nu.* 31. *c. Fagund.* consequenter contra extensionem nostri propositi privilegii) sunt aliqua argumenta difficilia. An verò sic se habeat etiam in Votis: hoc est, an sicut quando ignorantia est circa substantiam rei, antecedens, & dans causam Voto, excusat à culpa si non adimpleatur votum, ità etiam excuset eadem ignorantia pariter antecedens, & dans causam circa qualitatem, aut circa extrinseca accidentia ipsius Voti, videbimus infra, *Privileg.* 8. *n.* 583.

PRIVILEGIUM SEXTUM.

Ignorantia etiam concomitans, quando hæc versatur circa substantiam rei juramento promissæ; non circa qualitatem ipsius, excusat à culpa non exequentem promissa cum juramento.

576 IDem sonat omninò hoc Privilegium ut patet, ac id quod asserunt ii, qui affirmant non ligare, irritum esse, nec relaxatione indigere juramentum, ex errore, dolo, & ignorantia præstitum, quamvis hæc non dederit causam promissioni, contractui, & rei juratæ, sit tamen error, dolus, & ignorantia concomitans, & circa rei substantiam, non circa qualitatem illius. Quod docent (consequenter approbant propositum privilegium) *Sanch. in Decal. lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 43. *& lib.* 7. *de Matrim. disp.* 18. *n.* 6. ubi probat hujusmodi errore, & ignorantia concomitante irritari Matrimonium. *Suar. to.* 2. *de Relig. libr.* 2. *de Juram. cap.* 11. *nu.* 13. *P. Del Bene de Juram. cap.* 2. *dub.* 14. *n.* 9. (aliis pluribus ibi allegatis) *Fagund. in* 2. *Decalogi præcep. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 28. *Palao par.* 3. *de Juram. disp.* 2. *punct.* 5. *n.* 6. ubi, quod hæc sit omnium sententia. Et ratio est, quia ad valorem juramenti necessarius est consensus, uti & illius obligatio pendet ex voluntatis consensu positivo, hic autem esse non poteit cum adest error, & ignorantia (quamvis concomitans) circa substantiam rei, ergo neque obligatio: ergo non exequens promissa juramento, ut in privilegio proposito, excusatur à culpa, nec culpam ullam contrahit. Non refert autem, quod hujusmodi ignorantia concomitans non efficiet actum esse involuntarium positivè (hoc est) contra voluntatem propriam repugnantem; facit tamen involuntarium negativè, hoc est, non facit positivè voluntarium, cum efficiat actum esse non voluntarium, ac proinde sufficiat si contingat circa substantiam rei, ad tollendum consensum absolutum, & necessariò requisitum ad valorem juramenti, promissionis,

fionis, &c. ità *Sanch. n.* 43. *c.* & cum ipso *Fagund. n.* 28. *c.* ubi addit: Hoc adeo verum esse, ut nec etiam valeat, aut obliget juramentum factum cum errore, & ignorantia concomitante si sit circa substantiam rei, quamvis jurans, tempore ipsius juramenti hunc actum eliceret, *Jurarem si scirem dari errorem circa substantiam rei juramento promissæ, & esse alteram rem ab ea, quam modo promitto*, oportet enim ad juramenti valorem, ut eo tempore, quo juramentum fit, actu detur intentio jurandi, & non sufficit quod id juraretur, & intentio promittendi haberetur, etiam si sciretur dari errorem, & ignorantiam rei promissæ. Sicuti ad valorem matrimonii cum errore concomitante personæ, non sufficit, quod tempore matrimonii istiusmodi actus eliceretur *Ducerem, si nossem esse Mariam, quam puto esse Annam*; sed oportet ut sit actu consensus de præsenti; ver. gr. *te duco etiam si sis Maria*. Et ratio est, quia ad Matrimonium, & juramentum exigitur consensus de præsenti, & non sufficit de futuro, qualis datur in eo consensu conditionali, *ducerem, & jurarem etiamsi scirem dari hic errorem, & ignorantiam circa substantiam:* ita *Fagundez.* quod docet etiam expressè in Matrimonio *Sanch. n.* 6. *c.* multis aliis allegatis. Et in terminis juramenti *Suar. de Relig. to.* 2. *lib.* 2. *de Juram. promiss. c.* 11. *n.* 8. *Del Bene dub. c.* 14. *n.* 17 & 18. item *Tambur. in Decalog. lib.* 3. *cap.* 3. *de Juram. promiss. n.* 23. *in fine*; advertens in principio, quod non solum quando error, seu ignorantia est in accidentibus talibus, ut ex se redundet in substantiam, nullus est contractus, nulla promissio, & irritum juramentum, sed etiam quando similis error, vel ignorantia in accidentibus, dat causam contractui, quando scilicet juramento promittens, vel contrahens, ideo contrahit, quia illam qualitatem vult (quod & nos superius insinuavimus) & concludens in fine (quod approbat ad literam privilegium nostrum) quod puto habere locum tum in errore, seu ignorantia, vel dolo antecedente, idest, sine quo promissio, vel contractus non fieret, tum etiam in concomitanti, id est, quo errore posito, vel ignorantia, fieret, sed tamen non fit promissio jurata, vel contractus, jam enim utrobique non adest consensus juramento, promissioni, vel contractui essentialis: consequenter præstitus cum dicta ignorantia non est obligatorius, etiam si juratus, redditq; à culpa immunem non ponentem actum juratum ex ignorantia tali. Tandem aliis omissis, tum veteribus, tum recentioribus, idem docet *Palao nu.* 6. *c.* ex qua doctrina infert *n.* 7. juramentum ex tali ignorantia præstitum, & promissioni, sive contractui appositum, irritum esse, & bene: quia appositum fuit ad firmandum id, quod jurans in mente habebat, non quod de facto fuit sub juramento promissum. Et cum juramentum non extendatur ultra id, quod cogitatum est, & in mentem venit, non potest extendi ad firmandum promissa ex errore, & ignorantia substantiali exhibita, & celebrata. Et hinc est, quod si hæc non ponantur, nec exequantur, nulla intervenit culpa, ignorantia ipsa excusante, ut in privilegio proposito.

577 Et ex his facilè intelliges, quando juramentum contractibus, & promissionibus appositum, obligationem inducat. Inducit namque obligationem quotiescumque ipsam inducit contractus, vel promissio, quia ad illius firmitatem assumitur; secus verò quando contractus nullus est, nullaq; promissio. Quæ nullitas quia sæpè provenit ex ignorantia antecedenti, vel concomitante, & circa substantiam rei (ut toties in hoc, & aliis præcedentibus privilegiis dictum est) ideò tunc ignorantia ipsa, reddens irritum juramentum, aufert illius obligationem, & culpam consequenter, si non exequatur res jurata. Vide *Palaum punct.* 5. *c. n.* 12. *vers. ex his. & P. Del Bene dub.* 14. ubi *n.* 8. *Versu suppono* 6. advertit, & bene: nihil referre, utrum juramentum præstetur dolo alterius, an mera ignorantia, aut dolo mero jurantis, absque injuria aliqua sibi illata, quia injuria sola, aut dolus solus, non deficiente consensu, non sufficit ad impediendum valorem juramenti: & in auferendo, vel non auferendo consensum, æqualia sunt dolus, & ignorantia, vel error: differunt autem solum quoad injuriam, in solo dolo comprehensam, quæ se sola non confert ad tollendum valorem juramenti, ut dictum est. Quare ad discernendum quando dolus, ignorantia, vel error censeatur talis ut excuset à culpa non exequentem rem ipsam juratam, videndum est, an fuerit talis quod abstulerit consensum jurantis in rem juratam, defectu enim hujus consensus redditur nulla promissio, & juramentum nullum, ac proinde immunis etiam à culpa redditur is, qui ob id non adimplet, nec ponit rem juratam, ut in hoc privilegio, & præcedentibus etiam ponitur. Vide *Suarez de Relig. tom.* 2. *Tract. de Juram. cap.* 11. *nu. pr.* & 2.

578 Ante-

578 Antequam autem huic eidem Privilegio Clausuram ponam, advertat Lector cum eodem *P. Del Bene dub.* 14.-*c. nu.* 15. quod quando Doctores dicunt, nosque supra cum illis, juramentum respectu rei circa quam versatur ignorantia, aut error, esse irritum, excusari à culpa, ob eandem ignorantiam non exequentes illud, &c. intelligi debent, uti & privilegium ipsum propositum, de re ex ignorantia, vel errore jurata, quæ sit individua: nam si res circa quam quis errando juravit esset dividua, & respectu unius partis tantum adfuerit error, & ignorantia, non autem respectu alterius, juramentum non obligat respectu illius partis, circa quam adfuit error, & ignorantia, & circa hanc currit privilegium: obligat autem respectu alterius partis, quia respectu alterius adfuit verus consensus, uti supponitur. Ita *Del Bene n.* 15. *c.* addens *nu.* 16. idem prorsus dicendum esse, etiam si hujusmodi ignorantia, vel error circa substantiam rei juratæ, non sit quidem dans causam promissioni, & rei juratæ, sed concomitans, seu incidens: quia ad valorem juramenti, & promissionis requiritur consensus, & voluntas positiva: At ignorantia, & error concomitans quamvis non efficiat actum esse involuntarium, efficit tamen esse non voluntarium, & tollit actualem consensum in rem juramento promissam, & circa quam erratur. Et hoc idem est quod & nos supra affirmamus; & habent D.D. quos sequuntur *Suar. & Sanch.* supra: item *Bonac. de Juram. disp.* 4. *qu. p. punct.* 8. *n.* 3. *& De Contractib. per dolum celebratis disp.* 3. *qu. pr. §.* 1.

PRIVILEGIUM SEPTIMUM.

Ignorantia invincibilis, etiam crassissima, & imprudens, versans tamen circa substantiam rei juramento promissæ, excusat à culpa non exequentem id quod juramento promisit.

579 HOc idem privilegium posuit *P. Del Bene in suo tract. de Juram. cap.* 2. *dub.* 14. *n.* 19. dum ibi docuit sic: *Nihil refert, sive ignorantia, error, vel dolus sit invincibilis, & prudens, sive crassissimus, & imprudens; quia uterque circa substantiam rei contingens irritat juramentum. Aufert enim directum consensum, directamque voluntatem.* Si ergo hujusmodi ignorantia, quamvis crassissima, & imprudens aufert consensum, quem utiq; aufert, & irritat juramentum, absolvit consequenter, & excusat à culpa non exequentem rem, etiam juramento promissam. Ergo verum privilegium propositum, quod videtur admissum etiam à *Sanch. lib.* 7. *de Matrimon. disp.* 18. *n.* 7.

PRIVILEGIUM OCTAVUM.

Non adimplens Votum, etiam juratum, emissum ex ignorantia invincibili circa substantiam rei votæ, excusatur à culpa, & transgressio ipsa, dictæ ignorantiæ causa, culpa non est.

580 COmmuniter admittitur hoc privilegium à Doctoribus, ut videre est apud ipsos agentes de Voto, & Juramento. Et una omnium ratio est: Quia error, & ignorantia antecedens, & invincibilis, reddunt Votum involuntarium, invalidum, & absque consensu, qui enim errat, non videtur consentire. *l. Nihil consensu* 116. *de Regulis juris.* Adde, quod Votum debet esse omnino liberum, emissum autem cum dicta ignorantia, & errore, caret libertate, consequenter etiam obligatione. Igitur si dicta ignorantia tollit validitatem Voti, aufert consensum, & obligationem; excusat utique etiam à culpa ipsam transgressionem, si transgressio propriè noncupari potest, quando Votum sua validitate caret. *Gobat in Quadruplici Alphabeto*, plura congerit, *De Votis Ignorantium, & errantium Casu* 4. videatur. Sed

581 Fortasse hìc immediatè obiiciet quis: Si non est culpabilis dicta transgressio ratione voti sic emissi, ignorantia excusante; erit saltem culpabilis ratione juramenti voto superadditi, de quo superadito item loquitur privilegium propositum, ut patet. Tam etenim Votum, quàm juramentum, propriam continet obligationem, & una obligatio distincta est ab altera, ita ut juramentum voto superadditum inducat novam obligationem. Votum enim est voluntaria promissio Deo facta, de meliori bono, ut communiter Doctores ex *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 88. *art. p. &* 2. quæ promissio fieri potest Deo, cum, & absque juramento: si hoc secundo modo fiat, tenebitur promissionem Deo factam exequi, sed obligatione Voti tantum; quæ obligatio tollitur emisso Voto ex ignorantia, ut in privilegio; at non ob id aufertur obligatio quam inducit Juramentum, si hoc superadditur Voto (ut in casu nostro) quia hæc obligatio distincta est ab illa, ut dictum est,

& adeo

& adeo distincta, ut duplici vinculo implere quisque teneatur, & peccatum duplex committat non implendo: quod utrumque peccatum, necessariò etiam in confessione est exprimendum, ut docent (præter alios) *Suar. to. 2. de Relig. lib. 2. De Juram. cap. 2. n. 3. Pala. par. 3. tract. 14. disp. 2. nu. p. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 27. n. 26. lib. 9. disp. 15. n. 6. & in Decal. lib. 3. cap. 9. n. 8. & P. Pistacchius De Juram. cap. 12. nu. 2.* Esto igitur quod transgressio Voti ex ignorantia emissi non esset culpabilis, talis erit causa juramenti superadditi, sicq; ruit privilegium propositum. Huic tamen obiectioni respondeo, negando absolutè consequentiam. Ad antecedens, concedo quidem tam votum, quàm juramentum voto superadditum inducere propriam distinctam obligationem, & culpam (si non impleantur) & utramque etiam necessariò in confessione esse exprimendam, ut assumitur: At nec unam, nec alteram, in casu, & privilegio posito, intervenire dico, ignorantia ipsa utramq; culpam excusante. Et ratio est evidens: Quia juramentum in privilegio appositum, debet intelligi appositum ad firmandum votum, quod ipse vovens ex errore Deo promisit, cum juramentum (ut dici solet, & advertit etiam *Less. de Justit. lib. 2. qu. 42. dub. 7. nu. 34. versu Hæc sententia)* sequatur naturam actus super quem cadit: non enim additur ut mutet qualitatem actus; sed ut illum secundum naturam ipsius confirmet. Unde cum ipsum juramentum non extendatur ultra id quod voventi in mentem venit, & excogitavit quando promisit, & cum promiserit ex errore, & ignorantia circa substantiam rei votæ, hinc est quod si non exequatur promissio, & votum, nulla intervenit culpa, nec juramento respondens, ignorantia excusante, ut in privilegio. Pro quo concludendum ergo, & pro vera ejusdem subsistentia; & sustinendum, dictam transgressionem nec unicam culpam includere, nedum duplicem. Sed

582 Quæres primò, quænam ignorantia censeatur esse circa substantiam Voti, seu rei votæ, ita ut reddat irritum Votum, excusetque à culpa in transgressione ejusdem. Respondeo cum *Fagund. in Decalog. to. p. lib. 2. præcep. 2. cap. 13. à n. 32. P. Pistacchio De Votis to. p. tract. p. cap. 4. n. 2.* & aliis apud ipsos. Quod ignorantia circa substantiam voti, est: *Primò*, quando ignorantia est circa partem notabilem rei voto promissæ. Ut si vovens peregrinationem Lauretanam, putet illam esse decem dierum, & sit viginti: voto non tenetur, quia nonnisi ad dimidiam operis partem intendebat se obligare. Secus verò esset, si error, seu ignorantia esset solum circa modicam partem respectu totius, quia tunc excessus ignorarus non censetur exclusus, nisi constet de contraria intentione voventis; ut si intendebat se absolutè ad talem peregrinationem obligare, non curando quantum esset, aut quot dies in tali peregrinatione essent insumendi. *Secundò*, contingit circa substanriam Voti, quando ipsa ignorantia versatur circa materiam operis promissi: Ut si quis voveat certum numum, quem argenteum putat, & aureus est. Vel si voveat ingredi certum Monasterium, quod putabat esse Ordinis Sancti Benedicti, & est Ordinis Sancti Augustini. Vel putans disciplinam Religiosam ibi esse integram, cum tamen ipsius essentialia non serventur. Secus verò, si ignorantia, & deceptio esset solum circa alia minutiora: aliàs, si horum ignoratio irritaret votum, ut arguit etiam *Sotus de just. lib. 7. qu. pr. a. 2. ad prim. argumentum*. Et excusaret à culpa violationem ejusdem, eo quia in illo etiam minutiora essent agnoscenda, nullum simplex Religionis votum obligaret; cum labores maximè, & difficultates, etiam non principales, quæ sunt in Religione, nunquam satis citra experientiam percipiantur. *Tertiò*, quando ignorantia est circa personam cui opus præstandum est: ut si voveas elargiri eleemosynam huic, quem putas esse Cajum, cum sit Titius. *Quartò*, cum ignorantia est circa causam formalem, ut si voveat quis dare eleemosynam Petro, quem putat esse pauperem cum sit dives; tunc enim non subest ratio formalis eleemosynæ, quam vovit, quæ fuit miseria paupertatis, quam sublevare intendebat, quæ esse non potest, ubi opes sunt, & non est paupertas, quæ elevetur. *Quintò*, quando ignorantia, & error versatur circa causam finalem vovendi extrinsecam, quia hoc modo ignorantia, & error etiam in substantiam Voti redundat, quamvis non semper, sed tunc solum, quando Votum fit ad aliquem finem à Deo impetrandum, tanquam merces operis voti. Ut si voveat quis peregrinationem pro salute Matris, quam putat ægrotare, cum non ægrotet, vel jam objerit; quia peregrinatio non vovetur absolutè, sed ut medium ad expulsionem morbi Materni: ergo est ignorantia, & deceptio circa substantiam ejus,

ejus, quod vovetur. Adde quod tale votum habet tacitam conditionem: si morbo laborat: si tali bono careat; peregrinatio namque non vovetur absolutè, sed cum restrictione ad talem finem. Idem dic, quando votum fit ad aliquem finem principalem obtinendum, & postea animus mutatur. Ut si quis vovit peregrinationem Lauretanam, ut felix sibi contingat matrimonium, & postea velit cælebs vivere, quia accessorium sequitur suum principale: igitur cessante fine, cessat votum, quod se habebat ad illum accessoriè. *Sextò*, quando ignorantia est circa vim Voti: ut si vovens credat votum non obligare, nisi sub culpa veniali: vel posse à seipso facili negotio relaxari: talis enim ignorat naturam actus, quem facit, & ideò ad illum obligari: quia hæc ignorantia redundat in substantiam Voti: & quotiescumque ita in substantiam redundat (ut in hucusque dictis cum *Fagundez*, *P. Pistacchio l. l. c. c. & Lessio* apud ipsos) reddit utique irritum votum, atque adeò à culpa immunem transgressionem ipsam.

583 Quæres secundò. An sicuti ignorantia circa substantiam rei votę, antecedens, & dans causam voto, excusat à culpa si votum (etiam juratum) non adimpleatur; ita pariter excuset eadem antecedens ignorantia (& dans causam) circa qualitatem, aut extrinseca accidentia ipsius voti. Respondeo negativè: quamvis enim eadem ignorantia antecedens, & dans causam (circa qualitatem) excuset in juramento promissorio, ex dictis in præcedenti privilegio quinto *nu.* 573. secus tamen se habet res in votis. Quia votum licet non valeat quando ignorantia, & error antecedens, & dans causam voto, est circa substantiam voti, valet tamen quando est circa qualitatem, aut circa extrinseca accidentia ipsius voti: ut docent *Cajet. in Summ. Verbo Votum*, *§. Ex parte*. *Sancb. in Decal. lib.* 4. *cap.* 2. *à nu.* 10. *Fagund. in Decal. libr.* 2. *Præcept.* 2. *c.* 13. *n.* 32. *P. Pistacchius de Votis to. p. tract. p. c.* 4. *n. p.* & alii communiter. Et ratio est, quia si talis ignorantia tolleret obligationem voti, redderet illud invalidum, & illius transgressorem excusaret à culpa, quot Regularium professiones essent invalidæ? quot irritarentur? Multa enim superveniunt Religioni, vel latent, quæ si ab initio cognita fuissent, noluissent homines profiteri, & sic nihil in statu Religioso firmum, ac stabile esset. Sufficit ergo ut votum obliget (sive simplex sit, sive solèmne) notitia eorum, quæ rei, vel actui ipsius voti sunt intrinseca, & alic modo ad substantiam pertinent.

584 Addo cum *Sancb. n.* 10. *c.* Ignor tiam voventis circa qualitates, circunsta tias, & accidentia extrinseca rei votæ ea contenta, quæ si penetrasset omninc aut advertisset, vel expertus fuisset, ne tiquam vovisset, non eum eximere à v obligatione: Quia ea, quæ in particul non penetravit satis, nec fuit expertu sunt, quę in voto, & promissione contine tur, suntque annexa rei promissæ, pro deque ea etiam promisit, sicque sibim imputet, si rem non satis expensam, & c gnitam promisit. Imò ex eo quod non p misisset, nec vovisset, si dictas circunsta tias, qualitates, vel difficultates cognov set, rectè solum deducitur id votum n emittendum, nec fore voluntarium iisde cognitis: at postquam absolutè, & absq aliqua conditione votum emisit, nec ad v vendum ductus est ex dictarum circu stantiarum, qualitatumve, aut difficult tum ignorantia, votum est absolutè volu tarium, validum, & obligatorium, atqu adeo non est locus excusationi ob hujusm di ignorantiam in transgressione ejusdem Præterquamquod valor voti, non petit om nium circunstantiarum, qualitatum, difficultatum considerationem, sed conte tus est deliberatione ad culpam mortale sufficienti. Ità *Sancb. n. c.* cum aliis ibiden & alibi ab ipso relatis.

585 Ratio autem cur ignorantia (circ qualitatem) antecedens, & dans causam excuset in juramento promissorio, secus t men in Voto, petenda est, ex doctrina quam habet *Lessius de Just. lib.* 2. *cap.* 4 *dub.* 7. *n.* 34. *versu Hæc sententia*, quam approbat idem *Fagundez. n. c.* 32. *in princi* Quia videlicet juramentum promissoriu non additur ut mutet qualitatem actus sed ut illum secundum naturam ipsius co firmet: Juramentum enim (ut dici solet sequitur naturam actus super quem cadi Unde actus retinet omnes suas conditio nes, & tacitas restrictiones quas aliàs p se habet: nisi jurans expresse aliud inte dat, volens sibi etiam in illis libertate adimere. Præterea: Quia juramentum pro missorium interpretandum est, si res i eodem statu permanserint, si notabilite mutatæ non fuerint, ut docet *Sylv. Ver Juram.* 3. *qu. p. §. Nam tertiò*, ex commu ni D. D. sententia: non censentur auten manere in eodem statu, quando postea ali quid se aperit, quod antea latebat, nan paria sunt in jure, aliquid supervenire, &

apparere,

apparere, seu incipere cognosci: sicut è contrario, paria sunt non esse, & non apparere, ut colligitur *l. 77. ff. de contrahenda empt.* Tandem, quotiescunque post juramentum evenit casus aliquis, quem prudenti judicio non censeris voluisse tua promissione comprehendere, non obligaris ex vi juramenti: igitur si à principio adsit idem casus, sed ignoretur, non censetur comprehensus promissione, ita ut obligeris quando sciveris. ita *Lessius l. c.* At secus res se habet (ut dictum est) in Votis: tum ob reverentiam Divini Numinis, cui vota fiunt: tum propter inconvenientia, & absurda, quæ sequerentur, si ignorantia, & error antecedens circa qualitatem, & accidentia voti, tolleret obligationem voti (consequenter excusaret à culpa illius transgressionem) ut notant *Cajet. in Sum. verbo, Votum, §. Ex parte, in fine. Fagund. nu. c.* 32. & alii; videantur.

PRIVILEGIUM NONUM.

Ignorans invincibiliter in vovendo difficultates voti magni momenti, excusatur à culpa non adimplens illud.

586 Hoc privilegium habes apud *Sanch. Operis Moral. lib. 4. cap. 2. n. 11. in princip.* sub his verbis: *Si sit positivus error circa difficultates magni momenti, notabiliterque existimationem voventis superantes, quibus cognitis non vovisset, votum est involuntarium, & irritum:* consequenter non obligat sub culpa ad sui adimpletionem. Et apud *P. Pistacchium de Votis to. p. tract. p. cap. 4. n.* 4. sub hiscemet: *Qui invincibiliter in vovendo ignoravit difficultatem adimplendi votum, non tenetur illud implere: Quia ignorantia, & inadvertentia, tunc non excusant, quando sunt vincibiles, quod enim ignorantia vincibili non cognoscitur, & efficitur, est voluntarium, saltem indirectè, ut docet D. Th. p. 2. qu. 76. art. 3. Ignorantia autem invincibilis antecedens actum, sive sit juris, sive facti, excusat omninò actum illum à culpa, quia reddit omninò involuntarium, & irritum. Sanch. eodem cap. nu.* 14. Ergo, &c. Hinc si quis ex. gr. (& ita etiam exemplificat ad casum propositi privilegii *Sotus de Just. lib. 7. qu. p. art. 2. col. 6. versu Sciscitaris autem*) si quis inquam, deceptus, credens firmiter in tali Religione non servari ciborum delectum, nec jejunia, aut quidpiam aliud difficile, quod si prænosset, nunquam vovisset, votum non obligat, excusatque talis deceptio, & ignorantia à voti impletione, & à culpa in transgressione. Rursus si quis invincibiliter errans, & credens, existimet Romam non longè distare, cùm longissimè distet: aut Hierosolymam adiri posse absque navigatione; quam ob causam is deceptus, & ignorans, peregrinationes has voveret, non ligaretur voto, nec peccatum contraheret non exequendo, excusante ignorantia ut supra. Vide *Sotum l. c.* & eundem *Sanch. n. 11. cit.* ubi in fine advertit, & optimè, nil referre, quod deceptio, & error proveniat ab alio, vel à seipso; idest ab ignorantia propria, & proprio errore, undecumque enim proveniat error, deceptio, & ignorantia, si hæc sit antecedens, & dans causam voto, utique excusat, quando est circa difficultatem gravem: secus verò si circa levem, & minutiora voti: quod docent & alii apud *Sanch. eod. n.*

587 Et in dictorum, ac propositi privilegii confirmationem, adde, legale illud principium, quod videlicet, *Errantis nullus est consensus, text. in l. 9. Cod. de Jur. & facti ignor.* & si nullus est errantis consensus, ergo nec ignorantis; tum quia error est ignorantia positiva, ut dicitur, seu de re aliqua falsum judicium; tum quia ignorantia, quàm vocant negativam, seu nescientiam, creberrimè non minus repugnat consensui, quam positiva; atqui sine consensu votum non obligat (cum nemo se obliget qui non habet animum se obligandi) nec consensus adest cum dicta antecedenti, & invincibili ignorantia circa graves voti difficultates, ut certum est (cum nequaquam fieret votum, si loco ignorantiæ, scientia, seu cognitio dictarum gravium difficultatum adesset) ergo cum tali ignorantia non obligat votum, consequenter ignorantia ipsa, sive positiva sit, sive negativa, sive à vovente ipso proveniens, & à proprio errore, sive ab alio cum deceptione, excusat transgressionem à culpa. Ergo verum propositum privilegium.

PRIVILEGIUM DECIMUM.

Ignorantia invincibilis in vovendo circunstantiarum gravium voti, excusat quandoque à culpa voventem, si non adimpleat illud.

588 Patet hoc privilegium ex præcedenti: & præterea, quia dicta circumstantiarum gravium ignorantia quandoque elidit robur voti, ergo tunc non ligat voventem, & eximit consequenter à culpa voti ejusdem non observantiam;

consequentia hæc sequitur: antecedens probatur: quia vovens cum tali ignorantia, & errore dictarum gravium circumstantiarum non videtur assentire obligationi voti: etenim non videntur consentire qui errant: *l. nihil consensui, ff. de reg. jur.* Fundatur hoc privilegium in doctrina eorum, qui docent, quod quando ignorantia in vovendo est circa circumstantias magni momenti, notabiliterque existimationem voventis superantes, quibus cognitis non vovisset, votum est involuntarium, & irritum, consequenter non obligans sub peccato ad sui obseruantiam: Sunt autem *Less. de Just. lib. 2. cap. 40. dub. p. n. 5. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 2. n. 11. ex Soto, Aragon., Lopez, & Rodriq.*, & alii plures, quos sequitur *Leander in Decal. to. 2. tract. p. qu. 13.* Fundatur etiam hoc idem privilegium in altera doctrina, quam habes apud *Suar. to. 2. de Relig. lib. p. cap. 11. n. 6. 8. & 11. Filiucc. tract. 26. cap. pr. n. 18. Layman. lib. 4. tr. 4. cap. p. nu. 5. vers. De errore. Tamburin. in Decal. lib. 3. cap. 13. n. 4. Pala. par. 3. trac. 15. de Voto disp. p. punc. 6. n. 3. & 4.* & apud alios communiter: Quia videlicet ignorantia talium gravium circumstantiarum redundat quandoque in objectum voti; & adeò, ut moraliter existimentur ad rei votæ substantiam pertinere: etenim circumstantiæ ignoratæ voti, sunt sæpè ità graves (ait *Palaus n. 4. cit. Versu Dixi notanter*) ut redundent in voti objectum, & ut meritò censeri possint immutare objectum; in quo casu, sicuti ignorantia ipsa impedit quod objectum voti sit cognitum, ita & quod sit volitum; atque adeò etiam impedit voti ejusdem obligationem, consequenter à culpa immunem reddit ipsam voti transgressionem, ut in proposito privilegio.

589 Quod verum est, sive ignorantia sit negativa, scilicet mera nescientia; sive positiva, idest error, falsum judicium, aut deceptio à seipso, vel ab alio cum injuria. Ratio enim excusationis, & irritationis voti, in casu nostro, provenit simpliciter ab ignorantia, & à defectu voluntatis. Quod verò id proveniat ab ignorantia negativa, vel positiva, cum deceptione à seipso, aut ab alio: cum injuria, vel sine, parum refert, & undecumque hæc proficiscantur idem consurgit effectus in ordine ad privilegium propositum. Quod addo cum *Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 2. nu. 11. Tambur. cap. 13. c. in princip. & Leandro l. c. qu. 12. in fine* contra quosdam apud eundem *Sanch.* & alios, admittentes traditam doctrinam cum distinctione, & limitatione tantùm: quando videlicet defectus proficiscitur ab ignorantia positiva, & ab errore positivo, quo quis decipitur, non quidem à seipso, sed ab alio: reddunt rationem, ob injuriam videlicet voventi irrogatam. At injuria non est ratio (ait etiam *Leander l. c.*) quia Deus cui vovetur, nullam intulit; & sæpè nec homo decipiens, quia & ipse ita esse existimabat. Sed ratio est supra tradita, nempè defectus voluntatis, & consensus, qui defectus cum idem reperiatur in eadem ignorantia, & errore eodem, undecumque provenienti, nil refert, ut dictum est, unde ille proficiscatur, & sive sit cum injuria, sive absque illa. Vide *Suar. l. c. n. 4.*

590 Debet autem esse hujusmodi defectus, & ignorantia, circa graves, & notabiles circumstantias rei votæ (ut in privilegio) non autem circa leves, & minutiores (quod docent etiam communiter Doctores) Leves etenim, seu levioris momenti circunstantiæ voti ignoratæ, utpote accidentia veluti extrinseca rei voto promissæ, non tollunt liberum consensum voluntatis, seu mavis dictarum circunstantiarum leuium ignorantia, non aufert consensum, nec irritat votum, ergo nec excusat à culpa ipsam voti non obseruantiam: conse quentia sequitur: antecedens probatur tum quia posita etiam dicta leuium circunstantiarum ignorantia, & posito tali errore habetur nihilominus perfecta deliberatio & cognitio objecti secundùm suum ess substantiale, ergo consensus liber volunta tis, consequenter votum validum, & obl gatorium, excusationemque non admi tens. Tum etiam quia valor voti per loquendo non exigit omnium circunstanti rum, difficultatum, ac conditionum co siderationem, sed contentus est deliberati ne tali, quæ sufficiat ad peccandum mo taliter, at hæc non aufertur, per se loque do, ab ignorantia, & errore versante c ca accidentia rei: ergo cum in voto fac per ignorantiam, vel errorem accidentaler contineatur ejus perfectio essentialis, e etiam obligans ad sui obseruantiam, ab excusatione ignorantiæ titulo; quam exc sationem, seu priuilegium, admittit s circunstantiarum grauium, & notabiliu ignorantia, ut supra.

591 Quando autem id contingat, & c eunstantia ignorata sit hujusmodi, prud tis Theologi, & Confessarii arbitrio rel quitur, qui judicabit in particulari, p derata objecti qualitate, & consider qualitate materiæ, & circunstantiarur

cum

cum certa regula generalis hic dari nequeat, nec possit id definiri : ut bene notat *Suar. cap. c.* 11. *n.* 13. *in fine* ; & cum ipso *Pala. punc.* 6. *c. sub n.* 4. *Versu Dixi notanter in fine*. Censeris ita vouere , cum ignorantia videlicet grauis , notabilisque circunstantiæ obiectum immutantis , votumque irritantis, si voueas ex. gr. ire Hierosolymam credens absque nauigatione ire posse , excusaris à peccato non adimplens votum , non enim teneris voto. quia erras in obiecto voti , cum non voueas viam quæ necessaria est, ut Hierosolymam peruenias, sed aliam tuo errore confectam. Et idem est, si existimes Hierosolymam prope esse; cum tamen longè distet: quia longam viam voto amplexus non es. Ita *Suar. cap. cit.* 11. *n.* 8. *Sanch. in Decal. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 11. *Bonac. tom.* 2. *disp.* 4. *qu.* 2. *punc.* 3. *§.* 2. *n.* 3. *Pala. par.* 3. *disp. pr. punct.* 6. *sub n.* 3. *versu Variis exemplis. Trull. in Decal. to. pr. lib.* 2. *dub.* 4. *n.* 3. *Leander in Decal. to.* 2. *tract. pr. disp.* 11. *qu.* 12. & alii communiter. Insuper si voueas Religionem Cartusianorum , vel Minimorum, ignoranter credens ibi liberè vesci carnibus , nequaquam obligatus manes , & excusaris à peccato nedum votum non adimplens, sed nec etiam non sumendo aliam Religionem in qua licitum sit vesci carnibus: tuum etenim Votum nequaquam fuit de Religione absolutè, sed de tali Religione, Cartusianorum, vel Minimorum , in qua hæc licentia vescendi Carnibus adesset. Cum autem nulla sit talis Religio, cessat votum ex defectu materiæ promissæ , consequenter obligatio , & sic etiam culpa (ob non obseruantiam) ignorantiæ titulo, & causa, ut in privilegio. Sic etiam *Suar. cap. c. n.* 12. & cum ipso *Pala. l. c.* Denique, si voueas per ignorantiam versantem circa finem voti, siue causam finalem, & motiuam, excusaris pariter à culpa non adimplens , eo quia talis ignorantia, & error impedit valorem voti . Ratio est , quia finis voti est formalissimum voti obiectum : Ergo si in illo adsit error, & ignorantia , voti objectum esse non potest , ac proinde votum non tenet, nec contrahit culpam non adimplens . Præterea quia hujusmodi votum censetur factum sub tacita conditione si causa finalis, & motiua subsistat ; ita *Pal. l. c. nu.* 5. *Trull. dub. c. nu.* 7. & alii apud ipsos.

592 Loquimur autem hic cum eodem *Palao n.* 5. *c.* non de fine communi omnibus votis, qui est divinus cultus, & honor, qui si deficiat votum subsistere nequaquam poterit; eo quia sic materia capax voti haud remanebit. Sed de fine speciali , & intrinseco materiæ per votum promissæ , qui si deficiat, mutatur obiectum promissum, & per consequens cessat promissio , & à culpa immunis redditur non adimpletio. Vel de fine aliàs quidem extrinseco , verum quia prætenditur per tale votum obtineri, ad ejusdem voti objectum formaliter pertinet. Exemplum primi fit. Intrinsecus finis eleemosynæ, est subleuatio alienæ miseriæ , qua subleuatione cessante , eleemosyna esse nequit. Si ergo voueo ego elargiri Petro eleemosynam, illa credens indigere , cum tamen verè ea non indigeat , eo quia Petrus diues est; voti obligatio cessat. Quia cessat voti obiectum, quod fuit eleemosyna. Sicque, &c. Secundi exemplum fit: Voueo ego peregrinationem ad Lauretanam ædem ob recuperandam salutem Patri meo, quem existimo infirmum , cum tamen sanus sit: vel jam vita functus, & id ignoro : non tenet votum , quia illud absolutè emitto tanquam medium ad impetrandam meo Patri sanitatem, vel vitam, quod est impossibile , ideoque votum non tenet, & ob id, ejusdem non obseruantia à culpa absolutè immunis est : à qua semper excusatur inobseruantia ipsa quotiescumque ignorantia, & error impedit valorem voti, ejusdemque obligationem, ut in dictis, & aliis casibus, qui ad abundantiam videri possunt apud allegatos, & alios agentes de votis ignorantium , & errantium : optimè definientes quinam sint hi qui in vouendo laborant ignorantia circa voti substantiam , obiectum , & materiam ; vel circa partem ejusdem notabilem: circa personam , causam finalem , aut motiuam : vel circa grauem, notabilemq; circunstantiam ; & ratione ejusdem ignorantiæ excusantur à culpa, nec peccatum committant iidem, etiam si faciant contra emissum votum. Videantur.

593 Aduerto tamen hìc cum *Layman. lib.* 4. *tract.* 4. *cap. p. n.* 5. *versu De Errore in fine*. Votum professionis solemnis (instar matrimonii carnalis) ob nullam ignorantiam rei votæ , & promissæ , ad ejusdem substantiam non pertinentem , infirmari . Quod docet & *Sanch. de Matrim. libr.* 10. *disp.* 9. *n.* 18. *usq. ad* 20. (idque, ut notat etiam *Gobat in Alphabeto de Voto , Casu* 4. *nu.* 112. communi usu receptum videtur) qui *Sanch. in Decal. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 4. idem sentiendum esse ait de votis simplicibus , quæ Societatis Jesu Religiosi emittunt transacto biennio. Cum enim per professionem

ſolemnem, & per illa vota veri Religioſi conſtituantur, ineantque matrimonium ſpirituale cum Chriſto, per ſolum errorem, & ignorantiam ad ſubſtantiam votorum profeſſionis pertinentem, ab eorundem obligatione liberantur, & à peccato excuſantur contrafacientes eidem profeſſioni. At loquendo de aliis materiis, & ſimplicibus votis, verificantur omnia ſupradicta; imò eſt regula tradita à *D. Tho. in 4. diſt. 38. qu. p. art. 3. quæſtiuncula p. ad p.* & aliis, quos refert, & ſequitur *Sanch. cap. cit. 2. n. 23.* hujuſmodi: *Id liberat voti, vel juramenti obligatione, quod ſi à principio accidiſſet, aut notum fuiſſet, impediret ea fieri*. Quam regulam intelligendam eſſe præcipuè de impedimento ſe tenente ex parte materiæ, non autem ſe tenente ex parte voluntatis, explicat *Sanch. ibid.*

594 Et nedum ignorantia grauium circunſtantiarum, quæ jam aderant tempore voti, reddit irritum votum, excuſatque à peccato vouentem, ponentem actum contra illud, ut in propoſito priuilegio; verum etiam juxta doctrinam *Molinæ de Contract. lib. tract. 2. diſp. 272. n. 3. verſu Deinde ea*. Etiam earum circunſtantiarum ignorantia, quæ præter, vel contra opinionem ſuperueniunt rei votæ, ſeu promiſſioni jam factæ: do verba *Molinæ*, quæ ſunt ſequentia. *Earum rerum mutatio deobligat promittentem ab impletione promiſſionis, quæ, ſi ei occurret quando promiſit, eam exciperet, de eave interrogatus tunc, reſponderet, mentem ſuam non eſſe, in eo eventu ſe obligare. Sicut enim in generali non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus, ſi occurrerent, ut habetur Regula* 81. *in* 6. *ita in promiſſione non veniunt eventus, qui, ſi in ſpeciali cum bis, & illis circunſtantiis propoſiti fuiſſent excepiſſet promittens, quando promiſit. Neque alius poteſt eſſe melior interpres ſuæ propriæ promiſſionis, quam is qui promiſit, eſto abſolutè promiſerit, nec quidquam de eventibus inopinatis, tunc cogitaverit. Quando namque ſuperveniunt, interrogandus eſt, an ſi illi, dum promiſit, occurriſſent, aut propoſiti fuiſſent, diceret, mentem ſuam fuiſſe in illis ſe non obligare, quod ſi id reſpondeat, cenſendi ſunt non fuiſſe comprehenſi. Exempl. Grat. Voviſti Deo te ſemper die Veneris jejunaturum, neſciens hoc anno feſtum Nativitatis caſurum in diem Veneris; ad judicandum, an eo die poſſis carnibus veſci, interrogandus es, an ſi, dum votum emiſiſti, tibi occurriſſet, eo anno feſtum Nativitatis die Veneris celebratum iri, eum diem excepturus fuiſſes, quod ſi affirmanter reſponderes, certè non teneris. Si verò trepides, & plus juſto ſis timoratæ conſcientiæ, arbitrio prudentis judicandum eſt, te non teneri jejunare, nec enim credendum eſt, te eo die abſtinere, voluiſſe à carnibus, & eſſe ſingularem cum familiæ onere imparandis aliis cibis. Similiter, ſi magnas eleemoſynas voviſti, & ad tantam inopiam redactus es, ut ſi id prævidiſſes, eas promiſſurus non fuiſſes, non teneris voto. Idem dicendum eſt de aliis ſimilibus eventibus, qui prudentis arbitrio judicandi ſunt, ſpectata quantitate, & qualitate mutationis rerum, collataque cum re promiſſa, atque conſideratis cæteris circumſtantiis.* Hactenus *Molina*; ex cujus doctrina conſtat, & quod ignorantia etiam circunſtantiarum, quæ ſuperueniunt rei votæ, ſeu promiſſioni jam factæ reddit irritum votum in parte, vel in totum, excuſatque à peccato (quandoque ſaltem) ponentem actum contra illud, ut dictum eſt. De qua re etiam *Sanch. cap. c. 2. n. 29. & Gobat Caſu 4. cit. ubi n.* 114. referens eandem doctrinam *Molinæ*, dicit ipſe non eſſe improbabilem: & *n.* 115. refert *Jacobum Marchantium in Reſol. Paſtor. p. p. cap. pr. n. 16. Sylveſtr. Verbo Votum 2. qu. 17. in fine, & Verbo Juramentum 3. qu. p. §. 3. in fine. Navarr. in Summa cap. 18. n. 7. Tabienam Verbo Jurare n. 35. Henriq. lib. 11. cap. 14. in fine, & Leſſium de Juſt. cap. 42. dub. 7.* reuera conſentientes quidem recitatę doctrinę *Molinæ*, ſed abſtrahendo ab ejuſdem exemplis; eo quia hæc à quibuſdam admittuntur, ab aliis verò non, ut videre eſt apud eundem *Gobat n. c.* 115. Circa autem ignorantiam Voti. Hic obiter quæres; An qui ſibimet certam pœnam per Votum impoſuit, ſi delictum aliquod commiſerit, v. gr. elargiri decem florenos in eleemoſynam, ſi fornicatus fuerit: teneatur ad pœnam ſoluendam, ſi Voti immemor inuincibiliter, delictum illud committat. Reſp. negatiuè cum *Sanch. lib. 4. Summ. cap. 22. n. 18. & Gabriele Beato in q. q. Selectis qu. 18. n. 28.* Quia pœna jure nouo impoſita, etiam pro facto, aliàs jure naturali damnato, non incurritur ab eo, qui jus illud inuincibiliter ignorat, ut toties alibi etiam dictum eſt. Sed Votum obligat ad modum legis, cum ſit veluti lex quædam priuata, quam homo, circa promiſſam materiam, ſibimet ſpontè imponit; ergo quando inuincibiliter ignoratur, vel de eo habetur inuincibilis obliuio, non incurritur pœna ab eo ſtatuta; tunc enim non violatur.



PRIVI-

PRIVILEGIVM UNDECIMUM.

Ignorantia etiam vincibilis in vovendo (modo non sit affectata) circa substantiam , vel finalem causam voti, excusat à culpa voventem, si non adimpleat illud, imò si exerceat etiam contrarium actum illi.

595 PRobatur : Quia ignoti nulla est voluntas : qui autem ignorat (quoad substantiam maximè) ignorantia non affectata , rem quampiam , nihil cognoscit in obiecto , & si illud non cognoscit neque vovet, & si non vovet, nec voluntatem consequenter habet vovendi, seu ad illud se obligandi. Igitur ignorantia ipsa & si vincibilis , & eneruat vim voti, & immunem à culpa reddit voventem ponentem actum contrarium, ut in proposito privilegio, quod referunt etiam, & approbant *Laymann. Lib. 4. tract. 4. c. p. n. 5. Filliucc. tract. 26. n. 21. & Gobat Casu c. 4. n. 108.* Excipitur autem ignorantia affectata, quia hæc (ait *Filliuc. n. c.*) est directè volita. Præterea quia, sicuti qui ignorat ignorantia vincibili non affectata rem quampiam, nihil cognoscit in obiecto; ità quem tenet ignorantia affectata (inquit & *Gobat n. c.*) virtualiter saltem dicit, nolo examinare obiectum, eo quia si id scirem, non promitterem fortè illud Deo : Ex.gr. nolo examinare quid sit propriè Virginitas, fortè enim si scirem id , illam Deo haud promitterem : promitto tamen , quia toties legi , toties audivi , summè placere Deo: quidquid ergo illa sit eam polliceor: ita *Gobat* , concludens postea , huc facere id , quod scripsit *Tamburin. in Decalog. libr. 3. cap. 13. n. 3.* sic generatim dicens: *Si quod est de substantia nescias , vovens tamen , prout res in se est , & prout alii vovent (id quod ex animo tuo colligendum erit) reus eris voti: quia tunc tacitè* (vel dic implicitè) *consentis in substantiam voti .* Scio *Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 2. n. 14.* non approbare privilegium propositum , requirit enim ibi inuincibilem ignorantiam , quæ ad excusandam culpam omnino requiritur. *At ad obligationem voti* (illi obûcit *Filliuc. n. cit. 21. in fine* , & ego cum ipso) *probabile est requiri voluntarium in se , actuale , vel virtuale .*

CAPUT OCTAVUM
DE PRIVILEGIIS
IGNORANTIÆ
CIRCA TERTIVM DECALOGI PRÆCEPTVM

Sabbatha Sanctifices.

596 PRæceptum hoc habetur in lege veteri *Exodi cap. 20. Memento , ut diem Sabbathi Sanctifices* . Fuit autem Sabbatum divina lege designatum pro festo populo Judaico in memoriam beneficii creationis, & liberationis populi Judaici à dura servitute Pharaonis , & etiam in memoriam requiei , quam Christus Dominus in Sepulchro erat illo die habiturus. *Palao to. 2. tract. 9. punct. p. n.p.* Cùm autem præceptum sanctificandi Sabbatum in memoriam creationis Mundi fuerit cæremoniale , & divinum, & lex illa cessaverit, cessavit quoque Sabbati sanctificatio , cui festo , in lege Gratiæ (ne videremur cum Judæis convenire) succedit dies Dominica : cujus diei sanctificatio non est de jure divino, sed tantùm humano, seu Ecclesiastico, & initium sumpsit ab Apostolis, *Palao punct. c. n. 2. 3. & 4.* & alii . Fuitque Sabbatum , in diem Dominicam potius , quàm in aliam translatum, seu commutatum: quia in ea fuit Mundus creatus : Christus Dominus Incarnatus , Baptizatus : à mortuis resurrexit : missus Spiritus Sanctus ; & eo die futura est generalis resurrectio : idem *Palao l. c. n. 7.* & alii super hoc eodem præcepto in principio . Constituit etiam Ecclesia alia festa celebranda, in quibus diebus, uti & in Dominicis ex ejusdem præcepto tenentur fideles ab operibus seruilibus abstinere : ita ut mortaliter peccent (nisi excuset ignorantia) si notabiliter (sine causa) hujusmodi præceptum transgrediantur , à principio diei festi usque

usque ad finem illius; idest juxta vulgarem computationem, à media nocte, usque ad mediam noctem. Seruilia autem opera tantummodo vi hujus præcepti prohibentur. Unde cùm tres tantùm operum species distingui possint, videlicet, Opera animæ, ut orare, meditari, studere, & quæ alia ad hæc eadem reuocantur, ut concionari, disputare, docere, legere, scribere, transcribere, &c. Opera merè seruilia, & mechanica, qualia dicuntur quæ præcipuè sunt propter commoditatem corporis, & à seruis fieri solent, ut agros colere, vestes conficere, & similia. Et Opera corporalia omnibus communia, ut iter facere piscari, venari, uti Musicis instrumentis, &c. Secundi tantum generis, aut speciei opera, idest seruilia, prohibitum est fidelibus exercere in diebus festis sub reatu lethali, nisi excuset paruitas materiæ, & temporis, specialis necessitas, urgens causa, vel ignorantia, de qua tantum juxta nostrum institutum, sit ergo.

PRIVILEGIUM UNICUM.

Qui in die festo ex hujus præcepti ignorantia probabili exercet opus servile, excusatur à culpa, & à reatu formali.

597 ITà etiam expresſè *Suar. De Relig. to. p. lib. 2. De diebus festis cap.* 31. *n. p.* sub his verbis: *Dicendum est, gravem esse obligationem hujus præcepti, atque adeò transgressionem ejus ex suo genere peccatum esse mortale, licet in individuo possit esse veniale ex levitate materiæ, aut excusari ex conscientia erronea probabili, vel ex aliqua simplici inadvertentia, & cogitatione.* Hoc privilegium negabit nullus, imò negari nequit, esset enim concedere posse haberi formalem transgressionem præcæpti peccaminosam, ignoto præcepto, quod quis dicet? esset namque idem ac admittere, posse dari peccatum non voluntarium, & voluntatem ferri posse in incognitum, quod utrumque quis affirmabit? Ergo.

Agunt hìc Doctores de Institutione festorum, quærentes ad quos spectet diem festum instituere. Item de operibus seruilibus mechanicis in particulari, à quibus abstinere fideles tenentur ex præcepto diebus festis, quæ cum sint extra sphæram tractationis nostræ, ut patet, ea omittimus. Nonnulli etiam agunt de præcepto audiendi Sacrum festis diebus, uti valdè conjunctum cum hoc tertio Decalogi præcepto de iisdem festis sanctificandis, ac colendis. Verum, quia præceptum audiendi Sacrum diebus festis, est primum Sanctæ Matris Ecclesiæ præceptum, de hoc eodem nos agemus cum de priuilegiis ignorantiæ circa illud idem primum Ecclesiæ mandatum, facientes hìc immediatum transitum ad quartum decalogi præceptum. Unde sit

CAPUT NONUM
DE PRIVILEGIIS
IGNORANTIÆ

CIRCA QVARTVM DECALOGI PRECEPTVM

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram.

598 

Xodi cap. 20. habetur hoc præceptum iisdemmet verbis: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut si longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Parentum autem nomine intelligun tur: Primò illi, qui nos genuerunt. Secundò ii, qui aliqua co gnatione sunt nobis conjuncti, ut Fratres, Aui, Conjuges, &c Tertiò Superiores nobis, ut sunt Prælati, & Pastores Ecclesi erga Subditos: item Principes laici, & Gubernatores comparatione suorum subdito rum. Quartò, qui curam nostram gerunt, ut sunt Tutores, & Curatores, Pedag gi, & Magistri. Agunt ergo Doctores sub hoc Præcepto: Primò, De obligatior Filiorum erga Parentes suos. Secundò, De obligatione Parentum erga suos Filios Tertiò, De obligatione seruorum respectu suorum Dominorum. Quartò, De oblig tione

tione vicissim erga suos. Quintò, De Clericis erga Prælatos. Sextò, De Prælatis in Clericos. Septimò, De Subditis, & Vassallis comparatione suorum Principum. Octauò de Principibus erga subditos suos. Nono de mutua obligatione Viri, & Uxoris. Decimò de mutua obligatione Discipulorum erga Magistros. Et quia obseruantibus hoc præceptum, temporalis etiam Vitæ longitudo promittitur, si aliquando Deus ipsam vitam præripit adolescentibus optimè indolis, fit hoc Diuino consilio, & in majus illorum bonum, tum ne communium temporum adversitatem, & acerbitatem patiantur. Tum ne malitia mutet eorundem intellectum: ut videre est apud *Cathechismum Pii V. in Expositione hujus præcepti sec. 19. Sayr. in Clavi Regia lib. 7. cap. 4. num. 8. Bonac. to. 2. disp. 6. quæst. Unica, punc. p. propos. 2. n. 4. in fine*. Et alios. Quoniam autem ignorantiç privilegia, quæ hic adduci possunt ad hujusmodi quartum Decalogi præceptum attinentia, ad primum tantum caput ex positis præmissis pertinere videntur: omissis aliis posteribus, super quæ modo nil occurrit particulare proponendum, duo ignorantiæ privilegia hic tantum afferemus, quæ ad ipsum propriè, & formaliter, primariò, ac directè spectare videntur: Sit igitur

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Filius graviter peccans contra Parentum reverentiam, circunstantiam tamen personæ offensæ in confessione Sacramentali, ex ignorantia non aperiens, excusatur à culpa, nec reddit ob id confessionem invalidam.

599 Honor, qui Parentibus debetur ratione generationis, & substantiæ, quam ab eis filii accipiunt, & de quo præceptum hoc loquitur in tribus consistit, videlicet, in eos amando, obediendo, & reverendo, tam corde, quam verbo, & opere. Sic communiter Doctores super hoc quarto Decalogi præcepto in principio. Cui præcepto (ut observat etiam *Navarr. in Man. cap. 14. n. 4.*) non est contrarium illud *Evangelii Luc. 14. Qui non odit Patrem suum, & Matrem, & Uxorem, & filios, & fratres, & sorores, &c. non potest meus esse discipulus:* Nil enim aliud id sibi vult, quam quod idem Dominus dixit *Matth. 10. 37. Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus:* idest, quod vult Deus, ut diligamus quidem, amemus, audiamus, & honoremus parentes, non tamen plus, neque tantum, sicut eum: & quod quando præceperit ille aliquid, quod parentum imperio repugnet, tunc ipse præferatur. Certum est autem tum ex vi hujus præcepti, tum ex jure ipso, ac dictamine naturæ, Filios teneri parentibus reverentiam exhibere, eosque revereri actu interiori, & exteriori. Interior reverentia consistit in recognitione superioritatis per timorem quemdam filialem: exterior verò in verbis, & signis: honorificè ex. gr. loquendo, non detrahendo de parentibus, assurgendo, caput inclinando, famulando, impediendo damna, &c. *Navarr. cap. cit.* 14. aliique communiter.

600 Hinc sequitur, graviter peccare Filios, qui Parentes odio prosequuntur: qui aliquod malum grave animæ, vel corporis exoptant: qui eos spernunt; aut conviciis, vel maledictis afficiunt, aut percutiunt, etiam leviter (imò etiam si filius tantum elevet manum cum sufficienti deliberatione ad percutiendum: hæc enim communi hominum existimatione gravis injuria, & irreverentia in parentes reputatur) aut ad gravem iram eos provocant; nisi occasio fortasse sit accepta, & non data. Qui maledicta in parentes etiam mortuos deliberatè, & ex animo conjicit: quod peccatum pœna mortis puniebatur *Levit. 20.* In his communiter Doctores. In quibus casibus, etiam communiter docent, teneri Filios aperire in Confessione personam Patris, vel Matris offensam (sicuti etiam explicanda est circunstantia Parricidii) nam deliquunt directè contra quartum præceptum, & virtutem pietatis, qua parentes tenemur honorare, & diligere; unde habent hujusmodi peccata peculiarem malitiam necessariò aperiandam in Confessione. *Navarr. cap. c. 14. n. 3. in fine.* (ubi effectum confitendi necessariò circunstantiam personæ, extendit etiam ad Superiores, quoad ea, in quibus illi habent potestatem super nos) *Tolet. lib. 5. Summæ cap. p. n. 3. Azor. to. 2. Instit. Moral. lib. 2. c. 2. qu. 2. Fagund. in Decal. to. p. de 4. Præcep. lib. 4. cap. 2. n. pr. Trull. in Decalog. to. p. lib. 4. cap. p. dub. 2. n. 3. Bonac. to. 2. disp. 6. quæst. Unica, punc. 3. n. 3.* & alii apud ipsos, & communiter: quorum aliqui præcipuè *Bonac. n. 3. c. & Henriq.* apud eundem *Trull. n. 3. cit.* eandem obligationem, aperiendi videlicet circunstantiam personæ offensæ in confessione, extendunt etiam ad

eos,

eos, qui offendunt Prælatos, aut Superiores, nam & ii delinquunt specialiter contra reverentiam Superioribus debitam, ideò tenentur exprimere personam, nec satisfaciunt, si dicant, se injuriam alteri intulisse, quia hoc peccatum, ob reverentiam debitam superiori habet specialem malitiam. Et ob eadem rationem idem *Bonac.* cum eodem *Henriq.* (relati pariter à *Trull. l. c.*) censet, explicandam etiam esse circunstantiam personæ, quando injuria fuit illata Sacerdoti, quoniam peculiaris reverentia Sacerdotibus debetur. Secus verò si injuria illata sit Viro nobili, vel Cognato, aut etiam benefactori, eo quia hujusmodi circunstantia non ita videtur peccantem aggravare, ut malitiam mortalem specie diversam actui superaddat.

601 Superaddit igitur tantum in prædictis casibus, ut dictum est, in quibus Parentum reverentia acriter læditur, atque adeo in ipsis etiam circunstantia personæ offensæ necessariò aperienda est in confessione, aliter hæc esset nulla, & sacrilega; Nisi exeusaret ignorantia, ut dicitur in proposito Privilegio, hæc enim si adesset in pœnitente, excusaret utique à culpa, & sacrilegio taciturnitatem ipsius, & non expressionem circunstantiæ personæ offensæ. Quod videtur certum; sicut certum est per omnes, non esse sacrilegam, nec culpabilem Confessionem illam Sacramentalem, in qua non exprimit pœnitens, nec aperit, aut subiicit clavibus directè peccatum aliquod lethale commissum, non quia velit illud expressè non aperire, exprimere, nec subiicere, sed ejusdem non recordatur dum confitetur.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Filius non obediens Patri, & Matri in spectantibus ad bonos mores, & necessariis ad Salutem, si ignoranter id faciat, non peccat mortaliter, excusante ipsa ignorantia.

602 Filius ex quadam lege justitiæ, & observantiæ naturalis, ex vi hujus quarti Decalogi præcepti, tenetur ex dictis, & Doctoribus, tria exhibere parentibus, amorem videlicet, reverentiam, & obedientiam: imò honor, de quo præceptum ipsum loquitur, in his tribus consistit; ut dictum est privilegio præcedenti in principio. Hinc sequitur, eundem ità ex hoc præcepto arctari, & adstringi ad obedientiam erga parentes in rebus licitis, ad bonos mores spectantibus, & maximè in ad salutem necessariis, ut peccet mortaliter denegando in his obedientiam eisdem, ut communiter Doctores: concorditer asserentes, certum esse filios teneri parentibus obedientiam præstare, & sub mortali (nisi excuset parvitas materiæ) quando ii præcipiunt illis aliquid in re licita, & materia gravi, quæ & subsit parentibus. Hocque constare videri: Tum quia obedientia parentum debetur ex hoc præcepto honorandi illos: tum ex illo *Proverb. p. Audi, fili mi, disciplinam patris tui; & ne dimittas legem matris tuæ. Et ex D. Paulo ad Colossens. 3. Filii obedite parentibus per omnia. Et ad Ephes. 6. Filii obedite parentibus vestris in Domino.* Tum denique, quia sicut tenemur obedire mandatis Principum, ita & tenemur mandatis parentum, quæ vim habent legis: sic omnes. Mandatis inquam parentum tenemur obedire sub mortali in re licita, & materia gravi; sed quæ etiam subsit iisdem parentibus, ut innuo supra, & advertunt *Sayr. in Clavi Regia lib. 7. cap. 5. n. 9. Graff. lib. 2. Decis. Aurear. cap. 56. nu. 15.* & cum ipsis, & aliis (inter quos est controversia, quibus in rebus filius subiiciatur Patri, & teneatur sub mortali illi obedire) *Leander p. 8. de 4. Decal. præcepto tract. p. disp. 3. qu. 2.* nam quibus in rebus filius non subest Patri, non tenetur sub mortali illi obedire; Subiicitur autem verè in rebus pertinentibus ad bonos mores, & ad salutem spectantibus, eo quia tenetur Pater filium bonis moribus imbuere, &c. ergo huic precipienti illi aliquid circa bonos mores, & ad salutem animæ spectans, tenebitur obedire: peccabit igitur mortaliter filius, qui non obedit Patri præcipienti illi, ne eat ad prohibitos ludos, vel ad meretrices; ut relinquat illicitos contractus, & vitet noxias amicitias; & hujusmodi, quam inobedientiæ, & Paternæ offensionis mortiferam culpam, esse speciatim in confessione explanandam, constat ex privilegio præcedenti, & rectè notant Doctores. Vide *Cajet. in Summ. Verbo Filii peccata. Navarr. in Man. cap. 14. n. 12. Versu Tertiò peccat filius, & Versu Quartò Filius. Sayr. l. c. n. 10. Graff. l. c. Tolet. in Summa lib. 5. cap. 9. n. 6. versu, Primò tenetur, & Versu, Rursus secundò. Azor. tom. 2. lib. 2. cap. 2. quæst. 4. Trull. in Decal. to. p. lib. 4. cap. pr. dub. 2. n. 11.* & alios, quos etiam allegat *Leand. l. c. qu. 3.* ubi in principio ait, *certum esse peccare mortaliter filium, qui Patri præcipienti aliquid circa bonos mores illius non obedit:*

limitat

limitat tamen: *Nisi aliàs parvitas materię, aut alia ratio excuset*. Optima limitatio. Verum, quæ alia ratio excusabit hanc lethalem filii inobedientiam, & culpam?

603 Dico ego in promptu esse, & ab ignorantia desumendam, ut innuit propositum privilegium, quod expressè admittitur à *Sylv. in Summa*, *Verbo Filii qu.* 22. dum ibi sic: *Ad obedientiam circa rem familiarem tenetur filius, & multo magis in necessariis ad salutem: sicut sunt spectantia ad bonos mores, in quibus, si obedire contemnat, est mortale, secus si non obediat non ex contemptu, sed ignoranter*: à *Tabiena in Summa Verbo Filius qu.* 16. *nu.* 17. sub his verbis: *Tenentur filii parentibus obedire in bis, quæ pertinent ad dispositionem rei familiaris, & multo magis in necessariis ad salutem, ut sunt ea, quæ pertinent ad bonos mores; in bis scienter contemnens obedire, peccant mortaliter, secus si ex inadvertentia, &c.* & ab *Azor. qu.* 4. *cit.* ibi enim, & ipse sic: *Filii graviter violant obedientiam, quam parentibus debent, quando parentes seriò jubent, & filii eorum jussa (quæ maximè spectant ad bonos mores, & ad salutem animæ) scienter negligunt, & recusant: non tamen, si per inconsiderantiam, vel oblivionem prætermittant*. Requiritur igitur per hos Doctores scientia in filiis ad dictam lethalem culpam ex inobedientiæ capite contrahendam. Et præter istorum authoritatem (quam utique approbabunt omnes) accedit ratio intrinseca millies tradita: quod videlicet ignorantia (scientiæ opposita) excludit voluntarium consensum, consequenter peccatum, ab hoc ergo ipsa excusat etiam in proposito Privilegio: hinc dici poterit ignorantia, ratio alia, excusationis à peccato, quam saltem implicitè, adducere intellexit *Leander loco cit.*

CAPUT DECIMUM
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA QVINTVM DECALOGI PRÆCEPTVM,

Non occides.

604 Abetur hoc Divinum præceptum *Deuter.* 5. & *Exodi* 20. his solis verbis, *Non occides*: quod præceptum de non occidendo, comprehendit non quodcumque homicidium, sed tantum illicitum, & injustum, quod sit peccatum mortale, etiam publica authoritate factum: licet enim Principibus, & iis qui publica authoritate fruuntur videatur homicidium concessum, nequaquam simpliciter concessum est iisdem, sed solum juxta leges, & præscriptam formam justitiæ, & ubi ratio, & bonum, communitatis, ac Reipublicæ id postulaverit, ut communiter Doctores. Hinc optimè homicidium in hoc quintò præcepto prohibitum, definiri potest cum *Trullench* (& aliis apud ipsum) *De hoc Præcepto c. p. dub. p. n.* 2. *in fine*: *Injusta hominis occisio*: prohibetur enim in hoc præcepto homicidium injustum, & illicitum, corporale, & actuale, quod ex se utique est peccatum: nam omnis injustitia gravis (ut est injustum, & illicitum homicidium) est peccatum mortale. Item prohibetur voluntas occidendi: cum actio interior, & exterior circa idem obiectum, sint ejusdem speciei. Prohibetur præterea præparatio quæcumque ad injustè occidendum, ut vulnerare, mutilare, gladium quærere ad vulnerandum, mutilandum, & occidendum: insidias alicui ad mortem tendere; aut quovis modo ad injustam occisionem concurrere. Et nedum prohibetur in hoc præcepto alterius occisio, & mutilatio: verum etiam sui ipsius: nemini enim licet quacumque ex causa seipsum directè occidere. Unde per se loquendo peccat mortaliter fœmina, v. g. quæ sibi mortem infert, ne ab alio opprimatur: & Judex, qui propria authoritate seipsum occidit, ob peccatum quod in aliis morte punire solet. Si quidem homo non est dominus vitæ suæ, sed custos: hinc se occidens peccat, non modò contra propriam charitatem, sed etiam contra justitiam;

gravem Deo, & Reipublicæ injuriam irrogans. Item peccat etiam, amputando m brum aliquod ſui corporis; quamvis enim id liceat quando membri amputatio nece ria eſt ad vitæ conſervationem; cum pars toti honeſtè poſtponi poſſit, & quiſque beat vitam ſuam conſervare remediis ordinariis: ſecus tamen quando dicta mem amputatio, & mutilatio neceſſaria haud eſt. Quare meritò *Petrus a S. Joſeph in S mula Caſuum Conſcientiæ de V. præcep. Decalogi cap. 5. art. p. verſu Non licet*, ait: Ne ad ſedandas carnis tentationes, vel peccatum fugiendum, licere aliquod membru amputare, cum illa amputatio non ſit medium ad talem finem neceſſarium, aut m tum conducens, ut experientia oſtendit. *Unde* (concludit) *ſi nonnulli ex Patribus a quis linguam, aliaſve corporis partes ſibi amputarunt, ad ſuperandas tentationes; dicend eſt, eos id feciſſe, vel ex inſtinctu divino, vel ex ignorantia, quæ fortè culpa non careba* Et bene concludit iſte Author, quæ ignorantia *fortè* culpa non carebat; benè inqua *fortè*, conſtat namque ex dictis *cap. 2. Privileg. 3. n. 62.* poſſe dari quandoque, & circ hoc etiam ignorantia inculpabilis: imò nedum circa membri proprii mutilationem, & amputationem, verum etiam circa ſui ipſius occiſionem, eo modo quo ibidem defin mus; & infra etiam ſtabiliemus. An verò admittenda ſit ignorantia invincibilis, & inculpabilis hujus quinti præcepti, etiam reſpectu injuſti homicidii alterius hominis negativè reſpondendum utique videtur, ex iis quæ attulimus eodem *privileg. 3. cit.* & ex Doctorum communi, cui ſubſcribunt *Leander par. 6. tract. 2. de fide, diſp. 2. qu. 78 in fine: Vaſq. Oviedo*, & alii apud eundem. Quo tamen non obſtante, circa hoc etiam admittenda ſunt propria, & aſſerenda ignorantiæ privilegia: Sit ergo

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Ignorantia invincibilis excuſat in aliquo caſu à culpa lethali homicidium ſui ipſius.

605 HOc idem privilegium ſuperius attulimus (licet ſub alio titulo) *cap. 2. privileg. 3. ſub nu. cit. 62.* & præter Doctores ibi pro eodem relatos, placet etiam *P. Dianæ to. 8. Coord. tract. 5. reſ. 49. ex par. 5. tract. 4. reſ.* 30. idemmet libenter admittere (contra *Cajet. 2. 2. qu. 124. art. 5.*) Quærens enim *P. Diana eo loci*, an excuſetur aliquis ex ignorantia invincibili ab homicidio ſui ipſius in aliquo caſu, ad evitandam ex. gr. gravem ignominiam, ſervandam caſtitatem, &c. reſolvit affirmativè, ſub his verbis: *Dicendum igitur eſt, quod quamvis homicidium ſit contra lumen naturæ ſecundarium, hoc eſt, contra concluſiones deductas ex principiis notis lumine naturali, tamen poteſt cadere ignorantia in ejuſmodi veritate, præſertim in aliquo caſu, ver. gr. ad vitandam ignominiam, vel ſervandam caſtitatem.* Ita *Diana*, loquens de ſuiccidio; ſequutus (præter alios ibi citatos) *Molin. de Juſtit. tom. 4. tract. 3. diſp. 9. nu.* 5. ubi ſic ait: *Quando quod de jure eſt naturali, occultam, ſubtilem, minimèque facile perviam habet rationem, in id cadere poteſt ignorantia invincibilis, quicquid aliqui in contrarium dicant, maxime quando id ab æſtimatoribus hujus Mundi, virtutis actus, laude, & honore dignus, communiter reputatur. Eoque magis interveniſſe ignorantiam invincibilem eſt cenſendum, quando Dei intuitu, ac virtutis, factum comperitur. Neque eſt improbabile, ignorantiam excuſaſſe à culpa lethali actum, quo Lucretia ſeipſam interfecit; ſimileſque alios actus ab Ethnicis hominibus factos.* Ità *Molina*. Alia, quæ hìc afferri poſſent in confirmationem hujus privilegii, dicta, & allata ſunt à nobis *in privil. 3. c.* videantur.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Ignorantia invincibilis, in quo caſu excuſat à lethali culpa homicidium ſui ipſius, & facit illud licitum, cauſat etiam quod ſic mortuus non debeatur in dubio privari Eccleſiaſtica Sepoltura.

606 ERvitur hoc privilegium ex aperta doctrina, quam tradit *P. Diana to. 8. Cardin. tract. 5. reſ. 50. ex part. 6. tract. 7. & Miſcell. 2. reſ.* 47. & quoniam tota ejuſmodi reſolutio vim habet probationis propoſiti ejuſdem privilegii: idcircò eandemmet hìc pro fundamento affero, tranſcribo, ac fideliter ad literam refero. eſt autem hujuſmodi.

Reſolutio propoſita, *Diſcutienda eſt ex occaſione cujuſdam facti enarrati à Bernardino Scardeonio de Antiquitate Urbis Patavii libr. 2. Claſſ. 14. ubi agens de Iſabella Bavignana, puella agreſti, ſic aſſerit. Et ſi magnam laudis jacturam nobiles Mulieres Patavinæ ex eo feciſſe videantur, quod hic modo puella ruſticana obſcuriſſimi nominis, pudicitiæ ſplendore præ cæteris luceat: ego tamen ex eo patriam noſtram præclari facinoris laude fraudan-*

dam

dam non censui: quin potius de tam generosi, ac pudici animi constantia, vel sic ignotæ puellę ad priscum decus Patavinæ pudicitiæ, quicquid olim de hac ipsa in alio nostro opere de Castitate jam dixi, hic rursum referendum putavi. Nam quo tempore Maximilianus Augustus totam fermè Venetiam, & præsertim agrum Patavinum excursionibus devastabat: cum turbatim agrestes omnes in vrbem confugerent, puella ista agrestis humili loco nata, sed nobilissimo animo, & honesta forma prædita, ubi urbem ingressa est, à propinquis suis (ut fit) ignara viæ, à recto itinere ex nimia tripidatione deflexit: & dum ita ignara locorum, errabunda, lacrymans, omnia circumlustrat, in manus fortè incidit Militum Venetorum, qui præsidio Urbis stabant: à quibus tracta est in proxima contubernia, ut ibi interim ludibrio haberetur ejus pudicitia. Sed nescio quo colore, & fato, prosiliit misella domo, & recta ad portam, qua paulo ante ingressa fuerat, festina procurrit, putans se tutiorem fore inter hostes, & in agris, atq; ubique locorum, quam intra mœnia, & præsidia Civitatis. Insequuntur incerti illi, ac impii prædones. Fugit exterrita puella more trepidæ, & imbellis Damæ, quæ à canibus rapta fugam rapit in nemora, & saltus: & ubi evadere amplius non sperat de prærupta saxi crepidine se se præcipitat, mallens subito casu conteri, quam comprehensa ludibrio esse rabidis molossis. Haud secus infelix Virgo, ubi effugium nullum reliquum videt, de Ponte Corvo, ubi fortè aderat, in adjacentem fluvium se se præcipiti saltu demittit pudicitiam suam Deo servandam committens. At dum propositi tenax ab illis adjuvari recusat, & exterrita enatare nescit nec curat, absorpta mox à flumine suffocatur: quæ paulo post inventa in proxima ripa, sine funebri officio sepelitur: haud digna, meo quidem judicio, quæ sic sepeliretur. Sed certum est, quod sicut nihil prodest impiis celebris sepultura; ita nihil obest justis, vilis, ac nulla. Et ista Joannes Noventanus Patavinus cecinit hoc Epitaphium.

Euganeas inter præstans virtute puellas
Hoc jaceo indignè condita Virgo loco,
Nam cũ me peteret lascivum miles ad usum
Munera posse more magna fuere mihi.
Disce age, sit quanti, Virgo, servare pudorem
Pro quo nil timui perdere corpus aquis.

Supposita hac celebri historia, quæsitum mibi fuit à quibusdam amicis, an dicta Virgo à peccato homicidii possit excusari, & an rectè fuerit Ecclesiastica Sepoltura privata. Et pro resolutione dubii supponendum est ex D. Thoma in 2. 2. qu. 64. art. 5. non licere se ipsum occidere, etiam ad vitandam fornicationem. Unde Beata Lucia ad impium Tyrannum affirmantem se eam ad lupanar ducturum, ut inibi à juvenibus stupraretur. Non inquinatur, inquit, corpus nisi de consensu mentis: violentia tua mihi duplicabitur ad coronam. Hinc D. Augustinus lib. p. de Civitate Dei, cap. 18. cur homo qui mali nihil fecit, sibi mala faciet? Et ratio est, quia pudicitia virtus est animi; comitem habens fortitudinem; unde cum virtus sit animi, consistit in animi consensu: quare si in impudicitia non consentitur, non amittitur pudicitia: & cum comitem habeat fortitudinem, debet potius ex fortitudine quælibet mala tolerare, quam seipsum interimere ad vitanda mala.

607 Sed licet hæc doctrina vera sit, ego tamen in casu nostro puto excusandam esse supradictam mulierem: nam supponendum est hoc fecisse ex ignorantia invincibili; nam ut advertit Trullench in Decalogum to. 2. lib. 5. cap. 3. dub. 1. num. 4. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 6. n. 33. Petrus Navarrus lib. 2. cap. 3. n. 13. & 14. Joann. Vvigers de Justit. tract. 2. cap. 2. dub. 14. n. 92. & alii, se occidere ob pudicitiæ custodiam, non est ita evidens esse malum, quin inculpatè possit ignorari, & existimari licitum; quod docuerunt Stoici, & insinuare videtur D. Hieronymus in cap. p. Jonæ, versus finem: his verbis: Unde in persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo quòd ubi castitas periclitaretur: hinc mulierem agrestem, ut erat dicta Isabella, tali ignorantia laborasse maxima probabilitate dicendum est; & ideo salvo meliori judicio Ecclesiastica sepoltura privanda non erat: nam ut ego probavi in 4. p. tract. 4. ref. 23. quæ nunc est in to. 7. Coordin. trac. 3. ref. 67. & observat Fagund. in Decalog. to. p. lib. 5. cap. 11. n. 3. in hac materia in dubio inclinandum est in favorem; sed puto minori apparatu, uno scilicet Sacerdote, vel altero, quod sepelienda fuisset ad terrorem aliorum, ne tali exemplo hoc facinus perpetrarent; & ut cognoscerent talem mulierem non privari sepoltura Ecclesiastica ex præsumpta ignorantia, qua laborasse satis probabiliter existimari poterat: nam in hoc casu locus est conjecturis, ut ex Julio Lavorio in Var. Elucubrat. tit. 2. cap. 12. n. 28. Et licet occidentes seipsos non sint in Ecclesia ex cap. Quibus 13. qu. 2. cap. Placuit 23. qu. 5. cap. ex part. 2. de Sepolturis; hoc tamen provenit, quia Canones supponunt tales decedere in peccato mortali ob desperationem, vel iracundiam. Sed in casu nostro satis probabiliter existimari potest dictam puellam Isabellam seipsam occidendo, non decessisse in peccato ex inculpata ignorantia, quia erat puella rustica. Ergo, &c. Hæc & optimè P. Diana, quæ satis utiq; probant nostrum propositum privilegium.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Ignorantia concomitans excusat à culpa lethali etiam homicidium alterius.

608 HUjusmodi privilegium est sententia expressa *Vasq. in p. 2. disp.* 125. *cap.* 2. *Suar. de Cens. disp.* 4. *sec.* 8. *n.* 9. (ubi, quod ignorantia concomitans, est etiam antecedens respectu actionis, ita *in fine num.) Azor. par. p. lib. p. qu.* 4. *Reginald. in Praxi to. p. lib.* 11. *cap.* 2. *n.* 20. *Sanch. p. p. Operis Moral. lib. p. cap.* 16. *n.* 13. *Layman lib. p. tract.* 2. *cap.* 4. *Assert.* 2. *n.* 8. (ubi, quod etiam concomitans ignorantia, si invincibilis sit, à culpa excusat) *Bonac. to.* 2. *disp.* 2. *qu.* 8. *punct.* 3. *prop.* 4. *n.* 34. & alii: unanimiter affirmantes, quod si proiiciat quis sagittam in proprium etiam inimicum, invincibiliter putans esse feram, non est reus actualis homicidii: etiam si ita sit affectus, & actualiter in mente dispositus, ut si nosset esse inimicum, adhuc sagittam emitteret, & fortè libentius ejacularetur; Quia actus externus emissionis sagittæ non habet malitiam homicidii, utpotè factus ex ignorantia comitante, excusante actum externum à peccato. Ratio autem cur ignorantia comitans excuset actum externum à peccato; & in proposito privilegii nostri à lethali culpa homicidii, est, tum quia actus non est malus, nisi sit voluntarius; actus autem externus homicidii, factus cum ignorantia comitante, non est voluntarius, cum non fuerit prævisus, & præcognitus: voluntarium enim est à principio cognoscente singula in quibus est actio: *Arist.* 3. *Ethicor. cap.* 3. Tum quia actio externa explosionis sagittæ ex. gr. non fuit causata ab affectu, & voluntate occidendi hominem, vel inimicum, sed à voluntate occidendi feram: ergo pravus affectus actualis erga inimicum quamvis sit peccaminosus, & malus: tamen actio externa homicidii non est mala malitia homicidii, cum originem non traxerit à voluntate, & intentione occidendi hominem, sed ab intentione, & voluntate occidendi feram: quæ intentio, cum non sit mala, non potest actioni externæ factæ cum invincibili ignorantia comitante communicare malitiam homicidii. Et idem debet dici in aliis consimilibus. Ita etiam Doctores citati, & alii.

609 Neque obstat, quod proiiciens sagittam ità affectus sit, ut si animum adverteret homicidium vellet, & approbaret. Deus enim non imputat homini peccata, quæ faceret, si hoc, vel illud in mentem ei veniret: Sed divinæ gratiæ adscribendum est quod id animo non incidat: ut docet etiam *Suar. De Relig. to.* 2. *lib.* 3. *de Juram. c.* 7. *n.* 5. *ex D. August. contra Semipelagianos: Non imputat Deus nobis* (sic *Suar.*) *quæ faceremus, si hoc, vel illud nobis occurrat, sed quæ facimus, circa illud, quod nobis occurrit, quod si non occurrat, nec se offerat memoriæ, aut scientiæ cum qua peccaremus, gratiæ Dei imputandum est. Quare qui in venatione facta diligentia sufficiente ad cavendum periculum occidendi hominem casu occidit inimicum, sine dubio non est reus actualis homicidii, etiam si ita sit dispositus in habituali affectu, quod libenter occideret, si sciret esse inimicum; illa enim conditionalis non refert ad actuale peccatum.* Idem docet *Layman. l. c. versu Neque obstat.* Verum quidem est, quod si quis sagittam jaceret intentione occidendi quodcumque illud sit, quod sibi ob occulos extat, committit homicidium etiam externum secuto homicidio, quamvis id quod præ oculis habet illi non pateat esse hominem, sed feram: nam sagittæ projectio in tali eventu provenit ab intentione, & voluntate non solum occidendi feram, verum etiam quodcumque illud sit, cum autem hoc non sit fera, sed homo, sequitur occisionem externam esse sufficienter voluntariam, consequenter ad culpam, nec ab ipsa excusari, vel eximi posse, ut bene etiam *Reginald.*, *Bonac.*, & alii supracitati, cum aliis.

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Qui percutit, vel occidit Clericum, quem ignorantia probabili putat esse Laicum, ab excommunicatione excusatur.

610 ITà *Sylvester Verbo Excommun.* 6. *Versu Sciendum est quartò*, *n.* 6. ubi sic: *Qui infert manus violentas Clerico non incidit in excommunicationis sententiam, quando ignorabat Clericum esse quem percussit: puta quia comam nutriebat, nec aliquid de Clericatu apparebat, ut in cap. Si vero, eo tit. el* 2. *& consentit Innoc. & Jo: Andr. Et non incidit etiam si occideret, quia dolus requiritur. Idem si habebat habitum, & non videbatur, puta quia de nocte erat, &c. Suar. de Cens. disp.* 22. *sec. pr. num.* 51. *&* 52. affirmans ibi, cum *Covarru. in cap. Alma mater p. p. §.* 10. *n.* 15. id esse sententiam communem, quæ sententia, ut apparet apud eosdemmet, excusat à speciali malitia, & à contumacia

contra

contra Ecclesiasticum præceptum, ac proinde à Censura illum, qui adhibita sufficienti diligentia, per ignorantiam probabilem Clericatus, in personam Clerici violenter manus iniicit: *Talis enim ignorantia* (ait idem *Suar. n.* 51. *c.*) *dummodo qualitas, seu modus ipsius sufficienter probabilis sit, excusat à mortali culpa in transgressione Canonis commissa; & ideo etiam excusat à Censura, prout cavetur in cap. Si vero 2. de sent. excommunicationis. Filliuc. to. p. tract.* 15. *& V. de Censuris cap. p. n.* 27. *versu Sexta, & ultima exceptio. Bonac. tom.* 2. *disp.* 2. *qu.* 8. *punct.* 3. *proposit.* 4. *nu.* 36. *Trull. in Decal. to.* 2. *lib.* 6. *dub.* 2. *nu.* 4. & alii plures; imò communiter Doctores, in hoc convenientes, illum excusari à Censuris, qui cum ignorantia comitante facit aliquod opus externum vetitum sub Censura. Percutiens igitur Clericum ex tali comitante probabili ignorantia, & sufficienti adhibita diligentia (etiam si alioqui percussio gravis, & injusta esset) vel etiam occidens, à censura, & ab excommunicatione excusatur ut in proposito privilegio: in cujus confirmationem veniunt etiam ea, quæ diximus supra *in Privilegio* 3. *IV. Capitis*.

611 Et hic adverto cum *Suar. n. cit.* 51. *Navar.* apud ipsum, & aliis, non esse admittendam in proposito privilegio limitationem, quam tradunt *Sylv. l. c.* & alii: Excusari quidem videlicet sic percutientem, vel occidentem Clericum, si tamen, ille qui sic percutit, vel occidit Clericum, non det operam rei illicitæ: eiicienda enim est hujusmodi limitatio: nam, ut rectè *Nav.* & ex ipso *Suar.* talis limitatio absque idonea ratione, vel textu additur: quoniam etiam si talis actio alioqui sit injusta percussio, mutilatio, aut hominis occisio; si tamen quoad circunstantiam personæ percussæ, vel occisæ, quod videlicet Clericus sit, procedit ex tali ignorantia, quæ excuset à malitia sacrilegii, non incurritur excommunicationis Censura, quia non violatur Canon ille, in quo sola sacrilega percussio, quæ voluntariè circa Clericum versatur, in eo ponitur. Hinc privilegium, idem currit, sive percussio, aut occisio Clerici orta sit ex opere licito, sive illicito, dummodo qualitas, seu modus ignorantiæ probabilis sit, ut dictum est. Sed

612 Quæres hic, an è contrario si quis volens percutere, vel occidere hunc, quem putat esse Paulum Clericum, Petrum Laicum per errorem, & ex ignorantia percutiat, vel occidat, incidat in excommunicationem? Quamvis non defuerint qui id affirmaverint, quod *Sylv. & Covarru. l. l. c. c.* attribuunt *Gloss. in d. cap. Si vero. Verbo Ignorantia*. Respondeo negativè eum iisdem, dicentibus *Gloss.* opinionem esse falsam, cui falsitati subscribit & *Suar. l. c. n.* 53. Et ratio responsionis est, quia etsi peccaverit ille intentione, animo, & voluntate, reipsa tamen non percutit, vel occidit Clericum; ad incurrendam autem excommunicationis Censuram, non sufficit malitia interior, nisi exterius etiam in specie illa consumetur, quæ necessaria est ad talem Censuram; licet autem in casu proposito consumetur peccatum in specie homicidii, non tamen in specie sacrilegii. Adde in confirmationem cum eodem *Suar. nu. cit.* quod si quis proiiciat sagittam in verum Clericum, animo interficiendi illum, & manus aberret, ita ut illum non attingat, non incurrit censuram, ob defectum exterioris actus, seu effectus, juxta omnium sententiam (apud eundem *Suarez*) ergo etiam idem à pari affirmandum in proposito quæsito, cui pariter idemmet respondent præter citatos, & plures alios *Filliuc. nu. c.* 27. *Bonac. nu. c.* 36. *cum censura* (inquiens) *non incurratur, nisi posito peccato, & opere externo peccaminoso sub censura prohibito: & Portel. in Dub. Regul. Verb. Ignorantia n.* 24. *in fine*: ubi expressè sic: *Intendens percutere Clericum, & percutiens sæcularem, non incurrit pœnam excomunicationis, quia Ecclesia non excommunicat nisi externam percussionem Clerici manantem ab intenta ipsius intentione*.

PRIVILEGIUM QUINTUM.

Volens quis ex prava sua intentione percutere, vel interficere Petrum Clericum, si errore, seu ignorantia probabili, & casu mero, percutit, vel interficit Paulum item Clericum, ab excommunicatione excusatur.

613 NEgat quidem hoc privilegium *Covarru. in Cap. Alma Mater par. p. §.* 10. *n.* 15. *Versu, Octavò constat*. Eo quia talis ignorantia, seu error, neque intentionem, neque actionem externam excusat, utraque enim circa personam Clerici versatur. Præterea quia illa percussio hujus Clerici ut sic, nulla ratione involuntaria est, licet percussio hujus Clerici, ut talis persona est, involuntaria sit, *argum. l. Eum qui, §. Si injuriæ, ff. de injuriis*. Nihilominus, præterquamquod sequitur hoc privilegium ex positione præcedentis,

ut ex

ut ex se patet; idemmet contra eundem *Covarru.* admittit, & approbat (ut loquatur consequenter) *Suar. l.c. n.* 54. Et probatur clarè, ex eodem etiam *Suarez* quia talis actio, ut ex directa intentione tendit ad Petrum, voluntaria est: ut verò attingit Paulum est merè casualis, & involuntaria; cum sufficiens diligentia moralis adhibita fuerit (quod hic supponimus) ne alia persona ibi subesset nisi Petrus: vel ne ictus si fortasse à Petro aberraret in alium incideret: hec etenim duo invicem non repugnant. Et sicut volens occidere feram, potest diligentiam sufficientem adhibere, ne hominem occidat, & nihilominus casu hominem occidere; ita proportione servata inter hunc hominem, & alios, idem casus merè involuntariè accidere potest, ut interficiatur videlicet unus ad quem intentio directa non erat, sed ad alterum. Quo posito, sic etiam quis casu percutiens, vel occidens hunc Clericum in particulari excusandus est à Censura, & excommunicatione, quia respectu ejusdem Clerici actio est involuntaria, ergo inculpabilis, consequenter ut sic non est causa censuræ, & excommunicationis: Igitur verum propositum privilegium.

614 Nec refert oppositum supra à *Covarruv.* quod videlicet tam intentio, quàm actio exterior in hoc casu versentur circa Clericum, quia, ut optimè etiam *Suar. c. n.* 54. *prope finem*: non ita versantur, ut una ab alia procedat directè, vel indirectè: quod necessarium esset ad incurrendam excommunicationis censuram. Et dicta percussio Clerici, quæ in re ipsa, & exterius fit, est involuntaria, quia nemo percutit Clericum in communi, sed hunc, vel illum in particulari. At hujus particularis percussio est involuntaria, & nullum alium de facto percutit; hujus igitur Clerici percussio, absolutè, & simpliciter, involuntaria est: & idcircò solus affectus percutiendi Clericum voluntarius mansit, qui solus non sufficit ad incurrendam Censuram, cum hæc non incurratur propter affectum, sed propter exteriorem voluntariam percussionem: & ita etiam *Suar. n. c.* ubi in principio affirmare videtur, & benè, sententiam *Covarru.* sustineri posse sub sequenti distinctione, & restrictione ad summum. Videlicet sic: fieri potest (inquit) ut actio illa exterior non solum quatenus tendebat ad percutiendum Petrum Clericum, sed etiam quatenus de facto attingit Paulum item Clericum, peccaminosa sit, eo quod respectu utriusque fuerit voluntaria, directè quidem respectu Petri, ut supponitur; indirectè vero respectu Pauli, quia nimirum sufficientem diligentiam non adhibuit, ut caveret, ne ob errorem, ictus in aliam personam caderet. Et tunc optimè procedit sententia *Covarru.* cum sic contineat id quod supra etiam concedimus: tunc etenim actio exterior, ut etiam est actualis percussio Pauli, est voluntaria, consequenter cessat in ipsa excusationis ratio. At, quia accidere potest, ut actio illa, quatenus ex directa intentione tendit ad Petrum, voluntaria sit: ut verò attingit Paulum sit merè casualis, & involuntaria, quia sufficiens diligentia moralis adhibita fuerit, ne alia persona ibi subesset, nisi Petrus, vel ne ictus, si fortasse à Petro aberraret, in alium incideret (hæc enim duo repugnantia non sunt) & dato quod incideret, merè casuale, ac involuntarium esset, consequenter à censura, & ab excommunicatione immune: & hoc solum est, quod intendimus nos affirmare in proposito privilegio. Vide *Portel. in Dub. Reg. Verbo ignorantia n.* 23. 24. 25. Vide etiam ea, quæ diximus supra *privilegio Tertiò Quarti Capitis*.

PRIVILEGIUM SEXTUM.

Ignorans suo lethaliter culpabili homicidio impositam esse Irregularitatem, ab hac probabiliter excusatur secundum plures Doctores. A quibus tamen diversum sentit Author.

615 HOc idem privilegium, & sub iisdem ferè verbis ponit, & admittit *Palaus tom.* 6. *disp.* 6. *punc.* 6. *nu.* 3. ubi sic: *Ignorantem probabiliter pœnam irregularitatis suo delicto esse impositam, excusari à dicta irregularitate probabile est*. Et si ei obiicias (ut sibimet *n. anteced. in fine*, opponit.) Si ad incurrendam irregularitatem necessarium foret cognoscere, eam pœnam delicto annecti; Ergo homicida ignorans hanc pœnam nulla irregularitate teneretur, sed liberè posset ad Ordines promoveri. Hoc autem falsum videtur, si quidem Judex justè reum morti tradens irregularitatem contrahit, tametsi ignoret irregularitatem suo facto impositam esse, eo quod dedeceat Christi esse Ministrum, qui alium vita privavit; sed hæc indecentia efficacius urget in eo, qui injustè, & iniquè alium occidit; ergo irregularis erit, tametsi ignoret suo delicto irregularitatem esse impositam. Si id inquam ei obiicias, concessa

concessa oppositionis consequentia prima: Ad paritatem Judicis respondet, non esse inconveniens quod Judex ignorans suo facto irregularitatem annecti, eam contrahat, nec tamen contrahat eam homicida ignorans suo delicto annecti; quia Irregularitas Judici posita est non in pœnam, sed ob decentiam: at homicidæ tum ob decentiam, tum in pœnam delicti irregularitas indicitur, quæ irregularitas gravior est, & difficilioris dispensationis; ac proinde non est mirum, ut cognitionem legis eam judicantis expostulet. Ità *Palao*: & ante ipsum eadem ferè distinctione uti videtur *Portel. in Dub. Regul. Verbo Ignorantia n.* 19. ut sequitur: *De Irregularitate præmittendum est, aliam irregularitatem consurgere ex delicto, ut ex homicidio, ex celebratione in excommunicatione, ex suspensione violenta, & similibus impositis in pœnam delicti. Alia verò est irregularitas, quæ non ponitur ob delictum, sed ex indecentia, vel defectu significationis, & comitatur non culpam, sed indecentiam, qualis est bigamia, & irregularitas contracta à Judice sine culpa damnante hominem ad mortem justè. Et quidem certum est apud omnes hanc irregularitatem secundi generis certò contrahi etiam si operans operetur ignorantia invincibili: & proinde contrahens cum duabus sit irregularis bigamus quantumcunque id ignoret invincibiliter. Est ergo sola quæstio de Irregularitate primi generis orta ex delicto, an ista, quæ pœna est; similiter & suspensio, interdictum, inhabilitas, & similes, incurrantur ab operante invincibiliter ignorante? Sotus, & Ledesma affirmant: Sanchez verò cum multis aliis probabilius tenet has omnes pœnas non incurri ab operante, qui habet ignorantiam juris positivi illas imponentis*: ita *Portel.* qui, ut patet apertè ex ejus verbis, tenet expressè irregularitatem ex homicidio tanquam ortam ex delicto non incurri ab ignorante illam.

616 Et hanc sententiam videntur apertè etiam docere ii omnes, quos retulimus in *Privilegio* 3. *Cap.* 4. (sæpius in præcedentibus relato) præcipuè *citati à n.* 116. usque ad finem privilegii ejusdem. Et prætera apud eundemmet *Palaum sub eodem n.* 3. eandemmet sententiam ut probabilem docent *Sanch. lib.* 9. *disp.* 32. *nu.* 21. *Conincb. disp.* 18. *dub.* 4. *n.* 31. *Suar. disp.* 4. *de Censur. sec.* 9. *n.* 12. *Bonac. to. p. disp. p. de Censur. qu.* 2. *pun. p. n.* 13. & docuerunt absolutè *Hostensis cap. à nobis el p. de sentent. Excommunicat. vers. Addo. Sylvest. verbo Ignorantia qu.* 8. *dicto p. juncto dicto* 3. *Navarr. cap.* 27. *n.* 274. *vers.* 13. *Philiarc. de Offic. Sacerdotis to.* 1. *p. p. lib.* 3. *cap.* 3. *§. Tertiò obiicitur. Manuel. to. p. Summ. in* 2. *edit. cap.* 195. *n.* 3. *& tanquam probabile ego ipse* (sic *Palaus*) *defendo nedum hic, sed etiam trac.* 2. *de Peccatis, disp. p. punc.* 17. *nu.* 6. Hujus autem sententiæ, ac privilegii, ea est ratio ex *Palao n.* 3. *c.* quia committens aliquod delictum, pœnis tantummodo delicto eidem proportionatis subditur, non autem aliis extraordinariis pœnis, quæ & delicti gravitatem excedere videntur; & ab Ecclesia, vel Republica, ad frequentem vitandum delicti usum imponuntur, vel ob aliam causam. Quare & si consensus delinquentis in pœnam non requiratur ad sustinendam illam: requiritur tamen illius consensus in culpam, prout hæc est causa talis pœnæ, seu prout continet talem pœnam, quod fieri nequit absque notitia pœnæ, quando hæc est extraordinaria. At irregularitas, quæ delicto annectitur, censenda est pœna extraordinaria delicti, cum obliget delinquentem, ut eam in se exequatur, ergo censeri non debet incurri ab ignorante legem sub tali pœna esse latam.

617 Faciunt etiam pro hac sententia, & privilegio, tum ea, quæ diximus in probationem *c. Privileg.* 3. *Cap.* 4. tum etiam *Cap.* 2. *De Constit. in* 6. ubi dicitur, *Ignorantes non ligari sententiis*: nomine autem *sententiæ*: ut optimè etiam *Portel. Verbo c. n.* 20. non intelligitur sola excommunicatio, sed de omnibus sententiis pœnalibus; propositio enim indefinita juris tradens regulam, æquivalet universali, ut Juristæ communiter dicunt. Et ita *l. c. exponunt Glossa*, & multi Canonistæ *ibidem*. Nec desinam hic in confirmationem dictorum afferre verba *P. Dianæ*, quæ habet *to.* 5. *Coordin. trac.* 5. *res.* 6. *n.* 4. *Ex par.* 4. *tr.* 2. *res.* 85. *Dicendum est igitur ad incurrendam excommunicationem, non sufficere quod sciam opus esse prohibitum, sed ut sciam de pœna, idque prohiberi sub excommunicatione. Ita de cæteris pœnis, suspensione, interdicto, irregularitate, &c. quod est valde consolatorium: & verum est, etiam si ignorantia, ut supra diximus, esset vincibilis; & ita præter Merollam docet Portell.* sic *Diana*: licet paulo ante, idest, *n.* 3. *anteced.* & etiam paulo post, videlicet, *n.* 2. *resol.* 7. *subsequentis Coord. Ex p.* 9. *tract.* 7. *Miscell.* 2. *res.* 19. sibi ipsi videatur contrarius: primo loco, dum ibi sic: *Irregularitas ex homicidio, vel mutilatione, licet videatur esse ex delicto, includit tamen præcipuè defectum lenitatis; ergo incurritur, licet occidens ignoret homicidio illam impositam esse; & hoc dubium est valdè notandum, quia quotidianum,*

tidianum, & à paucis discussum; & scio quod aliquando Doctorum hominum torsit ingenia. Posteriori vero loco, quia sic ibidem: *Magnam habeo difficultatem in hac doctrina: video enim esse contra communem sententiam Doctorum, & contra praxim: videtur enim sufficere, ut incurratur irregularitas, si sit annexa homicidio propter decentiam: & ideo non obstat si sit etiam annexa in pœnam: non enim incurritur ex uno capite, sed etiam ex alio, ut ego alibi adnotavi*. Hæc *Diana*: cujus sententia mihi videtur amplectenda, uti & cum pluribus aliis D. D. eandem absolutè amplectitur *Passerinus in lib. p. 6. Decretalium in Cap. Ut Animar. 2. De Const. quæst. primæ art.* 18. *n.* 364. admittens quidem, & ipse ibi (& alibi) ignorantiam invincibilem excusare ab irregularitatis cujuscunque pœna, *excepta tamen irregularitate, quæ incurritur ex homicidio* propter relata hìc, & ponderata à *P. Diana*, & ab aliis.

PRIVILEGIUM SEPTIMUM.

Abortum directè procurans Animati fœtus cum ignorantia excommunicationis huic delicto (quod est verum homicidium) à Summo Pontifice impositæ, excusatur ab incursu ipsius.

618 Procurare directè abortum fœtus animati, sine dubio intrinsecè malum est, & mortale, est enim verum homicidium, & quidem gravissimum cum animæ rationalis certissima damnatione æterna quoad pœnam damni. Certissimum quoque apud omnes id nullo unquam casu licere: sive constet, jam animatum esse fœtum, sive dubitetur an de facto animatus sit: sive deinde intendatur propter se ut finem, sive intendatur solum ut medium propter alium finem, ad conservandam gr. ex. vitam Matris; infamiam vitandam, &c. dummodo media adhibita per se tendant ad causandum abortum, neque aliter conducant ad vitam Matris conservandam, nisi quatenus causant abortum. Et ratio est clara: Quia non sunt facienda mala ut eveniant bona, sed directè occidere hominem innocentem, intrinsecè malum est, & nullo unquam casu licitum: est autem fœtus animatus verus homo, & innocens maximè, ergo. De abortu directè procurato loquor.

619 Quivis autem, quocumque modo, vel medio directè procurans abortum fœtus animati: vel ad id scienter, jussu, consilio, favore, auxilio, quomodolibet cooperans effectu secuto, ipso facto incurrit excommunicationem latam à *Sixto V. & à Gregorio XIV.* (sola reservatione pro foro conscientiæ sublata) liquido in suo vigore relictam. Textus autem sic fulminat *§. 7.* & est hujusmodi: *Omnes, & singulos cujuscunque gradus, status, ordinis, vel conditionis existentes, tam Laicos, quàm Clericos, Sæculares, & cujuscunque Ordinis Regulares, necnon mulieres sæculares, vel quemcumque Ordinem professas, qui, vel quæ, vel ut principales, vel ut sociæ, consciævè ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cujuscunque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras privatas, vel apochas, vel alias verbis, aut signis irruerint, aut consuluerint, ultra prædictas pœnas, ipso facto nunc, prout ex tunc excommunicamus, & pro excommunicatis declaramus*. Hactenus *Sixtus V. c §. 7. suæ Constitutionis* 87. *editæ anno* 1588. *incipiente Ad effrenatam*. Et licet Pontifex in hoc *§. 7.* non comprehendat expresse matres prægnantes, potiones abortivas per se sumentes, aliove modo sibimet abortum procurantes, quinimo ex vi hujus Textus *P. Naldus* acutè apud *Dianam To. 6. Coord. tr. 6. res. 35. ex par. 7. tr. 5. res. 7.* videatur illas excludere: nec improbant *Machadus*, & *Avila* apud eundem *Dianam*: Nihilominus indubitatum videtur sub illa excommunicatione comprehendere voluisse Pontificem omnes omninò personas principales, abortum procurantes, quas in illa *Constitut.* expresserat: Expressit autem sic manifestè *§. 2. Necnon prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint: & §. 5. Ac mulieres ipsas quæ eadem pocula spontè, ac scienter sumpserint*. Ergo etiam matres sibimet abortum fœtus animati procurantes dictæ excommunicationi subjacent, quod meritò etiam docet communis sententia: *Filliucc. Bonac. Dicastillus*, quos sequitur *Diana l. c.*

620 A qua excommunicatione incurrenda, quibuslibet prædictis modis procurantes, vel cooperantes ad abortum, excusat ignorantia (inquit privilegium nostrum) Et ignorantia omnis (addit *Patritius Sporer par. 4. Tyrocinii Sacramentalis, in calce Libri, ubi De Abortu, sub n.* 366. *Versu Ab hac, pag. mihi* 734.) tam *juris*, quàm *facti*. *Ignorantia etiam culpabilis*, (sic ille) *lata, crassa, supina, imò & affectata, modo cum ingenti temeritate conjuncta non sit. Nam Pontifex in dicta Constitutione iterato adjecit particulam (scienter) atqui omnis etiam affectata ignorantia excusat à pœna imposita scienter aliquid facienti ut latè probat Sanchez lib. 2. Moral. cap.* 10.

cap. 10. n. 38. & lib. 9. de Matrim. disp. 32. Non enim potest dici scienter facere, qui facit ex ignorantia qualibet etiam affectata. Dummodo tamen absit ingens temeritas, qualis adesset quando quis vehementem habet suspicionem delicti prohibiti: Talis enim temeraria ignorantia importaret latissimam culpam, & dolo æquipararetur. Ità *cit. Sporer*. Sequitur ex superius, & pluries dictis hoc privilegium.

621 Circa quod nota primò: non incurri excommunicationem à quomodolibet attentantibus abortum, nisi *effectu secuto*. Nam præterquamquod solus conatus ad crimen non puniatur pœna ordinaria, ut latè probat cum multis *Julius Clarus Pract. crim. qu.* 92. idque in Censuris generaliter ab omnibus admittatur: in hoc casu specialiter habetur apertè, significatum in verbis ejusdem *Constitutionis Sixti V.* in qua sic, *§. p. Ita ut reipsa abortus secutus sit*: & rursus sic, *§. 7. Ad tale facinus committendum, opem, &c.* Constat autem regulariter verba intelligenda esse cum effectu. Secundò: Matrem prægnantem ab excommunicatione eximi, casu quo hæc metu gravi, & cadente in constantem virum compelleretur sumere potionem abortivam: quando enim coacta sumit potionem, ex qua secuturus sit abortus, nequit propriè dici *procurare* abortum, hoc est studiosè abortum quærere. Quod similiter sentiendum est de eo alio qui metu pariter gravi coacto, aliquo ex dictis modis concurreret, cooperando ad abortum causandum: cum nec iste posset dici, ut patet, procurare abortum, & studiosè illum quærere. Concludo tamen, cautè Confessarios uti nihilominus debere hujusmodi privilegio, terrendo Pœnitentes, enarrando illis Censuras à Summis Pontificibus fulminatas, differendo absolutionem tanquam si censuras incurrissent, &c.

PRIVILEGIUM OCTAVUM.

Ignorans invincibiliter Duellum ab Ecclesia sub Censuris prohiberi, ab eisdem excusatur si Duellum peragat.

622 Admittent hujusmodi privilegium, uti admittere debent, ii omnes qui asserunt, Ignorantiam probabilem, tam juris communis, quàm particularis, à contrahendis censuris excusare: ex hoc enim principio, & supposito (ut optimè etiam noster *Caraffa de Duello trac. 5. sec. p. quæsito p. n. 2.*) valet inferre propositum privilegium; eum videlicet, qui Duellum committit, Duelli prohibitionem probabiliter ignorans, à Duellicis Censuris immunem esse. Et ratio est clara, & à priori, quia ad Censuram contrahendam requiritur contumacia, ut toties dictum est supra, *in privilegiis 4. Cap.* at qui invincibiliter, & probabiliter ignorat, non est contumax: ergo nec Censuras contrahit. Præterea ad Censuram incurrendam requiritur monitio aliqua, sed ignorans latam esse Censuram, non censetur admonitus, alioquin non ignoraret, ergo non incurrit Censuram. Vide quæ diximus *Cap. 4. à Privilegio 3. usque ad 8. inclusivè*.

623 Ex quibus Privilegiis habes etiam primò. Duellatores, scientes Duella prohibita quidem esse Divino Jure, at invincibiliter ignorantes, ea sub Censuris ab Ecclesia prohiberi, Duellum ineuntes, non esse excommunicatos: quia licet hi peccent contra Divinum jus, Monomachiam Divino Jure prohibitam ineundo: non tamen contra præceptum Ecclesiæ, Duellum prohibentis sub Censuris, cum de tali præcepto (ut supponimus) invincibilem habent ignorantiam, cum qua non adest contemptus, nec contumacia.

624 Secundò habes, Duellatores habentes etiam ignorantiam moraliter vincibilem, quæ tamen non sit crassa, & supina, excusari à Duellicis Censuris (probabiliter) secundùm aliquos graves Doctores: de qua re etiam *Caraffa tract. cit. quæsito 3. nu. 5.* negans (& optimè) *n. 6.* excusari à Duellicis Censuris, quando ignorantia, quæ Crassa est, non excusat à mortali, quod & nos docuimus *Privileg. 7. capitis 4. cit.*

625 Tertiò habes, quod & si quis sciret quidem ab Ecclesia prohiberi Duellum, ignoraret tamen prohibitionem esse sub excommunicatione, hanc non contraheret si Duellum committeret. Ratio autem est, quia ad hoc ut delinquens incurrat in pœnam Juris positivi ex delicto, non sufficit ut sciat, cognoscat, & advertat actu opus esse prohibitum à Jure positivo: sed requiritur ut sciat, cognoscat, & advertat actu opus esse prohibitum, & præterea sub tali pœna: idest, cognoscat, & advertat actu, & prohibitionem, & pœnam Juris positivi. Quando ergo Duellatores nec sciunt, nec cognoscunt talem pœnam Duello impositam, sequitur, quod Duellum ineundo excommunicationem non contrahant, excusante eos ignorantia pœnæ.

626 Quartò habes iisdem rationibus, percutientem, vel occidentem Clericum, qui scit quidem prohibitum esse ab Ecclesia percutere, & occidere Clericum, & scit

ſcit etiam hunc quem percutit, vel occidit, eſſe Clericum, ſed ignorat prohibitum eſſe ſub excommunicatione, hanc minimè contrahere. Et ità de omnibus Cenſuris in communi loquentes, aſſerunt, Doctores allati ſuperius in *Privilegiis Cap.* 4. præcipuè *Navarr. in Man. c.* 27. *n.* 274. *Verſu Decimotertio :* ubi ſic : *Ignorantia probabilis excuſat ab excommunicatione pro facto damnabili : quia licet non requiratur conſenſus delinquentis in pœnam, ut obligetur ad eam, quia obligatio non nititur ejus conſenſu, ſed poteſtate legiſlatoris imponentis eam : requiritur tamen conſenſus in cauſam, ob quam imponitur ; ut dixit S. Tho.* 2. 2. *qu.* 65. *art.* 8. *& ut quis dicatur conſentire in cauſam alicujus, non ſufficit, quod conſentiat in eo quod eſt cauſa, ſed requiritur, quod ſciat, aut ſcire debeat, id eſſe cauſam : & qui ſcit aliquid eſſe malum, & ignorat pœnam ob id impoſitam, ſcit quidem id quod eſt cauſa illius, non tamen cauſam illius :* ità *Navarr. l. c.* ubi extendit ſuam doctrinam paulo infra, nedum ad Cenſuras, ſed etiam ad alias quaſcumque pœnas exorbitantes, & extraordinarias. Quia pœna proportionari debet delicto: minus autem delinquit, qui neſcit pœnam appoſitam eſſe tali delicto, quàm qui illam novit: igitur qui neſcit pœnam appoſitam eſſe tali delicto, non incurrit eandem pœnam, quam incurrit ſciens eſſe talem appoſitam.

627 Limitans tamen *Navarr.* ſuam hujuſmodi doctrinam, non eſſe extendendam, inquit, *ad pœnas mediocres, & Ordinarias, atque juxta prudentis Viri judicium accommodatas delicto :* Nam delinquens, aut novit pœnam mediocrem : aut ſcire debuit, & potuit, ſaltem lumine naturali dictante, Delicta mediocriter ſaltem punienda eſſe: *l. Ità vulneratus, ff. Ad leg. Aquil.* Unde ignorans pœnam delicto injunctam non excuſatur à mediocri, & ordinaria pœna; excuſari verò poteſt ab extraordinaria, qualis eſt Cenſura, vel irregularitas ex delicto: ſic *Navarr. c. l.* cujus limitationem, & ſententiam, probabilem exiſtimant *Sanch. & Suarez,* quos refert, & ſequitur *Bonac. De Cenſur. in comm. diſp. p. quæſt.* 2. *punct. p. propoſit.* 3. *num.* 13.

PRIVILEGIUM NONUM.

Bellum injuſtè materialiter indicens, cum formali invincibili ignorantia ejuſdem injuſtitiæ, excuſatur à culpa.

628 Materialiter, atque re ipſa non poteſt eſſe Bellum juſtum ex utraque parte, quia realiter uni ſoli competit jus; & actus contrarii circa idem non poſſunt ex ſe pertinere ad eandem virtutem: poteſt tamen juſtum eſſe bellum formaliter, ac per accidens, propter opinionem probabilem, quam quiſque ſequi poteſt in bello indicendo, & ob invincibilem ignorantiam (quod pariter affirmo *Privil.* etiam ſequenti.) Sicque fit Bellum ex utraque parte juſtum formaliter, ſi non materialiter, nec realiter, req; ipſa, ut communiter D. D. *Covarru. par.* 2. *ad Regulam peccatum §.* 10. *n.* 6. *fol. mibi* 574. *Verſu Solet hoc* (ubi expreſsè ſic. *Cum hoſtes contrarii ſibi ſint, contraria jura neceſſe eſt habeant: quorum unum juſtum ſit, alterum vero injuſtum. Nec enim ex duobus Principibus bello pugnantibus ob aliquam Provinciam quam quilibet eorum ſibi propriam eſſe cenſet in veritate poteſt uterque juſtitiam habere ſibi fautricem : ſiquidem is juſtam habet cauſam, cujus ea Provincia propria ſit, ex quo neceſſe eſt quod alter injuſtam cauſam foveat, cum contraria hæc duo ſint, juſtum, & injuſtum. Unde planè illud mihi conſtat, non poſſe quo ad veritatem juſtum bellum utrinque eſſe : opinione vero poteſt bellum ex utraque hoſtium parte juſtum eſſe. Nam etiam ſi apud alterum tantum verè exiſtat juſtitia belli, bona tamen fide alter bellum id gerere poteſt, exiſtimans juſtiſſima ignorantia ſe juſtam fovere cauſam.* Hactenus *Covarruvias l. c.* Idemque, & ſi ſub aliis verbis, omnino habet *Franciſcus à Victoria Relect.* 6. *de Jure belli n.* 32. cujus verba per extenſum refero *Privilegio ſequenti* faciuntque ad rem hujus etiam, videantur) *Petrus Navarra De Reſtitut. lib.* 2. *cap.* 3. *à n.* 260. *Molina de Juſt. to. p. tract.* 2. *diſp.* 103. *Sancius in Selectis diſp.* 44. *n.* 60. *Valentia to.* 3. *diſp.* 3. *qu.* 16. *Tit. de Bello punc.* 2. *à Verſu Novo certum eſt, uſque ad finem ejuſdem. punc.* 2. *Regin. in Praxi fori Pœnit. to.* 2. *libr.* 21. *ſec.* 2. *Verſ. Quæritur Quartò. fol. mibi* 241. *n.* 48. *col.* 2. ubi, *An bellum poſſit eſſe utrinque juſtum. Reſponſio eſt affirmativa. P. Ceſpedes De Dubiis Conſcientiæ Militaribus Dub.* 60. *Verſu Reſpondeo poſſe. Joannes de Sylveira Opuſculor. Variorum Opuſc. ſecundo reſ.* 16. *Verbo Bellum qu.* 2. *fol. mibi* 235. *&* 236. & *alii apud Dianam Coordinat. to.* 8. *tract. p. reſ.* 17. *Ex par.* 2. *tract.* 13. *reſ.* 8. Igitur

629 Probatur propoſitum Privilegium primo. Nam fieri poteſt, ut una pars pugnet pro uſurpanda re, quæ verè ſit ſua: altera vero pars pro eadem retinenda, cum invincibili ignorantia quod ſit aliena, imò bona fide putans eſſe ſuam. Unde ex parte quidem illius, qui verè eſt Dominus, bellum,

bellum eſt per ſe juſtum, & ex natura rei, ſecundum intentionem videlicet conſequentem veram cognitionem ipſius rei in ſe, & ut ipſa eſt in ſe, in reique veritate cognoſcibilis. Ex parte autem alterius, juſtum etiam eſt idem bellum, ſed per accidens, ideſt, ſecundum intentionem conſequentem cognitionem rei falſam, ſed minime culpabilem, atque adeò non impedientem, quo minus tale bellum ſecundum intentionem quidem pertineat ad virtutem juſtitiæ, licet non verè etiam ſecundum judicium verum de re, Igitur verum propoſitum privilegium. Quod etiam confirmari optimè poteſt ex caſu quem eveniſſe in *Bellis filiorum Iſrael contra Amorræos*, putat *Abulenſis ſuper cap.* 11. *Joſue*, *apud Valentiam l. c. Verſu Quem caſum*. De quo etiam *Sylveira ubi ſupra. Nam Amorræi* (inquit *Valentia) invincibiliter ignoraſſe videntur, quod Iſraelitæ pugnarent juſtè ex mandato Dei tribuentis eis jus in vitas, & fortunas Amorræorum. Itaque per accidens videntur quoque juſtè pugnaſſe Amorræi pro defenſione ſui, & rerum ſuarum, hæc Valentia l. c.* quibus addo *Sylveiram* ſupra relatum, ibi enim & ipſe ſic: *Utrum dari poſſit bellum ex utraque parte juſtum? Reſpondeo cum communi ſententia affirmativè, quod poteſt dari, videlicet formaliter, ac per accidens, ut propter invincibilem Ignorantiam alicujus, aut propter opinionem probabilem, quam quiſque ſequi poteſt in Bello indicendo. Sic fit Bellum ex utraque parte juſtum, quod perpetrarunt Iſraelitæ contra Chananæos: erat juſtum ex parte Iſraelitarum, quia habebant Divinum mandatum. Erat etiam juſtum ex parte aliorum, quia Divinæ voluntatis, ac mandati Divini habebant ignorantiam*, ità *Sylveira*. Et ſimilis eſſet caſus (inquit etiam *Valentia punc. c.* 2. *Verſu Item eſſet.*) Si duo Principes alia quacunque de cauſa inter ſe ita pugnarent, ut eorum quilibet in ea re opinionem ſequeretur probabilem, & conſilium Doctorum, hominumque prudentum. Nam ille etiam, qui revera non haberet cauſam juſtam, propugnaret juſtè per accidens propter opinionem probabilem. *Sicut is etiam per accidens contendit juſtè in judicio* (concludo cum eodem *Valentia*) *qui ſequitur opinionem probabilem, quamvis in ſe falſam*.

630 Probatur 2. Nam, & ſi cum hoſtes contrarii ſibi ſint & contraria etiam jura habere debeant conſequenter, quorum unum juſtum ſit, alterum verò injuſtum. (Nec enim, ut optime etiam *Covarruvias nu.* 6. ex duobus Principibus bello pugnantibus ob aliquam Provinciam, quam quilibet eorum ſibi propriam eſſe cenſet, in veritate poteſt uterque juſtitiam habere ſibimet fautricem: ſiquidem is juſtam habet cauſam, cujus ea Provincia propria eſt: ex quo neceſſe eſt quod alter injuſtam cauſam foveat: cum contraria hęc duo ſint, juſtum, & injuſtum: unde planè conſtat non poſſe quo ad veritatem juſtum bellum utrinque eſſe nec poſſe juſtum eſſe materialiter, & formaliter ex utraq; parte) opinione tamen probabili poteſt bellum ex utraque hoſtium parte juſtum eſſe. Et ſi namque apud alterum tantum, verè exiſtat juſtitia belli, bona tamen fide alter bellum id gerere poteſt, exiſtimans juſtiſſima ignorantia, ſe juſtam fovere cauſam; Ergo. Vide eundem *Covarru. n.*6. *c.* ubi & ipſe *(prope finem numeri)* hoc idem confirmat argumentum, ex allato bello, quod (ut adnotavit *Abulenſis) Judęi* gerebant adverſus *Amorrhæos*, qui juſta ignorantia ignorantes divinam Juſſionem ſe defendebant ab aggreſſione Judæorum, eaque ratione exiſtimabant ſe bellum juſtum gerere. Vide etiam *Molinam diſp. c.* 103. Sed

631 Quæres, An qui ob ignorantiam invincibilem ſequutus eſt bellum injuſtum, ſi poſtea ei conſtiterit de injuſtitia belli teneatur reſtituere, ſive loquamur de Principe, ſive de Subdito. *Victoria l. c. n.* 33. *fol. mihi* 240. (cum quo & ego.) Reſpondet, adveniente notitia de injuſtitia belli teneri reſtituere ablata, quæ nondum conſumpſit, ideſt quantum factus eſt locupletior, non autem quæ conſumpſit, quia regula juris eſt, quòd qui non eſt in culpa, non debet eſſe in damno; qui autem bona fide pugnavit, licitè & ſine culpa id fecit. Idemque docet *Sylv. Verbo Bellum p. Verſu Nono quæritur*: ibi: *Si probabiliter credebat Bellum juſtum, non tenetur de conſumptis, niſi in quantum ex hoc ſit factus locupletior*. Quod totum confirmare videtur *Valent. punc. c.*2. *prope finem*: dum ibi ſic: *Quod ſi bellum facerit per ſe quidem injuſtum, per accidens autem, juſtum ob invincibilem ignorantiam, tunc poſtea quidem cognita veritate ſolùm ea reſtituenda erunt, quæ ſuperſunt adhuc ſalva, aut in quibus ſit factus quis ditior, non autem ea, quæ bona fide deſtructa, aut conſumpta ſunt, ut docent Sylveſt. Verbo Bellum qu.* 9. *&* 10. *Victoria l. c. n.* 33. *Sotus de Juſt. & Jure qu.* 7. *art.* 2. loquens de preda belli, *& communiter omnes alii*: ita *Valent. lo. cit.* referens etiam *Cajet. in* 2. 2. *D. Thom. art. p.* Et ex his apertiſſimè deduc, aliquod eſſe poſſe juſtum bellum, ut omnes docent, atque ex Sacræ Scripturæ teſtimonio ſupponunt:

communiter inquirentes causas ob quas ille qui habet auctoritatem, justè possit bellum indicere, quas vide apud citatos, & apud alios, præsertim *Coninch de Actibus Supernaturalib. Disp. 31. De Bello, dub. 2.* in quo Inquirit: *Quænam sit justa causa inferendi alteri bellum? pag. mihi* 506. & apud *Alphonsum à Castro de justa hæreticorum punitione libr. 2. cap. 14. pag. mihi 202. in qua ad rem hanc, ut sequitur.*

632 *Ut bellum sit justum, justitia illa, quæ solum excludit obligationem restitutionis eorum, quæ in bello sunt capta, sola duo sunt necessaria: videlicet authoritas, & potestas ad bellum faciendum: & causa necessaria. Si tamen bellum debet esse justum, justitia illa, quæ excludit peccatum, hoc est, ut sine peccato fiat: duo insuper alia sunt necessaria. Horum primum est, ut bono animo, & bona intentione bellum inferatur. Alterum, ut persona, quæ in bello pugnare debet, sit ad bellum legitima, idest, talis cui non sit lege prohibitum in bello pugnare. Tertium aliqui addunt, videlicet rem, pro qua bellum geritur, ita ut bellum fiat pro rebus recuperandis, aut pro Patriæ defensione. Sed hoc tertium (ut ego censeo) superfluit: quia continetur sub altero ex duobus primis, videlicet sub justa causa. Oportet igitur, ut omnia hæc quatuor, quæ diximus esse requisita, sigillatim discutiamus, & inde apertè constabit justum esse posse bellum, quod fieri contingat. Primum igitur necessarium ad bellum justum, est authoritas bellum facientis. Non enim quilibet pro suo arbitrio potest bellum mouere: sed solus ille, qui non habet Superiorem, à quo injuriæ, aut damni sibi illati recompensationem petere possit. Nam qui Superiorem habet, ad quem posse confugere pro recompensatione, aut vindicta impetrata, non potest bellum mouere. Nam Dominus hoc illi apertè Prohibuit dicens: Mibi vindictam, & ego retribuam. Inferior ergo, qui Superiorem habet, ad quem pro recompensatione damni, aut pro vindicta impetranda, confugere potest, injustè aget si propria autoritate bellum mouerit: quia sic agens, Dei præceptum transgredietur, qui vindictam prohibuit. Princeps autem, qui nullum Superiorem in ciuilibus rebus agnoscit, sicut pro Regno, aut Republica, quam regendam, aut protegendam suscepit, justè potest bellum mouere, ita etiam pro seipso quatenus persona est communis, & publica: quia non habet Superiorem, ad quem pro vindicta impetranda confugere debeat. Hoc enim apertè docet Augustinus contra Faustum libr. 22. cap. 75. sic inquiens (Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas, atque consilium penes Principes sit, exequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci, salutique communi.) Principis autem nomine hic intelligo non solum Imperatorem, & Reges illos, qui Imperatori nequaquam subduntur, sed omnes illos Dominos, qui in causis subditorum suorum definiendis plenam habent jurisdictionem, plenumque dominium. Tales sunt hodie aliqui Domini in Italia. Ut sunt Dux Florentiæ, Dux Ferrariæ, Dux Mantuæ, Marchio Montis Ferrati: Nam hi omnes ex consuetudine antiqua hanc habent in suos subditos jurisdictionem, & potestatem, ut ab illorum ciuili sententia ad nullum alium Superiorem, illorum subditi appellent. Et nescio an aliquibus Germaniæ Ducibus, aut Marchionibus, hæc authoritas, & potestas belli mouendi hodie competat. Bellum tamen nonnisi necessitate congente mouendum est, ac proinde bellum semper censendum est injustum, quando rei pro qua bellum geritur, aliter, quam per bellum potest commodè prouideri.* Hæc omnia citatus *A' Castro.*

PRIVILEGIUM X.

Belli injustitia excusari potest ab invincibili Ignorantia.

633 **B**Ellum justum nedum licitum est, & non solum fas est Christianis bella gerere seruatis conditionibus, de quibus Doctores agentes de Bello, præcipuè *Molina de Just. to. p. tract. 2. à disp. 99. usq; ad 107. inclusiuè. Et Valent. tom. 3. disp. 3. qu. 16. De Bello, punc. 2.* Sed etiam aliquando melius est quam oppositum; ita ut quandoque possit esse lethale non bellare (ut satis probat idem *Molin. Disp. c. 99.)* uti postea grauissimum semper lethale est, bellare absque justa causa, maxime ob ingentia mala, & damna, quæ secum affert bellum, ut constat: Unde injustum bellum grauissimum scelus lethale est, innumerabilibus obnoxium restitutionibus, &c. Ab hoc tamen lethali, seu à belli injustitia, excusari utique potest ob ignorantiam invincibilem, ut in posito privilegio. Quod ponit etiam *Diana tom. 7. Coord. tract. 7. res. 4. n. 3. & 4. Ex p. 4. tract. 4. res. 24.* Sic affirmans: *Dicendum est aliquando bellantes non peccare, quia ex ignorantia invincibili procedunt: non tamen sequitur ex hoc, ex utraque parte dari justum bellum; sed ex una parte dari; & in alia præsumi, & ratione talis præsumptionis potest ille actus ad virtutem justitiæ pertinere. Nota tamen quod dicta ignorantia facilius habet locum in Subditis, & militibus, qui causam belli tanto examine discutere*

tere non tenentur. Ita *Diana*, aliique. Sed

634 Oppones, Ex admissione hujusmodi doctrinæ, ac privilegii, videtur sequi, posse concedi bellum ex utraque parte justum, quod esse posse negant communiter Doctores tractantes de Bello. Probatur sequela, quia si ignorantia invincibilis excusat ab injustitia belli, jam ex parte utriusque bellum justum esse admittitur, ut ex se patet. Responsio tamen oppositioni huic in promptu est, dicendo ad rem nostram cum distinctione, Bellum esse non potest utrinque justum semoto ignorantiæ privilegio, & materialiter, concedo; bellum enim ex utraque parte justum materialiter esse non potest, & hoc est quod docent communiter Doctores tractantes de Bello, ut innuit *P. Cespedes de Dubiis Militaribus dub.* 60. Quia (ut optimè etiam *Valent. punct. c. Vers. Nono certum est*) certum est, non posse per se utrinque esse bellum justum circa unam, & eandem rem materialiter, cum fieri nequeat, ut actus, seu conatus verè contrarii circa idem, pertineant per se, & ex natura rei ad unam, & eandem justitiæ virtutem. Bellum non potest esse utrinque justum per accidens, formaliterque ratione videlicet ignorantiæ probabilis, nego: quæ negativa videtur potius communis, & plurium Doctorum sententia. Nam *Victoria in Relect. De Jure Belli n.* 32. sic: *An possit esse bellum justum ex utraque parte? Respondetur*: *seclusa ignorantia manifestum est, quod non potest contingere. Quia si constet de Jure, & justitia utriusque partis, non licet in contrarium bellare, nec offendendo, nec defendendo. Posita ignorantia probabili facti, aut juris, potest esse ex parte, qua vera justitia est, bellum justum per se: ex altera verò parte bellum justum, idest, excusatum à peccato bona fide. Quia ignorantia inuincibilis excusat à toto. Item ex parte saltem subditorum sæpe potest contingere. Dato enim, quod Princeps, qui gerit bellum injustum, sciat injustitiam belli, tamen (ut dictum est) Subditi bona fide possunt sequi Principem suum: & sic ex utraque subditi licitè pugnant*. Hactenus *à Victoria*; & idem docet *Covarruu. ad Regulam Peccatum p.* 2. *§.* 10. *n.* 6. *fol. mihi* 574. Idem habet *Reginald. to.* 2. *lib.* 21. *Cap.* 8. *De Bello sec.* 2. *nu.* 98. ibi enim ait: *An bellum possit esse utrinque justum? Responsio est, semota ignorantia non posse; posita autem ignorantia probabili, bellum esse posse utrinque justum. Poni autem potest talis ignorantia non modo ex parte militum, quod frequenter contingit; sed etiam ex parte Principis: qui licet revera habeat causam injustam, probabiliter tamen existimare potest se habere justam; ut quando homines eruditi, & boni, quos consulit, respondent, ipsum justam habere*. His denuo addo *P. Dianam to.* 5. *Coordin. tract. pr. res.* 31. *n.* 10. *ex par.* 9. *tract.* 9. *& Miscell.* 4. *res.* 46. *aliàs* 45. ubi ita: *Non implicat dari bellum justum ex utraque parte, quando ignoramus veritatem: ignorantia enim veritatis utrumque excusat, ut optimè Sanch. in Sum. lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 21. *in fine: nam tunc bellum erit justum ex una parte materialiater, & formaliter à parte rei: ex altera autem parte erit justum tantum formaliter, & erit materialiter injustum*. Pro hac eadem doctrina, & sub eadem formalitate, ac distinctione, sunt etiam *Moli. de Just. tom. pr. tract.* 2. *disp.* 103. *&* 107. *Valent. Versu cit.* aliiq; plures. Ex quibus clarè constat subsistentia, & firmitas hujus propositi privilegii.

635 Hic obiter quæres, An qui ex ignorantia invincibili, & bona fide sequutus est bellum injustum, si postea ei constiterit de belli injustitia, teneatur resarcire omnia damna, quæ intulit? procedit quæsitum tum de Principe, tum de subdito, & milite. Respondeo, Qui hoc modo bellando ignoranter, injustum intulit damnum, tenetur ad restitutionem eorum dumtaxat, quæ adversariorum erant, & quæ apud ipsum in specie permanent, vel in virtute, quia ex eis ditior factus est. A' cæterorum verò restitutione excusatur, quia bona fide, & ignorantia invincibili, liberatur ab obligatione restitutionis, quæ oritur ex injusta acceptione, vel læsione: & solum tenetur obligatione, quæ oritur ex re accepta, quæ solum urget, quando res permanet in se, aut in virtute. Qui igitur habuit probabilitatem de justitia belli; adveniente sibi notitia de injustitia, tenetur restituere ablata, quæ nondum consumpsit, idest quantum factus est locupletior, non autem quæ consumpsit, quia regula juris est, quod qui non est in culpa, non debet esse in damno: sicut is, qui bona fide fuit in convivio lautissimo furis, in quo res furtivæ consumptæ sunt, non tenetur restituere, nisi fortè quantum domi consumpsisset. Quod totum patet ex doctrina communi de Restitutione. Et ita etiam ad idem quæsitum respondent *Sylv. Verbo Bellum pr. qu.* 9. *&* 10. *Victoria l. c. n.* 33. *Soto de Just. & Jure, lib.* 4. *qu.* 7. *art.* 2. *§. Horum instar. Valent. punct.* 2. *cit. Vers. Quod si bellum*; ubi concludit in fine, quod sic docent *communiter alii omnes*. *Diana to.* 7. *Coord. tract.* 7. *res.* 6. *Ex p.* 6. *tract* 4.

tract. 4. ref. 30. cum Lorca in 2. 2. D. Tho. sec. 3. disp. 55. n. 4.

PRIVILEGIUM XI.

Ignorantia invincibilis injustitiæ Belli, excusat militem à culpa.

636 Habes hoc privilegium apud *Molinam de Just. tom. 4. tract. 3. disp. 15. n. 7.* quod etiam approbant (præter alios) *Soto de Just. lib. 4. qu. p. art. 7. lib. 5. quest. 6. artic. 4. & Victoria Relect. 5. De Indis, proposit. 5. n. 6. prope finem. Et Relect. 6. De Jure Belli. Versu Quartum dubium est. n. 32.* dum asserunt, *Bellum esse quidem non posse justum ex utraq; parte; justè tamen ambas pugnare posse ex ignorantia:* quando videlicet utraque pars putat se justam defendere causam. Item, *Nequire Bellum esse utrinque justum, nisi ubi ignorantia alterutram partium excusaret.* Insuper, *Non esse inconveniens, quod cum ex una parte est jus, & ex altera ignorantia invincibilis, quod sit Bellum justum ex utraque parte.* Tandem, *Posita ignorantia probabili facti, aut juris* (inquit *Victoria*) *potest esse ex ea parte, qua vera justitia est, bellum justum per se; ex altera autem parte bellum justum, idest, excusatum à peccato bona fide. Quia ignorantia invincibilis excusat à toto. Item saltem ex parte subditorum sæpè potest contingere. Dato enim quod Princeps, qui gerit bellum injustum sciat injustitiam belli, tamen (ut dictum est) subditi bona fide possunt sequi Principem suum: & sic ex utraque parte subditi licitè pugnant.* Quod totum, nedum authoritativè, & extrinsecè, verum etiam intrinseca ratione probat privilegium propositum: Cui subscribit etiam *P. Diana to. 7. Coord. tract. 7. res. 4. Ex par. 4. tr. 4. ref. 24.* dum ibi sic in fine: *Dicendum est igitur aliquando bellantes non peccare, quia ex ignorantia invincibili procedunt: non tamen sequitur ex hoc, ex utraque parte dari justum bellum; sed ex una parte dari; & in alia præsumi: & ratione talis præsumptionis potest ille actus ad virtutem justitiæ pertinere. Nota tamen quod supradicta ignorantia facilius habet locum in subditis, & militibus, qui causam belli tanto examine discutere non tenentur.* Si autem occasione hujus *Dianæi notabilis*: Quæras hic: An Milites tum subditi alicujus Principis, tum extranei, teneantur justitiam belli inquirere, & examinare ut licitè possint militare: Vel tantum extranei Milites ad id teneantur. Item: An Milites, sive subditi, sive non, dubitantes de justitia belli, sine peccato bellare possint? Vide eundem *P. Dianam To. 7. Coordin. c. & tract. eodem 7. ref. 36. 37. 38. 39. 40. 41.* In hac ultima quærit, *An Milites, sive subditi sint, sive non, teneantur examinare Justitiam belli?* Et respondet negativè.

CAPUT UNDECIMUM
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ

CIRCA SEXTUM, ET NONUM DECALOGI PRECEPTUM,

Non Mœchaberis: Non concupisces Uxorem proximi tui.

637 N sexto Decalogi Præcepto, quod habetur *Exodi 20.* illis verbis: *Non Mœchaberis*: prohibetur nedum adulterium Viri, quod propriè *Mœchia* dicitur, sed etiam fœminæ, & quævis alia carnalis copula extra legitimum matrimonii usum: imò quicunque alius actus illicitus ad rem veneream, & voluptatem libidinis spectans, alliciens, & promovens, ut tactus, amplexus, oscula, delectatio, & intuitus turpis, locutiones, ornatus lascivi, litteræ amatoriæ, &c. Et nedum in hoc eodem præcepto actus exteriores luxuriæ prohibentur, verum etiam actum, & affectum, seu desiderium interiorem, & voluntatem inordinatam rei venereæ: prohibito enim usu alienæ Uxoris, cognoscitur lumine naturæ prohiberi etiam ipsius cupiditatem, quę ad illum viam parat: *Matth. 5. Ego autem dico vobis, quod omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Hinc est quod ad hoc Sextum Præceptum,

Præceptum, etiam Nonum reducitur (De non concupiscenda muliere, & marito alieno) seu quod Nonum, in Sexto imbibitur, ut docent communiter Doctores, apud, & cum *Bonac. tom. 2. in Decal. disp. 8. qu. Unica, proposit. prima.* Et hinc insuper est, quod & nos hic, sub unico, & eodem Capite, Ignorantiæ privilegia ad utrumque præceptum, Sextum videlicet, & Nonum spectantia, promiscuè, & unitim afferenda proponimus.

638 Licet autem Nonum Decalogi præceptum ad Sextum reducatur, & in ipso imbibitum agnoscatur, eo quia, quando prohibetur objectum, quia de se malum est, consequenter etiam desiderium illius prohibetur: non inde tamen sequitur frustra esse additum Nonum præceptum, *Non concupisces*: magna enim cum utilitate positum fuit: Tum quia prava qualitas, & morbus pessimus peccati adeò malè intellectum, & voluntatem affecerat, ut plerique Judæi, falsò existimarint *(& fortè*, addit *Trullench in Decal. lib. 6. cap. Unico n. p. nunc idem aliqui nostri in hoc errore versantur)* solum actum externum esse vetitum, & peccatum: Tum etiam, ut clarius, & distinctius appareat, concupiscentiam, desiderium, & affectum rei venereæ vetitum esse: *Clavis Regia lib. 8. cap. pr. n. 2. Bonac. propos. c. in fine*, & alii.

639 Et si obiter hìc quæras: An ignorans invincibiliter actum internum esse peccatum, contra præceptum ut supra, cognoscens tamen actum externum peccatum esse, excusetur à culpa solum actum internum admittens? Respondeo affirmativè cum *Sanch. Tom. pr. Operis Moral. libr. p. cap. 16. à nu. 17. & Bonac. to. 2. De Peccatis disp. 2. qu. 8. punct. 3. proposit. 2. n. 27.* ubi ait, ad casum hujus quæsiti: *Eum qui fornicationem externam novit esse peccatum; sed invincibiliter ignorat desiderium fornicandi esse peccatum, non peccare desiderio fornicationis, peccare verò exterius fornicando:* pro qua re alios D. D. citat. Hinc fit hujus Capitis.

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Ignorans invincibiliter desiderium fornicandi esse peccatum, excusatur à culpa, solum actum internum, & desiderium admittens.

640 Probatur: Quia (ut optimè etiam *Sanch. n. c.*) cum proxima regula bonitatis, & malitiæ humanorum actuum sit conscientia, nullus peccare potest, quandiu ejus conscientia prudenter dictat id quod agit non esse peccatum; quod in ignorante invincibiliter contingit; prudenter enim sibi persuadet actum illum internum culpa vacare.

641 Sed contra cum aliquibus apud *Sanch. l. c. n. 16.* obiicies primò: Quia sic desiderans, & actum internum habens, vult obiectum externum, quod esse peccatum novit. Secundò: Quia volens furari, subinde præceptum vetans furtum transgredi vult. Tertiò: Quia cum sit duplex malitia, altera actus interni, altera vero externi: cum illa sola ignoretur, voluntas admittendi actum externum non erit libera à culpa. Quartò: quia voluntas hæc repugnat actuali amori Dei. Quippe hic includit efficax propositum servandi omnia præcepta: Quod hæc fornicandi voluntas non admittit, sed excludit. Tandem: quia ad peccatum non requiritur, ut quis supra suos actus internos reflectat, agnoscendo illos esse peccata, sed sufficit externam objecti malitiam nosse. Verum, respondeo cum *Sanch. n. 17. cit.* nostro proposito privilegio non obstare primum, nec secundum oppositum: Quia liberè volens actum quem novit malum, & præceptum transgredi, tunc peccat, quando ut cadit sub illam volitionem, novit esse peccatum, & adversari Divino præcepto: secus verò si nosset esse peccatum, & adversari Divino præcepto sub una ratione, & tamen ipse liberè vellet sub altera. Nec etiam obstare tertium: Quia tunc ea altera malitia non ignorata imputatur ad culpam, quando ita est volita, ut peccatum sit, quatenus sub illam liberam volitionem cadit. Quod in nostro casu non procedit: Quia malitia objecti externi dum in solo actu interno sistit, excusatur per ignorantiam. Nec etiam obstare quartum: Quia hæc voluntas per ignorantiam invincibilem excusata non repugnat actuali amori Dei. Hic enim amor includit efficax propositum servandi mandata, quatenus transgressio alicujus, ità sub voluntatem cadit, ut non excusetur invincibili ignorantia. Neque tandem obstare ultimum, quia quamvis illa expressa reflexio necessaria non sit, necessarium tamen prorsus est, ne homo sibi prudenter oppositum persuadeat.

642 Hinc deduc à pari, eum, qui invincibiliter ignorat, peccatum esse internam voluntatem furandi, occidendi, &c. dum

dum hæc in externum actum non prodit, excusari habentem illam, ratione ejusdem ignorantiæ à præcepti transgressione. Uti excusatur etiam per *Bonacin. l. c. n.* 25. cùm aliis; is, qui licet sciat furtum esse peccatum, ignorat tamen furtum imperare peccatum esse, & furtum imperat.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Qui ad fœminam accedit credens esse suam Uxorem, seu invincibiliter ignorans esse alienam, excusatur à peccato Adulterii:

643 ITà etiam *Bonac. To.* 2. *disp.* 2. *qu.* 8. *punct.* 3. *n.* 20. & ratio est clara: Quia is habet ignorantiam invincibilem facti. Secus esset si ignorantia vincibili laboraret, cum qua stat voluntarium sufficiens ad peccatum, eo quia præcedat ipsam aliqua cognitio peccati, seu obligationis, quamquam talis etiam ignorantia diminuat peccatum, ut docent communiter Theologi.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Solutus Vir, qui ad liberam, & solutam fœminam accedit, invincibiliter ignorans id esse sub lethali reatu, & positivo etiam præcepto probibitum, excusatur à peccato simplicis fornicationis.

644 SImplex fornicatio est concubitus Viri soluti, cum fœmina soluta; tales autem (soluti videlicet) intelliguntur ii, qui à Conjugio, Voto, Ordine Sacro, Religione, & Cognatione sunt liberi. *Sylv. Verbo Luxuria, qu. p.* & communiter. Unde simplex fornicatio dicitur, quia est Viri cum fœmina carnalis copula nulla graviori alia luxuriæ circunstantia affecta, & associata; & ita ob id, commune nomen, nimirum simplicis fornicationis, obtinuit: *Azor. to.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4. *in princip.* Certum autem est talem simplicem fornicationem esse peccatum, & adeò certum, ut hæreticum sit contrarium docere: *Clem. ad nostram, de Heret.* uti & damnatum ab *Innoc. XI. Pont. Maximo (Proposit. damnata* 48.) asserere, *Fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta*. Est enim mala fornicatio simplex secundum se, & intrinsecè, ut colligitur ex *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 154. *art.* 2. *& Cajet. ibidem. Soto de Justit. lib.* 5. *qu.* 3. *art.* 3. (Contendente esse errorem in fide, asserere simplicem fornicationem non esse malam ex lege naturali, & intrinsecè) *Diana To.* 8. *Coord. tract.* 6. *ref. p. ex p.* 9. *tract.* 9. *& Miscell.* 4. *ref.* 6. *aliàs* 59. *Azorio l. c. Valent. Tom.* 3. *disp.* 9. *punct.* 3. (Ubi certum esse de fide simplicem fornicationem esse peccatum mortale, contra errorem *Nicolaitarum*, &c.) *& Tambur. in Decal. lib.* 7. *cap. p. §.* 2. *n. p.* affirmante, hanc esse communem, & veram sententiam. Unde simplex fornicatio per citatos (& communiter alios) nedum est mala mortaliter, & prohibita *jure Divino*. *Tob.* 4. *p. Cor.* 6. *Ad Ephes.* 5. *Ad Galat.* 5. *Ad Hebr.* 13. *Apoc.* 21. verum etiam *jure, & lege naturali*. Tum quia simplex fornicatio excedit regulam rectæ rationis ex parte finis actus uenerei, non quia impediat generationem prolis, sed quia obstat rectæ educationi illius, quæ nimirum requirit, ut patet, operam Viri, & fœminæ, qui inter se sint devincti perpetuò legibus matrimonii. Tum etiam quia si non esset talis luxuria jure ipso naturali, & naturæ lege prohibita, in aliquo tandem urgentissimo casu posset in ea dispensari, quod nullo modo dici potest. Imò & sine dispensatione satis esset, ad licitè fornicandum, si notabile v. g. incommodum immineret alicui, ut illud evadat, juxta ea, quæ dicuntur à Doctoribus de præceptis humanis positivis, idest sola lege humana prohibitis, quę cum gravi incommodo non obligant. Ut patet in eo, qui ex. gr. dormire non potest si jejunium servet, nam omnes concedunt hunc non obligari ad jejunium, quia lex humana non tenet ubi tale incommodum sequitur. Hinc à pari dicendum de eo, qui nec die, nec nocte dormire potest, eo quia urgetur desiderio fornicandi, dato namque quod fornicatio mala sit, quia prohibita, talis prohibitio esset non obligans in hoc, vel alio simili casu, quod ullus dicere audebit.

645 Et si dicatur fornicationem esse prohibitam, & interdictam Jure Divino positivo, eo prorsus modo quo prohibetur Eucharistiæ sumptio ante confessionem peccati mortalis. Respondetur, doctrinam esse generalem, quod præcepta naturalia, sive juris humani, sive juris Divini positivi, quæ intrinsecè non sunt mala, non obligant in quibusdam casibus notabilis incommodi, judicio prudentis, & docti Viri, ut puta in casu mortis; ut videre est apud *Sanch. in Decal. to. pri. lib. p. cap.* 18. *nu.* 16. Si ergo fornicatio non esset mala secundum

secundnm se, sed solum quia prohibita, & interdicta, posset in aliquo casu exerceri, ut notabile incommodum mortis, mutilationis, &c. evitaretur, quia in casu tanti incommodi dicta præcepta non obligant per *Sanch. l. c.* & alios communiter. Sed hoc dicendum non esse constat ex se, & ex communi sensu Ecclesiæ, & Doctorum si sermo sit de fornicatione. Ergo quia hæc est ex se, & intrinsecè mala, & lethale peccatum.

646 A quo tamen, sola excusare potest invincibilis ignorantia, ut in proposito privilegio, quod admittitur, & approbatur expresè (in aliquibus saltem rudibus, valde incultis, & agrestibus hominibus) ab *Azor. par. 3. lib. 3. cap. 4. qu. p.* (citante *Sotum*) *Filliuc. to. 2. tr. 30. cap. 2. n. 50. Fagund. in Decal. to. 2. lib. 6. nu. 12. vers. Neque etiam. Carolo Bauccio tract. pr. de Miscellaneis Practicis qu. 207. Tambur. in Decal. lib. 7. cap. p. §. 2. n. 10.* & ab aliis: Unanimiter asserentibus, quod licet lumen ipsum naturæ dictet fornicationem esse intrinsecè malam, & illicitam, & adeò, ut nec sit licita de Consilio Medicorum ad tuendam vitam, & valetudinem servandam, ut supra (& innuit etiam *Fagund. n. cit.*) atque adeò circa ipsam non videatur ita de facili dari posse ignorantiam invincibilem, saltem apud bene institutos Christianos: concedunt tamen, quod possit dari tam barbarus, ac incultus populus, ita destitutus Doctoribus, & scientia rerum moralium, ut apud illum detur ignorantia invincibilis de fornicatione simplici. Quia & si præcepta Decalogi naturalia sint, & deducantur ex principiis per se notis, ut bonum amplectendum, malum fugiendum, & hujusmodi, attamen quia non ita evidenter deducuntur, poterit aliqua ignorantia probabilis, & invincibilis in talia præcepta cadere, quod enim fornicatio simplex obsit proli nascituræ, & inferat damnum illi, non ita facile ab omnibus clarè dignoscitur; nec quod inferatur injuria in corpus mulieris, quando maximè ipsa liberè consentit, & est soluta, non inquam id facilè dignoscirur apud omnes homines, sed apud pios, & benè institutos tantum, ut optimè *Azor. l. c.* & cum ipso *Filliuc. & Fagund. l. l. c. c.*

647 Cum quibus addo. Quod in Civitatibus, & oppidis, in quibus frequentes fiunt conciones, & pueri Christiana doctrina istruuntur, & Visitationes Episcoporum frequenter habentur, raro inveniretur talis ignorantia. Imò vix credibile est posse dari. Facilius in Oppidis ignorari potest fornicationem cum Meretricibus expositis esse peccatum, quam cum muliere vaga non exposita, quia sunt multi, in bene etiam instituto populo, qui nesciunt distinctionem facere inter peccata permissa, & non prohibita quoad pœnam, & quoad culpam: ex eo enim quod Meretrices non puniantur, sed publicè permittantur, putant simplicem fornicationem cum illis habere, peccatum non esse, imò esse licitum ad illas accedere: quod nedum in Oppidis, verum etiam in Civitatibus alioqui bene institutis in fide, & Religione, persæpè locum habet: ut sciunt ii, qui Confessiones excipiunt, & benè experiuntur, quos ignorantes erudire oportet, ne fœdè, & indignè errent. Ita *citati Filliuc., Fagund.*

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Qui accedit ad Maritatam, quam tamen credit esse solutam, & ignorat esse Maritatam, excusatur à culpa Adulterii.

648 Probatur. Quia licet tale peccatum sit adulterium materiale respectu illius, est tamen ratione ignorantiæ formaliter fornicatio simplex. Sicuti è contrario, qui accedit ad solutam, quam credit maritatam, committit formaliter adulterium, licet à parte rei illius peccatum (materialiter) sit simplex fornicatio: ut habet etiam *Fagund. in Decal. to. 2. lib. 8. cap. 25. sub n. 17. Versu Quartò, Quia.*

649 An verò sicuti dicta ignorantia excusat à culpa formali Adulterii, excuset etiam ab Adulterii formalis pœnis. Ex his, quæ posuimus superius *in Privilegiis Quarti Capitis* videtur affirmativè respondendum. Et ita etiam hoc idem quæsitum resolvere videtur *Fagund. Versu c.* ex doctrina quam universaliter ponit, & approbat *toto n. 17. c.* Quod videlicet, *Ignorantia invincibilis legis humanæ, excuset à pœna imposita tali lege, quamvis factum prohibitum in ea, sit etiam prohibitum lege divina, & jure divino, & naturali, idque sive lex, & statutum sit Civile, sive Canonicum, sive Episcopale, sive Papale, sive etiam Concilii alicujus Generalis, aut nationalis:* Quam doctrinam sequuntur apud ipsum *Castro lib. p. de lege pœn. cap. p. ad fin. & lib. 2. cap. 14. Soto in 4. dist. 3. art. 9. & ad 2. 2. qu. p. art. 2. Covar. ad reg. possessor. p. 2. §. 7. nu. 7. & Suar. libr. 5. de leg. cap. 12. nu. 5. fol. 519. col. 2.*

col. 2. Et ratio eſt clara ex dictis etiam *in cit. noſtris Privilegiis*. Tum quia quotieſcumque non adeſt ſcientia legis, & ſtatuti humani, non datur peccatum contra illud, & ubi non datur peccatum contra legem, nec conſequenter incurritur illius pœna. Antecedens conſtat: nil enim magis contrarium eſt peccato, quàm involuntarium: ubi autem datur error, & ignorantia legis, ibi non datur voluntas peccandi contra illam; ergo neque datur peccatum; conſequenter neque pœna. Omnis namque lex, ideò ſui notitiam requirit, ut voluntariè violetur, aliòqui, ſi ignoratur, non violatur voluntariè, cùm nil magis contrarium ſit voluntati, & conſenſui, quam error *l. Si per errorem, ff. de Jurisd. omn. Jud. & l. nihil conſenſui, ff. de regul. juris*: & ubi non eſt conſenſus, neque peccatum adeſt. Tum quia ideò promulgantur leges, ut illarum notitia habeatur, quæ ſi non habeatur non obligant, conſequenter non incùrritur illarum pœna. Tum etiam quia, ignorantia utique humani juris eſſe poteſt invincibilis, quot enim ſunt præcepta poſitiva, & quot prohibitiones, quæ licet reſpectu plurium, & multorum, illorum ignorantia non ſit invincibilis, reſpectu tamen hujus, vel illius, invincibilis eſſe poteſt? Sæpè enim homo, etiam ſi ſit literatus, non valet per ſe omnium præceptorum ſcientiam habere, & quandoque occaſiones, opportunitateſq; deficiant, ad notitiam dictorum præceptorum comparandam, eo quia non habuit unde, aut quomodo, ad illorum notitiam excitaretur. Sicut igitur ignorantia invincibilis Juris, & Statuti humani facit quod per materialem tranſgreſſionem ejuſdem non incurratur pœna, ab eodem Jure, lege, & Statuto impoſita: ità à pari nec eidem pœnæ ſubiici dicendum eſt, qui ob invincibilem ignorantiam peccat quidem materialiter, non autem formaliter, ideſt, non ſub illa ratione ſub qua à lege impoſita fuit aliqua pœna. Et ſic eſt omninò in caſu propoſiti dubii. Quare meritò *Fagundez Verſu c. in fine*, ſic: *Credo non poſſe Judicem, reperta veritate, hujuſmodi reum* (Adulterum videlicet materialiter tantùm) *punire pœna ordinaria adulteris in jure Statuta, ſed alia mitiori: imò nulla, quia revera non fuit adulterium à parte rei commiſſum: & leges, quæ morte puniunt adulterium, verum adulterium, non exiſtimatum reſpiciunt. Sic qui percutit laicum putans eſſe Clericum, non incurrit Cenſuram, Cap. Si quis, quia reuera non commiſit Sacrilegium verum, quod Cenſuræ pœnam reſpicit, licet etiam putaverit illud commiſiſſe*. Hujuſmodi autem reſolutio, & doctrina locum habet, ſive qui materialiter tantum adulteravit ignoraverit ſolam pœnam: ſive utrumque ſimul, pœnam videlicet, & legem: ſive etiam utriuſque notitiam habuerit. Quod totum conſtat ex dictis: qui enim non habet notitiam pœnæ, non eſt illius reus; multo minus qui caret notitia legis, & pœnæ ab ipſa impoſitæ: ſed neque reus eſt adulterii in caſu noſtro, & ſi dictus optimè ſciverit prohibitum eſſe adulterium lege humana, & ſub tali pœna, quia revera non fuit adulterium à parte rei ab ipſo commiſſum, & lex reſpicit, & punit verum adulterium. Vide *Fagund. à n. 18. c. uſque ad finem Capitis*.

PRIVILEGIUM QUINTUM.

Accedens ad conſanguineam, vel affinem, & ignorans eſſe talem, excuſatur à culpa formalis inceſtus.

650 Inceſtus eſt congreſſus cum conſanguinea, vel affine intra gradus prohibitos, quales ſunt omnes gradus conſanguinitatis, uſque ad quartum gradum, & affinitatis etiam, uſque ad quartum, ſi oriatur ex matrimonio rato, vel conſumato: & uſque ad ſecundum, ſi ex copula illicita. *Trident. ſeſſ.* 24. *c.* 4. Qui igitur accedit ad conſanguineam, vel affinem, neſciens eſſe talem, ut in propoſito privilegio, utique non committit inceſtum, niſi materialiter, ut patet, ergo excuſatur à culpa inceſtus formalis. Hinc optimè *Petrus à Sancto Joſeph in Summula Caſuum Conſcientiæ. Art. De Adulterio, & Inceſtu*, ſic: *Si affinitatem ignorat* (Vel conſanguinitatem) *non committit inceſtum, niſi materialiter, ſed ſimplicem fornicationem: adeoque nec incurrit pœnas formali inceſtui debitas*. Ob quæ poſtrema verba ſit.

PRIVILEGIUM SEXTUM.

Accedens ad conſanguineam, vel affinem Uxoris ſuæ, ignorans eſſe talem, nedum excuſatur à culpa inceſtus, verum etiam à pœna, inceſtui formali ab Eccleſia impoſita, ſcilicet privatione juris petendi debitum.

651 Quod dicitur de inceſtu Mariti accedentis ad conſanguineam, vel affinem Uxoris, pariformiter affirmatur de inceſtu Uxoris accedentis ad conſanguineum, vel affinem Mariti;

riti; *Pontius de Matrim. lib.* 10. *cap.* 7. *n.* 3. *Bonac. Tom. pr. de Impedim. Matrim. qu.* 3. *punct.* 12. *n.* 21. Undè optimè *Andreas à Matre Dei To.* 2. *Theologiæ tract.* 9. *de Matrim. cap.* 15. *punct.* 3. *nu.* 26. ait : *Si uterque conjux incestum cum consanguineis alterius commisit, uterque jure petendi privatur, proindeque nec reddere, nec petere possunt, & sic sunt ad invicem separandi, nisi vel dispensationem obtineant, vel absque periculo incontinentiæ velint ut fratres simul commorari, Cap. Discretionem, de eo, qui cognoscit consanguineam Uxoris suæ.* Ut autem Maritus accedens ad consanguineam Uxoris, & cognoscens eam contrahat affinitatem impedientem petitionem debiti, debet esse in primo, vel secundo gradu consanguinea Uxoris, quia ultra illum non contrahitur affinitas impediens petitionem debiti. Hinc qui cognovit consanguineam Uxoris suæ in tertio, vel quarto gradu non privatur jure petendi debitum : ita D. D. communiter apud *Gasparum Hurtadum de Matrimon. disp.* 10. *Difficult.* 7. *nu.* 30. Ratio est, quia cum *Trident.* non extendat impedimentum affinitatis ex copula illicita ultra secundum gradum ad matrimonium contrahendum; consequenter ad illius jam contracti usum, non extendit ultra hos duos gradus, ut expressè declaravit *Congregatio Cardinalium ex mente S. D. N. Gregorii XIII.* quam declarationem habes apud *Pontium De Matrim. lib.* 7. *cap.* 33. *in fine*: cujus sententiæ sunt, ultra *Hurtad. & Pontium l. l. c. c. Sanch. de Matrim. libr.* 9. *disp.* 27. *nu.* 14. *Bonac. l. c. n.* 20. *Diana to.* 2. *Coord. tract.* 6. *ref.* 242. *Ex par.* 11. *tr.* 5. *& Misc.* 5. *ref.* 38. (Hac de causa affirmans fornicationem cum affine in tertio, & quarto gradu non esse incestum: videatur.) *Franciscus Bardi in Selectis Moralib. lib.* 10. *qu.* 18. *n. pr. Andreas à Matre Dei l. c. nu.* 25. *in princ. Quintanadvenn. tom. pr. tract.* 9. *Singulari* 5. (ubi, quod immeritò docuit *Comitolus lib. p. qu.* 138. *n.* 2. etiam in tertio, & quartu gradu hoc impedimentum reperiri,) & alii communiter. Vide eundem *Quintanadvennas Singulari cit. & subseq.* 6. in quibus ponit conditiones, quę concurrere debent, ut qui consanguineam Uxoris suæ cognovit, dispensatione indigeat ad petendum debitum. Quibus præmissis.

652 Probatur privilegium propositum, primò auctoritate Doctorum, *Dianæ tr.* 6. *c. ref.* 241. *n. p. ex p.* 3. *tract.* 5. *& Misc. p. ref.* 12. (Ubi, quod hæc opinio sit multum plausibilis Confessariis Sæcularibus, qui non habent privilegium Regularium, ut possint dispensare cum pœnitentibus incestuosis ad petendum debitum) *ref.* 242. *c. & To.* 5. *Coordin. tract.* 5. *ref.* 7. *in fine*, *ex par.* 9. *tract.* 7. *Miscel.* 2. *ref.* 19. *Pontii de Matrim. lib.* 10. *cap.* 6. *n.* 10. *Sanch. de Matrim. lib.* 9. *disp.* 32. *n.* 49. *Quintanadvenn. Singul.* 6. *cit. n.* 3. *&* 4. *Bardi l. c. à n.* 3. *Andreæ à Matre Dei punct.* 3. *c. nu.* 29. & aliorum gravissimorum Authorum apud ipsos.

653 Probatur secundò ratione, quia ignarus facti, est culpæ expers, ergo etiam pęnæ. Consequentia hæc probatur : quia pęna mensuranda est per ordinem ad culpam, ut habetur *ex Cap. Felicis §. Illud autem de pœnis in* 6. Unde si quis invincibiliter ignoraret actionem aliquam esse contra jus Divinum, & naturale, non mereretur pœnam contra talis juris transgressores impositam : Sic ergo cùm pœna privationis petendi debitum conjugale sit inflicta ab Ecclesia prohibente commercium carnale cum consanguineis propriæ conjugis, ratione affinitatis, quæ inter ipsos conjuges consurgit : Si accedens quis ad consanguineam, vel affinem, ut in privilegio, ignorat invincibiliter esse talem, ignorat consequenter suum commercium cum eadem prohibitum esse ab Ecclesia, proinde non meretur privari jure quod habebat ad exigendum debitum : Ergo illius ignorantia nedum ipsum excusat à culpa incestus formalis, verum etiam à pœna; sicque verum propositum privilegium.

654 Circa quod etiam adverte cum *Quintanad. Singulari* 6. *c. n.* 5. qui commisit materialiter tantùm incestum (ut in privilegio,) & post ipsum sic commissum agnoscit cognationem fœminæ cum Uxore sua, & pœnam incestui impositam, non tamen ante incestum, vel in ipso incestu, non indigere dispensatione ad petendum debitum, cùm incestum formalem non commiserit, sicut qui congnovit nuptam existimans eam solutam, cùm postea scit nuptam esse, non imputatur ei adulterium formale, ut dictum est superius, sed de simplici fornicatione, se reum constituere, & accusare debet in confessione. Et qui juravit quod verum esse credebat, & postea falsum esse reperit, perjurium non commisit. Et qui Clericum occidit, credens esse feram, vel sæcularem, non eget absolutione ab excommunicatione, etiamsi postea sciat.

PRIVILEGIUM SEPTIMUM.

Accedens ad consanguineam, vel affinem cum scientia facti, & juris, cum ignorantia tamen solius pœnæ, is excusatur ab ipsa, & ob id non privatur jure petendi debitum.

655 S*Anchez de Matrim. to. 3. lib. 9. disp. 32. n. 49. Bonac. to. p. de Matrim. qu. 4. punct. 2. in fine. Diana To. 2. Coord. tr. 6. res. 241. n. 2. ex p. 3. tr. 5. & Miscel. p. res. 12. Et res. 242. n. 9. ex p. 11. tr. 5. & Miscell. 5. res. 38. Palaus to. p. tract. 2. disp. p. punct. 17. num. 8. in fine. Henriq. de Matrim. l. 11. c. 15. n. 11. Pontius de Matrimon. libr. 10. cap. 6. n.* 10. aliique ponunt, & approbant hoc idem privilegium, expressè affirmantes, eum, qui contraxit affinitatem, vel cognationem cum scientia facti, & prohibitionis, sive juris, sed cum ignorantia sola pœnæ, idest cum nescientia, quod ex hujusmodi copula consurgat privatio juris petendi debitum ab Uxore, talem pœnam non incurrere, nec privari jure petendi. Quod utique affirmare etiam videntur ii omnes concludentes (quos alibi superius ad abundantiam attulimus) ignorantiam pœnæ à lege impositæ, excusare ab ipsa: eo quia, *Talis conclusio, quæ magnæ est consolationis (ait Portell. in Dub. Regul. Verbo Ignorantia n. 27.) intelligenda est de quibuscumq; pœnis, sive latis à jure communi Papæ, sive à particulari Diœcesanorum ex c. 2. de Constit. in 6.*

656 Ratio autem est, tum quia, ex alibi pluries dictis, pœnæ ignorantia excusat ab incurrenda excommunicatione, aliisque censuris: ergo etiam excusabit ab incurrenda pœna privationis juris petendi debitum: tum quia quantitas pœnæ quantitati delicti proportionari debet, juxta *Cap. Fœlicis, de pœnis in* 6. & minus delictum non censetur dispositione juris puniendum eadem pœna, qua punitur majus, nisi id expressè dicatur: sed minus delictum est, & minor contemptus legis, quando hæc frangitur continens graves pœnas, pœnis ignoratis, quam iis cognitis: ergo æquum non est, quod transgressor subiiciatur eisdem pœnis pro minori delicto, ac pro majori: sic enim non videretur proportionari quantitas pœnæ quantitati delicti, ut patet.

657 Confirmatur etiam privilegium hoc (communiter admissum.) Quia ubi lex, aut Canon punit delictum, nullo alio jure prohibitum, ignarus legis, aut Canonis (ut in casu nostro) sicuti excusatur à culpa transgressionis, ita & à pœna, ut ex omnium mente pluribus in locis diximus in superioribus: ergo. Atque ita in cognitione excusare ignorantiam juris, nedum invincibilem, sed etiam vincibilem, ac culpabilem, etiam crassam, modo non sit adeo crassa, ut sit ingens temeritas ignorare, docent quamplures, præcipuè *Sanch. disp. c. 32. à n. 43. usque ad finem disp.* Hinc habes, quod conjux, accedens ad consanguineam Uxoris, per quod ex lege Ecclesiæ incurritur pœna, ut non possit absque dispensatione petere debitum à tali Uxore, liberatur talis ab hac pœna non petendi debitum, si id fecit cum ignorantia Juris, ideſt legis Ecclesiæ prohibentis eidem petere debitum, & si ignoraverit crassè, ut supra. Addunt præterea *Portel. c. Verbo Ignorantia n. 31. & Palao n. c. Versu Quartò infero.* Liberari nedum à dicta pœna, verum etiam excusari ab obligatione petendi dispensationem quando conjux habuit tantum ignorantiam solius pœnæ impositæ, ne videlicet petatur debitum, & si sciverit prohibitum esse à jure accedere ad consanguineam suæ Uxoris: *Idem existimo (ait Palao) dicendum de ignorante solum pœnam, hoc est, de ignorante sibi esse prohibitam petitionem debiti ob incestum commissum, & si sciat specialiter prohiberi.* Quod probabile existimat etiam *Sanch. disp. c. n.* 20. nec reprobat *Diana res. 241. cit. eodem n.* 2. Imo *res. seq. 242. n. 9. ex par. 11. tract. 5. & Miscell. 5. res.* 38. hoc idem additum, ac sententiam admittit: & ibi sic: *Ego alibi hanc sententiam admisi, & nunc iterum admitto, & illam novissimè docet Dicastillus de Sacram. to. 3. tract. 10. disp. 9. nu. 205. ubi sic ait: Qui factus est affinis; vel cognatus cum ignorantia pœnæ, etiamsi habeat scientiam juris, & facti, probabilissimum est non privari jure petendi. Ratio est, tum quia pœnæ ignorantia excusat ab incurrenda excommunicatione, aliisque censuris: ergo etiam excusabit ab incurrenda pœna juris petendi debitum: tum quia pœnæ quantitas debet proportionari quantitati delicti, Cap. Felicis, de pœn. in 6. minus autem delictum non censetur juris dispositione puniendum eadem pœna, qua punitur majus, nisi id expressè dicatur: sed minus delictum est, & minor contemptus legis, quando frangitur lex continens graves pœnas, pœnis ignoratis, quam iis cognitis, ergo æquum non est, quod transgressor subiiciatur eisdem pœnis pro minori delicto, atque pro majori. Ita ille:* & sic etiam *Diana res. cit.* optimè concludens ad privilegium nostrum firmandum:

Hoc

Hoc esse multum plausibile Confessariis sæcularibus, qui non habent privilegium Regularium, ut possint dispensare cum pœnitentibus incestuosis ad petendum debitum: ita *ref. Coord. anteced. supra c.* 241. *n.* 2. & ante ipsum *Portell. in dub. Regul. Verbo Ignorantia n.* 31. *prope finem*, *cum Sanch.* per hæc verba: *Hoc idem magna consolatio est, & remedium ad quietandum conjuges quando Confessor non habet specialem facultatem concessam ex privilegio ad dispensandum in tali casu: si enim ibi intercessit vera ignorantia juris, vel facti modo prædicto, non est necessaria dispensatio.* Sed

658 Contra Obiicies: Non est de ratione pœnæ esse voluntariam; ergo ad eam incurrendam non prærequiritur cognitio; consequentia sequitur, quia in tantum ignorantia impedit ejus executionem; in quantum nulla posita scientia nequit delinquens implicitè velle pœnam, seu non curare se illi subiicere patrando culpam, quod est implicitè, & indirectè velle pœnam: antecedens probatur, quia omne id, quod est pœnale, contrarium est appetitui. Respondeo ad antecedens distinguendo: non est de ratione pœnæ extraordinariæ esse voluntariam, in se, & directè, conceditur: in causa, & indirectè, negatur: requiritur enim, ut reus feratur in actionem illam cognitam ut causam pœnæ, quia tunc censetur velle implicitè, & indirectè pœnam illam: seu requiritur, ut transgrediens legem contemnet illam, ut causam illius pœnæ, contemptu tamen non speciali, & formali, sed transcendenti, & virtuali, hinc negatur consequentia.

659 Instabis. Tota ratio delicti merentis pœnam, in transgressione legis sita est: hæc autem transgressio solum expostulat notitiam legis, non pœnæ: ergo ignorantia pœnæ, à pœna non excusat. Alias invincibiliter ignorans pœnam inferni æternam impositam esse peccato mortali, illam non incurreret, quod omnino falsum est, & erroneum. Respondeo cum *Palao punc. c.* 17. *nu.* 9. Adæquatam rationem delicti merentis pœnam delicti extraordinariam, sitam esse in transgressione legis imponentis talem pœnam, non utcumque, sed cum sufficiente illius cognitione; aliter non censebitur delinquens esse subjectus. Neque obstat (inquit etiam *Palaus*, & cum ipso *Bardi qu. c.* 18. *in fine*) exemplum de pœna inferni, quam quilibet peccator meretur, esto illam invincibiliter ignoret, quia hæc pœna non est extraordinaria peccato mortali, sed potius ordinaria illius, & levior ea quam peccatum meretur, cum Deus, sicuti dicunt Theologi, puniat citra condignum. Privatio igitur illius juris petendi debitum, est extraordinaria pœna, & valdè rigida, laudabiliter tamen imposita ab Ecclesia, ut arceat homines à similibus sceleribus. Hinc infertur discrimen inter ordinariam, & extraordinariam pœnam: nam pœnæ ordinariæ se spontè subiicit peccans: voluntariè enim, & ex cognitione legis delinquens, necessariò cognoscit submittere se alicui pœnæ, saltem ordinariæ, & proportionatæ, quia scit omne malum esse puniendum, & non ita quando pœna est extraordinaria: & ideò ut hanc reus justè sustineat, debet eandem præcognoscere, & ex præcognitione eidem se subiicere.

660 Reinstabis: Vel pœna imposita proportionata est delicto, vel illi improportionata: si hoc secundum, ergo injusta, & injustè infligitur: si primum, ergo eo ipso quod quis committit delictum, tenetur subire pœnam proportionatam, consequenter cognitio, & scientia pœnæ non est necessaria ad illam incurrendam. Respondeo cum eodem *Palao nu.* 9. *cit. in fine*. Plures esse pœnas extraordinarias, & exorbitantes, delictis impositas, si delicta in se considerentur: At non esse exorbitantes, attenta delicti multiplicatione, & aliis circunstantiis, quibus Judex motus est ad pœnam illam extraordinariam constituendam. Hinc fit delinquentem ignarum, non esse obligatum subire talem pœnam, bene tamen eam, quæ delicto secundum se fuerit proportionata.

PRIVILEGIUM OCTAVUM.

Habens voluntariam pollutionem, seu mollitiem, cum ignorantia invincibili quod sit hæc lethale peccatum, ab hac lethali culpa excusatur.

661 Pollutio, seu mollities, est voluntaria seminis effusio absque copula; & quando est hujusmodi, idest plenè voluntaria in se, vel in sua causa, est peccatum mortale. Quod constat ex *Sacra Script. p. Corinth.* 6. *Nolite errare, neque molles regnum Dei possidebunt*. Et ratione etiam suadetur: quia voluntaria seminis effusio est contra finem generationis primariò à natura intentum (hinc pollutio, & mollities, dicitur immunditia contra naturam) si enim fornicatio est peccatum mortale, eo tantum, quia caret debito ordine ad prolis educationem, multo magis hujusmodi actus erit lethale peccatum; utpote conceptioni

tioni repugnans. Et nedum est illicitum, & mortale pollutionem, & mollitiem voluntariè habere, verum etiam illam (voluptatis causa) desiderare, & assensum in illam (sic) internè admittere secundùm omnes D. D. apud *Lessium*, & cum ipso *De Just. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. *n.* 104. *Versu*, *Dico primò*: consensus enim in illam delectationem, per omnes, peccatum est mortale, uti est lethale peccatum actus ipse positivus mollitiei, & pollutionis.

662 A quo tamen peccato, & lethali culpa, excusare invincibilem ignorantiam, nos affirmamus in hoc proposito privilegio (uti & innuimus supra *cap. pr. privileg.* 2. *num.* 37.) quod & affirmat clarè, & apertè *Diana to. p. Coordin. tr.* 3. *resol.* 119. *ex par.* 3. *tract.* 4. *res.* 107. *aliàs* 108. dum ibi sic: *Potest dari ignorantia invincibilis de pollutione, quæ non sit peccatum, ut in specie notant Layman in Theol. Morali, & Sanch. in Summa, &c.* Quod privilegium confirmare videtur idem *Diana*, *sequenti res. Coord.* 120. *n.* 2. *ex p.* 10. *tr.* 14. *& Miscell.* 4. *res.* 21. *aliàs* 19. *& tract.* 7. *ejusdem Tomi p. Coord. res.* 11. *n.* 4. *in fine*. *Ex par.* 4. *tract.* 4. *& Miscell. res.* 36. Hinc optimè *Leander*, *de Sacramentis tom. pr. tract.* 5. *disp.* 5. *qu.* 69. sic infert: *Ex hac doctrina constat Dianam rectè resolvisse de quodam puero, qui usque ad tertium decimum annum, non se accusavit de pollutionibus, quas ordinariè faciebat, ignorans invincibiliter illas esse peccatum; illum non fuisse adstrictum, præteritas Confessiones reiterare. Ita Leander.* Cui etiam adde (inquit *Diana res. c.* 120. *n.* 2. *prope finem*) *Ochagraviam de Sacram. tract.* 2. *de Confessione Sacramentali*, *qu.* 31. *n.* 7. *& Doctores communiter*.

PRIVILEGIUM NONUM.

Ignorans invincibiliter desideria prava carnis esse peccata, excusatur ab eorundem culpa, & reitate.

663 AD desideria prava etiam furti, vindictæ, &c. extendi potest hoc privilegium, quod nedum sequitur ex superiùs dictis; verum etiam illud deduco *ex Decis.* 321. quam ponit in suis *Decisionibus Miscellaneis Bordonus*: dum ibi sic: *Vir alioquin prudens, & sciens, qui antea in suis confessionibus nunquam se accusavit de desideriis carnis, furti, odii, &c. eo præcisè, quia putabat, ea non esse peccata, aut de illis nunquam dubitavit, sint ne peccata, non debet esse anxius circa præteritas confessiones respectu integritatis, neque tenetur illas reficere, neque hujusmodi desideria aliàs non confessa, modo confiteri. Ratio est clara; quia stante ejus bona fide, quæ secundum omnes à peccato excusat, non peccavit: nec unquam habuit cognitionem, vel advertentiam illa desideria fuisse peccata, & hæc ignorantia in eo fuit inculpabilis, sicut fuit in D. Paulo, dum dixit ad Rom.* 7. 7. *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Hæc *Bordonus*, ex quibus & ervitur planè, & probatur Privilegium nostrum, ut constat.

PRIVILEGIUM DECIMUM.

Conjugati, qui ob latens impedimentum dirimens, invalidè matrimonium contraxerunt ex ignorantia invincibili, usque dum hæc in ipsis perseverat, excusantur à culpa in eorum matrimonii usu.

664 ADeò verum est hujusmodi privilegium, ut *Suar. in* 3. *p. to.* 4. *disp.* 32. *sec.* 4. *n.* 3. *in fine. Sanch. de Matrim. To. p. libr.* 2. *disp.* 38. *nu.* 6. *Layman. libr.* 5. *tr.* 6. *cap.* 13. *nu.* 5. *qu.* 5. *Versu Dico* 2. *in fine*. *Bonac. de Matrim. qu.* 3. *punct. ult. proposit.* 2. *n.* 4. *Diana To* 2. *Coordin. tract.* 6. *res.* 244. *ex par.* 3. *tract.* 4. *res.* 80. aliique sanè graves, & multi satis, imò communiter, firmiter asseverent: Quod si Confessarius intelligat in Confessione taliter Conjugatos laborare ignorantia invincibili, vel saltem moraliter non culpabili, & arbitretur admonitione non secuturum esse fructum, sed potius animi inquietudinem, rixas, vel scandala, non esse obligationem in ipso expellendi illam sine spe fructus, atq; adeò dissimulare debere, juxta illud *S. Augustini homil.* 41. *inter* 50. & habetur *Cap. Si quis autem*, *de pœnit. d.* 7. *Si scirem tibi non prodesse, non te admonerem*. Et absolutè tacere (inquit *Sanch. l. c. n.* 7.) ne sequantur inconvenientia: aliter, admonere in hoc eventu (quando nullus speratur fructus) nil aliud esset (inquiunt citati) quàm laqueum, & offendiculum opponere: nam qui non peccabant ratione ignorantiæ, peccabunt posita admonitione, & scientia opposita: & qui prius constituti erant in bono statu, & bona fide, Confessoris monitione, in malo, & periculoso versabuntur: deinceps enim, Uxor ver. gr. impedimenti conscia tenetur potius mortem subire, quàm reddere debitum: & Vir fortè non credet impedimentum subesse. Vel non poterit ipsa detegere, ob detrimentum filiorum: vel ne famæ detrimentum ipsa patiatur;

patiatur; & inde rixæ, ac scandala, &c. Et Ecclesia ipsa non probato impedimento, compellet. Ita communiter Doctores, præcipuè *Sanch. n.* 6. & 7. Ex quibus utique constat tales Jugales invalidè conjugatos ob latens impedimentum, laborantes circa illud ignorantia invincibili, esse tutos in conscientia in usu debito Matrimonii, excusarique à peccato: nec teneri (imò non debere). eos Confessarium admonere de invaliditate matrimonii, quando fructus non speratur. Ergo verum propositum privilegium.

665 Contra quod non valet dicere, signum esse culpabilis ignorantiæ, quod sint hi pœnitentes ita dispositi, ut non speretur fructus ex scientia contraria, & admonitione Confessarii. Non inquam valet, tum quia (ut optimè etiam *Suar. l. c. n. 5. in fine*) fieri potest, ut incommodum, quod timetur, aliunde nascatur, ex timore videlicet scandali, vel alterius gravis nocumenti, ut suprà: tum etiam quia, quamvis hic timor nascatur ex fragilitate ipsius pœnitentis, vel aliquo effectu ejus, fieri tamen potest, quod hic, & nunc illa dispositio non sit culpabilis, præsertim in ordine ad tollendam dictam ignorantiam. Circa quod oportet considerare (ait idem *Suar. l. c. n. 3. in fine*) an possit id fieri sine scandalo, & gravi detrimento, maximè si matrimonium res est antiqua: posset enim grave scandalum generari, si publicè hi separentur; & si habent filios, posset esse illis grave nocumentum. Hæc enim, & similia, apprimè à Confessario ponderanda sunt (concludit *Suar.*) quia cum Dei offensa per invincibilem ignorantiam evitetur, illud materiale malum permitti potest, propter hęc graviora mala vitanda, quando alia via vitari non possent; & in hoc est necessaria prudentia Confessoris, neque alia certior regula dari potest.

666 Et hujusmodi doctrina, adeò tuta est apud *Sanch. l. c.* post contractum matrimonium, ut existimet talem esse, & practicabilem, etiam ante, sub his verbis *n. 6. c. Versu Quod verum. Quod verum esse credo, non tantum ubi jam contractum est matrimonium, sed etiam ante illud contractum: Si enim Confessarius, vel quilibet alius videat pœnitentem ignorantia invincibili impedimenti laborantem, & probabiliter fore, ut monitis non acquiescat, nec fidem adhibeat, & læsa conscientia matrimonium sit contracturus, & maxima difficultate, magnoque scandalo suborto possit à matrimonii contractu desistere: prudentissimè Confessarius aget, si taceat. Quod probant omnes rationes adductæ; & clarè sentit Navarr. cap. Si quis autem, de pœnit. d. 7. n. 73. ubi ait, se vidisse dispensationes aliquorum, qui de peritorum consilio, bona fide credebant esse legitimas, cùm tamen non essent, & tacuisse. Quia circa jus humanum errabant, ne quos ignorantia excusabat, constitueret in mala fide, & nihilominus utentes dispensatione, peccarent; & concludit statim, posse Confessarium absolvere pœnitentem, qui probabili juris humani ignorantia excusatur, si videat monitionem non profuturam: ubi clarè Navarrus loquitur ante contractum matrimonium, quando virtute dispensationis invalidæ aliqui contrahere volebant.* Hactenus *Sanchez*, & optimè ad rem privilegii propositi, ut patet.

CAPUT DUODECIMUM
DE PRIVILEGIIS
IGNORANTIÆ
CIRCA SEPTIMUM, ET DECIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM,

Non furtum facies: Non desiderabis bona proximi tui.

667 

Uemadmodum ignorantiæ privilegia ad Sextum, & Nonum Decalogi præceptum spectantia, sub uno eodemque antecedenti Capite promiscuè, & unitim proposuimus, eo quia eadem præcepta adeò videntur invicem annexa, ut unum ad alterum reducatur; ob eandem omnino causam etiam sub hoc duodecimo Capite eadem promiscuè proponimus privilegia, quæ ad Septimum, & Decimum unitim præceptum spectant, cum & hæc duo se invicem inferant, unum in altero imbibitum, ut patet: Si namque

Si namque est intrinsecè illicitum & mortale furari, erit idem & proximi bona desiderare. Unde meritò *Abellius De Septimo Decal. præcepto §.* 10. relatus *à Bartholom. Mastrio De Meldula in sua Theol. Morali disp.* 11. *qu.* 8. *art. p. n.* 151. infert: quod cum ex doctrina *D. August. lib. Quæst. Exod. qu.* 71. & refertur 14. *qu.* 5. *cap. Pœnale*; hoc præcepto prohibeatur, non solùm quævis injusta rei alienæ acceptio, & detentio, quæ furti nomine designatur, sed etiam quævis alia injusta rei alienæ contractatio, aut damni illatio, consequenter dicendum est, etiam prohiberi deliberatam quamlibet voluntatem alterius rei injustè usurpandi, vel detinendi, aut damnum illi inferendi; ut enim docet *D. Tho. p.* 2. *qu.* 72. *art.* 7. (& est communissima, & receptissima doctrina omnium D.D.) peccatum internum voluntatis, & externum operis, ejusdem sunt speciei, cum hac tamen differentia, quod peccata operis contra hoc septimum præceptum, ad restitutionem obligant, non verò peccata solius voluntatis. Hinc non pauci ex Doctoribus Decalogi præcepta exponentibus, agunt & ipsi (ut videre est apud eosdem) De Septimo, & Decimo, sub uno solo, & indiviso capite; sub quo venit materia de Justitia, & Jure. De contractibus, quasi contractibus. De restitutione, &c. Sit igitur

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Qui furto surripit rem alienam invincibiliter ignorans hoc esse peccatum mortale, excusatur ab ipso.

668 Non admittunt plures ignorantiam invincibilem respectu furti, ut videre est apud *Leandrum par.* 6. *tr.* 2. *disp.* 2. *qu.* 78. & alios: illam tamen concedit *D. Thom. in p.* 2. *quæst.* 94. *art.* 6. dum ibi notat: *Quod apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata*: & eundem *D. Tho.* referunt, & sequuntur *Trull. in Decal. to. p. lib. p. dub.* 5. *nu.* 3. *& Leander qu. c.* Ubi sic: *Ut notat D. Thomas, certa gentium natio, sine ulla ratione existimabat furtum non esse peccatum: ergo de hoc præcepto potest, & pro multo tempore, dari ignorantia invincibilis*: Consequenter (infero) in quo hæc aderit invincibilis ignorantia, & quoadusque in ipsa eadem perseveraverit, excusabitur ignorans in furando à peccato latrocinii: hæc sequela constat: Quia ignorantia (ex *D. Tho. p.* 2. *qu.* 76. *art.* 4. *in corp.* & Doctorum communi) quæ totaliter voluntarium tollit (cujusmodi est invincibilis) totaliter etiam peccatum tollit, & ab ipso excusat: Et si sic, verum utique Privilegium propositum.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Sciens furtum esse peccatum, invincibiliter tamen ignorans illud imperare peccatum esse, si tantum imperat, à culpa lethali excusatur.

669 Accipe hoc privilegium à *Bonac. to.* 2. *tit. de Peccatis disp.* 2. *qu.* 8. *punct.* 3. *proposit.* 2. in qua, Quærens *n.* 15. Utrum laborans ignorantia invincibili unius circunstantiæ, non verò alterius, excusetur ab omni peccato. Respondet (cum communi Doctorum apud *Sanch. in Opere Morali lib. p. cap.* 16. *n.* 10. *& D. Th. p.* 2. *qu.* 76. *art.* 3.) Non excusari à peccato respondente illi circunstantiæ, quam novit, seu quam culpabiliter ignorat, quia peccatum illi circunstantiæ respondens, censetur voluntarium: ex qua responsione, quæ vera est, infert ibi expressè nostrum propositum privilegium; videlicet, *Eum qui scit, aut culpabiliter ignorat furtum esse peccatum: imperare verò furtum invincibiliter ignorat esse peccatum, non peccare imperando furtum, peccare verò furando*: Ut patet à simili de eo, qui fornicationem externam agnoscit esse peccatum, sed invincibiliter ignorat desiderium fornicandi esse peccatum: is enim non peccat desiderio fornicationis, peccat verò exterius fornicando.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Qui rem sacram furto subtrahit credens esse profanam, licèt peccet peccato furti, excusatur tamen à peccato sacrilegii.

670 Sequitur hoc privilegium ex præcedenti, ut patet; & præterea hoc idem confirmatur ex doctrina quam habet *P. Duardus in Bull. Cœnæ l p. cap.* 2. *qu.* 5. *num.* 21. Ubi ad rem hanc, ait sic: *Ignorantia invincibilis circunstantiæ, seu qualitatis ejus, quæ speciem peccati constituit, aut graviorem reddit, excusat à censura lata contra talem culpam ratione talis circunstantiæ. Ut si v. g. sententia excommunicationis feratur contra quoscumque sacrilegium committentes, si quis rem aliquam sacram furto subtraxerit credens esse profanam, licet peccet peccato furti; quia tamen excusatur à peccato sacrilegii* (ecce privilegium nostrum) *excommunicationem non incurrit*: *Nam sicut ignorantia, à quo solo* pendet

pendet tota malitia operis, excusat à tota malitia peccati; ita ignorantia circumstantiæ, & qualitatis, à qua malitia operis partim pendet, ab ea malitia, & specie peccati excusabit, quæ ab illa circumstantia, & qualitate ignorata, deducta, & constituta fuerit. Unde cum in casu privilegii propositi, ignoretur id, à quo partim pendet malitia operis, eo quod ignoratur rem esse sacram, ignorantia hujus circunstantiæ, à qua malitia operis partim pendet, ab ea malitia, & specie peccati excusabit. Et excusaret etiam consequenter à censura, si hæc lata esset pro tali circunstantia peccati, idest, pro furto rei sacræ, maximè in loco sacro, & loco sacro Ecclesiæ, &c. Quod patet etiam ex eo quod superius diximus de percutiente Clericum, invincibiliter ignorante, eum quem percutit Clericum esse; hunc videlicet non incidere in excommunicationem *cap. Si quis suadente Diabolo:* ignorantiæ ejusdem causa, ratione cujus non percutit formaliter Clericum, sed hominem tantum, contra quem actum non est lata excommunicatio.

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Qui sacras Reliquias ex devota ignorantia furatur, à mortali excusatur.

671 A Mortali excusatur ex verbis ipsis *Joannis de Alloza in Alphabeto Morali, Verbo Reliquiæ n.* 4. ubi sic: *In furto Reliquiarum non potest esse parvitas materiæ: gravitas autem non est pensanda ex quantitate tantum, sed ex dignitate, & raritate: unde furari minimam particulam ligni Sanctæ Crucis erit mortale, nisi devota ignorantia excusetur.* Dari tamen parvitatem materiæ in furto Reliquiarum, tenet *P. Diana to.* 8. *Coord. tr. 7. ref. p. n. pr. ex p. 5. tr. 5. ref. 35. & ex Portel. in Dub. Reg. Verb. Reliquiæ Sanctor. Basilæus Verb. furtum primò, nu.* 3. *Versu, Sed quæres.*

PRIVILEGIUM QUINTUM.

Qui modico furto infert damnum notabile, & hoc ignorat, à mortali excusatur.

672 QUi multa parva furta committit, non quidem ex intentione perveniendi ad summam notabilem, sed ex oblata sibi occasione, non peccat mortaliter in singulis ejusmodi levioribus furtis, sed ad summum in ultimo, quo mortalem quantitatem attingit: *In quo etiam furto* (ait *Petrus à S. Joseph in Summula Casuum Conscientiæ cap. 7. de septimo Decal. Præcepto art. p.* ad rem hujus privilegij) *adhuc potest à mortali excusari; si illud committat præteritorum immemor, aut nullo modo cogitans ex illis omnibus coalescere quantitatem notabilem, sufficientem ad peccatum mortale.*

673 Dicitur *ad summum*, eo quia non pauci existimant, non peccare furem mortaliter, quatenus accipit rem illam minimam, qua scit notabilem quantitatem compleri; sed quatenus ejusmodi quantitatem jam injustè retinet. Quamvis tamen opposítum sit tenendum, cum peccatum sit mortale, notabile damnum alteri inferre, quod fieri censetur, quando notabilis summa per ultimum furtum completur. Ex quo colligi etiam potest, eum qui post completum dicto jam modo furtum mortale, alia nova exigua furta perpetrat, peccare item mortaliter, & toties quoties: & eo gravius peccare quo notabilior est res accepta; nisi fortè ob interpositam pœnitentiam, hujusmodi nova exigua furta, cum præcedentibus haud continuentur moraliter.

674 Quicquid autem sit de tali speculatione, dicit privilegium nostrum (quod, & affirmat idem *A Sancto Joseph l. c.*) eum, qui modica furta committendo, pervenit ad notabilem quantitatem, ob ignorantiam tamen, aut bonam fidem, id nescit, vel non advertit (quod in praxi plerumque contingere potest) excusari à mortali. *Et etiam ab obligatione restitutionis sub mortali, quod à Confessario prudenter expendendum est,* (addit, & consequenter loquendo concludit idem Author.) Cum quo (privilegium hoc concludendo) adverto: Quod & si quando plures ex mutuo consensu quantitatem notabilem ab aliquo auferunt, licet singuli exiguam, tunc peccent omnes mortaliter, teneanturque ad restitutionem; ita ut quilibet per se teneatur restituere modicum id quod accepit: & in defectum aliorum, unusquisque taneatur in solidum, idest restituere totum, quod ab aliis acceptum est, cum suo modo totius damni sit causa. Si quis nihilominus accipiens modicum, *ignoret* alios plerosque similia damna inferre, non peccat mortaliter accipiendo, aut non restituendo; quia non est causa nisi damni exigui, quod ipsemet infert: ita dictus *A S. Joseph*. Qui pariter ex probabiliori sententia etiam existimat idem dicendum, quando quis modicum accipiens, scit quidem à plerisque aliis damnum notabile inferri, non tamen est causa

talis damni, nec in illud consentit. Unde excusantur à mortali Viatores, qui unam, aut alteram uvam ex vinea aliena colligunt; & si non ignorent plerosque alios illac transeuntes, similia furta committere. Quia cum non sint causa gravis damni ab aliis illati, nulla est ratio cur illud teneantur resarcire.

PRIVILEGIUM SEXTUM.

Rem alienam surripiens ignorans esse talem, nedum à peccato mortali, verum etiam à veniali excusari potest, atque à restitutione.

675 Certum est, imò de fide, furtum, quod hoc Decalogi septimo præcepto prohibetur, esse peccatum mortale ex suo genere, ut constat etiam *ex p. ad Corint. c. 5. Fures regnum Dei non possidebunt.* Et accedit ratio, quia furtum nedum charitati contrariatur, qua proximum diligere tenemur, ac proinde velle illi bona, & non inferre mala, & nocumenta; sed etiam justitiæ opponitur, quæ reddit unicuique quod suum est, peccatum autem contra justitiam nedum mortale est ex genere suo, sed etiam ad restitutionem obligat. Adde, quod furtum est contra bonum commune, contra pacem videlicet societatis humanæ, quæ per furta valdè turbatur, atq; dissolvitur.

676 Quamvis autem furtum sit hujusmodi, lethale peccatum videlicet ex genere suo, in quibusdam tamen casibus, & circunstantiis (inquit *Mastrius in Theologia Morali disp. 11. qu. 8. art. pr. nu. 153.*) *potest quis non solum à peccato mortali, sed etiam à veniali excusari.* Et si ei quæras in quibus casibus, & quandoque ita excusari potest? Respondet: *Quando indeliberatio intervenit, defectus judicii, probabilis rei alienæ ignorantia.* Cui responsioni accedit etiam *Trull. in Decal. lib. 7. cap. 5. dub. 2. n. 2.* Ubi referens quinque casus in quibus furtum, seu acceptio rei alienæ non est peccatum, quartum casum ait esse, *Si ex ignorantia alienum quis accipiat.* Quod est expressa positio privilegii propositi, ut patet. Et adde, eandem ignorantiam rei alienæ excusare etiam à restitutione, quandiù durat, cum *Fagund. in Decal. to. 2. lib. 7. c. 25. nu. 2.* sub his verbis expresè: *Ignorantia invincibilis debiti, & quod res sit aliena, omninò excusat à debiti solutione, restitutioneque, quandiù durat.*

PRIVILEGIUM SEPTIMUM.

Ignorantia probabilis, à peccato, & restitutione excusat eum, qui recipit aliquid gratuitum ab eo, qui donare nequit.

677 Apud *Navarr. Man. cap. 17. n. 105. in principio:* habes hoc privilegium, sub sequentibus verbis: *Qui recipit aliquid gratuitum ab eo, qui donare non poterat, nisi ignorantia probabilis excuset, ad restitutionem tenetur.* Ignorantia igitur probabilis per *Navarr.* (& communiter) excusat à restitutione eum, qui cum ipsa recipit aliquid gratuitum ab eo, qui donare non poterat, & si à restitutione, à peccato etiam consequenter excusat, ut in privilegio. Qui autem sint qui donare non possunt? Sunt Religiosi professi, item professæ Moniales, servi, & alii, qui non habent dominium, vel aliquid suum proprium: item filii, qui sunt in potestate Patris, &c. Qui tamen post gratuitum cum dicta ignorantia, & bona fide ita receptum resciverit, ob dominii carentiam, esse malè donatum, & perceptum, tenebitur restituere: nisi aliquid ei suffragari videatur, cujus ratione liber censeatur, nec obnoxius tali restitutioni in conscientia.

PRIVILEGIUM OCTAVUM.

Qui detinet hominem, injustè ex ignorantia servum factum, eundemque sic possidet, tutus est in conscientia, & ab injustitiæ culpa excusatur, quandiù ignorantia, & bona fides durat.

678 Jure naturæ non habet homo dominium alterius hominis. Est commune. Et ratio est, quia omnes homines naturæ conditione sunt pares, cum sint omnes ejusdem naturæ; ex eodem parente, & ad eundem finem conditi. Quare *servitus* non est de Jure naturæ, nemo enim natura est *servus* propriè, licet quidam à natura sint magis apti ad imperandum, & alii ad serviendum (ut innuit etiam *Aristot. lib. p. Polit. cap. p. & 3.* dum dixit: *Quosdam natura servos, quosdam dominos*) Cujus signum est, quod in statu naturæ integræ nulla futura fuerit servitus, ut docent *D. Augustin. libr. 19. de Civitat. cap. 15. D. Gregor. libr. 21. Moral. cap. 11. Less. de Just. libr. 2. cap. 4. dub. 9. nu. 54. Trull. in Decal. To. 2. l. 7. cap. p. dub. 8. nu. p.*

nu. p. & alii: Quia servitus est pœna peccati. Jure tamen gentium, & Civili, potest quis effici servus, ut patet ex *Script. S. Exodi* 21. *Levit.* 25. *Deuteron.* 20. & 21. *p. Corinth.* 7. ubi *Apostolus Paulus*, *servus vocatus es? non sit tibi curæ*. Unde constat etiam Christianos esse posse servos nedum Gentilium, sed etiam Christianorum: de qua re videndus *Gratianus dist.* 54. Quatuor autem titulis præcipuè acquiri potest hominis dominium, vel servitus, ut videre est apud *Less. lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 4. *Sanch. Consilior. tom. p. lib. p. cap. p. dub.* 3. & 4. *Trull. Dub.* 8. *c. n.* 3. 4. 5. 6. & apud alios: Titulo videlicet *Belli*, *Nativitatis*, *Condemnationis*, & *Emptionis*, *ac venditionis*.

679 *Jus belli* est primus titulus, ratione cujus in bello justo capti, fiunt servi capientis *Leg. Hostes*, *ff. de Captivis*: qui titulus in naturali miseratione fundatur; poterant enim sic capti, justè occidi, & servantur, morte in servitutem commutata; & ob id servi à serando dicti sunt *Instit. de Jure personarum*, *§. Servi autem*. Hoc autem jus extenditur etiam ad parvulos hostium, & innocentes; hi enim & si non peccaverint, servituti tamen possunt subiici, tanquam hostilis Reipublicæ membra, quæ uti commodis, ita & incommodis sui corporis participant, præsertim in bonis externis. Apud Christianos autem (ut advertit etiam *Less. dub.* 4. *c. n.* 12.) consuetudine introductum est, ut Christiani à Christianis capti non fiant servi, in honorem libertatis, quam per Christum consecuti sumus. Si bellum tamen injustum gerant Christiani contra infideles, & capiantur, fiunt eorum servi jure gentium. Videatur *Covar. in Reg. Peccatum* 2. *§.* 11. *n.* 6. Secundus titulus est *Nativitas*; ratione cujus efficitur servus, qui ex ancilla natus est: nam partus sequitur ventrem, *l. Partum*, *C. de rei vindicatione*. Idque merito quia mater est certior: & plus confert materię corpulentæ, quam pater; servitus autem secundum corpus convenit. Vide *Less. l. c. num.* 13. & *Trull. l. c. n.* 4. Tertius titulus est *Justa condemnatio*: Potest enim quis, sicut ad mortem naturalem, ita ad servitutem, quæ mors civilis est, condemnari. Vide item *Less. n.* 14. & *Trull. nu.* 5. Quartus titulus est, *Emptio*, & *Venditio*: Intellige de illa emptione, qua quis vice prima fit servus ex libero, ut quando quis vel seipsum vendit, vel à parentibus venditur. Quod utrumque validè, & justè fieri posse, sub quibusdam tamen conditionibus, probant præter alios (easdemque conditiones referunt) *Less. l. c. n.* 16. & *Trull. l. c. n.* 6. Et sicuti conditionibus ipsis concurrentibus omnibus, per D. D. eosdem, venditio est valida, per ipsosmet, si vel una desit, jure communi est irrita.

680 Dicit ergo propositum privilegium nostrum quod qui hominem servum factum absque justo titulo, injustè sic detinet, ac possidet: si ex ignorantia eundem detineat, & possideat, excusatur ab injustitię formalis culpa, quandiù ignorantia eadem, & bona fides durat: quod privilegium nedum ex se se certum videtur, verum etiam apertè, & clarè à D. D. admissum, & approbatum. Nam *Trull. dub.* 8. *c. n.* 10. illud idem ponit sub his verbis: *Ubi primum constat aliquem injustè servum factum fuisse, tenetur eum Dominus libertate donare; quamvis bona fide multo tempore possiderit, poteritque, si infidelis sit, permitti ut ad suos se conferat; fieret namque ei injuria, si invitus detineretur. Sic qui novit rem, quam possidet bona fide non esse suam, tenetur eam restituere. Hinc patet quid dicendum de Æthiopibus: nam: si majores vigintiquinque annis se vendunt ipsi: Vel à Patre, egestate oppresso, venduntur; optimo jure possidentur. Similiter, si justo bello capiuntur. At, si rebus levibus, & næniis decepti ad portum ducuntur, ubi capiuntur, & inviti venduntur, non valet emptio, & tenentur eos ad pristinam libertatem restituere. Unde in conscientia tuti non sunt illi, qui eos capiunt: nec illi, qui ab eis illos emunt: nec qui eo modo possident, nisi ignorantia invincibili, quæ rarissimè in his contingit, excusentur; ideoque tenentur eos manumittere, etiamsi non possint pretium recuperare, quamvis bona fide emerint*: ità *Trull. n. c.* Vide *Less. dub.* 4. *c. n.* 13. *Versu Adverte tamen*: & *eundem Trull. l. c. n.* 3. *in fine*: Cum quibus etiam adverte, eum, qui in bello ex parte sua Justo capitur non contrahere veram servitutem. Quod si utraq; pars ignorantia laboret, & utrinqne justitia belli sit dubia, ob probabile jus alterius partis, capti fiunt tuta conscientia utrinque servi, ut rectè etiam *Covarr. l. c.* Ubi tamen deposita ignorantia, & dubietate, constare ceperit, cui parti faveat Justitia, tunc ea pars, quæ injustè ex ignorantia cepit, debet captum in libertatem sine pretio restituere.



PRIVILEGIUM NONUM.

Occidens hominem cum ignorantia comitante, ab obligatione restitutionis excusatur.

681 CErtum est injustum homicidam, eum nempe, qui cum peccato occidit, teneri restituere omnia damna ex tali homicidio in temporalibus data, eo quia fuit ipse omnium injusta efficax causa. *Qui tamen occideret cum ignorantia comitante, non teneretur restituere: (Trull. in Decal. To. 2. lib. 7. cap. 8. dub. p. n. 8.)* Hocq; accideret, quando quis ex. gr. proiiceret sagittam, omni adhibita diligentia, ne aliquem occidat, & casu peremit hominem, vel etiam hostem, quem necare optabat, & si sciret, etiam necaret. Et ratio est clara, quia sola iniqua voluntas non obligat ad restitutionem, eùm ea nequeat proximo nocere: nec etiam opus illud externum, cùm ex invincibili ignorantia proficiscatur, ut in privilegio; nec idemmet opus exterius ex mala voluntate processit, tantum enim intendebat venari cùm sagittam projecit, eandemque projecit omni adhibita diligentia, ergo. Ante *Trull.* ponunt, & approbant hoc idem privilegium *Petrus Navarra de Restit. lib. 2. cap. p. n. 73. fol. mihi 27. & Sanch. in Consil. to. p. libr. pr. cap. 4. dub.* 8. apud quem, *etiam Henriq. lib. 11. de Matrim. cap. 10. initio, Commento littera A.*

682 Et hinc deduc, nec etiam ebrium, aut dormientem, & in somnis sine culpa occidentem, teneri restituere: Secus verò si culpa non vacavit: idest, si cum esset in vigilia prævidere potuit, & debuit, quia probabiliter timebat id damnum, & malum eventurum; nam si sic, imputari illi debebit homicidium, cum fuerit in lata culpa, & in causa volitum, unde mortaliter peccavit se inebriando, vel dormiendo ante factam diligentiam ne eveniret; sicque tenebitur restituere, eum homicidium non sit omnino casuale: ita *Navarra n.* 74. & cum ipso *Sanch. dub. cit. n.* 4. & cum hoc *Trull. n.* 8. *c.* Vide *Comitol. lib. 5. Moralium Responsf. qu.* 5. in qua plura eruditè, doctè, & subtiliter De Peccatis Ebriorum.



PRIVILEGIUM DECIMUM.

Monetam adulterinam, falsam, diminuti ponderis, &c. cum ignorantia, & bona fide expendens, à culpa, & à restitutione excusatur, quandiù ignorantia eadem, & bona fides durat.

683 PEccare mortaliter, & ad restitutionem teneri qui monetam talem expendit, non est qui neget, & in confesso est apud omnes: Ignorantia sola, & bona fides (quandiù durat) ab utroque, à peccato videlicet, & à restitutione excusat; quod privilegium affert expresse *in suo Libello De Monetarum Potestate, & Utilitate, Gabriel Biel quæst. Unica, Conclus.* 4. *fol. mihi* 7. ut sequitur: *Expendens scienter monetam non currentem, aut alias minus valentem, pro bona, & currente, fraudat proximum, atque decipit dando malum pro bono. Dicitur notanter (scienter) quoniam si ignoranter fieret, ut quia ignoraret valorem monetę, quam expendit; excusaretur saltem à peccato, & etiam à restitutione, durante ignorantia. Si tamen postea sciverit, tenebitur ad restitutionem; quia sive scienter, sive ignoranter damnifico proximum, teneor eum relevare indemnem, postquam mihi innotuerit illatum damnum:* ita *citatus Biel.* Et hoc idem privilegium admittit, eidemq; subscribit *Trull. in Decal. to. 2. lib. 7. cap. 12. Dub. 2. nu.* 6. sub his verbis: *Qui mala fide accepit monetam adulterinam, non potest illam expendere, & si illam expendit, peccat etiam eodem peccato ac falsificator. Quod si bona fide accipit, & bona fide expendit, durante bona fide excusatur ob ignorantiam: comperta autem veritate, restituere tenetur: sicut qui bona fide vitrum inventum in agro vendidit pro gemma, non enim excusatur eo quod ab alio acceperit: nam error meus alteri nocere non debet.*

PRIVILEGIUM XI.

Confessarius, qui non monet, nec arctat pœnitentem ad debitam restitutionem, id omittens ex ignorantia invincibili, vel naturali oblivione, excusatur ipse ab obligatione restitutionis, nec tenetur restituere illud, quod pœnitens alteri debet ex justitia, & in conscientia.

684 SUpponit hoc privilegium, quod Confessarius, qui culpabiliter non obligavit pœnitentem ad restitutionem, peccet, & teneatur ipse restituere, quod docent

docent *Sylv. Verbo Uſura 7. qu. 2. in fine*. *Zanardus in Directorio Confeſſarior. par. 2. De 7. & 10. Decal. præcept. c. 26. fol. mihi 989. Dub. 3. Petrus Navarra de reſtit. lib. 3. cap. 4. n. 125. Martinus Navarrus in Manual. cap. 17. n. 22. Clavis Regia lib. 10. cap. 14. n. 16. & 17. Filliuc. tract. 32. cap. 3. qu. 12. Verſu Dico ultimò, n. 79. Cardin. Lugo de Pœnit. diſp. 22. ſec. 3. n. 61. Suar. de Pœnit. diſp. 32. ſec. 6. n. 8. Antonius à Spir. Sancto in Directorio Confeſſarior. par. p. trac. 5. diſp. 18. §. 2. n. 1488.* & alii apud iſtos, & *apud Bonacin. tom. 2. de reſtit. in Genere, diſp. pr. qu. 2. punct. 11. n. 15. Dianam to. p. Coord. tract. 6. reſ. 22. ex par. 2. tract. 16. & Miſc. 2. reſ. p.* & alios: Quod autem dicunt de Confeſſario, affirmant etiam de aliis, quibus ex officio incumbit cura animarum, qualis eſt Epiſcopus, vel Parochus: item de aliis Confeſſariis; nam quilibet Confeſſarius, aut eſt Parochus, aut ſaltem vices gerit Parochi. Et idem etiam affirmant de Conſultore, & Conſulente ex officio, & profeſſione. Hujus autem ſuppoſitionis, & ſententiæ, Ratio eſt: Quia tam Parochus, quàm alius Confeſſarius (nam vices gerit Parochi) tenetur ex officio docere pœnitentem neceſſaria: Ergo ſi non admonet pœnitentem reſtituere, non adimplet id, quod debet: ergo tenetur ipſe ad reſtitutionem, quia non admonendo, virtualiter dicit illum non teneri, atque adeò cauſa eſt moralis; ut pœnitens non reſtituat, conſequenter eſt cauſa damni alterius tertii: unde ſi aliud non eſt remedium, ipſe tenebitur ad reſtitutionem, quia verè intulit damnum contra juſtitiam, tacendo; quando loqui tenebatur. Et magis ratio hæc urgebit, ſi Confeſſor poſitivè conſulvit, vel induxit ad non reſtituendum: ſic etenim revera commiſit injuſtitiam contra tertium, ſive id fecerit ex malitia, quod eſt evidens; ſive ex gravi negligentia, quia ex juſtitia non ita temerè uti debet ſuo munere cum detrimento alterius.

685 Hoc inquam totum ſupponit propoſitum privilegium, quod utique excuſat (ut patet) liberat, & abſolvit ab hujuſmodi reſtitutionis obligatione Confeſſarium ipſum, ex ignorantia, vel naturali oblivione (ut ſupra) non monentem, nec cogentem pœnitentem ad reſtitutionem, ad quam idem in conſcientia tenetur. Quod privilegium (approbantes) afferunt etiam, *Trull. in Decal. lib. 7. cap. 13. dub. 3. n. 11.* Ubi ſic: *Utrum Confeſſarius, qui non monuit, nec cogit pœnitentem, ut reſtituat, teneatur reſtituere illud, ad quod pœnitens tenetur. Certum eſt, ſi id omittat ex ignorantia invincibili, vel naturali oblivione; vel ex leviſſima negligentia, non teneri: non enim tenetur exactiſſimam, & diligentiſſimam adhibere diligentiam, ſed ſufficit ea, quam communiter diligentes, timorati, ac docti adhibent: Unde ſolum quæſtio eſt, quando culpa eſt in Confeſſario non monente reſtitutionem:* & *Diana l. c.* extendens ibi latius privilegium ad ignorantiam videlicet etiam vincibilem: ait enim; *Dico igitur non ſolum Confeſſarios, ſed Prælatos, & Parochos, quando ex ignorantia etiam vincibili non obligant pœnitentem ad reſtituendum, ad nullam reſtitutionem teneri:* ſic *reſol. c. n. 2.* Accedit etiam *Zanardus l. c.* dum ibi ſic: *An Confeſſor non obligans ad reſtitutionem pœnitentem, teneatur ipſe ſatisfacere. Reſpondetur, quod vel hoc facit ex malitia; vel ex culpa; vel ex oblivione: ſi primum, & ſecundum, tenetur. Si ex oblivione provenit, ad nihil ſic obligatur, cum etiam peritiſſimi homines quandoque in propriis deficiant; neque enim omnia memorare poſſumus.*

686 Si autem hìc quæras, an Confeſſarii verè teneantur ad reſtitutionem, quando ſua culpa, vel malitia non admonent, aut non cogunt pœnitentem ad reſtitutionem faciendam; quam feciſſet pœnitens, ſi illam Confeſſarius eidem injunxiſſet, vel abſolutionem denegaſſet. Affirmativè reſpondent ſupra citati in principio, & alii; idque ob communem eorundem Doctorum rationem ſuperius traditam: Quia videlicet Confeſſario incumbit ex ſuo proprio officio onus tradendi neceſſaria pœnitenti, eundemque inſtruendi; cum ergo hunc non admoneat, facit contra ſuum officium, conſequenter ipſi, tanquam veræ, & efficaci cauſæ videntur damna imputanda, ergo ab ipſomet reſarcienda. Nec refert (inquit *Petrus Navarra nu. c. 125.*) Confeſſarios, non in gratiam creditorum officium habere, nec ab eis mercedem accipere: quia ex quo habent ex officio facere, cauſæ damni verè dicuntur. Maximè quia intentio fidelium (addit *P. Navarra*, & cum ipſo *Clavis Regia n. c. 17.*) decimas Miniſtris aſſignantium, & etiam Eccleſiæ conferentis eis hujuſmodi officium, ea eſt, ut non ſolum ſaluti pœnitentis, ſed etiam bono communi conſulant diligenter curando, ne Reſpublica, aut alii Fideles, quantum in illis eſt, damnum aliquod, aut injuriam patiantur. Cui ſanè officio minimè ſatiſfaciunt, dum ex eorum negligentia non admoneatur pœnitens de re ad ſalutem ſibi, neceſſaria, & alii deinde damnum patiuntur. Et hinc eſt, quod Confeſſor, Epiſco-

Episcopus, vel Curatus tenebitur de levi culpa, siquidem officium habet in gratiam, atque utilitatem suam, & reipublicæ, cum ob id ei decimæ, stipendiaque assignentur. Cæteri verò Confessarii, ut sunt Religiosi, & alii delegati, qui non ex officio munus exercent, solum de lata culpa tenentur. Sic *P. Navarra*, & cum ipso *Clavis Regia l. c. & Less. libr. 2. cap. 13. dub. 10. n. 77.* Quibus videtur accedere *Filliuc. n. 79. cit.* dum ibi affirmat Confessarios non cogentes pœnitentes ad restitutionem, vel non monentes, quando tenentur, esse obligatos ad restitutionem, si sint ex officio habentes curam animarum, ut Episcopi, vel Parochi: si autem alii non ex officio, ut Religiosi non tenentur ad restitutionem. *Quamvis* (concludit postea numerum) *probabile sit, neque etiam eos, qui ex officio tenentur, esse obligatos: quia obligatio eorum est solum in ordine ad spiritualia, procurando salutem pœnitentium, non ad temporalia aliorum.* Juxta quam conclusionem

687 Respondeo & ego ad quæsitum negativè, uti etiam faciunt *Less. Dub. cit. n. 78. in fine. Suar. sec. 6. c. n. 9. versu, Ego verò. Valent. To. 3. disp. 5. qu. 6. punct. 3. Versu, Alii autem. Sanch. in Summ. libr. pr. cap. 6. n. 5. in fine. Sà Verbo Restitutio n. 2. in fine. Bonac. n. 15. c. Versu Verum quia*. *Diana nu. 2. cit. & To. 8. Coordin. tract. 7. res. 34. n. 2. propè finem: Ex par. 11. trac. 6. & Miscell. 6. res. 18. Cardin. Lugo l. c. n. 67. Antonius à Spir. S. §. 2. c. n. 1485. Fagund. in Decal. lib. 8. cap. 27. n. 18. in fine*: aliique plures. Quorum omnium (uti & hujus nostræ responsionis) communis ratio est: Quia Confessarius non tenetur ex officio, & ex justitia prospicere bono temporali aliorum, sed bono spirituali pœnitentis, non alterius: nam officium, quod Confessario ex justitia incumbit, solum est in ordine ad spiritualia, & negligens in officio peccat contra Religionem potius, quàm contra justitiam, exercendo negligenter sacrum Ministerium. Unde omittens monere pœnitentem ad restitutionem, non tenetur restituere, quia Confessarius ad eandem monitionem non tenetur ex justitia in favorem eorum, quibus restitutio fieri debet, sed ex Religione in favorem perfectionis Sacramenti Pœnitentiæ: & ad summum etiam ex justitia in favorem pœnitentium in bonum spirituale. Nec inquam denuo absolutè tenetur ex officio prospicere temporalibus creditorum bonis, cùm ab illis mercedem non accipiat, nec eorum gratia officium habeat, sed solum ad procurandum bonum pœnitentis. Hinc, quamvis ipsimet pœnitenti teneatur Confessarius injungere restitutionem, eundemque admonere ad restituendum, non tamen ad hoc tenetur obligatione justitiæ, quam habeat erga creditorem, sed ex obligatione erga pœnitentem, qua saluti ejus spirituali tenetur consulere; & si hoc negligat, peccabit quidem, sed ad restitutionem minimè tenebitur. *Quod non satis videtur expendisse P. Navarra*, supra (inquit *Valent. Versu c. in fine) dum ad hoc hujus opinionis argumentum respondere conatur.*

688 Verum quidem est, & in omnium opinione certum, Confessarium teneri ad restitutionem, quando pœnitenti obligato ad restitutionem dicit, ipsum non teneri: aut quando ex malitia, vel ignorantia crassa, seu culpa lata dicit, pœnitentem teneri ad restitutionem uni faciendam, cùm teneatur alteri; in his enim casibus tenetur ad restitutionem, eo quod per suum consilium censeatur causa efficax damni, ut bene tradunt Doctores communiter, præcipuè *Cardin. de Lugo sect. c.* qui *n. 64.* circa hanc Confessarii obligationem, sive culpabiliter, sive inculpabiliter errorem commiserit, advertit, satisfacere postea suę obligationi, si pœnitentem potentem adhuc restituere, doceat, quid facere debeat; nec ad aliud teneri, licet ille non restituat. Casu verò quo pœnitens verè intentionem habuisset restituendi tunc quando confessus est, & postea mutato animo in pejus, nollet amplius, videtur Confessarius, qui maliriosè, & culpabiliter disuasit restitutionem, manere obligatus, non solum ad revocandum consilium, sed ad restituendum, cùm sua culpa fuerit causa ne fieret restitutio, quæ facta fuisset, & modo non fiet: ità *Eminent. Lugo n. 64. c.* Videatur.

PRIVILEGIUM XII.

Quandiù durat ignorantia invincibilis juris, vel facti, tandiù excusat à restitutione.

689 Navarrus *in Man. cap. 17. sub nu. 55. vers. Tertiò infertur*: affert propositum privilegium sub his verbis: *Ignorantia probabilis juris, aut facti, quandiù durat, à restitutione excusat, & sic etiam multo magis ab statim restituendo excusabit*. Et cum eodem, ex eodemque *Navar.*, idemmet privilegium refert *Trull. in Decalog. to. 2. lib. 7. cap. 15. dub. pr. n. p.* Hinc, sicut habens scienter rem alienam injustè acquisitam, sive per donationem, sive per contractum,

contractum, &c. tenetur restituere: Sic etiam qui alienum retinet ex ignorantia, & bona fide, tanquam suum detinens, prout tunc excusatur: ut si per hæreditatem, vel emptionem bona fide acceperit, & retineat, quod utique est ignorantia facti. Pariter excusatur, qui in re difficili peritos, & doctos consulvit, à quibus fuit dictum ei, non teneri restituere, vel contractum esse licitum, cum revera sit illicitus, & injustus, & restituere teneatur, quod dicitur ignorantia juris. Quoad usq; igitur tam hæc ignorantia juris, quam illa facti duraverit, & bona fides, à restitutione excusatur: quia per citatos, & alios, *Ignorantia probabilis, seu invincibilis facti, vel juris, excusat;* & toto eo tempore, quo causa, idest ignorantia excusans, durat. Ex quo infert *Sayr. cum Lopez, & Rodriq.* apud eundem *Trull. nu. c.* Quod & si per unum testem omni exceptione majorem constaret hæredi testatorem reliquisse alicui legatum magni momenti, non tamen ob id talem hæredem teneri in conscientia legatum illud solvere; quia non necessitatur ad prestandam fidem uni testi, quando inde sequitur detrimentum notabile suum, vel tertii: propter dictum enim unius testis non tenetur hæres legatum sibi adimere, illique reddere, nam ut dicitur *unus vir, nullus vir*: & *dictum unius, dictum nullius.*

PRIVILEGIUM XIII.

Ignorans naturam promissionis, si promittit, non tenetur adimplere.

690 Ratio hujus privilegii (quod refert inter alios *Trull. in Decal. to. 2. lib. 7. cap. 17. dub. p. n. 2.*) est clara. Quia si promittens, promissionis naturam ignorat, non censetur habere intentionem promittendi, consequenter nec se obligandi; qui autem non se obligat, utique non tenetur adimplere. Quod confirmatur à pari de Voto: Votum ipsum est promissio facta Deo. Si vovens ignoret naturam Voti, & actus, quem facit, non tenetur adimplere, nec votum exequi, ut docent communiter Doctores, præcipuè *Less. de Just. lib. 2. cap. 40. dub. p. n. 12. Versu Tertiò requiritur. Fagund. in Decal. to. p. lib. 2. cap. 13. n. 36. P. Pistacchius de Votis tom. p. tract. p. cap. 4. n. 2. in fine*, & unanimiter concludentes, quod ignorans naturam actus quem facit, ad illum obligari non potest. Cujus conclusionis rationem, & doctrinam docuit *Less. l. c.* Quia videlicet actus agentium ex intentione, non operantur ultra intentionem, cum ab ea suam vim totam habeant: sicut enim lex ipsa vim non habet, nisi juxta legislatoris intentionem, sic nec Votum, nec promissio quævis (quæ veluti lex quædam est, quam sibi imponit quis) vim habet, nisi juxta intentionem promittentis. Et sicut superioris potestas, non inducit subdito obligationem, nisi applicetur à voluntate, ad eam causandam mediante præcepto; ita ius, quod quis in se ipsum habet, non infert obligationem mediante promissione, nisi intendat eam inferre; non potest autem intendere eam inferre, si naturam promissionis ignorat; ergo si ignorans naturam promissionis, promittit, nec habet intentionem promittendi, nec obligationem adimplendi: ignorans enim (ut supra) actum quem fecit, ad illum obligari non potest. Adverte tamen cum eodem *Trull. n. c.* & aliis, quod si ignorans naturam promissinis (& Voti) intendat promittendo (vel vovendo) facere quod alii faciunt, tenetur adimplere, nam tunc tenetur habere intentionem, & voluntatem tacitam promittendi (aut vovendi) sufficientem ad se obligandum: sicuti verè baptizat ille, qui intendit facere quod alii baptizantes faciunt.

PRIVILEGIUM XIV.

Accipiens medio contractu donationis, emptionis, venditionis, &c. rem usurariam, vel furatam cum probabili ignorantia quod non sit talis, à peccato, & à restitutione excusatur.

691 Ab usurario, vel à fure rem usurariam, aut furatam, quæ in specie extet, nullo titulo, nec oneroso, neque gratuito accipere quis potest, etiam si usurarius ipse, vel fur, usurariam rem, vel furatam alienando, non fieret impotens ad solvendum: ità communiter Doctores. Et ratio est calara, quia cum nec usurarius, nec fur, rei usurariæ, vel furatæ habeant dominium, non possunt illud in alium transferre. Hinc sequitur Vestes alienas, Catenas, lectos, vel res alias in specie extantes, non posse gratuitò accipi, emi, &c. ab usurario, vel fure. *Et si quis eas sciens esse alienas emeret* (addit *Less. de Justit. lib. 2. cap. 20. dub. 19. n. 165. in fine*) *teneretur ad restitutionem earum, & etiam fructuum omnium.* Teneretur inquam, *ad earum restitutionem, si emeret sciens esse alienas,*

nas, ergo nesciens, & probabili ignorantia tales esse ignorans, excusaretur (utiq; à peccato,) & à restitutione, ut in hoc privilegio. Et quod excusaretur, expressè docet *Trull. in Decalog. to. 2. lib. 7. cap. 19. dub. 19. n. 5.* sic ad rem nostram, & privilegii hujus resolvens: *Omnis contractus donationis, emptionis, venditionis, &c. circa rem usurariam* (adde, & furatam) *est invalidus, quia non potest rei alienæ transferri dominium, & accipiens talem rem tenetur ad restitutionem, nisi ignorantia excusetur*: & *in fine n.* denuo sic: *Unde Gener accipiens ex his dotem, Clericus beneficium, &c. tenentur restituere, nisi eos probabilis ignorantia excuset*; ita *Trull.* prosequens sic: *At, si aliquid emat, vel solvat in custodiam rei usurariæ* (adde, aut furatæ) *valet, quia est in beneficium mutuatarii* (& domini) *& per consequent tenetur consentire: Salon 2. 2. qu. 78. art. 3. controv. 2. & cum aliis Bonac.*

692 Limita autem positum privilegium: quod videlicet excuset quidem à restitutione ignorantia (ut in ipso) sed tantummodo usque dum illa, ac bona fides duraverit, ut alibi etiam in aliis privilegiis superius (& passim) definitum est. At, ignorantia ipsa, & bona fide ablata; si quis sciens, ab usurario, vel à fure aliquid notabile, vel gratis accipit, vel emit in eadem specie qua fuit datum usurario, vel furatum; vel etiam in alia specie, si sciebat ejus bona non sufficere ad usuras restituendas, vel ad furtum resarciendum, aut probabiliter dubitabat, peccat mortaliter si non vult restituere, quibus usurarius, vel fur tenebatur; quod certum est, & præter alios docet *Navarr. in Man. cap. 17. sub n. 265. vers. Ex quo.*

PRIVILEGIUM XV.

Notarius conficiens instrumentum usurarium; & Testes ad ipsum conficiendum concurrentes, à peccato, & à restitutione excusantur, si id faciant bona fide, & ignorantia probabili.

693 EX communi sententia, omnes efficaciter coöperantes ad usuram, & quicumque agunt partes usurarii, aut sunt causa efficax, cur usuræ solvantur, vel solutæ non repetantur, tenentur restituere. Tales autem sunt plures, quos vide enumeratos à *Less. de Just. lib. 2. cap. 20. dub. 21. à Trull. in Decal. to. 2. lib. 7. dub. 21.* & ab aliis. Et quod ii teneantur restituere, clarum est, quia coöperantur omnes efficaciter damno alterius, concurrentes ad contractum usurarium (ut supponitur) ergo tenentur ad restitutionem iuxta quantitatem damni, ad quod cooperati sunt. Et sicut qui participat cum fure ad furandum, tenetur ad restitutionem, sic etiam tenetur, qui participat cum usurario ad usuras.

694 Inter cooperantes autem ad usuram, ob idque restitutioni obnoxios, enumeratur præcipue à citatis *Notarius*, qui instrumentum conficit usurarium sub nomine alicujus liciti contractus, v. g. veri mutui, vel venditionis, ex quo mutuatarius cogitur ad solvendum usuras. Enumerantur & *Testes*: ut videre est apud eosdem. Verum, & *hos*, & *illum* excusari à culpa nedum, sed etiam ab obligatione restitutionis, privilegio probabilis ignorantię, si hæc adsit in illis, & bona fides absque ulla hęsitantia, vel dubietate, est doctrina clara, & aperta *Navarri in Man. cap. 17. n. 276. & 277.* ibi enim loquens de publico Notar. faciente instrumentum usurarium, & de Testibus ejusmodi Instrumentorum usurariorum, facit quidem eosdem reos culpæ mortalis, & restitutioni obnoxios consequenter (licet hoc secundum cum aliqua limitatione respectu Notarii, quam tradunt etiam *Less. dub. c. n. 180. & Trull. dub. cit. num. 4.*) sed concludit: *procedere solum in Notario, & Teste sciente contractum esse usurarium, & etiam in dubitante antequam dubietatem exuerit*; Ergo in *Notario, & Teste* ignorantia probabili laborante non procedit: non procedit utique: & sic etiam resolvit *Trull. n. 4. c.* sub his verbis in fine, cum *Navarr. l. c. Et idem de Notario, & Testibus dicendum* (quod videlicet peccent, &c.) *nisi probabili ignorantia excusentur*. Igitur verum propositum privilegium. Quod autem dicitur de Notario, & Testibus, affirmari etiam debet de aliis cooperantibus ad usuras; cujusmodi sunt suadentes usuras, Factores usurariorum, & famuli, qui faciunt contractus ipsos usurarios nomine dominorum suorum; vel alii cooperantes ad usuras; ii inquam omnes, si ad usuras sint tantum materialiter cooperantes, cum ignorantia videlicet probabili, & bona fide, excusantur nil minus, ac excusentur Notarii, Testes, est enim de omnibus eadem ratio, idemque privilegium, &c.

PRI-

PRIVILEGIUM XVI.

Qui in arte ludendi notabiliter excedit alterum colludentem, imperitiæ tamen hujus ignarus est, excusatur à restitutione lucri; saltem usq; dum ille bona fide nescit istius inscitiam, & imperitiam.

695 Loquitur privilegium de ludo, ut est contractus humanus; ad cujus justitiam, tres potissimum requiruntur conditiones, ut videre est apud *Less. de Just. lib. 2. cap. 26. dub. 2. Bonac. to. 2. de Restit. in Genere disp. p. qu. 3. punct. 2.* & alios. *Prima*, Ut ludentes habeant liberam dispositionem rei, quam in ludum deponunt: non enim possunt res alienas vel quas alienare non possunt, periculo exponere; ut sunt filii familias, Monachi, &c. *Secunda* est, Ut alter alterum per injuriam, ut minis, fraude, conviciis, &c. ad ludum non pertraxerit, nam si ille sic pertractus perdat, alter est ei causa damni per injuriam, proindeque tenetur pertrahens ad restitutionem, ut docet communis D. D. apud *Less. dub. cit. nu. 7. Versu, Secunda est, & Trull. in Decal. t. 2. l. 7. c. 27. dub. 2. n. 2. in princip. Tertia est*, Ut non utantur fraudibus contra leges ludi, alioquin tenentur restituere tum lucrum, tum etiam id quod alter certò lucraturus erat: nam est injusta illius damni causa. *Ita Less. dub. c. n. 13.* Cum aliis. *Bonac. dict. punct. 2. n. 6. & 7.* & cum eisdem *Trull. dub. c. n. 3. in princip.* ubi ait, hoc esse certissimum, commune, & juxta jus naturæ, quia lucrum acquirit invito domino rationabiliter. Si tamen erat dubium (addit *Less. n. 13. c.*) an esset lucraturus, non tenetur & rem suam, quam exposuerat, dare; quia in dubio melior est conditio possidentis. Tenetur tamen restituere id, quod sic lucratus est, ob eandem causam, quia in dubium non possum mihi rem alterius attribuere, eo quod in dubio melior sit conditio prioris Domini possidentis.

696 Tenetur similiter peritus in arte ludendi (si peritiam simulet ut alterum alliciat) restituere lucrum, imò sic peccat mortaliter. Ignarus tamen, à mortali excusatur, & potest retinere. Unde si quis peritus nesciens alterius inscitiam, & imperitiam, bona fide, ut alterius peritiæ periculum, & experimentum faciat, cum eo ludat, non peccat, nec tenetur lucrum restituere, quia uterque ignarus de arte alterius, æqualiter se exponit periculo perdendi; at postquam illi constat de notabili excessu, tenetur à ludo cessare; & si aliquid lucraretur, id restituere teneretur, quia contractus non est æqualis. Et hoc idem est, quod intendit propositum privilegium, & in ipsomet assumitur. Quod privilegium probatur. Quia ignarus uterque de alterius arte, exponit se periculo perdendi: & sicut lucranti occurrit imperitior, occurrere poterat peritior, fuitque consequenter contractus fortunæ, & ex utraque parte æqualis; quod utique non est talis, ut dixi, quando constat de notabili excessu; nec ignorantia alterius imperitiæ amplius excusat; & ob id si postquam notabilem illum excessum cognovit, aliquid lucraretur, teneretur post acquisitum restituere: Non autem antequam cognoverit, quod confirmari potest: Quia convenientes ad ludum, eo animo conveniunt, ut ea omnia, quæ lucrati fuerint, dum non constat de notabili excessu, retinere possint.

697 De hoc privilegio (cum ejusdem admissione) loquuntur *Franciscus Garzia de contract. cap. 43. n. 9. fol. mihi 733. Sanch. Consilior. to. pr. lib. p. cap. 8. dub. 13. nu. 2. Clavis Regia lib. 11. cap. 12. nu. 18. Molina disp. 517. n. 4. Sà Verbo Ludus n. 8. Filliuc. tract. 37. cap. 8. qu. 8. n. 140. Bonacin. punc. cit. 2. n. 4. Trull. Dub. c. 2. nu. 3.* & alii quamplures agentes de Ludo, præcipuè *P. Diana To. 6. Coord. tract. 4. ref. 37. Ex par. 7. tract. 9. ref. 30.* ubi sic: *n. 6. 7. & 8. Nota, quod si quis ludi alicujus peritus nesciens alterius imperitiam, sed bona fide credens illum similiter peritum, ut rem suam periculo exponat, cum eo ludat, & lucretur, non peccat, nec ad aliquam restitutionem faciendam eorum, quæ lucrifecit, tenetur. Ratio est, quia in hoc casu nulla est deceptio, sed ambo, æqualiter periculo lucrandi, & perdendi se exponunt. Tum quia sicut invenit alium collusorem imperitiorem se in ludo, & lucratus est; potuit invenire alium peritiorem se, & perdere. Cæterum, ut optimè adnotavit Medina Cod. de Restit qu. 21. Intellecta semel collusoris ignorantia, & se longè peritiorem intelligens, tenetur, aut à ludo abstinere, vel alias meliores conditiones suo collusori concedere, quibus aliundè statuatur, & reparetur æqualitas debita ludo:* ita *Diana*, totus ut patet pro hoc privilegio: Quod tamen privilegium limitat *Alcozer lib. de Ludo cap. 19.* Nisi quis adeò artis lusoriæ peritus sit, ut vix sit aliquis, quem non excedat, tunc enim (inquit) tenetur restituere quod ab altero lucratur,

eratur, licet alter de industria alterius sit ignarus. Ratio est, quia moraliter scit se excessurum alium. Hanc limitationem approbat *Sanch. l. c. n.* 3.

PRIVILEGIUM XVII.

Ignorans Dominum rei alienæ, quam apud se habet, excusatur à restitutione ei facienda, si post præmissam diligentiam moraliter necessariam ad eundem Dominum inquirendum, ut eidemmet res sua tradatur, non compar- verit ipse, nisi post traditam rem eandem pauperibus, vel pio loco, &c. restitutionis titulo.

698 NOn rarò accidit nos aliquid habere alienum, cujus dominum ignoramus, & nescimus, an facta diligentia dominus comparebit. Et in hoc casu certum est, ut docent etiam communiter Doctores, quod si qui rem habet alienam pauperi tradidit ante adhibitam diligentiam ad inquirendum dominum, si iste postea comparverit, tenetur eidem restituere, quando maximè fuit injusta causa illius damni, quia videlicet per furtum eam rem obtinuit, ignorando cujus esset. Et ratio est (inquit etiam *Fagund. in Decal. To.* 2. *lib.* 7. *cap.* 21. *nu.* 5.) quia ex quasi contractu, & ex officio custodis tenebatur in conscientia adhibere diligentiam necessariam, ordinariam, nec excusabitur, etiam si rem pauperibus dederit: & ita expressè habetur *Cap. Sicut dignum, de Homicidio, §. Eos insuper*: ubi, *Quia licet quædam ex iis, quæ occupaverunt, fateantur se pauperibus erogasse, non tamen aliena (cum ipsa potuissent eis, quorum fuerint restituere) debuerunt pauperibus erogare.* Et ibi *Glossa, Verbo, Non tamen aliena*, ait: *Intellige si illos, quorum bona fuerunt, facta diligentia poterant invenire: aliàs sufficit, imò tenentur pauperibus erogare.* Et ratio est, ex ipsamet *Glossa, Verbo eodem, in principio. Quia non remittitur debitum, sed augetur, si alii solvatur, quod alii ex debito est solvendum.* Accedit *S. Tho.* 2. 2. *qu.* 62. *art.* 5. *ad* 3. dum ibi ait: *Quod si ille cui fieri debet restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest, scilicet, dando in eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive vivus, præmissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui est restitutio facienda.* In hac re communis est omnium Doctorum sententia apud *Vasq. Opuscul. De Restitut. cap.* 5. *§.* 4. *Dub. p. n.* 6. *Versu, In eo*: & *Sayr. in Clavi Regia lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 2. *nu. p.* Quod quando Dominus rei omninò ignoratur, tunc ante omnia, debitam diligentiam adhibere tenetur, qui est possessor rei alienæ, ut verum rei Dominum inveniat, qua facta, si non comparet dominus, restitui debet pauperibus in bonum domini.

699 Facta ergo tali diligentia in inquirendo domino, & non comparente, si restituerit rem pauperibus, aut in alios pios usus erogaverit, etiam si Dominus comparreat non tenetur ad aliam restitutionem, unde excusatur à restitutione ei facienda, ut in proposito privilegio; cui etiam subscribunt, idem *Sayr. l. c. n.* 4. *Versu, Facta igitur. Sylv. Verb. Restitutio* 4. *qu.* 4. *Petrus Navar. De Restit. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 39. *Molina de Just. tom.* 3. *qu.* 744. *Less. de Justit. libr.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. *nu.* 43 *Versu Petes. Vasqu. l. c. Fagund. l. c.* & communiter. Quod privilegium etiam probatur: Quia si possessor rei alienæ post debitam diligentiam in inquirendo domino, pauperibus eam distribuerit, ad nihil amplius tenetur, cùm jam semel, ac licitè eam rem restituerit: non enim tenetur ratione rei, ut quæ in sua potestate non sit amplius: neque ratione injustæ acceptionis (supposito quod injustè acceperit) quia etiam si sic acceperit, tamen hujusmodi culpa remanet abstersa per restitutionem factam iis, & eo modo, quo potuit, & debuit fieri in tali casu: ergo si dominus postea comparverit non tenetur ad aliud, & excusatur à restitutione ei facienda, ut in privilegio.

700 Quæ autem, & qualis dilgentia moraliter necessaria sit præmittenda, & adhibenda ad inquirendum dominum, non adeò facilè explicari potest, videantur Doctores citati, præcipuè *Mol. qu. c. nu.* 2. & *Fagund. l. c. nu.* 6. ex quibus habetur hoc multum pendere ex arbitrio prudentis hominis, & ex quantitate, qualitateve rei alienæ, quam aliquis habet. Cujus autem expensis facienda sit diligentia prædicta, ut dominus agnoscatur, an videlicet deducendæ sint ex ipsa re aliena, vel solvendæ ab ipso possessore: distinguendum est cum *Sayro l. c. n.* 9. *Fagund. l. c. n.* 7. & aliis: Si enim possessor rem habuit, & acquisivit bona fide, ex ipsa re deducendę sunt expensæ, quæ fiunt in inquirendo Domino: si verò rem mala fide, & per iniquam acceptionem habuit, tenetur possessor ipse ad expensas, & ex propriis, quia fuit injusta dictarum expensarum causa. Sed

701 Quæres. Utrum Dominus censeatur

featur ignotus in eo casu, quo licet constet de ipso, nihilominus valde distans est: vel ex aliis difficultatibus non poterit res, aut difficillimè saltem, ad ejus manus pervenire; & majores fient expensæ in ea restituenda, quam res ipsa alioqui valeat: & an in hoc casu restituenda sit pauperibus, aut locis piis, ac si dominus ignotus esset. Respondeo affirmativè cum *Sayro l. c. nu.* 24. *Navarro in Man. cap.* 17. *n.* 29. *Vers. Quartò: Fagund. l. c. nu.* 9. & cum communi Doctorum sententia: quorum aliqui fatentur etiam idem quando cognoscitur dominus, sed omninò ignoratur locus ubi sit, vel ubi habitet, quia possessor non tenetur vagari in incertum, quærendo locum ubi sit, ac proinde in his casibus, & aliis similibus habetur pro ignoto ratione absentiæ conjunctæ cum aliis difficultatibus: & ita expressè etiam *Sà, verbo Restitutio, nu.* 50. ubi sic: *Non tenetur Domino restituere, qui dedit operibus piis, quod non poterat Domino restituere sine gravi periculo; aut cum res esset modica, aut dominus tam longè abesset, ut difficile ad illum res posset missa pervenire.* Quod docuit etiam ante *Navarr. Vers. cit.* sub sequentibus verbis: *Quando dominus est longinquus, aut in tali loco, ut ad eum mitti non possit, aut non sine magno periculo, aut scandalo, tunc restituendum Jesu Christo Domino Nostro, hæredi omnium incertorum universali, dispertiendo illud pauperibus ejus, aut piis aliis operibus, quia hoc consentaneum legi naturali videtur, &c.* Vide *Sotum de Just. lib.* 4. *qu.* 7.

Quærunt hìc laudati Doctores, præcipuè *Less. & Fagund.* Quo jure debita incerta post præmissam diligentiam, non inventis dominis, nec illorum hæredibus, pauperibus, & locis piis restituenda sint, naturali ne, an divino, an humano. Utrum hujusmodi incerta debita, & bona possint à possessore si sit pauper retineri. An si post factam diligentiam, non invento domino, neque hæredibus, restitutio autem jam facta sit pauperibus. Et postea dominus, vel illius hæredes appareant res restituta restituenda sit vero domino, vel illius hæredibus. Quid id nomine pauperum intelligatur, & an nomine illorum comprehendatur quæcumq; causa pia, & quodcumque opus pietatis. Quibus pauperibus restitutiones fieri possint, an etiam Religiosorum Monasteriis, &c. hæc inquam, & alia hujusmodi quærunt, *citati*, & alii; quæ tamen, quia non sunt ad rem hujus tractatus, ad eosdem Doctores pro eorundem resolutione Lectorem mitto.

PRIVILEGIUM XVIII.

Inferens damnum cum ignorantia comitante, excusatur à restitutione, nec tenetur restituere ex obligatione justitiæ.

702 NOn oritur obligatio restitutionis ex damno dato cum ignorantia comitante (quicquid aliqui dixerint) si ignorantia fuerit inculpabilis (inquit *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 7. *Dub.* 9. *nu.* 46.) Et damnum illatum cum ignorantia comitante, restituendum non esse ex obligatione justitiæ, ait *Bonac. to.* 2. *de restit. in genere disp. p. qu. p. punc.* 3. *§. Unico, proposit.* 2. *n.* 7. Ut, si putans esse feram, telo hominem occidas, excusaris à restitutione homicidii, quamvis etiam postea deprehendas fuisse inimicum, quem ad necem quærebas. Ratio autem est: quia actio exterior homicidii facta cum ignorantia comitante, & occisio illa inimici, vel hominis, nullo modo est voluntaria, nec injusta, nec imputatur ad culpam, imò caret omni culpa, cum ignorantia comitans excuset à peccato externum actum (quamvis non excuset pravum affectum internum) & consequenter obligationem restitutionis non inducat. Nec refert, quod illum voluisses occidere, si tuum inimicum esse scivisses, & quod gaudeas occidisse: quia, ut optimè etiam *Less. l. c.* talis voluntas non est causa operis cum non sit, nec fuerit: sed solum esset, posita conditione, quæ non ponitur; gaudium autem sequitur opus: Unde non magis obligat ad restitutionem, quam si gauderes ab alio factum. Præter *Less. & Bonac.* referunt, & approbant hujusmodi Privilegium, *Petrus Navarr. de Restit. lib.* 2. *cap. p. n.* 61. *Mol. to.* 3. *de Just. disp.* 728. *Reginal. in Praxi to. p. lib.* 10. *trac. pr. num.* 70. aliique plures.

PRIVILEGIUM XIX.

Qui rem alienam possidet bona fide, idest cum ignorantia invincibili, seu probabili, excusatur à peccato, & à restitutione, usque dum agnoscit esse alienam.

703 BOnæ fidei possessor dicitur, qui habet bonam fidem; ad hanc autem producendam requiritur ignorantia invincibilis, seu probabilis: non enim sufficit affectata, vel crassa. Unde qui invincibiliter ignorat, rem esse alienam; aut se

non posse rem aliquam distrahere, bonæ fidei possessor appellatur: *Clavis Regia lib. 10. tract. 2. n. 2. Mol. de Just. to. 3. tract. 2. disp. 720. n. 4. Sanch. tom. pr. Operis Moral. lib. 2. cap. 23. n. 160. Bonac. de Restit. in Genere disp. p. q. 2. punc. p. n. p.* & alii communiter. Quo posito. Probatur privilegium propositum, tum auctoritate citatorum, & aliorum communiter, tum ex *privil. 6. hujus Cap.*: si enim ex ipso, rem alienam surripiens ignorans esse talem, à peccato, & à restitutione excusatur durante eadem ignorantia, sic etiam excusatur ità possidens, cum utrobique sit eadem ratio, ut patet. Tum etiam quia, ut optimè *Clavis Regia l. c. n. p.* Habens rem alienam bona fide nesciens, nec credens eam malè acquisitam, quocumque modo eam habuit, sive per donationem liberam, sive per contractum commutationis, vel emptionis, durante bona fide (idest ignorantia probabili, & invincibili) nec rem illam, nec fructus inde perceptos, & consumptos restituere tenetur. Et ratio est, quia ignorantia, & bona fides excusat eum in conscientia, ita *Clavis Regia* cum aliis *ibi eodem nu. c. c.*

PRIVILEGIUM XX.

Qui bona fide, & invincibili ignorantia durante, rem alienam vendidit, commutavit, consumpsit, perdidit, aut res illa periit, à restitutione excusatur.

704 HUjus privilegii ratio est eadem, ac præcedentis. Non tenetur videlicet restituere, & à restitutione excusatur, quia bona fides, & ignorantia invincibilis excusat eum in conscientia: si enim excusat à culpa, excusabit subinde à restitutione. Adde, quod si teneretur restituere, teneretur utique ratione rei acceptæ, sed ratione hujus non tenetur, cum res accepta non extet, utpote alienata, consumpta, &c. bona fide, ut hic supponitur, ergo. Et ita etiam docent *Sylv. Verbo Restitutio 3. qu. 7. §. Tertium. Clavis Regia n.p. c. Valent. 2. 2. disp 5. q. 6. punc. 3. Versu, Quintò.* Ubi: *Ita omnes communiter tradere. Bonac. punct. p. c. nu. 5.* & alii apud ipsos.

705 Cum quibus tamen, Privilegium limita, nisi videlicet, qui rem alienam bona fide vendidit, commutavit, &c. in aliqua re factus sit locupletior: nam id, in quo factus est locupletior, & ditior, succedit in locum rei acceptæ, quæ dicitur extare in æquivalenti: cum enim possessor bonæ fidei non possit rem acceptam restituere, quia amplius non extat; æquum est, ut saltem restituat id, quod in ejus locum successit, seu in quo factus est ditior, & locupletior, ne dominus rei damnum patiatur. Ita etiam *Navar. in Man. c. 17. n. 7. Petrus Navarrus de Restit. lib. 3. cap. 4. par. 3. dub. p. n. 183. Molina de Just. to. p. tract. 2. disp. 36. Less. libr. 2. cap. 14. dub. p. Sà Verbo Restitutio n. 39. Clavis Regia lib. 10. cap. 2. n. 9. Valent. l. c. Sanchez in Opere Morali par. pr. lib. 2. cap. 23. n. 4. Bonac. nu. 5. cit.* aliique plures apud ipsos. Quis autem censendus factus locupletior ex re aliena? vide apud eosdem, præcipuè *Bonac. l. c. à n. 6.* dicentem: Illum censeri factum locupletiorem, qui cessante bona fide cognoscit se occasione rei alienæ esse locupletem, ut si cognoscat, se fecisse aliquos sumptus, quos alioquin ex re sua fecisset; aut si aliquid habeat, quod alioquin non habuisset.

PRIVILEGIUM XXI.

Qui commisit adulterium, & ignorat an proles suscepta sit sua, vel Mariti adulteræ, excusatur à restitutione.

706 ADulter, qui ex aliena uxore filios suscepit, tenetur utique ad resarcienda, & restituenda damna subsecuta, & quæ subsequentur, tum Patri putativo, tum cæteris filiis legitimis, consanguineis, hæredibus, &c. cum fuerit causa eorum damnorum, ut docent communiter Doctores apud *Dian. Coordin. tom. 2. tract. 6. res. 235. nu. p. ex par. 2. tract. 17. & Miscell. 3. res. 55. De Lugo de Just. to. p. disp. 13. sec. 2. n. 10. in fine*, & apud alios. Verum, tenetur quidem utique Adulter ad hujusmodi restitutionem damnorum dictorum, & ad resarcienda damna, quæ patiuntur, & patientur prædicti, dummodo tamen ipse indubitanter credat susceptam prolem esse suam, nam si nesciat, ignoret, vel dubitet talem esse, *à restitutione excusatur*, ut dicitur in privilegio: quod

707 Probatur primò, Authoritate Doctorum: Affirmantium sic: *Adulter, qui ex aliena uxore filios suscepit, non tenetur ad ullam restitutionem, vel compensationem faciendam pro alimento, & legitima, imo nec pro majoratu aliorum filiorum ex legitimo toro, nisi ei certò, evidenter, & moraliter constet prolem esse suam; non constat autem id certò, & moraliter, nec constare potest, quandiu probabilem habet rationem dubitandi de contrario.*

Ita

Ita *Facund. in Decal. to. p. in* 4. *Præceptum, lib.* 4. *cap.* 6. *n. p.* cum aliis ibi citatis. *Bonac. de Restit. in Genere disp. p. qu.* 2. *punc.* 2. *n.* 7. *& de Matrim. qu.* 6. *punct.* 15. *proposit.* 4. *n.* 8. ibi: *Qui indubitanter credit, quia si dubitet, illum esse suum filium, non tenetur ad restitutionem. Less. de Just. l.* 2. *cap.* 10. *dub.* 6. *n.* 39. *Navarr. in Man. cap.* 16. *n.* 48. *&* 49. *Corduba lib. p. qu.* 31. *Dicto* 4. *in fine. Henriqu. libr.* 11. *de Matrim. cap.* 21. *littera V. Gobat in sua Theologia Juridico-Morali cap.* 28. *litt. TT. sec.* 3. *à nu.* 48. *pag. mihi* 293. *Idem Gobat par.* 2. *Alphabeti Matrimonialis Casu* 5. *n.* 194. *P. Pasqualig. in Quæstionib. Singularib. qu.* 85. in qua: Quod certò non teneatur dictus adulter ad restitutionem, & ad damna ex prole adulterina, sequuta, vel sequenda, resarcienda; neque si loquamur de foro externo, neq; de obligatione conscientiæ, & foro interno: de quo tantum nos hìc loquimur in proposito privilegio. Et de quo pariter interno foro *Navarr. in Man. cap.* 16. *n.* 49. expressè sic: *Confessarius non debet resarcitionem imperare adultero non credenti, nec debenti credere filium esse suum, sive eo quod mater sit levis, & solita adulterari, sive quod ipsa quoque dubitat, an sit filius adulteri, vel mariti sui, sive quod reputat, eam ad se obligandum mentiri secundùm Sanctum Antoninum. Nec ipse adulter facilè debet credere se ad id obligatum iri:* ità *Navarr.* pro conscientia, ut patet, & propriè ad privilegium nostrum: quod

708 Probatur secundò ratione: Quia eatenus adulter tenetur certò restituere, & resarcire damna ex prole assumpta adulterina illata, ut suprà, quatenus eademmet proles supponitur certò sua: at hoc supponi certò nequit, cum ignoretur, (ut dico in privilegio, & suppono) vel saltem nesciatur ab adultero, an proles assumpta, sua sit, an Mariti adulteræ: imò nec de facili hoc sciri possit, quacumque etiam adhibita diligentia: ergo. Et quod hoc de facili sciri nequeat, patet: quia quacumque diligentia adhibita, semper remanet dubium, an filius natus sit ex adultero; (cum tam potuerit nasci ex ipso, quam ex marito mulieris, ut optimè etiam *P. Pasqualig. qu. c. n.* 5.) in re autem dubia, indecens est, quod detur certa sententia, inquit *D. Antoninus* 2. *par. tit. pr. cap.* 7. *in fine, ex cap. Habuisse, dist.* 33. ubi *S. Gregorius* ait: *In rebus ambiguis absolutum non debet esse judicium:* ad condemnandum videlicet, in genere etiam turpitudinis.

709 Probatur tertiò: Quia etiam si constet, quod tempore conceptionis probabili intervenerit copula inter adulterum, & adulteram si tunc temporis patebat pariter accessus mariti ad uxorem, ut suppono; stante matrimonio, possessio stat pro prole quod hæc videlicet sit ex legitimo concubitu, matrimonium namque dat titulum legitimæ nativitatis, & ideò non cessat possessio, nisi probetur oppositum quod probari nequit, quia tunc temporis (ut dixi, & supponitur) patebat accessus mariti ad uxorem. Si ergo possessio stat pro prole legitima, nec probari potest, vel sciri ab Adultero oppositum, ita ut sit ignarus an proles sit sua, vel Mariti, excusandus est utique à restitutione, nec condemnandus ad resarcienda damna, ut suprà, cum sit indecens in re dubia, & incerta, certam dari sententiam, & in ambiguis rebus absolutam condemnationem, in genere etiam turpitudinis.

710 Probatur quartò: Quia in dubio in materia justitiæ, & restitutione (ut communiter Doctores) melior est conditio bona fide possidentis, & nemo tenetur aliquid restituere, & re sua se privare, nisi ei certò, & moraliter constet, non esse suam: adulter autem nesciens, aut dubitans, an proles sit sua, possidet suam libertatem, ac pecuniam, non tenetur igitur restituere, nesciens prolem esse suam, vel saltem probabiliter credens non esse suam: quamvis etiam probabiliter crederet esse suam (inquiunt citati, *Fagund.*, *Bonac.*, & alii) tum quia sequi potest opinionem probabilem: tum quia melior est conditio possidentis suam libertatem, & pecuniam, ut dixi, juxta illud, *Beatus qui possidet.*

711 Quod verum est, etiam si mater cum juramento dicat esse filium adulteri; & proles suscepta imaginem referre videatur adulteri: Nam quoad assertionem matris, præterquamquod, mulieribus non est facilè habenda fides: nam, *Varium, & mutabile testimonium semper fœmina producit: Cap. Forus, de Verbor. signific.* Nec filius ipse (nedum adulter) tenetur matri credere, dicenti ipsum non esse Mariti, sed Spurium, etiam si sciat ipsam adulteram fuisse, ut docet *Glossa in Cap. Officii, de pœnitent. & remissionib.* & omnes Canonistæ fatentur in *c. Per tuas, de Probationibus*; & Jurisperiti in *l. Si Posthumus, ff. de liber. & posthumis.* Unde *Navarr. consil. p. tit.* 18. *de Filiis Præsbiteror.* (quem refert, & sequitur *Fagund. in Decal. to. p. lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 4.) dicit ità: *Filius non tenetur credere matri dicenti sibi esse illegitimum, cum natus sit in figura Matrimonii, & se debet reputare legitimum*

legitimum ex publica opinione , ex favore legis , Filium , ff. Qui ſunt ſui juris : & addit : *Et ego ſi talis eſſem ita facerem :* & idem repetit *in Man. cap. 27. n. 201. Verſu , Nonò dico , in fine .* Et idem etiam docet *Menochius de Arbitrariis Judicum l. 11. Centuria p. Caſu* 89. *n.* 27. ubi : *Non tenetur filius Matri credere , etiam ſi Mater affirmet filium illum non eſſe ex proprio Marito generatum ; nec enim hæc Matris aſſertio , filio detrimentum aliquod afferre poteſt : ita Gloſſa in l. etiam de probat. & in l. ultima , ff. eodem , & Bartholus in l. filium , ff. de his , quæ ſunt ſui , vel alieni juris , & Cardinalis Paleotus , De nothis , & ſpuriis cap.* 24. Hæc *Menocchius* . Imò addit *Fagund. n. 4. c.* (ex *Henriq. & Navarro*) *non teneri ei credere , quamvis fortè aliquot annis reputaverit ſe illegitimum , quia habet jus ad poſſeſſionem , & bonum nomen ex publica fama , & æſtimatione , quæ plurimum in hac re probat , ac ſubinde habet jus ad bona etiam majoratus , quæ legitimo filio debentur* . Si igitur filius ipſe non tenetur credere matri adulteræ , affirmanti eum non eſſe ex proprio Marito , & Patre putativo generatum (& adeò credere non tenetur , ut affirmet *Fagund. cap. 5. cit. nu. 11. in princ. ex Navarro* , quod *ſtultè faceret id credendo*) multo minus Adulter ipſe eidemmet etiam cum juramento aſſerenti prolem aſſumptam eſſe adulterinam credere tenetur . Videantur *Leſſ. de Juſt. libr. 2. cap. 10. dub. 7. à n. 51. Bonac. l. c. de Matrim eodem n.* 8. & alii plures relati à *Baſſæo to. p. Verbo Adulterium , n.* 8. ubi & ipſe ſic : *Filius non tenetur credere matri dicenti ipſum eſſe ſpurium , quamvis hoc aſſerat cum juramento , aut in articulo mortis , ſi mater tempore conceptionis habitabat cum viro : unde nec tenetur à ſe abdicare hæreditatem . Ratio eſt tum quia alleganti ſuam turpitudinem cum alterius præjudicio , nulla debetur fides : & cum ipſe , & ſua , & publica opinione ſit legitimus , non tenetur cum tanto ſuo incommodo ſe reputare illegitimum , niſi convincatur . Tum quia cum iſte ſit natus , ac educatus in domo legitimè conjugatorum , favor matrimonii prævalet , ut ex matrimonio natus judicetur : mulierum enim , & ſpecialiter talium , incoſtantia eſt ſuſpecta* . Hæc *Baſſæus* .

712 Quæ etiam advertant Confeſſarii , ne nimis rigidi ſint , & ſcrupuloſi in adſtringendo hujuſmodi adulteras (maximè tempore mortis) ut cum earundem famæ diſpendio (& fortaſsè quandoque vitæ periculo) ſeipſas prodant , ac proprium crimen ſuis Maritis , vel illegitimis , ne hæredes legitimi ratione illegitimæ prolis aliquid detrimenti patiantur . Advertant inquam , uti eoſdemmet advertunt etiam *Henriq. de Matrim. lib. 11. cap. 21. n. 3.* ſic notando : *Perpendat Confeſſarius ne ultra modum compellat matrem ad hanc manifeſtationem , quia illa vix tenetur hoc facere propter ſpem parum probabilem , nec detegere crimen adulterii , cum magno ſui honoris detrimento , etiam in hora mortis* . Et *Bonac. de Matrim. l. c. n. 23. &* 24. ſic Eos monendo : *Confeſſarius magna prudentia uti debet , ne ultra modum compellat adulteram in articulo mortis detegere ſuum adulterium . Ratio eſt , tum quia filius non tenetur illi credere ; tum quia fieri poteſt , ut ipſa liberetur ab infirmitate , & occidatur à marito , tum quia raro prodeſt detectio , & manifeſtatio adulterii . Addo nec eſſe conſulendum , ut adultera detegatur poſt mortem à Confeſſario , quia periculum eſt , ut proles adulterina , vel Confeſſarius ipſe occidatur . Ita Henriq. Azor. & alii* . Quamvis enim ex communi D. D. teneatur mater quantum fieri poteſt (ſine tamen diſpendio famæ , & vitæ periculo) procurare , ne filii legitimi , & hæredes , ratione prolis illegitimæ detrimentum aliquod patiantur : nihilominus , ſi nullo alio modo poſſit mater damnum compenſare , non tenetur ſeipſam prodere cum periculo , ut ſupra , maximè ſi moraliter non ſit certa damni avertendi (ut eſt communis D. D. apud , & cum *Leſſ. dub. 7. c. n.* 50.) *Tum quia* in dubio melior eſt conditio poſſidentis ; quamdiù igitur prudenter dubitet adultera , an revelatio profutura ſit , non tenetur famam ſuam prodigere , occultum crimen pandendo : quod imò magnæ eſſet imprudentiæ , nam ſic redderet ſe exoſam , & infamem apud filium , ipſumque in magnos animi æſtus coniiceret , quod abſque certo fructu non eſt faciendum ait *Leſs. n. c. in fine :* advertens immediatè poſt , & optimè , *raro accidere , ut adultera non habeat juſtam rationem dubitandi an revelatio proderit . Tum quia* , periculum vitæ nullo prætio eſt æſtimabile , ergo propter rei pecuniariæ reſtitutionem non tenetur quis unquam vitam prodigere , aut periculo ſe exponere : etiamſi ampliſſima hæreditas ad ſpurium devolvi deberet , *Baſſæus Verb. c. n.* 7. Etiamſi ampliſſima hæreditas , aut primogenitura , aut etiam regnum ad ſpurium devolvi deberet : nunquam enim poteſt eſſe tanta externorum bonorum copia , ut ipſam per ſe ſolam præferri vitæ oporteat : *Leſs. dub. 7. c. n. 53. in fine . Tum quia* fama ipſa res eſt ſuperioris ordinis , atque adeo nunquam eſt neceſſario exponenda pro rebus inferioris ordinis , & apud

homines

homines fama pecunia æstimari non solet; unde *Proverb.* 22. habetur: *Melius enim est bonum nomen, quam divitiæ multæ:* non tenetur igitur cum periculo famæ adultera prodere crimen suum, nisi fortè ad summum (inquiunt Doctores apud *Basseum*, & cum ipso *n. 7. c. in fine*) damna, quæ proveniunt marito, vel hæredibus, judicio prudentis præponderent, vel sint æqualia famæ ipsius adulteræ: licet etiam in hoc casu id neget *Fagund. cap. 5. c. n. 15. in fine*: dum ibi sic: *Illa non tenetur se manifestare, nec etiam in eo casu, quo valor hæreditatis excedat valorem famæ, & ideo nec Confessarii in conscientia eam obligare poterunt ad se manifestandam: nisi tamen veritas adulterii tam clara sit, & evidens, & illa tam infamata de illo, ut nulla tergiversatione celari possit. Tum tandem quia*, ut quid hujusmodi Confessarii rigida nimis, & scrupulosa sectio, dum Filius matri adulteræ dicenti (etiam cum juramento) ipsum spurium esse, non tenetur credere; & si sciat (per *Less. n. 51.* & alios ibi) ipsam fuisse adulteram? Suadeat Confessor, consulat, optimè faciet, si tamen prudenter in hoc se gerei. Non consulat, nec suadeat nisi moraliter certus sit de fructu, de quo probabiliter non dubitetur, ut innuit *Less. n. 50. c. in fine*, loquens de matre ipsa. Et nisi etiam certus sit moraliter quod filius omnino convincatur eo quia Mater adultera probat Patrem putativum toto illo absuisse tempore. *Less. n. 52.* Advertens *n. 57.* & optimè, aliud esse loqui de Muliere honestæ conditionis, & quæ pro tali passim habetur, hæc enim propriè est bonæ famæ: & aliud de vili, & suspecta, hujus enim fama prudentum etiam judicio parvi pretii æstimanda est, parumque considerada. Concludo numerum cum verbis *Cajet. in Sum. V. Adulterium: Si enim* (inquit) *periculum ex manifestando Adulterio imminet, occultè satisfiet, ut melius potest, & reliquum divinæ misericordiæ reservetur: juxta Cap. Officiis, de pœnit. & remiss. Quia sicuti cessante judiciaria coactione non tenetur homo perdere vitam, aut libertatem, ut satisfaciat debito pecuniario: ita nec tenetur perdere famam, aut vitam in proposito ubi de sola pecuniaria re agitur. Cessante autem periculo, & vitæ, & famæ, & hujusmodi; si non potest aliter satisfieri, spes fructus futuri ex manifestatione adulterii pensanda est. Nam si fructus nullus speratur, quia de jure nec maritus, nec proles tenetur matri adulteræ credere in hujusmodi, vana esset manifestatio adulterii:* hæc Cajet. quæ perpendant Confessarii: Utentes magna prudentia (ait etiam *Diana to. 2. Coord. tr. 6. ref. 234. n. 8. ex p. 11. tr. 6. & Misc. 6. ref. 56. alias 55.*) ne ultra modum urgeant adulteram in articulo mortis ad detegendum suum crimen, tum propter gravia incommoda, quæ inde sequuntur, tum quia rarò ad quidquam profuit detectio adulterii. *Quæ sentio* (ita concludit) *ne quidem esse consulendum, nisi valdè moraliter certum sit ex pluribus circumstantiis, quod sine aliis gravioribus incommodis sic possent averti damna, quæ alioquin legitimis hæredibus obventura sunt.* His obiter hìc præmissis

713 Transeo ad id, quod secundo loco superius fuit dictum assumi posse in argumentum illegitimatis prolis assumptæ ex adulterio, quod videlicet filius in effigie referat adulterum, illique assimiletur. Et dico; cum *Menochio de Arbitrar. Judicum lib. 2. Cent. p. Casu 89. n. 97. & 102. Alciato de Præsumpt. reg. 3. præsumpt. 7. Pasqual. qu. c. n. 3. Verricelli Qq. Moralium, & Legalium tract. 3. qu. 45. n. 7. Bonac. l. c. de Matrim. n. 8. in fine*: & aliis apud ipsos: & cum communi D. D. dictum agumentum esse inefficax omnino: assimilatio namque nec conjectura est (per *Menochium n. c. 102.*) nedum argumentum legitimæ prolis: ad summum est simplex signum fallax, seu levis suspicio, non verum filiationis signum, cum videamus ut plurimum filios non assimilari parentibus. Et assimilatio respectu adulteri provenire potuit ex imaginatione mulieris tempore conceptionis, quæ sola est sufficiens ad inducendam similitudinem: eo maximè quia probabile est, quod mulier prædiligat adulterum præ marito, & proinde de ipso cogitet, & intensè, ideò, &c. Hinc optimè *Azor. par. 3. lib. 5. cap. 6. qu. 4. in fine*, sic concludit: *Non tenetur credere se esse adulterinum filium, etiam si in vultu, vel in aliis membris corporis referat imaginem adulteri, ut rectè ait Sotus, quia ejusmodi signa aliquando fallunt, & quantumvis magna sint, semper prævalet favor matrimonii, nisi quando evidenter constiterit conceptio ex adulterio.*

314 Probatur quintò privilegium propositum: Qui dubitat an aliquod Votum emiserit, non tenetur illud adimplere, & ità se potest gerere ac si sciret à se non esse editum ullum Votum: *Layman lib. p. tract. p. cap. 5. §. 3. n. 31. Sanch. De Matrim. to. p. lib. p. disp. 9. n. 11. Versu, Cæterum, & in Summa to. p. lib. 4. cap. p. n. 16. Suar. de Censur. disp. 40. sec. 5. n. 15. Henriq. libr. 8. cap. 45. n. 3. in Glossa litt. P. Fillius. to. 2. tract. 21. cap. 4. num. 165. Avila De Cens. part. 7.*

part. 7. disp. 2. dub. 5. conclus. 2. Sotus de Just. lib. 7. qu. 3. art. 2. Diana Coord. to. 8. tract. 4. ref. 18. ex par. 4. tr. 3. ref. 10. & alii penes ipsos: & cummuniter Theologi apud *Avilam Conclus. 2. c. in fine*. Ergo etiam qui dubitat nedum, verum etiam nescit, imò scire certò nequit an prolem ipse ediderit, seu genuerit, potest se perinde habere ac si certus esset, nullam à se editam, seu genitam. Non enim apparet considerabile discrimen, ait etiam *Gobat l. c. n.* 51. inter eum, qui dubitat, utrum votum ediderit alendi aliquem pauperem, & inter eum, qui dubitat, an ediderit, seu genuerit aliquem pauperem. At si qui solum dubitat an votum ediderit, non tenetur illud adimplere; multo minus qui non tantum non dubitat, an proles edita sit sua, verum etiam ignorat id omnino (ut in privilegio) & scire certò nequit, an sit sua, tenetur quidquam ratione illius expendere, vel aliquid restituere, ac resarcire. Hinc *Sylvest. Verbo Adulterium, qu.* 5. optimè sic: *Si dubitat Adulter ex eo, quod mulier sit levis, & cum aliis adulteratur: vel etiam quia ipsamet dubitat, utrum sit ejus filius, vel mariti: relinquatur judicio Dei, nec de restitutione gravetur: quia Judicis est, ut in re dubia certa sententia non proferatur*. Sed

715 Obiicies primò. Adultera ex consortio Mariti semper fuit sterilis; cognita ab adultero concepit, & peperit: ergo saltem in hoc casu filius susceptus est adulterinus, nec excusabitur adulter à restitutione, &c. Respondeo negando consequentiam: ad antecedens dico, non convincere filium esse adulterinum, etiam si adultera cum marito fuerit sterilis per multos annos, & post concubitum cum adultero concepit, & peperit: hoc enim non probat susceptum filium esse adulterinum, ait *Menoch. de Arbitr. Judicum libr. 2. Cent. pr. Casu* 89. *n.* 31. dum ibi sic: *Filius legitimus præsumitur, & si ex muliere sit natus, quæ diù fuit sterilis*; & apud eundem *Cardin. Paleotus de Notis, spuriisque filiis, cap. 25. n.* 5. Et ratio desumitur ex *Plinio lib. 7. Naturalium histor. cap.* 13. apud eundem *Menoch. nu. c.* Quia, *Mulieres aliquæ, semel tantum pariunt; aliæ post certum tempus, ut post juventam; aliæ secundum varios Cœli, & syderum motus nunc fœcundæ, nunc prorsus steriles sunt: ut etiam Aristoteles lib. 7. cap. 6. de Histor. Animal.* Hanc eandem responsionem approbat *P. Verriccelli qu. 45. cit. n.* 6.

716 Obiicies secundò. Argumento *Molinæ* apud *Gobat l. c. n.* 64. Si duo conjecerunt sagittam in bovem alterius, qui mortuus concidat, debet uterque pro quantitate dubii, utrum ex sua potius, an alterius sagitta bos mortuus sit, contribuere ad reparationem damni: ergo saltem quando adulter dubitat, sit ne suus filius, an mariti adulteræ, tenetur pro quota dubii conferre ad sustentationem, & restitutionem damnorum. Respondeo cum *Gobat l. c. à n.* 65. Si unius sagitta plagam inflixit lethalem, alterius verò nullo modo lethalem, & ignoretur cujusnam sit sagitta illa, quæ lethalem plagam inflixit, neutrum teneri ad ullam restitutionem ante Judicis sententiam, cum meritò quisque dubitet, utrum reipsa bovem illum occiderit, & in dubio melior sit conditio possidentis sua bona, atque suam libertatem: hinc etiam *D. Tho. 2. 2. qu. 62. art.* 7. loquens de cooperante ad alterius damnum: ait: *Tunc solum tenetur, cum probabiliter æstimari potest, quod ab eo actio injusta sit subsecuta*. Et huic responsioni favet ratio Legis *Ità vulneratus, ff. ad l. Aquil.* juncta *Glossa ad verb. disputando*. Potest tamen Judex in casu posito in objectione, temeritatem utriusq; plectere condemnatione ad reparationem damni illati *c. leg. Ita vulneratus*. Quod si utriusque sagitta lethaliter bovem vulneravit, aufertur dubium de necis authore; præsumitur enim, ambo concurrisse ad necem uti causæ partiales, unde quilibet puniretur ut bovis occisor: sicuti uterque puniretur tanquam verus homicida, si uterq; eodem modo vulnerasset hominem, juxta *c. leg. ita vulneratus, & l. item Mela, §. Sed si plures, ff. ad l. Aquiliam, & cap. Significasti 2. de homicidio*, quę jura explicat latè inter alios *Julius Clarus libr. 5. sententiar. §. Homicidium*. Verum quia nequeunt, aut certè non solent duo homines esse singuli causa partialis, seu concausa unius filii, sicut possunt esse mortis unius, ideò argumentum oppositum *Molinæ* non convincit, nec probat quod adulter in casu propositi privilegii debeat obligari ad quidquam expendendum, restituendum, &c.

717 Ad quid autem teneatur adulter, qui certò scit prolem ex adulterio assumptam esse suam? Quantum, quomodo, cui, &c. debeat restituere, & damna ex prole adulterina illata resarcire? Vide *Navarrum in Man. cap. 16. n. 49. Versu, Si autem. Fagund. to. p. in Decal. lib. 4. cap. 6. Bonac. l. c. de matrim. à n. 11. usque ad 18. Card. De Lugo de Just. to. p. disp. 13. sec. 2. Dianam to. 2. Coord. tr. 6. ref. 234. n. 11. & 12. ex p. 11. tr. 6. & Miscell. 6. ref. 56.*

aliàs

aliàs 55. & alios apud ipsos. Et si hìc obiter quæras, An parentes divites, & nobiles exponentes adulterinam, & spuriam prolem in hospitali domo ad occultandum adulterium, quando infamia, & alia mala, aliter, & commodè impediri sufficienter nequeunt, peccent, & ad restitutionem teneantur? Respondeo cum *Cajet. in Summa Verbo Adulterium, & Bassæo l. c. n.* 9. nullum peccatum esse prolem exponere, ut in hospitali alatur, ad occultanda hujusmodi adulteria: *hæc enim* (*Cajet.* ibi) *est una ex rationibus, quare hæc loca pia instituuntur*. Imò ad similes casus hospitalia quædam sunt fundata, ait *Less. lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 6. *n.* 69. At cum eodem *Gajetano l. c. Navarr. in Man. cap.* 16. *n.* 48. *Sylv. V. Adulterium, qu.* 5. *Less. n.* 69. *c. Bonac. l. c. de Matrim. n.* 11. *Bassæo n.* 9. *c. Versu Addo*, & cum communi Doctorum apud eundem, dico, hujusmodi parentes, si sint divites, teneri restituere hospitali sumptus quos ipse fecerit in ea prole alenda. Quia hospitalium bona sunt in usus pauperum, & voluntas præsumpta fundatorum utique est, ut quando ex aliqua justa causa insumuntur pro filio alicujus divitis, parentes teneantur ea compensare in usus aliorum pauperum. Tenentur enim parentes non solùm alere, & vestire, sed & instruere per se, vel per alios propriam prolem: ita citati, & communiter.

718 Et si hìc iterum obiter quæras, An filius, cui mater dicit natum fuisse ex adulterio, & esse illegitimum, teneatur se gerere, ut irregularem, an verò queat absque dispensatione tutò suscipere Ordines? Respondeo cum *Henriq. lib.* 11. *de Matrim. cap.* 21. *n.* 2. *Fagund. lib.* 4. *c. cap.* 5. *n.* 16. *P. Pasqualigo Qq. Singularium qu.* 86. & aliis: Quando tempore conceptionis præsumpto patebat aditus marito ad uxorem (alioquin moraliter certum esset, quod esset filius adulteri, illegitimus, & irregularis) ita ut natus sit in figura Matrimonii, ac se fama, ac honore publico tueri, bona fide putans se esse legitimum, posse ordinari, & sacros ordines assumere absq; alia dispensatione, nec se gerere ut illegitimum, & irregularem, quamvis mater ei affirmet se esse illegitimum. Ratio est: tum quia neminem fraudat, & utitur jure suo. Tum quia neq; in foro externo, neq; in foro conscientiæ, ex supradictis, tenetur stare assertioni matris. Cùm enim sit filius in possessione legitimæ nativitatis, non potest deiici per dictum matris, tanquam dictum unius, quod non sufficit ad deiiciendum aliquem à possessione. Imò; nec tenetur stare in conscientia assertioni matris, nec ei credere, etiam si hæc juraret filio (ex dictis supra) se eum concepisse ex adulterio, nam etiam jurans, esset tantùm instar unius testis jurati, qui secundùm veriorem sententiam (apud *Pasqual. qu. c. n.* 4.) non plenè probat; etiam quando deponit de facto proprio: & in hoc casu præterea specialis militat ratio, quod videlicet non possit mater de certa scientia deponere, & jurare, quia res aliter se habere potest, cum ad summum conjecturaliter possit dicere, se hoc, vel illo modo concepisse. Adde item ex dictis, quod detegendo propriam turpitudinem valdè minuit ejus fidem.

719 Hinc deduc cum *P. Pasqual. qu. c. n.* 6. quod filius neque in ordine ad quodcumque aliud, sive sit successio ad hæreditatem, sive quodcumque aliud, teneatur credere matri asserenti, quod ipsum genuerit ex adulterio. Militant enim semper eædem rationes: & præsertim quod non possit certò scire, sed solum conjecturaliter ex quo conceperit, quando cum pluribus copulata est. Quæ incertitudo facit, ut non possit assertio matris vincere præsumptionem, quam pro sua legitima nativitate habet filius. Qui tamen si credit matri (quod non tenetur facere, cum Doctoribus supra) tunc jam est in mala fide, & sicut amittit omne jus fundatum in præsumptione legitimæ nativitatis, tenetur petere dispensationem illegitimitatis, quæ facilè sibi concedetur, & sine illa ordinari non poterit, ut docet *Navarrus* apud *Fagundez*, & cum ipso *n.* 16. *c. in fine*.

PRIVILEGIUM XXII.

Uxor, quæ commisit adulterium, & concepit eo tempore quo ejus maritus ad ipsam habuit accessum; nesciens certò, & ignorans, an proles suscepta sit mariti, vel adulteri, causa ejusdem nescientiæ, & ignorantiæ, absolvitur, & excusatur ab obligatione restitutionis faciendæ marito, aut legitimis filiis, &c. nec tenetur ad aliquid.

720 Hoc privilegium (quod ponit etiam expressè, & approbat *P. Pasqualig. Singulari qu.* 85. *nu.* 6.) sequitur apertissimè ex præcedenti. Si enim ex ibi conclusis Authoritate, & ratione excusatur à restitutione adulter, pariformiter, & multò magis excusanda est adultera, ita ut nec ista ad aliquid teneatur, uti nec

illa tenetur, ex ibi firmatis. Et prætere probatur cum eodem *Pasqual. n. cit.* Tum quia si conceptionis tempore maritus ad ipsam habuit accessum, remanet dubia, an ex ipso, an verò ex adultero conceperit, ac proinde melior est ejus conditio tanquam possidentis bonam famam, & cætera, quibus se privare posset. Tum etiam quia, cùm non possit esse certa ex quo conceperit, non potest nec aliquid facere, ex quo dubiæ legitimitatis proli nasci possit aliquod præjudicium; hoc etenim esset contra justitiam, cùm in dubiis non possimus aliquem sua possessione spoliare. Adde cum eodem *Pasqualigo n. c.* quod potest adultera in conscientia sequi præsumptionem juris, de quo idemmet *n. p. ejusdem qu.* 85.

PRIVILEGIUM XXIII.

Si proles suscepta est ex soluta, cum qua duo, tresve commixti carnaliter fuere, quorum quilibet scit quidem se perfectam babuisse copulam cum illa; nescit tamen certò susceptam prolem esse suam; causa hujus nescientiæ, & ignorantiæ, non obligatur ad expensas in alimenta, nec ad quidquam expendendum, vel restituendum ratione dictæ prolis.

721 HUjusmodi privilegium probatur, tum ex duobus antecedentibus, ex quibus utique consequenter sequitur, ut patet: tum quia, in dubio melior est conditio possidentis sua bona (ut toties superius dictum est, & communiter conceditur, maximè in materia justitiæ, *Diana Coord. to. 8. tr. 2. ref. 2. ex p. 4. tr. 3. ref. 2.* & alibi) *l. Si ob turpem, ff. de condict. ob turp. caus.* unde cùm simus in casu dubii, nullus prædictorum spoliari debet possessione suæ pecuniæ, ut in alimenta, vel in quidquam aliud tribuat, aut expendat; tum quia, quando jura partium sunt obscura, reo favendum est potius, quàm actori, *Reg. 11. in 6.* puer autem, qui petit à prædictis alimenta, &c. est actor, iidem vero rei: tum quia non est æquum debitum incertum satisfieri solutione determinata, & certa; & sicut ob delictum incertum non est aliquis afficiendus pœna certa; ita nec obligandus est ad certam solutionem, & restitutionem, quandiù non constat de debito. Cum igitur debitum alimentorum sit incertum apud quemlibet ex his, qui possunt reputari parentes, non debent obligari ad alimentorum solutionem, durante dubio, nescientia, ac ignorantia; per hanc ergo excusantur, deobligantur, &c. contra eos, qui volunt in hoc casu, & æquali dubio, à quolibet ex his concubinariis alimenta subministranda esse; & in dubio inæquali, pro rata dubii.

722 Et hoc idem privilegium ponit, & approbat *Gobat in Theologia Juridico-Morali cap. 28. sec. 3. n. 53. Versu Dico 3.* nam postquam, ipse, cum *S. Antonino, Sylvest. Armilla, Navar., & Lessio*; posuit *n. 48. Versu, Dico enim 2.* hujusmodi conclusionem: *Probabilius est, te non obligari ad quidquam alimentorum præstandum illi, de quo omnibus consideratis, positivè, & rationabiliter, seu ob prudentem, peculiaremque causam dubitas, utrum sit tuus filius nec ne:* Addit *n. 53. c.* (& est privilegium propositum) *Quæ præcedens conclusio vera est, atque intelligenda est, etiam in casu, quo proles illa suscepta est ex soluta, cum qua duo, tresq; fuerunt carnaliter commixti, & quorum uterque scit, se perfectam copulam babuisse cum illa.* Et si eidem, & mihi obiicies, si hæc causa deferretur ad tribunal, fore, ut Judex, singulos ex his scortatoribus condemnaret ad præstandum aliquam saltem partem victus, juxta *l. ita vulneratus, §. Æstimatio: ff. ad l. Aquil.* ultro concedimus: dicimus tamen quod id faceret, tum quia maleficia non debent esse impunita, ut *ibid.* exprimit *J. C.* tum quia quando agitur in foro de præstandis alimentis, non oportet probare plenariè filiationem, *Mascardus conclus. 786. n. 10.* Et si præterea inferas, ex eodem privilegio sequi, ejusmodi prolem patre à quo alatur carituram: concedo illationem, & sequelam, quam concedunt etiam, præter *Gobat l. c. n. 57.* (ubi, *Hoc esse verum, & miserandum quidem, non tamen dictu absurdum, & admitti debere ab omnibus in causa hujus conclusionis*) *Magister Idelfonsus Dominicanus in par. 2. D. Tho. to. 2. Controvers. 209. dub. 7. conclus. 7. n. 1177.* relatus à *Diana to. 6. Coord. tr. 3. ref. 138. n. 9. ex p. 11. trac. 5. & Miscell. 5. ref. 27. Diana* ipse, *n. c.* 9. sic dicens: *Probabiliter aliquis dicere potest in supradicto casu, nullum teneri ad præstandum alimenta, sed debere ali à Matre, seu aliàs, sicut si Pater esset mortuus. Et ex hoc inconvenienti educationis prolis incertò patre, damnatur coitus inter solutas personas, & nulla, etiam gentium barbararum lege, fuit permissum, quod una mulier babeat duos viros, licet vnus vir naturæ, & veteri, & aliis, plures potuerit babere uxores.* Concedit etiam illationem hanc, & sequelam (consequenter, & privilegium propositum) *Emin. De Lugo de Just. to. p. disp. 13. sec. 2. Dubio incidente, n. 20. & seqq.* Imo inefficacem

cacem confirmationem ejuſdem, adducit *ibidem* ſequentia.

723 Primo: A poſteriori arguendo, hoc pacto. Theologi, ut malitiam intrinſecam oſtendant, quam habet peccatum ſimplicis fornicationis, hanc rationem communiter afferunt: quia videlicet proles ex fornicatione concepta exponitur periculo non habendi certum patrem à quo ali, & educari debeat, quod eſt contra finem generationis humanæ, quæ ordinatur non ſolum ad procreationem prolis, ſed etiam ad talem prolem, quæ juxta humanam naturæ conditionem, debito modo ali, & educari poſſit. Igitur ſupponunt ceſſare obligationem illam paternæ curæ, quoties pater incertus eſt de prole ſua: alioquin ſi uterque, & quilibet ex parte obligaretur, non careret tunc proles concepta ex fornicatione, commoditate illa, ob cujus defectum eſt illicita fornicatio.

724 *Franciſcus Bardi de Conſcientia Dubia, & Scrupuloſa Diſceptat. 6. cap. 9. §. 21.* (in quo ad rem præſentem; proponit ſic: *Duobus cum eadem muliere rem habentibus, ſi illa pariat, à quo ex illis duobus alenda ſit proles, quando de ejus genitore minimè conſtat?* Et reſolvit *n.* 3. cum *Vaſquez*, *Martinez*, *Turriano*, *Villalobos*, *Dicaſtillo*, & aliis, ab utroque concubinario, in æquali dubio, alimenta proli ſubminiſtranda eſſe, ob rationem de qua infra.) Opponitur argumento prædicto *Emin. De Lugo*, & negat illius conſequentiam, quia inquit non obſtante obligatione alendi prolem incertam, non vitatur periculum malæ educationis ob quam D. D. moti ſunt ad oſtendendam malitiam intrinſecam ſimplicis fornicationis, nam incertitudo ipſa prolis facit decreſcere amorem erga eandem, pariterque ſollicitudinem, ac paternam curam, qua parentes, certi de prole, conantur illam tenero affectu educare, proinde falſum ab Authoribus ſupponi ceſſare obligationem ad alimenta præſtanda proli incertæ ea incertitudine de qua loquimur. Verum hęc oppoſitio non reſolvit omnino argumentum oppoſitum: hocque evidens eſt, nam ſi ex ſola incertitudine prolis, præciſè, cum obligatione etiam alendi illam, non vitatur omninò periculum malæ educationis, ob rationem à *Bardi* allatam, majus utique periculum inſurget, & aderit, ac ferè inevitabile, abſque tali obligatione in dictis concubinariis, ſubminiſtrandi videlicet alimenta eidem incertæ proli, ut ex ſe conſtat. Et ſi ex hoc oritur inevitabile, ac certum ferè, majuſque periculum malę educationis, ex eodem etiam meritò, rationabiliter à poſteriori inferunt Theologi apud, & cum *de Lugo*, ut in ejuſdem primo allato argumento.

725 Secundò: à ſimili arguendo. Si conſtet de homicidio commiſſo, & ſolùm dubitetur, an fuerit commiſſum à Petro, an verò à Paulo, & adhibita diligentia dubium expelli nequeat, non poſſet tunc Judex licitè utrumque punire, hoc enim iniquum eſſet, cum certum ſit alterum ex illis eſſe innocentem, & utrumque puniendo puniri innocentem. Unde barbarum omninò, & crudele fuit, quod Princeps quidam feciſſe narratur, qui cum neſciret quis ex tribus famulis certos ſuos fructus pretioſiſſimos comediſſet, juſſit ſingulos ſecari, ut appareret, in cujus ſtomacho reperirentur, prout in ſecundo apparverunt, primus autem innocens ſectus fuit. Similiter ergo, ſi uterque parens incertus obligaretur ad alendam prolem incertam, ſequeretur, quod alter ex illis, qui non eſt pater, conſequenter non eſt debitor, obligaretur ad ſolvendum id, quod non debet, quod eſt iniquum. Ita *De Lugo*: cui

726 Item reſpondet idem *Bardi*, negando paritatem, quia in allato caſu homicidii patrati præſumptio juris eſt pro Petro, & Paulo, cùm de neutro determinatè conſtet commiſſio delicti, aut applicatio cauſæ homicidii, idcirco iniquum eſſet utrumque punire: at in caſu noſtro præſumptio juris eſt contra illos duos concubinarios de quibus conſtat certò, & determinatè patratum delictum, & cauſam prolis generandæ appoſitam fuiſſe; ideoque uterque eſt obligandus (concludit *Bardi*) ad ſolvenda alimenta. Et confirmari poteſt hujuſmodi reſponſio: nam ſi duo ex. gr. ſeorſim, & caſu ſagittas proiiciant injuſtè, quarum una interficiat ſervum Antonii, licet ignoretur cujus ſagitta interfectus ſit, ſinguli tamen debent compenſare damnum pro quantitate dubii, cum conſtet utrumque cauſam injuſtam damni appoſuiſſe, ab illiſque damnum proveniſſe. Similiter ergo cum etiam in caſu noſtro ſinguli ſua fornicatione, damni, ſeu generationis cauſam dederint, & conſtet ex illis prolem genitam, licet ignoretur à quo determinatè, debent ſinguli pro rata, ſeu quantitate dubii, damna compenſare, & alimenta ſolvere. His tamen non obſtantibus.

727 Rejicitur dicta reſponſio, ac ejuſdem confirmatio, & hinc magis, magiſq; roboratur doctrina *De Lugo*, ac privilegium noſtrum. Ad reſponſionem namque

conceditur quidem nec Petrum, nec Paulum puniri posse pœna homicidii, si neuter convincatur de homicidio, (& pro utroque sit præsumptio juris, ut in responsione) alioquin puniretur aliquis innocens, At idem omninò est, ac præsumptio eadem in casu nostro, & nulla disparitas; quia neuter ex dictis duobus convinci potest de effectu prolis, sui causa sequuto, ratione cujus dicatur teneri restituere, & solvere alimenta: si uterque igitur cogatur, aliquis innocens cogitur, & absque obligatione. Ad confirmationem verò, quam sibi etiam obiicit *De Lugo l. c. sub n.* 23. dò eiusdemmet solutionem: negando antecedens, licet enim in casu allato possent singuli puniri partialiter, non tamen restituere deberent. Differentiæ ratio est; quia ex punitione partiali non sequitur quod aliquis innocens puniatur, cum uterque deliquerit proiiciendo sagittam cum periculo occidendi. Unde singuli puniri possunt, non quidem pœna homicidii, sed solum pœna, quam meretur projectio sagittæ cum periculo occidendi, homicidio non sequuto. Hinc retorquetur argumentum: quia tunc non possent singuli puniri, homicidii pœna, cum neuter convinceretur, & alioquin puniretur aliquis innocens: ergo nec in casu nostro debent singuli restituere, vel solvere alimenta, quia restitutio non correspondet etiam ex parte causæ injustæ positæ, effectu non sequuto, sed solum quando sequitur effectus; ergo si uterque cogeretur, aliquis innocens, & absq; obligatione cogeretur solvere, quod injustum utique esset. Ita *De Lugo*. Qui

728 Tertiò, Arguit à priori: Quia in hoc casu eadem est obligatio in foro interno: quæ est in foro externo, cum non sit in foro interno alia præsumptio, vel notitia veritatis; in foro autem externo, actore non probante, reus absolvitur: ergo cum filius natus sit actor petens alimenta, & non probet aliquem ex illis esse suum patrem, uterque fornicarius, qui reus est, erit absolvendus, & non solum in foro externo, sed etiam in interno, cum non sit major ratio in hoc, quàm in illo. Nec effugit vim argumenti hujus *citatus Bardi*, dum dicit *nu.* 3. *c.* repetitque *nu.* 8. (& est fundamentum suæ, & contrariæ sententiæ) quod cum uterque concubinarius rem habuerit cum illa muliere, dum non constat prolem esse unius, & non alterius, præsumptio est contra utrumq; & possessio juris petendi alimenta pro filio genito. Et quia præsumptio, licet sit contra utrumque concubinarium, non est tamen totaliter contra utrumque seorsim, idcirco uterque non ad torum, sed ad partem tantum obligatus, & obstrictus est: Non inquam effugit hoc, vim argumenti, cum ex dictis jam constet non adesse talem præsumptionem contra dictos concubinarios à *P. Bardi* prætensam, & pro certo quasi suppositam, hanc enim negat de *Lugo*, ut patet, & nos cum ipso, & cum aliis.

729 Dices contra: Æquitas non patitur vt in dubio, & in casu nostro, filius maneat omnino desertus subsidio patris. Hinc *Dicastillo de Just. lib.* 2. *tr.* 2. *disp.* 7. *dub.* 11. *n.* 161. apud *Dianam to.* 8. *Coord. tr.* 2. *ref.* 15. *n.* 3. *ex par.* 7. *tr.* 11. & *Miscell.* 2. *ref.* 35. sic asserit: *Quando dubium est inter duos concubinarios, & æqua conditio dubii, tunc certum est alterutrum illorum esse patrem. Et cum dubium sit uter duorum pater sit illius, iniquum est ut à neutro accipiat alimenta, & præterea æquitas non patitur, ut unus solvat, & alter sit immunis, cum æqua sit utriusque ratio.* Sic ille. Cui cum *De Lugo* respondetur, quod neque æquitas patitur, ut aliquis cogatur ex parte cognoscere, & alere ut proprium filium, quem non scit esse suum. Unde suæ fortunæ imputare debet filius, quod propter incertitudinem, patrem suum non agnoscat à quo exigat subsidia paterna. Sic enim etiam (addit idem *Lugo*) si decem patres exposuissent singuli filios suos, & solus unus superesset vivus, non tenerentur singuli concurrere ad ejus alimenta, si nemo sciret illum esse suum filium, quia incertitudo impedit eum ab agnoscendo suo parente. Et cum hac paritate privilegium claudo: concedendo tamen cum eodem *De Lugo*, *Diana l. c.* & aliis, etiam oppositam sententiam (quæ videtur magis communis) esse satis probabilem, licet magis placeat nobis tradita in privilegio, ob argumenta adducta, quę illam efficaciter suadere videntur: & etiam ob ea, quæ firmata sunt in duobus præcedentibus privilegiis, ex quibus hoc tertium in consequentiam venit, ut ex se patet.

PRIVILEGIUM XXIV.

Qui ex ignorantia juris, vel facti non observat debitum ordinem in restitutione facienda, excusatur à peccato mortali contra Justitiam.

730 Quando bona debitoris sufficiunt in solutionem pro omnibus creditoribus, non est opus ordine ullo in restitutione servando, nam omnibus

omnibus integrè satisfaciendum est: certus servandus est ordo, quando dicta creditoris bona non sufficiunt, ut docent communiter D. D. apud *Bonac. to. 2. De Restit. in Genere disp. p. qu. 8. punc. 2. proposit. 5. n. 26.* Unde si sint plures creditores, inter quos nullum sit privilegium prælationis, unusquisque servato debito ordine satisfaciendus est, tum quia hoc ordine prætermisso, infertur injuria, & damnum aliis concreditoribus, & committitur peccatum mortale (ait idem *Bonac.* ibi) contra justitiam: tum quia, ordo Civilis legis, quæ non nititur falsa præsumptione, obligat in conscientia, ut constat ex tractatu de Legibus. Adverte tamen cum *Less. de Just. lib. 2. cap. 15. dub. 4. n. 36. Bonac. nu. cit.* (& apud hunc) *Turriano, Reginal. Valent. Clavi Regia, Molina, Navarro, Bannes, Salonio, & Aragonio.* Quod si alicubi extent leges, statuta particularia, vel consuetudines rationi consentaneæ circa ordinem restituendi, hæ sunt servandæ, & quidem in foro conscientiæ, ut communiter D. D. apud eundem *Less. n. cit.* Nam hæ leges non nituntur præsumptione, sed æquitate naturali; ex qua propter bonum commune statuunt hunc ordinem: quod non minus potuerunt facere, quam transferre dominia usucapione. Omnis autem lex humana rectæ rationi consentanea, quę non nititur falsa præsumptione, servanda est in conscientiæ foro: ità *Less. nu. 37.* Servandus igitur inquam est debitus ordo ex obligatione conscientiæ in restitutione facienda: adeo ut debitor qui scit statum suum deficere, non possit licitè creditori alicui sibi grato, magis amico, consanguineo, affini, &c. non petenti, integrè satisfacere, ut illi gratificetur, qui alioquin jus prælationis non habebat; quia (vt optimè etiam *Jo. Vvigers de Just. tract. 3. cap. 5. dub. 6. nu. 24. Less. cap. cit. dub. 5. nu. 40. Fagund. in Decal. to. 2. lib. 7. cap. 34. n. 9. Diana to. 6. Coord. tr. 3. res. 209. n. pr. ex p. 11. tract. 3. & Miscell. 3. res. 13.* & alii apud ipsos) jura id non concedunt: & iste creditor jus prælationis non habet, sed cum ceteris creditoribus pari jure concurrit; maximè quia vigilantia in petendo non facit eum potiorem, quia non petiit. Unde non licebit debitori præstare huic solutionem integram cum præjudicio aliorum, qui jure pares, aut potiores sunt: & inter pares, singulis aliquid solvendum est pro rata, secundùm quod vires debitoris ferunt.

731 Verum quidem est, quod si debitor sic alicui non exigenti ultroneè solveret, non tenebitur hic, qui accepit, in conscientia ad restitutionem, & securus est in utroque foro, quantumvis sciat hoc fieri cum detrimento aliorum, quia quod accepit erat proprium debitoris, nec erat hoc in se, sive in specie aliis obligatum, ut supponitur, neque apparet unde aliunde nascetur obligatio in conscientia ad restitutionem faciendam. Et confirmari hoc potest ex *l. quod autem, §. apud Labeonem, ff. De his, quæ in fraud. credit., & ex l. pupillus, ff. eodem:* ubi in eo casu negatur actio aliis creditoribus ad petendum in judicio excessum, quem prædictus creditor jam habet, attenta quantitate debitorum aliorum creditorum; at hujusmodi leges justæ sunt; ergo vim habent etiam in foro interiori, & consequenter in neutro foro tenetur restituere; & cum suum sit id quod hujusmodi creditor accepit, non peccavit accipiendo, nec peccat consequenter retinendo; & ità docent *Molina de Just. to. 2. tract. 2. disp. 536. n. 34. Versu, Hoc loco est observandum. Less. dub. 5. c. n. 41. Vvigers n. 24. c. Diana l. c. n. 4.* & alii.

732 Nec obstat assertum à *Bonac. l. c. n. 23. Versu, Sed mihi dicendum, cum Rebell. Sylv., Azor., Turriano,* & aliis: Non posse videlicet, quando creditor mala fide accepit, sciens debitorem esse impotentem ad solvendum omnibus; quidquid sit de foro externo, in quo non datur actio (*ex juribus citatis.*) Et ratio est, quia accipiendò peccavit contra justitiam commutativam, & fecisse videtur contra jus aliorum creditorum habentium æquale jus; ex violatione autem justitiæ commutativæ eum alterius damno oritur obligatio restitutionis: Non inquam obstat, & *Bonac.* (ut optimè *Diana l. c. num. 6.*) petit principium: hoc enim est de quo quæritur, an videlicet creditor benè accipiat, licet debitor malè solvat, & conferat: & quidem contigit sæpè, ut collatio sit mala, & receptio bona, ut in prodigendo dante, & in recipiente. In collatione item sacramentorum ab existente in mortali, & in aliis multis: de quibus quidquid sit, & de aliis casibus: do præsenti loquendo: nonnę per ipsummet *Bonac. l. c. n. 21.* si creditor iste prius peteret, licitè acciperet? ergo etiam non petens, si recipiat, nullam facit aliis injuriam. Nam quando accipit, approbat alterius solutionem, & est quasi virtualis quædam petitio. Et si antecedenter ad ipsam solutionem in ea occasione solum dicat; ego peto, solve mihi: his tantum verbis tota aboletur injustitia. Quod autem illa

illa verba expressè dicat, vel non dicat, nullius momenti videtur esse, atque adeò non facit injuriam. Ita *Diana n. 6. c.* Et apud ipsum *Dicastillus de Justit. lib. 2. trac. 2. disp. 11. dub. 8. n. 74.* idem tenet, & sic asserit: *Qui sic accipit, ad nullam restitutionem tenetur, quia non accipit rem alteri obligatam; atque adeo non tenetur ratione rei acceptæ; præterea nec ratione injustæ acceptionis, ut probavimus*, ergo, &c.

733 De dicto ordine servando in restitutione facienda, agunt Doctores in materia de Justitia, de restitutione præsertim: Si quis autem pro praxi sua, & conscientia, scire vellet quisnam ordo in restitutione facienda in casibus particularibus tenendus sit, habet inter alios *Bonac. qu. 8. c.* quæ tota est de hoc ordine tenendo; videatur: præscribit enim in ipsa dictum ordinem observandum, & ex sententia communi observandum sub reatu lethali. A quo tamen excusatur quisque per ignorantiæ privilegium propositum, etiam per eundemmet *Bonac. nu. 26. c.* positum sub his verbis: *Debitor qui non observat prædictum ordinem in restitutione facienda, peccat mortaliter contra justitiam, nisi ignorantia juris, vel facti, vel parvitas materiæ excuset. Ità communiter Doctores*. Quod privilegium insuper expressè laudatur, & admittitur à *Sayro in Clavi Regia lib. 10. tract. 5. cap. 10. dub. 8. n. 36.* Ubi: *Nisi talis debitor ignorantia facti, aut juris excusaretur. Intelligendum autem hoc est de ignorantia probabili, quæ sufficiens est excusare à peccato*; pro quo privilegio refert etiam *S. Anton. Sylvest. Martin. Navarr. Petrum Navar. Lopez, Rodriquez, Valentiam*: quibus addo *Fagund. n. 9. e. in fine*: ibi enim sic ipse: *Dicendum est peccare mortaliter prædictum debitorem, qui id facit, nisi aliunde excusetur, vel ratione parvitatis materiæ, vel ex ignorantia probabili juris, vel facti, vel ex necessitate extrema, vel quasi extrema, aut saltem gravi, ut docet Sayr. c. n. 36.*

PRIVILEGIUM XXV.

Ignorantia, quæ prodest ad præscribendum, excusat à restitutione.

734 PRæscriptione legitima acquiri rei dominium in utroque foro, res est jam nunc omnibus certa. Quia lex, & Princeps, causa publicæ utilitatis, & ob bonum commune possunt alicui auferre dominium rei suæ, seu rem unius, alteri applicare, ut fusè Doctores de præscriptione. Hinc, si ad antiquum Dominum post legitimos præscriptionis annos, res casu revertatur, non posset illam sine novo titulo sibi usurpare, nam usurparet alienum: adeo enim valida est præscriptio, si legitima sit, & omnes ejusdem conditiones adsint, ut verè exinde rei dominium ab uno in alium transferat, neque res per eam acquisita restituenda unquam sit, ut asserit *Clavis Regia lib. 9. cap. 12. n. 2. Versu, Quinta est*: ibique communis sententia Doctorum, & etiam apud *Palaum par. 7. de Just. in Genere disp. unica, punc. 12. § 2. nu. 2.* Præscriptio autem (quæ jure civili introducta fuit propter bonum publicum, tum ut esset litium finis, tum ne rerum dominia essent incerta, *Jo: Franciscus Balbi tract. de Præscriptionib. par. p. Quæsito 4.*) sic definitur: *Acquisitio, seu adeptio dominii utilis, vel directi rei alienæ per continuationem possessionis bonæ fidei spatio temporis à lege definiti*: ita *l. Usucapio, ff. de Usucapionibus*. An verò Usucapio, & præscriptio aliquo modo differant, idem *Balbi tr. c. quæst. 3.* respondet, quod Usucapio propriè respicit mobilia, præscriptio verò immobilia, quamvis longè sumpto vocabulo, præscriptio, comprehendat Usucapionem: & idem videtur innuere *Less. de Just. libr. 2. cap. 6. dub. p. n. 3. Versu, Ex his*: dum ait: Quod præscriptio magis communis est, quam Usucapio, eo quia omnis usucapio est præscriptio, non è contra. Et hoc idem asserit etiam *Vvigers de Jure, & Just. tract. p. cap. 5. dub. p. Usucapio distinguitur à præscriptione, sicut minus commune à magis communi, quia omnis usucapio est præscriptio, non è contra*: sic ille. Communiter tamen à Jurisconsultis præscriptio vocatur usucapio, quę non solum circa mobilia, sed etiam circa immobilia versatur, ut videre est apud *Palaum par. 2. tr. 10. Disp. Unica, punc. p. n. p.*

735 Dicitur præscriptio, *Acquisitio dominii utilis, vel directi*: quia per eam non solum acquiri potest res aliqua quoad dominium utile, idest quoad solos fructus ejusdem rei, sed etiam quoad jus in rem ipsam. Dicitur, *per continuationem possessionis*, quia possessio qua res præscribitur debet esse continua, & non interrupta; nam sine possessione continuata non datur præscriptio, *Reg. 3. de regulis juris*. Dicitur, *bonæ fidei*: nam mala fides (ex jure canonico, cui semper standum est) nunquam præscribit, ut patet ex *Reg. 2. Juris in 6.* ubi dicitur, *possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. Unde *cap. ult. de præscriptionibus, & cap. Vigilanti, eodem titulo*, derogatum

rogatum est omni consuetudini, aut legibus civilibus, asserentibus, dari posse præscriptionem absque bona fide: & ita etiam communiter Doctores. Quando autem mala fides præsumatur vide *Menochium de Arbitrar. lib. 2. cent. 3. casu* 225. *to. 2. de probat. concl.* 1377. *num.* 18. *& concl.* 785. *casu* 225. *cum Balbo*, & aliis. Dicitur *Spatio temporis à lege definiti*: quia ad præscribendum requiritur certi temporis continuata possessio: quod tempus varium est pro varietate rerum præscribendarum. Ex qua definitione collige, quatuor requiri ad legitimam præscriptionem: possessionem videlicet, bonam fidem, titulum præsumptum, & tempus, de quibus passim Doctores. Vide *Molin. Azor. Less. Bonac. Palaum*, & alios. Solum circa bonam fidem (cum hæc pertineat ad privilegium propositum) firmandus tantisper est calamus.

736 Bona ergo fides, quæ ad præscriptionem requiritur, est credulitas, qua quis prudenter judicat rem suam esse, vel saltem esse alienam ignorat, modo ignorantia non sit crassa, vel affectata (alias non esset bona fides, nec prudens, ut optimè etiam *Less.* ubi infra) & ita ut toto tempore præscriptionis verè non sit rei alienæ conscius: *Molin. de Just. to. p. tract. 2. disp.* 64. *circa principium. Versu, Quod attinet. Reginald. tom. p. lib.* 10. *nu.* 293. *Lessius c.* 6. *cit. dub.* 2. *n.* 9. *Filliucc. to.* 2. *tract.* 31. *cap.* 8. *qu.* 3. *n.* 186. *Clavis Regia l. c. Versu, Quarta est. Bonac. to. 2. De restit. in genere, disp. p. qu. ult. punct.* 2. *§.* 2. *propos.* 2. *n.* 15. aliique apud ipsos, & communiter scribentes de præscriptione. Et hoc idem habetur *in Cap. finali de præscriptionibus* (quod sumptum est *ex Concil. Magno Lateranensi*) ubi dicitur: *Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quàm civilis; cum generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam:* Hoc est, oportet ut toto tempore præscriptionis (ut supra) non sit conscius rei alienæ, unde habeat bonam fidem, idest prudentem credulitatem, qua ignoret omninò rem quam possidet esse alienam, & indubitanter, ac quieta conscientia credat esse suam. Quare si ex aliqua probabili ratione (non levi, seu ex qua prudens nil moveri debeat) conscientia remordeat, quod talis res non sit sua, desinit bona fides, & ignorantia requisita, & quæ prodest ad præscribendum. Quia, ut quis justè incipiat sibi usurpare rem quam antea non habebat, debet determinatè judicare, vel esse nullius, & ideo esse primò occupantis; vel certè suam esse, quantumvis id antea non adverterit: & nedum indubitanter judicare, & credere rem quam possidet esse suam, sed etiam meritò id sibi persuadere. Nam dubitans sit ne sua, an aliena, injustè eam sibimet usurpat, cum ipsius conditio non sit melior, quàm alterius: *Molin. l. c. Reginald. n.* 293. *c.* aliiq; & communiter.

737 Completo igitur toto spatio temporis à lege ad præscriptionem definito, & continuata in ipso (ut supra) bona fide, & ignorantia, hæc excusat à restitutione, & post eam completam, non manet amplius obligatio in conscientia restituendi rem possessam: quantumcumque possidens evidenter postea sciat alienam fuisse. Et hoc idem est privilegium propositum, communiter approbatum ex dictis, & ab omnibus admissum; per quod res desinit esse aliena, & restitutioni obnoxia. Desinit inquam esse aliena, & restitutioni obnoxia, etiam si possidenti constiterit esse alienam, & bona fides, ac ignorantia ejusdem cessaverit, dummodo id ei constiterit post completam præscriptionem, quia post hanc; qui verè præscripsit fecit rem suam, quæ aliena fuit: præscriptio enim completa dominium transfert à priori domino in alium, etiam in foro conscientiæ ex dictis. Supponit autem nostrum privilegium quod adsit capacitas activa respectu præscribentis possidentis, & passiva respectu rei, quæ possidetur, ut videlicet possidens, possidere possit; & res possideri: defectu primæ capacitatis, Religiosus professus non potest aliquid præscribere, cum non sit sui juris, & in eo deficiat capacitas activa, est enim incapax dominii, nec potest quicquam nomine suo possidere. Defectu secundæ, & passivæ, loca Religiosa sacra, aut sancta; jura Ecclesiastica, sive spiritualia, à Laicis nequeunt præscribi. Unde etiam si mille anni transierint, laici tamen talia jura, veluti decimarum, primitiarum, oblationum, præscribere non valent. *Joann. Andreas cap.* 2. *de Præben. in* 6. quia talia jura in laicos cadere nequeunt; ac proinde non possunt unquam laici præscribere jus cognoscendi, & judicandi causas Ecclesiarum, vel Clericorum. *Bonacin. l. c. n.* 6. *Azor. to.* 3. *lib. p. cap.* 19. *& cap.* 20. *qu.* 2. *Clavis Regia lib.* 9. *c.* 12. *Dubio* 2. *per totum*, in quo multas res recenset, quæ jure præscribi

cribi non possunt : & ultimo loco, *sub n. 9. Versu, Undecimò*, optimè advertit, nec posse præscribi, seu non valere præscriptionem contra eum, qui adeò impotens est, aut impeditus, ut rem suam in judicio petere non possit, eo quod in illo non reperitur causa præscribendi contra. Inde est, quod non valet contra mentecaptum; contra Minorem, ante scilicet annum 25. contra Filium sub potestate patris existentem; contra uxorem, cujus vir non est administratione privatus; & denique nec contra omnem, qui justam, & legitimam habet causam, seu impedimentum, ne contra possessorem agat : de quibus legendi Authores, qui latè ista pertractant : Vide *Bonacin. l. c. n. 9. & Haunoldum de Jure, & Just. to. p. tract. 5. cap. 2. Controv. 5.*

738 Unum hìc etiam obiter addo cum *P. Pasqualigo De Sacrificio Novæ legis to. 2. qu. 1047. n. 6. 7. 8. & 9. & qu. 1048. n.p.* Nec Legatum pro Missis posse præscribi contra Defunctum (licet præscribi possit contra legatarium, ut communis tenet sententia apud eundem *qu. c. n. 3. & 4.* Eo quia cum legatum habeat onus Missarum, potest hæres credere quod legatarius nolit acceptare legatum intuitu oneris, & sic manere in bona fide) Agitur enim in legato non solum de interesse legatarii, sed principaliter de interesse defuncti, quia defunctus, & testator, legando, intendit principaliter animæ propriæ prospicere, mediantibus suffragiis Missarum, & eligit legatum tanquam medium ad hunc finem. Unde hæres cum semper teneatur curare, ut Missæ celebrentur, ob debitum quod cum defuncto contraxit, adeundo hæreditatem, & consentiendo in voluntatem, & dispositionem testatoris, tenetur ad ipsas, & ad legatum, tanquam medium, atque adeò etiam ad finem, ad quem à Defuncto ordinatum fuit. Et idcircò licet contra legatarium possit præscribere, non tamen contra Defunctum, sed tenebitur semper curare, ut celebrentur Missæ ab ipso præscriptæ. Ratio autem cur nequeat præscribi contra Defunctum est manifesta (inquit *Pasqualigus n. 7.*) & ex eo constat; quia cum Defunctus non sit amplius in hominum commercio, non potest argui de patientia, & negligentia in non petendo quod sibi debetur; unde respectu ipsius non habet locum fundamentum præscriptionis, nec hæres est in bona fide, quia non potest putare, quod defunctus non curet adimpleri legatum, quasi non petat : peteret enim si posset. Accedit, quod generaliter præscriptio est inducta ab humanis legibus pro quiete, & tranquillitate Reipublicæ, & ideo non plus se extendit, quam se extendant leges humanæ; hæ autem non se extendunt ad Defunctos, tanquam extra jurisdictionem humanam.

739 Hinc sequitur primò. Quod totum id, quod hæres acquirere potest per præscriptionem, est jus liberum committendi celebrationem Missarum cui voluerit, & tribuendi ipsi legatum. In quo tamen illud est advertendum, quod quamvis minori quantitate possit facere Missas celebrare, quam legata sit à testatore, tenetur tamen totam quantitatem legatam exhibere; quia exhibetur non tam in beneficium celebrantium, quàm in beneficium animæ Testatoris: si quidem quò major est quantitas, quæ exhibetur, eo major etiam est fructus, quem defunctus percipit, tum quia eleemosyna quo major, eò etiam est magis satisfactoria; tum quia sacrificium est magis proficuum, quò magis influit Testator in ipsum per majorem eleemosynam.

740 Secundò sequitur. Quòd cum Defunctus non possit instare pro exequutione legati, & celebrationis Missarum, tanquam extra humanum commercium, remanet in dispositione ultima voluntas ipsius, quæ sicut operatur post mortem, ità etiam instar legis impositæ rebus suis continuò loquitur, & instat pro exequutione sui ipsius. Valet enim argumentum à lege, ad Testatorem : ut observant *Riminal. Consil. 540. n. 4. Vol. 5. Cravetta Consil. 291. n. 5. lib. 2. Cephal. Consil. 541. n. 23. lib. 4. Honded. Consf. 57. n. 15. & Ludov. decis. 219. n. 2.* Unde ex hoc quoque capite impeditur præscriptio, & fit, quod hæres sit in continuo statu peccati mortalis, quousque satisfaciat piæ dispositioni Testatoris. Hactenus doctissimus *P. Pasqualigus* : Cum quo etiam tene *qu. c. 1047. nu. 5*, & cum aliis ibidem, quod nec possit hæres præscribere contra legatarium, nisi notificet ipsi dispositionem Testatoris de legato. Ratio est, Quia præscriptio fundatur in scientia, patientia, & negligentia non petentis, *l. 2. C. De servit. & aqua*, & ibi Doctores. Si autem non notificetur legatum, non habet locum scientia, patientia, & negligentia ipsius, quæ sunt fundamentum præscriptionis. Et cum teneatur hæres adimplere dispositionem Testatoris, ratione obligationis, quam cum ipso contraxit adeundo hereditatem, & consentiendo in ejus ultimam voluntatem, tenetur etiam interpellare legatarium, an velit acceptare legatum cum onere

onere annexo, ut si fortè nolit, possit ipse satisfacere propriæ obligationi, ut per alios Missæ celebrentur. Et cum eodem insuper tene, contra Defunctum Testatorem non posse præscribi legatum pro Missis, sive sit pro Missis pro una vice tantum, sive sit annuatim, tenetur enim semper hæres curare ut Missæ à Defuncto sive pro una vice ordinatæ, sive annuatim celebrentur, ob debitum quod cum defuncto contraxit adeundo ut supra, hæreditatem, & consentiendo in voluntatem, & dispositionem Testatoris: Unde si præscriberet contra legatarium, in eo statu esset, in quo foret si legatarius repudiaret legatum; ità *Pasqual. qu.* 1048. *nu. p. c.* An verò Ecclesia, seu Capellanus possit præscribere numerum Missarum, vide eundem *Pasqualig. tom.* 2. *cit. qu.* 1192. *& Tambur. Opusculo De Sacrific. Missæ lib.* 3. *cap.* 7. *§. p.* respondet uterque affirmativè: sed *P. Pasqualigus in fine qu. num.* 6. loquens consequenter, optimè advertit, *quod ut præscribantur onera hujusmodi Missarum quoad numerum, præscribendum est contra jus Ecclesiæ, & non contra jus defunctorum: beneficia enim sunt de Jure, & patrimonio Ecclesiæ, & proinde Ecclesia habet jus ad exigenda onera, quæ sunt ipsis annexa, qualia sunt onera Missarum celebrandarum, ita ut à fundatoribus censeatur translatum in ipsas jus illud, quod ex fundatione acquirunt quoad exigenda onera ab iis, quibus pro tempore imponuntur. Et ideo regulanda est præscriptio secundum leges præscriptionis contra Ecclesiam, & non præscriptionis, circa absentes; præsertim quia defuncti non sunt in humano commercio, nec retinent jura contra viventes, nec subsunt legibus humanis, & proinde nec legibus præscriptionis.* Ita ille. Post hæc scripta inveni *Alphonsum de Leone De officio Capell. qu.* 5. *sec.* 21. quærentem, An possit præscribi Legatum annuum pro Missis celebrandis, si non fuit solutum per aliquod tempus, & *nu.* 315. resolvit & ipse præscribi posse contra Ecclesiam non petentem illud. Videatur.

741 Ex superius dictis de bona fide, & ignorantia, infertur primò, debitorem, qui jam triginta annis elapsis non solvit debitum, non potuisse illud præscribere carendo tali bona fide, & prudenti ignorantia: Si tamen daretur casus, quod bona fide possederit triginta annis jus non solvendi, & bona fide existimaverit ex ignorantia probabili se nihil debere, eo quia crediderit, debitum solutum fuisse, aut condonatum, vel quia nihil omnino recordatus sit; in tali casu poterit debitum præscribere. *Bonac. l. c. n.* 16. & alii ibidem. Secundò infertur, non gaudere privilegio præscriptionis eum, qui bona fide, & prudenti ignorantia incepit possidere, sed nondum finito tempore ad præscriptionem requisito malam fidem habuit; non enim dicitur habuisse bonam fidem, & ignorantiam tempore requisito ad præscriptionem, ita communiter Doctores, apud, & cum *Bonac. n.* 17. Casu tamen, quod bona fide inchoata fuisset possessio, & superveniret postea mala fides, ei postea hæc iterum deponatur; eo quod comperiatur revera non fuisse malam fidem, sed errorem, præscriptio continuatur, non interrumpitur: idem *Bonacin. eod. nu.* sequens *Molinam de Just. tom. p. tract.* 2. *disp.* 63. *Conclus.* 2. & alios ab utroque relatos, asserentes possessionem, seu præscriptionem non interrumpi ob dubium superveniens post possessionem bona fide inchoatam, tum quia hìc manere potest in possessione rei; ergo possessio non interrumpitur. Tum quia *in cap. ult. de præscript.* solum ad præscriptionem requiritur, ut is, qui possidet in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienę: qui autem inchoata possessione bona fide, incipit dubitare, non dicitur habere conscientiam rei alienæ. Et hæc est communissima Doctrina apud *Pasqualigum in Qq. Singularib. qu.* 146. *nu.* 3. Quod in dubio melior sit conditio possidentis, & proindè, quod non obstante dubio possit retineri res possessa, eo quia cum hujusmodi dubio mala fides non habet locum, neque enim dubium illam inducit, ut notant *Bald. in cap. Si diligenti, nu.* 7. *De præscript. & Decian. Consf.* 124. *n.* 58. *lib.* 3. nam mala fides (ait etiam *Pasqualig. qu. c. n.* 4.) fundatur in cognitione, quod res sit aliena, quam excludit dubium: si enim sciret esse alienam, non dubitaret. Imò ignorat esse alienam, si quidem solum dubitat, quod possit esse aliena. Et ideò dubitans æquiparatur ignoranti, *l. Manifestissimè, §. Sin autem dubius, c. de Furtis*; & notant communiter Doctores. Neque enim dubitans scit id, de quo dubitat. Si autem nescit ignorat, & proinde dubitans habet necessariò annexam ignorantiam de eo, de quo dubitat. Qua dubitatione, & ignorantia stante remanet exclusa mala fides, quæ sola impedit præscriptionem iuxta *Cap. fin. De Præscript.* Concurrat ergo bona fides, nec obstat quicquam præscriptioni, dubium de legitima possessione. Verum quidem est, ait *Molina*, & cum ipso *Bonac.* quod posito dubio, tenetur diligentiam adhibere ad rei veritatem inveniendam, & si adhibita diligentia veritatem nihilominus invenire

non potuit, dubium practicè deponere debet, & rem de qua dubitabat, licitè retinebit, ut communiter Doctores *in Tractatu De peccatis, de Conscientia dubia*. Concludit tamen *Bonac.* cum *Molina*, quod si superveniente præfato dubio putet se cum peccato possidere, seu dubium non deponat, & si fortè erret ex ignorantia, non præscribit, tum quia adest mala fides; tum quia ita sancitum videtur in *l. Si fur, §. p. de Usucap.* iste ergo deponat dubium, & præscribit, sic etenim nec habet malam fidem, nec conscientiam rei alienæ, nec possessionem interrumpit, ergo præscribit.

742 Quod confirmari potest ex doctrina, quam tradit *Vasq. in p. 2. to. p. qu. 19. art. 6. disp. 66. cap. 7. Versu, Ego verò, n. 42.* ibi enim loquens de eo, qui possidet quidem bona fide, sed dubitat an res quam possidet sit sua, & nedum dubitat æquali dubio, sed etiam inæquali, idest magis inclinando in eam partem, ut res aliena sit: quo in casu, quia aliqui apud ipsum contendunt talem sic dubitantem teneri partem restituere ratione majoris illius inclinationis, & propensionis, docet ipse contra, ut sequitur, quod etiam magis confirmat antedicta. *Ego verò hanc sententiam existimo nulla ratione esse admittendam. Nam quamvis pro altero, qui non possidet rem, fortiores videantur rationes, & conjecturæ circa jus proprietatis, tamen si non sunt usque adeò efficaces, ut generare possint assensum illius partis, sed rem adhuc dubiam relinquunt, non debet censeri majus, & potius jus proprietatis unius, quam alterius, cum adhuc in dubio res maneat, dubia enim res æquè videtur utramque partem respicere. Ergo si rei in dubio existenti accedat certa possessio, potior erit causa possidentis. Quocirca quamvis urgentiores videantur rationes pro eo, qui non possidet, si tamen non sufficiunt assensum generare, non obligabunt ad ullam restitutionem. Doctrina verò de dubio, in quo melior est conditio possidentis, intelligitur quando nullus est assensus pro altera parte, de proprietate, & dominio.* Hæc *Vasq.* Cui licet contradixerit *Sanch. de Matrim. to. p. lib. 2. disp. 41. nu. 10.* se tamen retractando *in Summa to. p.* tum *lib. p. cap. 10. n. 9.* tum *lib. 2. cap. 23. n. 179.* subscribit eidem, explicitè approbando, & rationibus sustinendo sententiam *Vasquez*, quam etiam tuetur *Bonac. de Restit. in Genere disp. p. qu. 2. punc. 2. prop. p. nu. 6.* & uti probabiliorem amplectitur etiam *Diana to. 8. Coord. tract. 7. ref. 40. 41. 42. Ex p. 2. tr. 17. & Miscell. 3. ref. 44. Ex p. 2. tr. 15. & Miscell. p. ref. 10. Ex par. 4. tract. 3. ref. 26.* pro qua sententia etiam refert *Merollam in disputat. Theologicis tom. pr. disp. 3. cap. 3. Coroll. 3. n. 24. Palaum to. p. disp. 3. punc. 2. n. 11. Layman. lib. p. tract. p. cap. 5. §. 3. n. 21. Filliuccium to. 2. tract. 21. cap. 4. n. 158. Arragonium in 2. 2. qu. 62. art. p. & Salas in p. 2. qu. 2. trac. 8. disp. unic. sec. 23. n. 231.* ubi addit, hanc sententiam esse veram non solùm quando rationes pro contraria parte assensum non generant, sed etiam quando eum generant, dummodo non convincant, nec assensus sit certus physicè, aut moraliter; sed merè opinativus, adhuc enim verè res est dubia, & possessio omnibus rationibus non convincentibus præponderat. Pro contraria sententia sunt apud eundem *Dianam resolutionib. cit. Valent. Bannez, Ledesma, Salonius, Sayrus, Bartholom. à S. Fausto, & Conincb.* quorum omnium ratio est, quia in pari causa melior est conditio possidentis; sed quando possidens magis inclinat in eam partem, ut res sit aliena, non dicitur par causa; ergo ratione istius imparitatis, & inclinationis, tenetur aliquid restituere illi, cujus rem esse dubitat. Cui tamen rationi respondetur, possessionem certam (ut dictum est) prævalere omnibus rationibus non convincentibus, atque adeo meliorem, & potiorem esse conditionem possidentis, etiam si dubium non sit par, & æquale. Igitur in casu quo quis possidet bona fide, etiam si inclinet, quod res sit aliena, perseverans tamen in eadem possessione bona fide, seu prudenti ignorantia toto continuato tempore ad legitimam præscriptionem definito, ipsa consumpta, à qualibet restitutione excusatur, ut in privilegio proposito. Quantum autem temporis requiratur ad legitimè præscribendum adversus res mobiles, immobiles, præsentes, absentes, privatos, Principes, Civitates, Regna, Romanam Ecclesiam, Beneficia Ecclesiastica, &c. & adversus leges tum Civiles, tum Ecclesiasticas, &c. Vide scribentes de præscriptione, præcipuè *Bonac. de Rest. in Genere, disp. p. quæst. ult. punc. 2. §. 2. à n. 28. Lessium de Just. lib. 2. cap. 6. à Dub. 7. usque ad 14. inclusivè. De Lugo to. p. de Just. disp. 7. sec. 6. & Tamburin. in Decal. lib. 8. tract. p. cap. 4. §. p. à n. 3. usque ad 13.*

743 Unum tantum hìc obiter adverto, sententiam esse *P. Pasqual. qu. singul. 147.* & apud ipsum *Ferdin. Vasquez Controvers. Illustr. cap. 55. n. 28. & cap. 89. n. 32.* Præscriptionem non habere locum inter supremos Principes, atque adeo non posse hoc modo acquirere dominium, unum contra alium.

alium. Intellige tamen (inquit) quoad supremos Principes, quatenus tales sunt, & quoad ea, quæ jure Regni censentur, non jure privatorum, ut sunt Civitates, Provinciæ, &c. Nam si censeantur jure privatorum, subiiciuntur legibus quibus utuntur privati, & proinde etiam legi præscriptionis. Quod non solum locum habet inter Principes, & subditos, sed etiam inter Principes ipsos supremos. Ratio fundamentalis hujus sententiæ, est: Quia præscriptio est inducta à jure Civili *l. p. & l. 3. De Usucap.* & notant communiter Doctores. Proinde extenditur tantum ad eos, pro quibus est positum jus Civile. Non est autem positum pro supremis Principibus, quia cum non recognoscant superiorem, non poterunt subdi juri civili; ut enim subderentur, opus esset superiore, qui eos subiiceret suis legibus; atque adeo etiam legibus disponentibus de præscriptione. Et quamvis in sua ditione communiter utantur jure civili, non ideo utuntur, quia eidem juri ipsi se subjecerint, cum illud amplexi sint tantum in ordine ad regimen subditorum; non quoad commercium, quod intercedit inter ipsos Principes, & quoad ea, quæ jure regni censentur; quia quoad hæc exercent commercium inter se secundum jus naturale, & jus gentium, & secundum jus civile quoad ea tantùm, quæ censentur jure privatorum; secundum quæ jure habet locum præscriptio, ut dictum est; non autem quoad ea, quæ jure regni, &c.

744 Et si huic sententiæ opponas, Quod cum præscriptio, inducta sit ob publicum bonum ad tollendas lites, *l. fin. ff. Pro socio.* Ejusdem finis speciali modo, & ratione, habet locum quoad Principes supremos, qui non litigant coram Judice, sed armis, & bello, quod valdè damnosum communitati; & ideo ad evitandas lites, quæ armis deciduntur necessaria videtur præscriptio. Si inquam hoc opponas, respondet *P. Pasqual. in fine qu. n.* 11. Utilem quidem futuram præscriptionem ad bella vitanda, si inter supremos Principes posset introduci. At non potest introduci, quia non habent superiorem à quo introducatur per legem ipsis communem. Sed solum communi pacto posset introduci; quod tamen pactum non est, cum praxis ostendat, quod invicem repetunt, quando se offert occasio, quæ alius ultra centum annos possedit. Tum quia Principes jura principatus semper manutenent, & in tantum non vindicant bello, in quantum non habent commoditatem. Unde nunquam locum habet bona fides possidentis, nec patientia, aut negligentia illius, qui jus habet vindicandi: ita doctissimus *Pasqualig.*, cum quo totum allatum hìc, obiter, & ad ornatum advertendum est. Sed

745 Quæres primò, quænam ignorantia sit ea, quæ prodest ad præscribendum, & valet excusare à restitutione, ut in privilegio. Pro hujus quæsiti intelligentia, & responsione: Supponendum, ignorantiam duplicem esse; una est juris, altera facti. Insuper ignorantia juris, alia est juris clari, alia juris dubii. Ignorantia juris est (ut ex se patet) quando quis jus ignorat, ut accidit quando quis ex. gr. accepit aliquid à Prælato nesciens ad illius alienationem requiri consensum Capituli. Ignorantia facti contingit, quando quis non ignorat prohibitionem, sed ignorat factum; ut accidit, quando quis scit v. g. non posse quicquam emi à fure, sed ignorat hunc à quo aliquid emit, esse furem. Hoc supposito: *Medina c. De rebus restituendis, qu.* 17. *Coroll.* 3. Existimat, quod licet ignorantia juris non sufficiat in foro exteriori ad rem posseßam præscribendam (eo quod in eo foro præsumitur mala fides). in foro tamen interiori, & conscientiæ, si ignorantia sit inculpata, & invincibilis, sive sit facti, sive juris clari, aut obscuri, bonam fidem producat, & ad præscriptionem sufficiat, cum in hoc foro de veritate, & non de præsumptione agatur. Quam *Medinam* sententiam, *Less. de Just. libr.* 2. *cap.* 6. *n.* 17. censet non improbabilem. Et *Sayr. in Clavi Reg. lib.* 9. *cap.* 12. *dub.* 8. *n.* 21. *in fine*: putat esse absolutè falsam; eamque fusè refellunt *Covarr. in Reg. Possessor. par.* 2. *§.* 7. *à num.* 7. *& Molina de Justit. tom. pr. tract.* 2. *disp.* 64. Cum his:

746 Respondeo ad quæsitum primò, Ignorantia juris clari, etiam inculpata, & invincibilis, non prodest ad præscribendam possessionem rei alienæ, nec valet ad excusandum à restitutione: & hæc est sententia communis Doctorum apud *Less. cap.* 6. *c. Dub.* 5. *in princip.* & verior per ipsum; quam sequuntur *Clavis Regia l. cit. nu.* 22. *Reginal. in Praxi to. p. lib.* 10. *cap.* 20. *n.* 294. *Vers. Primum est. Filliuc. tom.* 2. *tract.* 31. *cap.* 8. *Vers. Dico Quartò*, *nu.* 189. *Bonac. §.* 2. *c. n.* 19. *Vers. Respondeo*, & alii apud ipsos, & communiter. Quorum omnium, & hujusce responsionis ratio est. Quia præscriptio jure civili introducta est, tantam ergo vim habebit, quanta illi datur à jure civili, vel canonico. Jus autem civile

vile apertè statuit non prodesse ignorantiam juris, *l. ita juris, ff. de jur. & facti ignorant.* ubi dicitur: *Juris Ignorantia in Usucapione negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat, l. Nunquam, ff. de usucap.* ubi: *Nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest*, & consentit jus Canonicum, *Cap. Apostolicæ, de donat.* Cùm ergo leges nolint hanc juris ignorantiam prodesse, non procedet cum ea præscriptio, sicut enim præscriptio jure humano constat, ità ab eodem potest circumscribi. Verum quidem est quod licet juris hujus clari inculpata ignorantia non prosit, nec valeat ad rem præscribendam, valet nihilominus, & prodest ad præscribendos fructus ex ea per illum possessa perceptos, *l. bonæ fidei emptor, ff. de acquirendo rerum dominio*, ubi dicitur: *Qui non potest usucapere propter rei vitium, fructus tamen rei suos faciet*: & ità etiam *Less. Dub.* 5 *c. n.* 15. *Clavis Regia l. c. n.* 7. *Reginald. num. cit.* 294. *Vers. Secundum est*. *Filliucc. n. c.* 289. *in fine*. *Bonac. l. c.* & communiter Doctores, qui citant *Navarrum lib. 9. Consil.* 9. *de Offic. Judicis Ordinarii*, *Edit.* 2. Talis enim ignorantia, quoad fructus, censetur potius facti, quàm juris: utpotè, qua possessor putat se ex re sua fructus percipere: ignorantia autem facti, utique prodest, & valet ad præscribendum per omnes: ut patet ex *l. Nunquam, ff. de usucapionib* modo non desint cæteræ conditiones ad præscriptionem requisitæ. Hinc si quis ex usuris acquisivit prædium, putans usuras moderatas esse licitas, prædium non præscribit, sed fructus receptos ex prędio benè præscribit. Item, tam hæres latronis, quam qui à latrone rem emit, si rem possideant bona fide, & longo, ac usitato tempore ad præscribendum à lege requisito, quamvis rem illam non præscribant, fructus tamen rei possessæ faciunt suos, nec tenentur restituere.

747 Hic autem nota cum *Less. dub.* 5. *c. n.* 18. & aliis: Ignorantiam, seu errorem inducentem bonam fidem omninò sufficientem ad usucapionem, regulariter censeri ignorantiam, seu errorem facti. Unde si quis rem accipiat à fure, ignorans esse furem, tenet illam bona fide, orta ex ignorantia facti, & potest eandem rem præscribere. Similiter si emat quis aliquid à minore, quem majorem existimabat, potest emptum præscribere: habet enim ignorantiam facti sufficientem ad præscribendum tempore à lege constituto. Pari modo, si emat à Prælato rem Ecclesiæ putans Capitulum consensisse, potest præscribere, etiam si Capitulum non consenserit, ob ignorantiam facti, quam habet, sufficientem ad præscribendum. Si verò emat à Prælato, putans non requiri consensum Capituli, est ignorantia juris, & hæc non potest præscribere, nisi fructus rei, non autem rem ipsam: ità *Less. l. c. Clavis Regia l. c. n.* 38. *ex l.* 2. *§. Si à pupillo, ff. pro tempore*. *Filliucc. l. c. n.* 190. *Bonac. l. c.* & alii.

748 Respondeo secundò ad quæsitum. Ignorantia juris verè dubii, idest de quo sunt variæ Doctorum opiniones, prodest ad præscribendum, & valet excusare à restitutione rei possessæ. Et ratio est, quia quando jus dubium est, possunt adesse opiniones utrinque probabiles circa illud jus: quilibet autem sequi potest opinionem probabilem, & hanc sequens, non dicitur habere malam fidem, imò proinde se habere ac si jus planum esset. Ità *Less., Filliuc. Molin., Bonac. l. l. c. c.* & alii præcipuè *Clavis Regia l. c. n.* 23. ubi ait: *Quod nimis durum, & quasi intolerabile esset affirmare, hujusmodi ignorantiam invincibilem juris dubii, impedire præscriptionem prius bona fide inchoatam, atque adeo, ut rectè etiam notat Molina, excepta censetur per Epichejam, talis ignorantia invincibilis, ne præscriptionem bona fide inceptam impedire possit. Secus autem dicendum est de ignorantia juris clari, & manifesti, talis enim præscriptionem impedit, sive in minore, sive in rustico, sive in muliere, milite, aut in aliis reperiatur.*

749 Quo autem ad hoc ultimò additum, de ignorantia videlicet minoris, rustici, mulieris, militis, &c. *Molina Jurisperitus lib.* 2. *de Primogen. cap.* 7. *n.* 69. (relatus à *Less. dub.* 5. *c. n.* 17.) cum aliis, è contra affirmat, præscriptionem, etiam eam, quę requirit titulum, procedere cum juris ignorantia in iis, in quibus error juris toleratur, ut in muliere, rustico, minore, milite, & similibus. Hoc dictum non reiicit *Less.* & *in princip. c. nu.* 17. non recedit omninò à sententia *Medinæ*, dum eandem dicit, sibi non improbabilem esse: & docere videtur cum *Covarru. §.* 7. *supra c. n.* 6. quod quamvis ignorantia juris non sufficiat ad præscriptionem requirentem titulum, sufficit tamen ad eam præscriptionem, quę titulum minimè requirit, sed sola bona fide procedit. Quod idem, ut probabile admittit etiam *Filliucc. nu. c.* 289. *in fine*: ubi sic: *In foro conscientiæ probabile est, ignorantiam juris, in præscriptione non requirente titulum sufficere: ut ea, quæ requirit* 30. *annos*. *Med. q.* 17. *& Less. dub.* 5. Cui probabili-

babilitati, seu non improbabilitati, subscribunt etiam *Vvigers ubi supra dub. 5. quæst. 3. à n. 11. Christophorus Haunoldus de Jure, & Justitia to. p. tract. 5. cap. 2. Vers. Dico primò, n. 197. & Vers. Dico 2. n. 203. & Palao par. 7. de Just. in Gen. disp. Unica punct. 22. §. 8. n. 7.*

750 Ad id autem moventur *primò*. Ex eo quod ideo leges videntur reiicere juris ignorantiam à continuatione præscriptionis, quia is, qui jus ignorat in contractibus, tenebatur adhibere diligentiam, si volebat rem per contractum comparare, & acquirere, ut sciret, an contractus esset licitus, ut notat *Covarru. c. n.* 10. Unde si eam diligentiam non fecit, præsumitur non bona fide inchoasse, & acquisivisse possessionem, & eandem non bona fide continuasse. At si in conscientiæ foro, ubi cessat præsumptio, nulla fuerit negligentia, aut culpa, videtur posse bona conscientia inchoare, & continuare prædictam præscriptionem. *Secundò*. In certis quibusdam personis sufficit ad præscribendum tempore ordinario bona fides, etiam ex juris ignorantia procedens, ut in minore, milite, rustico, Muliere: & prescriptio hujusmodi censetur valida, tametsi titulum requirat, eo quod præsumitur ignorantiam juris inculpatam intervenisse: Ergo (arguit *Palao nu. 7. cit.*) si hæc ignorantia in aliis adest eodem modo præscriptionem validam constituit. *Tertiò*. Quia jus canonicum non videtur aliud requirere, quam bonam fidem, qua quis sine peccato possideat toto tempore legibus præscripto, ut colligitur ex locis relatis à *Less. cap. 6. c. dub. 2. n.* 9. atqui hæc bona fides potest esse cum ignorantia juris, ergo. *Quartò*. Præscriptio nullum titulum exigens valida est cum ignorantia juris inculpata, si bona fides intercedat, & temporis definiti decursus. Ergo etiam valida erit quæ titulum requirit, nam titulus requisitus in præscriptione, non est titulus reipsa validus, aliàs dominium illico transferret, nec præscriptio necessaria esset; sed est titulus, qui probabiliter validus existimatur. At hæc existimatio stare optimè potest ignorantia inculpata juris interveniente: ergo hæc ignorantia non impedit præscriptionem. *Quintò*. Si ignorantia juris simul cum ignorantia facti contingat bonam fidem inducit sufficientem ad præscriptionem, etiam si ea titulum exigat, *Covarru. §. 7. c. Vers. Quarta Conclusio*, cum aliis ibidem: & ignorantia facti, juris ignorantiam non relevat. Ergo si ignorantia juris habeat admixtam ignorantiam facti, non impediet tametsi ei non fuerit adjuncta. Hæc, & alia relati subscribentes probabilitati, seu non improbabilitati sententiæ *Medinæ*, præcipuè *Less. d. n.* 17. quem sic concludit: *Ego ob has rationes non cogerem ad restitutionem eum, qui sic præscripsisset, præsertim spatio longissimi temporis, ubi non requiritur titulus, nempe 30. annorum cum Covarr. n. 11.* (Ubi non requiritur inquam titulus (ait ipse) nam præscriptio longissimi temporis ut 30. aut 40. annorum, non requirit titulum, idem *Less. cap. 6. c. dub. 7. Lugo de Just. to. p. disp. 7. sec. 6. n.* 71. requirit tamen, quando præscribit spatio 10. annorum tantum, uti fit cum titulo inter præsentes: & annorum 20. pariter cum titulo inter absentes: idemmet *Less. dub.* 8. & alii.) Non cogeret igitur ad restitutionem (*Less.*) eum, qui sic juxta opinionem *Medinæ* præscripsisset. *Fagund.* tamen *De Justitia l. 2. cap. 15. n. 17. in fine: nec ipsa cogeret* (inquit) *eidem doctrinæ inhærendo, uti probabili in foro animæ, sed excusaret factum: non tamen consuleret, ut fiat talis contractus; nam sunt quædam, quæ postquam sunt facta, possunt excusari, non tamen possunt consuli ut fiant.*

751 Sed Dices, admissa sententia prædicta *Medinæ* nullum est discrimen inter ignorantiam juris, & facti, siquidem si utraque sit culpabilis impedit præscriptionem; secus verò si sit inculpabilis, cum leges quæ afferuntur affirment ignorantiam facti prodesse præscribenti, obesse autem ignorantiam juris. Respondeo cum *Palao l. c. n.* 8. Maximum esse discrimen: ignorantia namque facti frequenter contingit inculpabilis; non sic ignorantia juris: cum autem leges spectent quod frequentius accidit, affirmant absolutè ignorantiam juris obesse præscriptioni, prodesse verò ignorantiam facti. Casu tamen quo constet ignorantiam iuris inculpatam esse, valeret utique præscriptio, nedum in conscientiæ foro, sed etiam in externo. Verum quidem est in exteriori foro difficilem esse hujus ignorantiæ inculpatæ probationem, quia adversus præscriptionem juris, & de jure non admittitur regulariter probatio, nisi ex causa extraordinaria ex Judicis benignitate, vel restitutione in integrum si qua justa causa esse illi videbitur, juxta *l. 1. in fine, ff. ex quibus causis majores*. Admissa autem hac probatione, & constito vel ex confessione partis adversæ, vel aliundè, præscribentem adhibuisse omnem diligentiam in perscrutanda veritate; præscriptio in utro-

que

que foro haberet effectum : ita *Palao*, ex quo magis infertur probabilitas sententiæ *Medinæ*. Ad cujus etiam probabilitatis confirmationem addi poterit cum *Voigers dub.* 5. *c. n.* 14. *in fine* : quod leges quæ contra ipsam allegari videntur, procedunt ex præsumptione malæ fidei, quæ præsumptio suboritur; qnando est error juris in contractu, quandiù saltem contrarium non probatur, & non ostenditur fuisse adhibitam omnem diligentiam necessariam, ut jus cognosceretur; cum illo autem stat, quod possessio cum tali errore prosit ad præscribendum in foro conscientiæ quando fuit inculpabilis, & probatur talis, quia in hoc foro cessat præsumptio, & statur veritati, ut supra etiam diximus.

752 Inquires hìc obiter. An leges civiles, quæ à continuatione præscriptionis excludunt errorem, seu ignorantiam juris manifesti, & facilis, sint leges pœnales, fundatæ in mera præsumptione malitiæ, an leges definitivæ proprietatis rerum. Respondeo cum *Fagund. l. c. nu.* 18. esse leges definitivas proprietatis rerum, & non pœnales, nullam enim mentionem faciunt hujus pœnæ, & ità etiam supponere videntur Doctores ab eodem relati *n.* 15. Si namque essent leges pœnales fundatæ in pœna præsumptionis negligentiæ inquirendæ veritatis, expellendique errorem, seu ignorantiam juris, quæ facili negotio expelli, & vinci poterat qualibet mediocri diligentia, magnum utique præsidium (inquit *Fagũdez*) suæ probabilitatis tunc reciperet opinio *Medinæ*, quia subintraret probabilissima illa opinio (de qua nos supra) *Sancii*, *Bonac. Dianæ*, & aliorum asserentium ignorantiam vincibilem tam juris, quàm facti excusare à pœna illius, etiam si pœna sit incursus Censurarum.

753 Quæres secundò. An qui inchoando rei possessionem, dubitat in principio an sit sua, nec habet consequenter bonam fidem, & ignorantiam requisitam, possit eandem rem præscribere: Respondeo negativè cum communi sententia Doctorum apud *Less. cap.* 6. *c. dub.* 3. *n.* 10. *Filliucc. tract.* 31. *cap.* 8. *Vers. Dico* 2. *n.* 187. *Bonac. de restit. in Gen. disp. p. qu. ult. punc.* 2. *§.* 2. *n.* 20. & apud alios. Probatur tum ex *l. bonæ fidei* 48. *de acquirendo rerum dominio*: tum quia bona fides requiritur tanquam fundamentum justæ possessionis, & præscriptionis, si ergo bona fides, & ignorantia prudens statim ab initio possessionis deficiat, non currit præscriptio; nam deficiente fundamento nihil potest supra ædificari: tum quia, ad hoc ut incipiam facere rem meam, quæ antea non erat, requiritur, ut determinatè judicem, vel rem esse nullius, & sic fieri meam per occupationem: vel esse meam, quamvis antea non adverterim. Si verò dubium suboriatur post bona fide inchoatam possessionem, potest dubitans, rem de qua dubium oritur, præscribere, adhibita prius diligentia ad inquirendum an sit aliena, quamvis dubium postea perseveret: Colligitur ex *cap. Si virgo* 34. *q. p.* ubi dicitur, *In jure prædiorum, tandiu unusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quandiu possidere se ignorat alienum*. Quod idem indicatur etiam *cap. finali, de præscriptione*, cum dicitur: *Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam*: qui autem dubius est, non est sibi conscius rem esse alienam, & ignorat se possidere alienum, manet igitur possessor bonæ fidei, & procedit præscriptio: nam loquuntur hæc capita de continuatione possessionis, non de inchoatione. Et confirmari potest ex dictis superius, ex quibus patet quod in dubio melior sit conditio possidentis quàm non possidentis, ut omnes fatentur: igitur cum is qui incipit dubitare jam possideat, melior est ejus conditio, quàm non possidentis, sicque potest rem retinere etiam si adhibita diligentia adhuc maneat dubitatio. Quod si potest retinere, etiam potest continuare possessionem perseverante eodem dubio, consequenter continuatio hæc poterit perficere perscriptionem, cum sola illa possessio inutilis sit ad præscribendum, quæ non est sine peccato, ut constat ex *c. cap. finali*: ita *Less. cap.* 6. *c. dub.* 3. *Bonacin. n.* 20. *c.* & alii apud ipsos, & communiter.

754 Et si dicas contra: Bona fides est existimatio, qua quis prudenter existimat rem quam retinet esse suam: at qui dubitat non existimat esse suam, ergo non habet bonam fidem. Respondetur, quod bona fides non tantum est, cum quis positivè credit rem esse suam; sed etiam cum nescit esse alienam; ut colligitur ex *cap. finali supra*. Unde cum dubitans nesciat esse alienam, censetur habere bonam fidem, talem qualis est sufficiens ad continuandam præscriptionem; licet postea non sufficiat ad eam inchoandam ex communi Doctorum, & ob rationes adductas in responsione quæsiti, numero præcedenti. Si enim initio possessionis hoc dubium incidat, bonę fidei impedimento ibi esse diximus, & de communi testatur *Molina tract.* 2. *disp.* 63.

Conclus.

Concluſ. p. dubitans enim initio poſſeſſionis, iniquè uſurpat quod ignorat ſibi competere,& dubitat alteri eſse debitum: colligiturq; *ex l. bonæ fidei , ff. de acquirendo rer. domin. & l. p. Cod. de Uſucapione transformanda.* Si ergo tale dubium initio poſseſſionis eſt impedimentum bonæ fidei, inducit utique malam , hoc eſt conſcientiam non bonam, cum qua certum eſt neminem poſse præſcribere rem alienam. Quod procedit etiam in præſcriptione immemoriali, contra *Sulicet. Baldum*, *Decium* , *Boerium* , & alios apud *Palaum de Juſtit. in Gen. diſp. Unica punc.* 22. *ſ.* 6. *n.* 2. non requirentes bonam fidem in præſcriptione immemoriali , eo quia hæc vim habet tituli, privilegii , juris, conſtituti, legis, & veritatis ; ideoque adverſus illam non admittitur probatio , quia eſt præſumptio juris, & de jure. Reiicitur enim hujuſmodi limitatio, & reſtrictio , uti reiicitur , nec admittitur *à Gloſſa in cap. pr. verbo*, *niſi de præſcriptionib. lib.* 6. *Abbate cap. ult. de præſcriptionib. Covarruv. ad Reg. poſſeſſor.* 2. *p. ſ.* 8. *n.* 4. *Andr. Facbin. lib.* 8. *Controverſ. cap.* 26. *Palao n. c.* & aliis, unanimiter ſtatuentibus neceſsariam eſse bonam fidem , hoc eſt bonam conſcientiam cuicumque præſcriptioni inducendæ . Imo quo longiori tempore malæ fidei poſseſsor detinet rem alienam , eo gravius peccat , & ob peccatum commiſsum in detentione rei alienæ ſtatuit Pontifex *in cap. ultimo de præſcriptionib.* ne detentor præſcribat : ergo ejus deciſio efficacius in præſcriptione immemoriali cum mala fide procedit . Neque facit contra hanc præſcriptionem vim tituli juris, & privilegii habere , quia (ut optimè etiam idem *Pala. in fine n.*) id intelligendum eſt , cum ex bona fide procedit, aliàs lex præſcriptionis, rapinæ , & iniquitati faveret .

755 Quæres tertiò. An ſucceſsor validè præſcribat ea , quæ mala fide poſſidebat defunctus , in cujus locum ipſe ſucceſſit , ita ut ab earundem reſtitutione ſucceſsor ipſe excuſari queat tranſacto , & completo definito tempore præſcriptionis. Reſpondeo cum diſtinctione: Vel ſucceſsor eſt hæres immediatus univerſalis , ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato : Vel eſt tantum ſucceſſor in re aliqua particulari, ut eſt legatarius, emptor, &c. Si ſucceſſor eſt hæres immediatus univerſalis , qui *ſuus* , ſeu ratione *ſuitatis*, (ut juriſtæ loquuntur) ſuccedit , qualis eſt filius, & rem accepit ab auctore , & poſſeſſore malæ fidei , nullo tempore poteſt eam præſcribere : juxta probabiliorem Doctorum ſententiam apud *Bonac. l. c. n.* 21. & juxta communem apud *Fagund. de Juſt. libr.* 2. *cap.* 15. *nu.* 59. & *Pala. punc.* 22. *c. ſ.* 9. *n. p.* nec poteſt præſcribere , quamvis bona fide ſuccedat , & ignoret malam fidem defuncti , nec computetur tempus , quo anteceſſor mala fide poſſedit , *l. ſi mala fides* , *C. communia* , *de uſucap.* Fundamentalis ratio eſt ; quia hæres ex fictione juris , reputatur in jure, & cenſetur, una eademque perſona cum defuncto , cujus univerſalis hæres fuit : *l. cum hæres , ff. de diverſ. & tempor. præſcrip. Authent. de jurejur. à moriente præſtito, in princ.* ideoque poſt aditionem hæreditatis tenetur ad omnia onera realia ad quæ tenebatur perſona defuncti cujus eſt hæres. *Molina de Juſt. tom. pr. diſp.* 3. *ſ. Secundus eſt poſt medium*, & alii : cum igitur unam, & eandem perſonam cum illo conſtituat , ſicut defunctus, non poterat illam rem cum mala fide præſcribere, neque hæres immediatus illius univerſalis illam præſcribere poterit. *Molina to. p. de Juſtit. diſp.* 65. *concluſ.* 2. *in medio. Covarruv. ad reg. poſſeſſor*, 2. *par. ſ.* 9. *in princip. Sylveſt. verbo Præſcriptio p. qu.* 8. *Fagund. nu.* 59. *c. Bonac. n.* 21. *c.* & alii communiter, præcipuè *Leſs. cap.* 6. *cit. Dub.* 13. *n.* 42. Ubi tamen advertit, non videri omninò improbabile poſſe hunc hæredem immediatum præſcribere ſpatio triginta annorum , ut tenent etiam multi D. D. apud *Covar. n.* 5. (in quod iſte etiam multum inclinat) quia hic non requiritur titulus, ſed nuda poſſeſſio bonæ fidei: concludit tamen *Leſſ.* (& cum ipſo *Fagund.*) *ſed id quod diximus eſt Juri conformius* , *ut etiam docet Sylv. Præſcriptio p. qu.* 8. At reſtrictionem hanc eſſe omninò repellendam, probabilius videtur, ſuppoſita uti certa communi ſententia , concludit pariter *Palaus ſ.* 9. *c. n.* 3. contra *Covarruv.* , & alios ab eodem relatos pro eadem reſtrictione *nu.* 2. Hinc ſequitur quod ſicut mala fides Auctoris obeſt hæredi immediato, ſucceſſori univerſali, ità ut ſtante ipſa non poſſit præſcribere, è contra, bona fides prodeſt, adeo ut, niſi in hoc mala fides ſuperveniat, poſſit computare tempus poſſeſſionis, quo Auctor bona fide poſſedit , illudq; cum tempore ſuæ poſſeſſionis conjungere , ſeu (ut Juriſtæ loquuntur) poſſit acceſſione temporis uti . Fundamentum eſt . Quia Auctor vult in ſucceſſorem omne ſuum transferre, atqui inter jura erat hoc, quod eſt cœpiſſe præſcriptionem poſſeſſione bonæ fidei , ergo & hoc transfert . Unde meritò etiam *Bonac. n. c.* 21. *in fine : cum Molina* , *Clavi Regia* , *Lopez* , & aliis , ait : præſcriptio-


nem

nem currere, nec interrumpi, quando possessio unius rei transit de uno ad alterum, ità ut si computato tempore utriusque possidentis, elapsum sit tantum temporis quantum requiritur ad præscriptionem, res censeatur præscripta, modo uterque possessor bona fide possederit, *l. unica*, *C. de usucapione transformanda*. Vide *Lessi. dub. 13. c. in fine*.

756 Dixi in responsione, *successorem immediatum*, *& universalem non posse præscribere*: Quia hæres mediatus, ideft hæres hujus hæredis, potest præscribere cum bona fide tempore constituto. Tum quia ideo primus hæres immediatus non poterat præscribere, quia immediatè successit possessori malæ fidei, cum quo ex fictione juris (ut diximus) constituebat unam personam, unde sicut ille non poterat præscribere, nec iste poterit. Secundus verò hæres cum non efficiat unam personam cum primo possidente malæ fidei, poterit præscribere, quamvis primus non potuerit: quia si in secundo hærede fingamus etiam constitutionem unius personæ, cum malæ fidei possessore, concurrent duæ fictiones in una eademque re respectu diversarum personarum, quod jura omnia detestantur. Ex uno enim, eodemque capite duplex fictio à jure reprobata est, ut notavit *Bart. in l. Si is qui pro tempore, qu. ult. ff. de usucapionibus*, & habetur *leg. p. Cod. de dotis promissione*. Adde quod concurrerent tot fictiones, quot essent hæredes, qui secundo hæredi successivè succederent, atque adeo infinitæ, quod quis affirmabit? Tum quia, secundus possessor, & hæres habet dominium rei distinctum à primo hærede, unde & si prior hæres non posset præscribere, eo quod immediatè successerit possessori malæ fidei, & cum eodem unam personam, & dominium constituebat, hic tamen poterit: nisi & hic mediatus, seu secundus hæres sit hæres, qui *suus* in jure vocatur: & ita habetur *l. nihil pro hærede*, *& l. 2. ff. pro hærede*: & docent *Covarru. ad reg. possessor. par. 2. §. 5. n. 3. Anton. Gomez to. p. Variar. cap. 9. nu. 19. Molina to. p. de Just. disp. 65. 179. & 180.* quos refert, & sequitur *Fagund. l. c. n. 60. in fine*: uti & *Palaus §. 9. c. n. 4*.

757 Si verò successor illius, qui malam fidem habuit, non est hæres immediatus (quod est altera pars responsionis) sed est successor in re particulari, & non titulo successionis, & universalis hæreditatis, sed donationis, legati, emptionis, redemptionis, aliove simili titulo rem possederit, potest optimè eam præscribere, incipiendo præscriptionem ab eo tempore quo incepit rē possidere bona fide, non computando tempus, quo defunctus antecessor mala fide possedit. Ut ex communi, & certa sententia docet *Bonac. n. 21. c. cum Covarruv. Molina*, *Lessio*, *Azorio*, *Clavi Regia*, *Rodriq. Sanch. Filliucc.* & aliis. Sed

758 Contra primam responsionis partem obiicies. Ideo hæres immediatus, & universalis mala fide possidens, à præscriptione impeditur, quia fictione juris personam ejus refert, & ejus possessionem insectam continuat: Sed hæc relatio, & possessionis continuatio absumitur decursu temporis longissimi: ergo. Probatur minor, quia longissimo tempore ex bona fide propria excludente peccatum rem possidet, ergo præscribit: hæc consequentia probatur, quia jus Canonicum solam fidem malam, & peccaminosam possidentis reprobat, & à præscriptione excludit. Respondeo negando minorem, ejus probationem, & consequentiam. Cum enim verum sit hæredem defuncti, personam hujus referre, & ejusdemmet possessionem continuare in rebus titulo hæredis acceptis; etiamsi præscriptio longissimi temporis sola bona fide, peccatum excludente, & certi temporis decursu subsistat, non inde tamen infertur hæredem defuncti, peccaminosa, & mala fide possidentis, præscribere posse, tametsi ipse hæres in propria persona bonam fidem, & conscientiam habeat, eo quia ex dispositione juris non possidet rem ex fide propria, sed ex fide mala defuncti; ac proinde insufficiente ad præscribendum. Licet autem jus Civile præscriptionem tricenariam, vel quadragenariam cum mala fide admiserit, jusque Canonicum solam malam fidem peccatum inducentem reprobaverit, non tamen malam fidem fictam, & quia hæres non possidet rem ex hac malæ fidei fictione, sed ex ipsa mala fide defuncti, quæ in ipsum hæredem, jure sic disponente, transfusa est, ea de causa ejus possessio Canonico jure indirectè reprobata, præscriptionem inducere nequit: ità etiam *Palao d. §. 9. n. 3.* ubi tamen advertit in fine ex *Covarruv.* probabiliter, hæc procedere quatenus hæres intendit nomine defuncti rem possidere, ejusque possessione ad præscribendum uti, & ejus titulo; non verò quatenus à seipso, & ex titulo aditæ hæreditatis vult possessionem inchoare.



PRI-

PRIVILEGIUM XXVI.

Bona fide possidens rem alienam, illamq; præscribens cum ignorantia invincibili circa titulum, ab ejusdem restitutione excusatur.

759 AD præscriptionem, cum possessione bonæ fidei, requiritur titulus, ut patet ex præcedenti privilegio, & ex communi sententia Doctorum. Titulus autem, prout hic sumitur, nil aliud est, quàm ratio, radix, origo, ac causa aliqua, ex qua oritur dominium; & jus; seu ex se habilis ad transferendum dominium, cujusmodi sunt Donatio, Emptio, Permutatio, Legatum, Fideicommissum, Occupatio rei pro derelicta habitæ. Additio hæreditatis, Transactio, Adjudicatio, &c. Donatione enim, Emptione, permutatione, &c. acquiritur jus, & dominium; & propterea hi omnes appellantur tituli, ex quibus oritur dominium. Ex his ergo requiritur aliquis ad præscribendam rem alienam cum bona fide; quia si talis titulus, seu talis causa qualis est donatio, emptio, permutatio, testamentum, vel successio ab intestato, &c. defuerit, nihil erit cur quis sibi rei dominium vendicet: eamque tanquam suam bona fide possidere censeatur potius, quàm quivis alius. Non est autem necessarius titulus verus, seu validus (hoc est vera radix dominii, aut juris) quoniam qui cum tali possidet, non eget præscriptione, quia per eum verè adeptus est dominium: sed sufficit quod sit coloratus, seu apparens, vel præsumptus, quod videlicet probabiliter putetur verus, etiamsi re vera sit invalidus, quia licet talis titulus non transferat dominium in possidentem: ipsummet tamen efficit habilem, ac dispositum ad tanto, vel tanto tempore præscribendum, sibive acquirendum dominium authoritate juris humani, habentis locum etiam in conscientia ex dictis in præcedenti privilegio, & ex doctrina certa, & communi.

760 Ex qua doctrina certa, infertur quoque certitudo propositi hujus privilegii. Quod probatur, ac simul explicatur. Emptio, permutatio, donatio, &c. sunt de se veri tituli, ac radices, quibus acquiritur verum jus, dominiumque verum transfertur: at, si is qui vendit, permutat, aut donat rem aliquam, non fuerit illius legimus dominus: iidem tituli desinunt esse veri, ac tales quibus transferatur dominium: nihilominus sunt colorati tituli, seu præsumpti validi, quatenus bona fide putantur tales, per quos quis rem ipsam possidet, ita ut ignorans probabiliter, & invincibiliter illorum conditionem, idonei sunt ad præscribendum, consequenter ad pariendum jus tale, ut res aliena, exacto tempore definito (cum bona fide, & dicta ignorantia circa tituli conditionem) deveniat possidentis, per consequens facta sua amplius ad restitutionem ejusdem non teneatur. Et hoc vult, ac intendit privilegium nostrum, quod communiter sic conceditur à scribentibus de Titulo ad præscribendum requisito. Ex quo infertur, quod licet titulus coloratus, seu præsumptus non sit verus, nec validus in se, ideoque insufficiens ad transferendum dominium: putatus tamen validus, ac sufficiens ex ignorantia probabili, & bona fide, prodest ad præscribendum, ad dominium verum, verumque jus inducendum, valetq; excusare in utroque foro à restitutione facienda. Sed

761 Quæres. An in omni præscriptione requiratur titulus. Respondeo. In omni præscriptione videtur necessarius titulus, qui cognoscatur, aut aliquando cognitus fuerit à præscribente. (Intelligo hic de titulo, non undequaque valido: sed de titulo, qui quidem ex suo genere verus est, sed propter concurrentes circunstantias ignoratas (ignorantia facti) desinit esse verus, & validus (ut innuimus supra.) Colligitur responsio *ex Cap. Si diligenti, De præscriptionibus*. Ubi in fine simpliciter dicitur, quod in præscriptione bona fides; & justus titulus exigantur. Nec facit, quod ibi agatus de rebus Ecclesiasticis præscribendis: nam sicut quoad bonam fidem non ponitur distinctio in præscriptione rerum laicarum, & Ecclesiasticarum, ita nec videtur ponenda quoad titulum. Probatur autem responsio: Quia ad omnem præscriptionem requiritur ut præscribens bona fide rem possideat ut suam; atqui non potest quis incipere bona fide possidere rem ut suam, nisi subsit aliquis titulus, ex quo putet eam esse suam, sive titulo derelictionis, v. g. quia res antea nullius fuerit, sive donationis, sive emptionis, sive hæreditariæ successionis, aut aliquo alio.

762 Quamvis autem titulus sit adeo requisitus, ac necessarius, ut sine ipso non possit esse initio possessionis bona fides, nec initium sumere præscriptio: quia tamen potuit esse titulus in ipso initio, & postea per oblivionem deperdi: decursu enim lon-

gissimi temporis facilè contingit ut obliviscantur tituli, nam multa solent homines habere in rebus suis, de quibus post multum temporis non satis recordantur, utrum emptione, donatione, aut alio titulo illa acquisierint, aut si recordentur non possint id probare, ideò statutum est, quod ad præscriptionem decem, vel viginti annorum, quæ ordinaria est, cum bona fide tituli allegatio, & probatio necessaria sit: ad præscriptionem verò triginta, aut quadraginta, vel plurium annorum, quæ appellari solet possessio, seu præscriptio longissimi temporis, sufficiat cum bona fide titulus præsumptus. Qui titulus præsumptus, multo magis, & à fortiori in præscriptione centenaria, & immemoriali sufficiens est. *Lugo de Justit. to. p. disp. 7. sec. 2. n. 15. Palao de Justit. in genere disp. Unica, punc. 22. §. 5. n. 4.* aliique plures. Sufficiens inquam est, nisi jus resistat possessioni, prohibendo videlicet talem possessionem, de qua re idem *Lugo n. c. cum Molina apud ipsum disp.* 75. & alii.

763 Cæterum quando à Doctoribus videtur affirmari quod in præscriptione centenaria, & immemoriali nullus requisitus sit titulus, ab ipsis non excluditur (& si fiat, non benè) etiam illius præsumptio; quia absque ejusdem præsumptione (ut optimè inter alios *Palao n. 4. c.*) bona fides stare non potest, quæ in omni præscriptione necessaria est. Imo majori cum ratione hoc procedit in præscriptione immemoriali, ubi enim illa probatur, eo ipso præsumitur bonus titulus, quia ipsa immemorialis possessio, & præscriptio habet vim justissimi tituli, ut docent *Molina to. p. de Just. disp. 76. in princip. Reinosus Observat.* 65. *n.* 15. & 16. & *Cevallos Commun. contra commun. qu.* 45. *n. p.* quos refert, & sequitur *Fagund. de Just. lib. 2. cap.* 15. *n.* 25. Et hinc est, quod ipsamet etiam immemorialis præscriptio cessat, quando constat de injusto, invalido, & infecto titulo, ut docent *Gonzalez super reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 18. *n.* 48. & cum aliis *Riccius in praxi fori Ecclesiastici decis.* 144. *n.* 18. Quia cum constet de veritate infecti tituli principii, & sic simus in claris, cessat præsumptio, quæ ex præscriptione immemoriali resultat, & ità declaratum refert à *S. Congregatione*. Ex quo infertur necessitas tituli in qualibet præscriptione (ut supra) & saltem præsumpti in immemoriali. Vide *Riccium l. cit.* Ubi agit quando cessat immemorialis.

764 *Fagund. n.* 25. *c.* non approbat nostram doctrinam superius traditam in responsione ad quæsitum, ait enim: *Non approbamus doctrinam illorum, qui dicunt, non posse dari bonam fidem absque titulo, dicentes, qua bona fide possidebit quisquam rem ut propriam, qui nescit titulum, seu causam ob quam res ad se pertineat? cum titulus sit causa, radix, & origo dominii rei quam possidemus. Nam, fieri potest, ut tituli obliviscamur; multa enim sæpè habemus in nostra potestate, quæ quo titulo ad nos pervenerint, penitus ignoramus, quod egregiè inter Doctores citatos probat Covarru. allegatus ad reg. possessor. 2. par. §.* 8. Ubi asserit bonam fidem consistere posse absque titulo. Quod probat *Primò*. Qui rem possedit triginta, vel quadraginta annis, cui possessionis jus non resistit, verè existimat rem esse suam, immemor tamen est tituli, & causæ, ex quibus ad eum pervenerit propter longum tempus, facilè enim ex facto proprio contingit oblivio ex temporis antiquitate. *Leg. peregrè, ff. de acquirenda possessione*. Ergo absq; scientia tituli stare potest præsumptio. *Secundò*. Possidens rem ex titulo alioquin invalido potest habere bonam fidem ex qua præscribere possit, sed tunc non præscribit ex titulo. Ergo titulus ad præscriptionem necessarius non est. *Tertiò*. Emens rem ab eo, qui bona fide incepit possidere, non præscribit ex titulo emptionis, sed præscriptionem ab alio cœptam prosequitur. Ergo stare potest præscriptio, & bona fides absque titulo. *Quartò*. Ubi quis rem aliquam possidet, credens sibi donatam, aut legatam esse, cum tamen nec donata, nec legata sit, bonam fidem habet præscriptioni sufficientem, quin titulum habeat. Ergo, &c. *Quintò*. Si quis rem possideat existimans (quia id sibi à fide dignis dictum est) esse propriam parentum quibus jure hæreditario succedit, cum tamen verè non sit, habet bonam fidem absque titulo. Ergo bona fides stare optimè potest absq; titulo. Ità *Covarru.* allegatus à *Palao*, §. 5. *cit. num.* 5.

765 Cum quo *n.* 4. pro responsione dictorum objectorum, & confirmatione nostræ superius datæ doctrinæ in responsione quæsiti. Distinguendum est in hac re quoad titulum: nam aliud est adesse titulum, qui legitimus præsumitur; aliud nullum adesse titulum, præsumi tamen adesse. Ad præscriptionem decem, vel viginti annorum, titulus necessariò adesse debet, nam esto ex sola præsumptione tituli fides bona consistere possit, non tamen constituitur præscriptio ex ea bona fide, titulo deficiente: at ad præscriptionem 30. vel

40. annorum, & à fortiori ad præscriptionem centenariam, & immemorialem nullus titulus requisitus est, bene tamen illius, quia absque illius præsumptione bona fides stare non potest, quæ in omni præscriptione necessaria est. Distinctione hujusmodi supposita.

766 Ad argumenta prædicta opposita, respondeo cum eodem *Pala. l. c. nu.* 6. *Ad primum*. Nil referre, an memor, vel immemor sis tituli ex quo rem possedisti completa usucapione, per 30. vel 40. annos, ea enim continuata possessio bona fide facta sibi titulum juridicum concedit. Et ad inducendum præscriptionem titulus requiritur, non autem postquam ipsa inducta est. Adde, quod in præscriptione triginta annorum, titulus non est necessarius, sed satis est, si adsit tituli præsumptio, ut supra. *Ad secundum*. Concedo talem posse habere bonam fidem cum titulo alioquin invalido, eo quod validum esse præsumit quo non solum ex bona fide, sed ex titulo præscribit. *Ad tertium*. Admittitur sic ementem, ex titulo emptionis non præscribere, sed præscriptionem ab alio inceptam continuare: negatur tamen absque titulo in venditore, præscriptionem ipsum inchoasse, præsumitur namque in illo adfuisse. *Ad quartum, & quintum*: concedimus optimè stare posse bonam fidem absq; titulo vero, sed non absque titulo probabiliter præsumpto valido, vel absque tituli præsumptione. Et ob id dictum est supra, ad præscriptionem quæ completur decem, vel viginti annis necessarium esse titulum probabiliter validum. Ad præscriptionem verò, quę triginta, vel quadraginta annorum possessione inducitur, pręsumptionem probabilem tituli sufficere, tametsi titulus non adsit.

PRIVILEGIUM XXVII.

Qui rem detinet, quam bona fide, & ignorantia invincibili juxta legum, & Canonum Constitutiones præscripsit, etiam si postea cognoverit fuisse alterius, in utroque foro à restitutione excusatur.

767 Quod excusetur in foro poli, & conscientię, constat apertissimè ex duobus pręcedentibus privilegiis. Quod verò excusetur etiam in foro fori, ità ut possit se tueri in judicio contra priorem dominum, & eandem rem ut suam defendere, apud D. D. Utriusque Juris, est communis sententia. Unde *Joannes Vvigers de Jure, & Justitia tract. p. cap.* 5. *dub.* 8. *n.* 25. optimè sic ad rem hujus privilegii: *Breviter dico, ex communi D. D. sententia, talem posse tuta conscientia retinere rem quam sic legitimè præscripsit, & eam ut suam posse in judicio defendere contra priorem dominum*. Desumitur *ex D. Tho. Quodlibeto* 12. *art.* 25. & ità docent *Glosa in Cap. Vigilanti, De præscriptionibus. Panormit. ibid.* ubi asserit eam esse communem Canonistarum sententiam. *Covarr. ad Reg. Possessor par.* 3. *§.* 2. ibi plures allegans, *Cajet. & Sylv. Verbo Præscriptio. Soto de Just. libr.* 4. *qu.* 5. *art.* 4. aliique recentiores quamplures, tam Theologi, quam Jureconsulti.

768 Quod inquam talis, qui sic legitimè præscripsit, à restitutione excusetur in conscientia, & foro poli, quæ videtur esse prima pars hujus privilegii, præterquamquod constat ex superioribus privilegiis, ut dixi, nihilominus ad abundantiam ulterius probatur. Primò. Ex verbis *D. Tho. l. c.* dicentis: *Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post præscriptionem: quia lex potest aliquem pro peccato, & negligentia punire in re sua, & illam alteri dare, & concedere*. Hæc ibi: *Et idem dicet omnis bonus Theologus* (subjungit *Sylv. Verbo c. qu.* 43. *n.* 13.) *Quia secundum S. Tho. tenetur quis solvere pœnam judicialem, idest ad quam condemnatur à Judice (ut p.* 2. *qu.* 96. *art.* 4.) *& consequenter ille, cui applicatur, eam in conscientia potest retinere: & consequenter licitum est tenere eam quam infligit legislator, cujusmodi est præscriptio, quæ inducta est principaliter in pœnam negligentium, & quietem Civitatis*, ità *Sylv.* alios quamplures allegans ibi, indistinctè dicentes, quod non tenetur quis in conscientia restituere præscriptum, si concurrunt omnia de jure requisita ad præscriptionem. *Et ita (* concludit ipse *) indubitanter tenendum est*.

769 Secundò probatur. Ex *l.* 3. *ff. De usurpat. & usucapionib.* ubi *Usucapio* dicitur esse, sive definitur esse adjectio, seu (ut alii) adeptio dominii per continuationem possessionis tempore legibus definito. Et in hoc Canones nec reprehendunt, neque corrigunt Jus civile, quamvis tollant præscriptionem cum mala fide: imo potius idipsum omninò supponere, & approbare videntur, dum juxta eandem legum dispositionem judicant, & judicari volunt, ut patet *ex Causa* 16. *qu.* 3. per diuersos Canones, & *in Cap. Sanctorum, De præscript.* Pontifex ait, se irrefragabiliter confirmare, ut

omnes possessiones ad singulas Provincias suorum confratrum pertinentes, à quibus per 30. annos possessæ sunt, quietè, & sincerè perpetuò teneantur, Quod eodem titulo in aliis capitibus indicatur. Igitur legitima præscriptione absoluta, licet præscribens postmodum intelligat rem fuisse alterius, absolvitur à restitutione, & potest eam ut suam sibi tutò retinere: consequentia hæc probatur, quia res illa jam ex dispositione legis, in præscribentis dominium transivit; imò lex ipsa, re vera illius rei dominum constituit: & si sic est, uti est, nulla est ratio dicendi, quod non possit eam tempore legibus definito præscriptum tuta conscientia retinere. Confirmatur: Quia lex inducens præscriptionem justa est, ut videre est apud D. D. præcipuè *Covarruv. par. 3. c.* & præscriptio ipsa dat jus proprietatis præscribenti, transfertque dominium in usucapionem: igitur hęc dominii translatio etiam in animę judicio, & foro poli servari, & rata haberi debet: ergo verum privilegium propositum quoad primam partem, & conscientię, ac poli forum.

770 Et si verum quoad primam partem, hoc est in judicio animę, non potest utique non esse tale etiam in judicio externo, & foro fori; aliter sequeretur (ut benè arguit etiam idem *Covarru. §. 2. c. n. p.*) posse Judicem interiori fori, & Judicem exteriorem, comperta rei veritate contraria pronunciare, & utrumque justè: quod adeò absurdum est (inquit *Covarruv.*) ut quivis mediocri preditus eruditione hoc minimè posse contingere palam testetur. Siquidem uterque Judex tenetur jus suum unicuique reddere, ac justitiam in pronunciando amplecti, ut judicium æquum sit. Idcircò impossibile jure censetur, contrarias sententias ex justitia ferri in eadem re, & juxta eandem cognitionem, unde vel altera necesse est, quod sit iniqua, vel parem utraque habere debet definitionem. Sic *Covarruv.* totus ut patet pro hoc privilegio. Contra quod tamen.

771 Obiicies primò. *Cap. Vigilanti. De Præscript.* In quo Pontifex derogare videtur legi civili: dum ait: *Nobis autem tam in rebus cognitis, quàm latentibus placuit non habere vigorem.* Respondetur, eo loci Pontificem loqui de præscriptione 30. vel 40. annorum cum mala fide, quam dicit induxisse *Ephesinum* quendam Legislatorem: & hanc vult non habere vigorem, sive rem possideamus domino conscio, & negligenti, sive inscio; modo nobis constet rem esse alterius. Non autem loquitur de præscriptione cum bona fide, cum potius contrarium de hac significet, dicendo: *Quoniam nulla dierum possessio iuvat aliquem malæ fidei possessorem.* Inde enim potest à contrario sensu colligi, quod ex mente Pontificis, antiqua dierum possessio iuvet possessorem bonæ fidei. Neque valet, si dicas: Juvat quidem bonæ fidei possessio, sed quandiù illa est bonæ fidei, & ignoratur, quod res sit alterius: cum autem hoc scitur, jam desinit bona fides, si ulterius detineatur. Non inquam valet: Nam vel cognoscitur quod res sit alterius antequam completum sit præscriptionis tempus legibus definitum, & concedo tunc cessare bonam fidem si ulterius detineatur: vel id cognoscitur post tempus legitimum præscriptionis absolutum, & licet tunc cognoscat rem fuisse alterius, agnoscit tamen simul eam authoritate Superiorum (qui justis de causis publici boni id possunt) factam esse suam, & translatam in sui dominium, atque ita bona fide ex novo titulo illam possidere ut suam.

772 Obiicies secundò: *Cum alterius injuria, aut jactura, non debet quis locupletari, Regula juris in 6.* Insuper: Nemo rebus suis privandus est absque sua culpa: Saltem igitur quando prior dominus non est in culpa, dominium rei suę non perdet, & proinde tenebitur restituere. Respondeo negando consequentiam; illa enim *regula Juris* intelligenda est, quod nemo cum alterius injuria, aut jactura iniquè illata locupletari debet: non autem quod nullo modo id fieri possit cum alterius jactura: Qui enim ludis licitis, aut sponsione, aut certamine, debitis circumstantiis vestitis lucrum faciunt, locupletantur utique cum aliorum jactura nec tamen obligantur ad restitutionem. Ad alterum oppositum, dicitur: Neminem absque culpa rebus suis privandum esse, nisi subsit alia justa causa, quæ præsertim concernet tranquillitatem, & bonum Reipublicę: qualem subesse in legibus præscriptionem constituentibus satis constat, ex dictis & D. D.

773 Obiicies tertiò. Cui res adjudicata est per Judicis sententiam fundatam in falsis probationibus, tenetur is ad restitutionem, quotiescumque cognoscit rem non esse suam: nec per ejusmodi sententiam, dominium illius acquirit, ergo similiter qui rem detinet virtute præscriptionis in conscientia ad restitutionem tenetur statim ac agnoscit suam bonam fidem haud fuisse bene fundatam, sed rem fuisse alterius. Resp.

Negando

Negando consequentiam, & paritatem: disparitatis autem ratio est, quia Judex non intendit tribuere parti jus, & dominium rei, quam illi adjudicat, sed tantum declarat secundùm allegata, & probata, esse rem illius. Quare si id facit ex mala informatione, non transfertur dominium; sed illud remanet apud priorem dominum, cui debet in conscientia restitui res, si victor litis id sciat, aut intelligat. Non sic autem se habet lex præscriptionis, quæ non tantum intendit ex tanta possessione, quasi ex aliquo argumento, declarare rem esse illius possessoris: sed post talem, & tantam possessionem intendit simpliciter huic possessori dominium rei attribuere, sive prius hujus fuerit, sive non, ne rerum dominia diu, & fere semper remaneant incerta. Hinc, quia talis possessor bonæ fidei, transacto tempore legibus definito acquisivit dominium, & verum dominium, ideo non obligatur in conscientia ad rei restitutionem, & excusatur ab hac facienda in utroque foro, ut dicit privilegium propositum.

PRIVILEGIUM XXVIII.

Qui bona fide, & ignorantia invincibili emit à latrone rem alienam, quam postea eadem bona fide, & ignorantia durante, alteri vendidit eodem pretio, si postea cognoscit rem illam esse alienam, excusatur in conscientia à restitutione, nec tenetur secundum contractum rescindere.

774 Ponunt hoc idem privilegium, probant, & approbant, *Cajet. in Summa, Verbo Restitutio, §. p. versu, Adverte circa hanc regulam. Navar. in Man. cap. 17. n. 8. Versu. Quod si in nihilo. Lopez Instructorii Conscientiæ par. p. cap.* 94. *ad finem. Et libr. pr. de Contractibus cit.* 3. *vers. Inter tam dubias. Filliuc. tract.* 32. *cap.* 4. *qu. pr. Dico tertiò, n.* 84. *Diana to.* 6. *Coord. tract.* 3. *resol.* 129. *Ex par. pr. tract.* 8. *ref.* 68. & alii. Hujus autem priuilegii ratio (per eosdemmet etiam allegatos D. D.) videtur esse: Quia sic emens à latrone rem alienam, non tenetur restituere ratione acceptionis iniquæ; nam bona fide, & ignorantia invincibili emit: nec tenetur ratione rei acceptæ, quia jam non habet illam apud se, nec in ea factus est ditior, ut supponit privilegium: & bona etiam fide eandem vendidit rem secundò emptori. Cui etiam absque rescissione contractus (ad quam per *Navarr. nu. cit. & alios apud Bonac. De restit. disp. pr. qu.* 4. *punct.* 2. *quæst. p. versu. Respondet, n.* 5. non tenetur; ut est secunda pars privilegii) faciet satis si cedat eidem (uti debet in conscientia) actionem de evictione adversus eum à quo bona fide emit, idest, contra primum illius rei alienæ venditorem, juxta *leg. in creditore, ff. de evict.* & docent *Navar. n.* 8. *cit. versu. Contra quę facit primo Diana ref. c. n.* 4. ubi *Sayr., Valentia, & Bonac.* concedunt hoc esse probabile, vocant tamen contrarium probabilius. Sed.

775 Dices primò. Pretium rei alienæ loco illius succedit, ergo est alienum sicut & ipsa res eo vendita: ideoque vero domino tenetur id restituere ratione rei acceptę, ac si eandem rem alienam apud se haberet. Respondeo cum *Sanch. in Sum. to. p. lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 25. *& Diana ref. c. n.* 3. non esse universaliter verum, pretium succedere loco rei: id enim verum habetur in solis universalibus judiciis, cujusmodi sunt, hæreditas, fideicommissum universale, dos, &c. *l. Item videndum, §. finali, & l. sequenti, ff. de petitio. hæred. & l. p. ff. de fideicommiss. hæreditatis petit.* quæ judicia ideo universalia dicuntur, quia unius Juris petitione plures res simul peti censentur, & si singulæ nominatim non exprimantur. Hinc *Jurisconsultus* vocat eas actiones de universitate. Judicium autem nominatur singulare, seu particulare, aut speciale, cum est de re singulari, vel ex singulari contractu petita. Ut in mandato, commodato, deposito apparet, *l. Pro socio, ff. Pro socio*. Constat ergo, *ex juribus*, adductis etiam ab eodem *Sanch. n. c.* non transferri dominium rei alienæ venditæ in emptorem: benè tamen transferri dominium pretii in venditorem. Quod non contingeret, si pretium succederet loco rei. Et ita notant *Gloss. l. Si & rem, & pretium*, 25. *verb. Quia potest, ff. De pet. hæred. & ibi Bartol. in fine, & omnes scribentes:* ita *Sanch. l. c.* Cumquo.

776 Confirmatur primò responsio, & roboratur magis privilegium propositum. Si venditor bonæ fidei, ea durante, & ignorantia invincibili, rem eandem latroni vendidisset, & eodem pretio, non teneretur utique pretium vero domino restituere, cum sit illud idem, quod prius dedit. Ergo nec tenebitur restituere, si alicui tertio vendat: pretium enim illud, ejusdem videtur esse rationis, sive à latrone recuperatum sit, sive ab alio tertio acceptum. Secundò confirmatur. Quia si teneretur restituere domino, id esset, vel ratione injustæ acceptionis, vel ratione rei acceptæ, vel quia

auxerit

auxerit suum patrimonium. At non tenetur ratione primi, cum totum factum sit bona fide: non ratione secundi, & rei acceptæ, cum eam jam distraxerit, & pretium loco illius non succedat, ut dictum est; nec moraliter aliquid illius rei, aut æquivalens maneat in bonis creditoris: nec tandem ratione tertii, quia nullatenus patrimonium suum auctum est, & subinde talis venditor nec locupletior factus est, ut supponitur in privilegio: pro quo sunt omnes Doctores allegati à *Sanch. cap.* 23. *c. n.* 16. *& nu.* 25. *c. in fine*: ubi ipse sic: *Pro hac sententia (* ideſt privilegio nostro *) sunt clarè omnes Doctores allegati num.* 16. *quos retuli asserere indistinctè hunc bonæ fidei possessorem ad nil restituendum obligari. Atque in propriis terminis tradunt Gabriel. &c.*

777 Dices secundò. Ex *Sayro in Clavi Regia lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 29. *Medina, Covarruv. & Salonio ibidem*. Si rem illam alienam à fure bona fide emptam haberet, & apud se servare vellet, ejus animi esse oporteret, ut rem domino vero restitueret, si constiterit cujus sit. Ergo etiam eam vendendo, & pretium pro ea recipiendo, parati animi esse debet, ut cognito vero domino pretium rei venditæ eidem domino restituat, cum pretium loco rei succedat. Respondeo primò cum *Rebello de oblig. Just. p.* 2. *lib.* 9. *qu.* 18. *sec. p. n.* 11. apud, & cum *Diana res. c. nu.* 3. negando consequentiam, maximè si pretium bona fide à venditore fuerit consumptum, nec inde ditior effectus est; nam sic certum est *(*inquiunt*)* apud omnes, venditorem non teneri ad ullam restitutionem. Respondeo secundò cum *Sanch. cap. cit.* 23. *n.* 187. *& Diana tract.* 3. *c. res.* 128. *in fine. Ex par.* 2. *tract.* 15. *& Miscell. p. res.* 11. item negando consequentiam: si enim rem illam eodem pretio quo emit vendidit, non tenetur id pretium vero domino restituere; non enim (ut supra) pretium succedit loco rei. Si verò pluris vendiderit, excessum tantum, & in quo locupletior factus est, tenetur restituere, instar aliorum possessorum bonæ fidei, ex quibus ipse quoque jam est. Unde si res illa extaret teneretur quidem possessor ratione rei acceptæ illam integrè restituere: at re ipsa vendita, non tenetur ratione rei acceptæ, nisi quoad illum excessum, si adesset: & rationem reddit *Less. de Just. lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 4. *n.* 23. *in fine*, dicens sic: *Si ex ea factus est locupletior, eatenus tenetur; res enim ratione illius accessionis, quæ ex ea rebus illius facta est, censetur adhuc extare.*

778 Sed non desinam hìc adnotare, quod licet communiter Doctores, ex authoritate *l. Si & rem, ff. de pet. hæred.*, affirment, qui rem alienam à fure bona fide emit, & majori deinde pretio vendit, teneri restituere domino illud plus, in quo ditior factus est. Nihilominus *Molin. de Just. to.* 3. *tract.* 2. *disp.* 721. *n.* 10. existimat verum contrarium. *Quia (* ait ipse *) illud plus non est fructus rei, sed industriæ, illam ementis justè uno pretio minori, & vendentis etiam justè alio majori pretio; fructus autem industriæ ad possessorem bonæ fidei, & non ad dominum rei spectat. Quod autem id non sit fructus rei, sed industriæ, patet. Quia si fur ipse emeret iterum eandem rem ab ultimo possessore, eamq; domino restitueret sine ulla proximi læsione, fervandoque omninò illum indemnem, neque res illa ullos fructus habuisset, sanè qui ità esset lucratus emendo illam à fure, aut alio intermedio venditore, & vendendo illam majori pretio justo alicui alteri, non teneretur illud restituere, eo quod esset fructus suæ industriæ, & non rei.* Alias etiam rationes ibidem adducit *Sanch.* quem sequuntur *Diana tract. cit.* 3. *Coord. res.* 131. *Ex p.* 3. *tr.* 5. *& Miscell. p. res.* 41. *& Layman. in Theol. Mor. libr.* 3. *tract.* 4. *cap.* 17. *§.* 3. *nu.* 25. ubi *in fine*, respondet ad *Authoritatem l. Si & rem.* Dicendo, id esse speciale in distractione hæreditatis, seu juris universalis, ut pretium succedat loco rei; secus autem res se habeat in particularibus contractibus, ut docent Doctores *in l. Mater, C. de rei vendic.* Docet etiam *Moli. n.* 10. *c. (*ut pariter observat *Diana res. c.* 131. *n.* 3. *)* furem vendentem rem furtivam, & postea justè minori pretio redimentem, non teneri excessum illum pretii domino restituere, sed satisfacere reddendo ei rem suam non deterioratam, & fructus ex ea debitos.

779 Dices tertiò: Contra secundam privilegii partem ex *Less. de Just. libr.* 2. *cap.* 14. *dub.* 5. *Bonac. De restit. disp. pr. qu.* 4. *punct.* 2. *qu. p. n.* 5. *Barthol. à S. Fausto in Spec. Confessor. disp.* 4. *qu.* 2. 2. & aliis apud ipsos: Qui vitrum ex. g. vendit pro gemma, aut solvit, seu permutat aurum falsum pro vero, debet in conscientia contractum dissolvere, ergo pari ratione si vendat rem alienam, putans esse suam, debet dirimere contractum, postea quam noverit, rem illam esse alienam: eo magis quia venditor tenetur emptori de evictione: nec potest ad alium ablegare, cum quo illi negotium non fuit, sed ipsemet tenetur illi satisfacere. Addo quod venditor non potuit transferre dominium in emptorem, cum res fuerit aliena, ergo etiam

ex hac

ex hac parte contractus dirimendus quia invalidus. Respondet huic argumento *Navarrus n.* 8. *c.* & cum ipso *Diana ref.* 129. *cit. in fine:* assignando disparitatem rationis: quoniam qui dedit falsum aurum, dedit rem intrinsecè defectuosam, non autem qui bona fide dedit rem alienam. Et si instes parum refert sit ne vitium intrinsecum, aut extrinsecum, quando in re, & realiter tale est, ob quod meritò emptor sit invitus, reddatque contractum involuntarium: tunc enim emptio est invalida, ac proinde rescindenda si velit emptor, reddito pretio. Huic quoq; instantiæ occurrit idem *Navarr.*, dicens (ut supra) istum venditorem facere satis emptori, si cedat ei actionem de evictione contra primum illius rei alienæ venditorem. Unde in forma ad argumentum assignata disparitate rationis, & distincto antecedenti: negatur consequentia. Ad id autem quod additur, patet responsio ex dictis.

PRIVILEGIUM XXIX.

Qui donat alicui centum, ignorans quod tantum etiam illi ex justitia debebat, satisfacit debito, nec amplius tenetur alia centum eidem solvere.

780 Ponunt hoc idem privilegium aliqui apud *Sanch. in Sum. to. p. lib. p. cap.* 13. *n.* 11. *in princip.* dum asserunt: *Debentem cuidam centum, satisfacere huic debito, si debiti prorsus immemor, tantundem ei donet: nisi in remunerationem tantidem muneris accepti donatio fieret.* Et ut probabile etiam (idemmet) admittit *ex Rodriq. Trull. in Decalog. to.* 2. *libr.* 7. *c.* 5. *dub.* 5. *nu.* 10. sic dicens: *Quæres, Utrum in debitis ex justitia dari possit compensatio cum bonis, vel obsequiis gratuitis: v. gr. Ego debeo tibi ex obligatione justitiæ centum aureos, & postea gratis præsto obsequium ejusdem valoris, aut æquivalens tibi confero titulo donationis: maneboне exemptus ab obligatione justitiæ? Respondeo, si quando contuli illud donum eram memor obligationis, ex justitia, & nolui per illam rem, seu donum satisfacere, sed gratis rem illam præstare, certum est me non satisfecisse obligationi ex justitia, nec posse postea uti compensatione; quia res illa scienter fuit gratis donata, & liberaliter. Titulus autem donationis, & titulus justitiæ sunt distincti. Quod si, quando contulit donum, vel obsequium ignoraverit debitum ex justitia? Rodriq. in Sum. par.* 2. *cap.* 49. *Conclus.* 2. *non improbabiliter asserit, postea quando debiti ex justitia recordatur, posse facere compensationem, per rem illam donatam cum tali ignorantia: quia præsumitur quod non fuisset tam liberalis, si debiti fuisset memor. Hæc sententia, ut dixi, non est improbabilis, cui favet Laym. citatus à nobis in p. præcepto cap.* 7. *dub.* 24. *n.* 8. Hucusque *Trull.* quem etiam *Diana to.* 6. *Coord. tr.* 3. *ref.* 152. *Ex par.* 7. *tr.* 10. *& Miscell. p. ref.* 19. recenset, & approbat privilegium propositum: ibi enim quærens: *An in debitis ex justitia dari possit compensatio cum bonis, vel obsequiis gratuitis?* Respondet affirmativè: *Quando* (inquit) *volui cum dono gratuito satisfacere obligationibus ex justitia, quas sciebam debere. Difficultas est* (subjungit) *an quando præbui donum, vel obsequium ignorabam debitum ex justitia, an possim postea facere compensationem, & affirmativam sententiam probabilem esse putat Rodriq., & ex ipso Trull.:* quam probabilitatem, eo loci non reiicit *Diana*: *& To:* 8. *Coordin. tract.* 7. *ref.* 46. *n.* 2. *Ex par.* 5. *tr.* 18. *& Miscell. pr. ref.* 94. ipsam expressè admittit, per ea maximè quæ adducit *Baldellus in Theol. Moral. to. p. lib.* 5. *disp.* 25. *n.* 18.

781 Probatur autem privilegium propositum, ex illo principio Theologico, quod videlicet sufficit voluntas interpretativa ad causandum voluntarium: Unde stante obligatione ex justitia solvendi centum v. gr. Petro, si eidem tantundem donem, habeo voluntatem interpretativam restituendi, & satisfaciendi, atque adeo censeor satisfacere obligationi, & tanquam si satisfecerim, possum quando occurrit cognitio obligationis, facere compensationem: Ergo &c. Et ità etiam ad casum similem (de quo in privilegio sequenti) arguit *P. Pasqu. in Decisionib. Moral. Decis.* 455. *nu.* 3. Voluntas autem interpretativa ex eo colligitur, per eundem etiam *Pasqualig.*, quod quilibet prudenter agens, prius vult satisfacere, quæ sunt de obligatione, quàm præstare ea, ad quæ non tenetur; & ideo si interrogaretur, an si cognovisset propriam obligationem, voluisset re illa satisfacere, utique, & dubio procul responderet habuisse intentionem talem, satisfaciendi videlicet. Quod totum.

782 Confirmatur ex doctrina, & verbis *Baldelli*, à *Diana n.* 2. *c.* relatis. *Negari non potest* (inquit ille) *quin etiam in materia justitiæ possit sufficere ad illius obligationes tollendas intentio generalis, & implicita, quæ de facto habetur ab unoquoque, satisfaciendi omnibus suis obligationibus, quibus absolutè potest satisfacere per unamquamque suam actionem. Neq; oblivio, & incogitantia hujus,*

vel

vel illius obligationis specialis potest tollere, aut impedire voluntatem generalem, & implicitam, satisfaciendi omnibus, quæ debentur, sed solum tollit, aut impedit voluntatem specialem, & explicitam satisfaciendi huic, aut illi obligationi in specie, ut ex se patet; & ideo etiam in casibus positis, obligationes justitiæ dicendæ sunt verè tolli dependenter à voluntate eorum, qui per illas sunt obligati. Nam hoc modo l. cum ex pluribus, ff. de solut. expressè dicitur, quod qui ex pluribus causis uni alicui debet pecuniam, neque exprimit, aut demonstrat, dum illam solvit, ex qua causa solvat, & cui obligationi intendat satisfacere, censendus est pro illa solvere, quæ apud ipsum est potior: ut, v. gr. si aliqua ex causa tenetur solvere sub pœna infamiæ, vel sub aliqua alia, vel sub jure hypothecæ, aut pignoris, & similibus. Et ratio subditur, quia verisimile est diligentem debitorem si esset admonitus, ita fuisse gesturum suum negotium. Ex quo textu clarè habetur, quod voluntas implicita, & generalis, quam unusquisq; habet satisfaciendi prout potest per unumquemque actum suis obligationibus, potest habere locum etiam in obligationibus, & in materia justitiæ: idq; non solum est verum, quando in actu solvendi nulla causa, nullusque titulus exprimitur, aut determinatur, ex quo fiat solutio; sed etiam quando exprimitur, & determinatur unus aliquis minus principalis ex aliorum oblivione, & incogitantia: Nam hæc oblivio, & incogitantia facit solutionem pro illo alio titulo simpliciter involuntariam, eamque resolvit in hanc conditionalem: Trado, vel solvo ex hoc titulo, nisi teneor ex aliquo alio potiore, & majoris momenti. Hæc docet *Baldellus* apud *Dianam l. c.* ex quibus ipse quoq; concludit, quòd intentio implendi quamcumque obligationem, semper videtur haberi saltem generaliter, & semper potest præsumi ab unoquoque, quando non constat de intentione contraria, quia unusquisque in suis actionibus generaliter semper intendit satisfacere obligationibus quas habet. Et hinc à fortiori infert: *Quòd si quis ex devotione inviseret hanc, vel illam Ecclesiam, & non recordaretur, quod ad id teneretur ex voto, vel ex pœnitentia à Confessario injuncta, quando postea adverteret debitum, & recordaretur voti, aut pœnitentiæ, non tenetur iterum illas Ecclesias invisere, sed potest existimare utrisque satisfecisse*: ità *Diana*.

783 Quod idem docet etiam *Sanch. in Consiliis lib. 2. cap. 3. dub. 121. n. p.* dum ibi ait: Quod qui ex devotione opus facit ad quod tenebatur, ex. gr. audit Missam in die festo, immemor, aut ignarus præcepti; quia videlicet ignorabat, vel non recordabatur esse festum, satisfacit præcepto, ita ut postea memor, vel factus certior de præcepto non teneatur iterum audire, quia licet desit intentio actualis satisfaciendi præcepto, adest tamen virtualis, vel habitualis saltem, quia si talis novisset præceptum, vellet utique illi eo opere satisfacere, quando non est intentio contraria. Probat *Sanch.* etiam ex inconvenientiis, quæ aliter sequerentur. Nam qui ex consuetudine celebrandi, celebraret in Paschate, nec præcepti recordaretur, non adimpleret illud, sed peccaret mortaliter: & similiter, qui frequenter in anno confiteretur, quos tamen damnabit nullus. Accedit, quod lex absolutè præcipit actum, & non tali intentione fieri præcipit. Sic plures quos idemmet refert *lib. pr. Summ. cap. 13. n. 9.*

PRIVILEGIUM XXX.

Ignorans se teneri ad aliquam restitutionem pauperibus faciendam, & eleemosinas cum hujusmodi ignorantia erogavit, excusatur à tali restitutione, si eas pro eadem postea restitutione applicet.

784 Sequitur hoc privilegium ex præcedenti ut patet. Et idemmet ponit *Sanch. dub. 121. c. n. 2. & 3.* Sub his verbis: *Secundum multos est valdè probabile, quòd extremè indigenti teneatur dives ex justitia dare eleemosinas, & tamen si ex pœnitentia Sacramentali, vel eo quod habet debita incerti domini, teneretur ad eleemosinas, satisfaciet dando sic indigenti: Cum enim eleemosinæ non repugnet velle satisfacere pro debita aliàs eleemosina, censetur habere hanc intentionem virtualem, & sic satisfaciet. Similiter quando quis tenebatur propter incertitudinem creditorum, vel ob aliam causam restituere pauperibus, si ignarus, aut immemor hujus obligationis, facit eleemosinas potest omnes eleemosinas, quas fecit post talem obligationem compensare cum debito illo.* Et hoc idem privilegium confirmari potest ex doctrina, quam etiam tetigi pro privilegio præcedenti, desumpta ex voluntate interpretativa, quam quisque habet prius satisfaciendi quæ sunt de obligatione, quàm præstandi ea, ad quæ minimè tenetur. Advertas tamen hìc, mi Lector, non esse extendendum hujusmodi Privilegium ad Beneficiarium, qui eleemosinas erogavit ignorando se teneri ad restitutionem fructuum ob omissionem Horarum Canonicarum; non enim ipse potest facere compensationem, quando cognoscit obligationem suam, sicq; liberari à restitutione: Quoniam hoc idem damnavit *Sanctiss. Alexander VII.* in suis propositionibus damnatis: *Proposit. 33.*

CAPUT XIII.
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA OCTAVUM DECALOGI PRÆCEPTUM,

Non falſum teſtimonium dices.

785 IN octavo Decalogi præcepto prohibetur omnis injuſtitia, ſeu injuria, quæ lingua, & ſermone, proximo irrogatur, ut habet Doctorum communis in illa verba *Exodi* 20. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Hujuſmodi autem injuria contra proximum (de qua in hoc præcepto) committi poteſt vel in judicio, vel extra. In Judicio committi poteſt à Judice, iniquè judicando. A Teſte, falſum teſtando. A Reo, injuſtè negando. Ab Accuſatore, falsò accuſante. Ab Advocato, iniquam cauſam defendente. In Judicio concurrunt etiam Aſſeſſor, Procurator, Tabellio, ſive Notarius, &c. Extra Judicium autem multis modis committi poteſt poximo injuria, lingua, & ſermone: Mendacio videlicet. Detractione. Conviciis, Contumelia, & Improperio. Suſurratione. Irriſione. Maledictione. Judicio temerario, ſeu ſententia animi falſa, in animo reſidente. In quibus omnibus irrogari poteſt proximo injuria gravis, quæ ſit peccatum mortale prohibitum in hoc præcepto, niſi excuſet materiæ levitas, vel ignorantiæ privilegium; qua de re ſit.

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Invincibiliter ignorans mendacium officioſum, & jocoſum eſſe peccatum, illud proferens excuſatur ab omni culpa.

786 MEndacium omne, peccatum eſt. *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 110. *art.* 3. & communiter Doctores, ut videre eſt apud *Sayr. in Clavi Reg. l.* 12. *c.* 2. *n.* 6. & alios, *Verbo Mendacium*; contra nonnullos apud *Leſ. lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 6. *nu.* 38. Et ratio eſt, quia voce demonſtrare id cujus contrarium geritur in mente, in quo conſiſtit ratio mendacii (eſt enim mendacium ex *D. Auguſtino lib. p. contra mendacium cap.* 47. falſa ſignificatio vocum cum intentione fallendi, ſeu dicendi falſum) eſt per ſe malum, contra dictamen naturale, & rectam rationem, & contra naturam vocum, quæ à natura inſtitutæ ſunt ad ſignificandos animi ſenſus, & conceptus. Unde mendacium eſt intrinſecè malum, & adeò malum, ut nequeat fieri licitum, quamvis bono fine committatur, ut ob finem tuendæ vitæ propriæ, vel alterius, ut patet ex *cap. Ne quis arbitretur* 22. *qu.* 2. Ex quo ſequitur (ait *Bonac. to.* 2. *diſp.* 10. *qu. p. punc.* 2. *propoſit. p. nu. p. Verſu, Ex quo*) non poſſe Summum Pontificem diſpenſare in mendacio, ita ut per illius diſpenſationem licitè fieri poſſit, nam mendacium eſt intrinſecè malum, & Pontifex naturas rerum mutare non poteſt. Et meritò talis poteſtas denegatur Pontifici Summo, cùm nec Deus ipſe (ut optimè *Laym. lib.* 4. *tr.* 3. *cap.* 13. *n.* 8. *Verſu, Probatur* 5.) veritatis auctor, & falſitatis omnis oſor, talem facultatem dare poſſit.

787 Quamvis autem omne mendacium ſit peccatum, non tamen omne eſt lethale, nam iocoſum, & officioſum quod nulli nocet non eſt tale (ut communiter Doctores) etiam ſi proferatur à graviſſimo viro, ſecluſo gravi ſcandalo: Quia hujuſmodi mendacium non affert ulli iniuriam gravem, & cenſetur materia levis: unde non eſt niſi peccatum veniale ex communi omnium ſententia apud *Azor. p.* 3. *lib.* 13. *c. p. dub.* 2. modò non addatur illi juramentum, tunc enim eſſet peccatum mortale periurii per omnes. Imò ſi proferatur jocoſum, & officioſum mendacium ab invincibiliter ignorante eſſe veniale, caret omni culpa, ut in propoſito privilegio: quod docet etiam *Bonac. l. c. propoſit.* 2. *nu.* 4. ubi ait: *Poſſe da-*

 ri igno-

ri ignorantiam invincibilem respectu mendacii officiosi, & jocosi, & sic proferentem illud excusari posse ab omni culpa. Cui privilegio subscribit etiam *Trull. in Decal. to. 2. lib. 8. cap. 8. dub. p. num. 6.*

788 Jocosum mendacium intellige cum communi, quod causa propriæ voluptatis, vel alienæ profertur, ut solent garruli homines, & rerum novarum cupidi. Officiosum verò, quod propriæ utilitatis causa, vel alienæ dicitur, sive in temporalibus, sive in spiritualibus, ut alius scilicet juvetur: vel ut malum removeatur, dummodo tamen nemini noceat.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Afficiens alterum materiali Contumelia ex ignorantia etiam culpabili, excusatur à mortali si parum noceat.

789 CONtumelia est manifestatio defectus proximi in præsentia cum iniuria, seu est iniuria, qua læditur honor proximi, obiiciendo ei aliquod peccatum, vel alium defectum in ipsius præsentia. Unde ex genere suo est peccatum mortale, idque gravius detractione, quatenus hæc ut plurimum fit in absentia. Hic autem nota contumeliam, convicium, & opprobrium à Doctoribus apud, & cum *Trull. in Decal. to. 2. lib. 8. cap. 8. dub. 2. n. 2.* promiscuè sumi, & sub eadem dicta definitione comprehendi. Contumelia enim propriè est manifestatio defectus culpæ. Convicium, manifestatio defectus culpæ, & pœnæ. Opprobrium, est manifestatio defectus, & imperfectionis animi, vel corporis, aut indignitatis, aut vilitatis status, vel natalium, &c. quæ, ut communiter Doctores, non differunt specie, cum horum omnium una sit, & eadem ratio formalis, inhonoratio videlicet in præsentia: unde convicia omnia, seu contumeliæ propter eandem rationem sunt ejusdem speciei, ut docent etiam *Filliuc. tr. 40. cap. 3. n. 77. & 78. Trull n. 2. c.* & alii apud ipsum: *Diana to. p. Coord. tract. 7, res. 19. nu. 2. Ex par. p. tr. 7. resol. 19.* referens *Cajet. in 2. 2. qu. 72. art. p. Sotum de Just. lib. 5. qu. 9. art. p. in fine. Sà Verbo Contumelia, n. p. Molin. to. 4. tr. 4. disp. 19. n. 3. Azor. par. 3. lib. 13. cap. 5. dub. p. & Reginald. to. 2. lib. 24. cap. 5. n. 102.* per quos, & alios Doctores prædicta non differunt, nisi secundum magis, & minus: & magis, & minus non variant speciem: diversitas enim defectuum, qui obiiciuntur, solùm materialiter se habet, & ad summum parit distinctionem specificam in genere naturæ, non verò in genere moris. Et hinc est quod idem *Reginal. n. c.* docet non esse necesse explicare in Confessione ipsas iniurias, dicendo, appellavi ebrium, adulterum, stultum, &c. Sed satis esse dicere, toties gravem intuli contumeliam meo proximo: ait enim: *Tertium documentum est, omnes contumelias ejusdem speciei esse: quia quamvis in cæteris diversitas cernatur, conveniunt tamen in ratione formali, quæ est intentio auferendi alteri suum honorem. Unde sequitur, satis esse in confessione dicere: Toties contumelia affeci meum proximum, nec requiri, ut dicatur: Illum vocavi ebrium, scurram, adulterum, &c.* Et hanc doctrinam (quam amplecti debent omnes affirmantes circunstantias solas mutantes speciem esse in Confessione aperiendas) sequitur *Diana resol. c.* & alii in locis ibidem notatis: ubi *n. 4. in fine resol. ejusdem,* sic: *Notent Confessarii, quod etiam hæc doctrina est applicanda, & practicanda in detractionibus: & sic à multis scrupulis, & interrogationibus immunes erunt.*

790 Contumelia duplex est, formalis, & materialis: formalis est, quando quis intendit honorem lædere, & id est ex se peccatum mortale ex communi Doctorum cum *D. Tho. 2. 2. art. 2.* ubi *In respons. Et hoc est peccatum mortale non minus quàm furtum, & rapina.* Colligitur *Matth. 5. Qui dixerit fratri suo fatue* (idest grave convicium) *reus erit gehennæ ignis.* Ignis autem gehennæ pro mortali peccato solum debetur. Et ratio est, quia honor, & reverentia præstat divitiis: at furtum ex se mortale est: ergo. Potest autem esse tantum veniale, vel ratione intentionis, & damni illati, ut si habet intentionem parum nocendi, & parum nocet, sicut qui rem parvam furatur, animo parum nocendi. Vel ratione imperfectionis actus, ut si absit plena deliberatio: ità communiter Doctores. Materialis est contumelia, quando quis profert verba nociva sine intentione formali nocendi: si enim intentio detrahendi deficiat, non est propriè formalis, sed materialis detractio, quæ quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale, quandoque verò nullum. Tunc nullum est, immò licitum, quando fit tantum animo acriter corripiendi, & alioquin non exceditur, nec in qualitate verborum contumeliosorum, nec in modo: ut si Prælatus, Pater, frater, Dominus, maritus, magister, vel alius superior obiurget. Ut fecit *Paulus Galat 3.* vocans Galatas insensatos, *O in-*

O insensati Galatæ : & Christus Dominus *Lucæ* 24. Apostolos stultos : *O Stulti, & tardi corde ad credendum*. Tunc contumelia etiam materialis est peccatum mortale, quando quis licet expressè non intendat lædere alterius famam, sed ex quadam animi levitate ei detrahit, & narrat illius defectus : tamen verba, quæ profert talia, sunt, quod graviter offendunt famam ejusdem. Eo quia [ut optimè etiam *Fagund. in Decal. to.* 2. *lib.* 8. *cap.* 2. *n.* 3. *Vers. Probatur altera*] talis implicitè vult graviter lædere, qui verba vult dicere, ex quibus gravis læsio proximi sequitur, licet enim ex animi levitate, vel ob causam non necessariam, ea verba proferat, poterunt nihilominus verba eadem gravia adeò esse, ut graviter, & notabiliter famam illius lædant, & tunc sine dubio erit peccatum mortale; quia & si deficiat intentio detrahendi, attamen hoc ipsum verborum genus ex se est peccatum mortale : Contumelia igitur etiam materialis, peccatum est mortale, si grave damnum inferat.

791 Si tamen contumelia materialis, & si sit per verba notabiliter iniuriosa, parum noceat, & verba ipsa prolata sint ex inadvertentia, incogitantia, ignorantiave etiam culpabili, excusat à mortali, ut in proposito privilegio, quod vide approbatum à *Trull. dub.* 2. *c. nu.* 7. Hinc communiter Mulierculæ, servi, famuli, ac homines viles, qui se ad invicem conviciis, ac contumeliis afficiunt, solum peccant venialiter; eo quod parva, aut nulla fides eis adhiberi soleat; parumque læditur honor, ac desit communiter in eis intentio, & cognitio graviter nocendi. Erit etiam veniale, si desit deliberatio.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Qui falsò intra seipsum contra proximum testimonium affert, hoc est temerè in re gravi judicat de ipso, quem tamen quis sit prorsus ignorat, à mortali excusatur.

792 Falsum testimonium affert quis contra proximum nedum extra se (coram Judice) falsò eundem denunciando, accusando, infamando, &c. de eodem perperam obloquendo, &c. verum etiam intra se, temerè videlicet de illo judicando, judiciumve temerarium intra se ipsum contra proximum in re gravi afferendo: Quod temerarium judicium ex se esse peccatum mortale, jam certum est, ut videre est apud Doctores, præcipuè *Less. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 2. quia sic etiam gravis iniuria fit proximo contra justitiam, dum sine causa habetur improbus : hoc enim perinde est ac si falsum crimen ei impingeretur: violaturquè sic graviter jus quod proximus ipse habet, ne quis sine sufficientibus indiciis, malè de eo judicet. Sine sufficientibus inquam indiciis : tunc namque committitur judicium temerarium, quando quis ex levibus indiciis, & absque fundamento firmiter judicat de malo proximi, & tunc est de se peccatum mortale in re gravi, ut dixi, & communiter affirmant D. D. Et si dicas: Non est mortale (secundum nonnullos probabiliter) etiam siue causa crimen occultum, uni, vel duobus prudentibus rem non evulgaturis manifestare, quia id non est infamare, nec ex eo (notabiliter saltem) alterius fama læditur, ergo neque erit mortale apud se solum rem non evulgaturum certò de altero perperam judicare: Si inquam hoc dicas, negatvr consequentia : qui enim dicit crimen occultum, uni, vel duobus, ut in antecedenti, non dicit nisi verum : In casu autem nostro, certò judicat malum grave ex indiciis insufficientibus, atque adeo graviter etiam peccat, & iniurius est proximo suo. Et sanè talis pariter esset, si crimen falsum de eo propalaret etiam uni; ut habet etiam *Tambur. in Decal. lib.* 9. *cap. p. num.* 4. apud quem, & alios, ad hoc mortale contrahendum, quatuor conditiones requiruntur: Prima, ut Judicium sit plenè deliberatum. Secunda, ut sit in re gravi : quæ gravitas colligitur etiam ex qualitate, & professione personarum, de quibus fit judicium. Tertia, ut judicium sit certum moraliter; secus non esset judicium, sed suspicio. Quarta, ut sit ex levibus conjecturis, & insufficientibus indiciis: nam si ex sufficientibus, non erit temerarium, sed prudenter elicitum Judicium. Ad dignoscenda autem indicia esse, vel non esse sufficientia, prudentis arbitrio dijudicandum est : hujusmodi autem regula dari potest: Quoties indicia non sunt proportionata ad tale judicium, quoties videlicet indicia ex se, aut ex communi hominum usu sunt indifferentia, aut rarò coniuncta cum tali effectu, dicuntur improportionata atque adeo insufficientia. Qui ergo cum his tantum, seu ex his coniecturis, & indiciis, utpotè levibus, ac insufficientibus firmiter judicat malum de proximo in re gravi, reus fit lethalis culpę.

793 A qua tamen excusatur, ignorantiæ privilegio (uti etiam pro certo ab ea-

dem lethali culpa, & reatu liberat *Tamb. l. c. nu.* 10.) si temerè quidem judicat, & in re gravi, de aliquo tamen sibi prorsus ignoto, ut in proposito privilegio. Et ratio est, quia sic, moraliter perinde est, ac si de nullo fieret judicium: ait etiam idem *Tambur.* Addens, seu exemplificans in confirmationem, ut sequitur: *Videat quis v.g. Hominem de nocte caput habens pallio coopertum; vel transeat per loca sibi ignota, incidatque in homines sibi nullo modo cognitos, hic si temerè judicet de illo, & de his, certè non peccat mortaliter, quia nemini facit injuriam. Quod si fortè deinde veniat in eorum notitiam, se gerere prudenter debebit, nec nisi juxta conjecturas judicare.* Et hoc idem privilegium admittit etiam cum *Fagundez; Escobar in Summa Theol. Moralis tract. p. Examine* 10. *cap.* 4. *Ex Societatis Jesu Praxi, & Schola:* dum ibi sic: *Judico temerè de aliquo indeterminato: aut de aliquo determinato, quem non agnosco, nec agnitorus sum: num lethaliter delinquam? Non; quia in hoc casu quasi nulli irrogatur injuria.* Ex *Fagundez*.

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Qui ex ignorantia, & errore intellectus invincibili, temerè judicat de aliquo in re gravi, à lethali culpa excusatur.

794 IN re gravi dicit hoc privilegium, uti & præcedens, in re inquam, & materia gravi; vel in se, uti est quodcumque peccatum mortale inducens hìc, & nunc infamiam: vel ratione circunstantiæ, & qualitatis personæ, ut si de viro probo, & gravi Religioso, Prælato, &c. judicaret quis temerè, esse mendacem ex habitu, & nunquam dicere veritatem, esse vanum, levem in suis actionibus, &c. quę res, & si sint defectus leves, & veniales, reddunt tamen personam talem contemptibilem, indignam muneribus Religiosis quibus decoratur, &c. eandemque hìc, & nunc, infamen, atque adeo de ipsa sic ex levibus indiciis temerè judicare, lethale est: ut docent etiam *Soto de Just. lib.* 3. *qu.* 4. *art.* 3. *Filliucc. tract.* 40. *cap. p. qu.* 8. *Dico secundò, n.* 18. *Trull. in Decal. to.* 2. *lib.* 7. *cap. p. dub. p. n.* 9. & alii apud ipsos: item *Fagund. in Decal. to.* 2. *lib.* 8. *cap.* 11. *n.* 14. *Versu, Secundò quia*: ubi sic: *Si de viro gravi, qui in excelso loco sedet, & in magna nobilitatis æstimatione est, ex levissimis indiciis judicares esse infamatorem aliorum, sine dubio peccatum erit mortale tale judicium temerarium, quia si illud alteri manifestares, gravem illi inferres injuriam, ergo etiam gravem illi infers ita apud te judicando, ut optimè docet Sotus, &c.* E contra verò, licet spectata gravitate materiæ, absolutè loquendo, peccatum mortiferum sit judicium temerarium, respectu tamen alicujus personæ, veniale tantum judicabitur apud prudentes; ut si de Juvene aulico ex levissimis indiciis judices habere turpes amores cum mulierculis: de milite, quod alios concutiat roboris ostentandi causa, aut quod duello interfuerit, & acceptaverit: hæc enim omnia licet sint, absolutè loquendo, peccata mortalia, tamen respectu harum personarum hæc illis tribnere, & de illis judicare, veniale tantum erit, ut docent *Sotus, & Fagund. l. l. c. c.* Unde (ut optimè etiam *Trull. n.* 9. *c.*) non omne peccatum mortale est materia gravis, quoad hunc effectum; quia non omne peccatum mortale notabiliter hìc, & nunc infamat, ut dictum est. Universaliter igitur loquendo in hac materia, grave malum est illud, quod notabiliter infamat, & efficit malam æstimationem ita ut propterea contemnatur, vel judicetur indignus aliquo bono, cujus privatio notabile damnum illi inferat: ita cum *Filliuc.* & aliis idem *Trull. n.* 9. *cit.*

795 Et hinc inferes cum *Fagund. n.* 14. *cit.* non esse usquequaque veram Summistarum regulam, qua affirmant, judicium temerarium tunc esse peccatum mortale, quando materia de qua habetur est mortalis; & veniale, quando est venialis: datur enim casus ex dictis, & Doctoribus allegatis, in quo judicium temerarium de materia gravi, & mortali, est veniale tantum peccatum; & de materia levi, & veniali est mortale: ideo aptior, & certior regula, quæ in hoc dari potest, est infamia, & damnum quod inde sequitur, nam si hujusmodi infamia fuerit levis peccatum erit veniale, si gravis, erit mortale.

796 A quo etiam mortali excusat error, seu ignorantia invincibilis intellectus, ut in proposito privilegio, & ut etiam docet *Tambur. in Decal. lib.* 11. *cap. p. nu.* 19. sic dicens: *Culpam mortalem vitat, qui errat errore intellectus invincibili, putans illud judicium esse certum, atque sufficiens*: Ita ipse. Qui præterea vult, rarò lethaliter peccari per temerarium judicium à viris maximè timoratis: *Quis enim* (inquit *n. c.*) *nisi ex gravi odio, vel ex magna stultitia, certò judicat ex indiciis non certis? Imò etiam hic stultus, culpam mortalem sapientissimè vitat; quia regulariter potius errat errore intellectus invincibili, putans illud judicium esse certum, atq; sufficiens,*

sufficiens, quam ex prava voluntate. Et idem sentit (loquendo pariter de viris timoratis) *Dicastillus lib. 2. tract. 2. d. 12. par. p. dub. 3. n.* 35. rarò videlicet lethaliter peccari per temerarium judicium. Quod & optimè ante ipsos docuit *Molina de Just. tom. 4. tract. 4. disp.* 13. *nu.* 4. in quo sic: *Collige Viros timoratos rarò incidere in culpam lethalem judicii temerarii, esto sæpè patiantur sinistras cogitationes. Ratio autem est, quoniam vel non perveniunt ad consensum voluntatis, vel certè si repentinus aliquis adsit consensus, non est plenè deliberatus, ac sufficiens ad culpam lethalem, esto res, de qua est ea cogitatio, gravis sit. Unde hæc regula videtur statuenda. Quando timorati, præsertim scrupulosi, ejusmodi cogitationes sinistras de proximis suis patiuntur, & dubitant, an lethaliter peccaverint, interrogandi sunt, an si tunc adverterent, illud esse judicium temerarium, ac peccatum, deliberata voluntate consentirent. Quod si neganter respondeant, censendum est, non peccasse lethaliter: quoniam vel nullus adfuit voluntatis consensus, sed res peracta est solum intellectu, dæmone suggerente, & acuente eas cogitationes: non secus atque quando, Deo id permittente, excitat similes blasphemiæ cogitationes, aut sinistras cogitationes adversus fidem, in quibus rarissimè est consensus deliberatus: vel scrupulis molestat timoratas animas, ut eas bis omnibus viis ad amaritudinem perducat, pacem animæ perturbet, suavitatem Spiritus Sancti impediat, & devotionem, ac progressum in virtutibus: Vel certè, si aliquis repentinus adfuit consensus voluntatis, is non fuit plenè deliberatus, ac sufficiens ad culpam lethalem, esto res, de qua est ea cogitatio, gravis sit. Facilius verò in hac materia, quam in aliis, evenire potest consensus voluntatis non plenè deliberatus, propter assuetudinem judicandi intellectus de rebus oblatis, voluntate applicante potentiam intellectus, & concurrente suo imperio cum illa ad judicia. Unde, ut bene notat Sotus 3. de Justit. qu. 4. art. 5. quando aliquis contemplatione, aut recordatione rei alicujus, quasi rapitur ad sinistrè de ea judicandum, non est cur lethalem timeat culpam: eo quod desit consensus plenè deliberatus, qualis in materia hac ad culpam lethalem est necessarius. Quo loco observa Diabolum solere vexare valdè, inquietosque reddere, atque perducere ad amaritudinem multos timoratos, ac scrupulosos, offerendo illis sinistras cogitationes de suis proximis, statimque concutiendo ipsorum conscientias timore vano, quod in temerarium judicium consenserint, peccaverintque lethaliter, & quod necesse sit ipsos de ea re confiteri. Cum tamen Diaboli intentum sit, pacem illorum turbare, ad amaritudinemque illos perducere, ut inquieti, & amari, ejusmodique cogitationibus, ac solicitudinibus implicati, devotionem, ac attentionem ad spiritualia amittant, illis non insistant; insipida illis reddantur, minoremque ad illa habeant applicationem. Quare curandum est, conscientias illorum juxta regulam propositam sedare, eisque persuadere, ea in re nullam esse culpam lethalem, sed id totum suggestionem esse Diaboli, ut eos perturbet, & ut quæ commemorata sunt, adversus ipsos obtineat. Quando autem sibi Confessarius persuaserit, in hujusmodi sinistris cogitationibus non intervenire culpam lethalem, optimum consilium sæpè erit, præcipere eis, qui de illis confitentur, ut eis de rebus nec secum, nec cum quocumque alio confiteantur, esto diabolus vano eo timore perstrepat. Interdum etiam sanum consilium est, confessiones de eis rebus ex illis audire, atque si aliud non confiteantur, quod absolutione indigeat, mittere illos absque absolutione ad Sacram sumendam Eucharistiam, quoniam interdum ita melius sedantur ipsorum conscientiæ, audacioresque fiunt ad ejusmodi vanos timores superandos, dum vident Confessarios, auditis ejusmodi scrupulis, eos parvipendere, mittereque eos ad Sacram Eucharistiam absque absolutione sumendam*: hæc *Molina*: & ex ipso etiam *Jo: Angelus Bossius in suo Tract. de Scrupulis, §.* 6. *n.* 124. & 125. quem concludit affirmando, traditam *Molinæ* regulam servandam esse à Confessariis cum timoratis conscientiæ, & scrupulosis, nedum circa cogitationes temerarii judicii, blasphemiæ, & infidelitatis, verum etiam rerum inhonestarum, vindictæ, & aliorum similium. Servanda insuper est hæc eadem regula (per *Toletum in Summa lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 3.) à Confessariis cum scrupulosis, qui patiuntur innumera dubia contra res fidei, sed nimis involuntariè, & ex dœmonum suggestione, quæ verè dubia non sunt, sed apprehensiones eorum, quæ sunt contra fidem. Et si patienter propter Deum ferantur, materia sunt magni, & continui meriti. *Sunt enim* (ait idem) *caminus ardens, in quo Deus aliquando suos fideles probari permittit, &c.*

797 Hic obiter quæres, an omnia judicia temeraria sint ejusdem speciei infimæ: respondeo affirmativè cum *Filliucc. to.* 2. *tract.* 40. *in VIII. Decalogi Præcept. cap. pr. n.* 9. *vers. Ex his infertur. Diana Coord. to. p. tract.* 7. *res.* 165. *n.* 12. *vers. In res.* 28. *Ex p.* 3. *tr.* 4. *res.* 67. *Fagund. in Decal. to.* 2. *lib.* 8. *cap.* 11. *n.* 16. *Sancio in Selectis disp.* 5. *nu.* 10. *vers. Nec opus est*: & aliis. Ratio est, quia judicia temeraria omnia sunt ejusdem

ejusdem speciei, cum omnia offendant famam proximi sub una, eademque ratione formali infamandi illum, quamvis materialiter differant, prout sunt de diversis vitiis specie distinctis, omnia enim inducunt unam, ac eandem rationem formalem offensivam famæ. Et idemmet dic etiam de detractionibus, & contumeliis. Unde nec est necessariò explicanda in Confessione, per D. D. citatos, diversitas judiciorum, & contumeliarum: hinc optimè *Sancius l. c.* sic: *Nec opus est pœnitentibus quale judicium fuerit, contra quam personam, fuerit ne Ecclesiastica, vel sæcularis, seu rem explicare, dicendo scilicet, judicavi Joannem esse furem, vel fornicarium, aut hæreticum, &c. In esse solum physico judicia hæc diversitatem habent, utpotè circa diversa crimina; non verò in morali, cum contra justitiam commutativam sint, prohibentem sub una specifica ratione, & atoma, famam alienam non lædi, tam internè per judicium, quam externè per detractionem, aut contumeliam*: ità *Sancius*, quem etiam refert, & sequitur *Diana l. c.*

PRIVILEGIUM QUINTUM.

Qui ex errore, & ignorantia intellectus temerariè suspicatur grave malum de proximo, excusatur à culpa mortali.

798 MAlè suspicari de proximo dupliciter contingere potest ex Doctoribus communiter, vel ex errore intellectus, quo apprehendit illa signa, tanquam sufficientia ad suspicandum quamvis talia non sint. Vel non tam ex errore intellectus, quam ex pravo affectu, & malevolentia erga illum de quo suspicatur: *Less. de Just. libr. 2. cap. 29. dub. 3. n. 16.* aliique. Si priore modo ex errore, & ignorantia suspicetur malum de proximo, sic suspicans, à culpa mortali excusatur; quod privilegium ponit *Petrus à S. Joseph in Summula Casuum Conscientiæ cap. 8. de 8. Decal. præcep. art. p.* sub his verbis: *Qui ex errore intellectus temerariè suspicatur grave malum de proximo non peccat mortaliter. Secus si talis suspicio oriatur ex pravo affectu, ita ut eam concipiens bene advertat indicia non sufficere ad suspicandum malum de proximo, & tamen velit tale quid suspicari, & in suspicione perseverare. Quæ suspicio hic sumi solet, pro opinione, seu judicio determinato, infirmo tamen, & cum formidine conjuncto. Eademque doctrina ad dubitationem applicari potest, ita scilicet, ut & si non peccet mortaliter, qui sine causa in re gravi dubitat de probitate proximi, si talis dubitatio, seu suspensio assensus ex errore humano oriatur. Secus dicendum sit ex hypothesi quod dubitans, ex pravo affectu nolit judicare, eum esse virum probum; imò potius velit hærendo dubitare de probitate illius, & si non habeat sufficientia indicia ad talem dubitationem, aut favendam, aut concipiendam. Hoc enim adversatur juri quod quisq; habet, ut alii bene de illo sentiant: quando non suppetunt argumenta sufficientia aliter sentiendi.* Hactenus dictus *à S. Joseph.* Et ante ipsum posuit pariter, approbavitq; propositum privilegium *Less. l.c. n. 18. Ex D. Augustino tract. 90. in Joannem.* Quod fecere & alii.

799 Sequitur hoc privilegium ex præcedenti apertissimè. Nam si à culpa mortali excusatur qui ex ignorantia, & errore intellectus temerè judicat grave malum de proximo (ut ibidem) eo magis excusabitur qui ex errore, & ignorantia intellectus grave malùm de proximo solum suspicatur, ut ex se patet. Quod privilegium præterea probatur. Quia qui non ex malitia, sed ex imbecillitate judicii, ex ignorantia, seu errore humano intellectus sic suspicatur, non censetur inferre proximo injuriam notabilem; nec censetur talis suspicio perfectè voluntaria, qua parte est temeraria: ergo. Adde cum *Less. dub. c. n. 20. vers. Tertiò probatur: & Fagund. in Decal. to. 2. lib. 8. cap. 11. n. 18. vers. Tertiò quia.* Quod quando suspicio non est ex malevolentia, sed ex ignorantia, seu humano errore intellectus, signa, seu indicia ex quibus suspicatur non carent omni ratione, verisimilitudine, & proportione: longè enim pauciora, & minora requiruntur indicia ad suspicandum, quam ad judicandum pro certo. Suspicio etenim ipsa non est nisi judicium imbecillum, & vacillans, cui coniuncta est formido notabilis de opposito. Qui namque suspicatur, simul putat tacitè, vel expressè se posse facile falli; qua in re multo minus injuriæ proximo infertur, quam per Judicium, quo quis judicat rem vel omnino certam, vel ferè certam, ita ut vix falli possit.

800 Supponit privilegium hoc, quod suspicio temeraria, quæ videlicet habetur ex levibus indiciis, sit peccatum mortale ex genere suo, & obiecto: & quando est de gravi scelere circa personam honestam, ut de hæresi, de incestu cum Matre, de proditione Civitatis, &c. quod affirmant *Sylv. in 2. 2. qu. 60. art. 3.* (qui citat *Bannez, & Aragonium*) *Salon. 2. 2. qu. 60. art. 3. dub. 5. Sotus de Just. lib. 3. qu. 4. art. 3. Molina de Just. to. 4. tr. 4. disp. 16. n. 10. Medina, Villalobos,*

Lalobos, *Turrianus*, & alii apud *Dianam to.* 8. *Coord. tr.* 3. *ref.* 13. *n. p. ex p.* 3. *tr.* 5. *Misc. p. ref.* 31. existimantes, omnem suspicionem deliberatam de peccato mortali, esse mortale. Et ab hoc mortali dicimus nos excusare privilegium propositum.

801 An verò hujusmodi sententia probabilior sit sua contraria, ea videlicet quæ ex opposito affirmat, nullam omninò suspicionem esse ex suo genere peccatum mortale, sed tantum veniale; dico, hanc secundam oppositam probabiliorem esse sententiam, quam expressè docet *Cajet. in Summula Verbo Suspicio*: ibi enim sic: *Suspicio ambiguitatem quandam in seipsa claudit, ideo quandiu intra ambiguitatis latitudinem manet, quantumcumque crescat nunquam est indicium, quod definitivam determinationem sonat, ac per hoc quantumcumque suspicio sit temeraria, & vehemens, & æstimatio firma, nunquam est peccatum mortale, quia non est judicium temerarium, sed æstimatio temeraria: quia non intervenit tunc completè contemptus proximi, dum non prorumpitur in definitionem. Si enim proximum completè despiceret, prorumperet in definitivam sententiam, & diceret in seipso, Ioannes est perversæ mentis: & non diceret in se ipso; Quantum mihi videtur, Joannes est perversæ mentis. Hoc enim est suspicantis, illud judicantis. Unde judicium temerarium de scelere personali proximi, est peccatum mortale, suspicio autem temeraria quantumcunque vehemens, est peccatum veniale*; ità *Cajet.* Et idem docere videtur *D. Tho.* 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 3. dum ibi ait *ex Glossa*: *Suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus: judicia tamen, idest diffinitivas, firmasque sententias continere debemus.* Et *Quodl.* 12. *art.* 34. ubi: *Quod suspicio, si non sit ex odio, ex suo genere non est peccatum mortale, quia est imperfectus actus in genere judicii.* Et patet: Quia nullum judicium juxta eundem *D. Tho. & Cajet.* citra certitudinem est peccatum mortale: at ista certitudo tollitur nedum per dubitationem, quæ in neutram partem declinat, sed etiam per suspicionem, & opinionem, quia & si suspicio, & opinio uni parti magis adhæreant, non tamen id fit sine formidine alterius: Igitur suspicio de re gravi si non habet assensum firmum, nunquam erit peccatum mortale. Et *P. Diana l. c. n.* 2. absolutè putat tenendam esse hanc sententiam. Quam uti probabiliorem docent etiam *Jo: De la Cruz in Directorio, præcepto* 8. *qu. p. dub.* 2. *conclus.* 2. *Summ. Armilla Verbo suspicio. Petrus Navarr. de restit. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 454. *Laym. in Theol. moral. lib.* 3. *tr.* 3. *par.* 2. *cap.* 2. *Assert.* 3. *n.* 6. *Fagund. l. c. n.* 20. *Trull. in Decal. to.* 2. *lib.* 7. *dub.* 2. *n.* 4. aliique plures apud eosdem, hanc eandem firmantes sententiam rationibus sequentibus.

802 *Primò*. Quia suspiciones de gravi malo non sunt judicia, aut assensus firmi, nec opinativi, imò nec assensus propriè, sed impropriè tantummodo, sunt enim vacillationes quædam circa propositum malum; ergo non sunt peccata mortalia: erunt tamen venialia, quia unusquisque hoc naturali jure gaudet, ut bonam retineat opinionem, quoadusque per legitima testimonia, & indicia, sua prodantur delicta: cum ergo hujusmodi suspiciones modo aliquo hoc jus naturale violent, modo etiam aliquo, & venialiter tantum injuriosæ erunt. *Secundò*. Quia apud prudentes viros non censetur gravis injuria, quod quis de alio suspicionem habeat, procedunt enim hujusmodi suspiciones ex humano errore, communes viris etiam probis, ac timoratis; hinc qui pro gravi injuria eas reputaret, irrationabilis esset omninò, & nimius in suo honore tuendo. Quod confirmatur, eo quia suspicio non est assensus, sed tantummodo concitatio quædam ad assensum, & judicium. Manet ergo in mente suspicantis bona fama, & existimatio proximi, licet leviter læsa, cum ea non privetur, nisi per contrarium assensum, & judicium; ergo non erit suspicio peccatum mortale, licet sit veniale. Ex quibus putat *Diana n.* 2. *c.* & cum ipso *Trull. n.* 4. *c.* multos pœnitentes falsò, sed ignorantes se accusare de judiciis temerariis; nam ut judicium temerarium (ait) sit peccatum mortale, opus est *primò*, ut eliciatur sine sufficientibus indiciis. *Secundò*, ex plena deliberatione. *Tertiò*, certò, & sine ulla formidine, quæ omnia raro (inquit) simul concurrunt in homine malè de proximo judicante, & præsertim tertium requisitum; nam multi judicant cum formidine alterius partis, & tunc non est judicium temerarium mortale. Ità *Diana*. Et ante ipsum *Jo: De le Cruz qu. c. in fine*: pro confessionis judicio, notat: Quod si pœnitens est timoratus, nec habet consuetudinem temerariè judicandi, nec est malitiosus, non illicò damnetur si dicit se judicasse, aut suspicatum esse. Quia regulariter in his suspicio, aut judicium provenit ex indeliberatione, maximè si sit melancholicus. At si pœnitens non ità sit timoratus, sed habet consuetudinem temerariè judicandi, timendum est ex plena deliberatione judicasse, & mortaliter peccasse, ob pravam consuetudinem judicandi: maximè si sit malitiosus, & malè affectus ad eum, de

quo

quo sinistrè judicat. Sed Contra.

803 Dices primò. Si simplex suspicio non esset de se mortiferum peccatum, nec etiam mortiferum esset illam alteri manifestare; at hoc est falsum ex omnium consensu, ut affirmat *Salon* 2. 2. *qu.* 60. *art.* 3. *Controvers. p. concl. p.* apud *Fagund. l. c. n.* 17. *ad finem*. Respondeo cum eodem *Fagund. n.* 21. *in fine*; mortiferum non esse suspicionem manifestare alteri, qui existimetur non plus mali apprehensurus, quam in ea sit, quamvis gravius veniale peccatum sit, cum multo plura requirantur ad prodendam nostram suspicionem, quàm ad illam apud nos retinendam, quia in prolatione illius invenitur detractio, detractiones autem gravius feruntur, quàm suspiciones.

804 Dices secundò. Injuria maior fit proximo, suspicando illum esse hæreticum v. g. quam judicando eum esse fornicarium, & magis læditur, & contemnitur per illam suspicionem, quam per hoc judicium, sed tale judicium est peccatum mortale, ergo. Respondeo negando antecedens: per suspicionem namque non amittis tuam æstimationem, nec graviter despiceris. Et si homines magis timent suspicionem de gravioribus, quam judicium certum de minoribus criminibus, ideo est, quia inde sibi timent majus malum, utpote quia isti malevoli suspiciosi in aliquo insidiabuntur, & adversabuntur sibi: vel quia timent, quod saltem indirectè suas suspiciones aliis revelabunt: ità etiam *Jo: De la Cruz dub.* 2. *c. vers. Ad argumentum* Ubi reiicit dictum *Medinæ in Summa*: uti nimis scrupulosum, quod videlicet, qui habet bonam opinionem de aliquo, & ex levibus indiciis in re gravi deliberatè suspendit actum, peccet mortaliter, ut si censebas Petrum esse nobilem, & quia alius parvæ auctoritatis dixit esse de gente Judæorum suspendis actum. Hoc enim non videtur verum, cum majus sit suspicari quam dubitare, opinari, aut suspendere actum.

805 Dices tertiò. Tunc habetur suspicio, quando aliquis jam non dubitat, nec suspensus est, sed propendet, & inclinat in alteram partem, licet assensum opinativum, & firmum nondum eliciat, & habeat: at vir quilibet bonus acriter ferret talem suspicionem de se haberi: ergo est peccatum lethale. Quod confirmari potest: Quia ob eam suspicionem, justam causam habet quis, ut amicitiam cum amico dissolvat, eumque è numero propriorum amicorum eiiciat: causa autem quæ sufficiens est ad solvendam amicitiam cum aliquo, est etiam sufficiens ad inducendum mortale peccatum: quod patet, quia qui dissolvit amicitiam cum aliquo, judicat hunc beneficiis, & officiis indignum, & sæpè etiam eundem odio habet, ac contemnit, quando autem ob rem aliquam grave damnum imminet alicui, & contemptus illius, ea res utique grave peccatum esse debet; igitur eum ex ea suspicione damnum grave proximo immineat, quale est eum beneficiis, & officiis indignum judicare, utique hujusmodi suspicio peccatum erit mortale. Respondeo cum *Fagund. l. c. nu.* 21. virum prudentem, & probum non laturum id graviter, ut superius ostensum est in secunda ratione. Nec similiter habere illum justam causam dissolvendi amicitiam cum amico, eo quia suspicio ex errore intellectus procedens non tollit ex natura sua bonam alterius famam; nec ex vi illius consequitur odium, aut contemptus, sed ex judicio certo tantummodo: quod si sequatur, ex malitia operantis id erit, non ex gravitate causæ, & natura suspicionis. Ex hactenus dictis.

806 Deducitur primò. Nec temerariam dubitationem esse ex genere suo peccatum mortale, si enim suspicio temeraria non est (ut probatum est) ex sua natura peccatum mortale, multo minus erit dubitatio, quæ propriè tunc datur, cum animus suspensus est, & in neutram partem inclinat; suspicio verò, eum jam animus in alteram partem inclinat, sed vacillanter, & non per verum assensum, hine si notabiliter famam proximi non offendimus per suspicionem, multo minus per dubitationem, seu animi suspensionem. Quod etiam expressè docent *Less. dub.* 3. *c. n.* 28. *Filliuc. to.* 2. *tract.* 40. *in* 8. *Decal. Præcept. lib.* 8. *cap. p. qu.* 6. *n.* 15. & aliis ex supra citatis, cum quibus *Fagund. l. c. n.* 22. Et colligitur etiam ex *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 60. *art.* 3. dum ibi dubitationem sub nomine suspicionis comprehendit, & affirmat veniale tantum peccatum esse, non mortale; levius tamen est veniale peccatum dubitationis, quam suspicionis, quia minus per dubitationem læditur fama proximi, quam per suspicionem, minus enim est dubitare, quam suspicari.

807 Deducitur secundò. Quod cum majus sit judicare quam suspicari, & hoc majus quam dubitare, & opinari; majora indicia requiruntur ad rectè judicandum, quam ad suspicandum, & adhuc majora ad rectè suspicandum, quam ad dubitandum: quare, si fide dignus refert se audisso

disse à fide dignis, alium bonæ famæ furatum esse, poteris suspicari, non judicare. Et si vir timoratus refert hoc de alio non ita bonæ famæ, potes judicare ita esse. At non si loquax, & mendax id referat de viro timorato. Imò non potes suspicari ita esse. Et potest tantum esse bonum nomen ejus de quo ista referuntur, & adeo infamis relator, ut nec dubitare possis. Si verò uterque sit bonæ famæ, *attende* (inquit *Jo: de la Cruz qu. c. versu Nota primò, in fine) circunstantias loci, temporis, &c. ut judices gravitatem indiciorum; & si utrinque apparent æquales rationes, suspende judicium.*

808 Deducitur tertiò. Probabilius item esse nec opinionem temerariam esse ex genere suo, absolutè loquendo, peccatum mortale, seu non esse mortale ex levibus indiciis temerariè malum opinari de proximo: quod enim dictum fuit de temeraria suspicione; idem dicendum venit de temeraria opinione, cum neque hæc sit judicium animi firmum de malo proximi, consequenter non aptum generare malam existimationem illius in mente alterius, quia hoc ipso quod non judicatur res esse certa, non infertur absolutè mala existimatio; & si tale judicium non est aptum generare malam existimationem, nec etiam erit secundum se grave malum, sicque nec injuria gravis, nec peccatum grave, & mortale. Et ità expresśè tuentur *Filliuc. cap. c. qu. 7. n. 16. Less. n. 28. c. Fagund. l.c. n. 23.* & alii: & videtur idem docere *D. Thom. art. 3. cit.* dum ibi comprehendere videtur judicium opinativum in suspicione, cum enim assensus opinativus semper habeatur cum formidine partis oppositæ, & non sit omnino firmus, & certus, ideo videtur voluisse illum sub suspicione comprehendere, de qua dicit S. Doctor esse tantum ex genere suo veniale.

809 Deducitur quartò. Jus proximi non esse, ut nemo de illo ex levibus indiciis malè judicet, hoc enim jus proximus non habet, sed jus tantum habet, ut nemo de illo malè judicet ex levibus indiciis judicio certo, & sine formidine; non judicio opinativo, & cum formidine: neque enim proximus jus habet, ut de illo positivè benè judicemus, sed ne de illo positivè malè judicemus, & qui de altero levibus indiciis malè opinatur, non judicat illum positivè esse malum, sed judicat negativè esse bonum: unde injustè, & irrationabiliter id ægrè feret, qui graviter tulerit; & ita etiam *Fagund. l. c. n. 25.* Sed

810 Dices: Homo eligeret potius amittere decem florenos ex. gr. quam per levissimam etiam causam apud unum, vel alterum bonum suum nomen, etiam negativè: igitur si amittere decem florenos res gravis est, erit & id de quo loquimur. Confirmatur, quia verè majus bonum est, ac nobilius, altiorisque ordinis, bonum nomen, bonaque fama, quam pecunia: ergo etiam levissima boni hominis, famæque jactura etiam negativa gravior erit, quam notabilis jactura pecuniæ. Respondeo: Amissionem boni nominis, & famæ de qua in argumento, ex se, & ex suo genere leve malum esse, nullumque effectum malum graviter post se trahere, atq; adeo nullus hominum prudenter eligeret amittere potius decem florenos, quam illam pati. Et ratio est clara ex superius repetitè etiam dictis: Quia simpliciter tantum, ex levibusque indiciis, suspicari malum de proximo, seu judicium sinistrum, non tamen firmum nec certum de illo ferre, non est læsio nisi levis, imperfecta, &c. consequenter nullum grave malum, nullumque malum infert effectum. Adde quod talis suspicio, ac judicium non firmum oritur ex nostra humana fragilitate, adversus etiam quoscumque, vel Sanctissimos Viros, juxta illud *D. Augustini*, relati à *S. Tho. art. 3. c. Suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus*: ob idque non debet judicari prudenter notabilem læsionem afferre. Ad confirmationem dico: esse quidem famam ex se altioris ordinis, tamen in suo ordine posse esse quandoque levem, ac propterea ejus ablationem sic non esse mortalem. Adde cum *Tambur. in Decal. lib. 9. cap. p. nu. 18.* In hujusmodi rebus moralibus non valere argumentum ab uno ordine ad aliud: aliter modicissimè lædere in honore per levissimam injuriam mortale esset, eo quia honor est ex se nobilioris ordinis, quam sint bona omnia temporalia.

811 Pro timoratis autem, & scrupulosis; Adverto hic cum *Molina de Just. to. 4. tract. 4. disp. 14.* (quod etiam observant *D. Tho. 2. 2. qu. 60. art. 4. ad 3. Cajet. ibi. Sotus lib. 3. de Just. qu. 4. art. 4. ad 3. argument.* & communiter Doctores) in hac re de judicio, & suspicione temerariis, ante mentis oculos habendum esse: aliud esse timere aliquid sinistrum de proximo ad damna vitanda, quæ possent inde sequi, aut ad remedium, vel medicinam adhibendam, etiam culpam puniendo si aliqua intervenisset: aliud verò judicare, & statuere sinistrum quid de proximo. Sæpè enim quando temeritas esset, statuere, ac

judicare tale quid de proximo, eo quia indicia sufficientia non adsunt ad id judicandum, fas, prudentiaque erit id timere, aut id supponere (ait D. Tho.) ac si esset, ad damna vitanda, vel ad medicinam, aut remedium adhibendum. Imò licebit inquirere, expendere, & examinare indicia, nil tamen temerè statuendo, ac definiendo, seu judicando, sed solum inquirendo, & expendendo indicia ipsa quoad eorum probabilitatem: an videlicet juxta ea id esse, aut non esse possit, ut damna vitentur, aut remedium, vel medicina, debitaque pœna adhibeantur. Ex. gr. Hominem vides, quem suus habitus, aspectus, opera, ac verba subindicant esse furem, & si non debeas sententia definitiva id credere, neque etiam suspicari ad nocendum, licet tamen, atque prudentia est, timere ne fortè fur sit, eaque de causa licet etiam tibi domum tuam illi non credere, neque eum in domum tuam recipere. Imo esto nullum indicium, ac inductivum videas, unde suspicari possis illum furem esse, fas tamen, atque prudentia est, accipere marsupium, illudque in secretiori, ac tutiori loco reponere, ne fortè sit fur. Item filiam habes Virginem, de qua, aut de proximo non licet judicare, vel statuere quid sinistrum, dum non adsunt aperta, sufficientiaque indicia, quę id omninò persuadeant, fas erit tamen tibi, prohibere, ac impedire illius colloquium cum aliquo præsertim juvene, non solum quando aliquod est indicium licet leve, alicujus mali, sed etiam quando nullum est tale indicium: prudenter timendo, ac pręcavendo mala, quæ inde evenire possent. Et sic in aliis similibus, innumerisque casibus.

PRIVILEGIUM SEXTUM.

Ignorantia invincibilis rei in se spectatæ, excusat à culpa Judicem sententiam ferentem juxta conscientiæ propriæ veritatem, quæ sibi tanquam Judici, & personæ publicæ innotescit (quæ quidem illa esse videtur, quæ in actis legitimis constat) licet non ita sit à parte rei, & in rei veritate, ut existimatur, ac per sententiam definitur.

812 Procedit privilegium de veritate, quam Judex sequi tenetur tam in causis Civilibus, quàm in Criminalibus. Pro cujus etiam privilegii intelligentia supponendum est primò: Ignorantiam de qua in ipso non opponi scientiæ, quæ necessaria est ad judicandum cuicumque Judici sive Ecclesiastico, sive seculari, & adeò necessaria, ut sine illa actitatum judicium temerarium sit; Et adeò inquam necessaria ut Judex qui officium Judicis Ecclesiastici, vel secularis acceptat sine debita, & sufficienti scientia, sit in statu peccati mortalis, & sub mortali teneatur officium relinquere: secus absolvendus non sit, quod probatione non indiget, cum natura ipsa dictet, & hoc teneant Doctores omnes uti certum, ac manifestum. Unde jure Canonico, atque Civili statutum est (ut videre est apud ipsos, præcipuè *Mirandam de Ordine Judiciali qu. 3. art. 7.*) ut ad præfecturas, sive judicandi munus non assumantur, nisi viri pollentes scientia, & litterarum peritia. Et ex sacris etiam litteris idem deducitur, ut ex illo *Psal. 2. Erudimini qui judicatis terram: Ecclesiastici 18. Ante judicium para justitiam tibi: & antequam loquaris disce:* item *Ecclesiastici 10. Judex sapiens judicabit populum suum. Jeremiæ 3. Dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina*, & alibi. Accedit ratio ipsa naturalis. Quomodo enim justè, quod justum est poterit judicare, qui judicandi laborat inscitia? Hinc *S. Doctor in supplemento 3. partis qu. 36. in Corp.* ait: *Qui aliis præponuntur, sciant ea, quæ ad exequutionem sui ordinis spectant*. Et hinc etiam est commune dictum illud (pro quo etiam idem *S. Doctor. p. 2. qu. 76. art. 3.* & *Didacus Scroi in suo tract. inscripto Lux Prælatorum par. p. proemiali cap. 4. nu. 14.*) *Singuli tenentur scire ea, quæ ad eorum statum, & officium spectant.*

813 Circa quod tamen dictum, in gratiam Judicum refero verba *Joannis Francisci Girago 3. p. dub. 4. n. 24.* quæ sunt sequentia apud *Franciscum de S. Juliano in suo Tribunali Regulari cap. 7. Advertentia 5. §. 2. n. 9. pag. mihi 254. Semper mihi visum fuit durum, illud commune dictum, quemlibet teneri sub mortali illa scire, quæ ad proprium statum, ac officium pertinent, eo quod passim videamus multos evehi ad dignitates, officiaque Judicis, ac Confessarii, non pollentes tanta scientia, ac doctrina, ut dici possit, omnia ad rectè gerendum munus assumptum, eos non ignorare. Imò cum ferè videatur impossibile, communiter loquendo, ut homines præsertim Confessarii (quibus ego addo Prælatos, & Judices) attingant ad omnia, quæ de ratione sui officii, sunt attingibilia, affirmare quod sint in malo statu, temerarium fortè erit; quia etiam opus esset affirmare, quod omnes Christiani, non essent tuti in conscientia, eo quod pauci videantur esse in Christiana doctrina*

na ita versati, ut in quibus possunt delinquere, non ignorent, cum penè infinita sint: ità dictus *Girago*: qui etiam pro hac sententia plures Doctores citat: cui sententiæ accedere videntur *Sanch. lib.p. in Decal. cap.* 16. *nu.* 27. *& Azor. to. p. libr. p. cap.* 16. *qu.* 5. (quos etiam refert, & sequitur *Palao par. p. tract.* 2. *disp. p. punc.* 15. *n.* 6. *vers. Dubitatione tamen, in fine)* dum concedere videntur ignorantiam inculpabilem, seu invincibilem rerum etiam proprium officium, & statum spectantium, sed rarò invincibilem esse (ait *Palaus)* quia rarò desinit quis advertere, se ratione officii aliquibus obligationibus teneri,' quæ cognitio sufficienter viam aperit investigandi obligationem, consequenter, &c. At de hujusmodi inquam ignorantia, ad officium videlicet Judicis, ac ejusdem peritiam spectante, seu ad judiciariam scientiam ipsius pertinente, vel potius debitæ eidem scientiæ se opponente, haud loquitur, nec intendit propositum privilegium, ut supra, sed de ignorantia ipsa rei in se, & à parte, ut infra.

814 Supponendum secundò. Judicem in judicando, ac sententiam ferendo debere utique sequi veritatem, eandemque servare, juxta illud *Zachariæ* 7. *Ait Dominus, judicium verum judicate:* Et omni studio, atque conatu illam inquirere, quia *Judicia Dei (*cujus vices gerit ipse Judex*) vera sunt, ac justificata in semetipsa:* Et quidem, rectam ne sententiam proferet ipse Judex: nisi veritatem illius de quo controversia est, perfectè cognoverit: illamque fuerit in judicando consequutus? Veritas, autemquę ad judicium requiritur, & quæ ad propositum privilegium videtur attinere duplex est: Una est veritas ipsius rei in se, ita ut quod asseritur, id sit à parte rei. Altera est veritas notitiæ, seu scientiæ, vel conscientiæ; & hæc est, cum id quod asseritur sic utique existimatur, seu cognoscitur, licet tamen in rei veritate non sit ità; & hæc rei veritas quandoque ità occulta est, ut nec indagari possit, & soli Deo cognita sit: *Sayr. in Clavi Reg. l.* 12. *cap.* 18. *n. p. &* 2. *Didacus Scroi l.* 1. *cap.* 3. *n.* 8. Certum autem est (inquit *Sayr.*, & cum ipso idem *Scroi)* Judicem in judicando non teneri semper sequi veritatem rei, cum aliquando hæc (ut dixi, & ita est) sit occulta, Deo soli cognita, nec haberi possit, unde sequi debet veritatem notitiæ, & scientię, seu conscientiæ. Et si sic.

815 Certum est propositum privilegium, & ratio est clara, ac evidens ex suppositis: Nam si in judicando non attenditur semper ad rei veritatem, cum aliquando hæc sit occulta, atque adeo tunc invincibiliter ignoretur: tunc etiam à culpa excusabitur Judex sententiam suam ferendo, etiam si hæc à parte rei, & materialiter non sit secundum veritatem: sufficiet enim quod sit secundum conscientiam, & processum ritè, & rectè fabricatum: Ergo &c. Et addo, quod nedum à culpa quandoque excusatur Judex ob ignorantiam, ut in privilegio, verum etiam ab excommunicatione, & censura, ità *P. Verricelli in suis Qq. Moralibus, & Legalib. tract.* 8. *qu. pr. n.* 15. Ubi quærens, *An Violator Ecclesiasticæ immunitatis aliquando excusetur à censuris:* sic concludit (quod facit ut patet ad præsens nostrum propositum.) *Excusantur tamen Judices ob ignorantiam eam non servantes, neque excommunicationem incurrunt, nam rationabiliter putare possunt ex aliqua causa sibi ignota id fieri posse:* pro qua re citat *Valent. to.* 3. *disp.* 7. *punct.* 8. *Reginald. lib.* 13. *n.* 247. *Salas de legib. disp.* 19. *sec.* 4. *n.* 43. *& par.* 2. *qu.* 21. *trac.* 8. *disp. unic. n.* 169. *Azor. to. pr. lib.* 2. *cap.* 19. *qu.* 12. *Dianam par. pr. tract.* 10. *resol.* 3. *& p.* 4. *tract.* 3. *resol.* 14. *&* 22. *Duval. par.* 2. *tract. de legib. qu.* 7. *art.* 2. *Bassæum verbo Consuetudo n.* 16.

816 Hic autem obiter adverto cum *Sayro l. c.* & aliis: quod veritas scientiæ, seu conscientiæ triplex est; Una cum quis novit aliquid veluti Dei Minister in Sacramentali Confessione. Altera cum quis aliquid novit ut persona privata. Tertia cum quis aliquid novit ut persona publica, videlicet per duos, vel plures testes informatos, per semiplenas probationes, per instrumenta, per indicia, & conjecturas, & aliis modis arbitrariis judici in processu ritè formato. Veritas, quam quis in Sacramentali Confessione cognovit, non est attendenda, nec sequenda, quia hæc extra conscientiæ forum revelari non potest *Cap. Omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss. & cap. Si Sacerdos, de Offic. Judic. Ordinarii.* Immò revelando grande sacrilegium committeret. Nec etiam veritas quam Judex novit ut persona privata attendi debet: *cap. Non probibeat de consacrat. dist.* 2. Non enim Judex in judicando sequi debet veritatem quam habet ut privatus, relinquendo veritatem quam habet ut Judex, quia Judex quæcumque ut Judex non cognoscit, ignorat: *Navar. Consil. unico de Offic. Judic. n.* 5. Nam scientia privata non pertinet ad Judicem, qui ex publicis documentis judicare debet.

817 Veritatem igitur illam sequi tene-

tur, tam in causis civilibus, quam criminalibus, quæ sibi tamquam Judici, & personæ publicæ innotescit, quæ quidem illa esse videtur, quæ in actis legitimis constat, licet contrarium ipse tamquam privatus esse certo cognoscat. Unde in judicio condemnare potest eum, quem scit innocentem ut privatus, si legitimè convictus sit. Et quamvis Judex judicare debeat secundùm veritatem. *Deuteron. cap. 17. & cap. Venerabilem qui filii sint legitimi*: hoc tamen procedit quando falsitas testium, vel instrumentorum eidem judici ut judici patet; non autem cum eidem ut privato constat; quia hoc esset perniciosum Reipublicæ: & Judex judicans ex allegatis, & probatis adversus privatam scientiam, judicat secundum veritatem. Judex enim in judicando non fungitur authoritate privata, sed publica, unde judicare debet juxta ea, quæ per scientiam publicam sibi constant, & per consequens, ut Judex est, & non ut privatus. Sed de hac re Doctores *in 8. Decal. Præcept. in Tractatib. Criminalib. De Judice*, & alibi.

PRIVILEGIUM SEPTIMUM.

Qui de crimine occulto, quod non potest probare, alterum accusat, si ex ignorantia inculpabili putet illud probare posse, à peccato mortali excusatur.

818 HÆc tria inter se distinguuntur, denunciatio Evangelica, denunciatio juridica, & accusatio: Evangelica enim denunciatio fit Superiori tamquam Patri, non in punitionem delicti, sed tantum in emendam delinquentis. De qua re Doctores agentes de correctione fraterna. Denunciatio autem juridica fit judici ad delicti punitionem, sine obligatione tamen probandi delictum. Potest hæc fieri sine scriptis: nec tenetur denuncians se offerre ad pœnam talionis. Accusatio verò fieri debet in scriptis, cum obligatione probandi delictum, & subeundi pœnam talionis, idest parem pœnam si crimen probare nequeat. Verum, & si hoc aliàs, etiam in foro Civili observatum fuerit, nunc tamen non observatur; cum enim sit pœna humana, per dissuetudinem (ut notat etiam *Trull. in Decal. to. 2. lib. 8. cap. 2. dub. p. n. 20.*) vim amisit *In foro Sæculari*: tum quia dura, & atrox; tum quia judices eam non exequuntur. Quamquam non propterea Accusator in probationibus deficiens à pœna talionis omninò liber evadit: cum Judex interdum similem pœnam ei imponere soleat, ut plurimum verò mitiorem: quando scilicet bona fide, & non calumniandi animo processit. Dixi *In foro Sæculari*, nam in foro Ecclesiastico, ubi servatur jus Canonicum, necessaria est, ut colligitur *ex Cap. Qualiter, & quando, secundo de accusationib. Less. lib. 2. cap. 30. dub. p. n. 9. Trull. nu. 10. c.* & hodie stante *Bulla Pii V. In ordine V. in Bullario Romano to: 2. fol. mihi* 135. §. 14. *in fine*, pœna talionis est innovata: Voluit enim, & mandavit: *Per calumniam denunciantes ad pœnam talionis teneri*. Includitur autem denunciatio juridica sub accusatione, ideoque & si hæc in rigore ab accusatione distinguatur; passim tamen invicem confunduntur, & pro eodem usurpantur: nam ambæ conveniunt in fine, & eo tendunt, ut delicta ob bonum publicum puniantur.

819 Accusatio autem est delatio criminis (seu Rei de crimine) ad Judicem libello facta, ad vindictam publicam, cum obligatione probandi delictum. Ità communiter D. D. finis namque accusationis est vindicta publica ad exemplum populi, ut omnes sibi caveant. Ad quam accusationem sex requirunt de jure communi Doctores: videantur apud *Lessi. Trullench. l. l. c. c.* & apud alios. Quamque licitam esse (factam tamen servatis servandis) certum est nedum, verum etiam hoc esse de fide existimat apud *Trull. cap. c. dub. 2. n. p. Salon. 2. 2. qu. 68. art. p.* quod probat *ex cap. 5. Levitici. Si peccaverit anima, &c.* Et ex communi usu, & approbatione Conciliorum, & juris, in quo habentur varii tituli de accusationibus. Ratio est, quia accusatio est actus virtutis justitiæ: nam est vindicatio injuriarum ex publica authoritate: igitur si debitis cum circunstantiis fiat, licita erit. Cavendnm tamen maximè est (inquit optimè *Sayr. in Clavi Regia lib. 12. cap. 14. Dub. p. n. 2. Vers. Vera tamen*, & cum ipso *Trull. n. 1. c.*) ne quis ex odio interno, vel alia perversa passione accuset. Unde qui absque odio legis vindictam petit, actum virtutis justitiæ exercet.

820 Ad quem etiam actum potest homo quandoque sub mortali peccato teneri; quando videlicet crimen est contra bonum commune, ità ut graviter noceat Reipublicæ, aut communitati, tunc enim tenetur homo ad accusandum si illud sufficienti testimonio probare possit, *D. Tho. 2. 2. q. 68. art. p.* ibi enim: *Si crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accusationem, dummodo sufficienter*

ter possit probare, quod pertinet ad officium accusatoris, puta, cum peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporalem, seu spiritualem: & idem docent communiter Doctores apud *Trull. l. c. n.* 2. affirmantes teneri hominem, si crimen graviter noceat communi, & probare possit, ad accusandum, seu minus ad denunciandum, etiam si promisisset secretum cum juramento, modo non sit secretum confessionis. Notat tamen idem *Trull. eodem n.* 2. *cum Soto, Rodriq. & Villalobos:* hoc in casu tutum etiam esse in conscientia, & si accusator probare possit, non teneri ad accusandum, sed sufficere si juridicè denunciet. Ratio est, quia sæpè testes retrotrahuntur, & recedunt à testimonio ferendo; consequenter accusator in tali casu deficeret à probatione, & puniretur à Judice. *Si autem sufficientem probationem non possit adhibere* (prosequitur *S. Doctor l. c.*) *non tenetur ad intentandum accusationem, quia ad hoc nullus tenetur, quod non potest debito modo perficere.* Hinc neminem teneri ad accusandum, nisi probare possit, affirmant communiter, & docent absolutè. *Sayr. l. c. dub.* 2. *nu.* 10. *Versu Ad secundum.*

821 Quod adeò verum est, ut *Jo: De la Cruz, in Direct. Conscient. in* 8. *Decal. Præcept. qu.* 3. *art.* 2. *Conclus.* 4. *n* 4 asserat: *Qui accusat alterum de crimine occulto, quod non potest in Judicio probare, peccat mortaliter, & restituet accusato damna secuta. Nisi ex ignorantia inculpabili excusetur putans posse illud probare:* hoc autem ad litteram est nostrum propositum privilegium, ut patet: ergo.

822 An verò hæresis crimen quod spectat ad Sanctiss. Inquisitionis Tribunal, & si sit adeo occultum ut nullo modo probari possit, teneamur nihilominus illud Sacro eidem Tribunali revelare, & delinquentem denunciare? Respondeo affirmativè cum communi Doctorum sententia, quam tuentur *Cardinalis in C. Si peccaverit* 2. *q.* 2. *n.* 29. *Sotus de Iust. lib.* 5. *qu.* 5. *art. p. Carena de Sanctissima Inquisit. part.* 2. *tit.* 9. *§.* 5. *n.* 22. *Sanctarellus De Hæresi cap.* 9. *n.* 10. *Farinacius De Heresi qu.* 197. *§.* 2. *num.* 36. & alii, quos citat, & sequitur *P. Del Bene De Offic. S. Inquisit par. p. dub.* 15. *n.* 3. apud quem *Suarez de fide, disp.* 20. *sec.* 4. *n.* 7. inquit: Quod quilibet sub peccato mortali tenetur revelare hæreticum, quamvis qui revelat, ipse solus sciverit eum esse hæreticum, subditque quod sit communis, & certa sententia Doctorum: & *Farinac. n.* 36. *c. in fine*, testatur, *quod sic passim receptum sit, & servatur in supremo totius Christianæ generalis, & Sanctæ Romanæ Inquisitionis Tribunali.* Accedit etiam *Tolet. in Summ. lib.* 4. *cap.* 5. *n. p. Qui enim sciunt* (inquit) *Aliquem esse hæreticum pertinacem, sive secretum, sive publicum, sub mortali peccato tenentur revelare, & denunciare Inquisitoribus; non denuncians incurrit excommunicationem sæpè ab Inquisitoribus impositam. Dixi tamen, pertinacem; cum enim constat, aut probabile est non esse pertinaciam, sed talem hominem errare ex ignorantia: non est statim denunciandus, sed est semel admonendus: quam admonitionem si spernit, jam visus est pertinax, & denunciandus.*

823 Probatur autem responsio, tum ex Sanctissimæ Inquisitionis praxi, tum ex communi authoritate Doctorum, quos vide latissimè allegatos *à Sanctarello n.* 10. *c. à P. Del Bene eodem n.* 3. *c. à P. Pistacchio De Superstitione cap.* 8. *nu.* 2. & ab aliis. Tum quia talis denunciatio est maximè Reipublicæ necessaria, & ipsimet delinquenti, ergo ad illam tenemur: consequentia sequitur: antecedens probatur quoad primam partem, quia per denunciationem impeditur ne hæresis serpat, & alios inficiat: & facta denunciatione, Judex (ut rectè Doctores infra) potest procedere ad inquirendum de ipso delinquente, & recipere ipsum denunciantem in testem criminis commissi, cum testimonium ejus suspectum esse non possit: si quidem crimen illud non est commissum, in offensam, vel injuriam denunciantis, sed in Creatoris contumeliam, & punitio non tam cedit in commodum denunciantis, quam aliorum. Quo vero ad posteriorem partem, probatur etiam idem antecedens: nam hæreticus, & delinquens (quamvis occultè hæresim manifestet) sciens esse denunciandum, continebitur à crimine, timens correctionem, & supplicium: ergo etiam ipsimet delinquenti denunciatio est utilis, quia sic continetur à peccato committendo, & à peccato commisso via hac revocari potest. Sed

824 Dices. In eadem causa idem nequit esse simul actor, seu accusator, & testis ex probatis per *Bordon. p.* 3. *Resol. ref.* 101. *q.* 9. *n.* 52. *& ref.* 103. *n.* 83. *Peyr. in Formul. lit. D. Cap.* 2. *Not.* 7. *nu.* 9 & per alios ac per *Jura* (apud eosdem) ex quibus expressè habetur, quod Judex, & accusator sint inhabiles, quod possint simul esse testes: ergo neque esse potest idem simul denunciator, & testis: *Peyr. l. c. cum Cajet. Valent. Abbate, Arragon. & Maldero.* Ergo non rectè

rectè dicitur in probatione responsionis, quod Judex possit procedere contra delinquentem assumendo denunciantem ipsum in testem criminis commissi. Denunciator enim idem est ac accusator, & uterq; tenetur probare querelam per medium à se distinctum, ipse enim non probat per se, sed per testes: & ad judicium rectum quatuor personæ requiruntur, Actor scilicet, Judex, testis, & reus; neque ullus horum potest duorum personam agere, vel in eadem causa duplex officium habere. Adde quod præsumptio stat contra denunciantem instantem, ut denunciatus puniatur, ergo non potest esse testis, cum eadem præsumptio vigeat contra ipsum, non enim ex diversitate officiorum mutatur affectus præsumptus contra denunciatum.

825 Respondeo cum *Bordono res. 101. c. nu. 53.* & cum aliis infra, quod eadem persona, quæ denunciat, assumi potest ut testis in eadem causa, quando aliquo edicto, & sub pœnis quis cogitur ad revelandum ea, quæ scit contra aliquem: ità ut denunciando, prosequatur non propriam, sed communem toti Reipublicæ causam: tunc enim ratio nulla suadere potest Judicem, denunciatorem, esse, vel præsumi debere malè affectum contra denunciatum, sed præsumere debet delictum proximi sui revelare, compellente conscientia, ut præcepto satisfaciat, sicque pœnam evitet sive corporalem, sive spiritualem: item præsumere debet, quod intendat denunciator decretis, præceptisque obedire, ut bono publico consulatur, &c. hinc assumi etiam potest ut testis. Quod etiam communiter probatur *ex Cap. 4. In omni negotio. De testib. & attestationib. Tit. 20.* ubi dicitur id expressè his verbis: *Principalis persona dicens veritatem de re sibi nota, rectissimè habenda est pro teste, cui adhibito uno efficiuntur duo testes:* ibique *Paschalis Papa* ex Evangelio id probat. *Adhibe tecum unum, vel duos testes, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Igitur corripiens fratrem suum per denunciationem computatur inter testes, aliter in ore duorum, vel trium testium non staret omne verbum. Et *Glossa ipsa in principio*, ait: Quod, *In hoc Capitulo traditur forma secundum quam debet aliquis denunciare crimen alterius.* Unde *Navarrus in Man. cap. 25. n. 33. in fine:* sic: *Dicitur posse probare, si habet unum testem integrum: quia denunciator in hoc judicio locum alterius testis tenet. Cap. In omni, de testibus.*

826 Confirmatur, quia distinctio personalis denunciatoris à teste non est *de jure naturali, aut gentium*: nec etiam *de jure divino*, ut docet *Less. lib. 2. cap. 30. dub. 4. n. 29. & 30.* & cum ipso *Bordon. n. 53. c.* ubi & alios allegat. Nam *Deuteron. 17. & 19.* non requiritur accusator à teste distinctus, ut possit quis condemnari ad mortem; & *Matth. 18. 15.* qui corripit fratrem, & postea illum denunciat Ecclesię, testis vocatur, & pro teste etiam habetur: quod patet ex ipsius Domini verbis, dum ait: *Corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Si enim unum adhibes, jam estis duo testes: si duos, estis tres: ipse ergo, qui accusat, vel denunciat, testis est, si deponat eo modo, quo testis debet: & satis unum huic accedere: hinc patet *Jure Divino* non fuisse necessarios duos testes, præter accusatorem, vel denunciatorem; sed unum fuisse satis, si ipse ut testis poterat deponere. Et satis esse loquendo de denunciatione in causis Sancti Officii, & denunciatione hæretici; præterquamquod id constat ex generalissima consuetudine Sanctissimæ Inquisitionis, in qua denunciator quoad reum habetur etiam loco testis, & in testem assumitur à Judice (ut notant *Simancha tit. 19. n. 17. & tit. 64. n. 55. Catholic. Justit. Palao p. p. n. 4. disp. 8. punc. 3. nu. p.* & ex ipsis etiam *Carena de Inquisit. par. 3. tit. p. §. 3. nu. 20.* Unde si calumniator appareat iste denuciator, inquit *Palao n. 1. c.* puniendus erit, uti falsus testis puniri solet) id etiam docent *Repertorium Inquisitor. in verbo Accusatio, vers. Sed utrum idem, Farinac. de hæresi qu. 185. n. 32. & 65. Sousa lib. 2. cap. 4. n. 2.* advertens *nu. 8.* quod denunciator non tenetur probare suam denunciationem, sed sufficit ei dicere, se denunciare zelo fidei, vel metu pœnæ: ita ipse aliis citatis. Et hinc est, quod quando denunciator cogitur sub pœnis ad denunciandum, & revelandum, (ut in casu nostro) assumi etiam potest in testem, ut supra. Quando vero solum admonetur, & non obligatur à superiore ad denunciandum, in hoc casu si denunciat spontè, comparatur cum accusatore, consequenter non potest assumi in testem, quia contra eum præsumi potest denunciasse non zelo justitiæ, sed aliquo interesse: ità etiam *Bordon. res. 101. c. n. 56.* At quia in causis Sancti Officii denunciator cogitur, habetur loco testis, qui per se probat, in quantum onus nullum habet probandi quod deponit in S. Officio, cum id munus spectet ad Judicem providendo sibi de probationibus:

bus: idem *Bordon. ref. c. n.* 53. *in fine*, *cum Carena §.* 3. *c. in princip. n.* 19. ubi: *Cum denuncianti non subeat onus in se probandi, sed Judici omne onus remittat. Pegna, Farinac. Ludovicus à Paramo, Palao, Sousa* apud eundem *Carenam*; aliiq; ex superius etiam allegatis.

827 Non obstat igitur traditæ nostræ resolutioni, ac doctrinæ lata differentia, quæ asseritur inter accusatorem, & denunciatorem: accusator namque quatenus talis, ut communiter allegati, præsertim *Bordon. l. c. num.* 54. ordinariè prosequitur suam, aut suorum causam, punitionem sui inimici præcipuè intendendo, consequenter cum præsumatur procedere potius ex odio, quam justitiæ zelo, non dicitur fidem habere apud Judicem, consequenter neque in propria causa testis vicem gerere potest, cum nemo in propria causa præsumatur testis idoneus; & neque in causa communi, quando agitur principaliter de ejus interesse, ex probatis per eundem *Bordon. ref.* 103. *nu.* 114. unde per testes propositam querelam probare debet. At Denunciator, in casu nostro, nullam prosequitur causam propriam, sed communem toti Reipublicę, hinc nulla ratio valet suadere Judicem, denunciatorem præsumi malè affectum esse contra denunciatum, sed sui proximi delictum revelare conscientia propria impellente, ut præcepto satisfaciat, & pœnam tum spiritualem, tum temporalem evitet, ut etiam supra diximus. Hinc patet quod denunciator cogitur ad denunciandum, & revelandum: accusator verò à nemine cogitur, sed spontè sua agit ad delinquentis punitionem: denunciator intendit obedire, ut bono publico consulatur: accusator spontè agit, ut injuria sibi illata à Judice vindicetur; ac per hoc inde etiam differt denunciator ab accusatore, quod ille non habet onus probandi per tertium, idcirco seipso probat: iste verò onus habet probandi per tertium, neque reiicit onus in Judicem, uti facit denunciator, cui per denunciationem simul testificari sufficit; quæ omnia sequuntur ex dictis, & recenset *Bord. n. c.* 54. Sed contra

828 Instabis *Ex Umberto Locato in Praxi Judiciaria Inquisitorum, verbo Denunciatio in princip. & Repertorio Inquisitor. Verbo eodem, Versu Anteo ipso*. Qui denunciat debet suam denunciationem probare, & ei assistere, cum talis loco accusatoris habeatur: *ff. ad Turpillian. l. ab accusatione, §. enunciatores, arg. C. de edendo l. qui accusare.* Et eo ipso quod denunciator non probet, convincatur propterea de calumnia, *Abbas in cap. dilectus de calumn.* ergo. Respondeo cum *P. Del Bene dub.* 15. *cit. nu.* 8. Esto etiam deberet de jure denunciator probare denunciationem, de consuetudine tamen contrarium servatur, *ex cap. Super his, de accusation.* Et merito, nam dicet Denunciator, se delictum manifestare motus zelo boni communis, quod præsertim in delicto hæresis locum habet, ob ejusdem gravitatem, & communis damni periculum. Et hoc idem est quod docet *Eymericus in Direstor. Inquisitor. par.* 3. *Rubr. De secundo modo procedendi in causa fidei per denunciationem, n.* 68. *in princip. fol. mihi* 283. dum ibi asserit: quod in denunciatione non est necesse, quod denuncians offerat se probaturum, vel velle facere partem in judicio, sed sufficit dicere, quod solum denunciat vel zelo fidei, vel timore pœnæ contra non denunciantes inflictæ. Et *Pegna in additionib.* 3. *par. ejusdem Director. Inquisit. Schol. seu Comment.* 15. *Versu His. peractis, fol. mihi* 126. ait: Quod quamvis de jure (ut in Instantia) denunciando teneatur probare ea, quæ denunciator asservit, *l. divus, &c.* hodie tamen contrarium servatur, *ex Angelo, Saliceto, & Mariano Soccino in locis per eum relatis*. Et ita pluries decisum fuisse testatur (apud *Del Bene n.* 8. *c.*) *Trivisanus Decis.* 51. Et ita etiam servari in supremo totius Christianæ Inquisitionis tribunali, innuimus supra, teste *Farinac. De hæresi qu.* 197. *§.* 2. *n.* 36. *in fine*, qui etiam antea dixerat: *Generaliter, in hoc crimine hæresis denunciator non tenetur suam denunciationem probare*: sic *qu.* 185. *De hæresi §.* 5. *n.* 73. *in fine*: nec dissentit *Ludovicus à Paramo de Origine S. Inquisitionis l.* 3. *qu.* 8. *n.* 21. *&* 22. ubi pariter dicit: quod denunciator non tenetur verificare suam denunciationem, & non verificando non punitur. Dicere enim etiam potest se denunciasse, eo quia per D. D. Inquisitorum edicta sub pœnis in eisdem edictis contentis strictè præcipiatur, ut quilibet hæreticum, sive publicum, sive occultum revelare teneatur. Quod originem duxit à Jure communi, ut *ex cap.* 2. *de hæretic. & ex cap. Quapropter* 2. *qu.* 7. tum *ex Constitutionibus Pontificiis*: ut *ex Constitut. Nicolai III. Noverit Universitas, edita anno* 1251. *& Innocentii IV. Noverit Universitas, edita anno* 1254. apud *Pegnam post Directorium, inter literas Apostolicas fol. mihi* 19. in quibus ambabus constitutionibus sic præcipitur: *Si quis hæreticos sciverit, eos studeat indicare Confessori*

fessori suo, vel alii, per quem credat ad Prælati sui, & Inquisitorum hæreticæ pravitatis notitiam posse pervenire, alioquin excommunicationis sententia percellatur. Et ex *Constitut. Alexand. VII. edita die 8. Julii 1660. quæ incipit: Licet aliàs, & est 98. hujus Pontificis in to. 5. Bullarii Romani fol. mihi 322.* in qua districtè mandat, ut tam hæreticus, quam quilibet alius quomodocumque, vel levissimè de hæresi suspectus, Locorum Ordinariis, aut Inquisitoribus, nulla præmissa correctione, denuncietur. Hinc in materia hæresis, vi hujus Decreti, non admittitur correctio fraterna ut patet, & idem dicitur de suspectis de hæresi (ut in ipso) tum quoad denunciationem (quod docuit etiam ante hujusmodi *Alexandrinum Decretum, Carena de Inquis. par. 2. tit. 9. §. 5. n. 22. in fine, allegans Dianam par. p. tract. 4. ref. 24.*) tum quoad fraternam correctionem. Quod pariter videtur statutum per Inquisitorum edicta (ut inter alios notant *Diana to. 5. Coord. tract. 9. ref. 68. n. 3. ex p. 9. tract. 8. & Miscell. 3. ref. 46. & Del Bene de Inquis. par. p. Dub. 17. n. 19.*) quibus præcipitur quod hæreticus in omni casu, quamvis delictum sit occultum, quamvis non alius præter eum, qui denunciat, sciverit, & quamvis si secreto corrigatur, sit spes emendationis, denuncietur: Quæ edicta (maximè post adductum *Alexandrinum Decretum*) cum sint in materia magni momenti, certè obligant sub mortali.

829 Et quamvis inquam delictum sit occultum, nec ullus alius sciverit præter eum, qui denunciat, hæreticus tamen talis, vel de hæresi suspectus, juxta citatum *Alexandri Dceretum*, denunciari debet, quia sicut notat *Umbertus c. V. Denunciatio*, & cum ipso *Farinac. de Hæresi qu. 185. §. 5. n. 64. & Del Bene par. p. c. dub. 15. n. 8. in fine*. Simplex denunciatio sola sufficit ad inquirendum, juncta autem cum fama sufficit etiam ad torturam. Unde fit, quod licet denunciator probare non possit delictum, per illam tamen simplicem denunciationem diligentia, & inquisitione Dominorum Inquisitorum, & etiam aliis revelationibus, seu denunciationibus advenientibus, delictum illud probabitur in beneficium fidei, & Religionis, ac totius Catholicæ Christianitatis.

830 Ratio autem cur omittenda sit correctio fraterna in peccato hæresis, est, quia cum peccatum hæresis sit valdè grave, & de facili totum regnum inficiat, rarissimeque contingat, quod hæreticus per secretam admonitionem corrigatur; si enim non audit Ecclesiam, multo minus personam audiet particularem, & cum insuper possit fingere se resipuisse, & tamen adhuc in eadem voluntate prava persistere, non potest, nec debet quælibet persona particularis dijudicare, & discernere, an re vera secuta sit emendatio, an verò solum fingatur. Igitur potest hanc cognitionem Ecclesia sibi reservare, & non concedere, quod quælibet persona particularis possit de hoc judicare, sed debeat hoc crimen statim, omissa omni correctione fraterna, Sacræ fidei Inquisitoribus denunciare. Adde primò, quod & si in aliquo casu delinquentis emendatio speretur, secreta correctione fraterna, regulariter tamen credendum potius est se dissimulaturum correctum, ut sic facilius delinquat, & errores diffundat, at ob hoc periculum boni communis potest Ecclesia præcipere, uti de facto præcipit ex dictis, ut sibi immediatè denuncientur delicta: Ergo posito tali præcepto (quantumvis in aliquo casu particulari speretur correctio) tenemur peccatum hæresis, omissa correctione fraterna denunciare; quia non cessat finis legis absolutè, & in universali. Addo secundò, quod secundum classicos, ac primarios D. D. qui scripsere ante relatum *Alexandrinum Decretum*, debet denunciari hæreticus occultus, etiam si fuerit emendatus. Ergo multo magis denunciari debebit si non emendatus. Denunciari autem modo debet, quamvis emendatus, & occultus, quia sic præcipit in dicto suo Decreto Summus Pontifex D. N. Addo tertiò, firmam Doctorum sententiam, absolutè asserentem (etiam ante Decretum *Alexandri VII.*) denunciandum esse immediatè hæreticum occultum absque prævia ulla correctione fraterna, ut videre est apud *Dianam to. 5. Coord. tr. 9. ref. 3. 4. 5. & 68. ex par. p. tr. 4. ref. 2. ex par. 4. tr. 5. ref. 24. ex par. 7. tr. 3. ref. 63. & ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. ref.* 46. & apud *Del Bene dub. 17. c. &* 18.

831 Neque huic doctrinæ, aut præcepto obstat Christi Domini præceptum de correctione fraterna præmittenda: tum quia præceptum Christi Domini est de peccatis, quæ non vergunt in damnum commune, vel tertii, sicut satis constat ex verbis illis: *Si peccaverit in te frater tuus:* tum quia (ut optimè *P. Del Bene dub. 17. c. n. 24.*) loquitur Christus Dominus rebus spectatis secundum se; secus autem si ob bonum commune lata sit aliqua lex (ut in casu nostro) quæ casus communiter contingentes respiciat: tunc enim particulari bono præferendum commune, & potius curandum vitare boni

re boni communis periculum communiter contingentis, quam in uno, vel in alio casu vitare damnum alicujus delinquentis particularis. Tum etiam quia, Christus Dominus loquitur ibi de correctione, quæ fit solum, ut frater emendetur, ut apparet ex verbis illis: *Si audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Hinc D. Augustinus in eadem verba inquit quod correctionis finis sit emendatio fratris, & ejusdem utilitas: uti etiam habetur *in cap. Novit, de judiciis, cap. Super his, de accusat., & cap. Si peccaverit 2. qu. p.* In hujusmodi correctione servari utiq; debet ordo ille à Christo Domino præfixus, cum secreta admonitio sufficiat, quod frater emendetur. At nos hic loquimur de denunciatione judiciali, quæ fit, ut delinquens publicè puniatur ut alii abstineant, & ut peccatum non inficiat alios. Quapropter *Tertullianus de præscript. cap.* 16. expressè docet, quod in hæreticis locum non habeat præceptum Domini de ordine servando quoad fraternam correctionem. Et *D. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 7. ad 3.* dicit: *Quod quando imminet periculum multitudinis* (uti imminet in hæresis delicto) *non habent ibi locum verba illa Domini, quia tunc frater peccans non peccat in te tantum*: nec consequenter tale delictum reputari debet privatum, seu secretum, sed ex vi objecti tanquam publicum, cujusmodi est delictum hæresis, cum ipsummet repugnet Deo, & communi, ac universali fidei, atque fidelium bono, quod præferri utique debet bono particulari, quod provenire posset ex correctione fraterna, atq; adeò illa omissa in omni casu, hæreticus etiam occultus denunciari debet, quia major ratio habenda est ad bonum commune universaliter, & spirituale, quam ad mala, & incommoda, quæ pati potest ob gravissimum suum delictum persona particularis. Adde quod hoc etiam redundat in bonum ipsiusmet personæ particularis, scilicet hæretici, nam sciens (quantumvis occultè hæresim manifestet) esse utique denunciandum, omissa etiam correctione fraterna, & secreta, continebitur à crimine timens correctionem supplicii, sicque, vel resipiscet, vel saltem minus peccabit.

832 Et si opponas quod dicitur *Ad Titum 3. Hæreticum hominem post unam, aut alteram correctionem devita*: & exinde inferas, quod antequam denuncietur admonendus sit. Negatur hujusmodi illatio: Quoniam Apostolus ibi scribit, non ad quamlibet privatam personam, sed ad Titum Episcopum, cui ex officio incumbebat hæreticum hominem corripere, & per excommunicationis sententiam reiicere, devitare, & prohibere ne fideles cum illo, si post admonitionem non resipisceret, ullam communicationem haberent, & ità explicant dicta verba *Lyranus, S. Thomas*, & alii, quos sequitur *Simancha de Catholicis Instit. tit. 19. n. 14.*

833 Limita traditum præceptum, & obligationem denunciandi immediatè, omissa etiam omninò correctione fraterna, hæreticum occultum, si talis tamen sit cum pertinacia; nam si erret non ex pertinacia, sed solum ex ignorantia, non est statim denunciandus, sed admonendus cum *Toleto* ubi supra; quod si spreverit admonitionem, jam erit pertinax, & denunciandus; quam limitationem dat etiam *P. Del Bene dub. 15. c. n. 4. in fine*: extendens illam *n. 5. sequenti in princip.* ad eum etiam qui facit actum aliquem contra fidem, sed similiter constat, vel probabile est, quod id ex metu, vel ex alia passione fecerit; nec enim talis (inquit) similiter statim denunciandus est, quod advertit etiam *Tolet. ubi supra, cum Alphonso de Castro libr. 2. de Hæreticor. punitione cap. 26.*

834 Quæres, an denunciandus sit hæreticus, etiam si illius hæresim sciam sub magno secreto, etiam jurato: Respondeo affirmativè, etiam si ille diceret: manifesto tibi hoc sub sigillo Confessionis. Nam hæc manifestatio nec est Confessio sacramentalis, nec fit animo confitendi, ut notant *Navarrus, Cajet. Sotus, Suarez, Sanctarellus*, & alii allegati *à Carena, & cum ipso par. 2. tit. 9. §. 5. n. 22.* Secus vero si quis manifestaret suum crimen hæreticale in Confessione Sacramentali, tunc enim non posset Confessarius illum denunciare, ut Theologi docent omnes, præcipuè *Scotus in 4. dist. 21. qu. 2. ad 2.* id enim quod scit Confessarius in Confessione non scit ut homo, sed ut Dei Minister, de quo nec debet, nec potest testimonium ferre, nec quid dicere, *D. Tho. 2. 2. qu. 70. art p. ad 2.* alioquin confessio redderetur odiosa, & ab illa retraherentur homines. Verum si accederet ad Confessarium, non animo confitendi peccati, sed pervertendi, & inducendi illum ad simile crimen committendum, teneretur Confessarius illum denunciare, quia hæc non esset Confessio Sacramentalis, sed modus occultus dogmatixandi. Ita *Genuensis in Praxi Archiepiscop. Neapol. cap. 18. n. 16. Carena l. c. n. 21. Pistacchius n. 2. c. in fine*: & alii

835 Probatur responsio, tum quia (ut opti-

optimè etiam *Sanctarellus n.* 10. *c.*] alioqui præceptum de manifestando hæreticum occultum esset inutile, cum quilibet sub tali secreto possit alteri detegere suam hæresim, ad eamque trahere; tum quia Superiores justissimis de causis præcipiunt, ut hæretici denuncientur, quamvis occulti, atque de hoc Edicta, Decreta, & leges ferunt, ergo nullum secretum humanum impedire potest, ne hæretici denuncientur: Omne enim aliud secretum, excepto secreto Confessionis, est merè humanum, & ex privato pacto, vel expresso, inter loquentem, & audientem nascitur, & idcircò non potest obstare legi Superioris præcipienti denunciationem. *Farinac. De hæresi qu.* 197. *§.* 2. *n.* 50. *Sanctarellus nu.* 10. *c. Carena n.* 22. *c. cum Suar.*, & aliis ibidem: tum quia quilibet tenetur, quæ sibi sub secreto commissa sunt, revelare, si vergant in damnum publicum, vel tertiæ personæ in futurum imminentis, ut docet *S. Thom. l. c. ad secund. argum.* communiter receptus. At hæresis vergit in damnum publicum; ergo: tum quia hæretici denunciatio fit ob bonum commune, & spirituale, & servare secretum, in casu nostro, ordinatur ad bonum privatum, & temporale, ergo heretici denunciatio anteponenda: tum tandem quia hic agitur de vitandis malis gravibus, & de eripiendo hæreticum ipsum à gravissimo peccato, & de consulendo communi fidelium bono, cum ergo hęc sint rebus omnibus anteferenda, lex de denunciando hæreticum, tanquam fortior, vincit legem de servando secreto, ita etiam *Sanctarellus n.* 10. *cit.*

836 Et responsio, ac doctrina tradita vera est etiam quando quis sub juramento promisit se non revelaturum. *S. Thomas l. c. ad* 2. *Farinac. n.* 50. *c.* ubi, quod hujusmodi juramentum non sit obligatorium, pro qua re *jura*, & Doctores allegat *Sanctarell. n.* 10. *c.* in quo abundantius idem facit, & communiter. Ratio autem est, quia tale juramentum est de re mala, & contra bonos mores, ergo non est obligatorium, nec servandum; nec enim juramentum esse debet vinculum iniquitatis. Deinde tale juramentum includit tacitam conditionem, nisi Superior aliud præceperit, alioqui esset iniquum. Hinc *Sanch. tom.* 2. *Consilior. lib.* 6. *cap.* 2. *dub.* 21. ait: In quibus casibus quis testificari, vel denunciare tenetur, vel quando à Superiore jubetur, ad id tenetur, non obstante juramento. Quia si quoad istos casus voluit jurare, temerè, & illicitè juravit. Unde juramentum est nullum, & in tali juramento, quod ultro fit, potius invenitur temeritas, quia fit quasi in odium testimonii, quæ non sic invenitur in fide, quæ simpliciter præstatur de secreto servando, quæ ad charitatem, & pacem est necessaria: sic ille cum *Sylvestro*, *Angelo*, *Navarro*, *D. Bonaventura*, & aliis. Præterea, Edicta, & leges feruntur, ut hæretici etiam occulti denuncientur: at leges, & edicta publica, pactis, & promissionibus privatorum mutari non possunt, ex claris juribus adductis *à Sanctarello l. c.* ergo: & hæc eadem doctrina vera est, quando etiam quis alteri diceret: *Manifesto tibi hoc sub Confessione*; nam etiam hoc in casu teneretur homo revelare, & denunciare occultam hæresim, quia talis confessio non est Sacramentalis, nec ille habet animum confitendi: ita idem *Sanctarell. n. cit. in fine*: & ibi *Cajet. Navarr. Sotus*, *Arrag. Victor*, & *Armilla*.

PRIVILEGIUM OCTAUM.

Quando testis juridicè interrogatur, & is etiam sub mortali (in responsione) revelare Judici delinquentem, ac delictum tenetur; ab eodem mortali, non revelando, excusatur secundum plures D. D. probabiliter si sciat eum deliquisse ex ignorantia inculpabili: ut cum occidit hominem putans esse feram.

837 ITà expressè *Petrus à S. Joseph in Summula Casuum Conscient. in VIII. Decal. Præcept. cap.* 8. *De Testibus*, *art.* 3. ubi de teste ait: *Nec hujusmodi personas Judici manifestare debere, si sciat ex ignorantia factum; ut cum quis occidit hominem putans esse feram. In his enim* (subjungit) *similibusque casibus, non teneris revelare*. Hujus autem privilegii ratio est. Quia quantumvis Judex testem juridicè interroget de aliquo delicto ab alio perpetrato, quod quidem delictum licet ex se sit grave peccatum, nihilominus scit testis, reum fecisse ex ignorantia invincibili (vel ex justa defensione, aut alia legitima causa, illum coram Deo à culpa gravi excusante) absolutè potest idem testis occultare reum, aut veritatem illius facti, intra se intelligendo (sicut subintelligere potest) factum illud non commisisse per modum delicti: hoc enim est, quod Judex intendit scire, & punire. Unde absolutè, inquam, respondere potest cum eodem *à S. Joseph l. c. Se id nescire ità ut teneatur revelare*: quæ responsio videtur esse ad mentem Judicis, ut etiam infra.

infra. Verum quidem est quod si testis deponendo, probare, & tueri posset innocentiam Rei suppositi, teneretur utique veritatem fateri, & illicò ostendere probationem innocentiæ illius; at cum hoc plerumque sit factu difficile, absolutè negare potest. Quod docet etiam *Less. lib. 2. c. 31. dub. 3. n. 14.* sic ibi dicens: *Adverte, si Judex quærat de facto quod absque culpa, saltem lethali, patratum est, si v.g. occidisti Petrum te invadentem cum justa moderatione, vel absque notabili excessu, non teneris fateri te occidisse, etiam si de te sparsa sit infamia: nec Testis tenetur illud Testari, quia Judex quærit de occisione criminosa: & si fatereris, nec posses probare te causa necessariæ defensionis fecisse, condemnaret te homicidii ex falsa præsumptione. Pari modo, si tu non es author criminis, non teneris fateri aliquas circunstantias, ex quibus oriretur vehemens suspicio te esse authorem, v. g. hunc esse tuum pugionem: te eo loco fuisse, &c. quia ipsius interrogatio, & si juridica sit, tamen ex falsa præsumptione procedit*; ita *Less.* cui addo *Salon. 2. 2. qu. 64. artic. 2 Malderum 2. 2. qu. 69. tract. 3. dub. pr. Portel. in Dub. Regul. Verbo Juramentum in Additione, num. 16. Villalob. tract. 16. diffic. pr. num. 10. Thomas à Jesu tract. 3. cap. 10. n. 4. Urbanus ab Ascensione in sua Theol. Morali, ac Canonica tract. 3. cap. 14. Stephanus à S. Paulo in sua Theologia Morali tr. 4. de Jure, & Just. disp. 10. dub. 4.* quos allegat, & sequitur *Petrus ab Angelis De Judice Regulari par. p. cap. 18. n. 3.* apud quem doctrina hæc est communis.

838 Cui doctrinæ non obstat, quod testis juridicè interrogatus tenetur sub mortali veritatem respondere, ex Doctorum communi, cum *D. Tho. 2. 2. qu. 70. art. p.* aliàs non possent puniri delicta, ex quo innumera mala Reipublicæ obvenirent. Concedimus enim & nos, testem ad id teneri, *per se tamen loquendo*, ut optimè etiam *Jo. la Cruz Director. Conscientiæ par. p. & in 8. Decal. Præcet. q. 3. ar. 4. dub. 13. concl. 3. nu. 3.* Nam non tenetur testis veritatem respondere in aliquibus casibus, præcipuè in casu hujus privilegii. Quam si Judex sciret, non posset eum interrogare, & si tunc id faceret non juridicè interrogaret, sed peccaret, ait idem *La Cruz l. c. n. 4. in fine, cum Bannes*; nisi excusaretur ex ignorantia, &c. In dictis igitur inquam eventis, similibusque casibus potest testis licitè, ac tuta conscientia veritatem occultare: sicque etiam in casu nostri hujus privilegii, in quo ex doctrina allegati *De la Cruz qu. 3. c. art. 3. dub. 8. Conclus. p. n. p.* potest testis, sicuti & reus, dicere non feci, non dixi, &c. cum sic verum dicat juxta mentem Judicis interrogantis. Nam interrogatio Judicis terminatur ad reum de crimine, sed occisor, v. g. in casu nostro non est reus (ut supponitur) de occisione, ob inculpabilem ignorantiam, vel quia fuit necessaria pro sua licita defensione, ergo. Hinc quoties reus etiam non potest suam probare innocentiam (ait idem met) & si alias à Judice ob ignorantiam sine peccato interrogetur, potest reus (potest utique & testis) occultare veritatem. Ut si Petrus occidit suum invasorem cum debito moderamine, & interrogatus, an illum occiderit, nec potest probare tale moderamen, licitè dicet, non occidi; & sic etiam testis dicet licitè, non occidit. Quia inquam interrogatio Judicis, ad reum de crimine terminatur, Petrus autem non est reus de occisionis crimine. Idem docet *Trull. in Decal. to. 2. lib. 8. cap. 4. dub. 2. n. 3.* loquens ibi tum de teste, tum de reo, qui non tenetur [inquit] fateri Judici se occidisse, si homicidium à se patratum sit absque culpa saltem lethali; ut si in sui defensionem occidit: Judex enim quærit de criminosa occisione, &c. sic ille *n. c. in fine*. Hæc tamen refero, non quia intendam ego probabilia esse in sententia propria, tantummodo in opinione citatorum Doctorum, uti sic etiam & privilegium ipsum (ut patet) propono, cui postea absolutè non subscribo, nec adhæreo, imo oppositum sentio, & affirmo; nec illud in praxi consulendum esse dico, quia pura, simplexque, ac nuda veritas aperienda semper est Judici, à quo etiam æqua, & justa sententia expectanda est, quam utique talem feret, prout videlicet, secundum rectam suam conscientiam coram Deo, post invocationem Spiritus Sancti, & secundum allegata, & probata, bene judicabit, &c.

PRIVILEGIUM NONUM.

Testis, qui in præjudicium tertii falsum deposuit ex ignorantia, & inadvertentia non damnabili, excusatur tum à reatu lethali, tum à restituendi obligatione ex justitia.

839 CAjetanus *2. 2. qu. 70. art. 4. in princip.* proponit, & approbat hoc idem privilegium: do ejusdem verba. *Quid debet facere testis, qui præmissa debita diligentia testatus est falsum, deceptus à sua memoria, & propter suum testimonium alter est condemnandus, aut condemnatus? Ad hoc dicitur, quod cum dictus testis non teneatur ad re*

 stitu-

stitutionem ratione rei habitæ, ut patet, quia non est testis in causa propria: nec ratione actionis injustæ, quia non perfectè, & formaliter injustum testimonium tulit: nec ex ignorantia damnabili, consequens est, quod sicut excusatur ab offensa Dei in falso juramento, ita excusatur ab offensa proximi in nocumento subsecuto. Sic *Cajetanus*: quem sequuntur *Less. lib. 2. cap. 30. dub. 7. n. 55. Filliuc. to. 2. tr. 40. cap. 8. qu. 11. n. 253. Petrus Navarr. De Restit. lib. 2. cap. 3. n. 255. Sanch. Consilior. to. 2. lib. 6. cap. 5. dub. 21. num. 3. Diana to. 6. Coordin. tract. p. resf. 92. & 93. ex p. 3. tract. 5. & Miscell. p. resf. 106. aliàs 105. ex p. 4. tr. 4. & Miscell. resf. 99. Pitigianus in Pract. Crimin. Canon. de Testib. cap. 6. fol. 193. Becanus in 2. 2. D. Th. de Just. & Jure qu. 70. de Testib. qu. 5. allegati à Diana. Trull. in Dec. to. 2. lib. 8. cap. 3. dub. 7. n. 2. Fagund. in Decalogum to. 2. in 8. Præceptum lib. 8. cap. 42. n. 5.* & alii. Sub una eademque *Cajet.* data ratione, & cum ipso privilegium propositum admittentes. Quia videlicet dictus testis non tenetur ex obligatione justitiæ ratione rei acceptæ, cum nihil habeat: non ratione injustæ acceptionis, cum nihil accepit: non ratione injustæ damnificationis, eum falsa eiusdem depositio fuerit involuntaria ignorantiæ inculpabilis causa, & saltem lethaliter non peccaverit, ut supponimus: Valde autem probabile est ex his quæ habet *Less. lib. 2. cap. 7. dub. 6.* neminem teneri ex damno illato, quando in illo inferendo mortaliter non peccavit. Cum igitur non appareat aliud principium ob quod dictus testis ad restitutionem ex justitia obligandus sit, censetur fortuitò accidisse damnum subsecutum, ac præjudicium, atque adeo verum privilegium propositum.

840 Dicit privilegium, testem excusari nedum à culpa, verum etiam ab obligatione restituendi, nec teneri ex justitia resarcire damna, & præjudicia subsecuta, quia non commisit iniustitiam formaliter. Tenetur tamen ex charitate: Unde si commodè potest, tenetur se retractare, & partem admonere, in cujus favorem testimonium fecit, ut restituat: & si opus fuerit affirmare apud Judicem cum Juramento, se ex lapsu memoriæ falsum dixisse, modo tamen hæc facere possit, absque suo notabili damno, quia cum dictus testis nullam commiserit injustitiam sola lege charitatis ad hoc tenetur, quæ non obligat eum tanto detrimento, *Sanch. dub. 21. c. n. 4. Trull. n. 2. c. in fine. Diana resf. c. 93. Coord.* ubi *n. 2.* refert *Vultherum Strovesdorff in D. Tho. de Just. & Jure qu. 70. art. 4. conclus. 3.* sententem quod dictus testis certior factus de ignorantia, tenetur revocare, & restaurare damnum, etiam cum periculo mortis, si necessitas urgeat. *At hæc opinio* [concludit *Diana*] *est nimis stricta*.

PRIVILEGIUM DECIMUM.

Quando reus, vel testis ignorat an Judex justè, & secundùm jus interroget, à peccato excusatur non fatendo veritatem, rogatus etiam à Judice.

841 Quando Judex juridicè interrogat, idque reo notum est, tenetur iste veritatem fateri, etiam si capite plectendus sit, ut vult communior sententia cum *D. Thom. & Cajet. apud, & cum Less. lib. 2. cap. 31. dub. 3. n. 12.* Quia unusquisque obedire tenetur Superiori legitimè præcipienti. At Superior legitimè præcipit, quando secundùm ordinem juris reum interrogat, aut juramentum ei defert, ergo reus parere tenetur dicendo veritatem. Præterea, quia in hoc casu Judex habet jus eliciendi veritatem ob bonum publicum, ergo si eam occultet reus, facit contra jus, & authoritatem Superioris, atque adeo peccat mortaliter *D. Th. 2. 2. qu. 69. art. pr. in Corpore*. Quod procedit etiamsi reus sine juramento interrogetur, ex vi solius præcepti Superioris, ut colligunt *Soto De Secreto, Membro 2. q. 7.* & alii apud *Less. n. 12. cit. in fine: & Trull. in Decalto. 2. lib. 8. cap. 4. dub. 2. n. 9. in fine.*

842 Quando vero ignorat reus, & dubitat an juridicè, & secundùm jus procedat Judex, ut si interrogat de crimine occulto, de quo non est infamia, neque indicia competentia, neque semiplena probatio, &c. non tenetur veritatem fateri, & hujus ignorantiæ, & dubietatis causa excusatur à culpa illam occultando, ut in proposito privilegio, quod admittunt, & concedunt *Cajet. 2. 2. qu. 69. art. pr. Less. dub. 3. cit. n. 10. Sanch. to. 2. Consilior. lib. 6. cap. 3. dub. 31. nu. 2. Diana tom. 6. Coord. tract. pr. resf. 96. nu. 2. ex par. 3. tract. 5. & Miscell. p. resf. 107. aliàs 106. Palao tom. pr. tract. p. disp. 3. n. 13. Trull. dub. cit. nu. 3. in princip.* ubi, quod sit communis Doctorum pro hoc privilegio. Quod probatur: Tum quia nemo tenetur Superiori parere eum gravi suo, vel alterius incommodo, nisi constet eum legitimè procedere, ac præcipere, & habere authoritatem obligandi, aliter præsumendum est pro reo, cui in dubio utique favendum est: tum quia reus

reus est in possessione honoris, famæ, vitæ, &c. ergo jus habet hæc conservandi, & non exponendi periculo. Igitur ut teneatur respondere, oportet quod prius ipsimet constet juridicè interrogari. Non constabit autem durante in eo ignorantia, ergo quoadusque hæc durat excusabit, &c. sicque verum privilegium. Quod extenditur ad testem etiam per Doctores, ut videre est apud ipsos; & pariter observat *Trull. n. 3. c.* ubi expressè sic: *Quod dicitur de reo, idem de teste existimant dicendum Doctores.*

843 Intellige tamen hoc privilegium cum *Sanch. l. c. n. 4.* & Doctorum communi. Quando crimen de quo Judex inquirit, non est in præjudicium Reipublicę, ut crimen læsę majestatis, hæresis, proditio, &c. ut probat idem *Sanch.* cum aliis: videatur. Insuper illud intellige: Quando Judex pręcipit reo, vel testi, ut crimen aliquod detegant, ex quo aliquod sequatur damnum, ac præjudicium, ut punitio, &c. Nam ubi nullum vel mihi, vel alii prejudicium sequitur, teneor obedire superiori: non teneor eidem in dubio obedire quando agitur de proprio, vel alterius damno, etiam rogatus à Judice, usque dum ignoro, vel dubium habeo, an Judex justè interroget, ac procedat: alias hujus privilegii limitationes adducit idem *Sanch. dub. cit.*

844 Ex posito, & approbato privilegio apparet, quod quando ignoratur, seu dubium est, an Judex juridicè interroget, ac proinde, quod idem est, an in eo casu sit Judex, & Superior, potest Subditus non obedire, & reus, vel testis non manifestare, sed occultare veritatem: & sic etiam in facti contingentia, testem non teneri in tali casu ad interrogata respondere, se olim consulvisse, testatur *P. Diana*, licet (inquit) tunc in contrarium sentirent, trepidantes timore, ubi non erat timor, ità ipse *tract. p. c. Coord. ref. 95. in fine*: deducens *ref. 96. c. in fine*: quod quando superior generaliter inquirit super aliquo delicto notorio, cujus auctor ignoratur, tunc Subditus, qui dubitat an infamia, vel indicia sint contra illum, quem ipse scit commisisse delictum, non tenetur prodere delinquentem occultum, sed debet respondere se nescire quis commisit: *Notentur hæc, quia circa illa miserrimè decipiuntur aliquando testes, & Judices:* sic concludit *Diana* quem vide tum *resolutionib. c. c. Coordinatis 95. & 96.* tum *94. antecedenti*, tum *to. Coordinato tract. p. ref. 134. ex p. 4. tract. 3. ref. 9.* in quibus de eadem re.

PRIVILEGIUM UNDECIMUM.

Advocatus, qui ignoranter ignorantia probabili suscipit causam injustam. Tabellio, seu Notarius, qui ex eadem ignorantia, aut inadvertentia falsum instrumentum fecit, excusantur à culpa, & ab obligatione restitutionis ex justitia: Et idem est de quocumque alio Ministro justitiæ in suis actionibus.

845 Sequitur hoc privilegium ex præcedenti nono, quinimo ferè idem cum ipso esse videtur, ac iisdemmet rationibus, & authoritatibus fulciri. Sicuti enim testis (ex ibi dictis) qui falsum ex ignorantia deposuit in præjudicium tertii, excusatur à culpa, & ab obligatione restituendi *(ex justitia saltem)* quia videlicet ad hoc non tenetur nec ratione rei acceptæ, cum nihil habeat: nec ratione injustæ acceptionis, cum nil acceperit: neque ratione injustæ damnificationis, cum illa actio fuerit involuntaria, ut supponimus: ita etiam ratiocinandum, & concludendum de Tabellione, Notario, & quocumque alio Ministro justitiæ, ex ignorantia inculpabili scribente, agente, operante, &c. in præjudicium tertii: Quod etiam expressè docet *Facund. l. ibidem c. eodem n. 5.* ut sequitur: *Qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, inadvertentia, vel oblivione mortaliter non culpabili, ratione cujus contigit aliquem graviter lædi, & damnificari, non tenetur ad restitutionem; idem de Tabellione, qui falsum instrumentum fecit ex eadem ignorantia, aut inadvertentia, & de quocumque alio Ministro justitiæ in suis actionibus: & ratio est, &c.* ideſt eadem hic modo, ac *in privilegio 9. cit.* pariter data. Et *Filliuc. to. 2. tract. 40. cap. 10. in quo de Advocato, Procuratore, & Notario n. 284. in princip.* item docet sic: *Si ignoranter suscipiat causam injustam: siquidem ignorantia probabilis fit, neque peccat, neque tenetur ad restitutionem:* repetens in fine: *Si adhibita diligentia putans defendere causam justam, defendat injustam, excusatur à culpa, & à restitutione.* Et pro hoc eodem privilegio sunt etiam (ut supra) iidem Authores, qui & pro *9. c.* ut videre est apud ipsos, quos etiam (quosdam saltem) refert idem *Fagund. n. 5. c.* sunt & alii apud *Filliuc. l. c.* Videantur. Quamvis tamen prędicti in privilegio allegati non teneantur ex justitia restituere, ut supra, damna resarcire, &c. tenentur saltem ex charitate eo meliori modo quo possunt: ut etiam dictum est de teste *in cit. præced. privil. 9. nu. 840.*

CAPUT

CAPUT XIV.
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA PRÆCEPTA ECCLESIÆ: ET PRIMO CIRCA PRIMUM,
Audiendi Missam Dominicis, & Festis diebus.

846  Uinque sunt Ecclesiæ præcepta: primum de Audienda Missa Dominicis, & Festis diebus. Secundum, de Confessione semel in anno instituenda. Tertium de Eucharistia in Paschate sumenda. Quartum de Jejuniis certis diebus servandis. Quintum de solvendis Decimis. Quæ præcepta utique ad sui observationem obligant sub mortali per omnes, nisi excuset vel parvitas materiæ, vel aliqua alia causa, vel etiam ignorantia, de qua juxta tractati hujus institutionem, sit;

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Qui per ignorantiam probabilem omittit audire Missam die festo, excusatur à culpa.

847 Dari præceptum Missam audiendi Dominicis, & Festis diebus, patet tum *ex dist. p. de Consecrat. c. omnes Fideles, & c. Missas:* tum etiam ex Ecclesiæ praxi ubique recepta, quam omnes Catholici vim legis habere unanimiter existimant. Et ratio institutionis est, quia cum Ecclesia instituerit Festa ad colendum Deum, consentaneè ad hunc finem obtinendum, jussit ut tunc homines ab operibus servilibus vacarent (de quo supra *cap.* 8. in quo *de 3. Decal. Præcept. Sabbatha Sanctifices)* & Missæ Sacrificio devotè interessent. Quod præceptum cum sit de re gravi, ita communiter intelligitur, ut obliget sub mortali. Quo fit, ut si quis sine legitima causa omittat die festo Missam audire, peccet mortaliter toties quoties, etiam si non prætermittat audire ex contemptu, aut prava consuetudine; sed ex mera ignavia, & negligentia, vel ut studio, aut alteri rei non necessariæ operam det.

848 Qui tamen ex ignorantia probabili diei festi, ut in proposito privilegio, ex oblivione, & inadvertentia, omitteret Sacrum, seu Missam audire, is à culpa, & à peccato excusaretur; sic etiam *Azor. par. p. lib 7. cap. 7. qu. 4. Filliuc. to. p. tract. 5. cap. 7. n. 225. Versu Huc potest. Fagundez præcep. p. Eccles. lib. 2. cap. 9. n. pr. Bonac. De Euchar. disp. 4. qu. ultima, punc. ultim. n. 18. Bassæus in Florib. Verbo Missa 9. n. 6. Caspensis to. 2. Curs. Theol. tract. 23. disp. 4. sec. 4. n. 28. Suar. in 3. par. D. Tho. to. 3. De Euchar. disp. 88. sec. 6. Versu, Ultimò revocatur. Franciscus Lugo de Sacram. cap. 15. qu. p. n. 3. Trull. in Decal. lib. 3. cap. p. dub. 7. n. 16. Pasqual. de Sacrif. to. 2. qu. 1325. Leander in Præcept. Eccles. par. 3. tract. 2. disp. 2. qu.* 55. & apud hunc *jam omnes* communiter à peccato excusantes eum, qui aliquo die omittit audire Sacrum, eo quia invincibiliter ignorat quod talis dies sit festivus ex præcepto, quæ ignorantia facilè potest contingere: sub qua etiam per eosdem Doctores comprehenditur & naturalis, & rationabilis oblivio, vel inconsideratio, eadem enim est ratio ignorantiæ, ac oblivionis naturalis, inconsiderationis, & inadvertentiæ, nam hæc etiam excusat ex regulis communibus excusantibus à peccato.

849 Ratio autem hujus privilegii desumitur ex certa, & generali regula ab omnibus Theologis admissa in materia de Actibus humanis, cum *Arist. lib. 2. Eth. cap. p. & D. Tho. p. 2. qu. 6. art.* 8. & à nobis in superioribus pluries tradita, atque probata, quod videlicet ignorantia (& idem est de rationabili oblivione, inadvertentia, & inconsideratione) causat involuntarium. Ubi autem non est voluntarium, nec potest ibi esse peccatum. Confirmatur, quia revera, quod ex ignorantia procedit involuntarium est per omnes, hujusmodi est omissio audiendi Missam in casu nostro, quippe

quippe ex ignorantia procedens, ergo impossibile est dari peccatum in ipsa, quod omittenti imputetur. Addo, quod sicut excusat ignorantia probabilis à peccatis contra alia præcepta, ita etiam excusat à peccato contra præceptum audiendæ Missæ, cum urgeat & in hoc, eadem omnino ratio, ut constat. Hinc optimè *Didacus de Narbona De Ætate, anno* 7. *qu.* 5. *n.* 4. cum *Azorio p. p. lib.* 7. *c.* 2. *qu.* 6. certum esse, inquit, eos, qui naturali vitio rusticitatis, vel ignorantiæ laborant, hac lege, seu præcepto audiendi Missam non esse obstrictos, quia licet frequenter ignorantia juris non excuset, hæc tamen, ut naturalis, necessariò excusationem affert. Unde pueri nondum septennes, quia ita naturali rusticitate, & ignorantia detinentur, ut quod etiam vident ignorent, *l. p. Cum similibus, C. de falsa moneta*. Pariter ab obligatione audiendi Missam liberi sunt; atque adeo tum isti, tum illi à peccato excusantur non audientes illam.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Qui bona fide in ignorantia fundata putat se habere causam legitimam non interveniendi Missæ, & non intervenit, excusatur à culpa, quamvis causa revera talis non sit.

850 ITà *Cajet. in Summul Verbo Præcepti transgressio*, sub sequentibus verbis: *Sit universalis regula, quod in iis, quæ sunt positivi juris, si absque contemptu, ac refutatione finis ex ignorantia pura, aut ex apparente sibi excusatione transgressio fiat ab eo, qui animum habet nullo pacto consentiendi contra præceptum obligans ad mortale, non incurritur mortale peccatum, quia non est intentio piæ, ac justæ Matris Ecclesiæ bonas hujusmodi animas illaqueare tam hostili vinculo*. Et idemmet docet ex eodem *Cajet., Summa Armilla, Verbo Præceptum, in fine, num.* 8. ubi sic: *Sit tibi pro generali regula, quod transgrediens quodcumque præceptum juris positivi sine contemptu, & refutatione finis, sed vel ex pura ignorantia, vel ex apparenti sibi excusatione, & non adest animus faciendi contra præceptum obligativum ad mortale, nunquam mortaliter peccat, quia non est intentio Ecclesiæ bonas illaqueare animas*. Hinc eidem doctrinę, ac privilegio accedunt etiam, *Sylv. Verbo ignorantia qu.* 5. *in fine, & Verbo Inobedientia, n.* 3. *& Verbo Missa* 2. *n. p. §. Dicitur sexto. Tolet. lib.* 6. *Summ. cap.* 9. *n.* 4. *in fine. Navarr. in Man. cap.* 23. *n.* 59. *versu, Et credimus. Valent. to.* 2. *disp.* 7. *qu.* 5. *punct.* 6. *vers. Jam verò. Fagund. pr. Præcept. Eccles. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 14. *P. Pasqualig. De Sacrif. to.* 2. *qu.* 1326. *n.* 2. ubi alios refert.

851 Hujus privilegii ratio est. Quia bona fides conscientiam bonam generat, facit enim credere, quod sufficiens adsit causa ad excusandum, aut quod alias hîc, & nunc non urgeat obligatio. Operatio autem, quę procedit ex bona conscientia, non est peccaminosa: aut si aliàs de se est, non imputatur, fundata maximè in probabili ignorantia, ut in Privilegio.

852 Ex quo inferes cum eodem *P. Pasq. qu. c. n.* 3. Quod si quis iter habens omittat summo manè audire Missam bona fide, putans se in aliqua Ecclesia dum iter peregit posse reperire Sacrum, vel commoditatem habiturum, quo perventurus est ad prandium, excusatur, si commoditatem non inveniat, & quia hora celebrandi transacta sit: ut notant etiam *Henriq. lib.* 9. *Sum. cap.* 25. *n.* 10. *Azor. par. p. lib.* 7. *cap.* 7. *q.* 4. *in fine. Fagund. nu.* 14. *c. in fine. Franciscus Lugo de Sacram. lib.* 5. *cap.* 15. *qu. p. n.* 4. *Leander in Eccles. Præcep. tr.* 2. *disp.* 2. *qu.* 67. *& Trull. in Decal. lib.* 3. *cap. p. dub.* 7. *n.* 22. Nam in tali casu Missæ omissio voluntaria non est, imò involuntaria, quia quantum erat ex se, intendebat, & volebat Missam audire, & bona fide putabat commoditatem audiendi illam se habiturum, vel in itinere, vel domi ante prandium, & ideò non imputatur.

853 Inferes insuper cum eodem *num.* 4. Quod si in die festo quis se in aliquo exercitio occuparet, ut in venatione, vel quocumque alio cum intentione audiendi postea Missam, sed interim tempus ita laberetur, ut quando accederet ad Ecclesiam reperiret Missarum celebrationem esse completam, à peccato excusaretur, nec omissio audiendi Missam illi imputaretur, quia processit bona fide, existimans se commoditatem habiturum audiendi illam. Quod etiam habet locum si inadvertenter sineret tempus congruum transire Missam audiendi: ita *P. Pasqualigus*.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Qui Missam audivit cum debita attentione, ignorans esse diem festum, adeoque carens voluntate expressa satisfaciendi præcepto, ab alia eodem die audienda (ut satisfaciat) excusatur.

854 EXcusatur: siquidem non obstante tali ignorantia, reipsa Missam audivit, & id quod præceptum est,

eſt, liberè exequutus fuit: Præcepta enim ſolum obligant ad actum, quem præcipiunt, hinc ſufficit hujuſmodi actum efficere, ut illa impleantur, nec eſt neceſſe, ut actum ipſum faciamus ex intentione formali implendi præceptum: quod docent etiam *D.Tho.* 2. 2. *qu.* 104. *ar.* 3. *ad* 2. (dum ibi ſic: *Licet actus virtutis cadat ſub præcepto, poteſt tamen aliquis implere actum virtutis non attendens ad rationem præcepti) Henriq. lib.*9. *cap.* 25. *n.* 6. *Sanch. in Summa to.p. lib.p. cap.* 13. *n.* 9. *in princip.* (Ubi *Quia per leges ſolum præcipitur libera operis externi exequutio, & non ut ex tali intentione ſatisfaciendi fiat:* & idem *Bonacin. to. p. De Sacram.Euch. diſp.*4. *qu.ult. punc.* 11. *n.*22.) *Suar. to.* 3. *in* 3. *p. q.* 83. *diſp.* 88. *ſec.* 3. *Verſ. Circa poſteriorem partem. Azor. part. p. lib.* 7. *cap.* 2. *qu.* 6. *Filliuc. tract.* 5. *cap.* 7. *qu.* 7. *n.* 211. *in fine. Fagund. p. Eccleſ. præcep. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 13. *Petrus à S. Joſeph in Summula Caſuum Conſcient. de p. Eccleſ. præcep. cap. p. art.* 2. *Verſ. Ut Satisfacias. Diana to.* 2. *Coordin. tract.* 2. *reſ. p. nu. p. ex p.* 3. *tract.* 6. *& Miſcell.* 2. *reſ* 68. *Leand. par.* 3. *tract.* 2. *qu.* 84. & alii apud iſtos, & communiter. Quotieſcumque enim, qui Miſſam audit ex devotione tantum in die feſto, ignorans diem talem eſſe, non habet voluntatem formalem nolendi præceptum adimplere, cenſetur intentionem virtualem habere illud adimplendi per illam Sacri auditionem, & ſic adimplet: *Diana l.c.* & alii; *Quia* (arguit *Henriq. n.c.*) interpretativè *voluit implere præceptum*. Et quia [infert cum *Suar. Fagund. n.* 13. *c.*] eo ipſo, quod ille non habuit hanc voluntatem, & intentionem formalem, *Nolo implere præceptum per bujuſmodi Miſſam*, cenſetur habuiſſe virtualem illud adimplendi per illam, quod utique ſufficit, cum neceſſe haud ſit [ex doctrina etiam *Leſſii lib.* 2. *cap.* 46. *dub.* 6. *n.* 42. *&* 43.] ut faciamus opus bonum præcisè, quia debitum ex præcepto: nam ſufficit ut illud faciamus propter intrinſecam ipſius honeſtatem: vel etiam ut Deo placeamus, ſic enim præcepto abundè ſatisfacimus, ſiquidem *plenitudo legis eſt dilectio*. Et nullum invenitur præceptum Dei, aut Eccleſiæ (concludit idem *Leſſ. n.c.* 42. *in fine*) quo jubeamur opus hac intentione facere: omnia enim præcepta jubent opus fieri ſimpliciter ob propriam honeſtatem. Hinc, loquendo de executione operum bonorum, non datur præceptum (inquit *Leſſ. eod n. in princip.*) quo obedientia formalis præcipiatur: ſicuti datur, quo vetatur formalis inobedientia.

855 Verum quidem eſt, quod dum implemus aliquod præceptum, obligamur non habere intentionem impletioni contrariam, nam ſi expreſsè intenderemus non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, eſſet contemnere præceptum, & ex communi ſententia peccatum eſſet lethale contra præceptum naturale divinum, quo tenemur obedire Superiori juſta præcipienti. Hac tamen expreſſa intentione *nolendi præceptum adimplere*, non obſtante, præceptum re ipſa adimpletur, & eidem ſatisfacere videtur, eo quod voluntas illa qua vult præcepto non ſatisfacere non impedit, quin ponatur actus præceptus, nimirum libera Miſſæ auditio. Non enim præceptum eſt ut Miſſam audiendo intendamus ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, ſed tantum ut actu Miſſam cum libertate, & attentione requiſita, audiamus: ità *à S. Joſeph. l. c. verſ. Quod ſi quis in fine*. Et idemmet docet *Diana reſ.p.c. n* 3. ubi ſic: *Patet ſufficere tantum audire Miſſam, & recitare Officium, non autem neceſſe eſt babere intentionem implendi bujoſmodi præcepta, & dum quis non babet intentionem expreſſam non adimplendi præceptum, babet virtualem implendi. Repellantur igitur anxietates à ſcrupuloſis, qui Domini jugum ſuave, durum, & difficile reddunt. Imò ego puto, ut alibi etiam notavimus, ſatisfacere præcepto, qui vult Miſſam audire, vel recitare Officium, cum voluntate expreſſa non adimplendi præceptum recitationis Officii, & audiendi Miſſam: nec opus eſſe mutare animum in tempore babili, & applicare pro adimplendo præcepto Miſſam illam auditam, & Officium recitatum. Ita contra Aragon. Leſs., Suar., Azor., & alios docent Sanch., Valent., & Vaſq., quos citat, & ſequitur Fagund. præcep. p. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 14. Hactenus *Diana*.



CAPUT

CAPUT XV.
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA SECUNDUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM, QUO JUBEMUR.
Semel in Anno peccata confiteri.

856 B Ecclesia latum esse præceptum, quo fideles jubentur semel in anno sacramentaliter peccata sua confiteri, certum est: sic enim habetur *in Conc. Lateran. sub Innoc. III. Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur*. Et idem definitur *in Trident. Sess.* 14. *can.* 8. per hæc verba *: Si quis dixerit Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles juxtà magni Concilii Lateranensis Constitutionem, &c. Anathema sit*. Idemque tenent omnes Theologi, & Canonistæ. Quod præceptum certissimè, & de fide, obligat sub mortali, cùm expresse *Tridentinum can. cit.* dicat esse in Ecclesia præceptum annuæ confessionis, ab ipsaque servari, ut patet. Et certò nil est magis commune, & vulgare inter fideles omnes, quàm esse quinque præcepta Ecclesiæ, ex quibus unum est annuæ confessionis Sacramentalis.

857 Quomodo autem computandus sit annus in quo semel ex præcepto Ecclesiæ facienda eit Confessio? & an per se obliget hoc præceptum pro determinata parte anni, v.g. in Quadragesima, aut in Paschate? Respondent aliqui computandum esse a prima die Januarii, cum annus eo die incipere videatur: Seu à Januario in Januarium; quia annus absolutè dictus, communiter, & ordinariè sic computatur. Ita *Vasq. de pœnit. qu.* 90. *art.* 3. *dub. p. n.* 15. *apud Bonacin. de Sacram. pœn. disp.* 5. *qu.* 5. *sec.* 2. *punc.* 4. *n.* 19. & alii. Existimant verò alii, & ferè communiter, computandum esse annum ab uno Paschate ad sequens Pascha circiter, vel à Quadragesima in Quadragesimam, à Dominica scilicet Palmarum, usque ad Dominicam in Albis; ita ut tempus annuæ confessionis videatur Paschale esse, sicuti est Communionis. Quia hæc est consuetudo omnium fidelium, ut peccata sua, confessione circa Pascha expient: igitur consuetudo talis instar legis habenda est: hocque tenent *Sylv. Azor. Suar. Coninc. Henriq. Reginald. Nugnus, Filliuc. apud. Eonacin. n.* 19. *c.* aliique plures allegati *à Leandro p. p. tract.* 5. *De Sacram. pœnit. disp.* 3. *qu.* 39. & 40. Quod colligunt *ex Trid. sess.* 14. *c. cap.* 5. *in fine :* ubi sic habetur. *Unde jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fidelium fructu; observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc Sancta Synodus maximè probat, & amplectitur, tanquam pium, & merito retinendum.* Sic ibi, & *can.* 8. Censent tandem alii (quos citat *Bassæus in Florib. Verbo Confessio Sacramental. p. n.* 9.) Unicuique computandum esse suum annum ab ultima Confessione: quod est idem ac asserere, præceptum annuæ Confessionis ex se non obligare pro determinata parte anni, ideoque satisfieri eidem posse confessione facta in qualibet anni parte. Ratio est, quia *c. Cap. Omnis utriusque sexus, &c.* non limitat tempus confessionis, ad aliquam partem anni, nec idem statuit de confessione, ac de communione, ut constat legenti: jubemur enim ex ipso *saltem semel in anno confiteri*, & Communionem *saltem in Paschate accipere*. Igitur si quis intra annum confessus est, præceptum confessionis adimplevit, nec postea tenetur vi ejusdem præcepti, in Quadragesima iterum confiteri nisi de novo mortaliter peccaverit, & Sacram communionem accipere velit. Ad oppositum autem argumentum desumptum à consuetudine, respondent, verum esse, quod fideles soleant circa Pascha confiteri, hoc tamen non facere ex præcepto ullo, aut consuetudine ad id obligante, sed quia hoc tempus commodius est ad satisfaciendum Ecclesiæ præcepto Sanctissimæ Communio-

nis, ad quam confessio ipsa sacramentalis est via. Hujus sententiæ sunt plures, & classici Doctores, quos cumulat, & sequitur *Leand. qu. c.* 39. Et eandem tuetur *Diana to. p. Coord. tract.* 3. *res.* 51. *n.* 2. *ex p.* 2. *tract.* 17. & *Miscell.* 3. *res.* 54. Ubi & ipse docet, quod consuetudo confitendi in Paschate fuit introducta, ut fideles prepararentur ad communionem ad quam Paschatis tempore tenentur; ita ut simul cum ipsa implerent etiam præceptum confessionis: non verò introducta fuit talis consuetudo pro præcepto confessionis secundùm se.

858 Cui sententiæ, & doctrinæ, uti communiori, & probabiliori adhęrens *Palao p.* 4. *De Sacram. Pœnit. tract.* 23. *Disp. Unica punc.* 20. *§.* 2. *n.* 8. concedit & ipse, confessioni non esse determinatum tempus Paschale; sed quolibet anni die fieri posse, & præcepto esse satisfactum. Quod ego quoque concedo, & dico, preceptum hoc per se, & ex vi sua obligare, semel in anno, non tamen pro determinata parte anni, nempe in Januario, in Quadragesima, in Pascha, aut in alio determinato tempore, sed satis esse confiteri quocumq; die totius anni, sive in principio, sive in fine: sicuti præceptum audiendi Missam die festo, obligat tempore matutino, non tamen determinata hora illius diei; sed fidelium arbitrio remittitur. Et hanc esse communem sententiam testantur *Suar. in* 3. *par. to.* 4. *disp.* 36. *sec.* 3. *n.* 2. *Molfesius p. p. Summ. tract.* 7. *cap.* 10. *n.* 23. & alii: quæ etiam ex hactenus dictis probatur: tum quia *semel saltem in anno, in cap. cit.* præcipitur confiteri, nec designatur pars aliqua ipsius anni, in qua fideles confessione uti debeant: Satis ergo est ad implendum hoc præceptum quocumque die totius anni confiteri: lex enim generaliter loquens, generaliter etiam debet intelligi, & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. p. §. generaliter, ff. de legat. præst.* Tum quia *in eod. cap. c.* duplex fertur pręceptum, Confessionis videlicet, & Communionis: at Communionis præceptum est pro determinata parte, nempe ad minus in Paschate: Confessionis verò præceptum indeterminatè constituitur, idest semel tantum in anno: ergo si præceptum communionis obligat pro determinata parte anni; indeterminatè censetur constringere præceptum confessionis, atque adeo sufficere, ut fideles confiteantur in quocumque die totius anni. Nam Canon ipse, si voluisset pro determinata parte anni alligare fideles ad confitendum, id utique expressisset; sicuti expresse voluit obligare ad communicandum in Pascha. Et hoc quidem *non injuria* (ait *P. Duardus par. p. in Cap. Omnis utriusque sexus disp.* 5. *sec. pr. conclus.* 2. *n.* 6. *in fine*) quoniam usus Sanctiss. Sacram. Eucharistiæ per se præcipitur, etiam si homo nunquam peccaverit: & propterea speciali quoque, ac determinato anni tempore præcipi potest, etiamsi fideles aliis temporibus voluntariè communicaverint. Usus verò Sacramenti pœnitentiæ præcipitur non per se: sed supposita mortali culpa (est enim medium necessarium in re, vel in voto, ad remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi) Unde meritò indeterminatè præcipitur. Tum etiam, quia nedum inspecto jure communi *ex d. cap. Omnis utriusque sexus* verum est confessionis præceptum obligare solum semel in anno absq; præfixione temporis, & diei particularis, sed etiam hoc idem colligitur apertè (ut pariter notant *P. Alphonsus de Leone de Officio, & potest. Confessarii, Recollectione* 18. *n.* 24. *in fine*. *Diana l. c. nu.* 3. & *Palao nu.* 8. *cit.*) ex verbis *Trident. cap.* 5. *c.* supra relatis: *Quem morem* (ibi) *hæc Sancta Synodus maximè probat, & amplectitur tanquam pium, & meritò retinendum*. Ex quibus inquam colligitur apertè, Concilium distinxisse inter præceptum confitendi, & morem confitendi in Quadragesima. De præcepto enim inquit, ut saltem semel in anno adimpleantur: morem autem confitendi in Quadragesima non præcipit, sed tanquam pium, & meritò retinendum probat, & amplectitur, Quod postea *Can.* 8. *ejusdem sessionis* clarius explicat, si cum attentione expendantur verba: Concilium enim ibi eos anathemizat, qui dixerint, *Confessionum omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, aut traditionem humanam à piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta Magni Concilii Lateranensis Constitutionem semel in anno: & ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ*. Si namque tenerentur fideles confiteri tempore Quadragesimę, Tridentinum absolutè anathematizaret eos, qui dicerent, fideles non esse obligatos confiteri tempore Quadragesimæ; sicuti anathematizat eos, qui dicunt, semel in anno non teneri: solum enim anathematizat eos, qui fidelibus suaserint, ne tempore Quadragesimæ confiteantur, eo quod obligationem non habeant semel in anno confitendi. Concludendum est igitur quod per hujusmodi præceptum nulla

nulla certa pars anni determinata sit, & impleri posse, quocumque mense, vel die infra annum confessio peragatur: hoc quippe indicant generalia illa verba *ex Cap. Omnis, citata*.

859 Neque obstat inducta consuetudo, quod fideles tempore Paschali suam confessionem facere soleant: & quod eo tempore solent Parochi testimonium Confessionis à fidelibus exigere, quasi indicantes, tunc expirare tempus obligationis exequendæ. Item quod passim locorum Ordinarii per statuta Synodalia pro Confessione annua certas septimanas determinent ab inchoata Quadragesima. Nam quoad Parochos fateor & ego, ipsos solere exigere tempore Paschatis à suis Subditis testimonium confessionis: at, *hoc est leve fundamentum* (inquit etiam *Palao l. c. n. 10. in fine*) tum ex supra dictis: tum etiam quia id exigunt Parochi, quia plerumque eo tempore eorum subditi præceptum confessionis adimplent: & quia cognoscere debent, an ad communionem eo tempore suscipiendam dispositi sint. Quo verò ad id quod additur, quod per statuta Synodalia Episcoporum fieri soleat talis determinatio temporis, transeat: at hæc non fit ex eo quod obligationi peragendi Confessionem annuam per se hoc determinato tempore satisfieri debeat, sed quia tunc sumptio Eucharistiæ per accidens exigit præmissionem Confessionis, nempe casu quo fidelis sit obnoxius alicui peccato mortali. Ut igitur talis determinatio temporis, & dicta consuetudo communiter inducta, ut supra, obligaret simpliciter, id facere deberet ex se, & ratione sui, non per accidens. Quod pariter (loquendo de hac eadem consuetudinem) docet *Diana l. c. n. 2. cum Vasq. Sylvio, & Nugno*, sic ad rem hanc distinguendo: Quando consuetudo est universalis, & intelligunt homines se obligari ad talem actum ratione sui, & non ex aliquo accidenti, habet in hoc casu consuetudo illa vim præcepti. Quando vero consuetudo non est ita universalis, & ex alia parte non censentur homines se obligari ad talem actum secundum se, sed ex aliquo accidenti, non habet talis consuetudo vim præcepti ad illum actum secundum se consideratum: & ita contingit in nostro casu: Solum enim intelligunt homines se obligari ad Confessionem Paschatis propter Communionem. Et ita illa consuetudo fuit introducta, ut homines præpararentur ad communionem, ad quam tempore Paschæ tenentur, ità ut etiam simul implerent præceptum confessionis non verò introducta fuit hæc consuetudo pro præcepto Confessionis secundum se: ita *Diana*, consequenter postea *resolutionem* concludens *n. 4.* per hæc verba: *Dicendum est igitur absolutè, si quis confessionem fecit intra annum; non teneri postea in Quadragesima confiteri, cum adimpleverit præceptum annuæ confessionis. Ita Sotus in 4. dist. 18. qu. p. art. 4. Canus in Relect. de pœnit p. 5. Valent. to. 4. disp. 7. qu. 9. punc. 4. Regin. in praxi to. p. lib. 6. cap. 2. n. 33. Molfes. in Summa to. p. tract. 7. cap. 10. n. 23. Azor. p. p. lib. 2. cap. 38. qu. 7. Suar. in 3. p. to. 4. disp. 36. sec. 3. n. 4. Henriq. Coninch, Victoria, Zerola, & alii D. D. communiter. Fieri tamen potest, ut alio titulo teneatur confiteri, ut si post confessionem peccavit mortaliter, & suscepturus est Eucharistiam in Paschate; aut si mortis articulus superveniat: in his enim casibus tenetur denuo confiteri*: hactenus *Diana*. Sed

860 Instabis: In quadam *Extravag. Vices: de tregua, & pace*, asseritur Parochianos tempore Paschatis obligatos esse proprio Sacerdoti confiteri, ergo. Respondeo cum *P. Alfonso De Leone Recollect. 18. c. n. 26. in fine, & Palao l. c. nu. 9.* in dicta *Extravag. seu Constit. Sixti IV.* nullum præceptum imponi, tantum id moneri, quia tunc est præceptum communionis. Seu impositum *in cap. Omnis utriusque sexus*, referri, ut apparet ex illis verbis ejusdem *Extravag. Cum Parochianus de jure teneatur saltem semel in Paschate proprio Sacerdoti confiteri*. Licet enim ibi expressum sit tempus Pascale, id factum non est, ut tali tempori obligatio æstricta sit; sed quia eo tempore plerumque impletur simul, cum obligatione Eucharistiam sumendi. At hodie (inquit *P. De Leone n. c.*) dicta *Extravag.* sublata est, tantum enim tenetur Parochianus sumere Eucharistiam à Parocho suo, non tamen ei confiteri: Quod prius notaverat *P. Molfes. in Summa tract. 7. cap. 10. n. 24.* in quo sic: *Sæpè aliàs in jure Canonico præscribitur, ut semel in anno teneantur singuli peccata sua confiteri proprio Parocho, vel alteri confessario de licentia Parochi. At hodie hoc sublatum est quoad confessionem, & solum in propria Parochia, vel in Ecclesia Cathedrali tenentur singuli fideles in Paschate sacrosanctam Communionem sumere, vel alibi de licentia Parochi. Possunt tamen singulis confessariis, approbatis ab Ordinario, sua peccata confiteri, ut docent omnes, & est notoria praxis, ac consuetudo, quæ sustulit jus commune in hac parte, scientibus, & permittentibus omnibus Episcopis*.

861 Reinstabis. *In c. Cap. Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* duo traduntur distin-

distincta præcepta, alterum de Confessione; alterum de Communione: de primo solum dicitur, semel in anno faciendam esse confessionem: de secundo dicitur, suscipiant omnes Eucharistiam ad minus in Paschate: & Ecclesia jam determinavit tempus primi præcepti à Quadragesima in Quadragesimam: ergo qui usque ad diem Paschatis ex obligatione præcepti confessionis non confitetur, non adimplet hujusmodi præceptum per se: ergo, &c. Respondeo, ex dictis, negando tale tempus assignatum, ac determinatum fuisse pro sacra confessione secundum se: uti etiam ex dictis negatur idem tempus Paschale assignatum fuisse pro eadem Sacramentali Confessione *per se*, ac pro Sacra Communione. Hinc *Layman in Theol. Mor. lib. 5. tract. 6. cap. 5. n. 10. Vers. Ad 2.* (cui subscribit *Diana to. p. Coord. tr. 3. res. 52. nu. 3. ex par. 3. tract. 4. res. 81.*) infert, quod si aliqui sint, qui legitimum impedimentum habent quominus in Paschate Sacram Eucharistiam suscipiant, ut infirmi, in lecto defixi, qui communionem pro tali impedimento suscipere non possunt, non sunt compellendi ad confitendum si intra anni decursum confessi sunt. At esto etiam dicta temporis determinatio pro adimplenda annuali confessione admitteretur, dico cum *Fagund. præcep. Eccles. 2. lib. p. cap. 4. n. 19. in fine*. Consuetudinem ampliasse jam illum annum obligationis Quadragesimæ usque ad Dominicam in Albis; & ex confessarii consilio adhuc posse amplius dilatari: unde ille etiam, qui de confessarii consilio, nec isto tempore confitetur, non trasgreditur præceptum, ut expresse habetur in prædicto *Cap. Omnis*. Quod docet etiam *Laym. l. c.* [& cum ipso *Diana eod. n. 3. c.*] tum de confessione, tum de communione loquendo: sic dicens: *Et si aliquis toto anno nunquam confessus fuisset, & communionem ad breve tempus ex causa justa usque ad Pentecostem differre statueret, probabile est, graviter non peccaturum, & si etiam confessionem differret, si putaret postea eam commodius peractum esse*. Probabile inquam est, non peccaturum graviter, si dilatio maximè ipsa confessionis, & communionis fieret ex ipsius confessarii consilio, ut in *d. cap. Omnis*, expresse habetur. Ex quibus

862 Infertur primò. Eum, qui intra annum confessus est sua mortalia, non teneri postea in Quadragesima, vel in Paschate iterum confiteri ex vi præcepti annuæ Confessionis, si tunc conscientiam habeat novi peccati mortalis. Ratio est clara, quia iam semel confessus est omnia mortalia, quæ habuit in sua conscientia tempore confessionis, consequenter implevit præceptum annuæ Confessionis. Teneretur quidem [sed Divino præcepto] si sacram Eucharistiam vellet recipere; quod si nollet, peccaret quidem lethaliter contra præceptum communicandi in Paschate; non verò contra præceptum annuæ confessionis. Ita etiam *Diana tract. 3. c. res. 53. n. 2. ex p. 4. tract. 4. & Miscell. res. 206. Lugo de pœnit. disp. 15. sec. 7. n. 164. Palaus punc. 20. c. §. 3. n. 3. Leander tract. 5. c. qu. 38. Laym. n. 10. cit. in resp. ad p.* & alii apud eosdem, contra *Mocerum* [quem refert *Diana l. c. nu. p.*] *de Sacramen. in 3. p. D. Tho. qu. 6. art. 5. n. 3. Suarium sec. 3. c. n. 8. & Henriq. lib. 4. c. 4. nu. 2.* extendentes præceptum de confessione semel in anno facienda, ad omnia peccata mortalia, quæ intra quemlibet annum commissa sunt, ita ut omnia mortalia eodem ipso anno commissa confiteri necesse sit; adeo ut si quis post semel factam confessionem aliquod mortale committat, quod voluntariè fateri Sacramentaliter omittat, præcepto de confessione facienda omnium mortalium, quæ eo anno commissa sunt non satisfaciat. Oppositum tamen ex dictis infertur [& *verius est*, inquit *Palaus*] eum videlicet non esse ex vi hujus præcepti obligatum, illud novum peccatum eo anno fateri: Quia, ut optimè etiam D. D. allegati, præcipuè idem *Palaus*, præceptum non est de Confessione facienda eo anno omnium peccatorum, quæ anno eodem fuerint commissa: id enim si sic esset clarius explicari debuisset: Sed præceptum fuit de Confessione semel in anno facienda omnium peccatorum quorum quis habet notitiam tempore confessionis, & quæ ad validam, & fructuosam confessionem fateri necesse fuerit. Unde si postmodum peccatum novum committatur, in confessione anni sequentis reservari poterit. Aliter nunquam censeri posset quod quis plenè huic præcepto satisfecisset, quo usque annus finitus sit, ac completus integrè; tametsi pluries ritè confessus fuerit; ac ob id expediret, non in principio, neque ad medium, sed in fine anni confessionem præstare. Ad hæc ergo inconvenientia eiicienda, sustinent D. D. asserimus nos cum eisdem, quod semel facta legitima confessione mortalium nulla superest obligatio confitendi eodem anno, nisi ob Eucharistiæ sumptionem, vel nisi talis incidat in periculum mortis.

863 Et hujusmodi doctrina, ac illatio, adeo probabilis, & vera ab *Em. Lugo* existimatur, ut *l. c. n. 169.* addat, idem asserendum etiam esse, in casu, quo aliquis

pluries

plùries in eodem anno confessus esset venialia, & etiam aliquod mortale dubium: quod scilicet, nec teneatur ille postea in Quadragesima ante finem anni iterum confiteri, etiam si incidat in aliquod mortale certum. Quia [inquit] verè hic jam semel præceptum Ecclesiæ, & Christi hoc eodem anno implevit: nam Christi præceptum & si non sit confitendi venialia; est tamen confitendi non tantum gravia peccata certa, sed etiam dubia: igitur præceptum illud impletum est confitendo peccata ea dubia, quæ tunc habebat. Hinc apparet discrimen hujus ab eo, qui solum confessus fuisset venialia, per quam confessionem non impleverat Christi præceptum, & ideo debet iterum confiteri eodem anno, si habet peccatum grave. Ita *Emin. De Lugo n. c.* resolvens in sequentibus objecta, quæ huic eidem additioni suæ opponi possent. Videantur: & etiam *Suar. De Pœn. disp.* 35. *sec.* 2. *nu.* 5. *in fine*.

864 Infertur secundò. Eum, qui confessus est hoc anno solum venialia, cum non haberet conscientiam peccati mortalis; si post confessionem labatur in aliquod mortale nondum elapso anno, teneri iterum eodem anno confiteri, quia nunquam hoc anno confessus est peccata mortalia. Præceptum enim Confessionis *in d. cap. Omnis utriusque sexus*, obligat ad mortalia semel in anno confitenda si conscius sit pœnitens alicujus peccati mortalis: ita communis D. D. præcipuè *Suar. disp.* 36. *c. sec. p. n.* 8. ubi, Omnes fideles teneri ad confitenda semel in anno omnia peccata sua, necesse esse intelligi de mortalibus: quoniam, si comprehenderentur etiam venialia, tenerentur fideles ad illa omnia singulis annis confitenda, quod est absurdum, & in aliquibus esset moraliter impossibile. Unde nulla lege humana præcipi hoc potest ob moralem impossibilitatem: Non comprehenditur igitur sub hoc præcepto qui non habet culpam mortalem. (Tametsi postea consultissimum sit fidelibus, si tempore Paschali, nullius culpæ mortalis conscii sint, venialia confiteri uti meritò habet communissima praxis, maximè ante communionem) tum ut Sacramenti gratiam percipiant: tum etiam, ut si commissi mortalis obliti, vel inscii sint (quod sanè frequens) neque satis contriti existant, per Sacramentalem absolutionem justificentur. Ad hoc tamen ipsum simpliciter non obligantur. Præterea quia hujusmodi Ecclesiæ præceptum est solum determinatio quædam præcepti Divini, ut clarè docuit *Trident. sess.* 14. *cap.* 5. dicens hoc præcepto nil præcipi, quod non esset divino præcepto mandatum, præter temporis determinationem; sed ex præcepto divino solus ille confiteri tenetur qui conscientiam habet peccati mortalis: ergo. Addo quod idemmet *Trident. cap. d.* apertè etiam docet: *Oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri; etiamsi occultissima sint. Venialia verò, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam rectè, & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur; quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari posse*. Quare nullum extare præceptum divinum obligans *per se* ad Confessionem venialium, & expressè declarare videtur hìc *Tridentinum*, & apud omnes in Confesso est, ubi enim illud? Dico *per se*, nam *per accidens* (ut etiam advertit *Gobat Alphabeto Confitentium num.* 250.) potest quis obligari ad Confessionem venialium: nam si quis existens in mortali Sacramentum aliquod conficiendo administrare debeat, & rationabiliter dubitet, an sit contritus, nec habeat copiam Confessarii approbati, sed tantum simplicis Sacerdotis, tenetur ipsi confiteri aliquod veniale, ut ex attrito fiat contritus. Et idem dicendum est in simili de casibus reservatis: de qua re videndi *Diana p.* 9. *tr.* 7. *res.* 11. *p.* 11. *tr.* 8. *res.* 49. *Marchant. in Tribun. Sacram. to. p. tract.* 2. *tit.* 4. *qu.* 8. *Conclus.* 2. *Gobat Alphab. Confessarior. Casu* 8. *n.* 384. aliique. Cęterum absolutè loquendo, & *per se*: si quispiam nonnisi venialium sibi conscius ad annuam confessionem teneretur, foret obligatus ad omnia venialia semel in anno confitenda: si quidem *Cap. Omnis cit.* apertè dicit omnia peccata semel in anno confitenda esse: sed hoc consequens nemo admittet, quia cum venialia non sint materia necessaria, *dictum Capitulum*, de solis peccatis mortalibus utique loqui censetur.

865 Infertur tertiò. Hoc præceptum esse Ecclesiasticum solum quoad determinationem temporis: nam in reliquis divinum præceptum, & institutionem continet, dicente eodem *Trident. d. cap.* 5. *Institutam esse à Domino integram peccatorum Confessionem: Et Ecclesiam tantum ordinasse, ut divinum præceptum confessionis singulis annis executioni mandetur*. Tota enim substantia hujus actus est de jure divino: & solum mandatur ab Ecclesia ut tali tempore fiat.

Quo

Quo verò tempore, & quando obliget præceptum hoc confessionis, ut Divinum est? cum in lege Evangelica succedat præcepto contritionis, dicendum est, pro eo tempore per se obligare, pro quo obligat præceptum contritionis: hoc autem per se obligat nonnisi in articulo, aut morali periculo mortis: ergo & illud. Probatur minor: quia pro eo tempore præceptum contritionis per se obligat pro quo homo existens in mortali exponeretur præsenti periculo æternæ damnationis, si tunc contritionem non eliceret, quia negligeret medium (sub illis circunstantiis) ad consequendam salutem simpliciter necessarium. Versantur autem in articulo mortis, aut ejus morali periculo, primo: Ægroti cum adsunt signa mortis naturalia. 2. Tempore pestis grassantis. In ingressu prælii, seu conflictus, aut periculosæ navigationis. 3. Mulier tenera primum paritura; vel jam experta habere partus difficiles, seu periculosos. 4. Morti adjudicatus, &c. Ita omnes. In his ergo, & similibus casibus saltem, homo culpæ mortalis conscius, tenetur confiteri: quia aliud certum tempus hujus obligationis per se nullo certo fundamento assignari potest, cum tamen Sacramentalis confessio, nostrorum lapsorum remedium à Christo Domino institutum, atque præceptum sit. Quapropter *c. cum infirmitas De Pœnit. & Remiss.* Medicis præcipitur: ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, atque inducant, ut Medicos advocent animarum. Quod si tota vita quis nullum peccatum mortale admittat, liber erit ab obligatione hujus præcepti. Nec proinde graviter delinquere censendus esset, qui ab aliquot mensibus nullius mortalis peccati admissi, sibi conscius, in articulo etiam mortis nollet confiteri: nec (judice *Gobat Alphab. Confitent. Casu* 10. *n.* 253.) ei viaticum, seu Extrema Unctio negari posset. At in praxi, talis, omninò à Confessario urgendus esset, ut aliquod saltem veniale confiteatur, tum ad indirectam remissionem alicujus fortasse latentis mortalis criminis; tum ob gratiam sacramentalem acquirendam; tum ad satisfaciendum consuetudini universali fidelium; tum ad evitanda scandala, domesticorum timorem, tristitiam, &c.

866 *Per accidens* autem obligat præceptum Divinum contritionis, & confessionis in aliquibus casibus; dantur enim casus aliqui in quibus sine contritione præmissa, aut confessione, alia præcepta debitè impleri nequeunt; igitur tunc hujusmodi præceptum obligabit, non quidem *per se*, sed *per accidens*. Casus qui enumerari solent, sunt sequentes: primò. Quando ministrandum est aliquod Sacramentum, & minister est in statu lethalis peccati: tunc enim ut se conformet suo agenti principali, sancta scilicet sanctè tractando, tenetur sibi prius statum gratiæ procurare, aut per Sacramentum pœnitentiæ in re perceptum, aut per contritionem. Secundò. Dum percipienda sunt Sacramenta vivorum (ut quando suscipienda est Sacra Eucharistia, &c.) & suscipiens sibi conscius est peccati mortali, quo casu iste pariter teneretur prius conscientiam suam mundare aut confessione sacramentali, aut perfecta contritione. Tertiò. Quando occurrit gravis tentantio, quam non fidit superare sine prælicita contritione: aut quando credit quis se certum peccatum lethale, in quod sæpius lapsus fuit, evitare aliter non posse, quam per confessionem se muniendo contra illud, uti sunt maximè assueti peccato libidinis, singulariterque mollitiei: item si ad adhibenda remedia peccati, aut amovendas peccatorum occasiones, prudentis viri consilio opus sit, quod extra Confessionem petere nolit, aut non possit. Quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media applicanda illi fini necessaria, at jure divino tenemur evitare omne peccatum, ergo, &c. sic communiter D. D. Quanquam non desint qui expressè negent dari casum, quo non possit quis hoc, vel illud peccatum evitare sine remedio Confessionis. Sed quo ad hoc, judicio expertorum standum erit.

867 Infertur quartò. Infideles non baptizatos quantumvis peccatores non obligari hoc confessionis præcepto, neque qua Ecclesiasticum est. Non qua divinum, tum quia peccata ante baptismum commissa non sunt materia hujus Sacramenti, ut communiter Theologi: Igitur nec tenentur infideles, neque possunt illa Sacramentaliter confiteri, consequenter neque hoc præcepto (qua etiam tantum divinum est) obligari: tum quia (ut arguit etiam *Suar. sec.* 2. *c. n.* 2.) non est confessio his infidelibus necessaria ad salutem, ergo ad eam non tenentur: consequentia est clara: non enim jure divino confessio præcipitur, nisi quatenus est necessaria: antecedens verò etiam constat, quia si dicti infideles baptizarentur, & post Baptismum nullum peccatum mortale committerent, salvarentur sine confessione: dicitur namque hoc Sacramentum secunda tabula post naufragium: quia iis so-

iis solis necessarium est, qui mortaliter post Baptismum peccaverunt. Hinc etiam fit, quod si infidelis per contritionem ante Baptismum justificetur, contritio illa non includat votum confessionis, sed solius Baptismi; cum solus Baptismus ex vi illius status necessarius sit: per hunc enim delentur plenè peccata omnia ante commissa absque ullo ordine ad confessionem: Igitur clarum est infideles non obligari præcepto Confessionis qua Divinum est.

868 Sed neq; qua Ecclesiasticum. Quia infideles non sunt Ecclesiæ subditi, consequenter ejusdem non ligantur præceptis: nec ejus foro, ejusque judicio subiiciuntur. Per solum enim Baptismum fiunt homines subditi Ecclesiæ, & capaces Confessionis Sacramentalis, per quam sola peccata actualia post Baptismum commissa, & non ante remittuntur: Nam secundum *Apostolum p. Cor. cap. 5. Ecclesia non judicat de iis qui foris sunt*. Et *Tridentin. Concil. sess. 14. cap. 2.* dicit: *Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus*. Et *ibidem canon. p.* definit: *Pœnitentiæ Sacramentum esse institutum à Christo pro fidelibus, quoties post Babtismum in peccata labantur*. Sicuti ergo per Baptismum (vi cujus solum remittitur originale peccatum) constituuntur, instituuntur, ac efficiuntur Ecclesiæ subditi; ità istosmet solum, omnesque utriusque sexus personas Baptizatas ad forum Ecclesiæ consequenter spectantes, obligat præceptum hoc Ecclesiasticum (si post Baptismum in aliquod mortale sint prolapsi) etiam pueros cujuscumque ætatis, dummodo doli mortalis sint capaces; ad quod non potest certa ætas designari, sed viri prudentis judicio opus est. Quod totum certum est, & extra controversiam inter Theologos. Colligiturque *ex Trid. supra: & ex præd. Cap. Omnis &c.* Hinc etiam

869 Infertur quintò. Cum hoc præceptum obliget omnes illas personas, quæ post Baptismum mortaliter peccaverunt, consequenter obligare pariter (ex communi, & omninò vera D.D. sententia) etiam hæreticos, Apostatas &c. & adeò obligare, ut meritò *Lugo de Pœnit. disp. 15. sec. 7. n. 147.* dicat, *absurdissimum esse affirmare Hæreticos non obligari legibus, & præceptis Ecclesiæ communibus*. Quis enim illos exemit? utique non ipse Deus: multò minus Ecclesia, quæ tanquam veros sibi Subditos per Baptismum, per excommunicationis etiam pœnam, & censuram ad obedientiam eosdem compellere nititur. Et quidem si hæretici sub hoc precepto non comprehenderentur, nec etiam consequenter comprehendi eum videretur, qui fortasse incidit in aliquod grave peccatum contra fidem: atque adeo nec iste talis (quia sic peccavit) teneretur confiteri: quod tamen quis concessurus? Hujus autem illationis ratio à priori videtur esse: Quia præceptum hoc non est de re nova, aut quæ jam non fuerit, & sit debita, ex divino jure, sed de Confessione à Christo Domino præcepta; solum determinando tempus illius; quæ determinatio, certè, fuit Ecclesiæ commissa, si in susceptione hujus Sacramenti negligentes essent homines. Ut ergo divinum præceptum comprehenderet omnes baptizatos iisdem omnibus (sicque etiam baptizatis hæreticis) debuit Ecclesia tempus confessionis faciendæ præscribere, alioquin ipsa non satisfecisset debito suo determinandi tempus omnibus, qui alioquin ex Christi præcepto ad confessionem obligati erant: ita etiam Lugo *sec. c. n. 145.*

870 Neque hic obstare posse videtur particula illa *fidelis* posita *in d. cap. Omnis* in principio lati præcepti: *Omnis utriusque sexus fidelis*: Quia tali particula, seu nomine significantur (ut advertit etiam *Lugo sec. c. n. 146.*) omnes, qui Babtismum acceperunt, quod est fidei Sacramentum. Uti è contra non intelliguntur fideles, qui & si fidem Christi habeant, baptizati tamen non sunt, unde nec potest hos Ecclesia obligare. Quod confirmari etiam potest ex verbis *Trident. Conc. sess. 14. c. eod. cap. 5. in princip.* ubi dieclarans institutionem Confessionis, dixit: *Christum ascensurum ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquisse, tanquam Præsides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi Fideles ceciderint*. Hisce enim verbis non exclusit utique à potestate Sacerdotis hæreticorum peccata: sed *Christi Fidelium* nomine baptizatos omnes comprehendit. E contra verò, *infidelium* nomine sæpè ii soli intelliguntur, qui baptizati non sunt, ut videre est præcipuè *in Decreto Gratiani 28. qu. p.* ibi enim passim *infidelium* nomine intelliguntur, qui extra Ecclesiam sunt. Et hinc est, quod etiam inter Theologos talis usurpatio frequens videtur, ut quando ex. gr. affirmant non licere baptizare filios *infidelium* invitis parentibus: quando dicunt Matrimonium fidelis cum infideli esse irritum, quibus in propositionibus certum est, nomine *infidelium* non comprehendi hæticos baptizatos, quoniam horum filii, parentibus invitis, baptizari possunt: & Matrimonium

monium Catholici cum hæretica, vel vice versa, validum est, & si non licitum. Nomine ergo *fidelium* in *d. cap. & textu* comprehenduntur etiam hæretici, ut distinguantur ab iis, qui fidem Christi nunquam professi sunt. Quod totum docet etiam *Lugo n.* 146. *c.* His præhabitis, ac præsuppositis, quæ necessariò videbantur præmittenda, ut haberetur hic tradita quidditativa notitia hujus secundi Ecclesiastici præcepti: aliis omnibus omissis, quæ proponunt, ac discutiunt D. D., præcipuè allegati supra, & communiter omnes de *Præcepto Confessionis* agentes, quippequæ sunt extra sphæram objecti nostri, immediatè prosequendo proprium Methodum, sit

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Qui semel in anno facit Confessionem suam, sed informem, & invalidam, ex ignorantia tamen probabili, excusatur à peccato contra præceptum Confessionis annuæ.

871 Diximus supra *nu.* 862. Præceptum Confessionis in lege Evangelica succedere præcepto contritionis; quæ contritio in statu veteris legis ante legem gratiæ, & Evangelicam, sola poterat (perfecta tamen formalis, vel virtualis) adultos justificare, ac liberare à mortalibus. Fuit ratio, quia veteris illius legis sacramenta inania signa erant, quæ Dei gratiam per se, & ex opere operato non conferebant, sed solum eam præfigurabant, & significabant, per Christum conferendam: sicque excitabant fidem in Christum Mediatorem: quæ si formata fuit per Charitatem, seu contritionem perfectam, habebat vim justificandi ex opere operantis tantum: juxta communissimam Doctorum, & fidem Catholicam. In lege autem nova, & Evangelica, contritio perfecta sola non est amplius ad justificationem necessaria, cum sola attritio supernaturalis cum Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ suscepto sufficiat per omnes Theologos. Ratio est: quia Christus Dominus in lege Evangelica facilitare volens salutis media, instituit hæc Sacramenta, non vivorum, sed mortuorum remedia; ut per se, & directè hæc eadem homini spiritualem vitam, remissionem scilicet peccatorum, & gratiam primam conferrent: consequenter eandem primam gratiam ante eorundem susceptionem non requirunt, nec etiam perfectam contritionem; aliter salutis media homini peccatori, non alleviata, sed aggravata fuissent.

872 Verum quidem est, quod sicut in lege veteri, adultis in mortale lapsis ad se ab eodem liberandos, & justificandos, fuit necessaria contritio perfecta formalis, vel virtualis (inclusa saltem nimirum & imbibita in actu amoris Dei super omnia, qui de se semper est deletivus peccati, & justificativus; quia licet non sit formalis, & expressa detestatio peccati, eam tamen virtualiter, & implicitè includit: hominemque sic disponit, ut si recordaretur peccati, vel offensæ Dei in se, eam utique detestaretur, &c. unde illi in S. Scriptura sæpissimè, & absolutè promittitur remissio peccatorum, & justificatio: ut *Proverb.* 8. *p. Petri* 4. *p. Joann.* 5. *Proverb.* 10. *Joann.* 14. *Luc.* 7. perfecta enim conversio hominis ad Deum, necessariò delet omnia peccata hinc Christus ad Magdalenam *Lucæ l.c.* clarissimè dixit, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: alioquin esset homo simul conversus ad Deum, & aversus, quod implicat, atqui per verum actum amoris Dei super omnia, perfectè convertitur homo ad Deum. Et in hoc eodem actu includitur voluntas servandi omnia mandata Dei, juxta illud, *Qui diligit, legem implevit*: qui verò totam legem implevit, utique est perfectè conversus ad Deum: Igitur peccator per solum actum amoris Dei super omnia, qui est etiam virtualis contritio, pariter justificatur, ac remissionem peccatorum consequitur. Sicut ergo in lege, inquam veteri, contritio ipsa perfecta formalis, aut virtualis, hominibus in mortale lapsis necessaria fuit ad se liberandos ab ipso, & justificandos: ita quoque in lege hac nova Evangelica, in mortale prolapsis necessaria est simpliciter susceptio ipsa in re, vel in voto dictorum duorum Sacramentorum ad remissionem, & justificationem acquirendam, quæ ob id appellantur Sacramenta mortuorum. Et hoc quidem certissimum est; imò veritas de fide: definita (loquendo de Baptismo) ab *Eugen. IV. in suo Decreto fidei, & à Trident. Sess.* 7. *Can.* 5. *de Baptismo*, & habetur apertè *Joannis IV. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Et si de Pœnitentiæ, & Confessionis Sacramento (de quo solum hic sermo) item expressè definita in *Trident. Sess.* 14. *cap.* 2. *de Pœnitent. in fine*: per hæc verba *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium; ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Item *Canon* 6 *Si quis negaverit Confessionem Sacramentalem, vel institutam*,

institutam, vel ad salutem necessariam esse Jure Divino, &c. anathema sit. Et ita Catholici omnes cum *D. Tho. in Supplemento qu.* 6. *art.* 2. contra Hæreticos nostri temporis. Sicut igitur ante legem Evangelicam obligabat contritio ex Jure Divino, ita ex eodem Jure de facto obligat Sacramentalis Confessio. Et hujus ratio, est, Quia illud ad salutem necessarium est (necessitate medii intellige) sine quo prima gratia haberi nequit: si enim ipsa prima gratia ad salutem necessitate medii necessaria est, haud dubiè, id etiam sic necessarium erit, sine quo gratia hæc non potest haberi: atqui de facto sine Sacramento pœnitentiæ in re, aut voto, respectu eorum, qui post Baptismum in mortale sunt prolapsi, gratia prima haberi non potest: Siquidem nonnisi duo Sacramenta extant, quibus vel in re, vel in voto susceptis, per se habetur prima gratia, nimirum Baptismus, & Pœnitentia: homo autem post Baptismum lapsus in mortale, baptismo mediante, ob ejusdem irreiterabilitatem, dictam primam gratiam consequi nequit, ideoque nisi eam obtineat mediante Sacramento pœnitentię, nullatenus obtenturus est; ergo, &c. Sed

873 Dices. Si Sacramentum pœnitentię omnibus post Baptismum lapsis in mortale esset ad salutem necessarium saltem in voto, Christus in lege gratiæ onus Ecclesię magis aggravasset, quam alleviasset: si quidem majus onus est debere salvari per Sacramentum pœnitentiæ, quam sine eo, ut in lege scripta fiebat, in qua homines justificabantur per solam contritionem, absque incluso voto hujus Sacramenti; atque hoc consequens nemo admiserit; ergo. Respondeo negando sequelam majoris: nam Sacramentum pœnitentiæ à Christo in lege gratiæ institutum, hoc relevamen addit, quod de facto justificari possumus per attritionem accedente Sacramento Confessionis, cum tamen in lege veteri nonnisi per contritionem perfectam (quam habere difficilius erat) justificatio obtineri potuerit. Nec etiam ex hoc majus onus imponitur, quod contritio votum Sacramenti pęnitentiæ, & confessionis habere debeat annexum, quod olim non habebat: cum enim votum istud non debeat esse necessariò explicitum, majorem difficultatem non involvit, ut de se constat.

874 Instabis: In lege veteri fiebat peccatorum remissio sine præmissione talis Confessionis: ergo cum ex Christi institutione hæc præmitti debeat in lege nova, hac ratione Christus reddidit remissionem peccatorum difficiliorem, & per consequens viam ad salutem nobis fecit arctiorem. Adde, quod confiteri sacramentaliter Sacerdoti propria occultissima peccata videtur esse contra legem naturæ, cum sit seipsum infamare, quod grave utique est ut patet; & onus quod in lege veteri non extabat; & sine quo peccatores justificabantur, idest cum contritione sola, absque confessione, ergo. Respondeo ad instantiam negando consequentiam: non enim remissio peccati difficilior facta est in lege nova ex institutione Sacramenti pœnitentiæ, ut essentialiter includentis confessionem, quia haud dubiè modo facilius est attritionem jungere peccatorum confessioni, & absolutioni sacramentali, sicque veniam consequi, quam olim fuerit in lege scripta, perfectam contritionem elicere, eaque elicita peccatorum remissionem obtinere. Ad id quod additur: Dico *primò*, cum *P. Pasqualigo in Sacra Morali Doctrina to.* 2. *disp.* 83. *De Integrit. Confess. sec. p. n.* 5. In Confessione non aperiri peccata Sacerdoti, ut homini, sed ut gerenti vices Dei, atque adeo absque infamia, quia confessio est tribunal, in quo est judicanda conscientia in ordine ad reconciliationem cum Deo. *Secundò*: Nec etiam propriè, ac rigorosè loquendo verum esse quod confessio sacramentalis sit ex parte pœnitentis, sui diffamatio (hinc optimè *Fagund. Præcep.* 2. *Eccles. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 9. *in princip.* ait: *In Confessione nunquam datur vera ratio infamiæ*: quam conclusionem extendit etiam ad complicem peccati, quando & ipse in confessione necessariò à pœnitente declaratur) quia diffamatio propriè cedit in detrimentum diffamati, patefactio autem peccatorum occultorum in confessione sacramentali cadit in proprium commodum pœnitentis. *Tertiò*: Et si daremus, quod occultorum peccatorum confessio esset aliqualis (materialiter saltem) sui ipsius diffamatio, hanc tamen non esse inconvenientem, quando fit justa de causa, ut fit in Sacramento pœnitentiæ, sed solum quando nullam justam, ac rationabilem causam habet. Et licet distincta occultorum peccatorum confessio sit nonnihil gravis, & homini tantisper difficilis, ardua, ac verecunda videatur, multis tamen abundat commodis, quæ ipsam alleviant, & propter quæ conveniens fuit ut à Christo institueretur. Quod etiam declaravit *Concil. Trid. Sess.* 14. *cap.* 5. *De Confessione*, per hæc verba: *Ipsa verò hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot, tantisque commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè*

ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur. Quorum *primum* est, quod per hanc obtineatur peccatorum venia. *Secundum*, quod peccatores ex confessione reportare soleant sana consilia; salubres instructiones in multis, præcipuè in ordine ad restitutionem faciendam tum rei, tum famæ, quam alteri abstulerint: ad inimicitias sedandas, & pacem veram inducendam, &c. item solatia, & alia opportuna remedia contra periculum relapsus. *Tertium*, quod verecundia, ac quasi timore confessionis tanquam frœno quodam, à peccatis retrahantur multi. *Quartum*, quod per verecundiam, & humiliationem Confessioni conjunctam, peccator magna ex parte satisfaciat pro restantibus pœnis temporalibus, & quodammodo redimat confusionem, quam peccatores in die judicii patientur, quando Deus revelabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium.

875 Præter igitur præceptum Divinum de Confessione Sacramentali, datur quoq; & Ecclesiasticum, & utrumque obligat (ex dictis) sub mortali. Divinum quidem in articulo, seu periculo mortis, Ecclesiasticum verò ad Confessionem annuam; adeo ut ex vi hujus teneantur omnes fideles utriusque sexus, semel singulis annis confiteri omnia peccata mortalia quorum habent conscientiam. Circa quam obligationem, quia certè fuit antehac probabilis visa sententia gravissimorum etiam Doctorum, Præcepto huic Ecclesiæ satisfieri per confessionem etiam sacrilegam, informen, & invalidam; huic eidem sententiæ omnem probabilitatem abstraxit *Decretum Alexandri VII.* inter propositiones damnatas *Anno* 1669. & hanc numerans (quæ est 14.) *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*: & quæ neque mihi unquam placere potuit; meritoque damnata. Cujus etiam damnationis meritū clarè constat, tum quia præceptum Confessionis est Divinum substantialiter, & quoad solam temporis determinationem Ecclesiasticum: ex præcepto autem Divino tenetur homo integrè, & validè confiteri, quantum est ex se; tum quia Confessio voluntariè facta invalidè, non est sanè Confessio, si quidem desunt illi essentialia, ergo per eam satisfieri non potest præcepto Ecclesiæ de annua Confessione, voluntariè enim nulliter, seu invalidè confiteri, est non confiteri, ut patet; tum etiam quia Ecclesia præcipere potest, & re ipsa præcipit, ut Sacramentum pœnitentiæ percipiatur secundum sua essentialia ab iis, qui peccati mortalis sibi sunt conscii; ergo quando illud non percipiunt secundum sua essentialia, præcepto Ecclesiæ non satisfit; Sed quando Confessio est invalida, idem Sacramentum non percipiunt secundum sua essentialia, cum hoc ipso aliquod essentiale deesse debeat; ergo.

876 Nec valet recurrere ad commune oppositum, quod Ecclesia videlicet non possit aliquid statuere circa internum actum pœnitentis, cum de occultis non judicet, consequenter esto Confessio esset nulla ob defectum interioris actus pœnitentis, nihil ipsius præcepto officere. Non inquam valet, nam esto nil possit Ecclesia statuere circa actum internum, qui non pertineat ad substantiam externi, directè cadentis sub ipsius præceptum, statuere tamen aliquid potest circa internum, qui pertineat ad substantiam ejusmodi externi: sicque potest præcipere actum internum indirectè, quatenus scilicet iste inservit ad ponendum actum externum ab ipsa præceptum; ut communiter D. D. Addo tamen, quod hujusmodi recursus in hac re omittendus est: Quia Christus ipse est qui præcepit Confiteri, Christus autem Deus est, qui actus etiam internos præcipere potest, & sic dum præcipit Confessionem, hanc exigit validam, sed quia tempus illam faciendi non determinavit, Ecclesia in *Cap. Omnis*, statuit ut semel in anno unusquisque faciat Confessionem à Christo præceptam, nimirum validam: hinc & mortaliter peccat, & præcepto Ecclesiæ de annua Confessione nullatenus satisfacit, qui voluntariè Confessionem facit invalidam, seu nullam.

877 Qui verò eandem informem, seu nullam faceret involuntariè, ex ignorantia probabili ut sæpè accidit, & accidere potest, excusatur à peccato contra præceptum annuæ Confessionis, ut in proposito privilegio: Cum per D. D. communiter involuntarietas, & ignorantia invincibilis tollat rationem peccati. Unde qui invincibiliter ignorat priorem suam Confessionem fuisse invalidam, invincibiliter etiam ignorat non implevisse præceptum, quo stante à peccato contra Confessionis præceptum excusatur. Non tamen per hoc adimplet præceptum, nec satisfacit; quia sicuti non satisfacit qui voluntariè facit Confessionem nullam, eo quod non ponat veram Confessionem, ita nec satisfacit, qui involuntariè facit Confessionem nullam, eo quod etiam tunc non ponatur vera Confessio.

Quare,

Quare, si quando cessaret dicta ignorantia, & innotesceret defectus, & nullitas Confessionis, repetenda iterum esset, ut præcepto satisfaciat, qui eam informem fecit, seu nullam: jam enim obligatio eadem peccata denuò confitendi, & legitimè clavibus subiiciendi reviviseret in communi sententia.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Qui in Confessione per quam annuum Ecclesiæ præceptum intellexit adimplere, ex ignorantia probabili, & oblivione, omisit aliquod mortale cujus recordatur post sumptionem Communionis Paschalis, excusatur ab obligatione ex vi annui præcepti illud omissum confitendi intra eundemmet annum, & si nondum etiam iste sit elapsus.

878 SEquitur hoc privilegium ex superius dictis *initio hujus Capitis*. Accedit etiam ratio clara, quia jam iste satisfecit præcepto confessionis, cum re ipsa semel in anno confessus sit; & ideo vi hujus præcepti non tenetur amplius eodem anno confiteri: quapropter differre potest confessionem illius mortalis ex ignorantia, seu oblivione omissi: quoadusq; ex deuotione primam confessionem fecerit: vel donec ex vi alterius obligationis teneatur confiteri. Et ita etiam *Navarr. in Man. cap.* 2. *n.* 10. *Reginald. in prax. to. pr. libr.* 6. *n.* 40. *Suar. de Pœnit. disp.* 23. *sec.* 2. *n.* 8. *Conincb de Sacramentis disp.* 5. *dub.* 8. *n.* 66. *P. Alphons. De Leone De Offic. & Potest. Confess. Recollect.* 18. *n.* 35. *Filliuc. tract.* 7. *cap.* 3. *qu.* 6. *n.* 57. *Molfesius tract.* 7. *cap.* 10. *n.* 38. *Bonac. to. p. De Pœn. Sacram. disp.* 5. *qu.* 5. *sec.* 2. *punc.* 4. *n.* 32. *Tolet. in Summ. lib.* 3. *cap.* 8. *n. p. Fagund. Præcep. Eccles.* 2. *lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 17. *Diana Coordin. to. p. tract.* 3. *res.* 56. *nu.* 3. *Ex par.* 3. *tract.* 4. *res.* 123. *aliàs* 124. *Bassæus Verbo Confessio Sacramentalis p. Leander par. p. tract.* 5. *q.* 45. & alii apud citatos.

879 Dicit privilegium, *cujus recordatur post sumptionem Communionis Paschalis*: Quia si recordetur ante communionem, tenetur per se loquendo, mortale oblitum confiteri antequam ad communionem accedat, cum nullus possit ad Eucharistiam accedere, nisi peccatorum mortalium quorum habet conscientiam confessionem præmittat, juxta præceptum *D. Pauli* 1. *Corint.* 11. *Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat. Qui enim manducat indignè, judicium sibi manducat*. Et declarationem *Trident. sess.* 13. *cap.* 7. per quam statuit, conscium peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, confiteri sacramentaliter debere antequam ad Sacram Eucharistiam accedat. Teneretur igitur & iste (sed Divino præcepto) si Sacram Eucharistiam vellet accipere: quod si nollet, peccaret quidem contra præceptum communicandi in Paschate; non autem contra præceptum annuæ confessionis. Sic *Bonac. n. c. vers. Si verò. Leander tract. c. quæst.* 38. alios allegantes.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Qui congruo præmisso examine, ignorat aliquod letbale quod commisit, nec illi (inculpabiliter) occurrit dum confitetur, fructuosam, validamque facit Confessionem (ni aliud ei essentiale desit) & à sacrilegii reatu excusatur.

780 ITà certum est hoc privilegium, uti indubitatum, quod confessio, & si non integra materialiter, attamen ratione integritatis formalis, valida est, licita, & fructuosa, manente tamen semper obligatione, peccatum illud oblitum, seu ignoratum, cum aliquando occurret subiiciendi clavibus; sic enim D. D. omnes: in hoc convenientes, quod integritas formalis sufficiens sit ad valorem confessionis, quamvis materialiter illi desit aliquid, ut in casu hujus privilegii pro quo stat etiam, & convincit auctoritas, & ratio *Concil. Trid. sess.* 14. *Cap.* 5. *De Confessione:* sub sequentibus verbis: *Constat enim, nibil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se, & Dominum Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta psal.* 18. *dicimus: Ab occultis meis munda me Domine*. Ex quibus, & ratio fundamentalis privilegii hujus habetur, & distinctio integritatis materialis, & formalis Sacramentalis Confessionis eruitur, ut patet. *Materialis* namq; Confessionis integritas (ut ex iisdem *Trid.* verbis) est qua omnia peccata secundum numerum, & speciem exprimuntur, quæ secundum præceptum Divinum, & Christi Domini per se loquendo exprimenda sunt: *Formalis* verò integritas est, qua exprimuntur omnia peccata secundum spe-

ciem, & numerum, quæ, & quatenus quis conſcientia ſua dictante, hic & nunc exprimere poteſt, & debet: ſeu quæ conſcientiæ ſuæ hic, & nunc confitenda practicè proponuntur, ſive reipſa deinde omnia omninò enumerentur [& erit integritas *materialis* ſimul, & *formalis*, ac confeſſio *materialiter*, & *formaliter* integra.] Sive aliqua omittantur *ſcienter* & dedita opera, ſed ex juſta cauſa; vel à parte rei, vel bona fide probabiliter, & inculpabiliter habita pro juſta: Vel ob inculpabilem oblivionem, ſeu ignoranter, ut in propoſito privilegio, & ſic erit integritas *formalis* tantum (quæ apud omnes Catholicos, eſſentialis tantum eſt Confeſsioni Sacramentali) & Confeſsio adhuc formaliter integra: quia adeſt voluntas (ut ſupponitur) omnia confitendi peccata, ſi nihil obeſt: vel ſi occurrent in caſu noſtro: Et ſi formaliter integra (quamvis non materialiter) ergo valida, licita, & fructuoſa, & abſque reatu: ergo verum privilegium propoſitum.

881 Quod præterea confirmatur: nam tum impotentia phyſica, tum impotentia moralis (per omnes) excuſat ab integritate materiali Confeſsionis, ut omiſsis aliquo, vel aliquibus peccatis mortalibus, ſufficiat integritas formalis tantum, nec ſacrilega ſit talis confeſsio; cum nullum præceptum obliget ad impoſsibile. *Impotentia phyſica* eſt, quandocumque quis ad materialiter integrè confitendum phyſicè eſt impotens: ut accidit, & accidere potest in multis caſibus, quos vide *De Integritate Confeſſ.* apud D.D. *Moralis impotentia* est, quandocunque ex confeſsione certi peccati, vel circunſtantiæ timetur meritò grave damnum ſpirituale, aut corporale, vel proprium ipſius pœnitentis, vel Confeſsarii, vel alterius tertii; tunc enim, & in hujuſmodi caſibus (à pluribus ibidem recenſitis) potest peccatum illud taceri abſque Sacrilegii labe, ex omnium Catholicorum communi. Et ratio est, quia hic, & nunc cenſetur moraliter fieri non poſse, quod ſine gravi damno ſui, vel proximi fieri non potest: neque præceptum Divinum poſitivum confitendi integrè obligare potest cum tanto incommodo, ſed cedere debet præceptis legis naturalis de conſervanda propria, vel aliena vita, fama, ac avertendis damnis, & periculis gravibus ſpiritualibus, & corporalibus, &c. At, qui ob inculpabilem ignorantiam, ſeu oblivionem, omittit in Confeſſione aliquod lethale, ut in privilegio, ob utranque impotentiam id facit, phyſicam vedelicet, & moralem, ergo. Major eſt certa: item minor, utpote incluſa in majori tanquam particularis in ſuo univerſali: & eſt inſuper propoſitio, & argumentum. *Suar. in 3. p. to. 4. diſp. 23. ſec. 3. nu. 2.* ubi ad rem hanc ſic: *In hoc caſu intervenit impotentia vel moralis, vel etiam phyſica. Unde ſi talis confeſſio non ſufficeret, non poſſent homines Sacramentum hoc cum aliqua morali ſecuritate recipere. Quod non ſolum procedit de propria oblivione, quæ dicit carentiam memoriæ, & ſpectat ad ignorantiam facti, ſed etiam de quacunque ignorantia probabili Juris, ratione cujus homo exiſtimat ſe poſſe licitè omittere tale peccatum in Confeſſione, vel quia probabiliter putat non eſſe mortale: vel certè quia invincibiliter credit adhibuiſſe diligentiam neceſſariam, cum tamen revera non adhibuerit: quia in omnibus his, & ſimilibus caſibus confitetur omnia, quæ invincibiliter exiſtimat eſſe confitenda, & ità formaliter implet præceptum de integritate Confeſſionis. Nam in his omnibus caſibus eadem eſt ratio vel impoſſibilitatis moralis, vel ſufficientis excuſationis, utraque enim ſufficit ad integritatem formalem.* Hactenus *Suar.* per quem ut patet, integritas formalis confeſſionis conſiſtit cum quacumque ignorantia probabili: & ſi ſic (uti ſanè eſt per D.D. omnes, unanimi conſenſu aſſignantes oblivionem, ſeu probabilem ignorantiam pro legitima cauſa excuſante ab integritate Confeſſionis materialis) verum conſequenter propoſitum privilegium.

882 Verum inquam, ut excuſet etiam ignorantia, vel oblivio de facto inculpabilis, etiam ſi hæc ex aliqua gravi culpa oriatur quod eſt valdè notandum cum *Marchant Tribun. p. 1. tr. 4. to. 6. qu. 6.* quem refert, & ſequitur *Patritius Sporer p. 3. Tyrocinii Sacram. q. 6. Ord. 27. §. p. nu. 659. fol. 430.* Et ſi enim antea quis peccaverit, quando oblivioni, vel ignorantiæ cauſam dedit: utpote quia confeſſionem diù nimis diſtulit, etiam non ſine tranſgreſſione præcepti annuæ Confeſſionis, aut quia veritatem ſufficienter non inquiſivit: ſi tamen dum confitetur, dolens de præterita culpa, volens ſi recordari poſſet, omnia confiteri, peccati alicujus obliviſcatur; jam oblivio, ſeu ignorantia non erit amplius voluntaria, atque adeo excuſabitur à Sacrilegii reatu, ut in privilegio, & ab integritate materiali Confeſsionis: nam & ſi ſit culpabilis in cauſa, & radice ſua, modò tamen hic, & nunc culpabilis non eſt.

883 Hinc ſequitur, quod quamvis plurimi in pueritia, vel juventute (maximè rudes) confitentes, in confeſsionibus ſuis aliqua omittant peccata, ob ignorantiam inculpabilem, vel naturalem oblivionem, à culpa

culpa immunes sint: unde pervenientes ad annos maturioris prudentiæ, & memoriæ, dum in cognitionem, vel recordationem eorum peccatorum veniunt, non teneantur dictas præcedentes Confessiones repetere, validæ enim fuerunt ratione integritatis formalis, sed sufficiet eis sola peccata ante inculpabiliter oblita, vel ignorata, confiteri. Quod idem corollarium extendo etiam (cum *Henriq. de Pœnit. lib. 2. cap. 12. initio.* & *Fagund. 2. Eccles. præcepto lib. 3. cap. 3. n. 8.*) ad eosdem pueros, & rudes, qui licet in eadem etiam ætate cognoverint se culpabiliter præcepta quædam violasse legis naturalis, aut Divinæ, attamen ideò illa peccata non sunt confessi, quia ignorabant Confessionis præceptum: sciebant quidem illa esse peccata, at prorsus ignorabant, se esse obligatos ad Confessionem, aut dari Confessionis præceptum, & solum in majori ætate cognoscunt confitendi obligationem: & hi enim inquam, licet non excusentur à peccato quando talia in illa ætate egerunt; excusantur tamen ab obligatione confitendi: quia præceptum confessionis quoad illa peccata ignorabant. Quare pueri, & puellæ, sic etiam rustici, ac rudes noviter agnoscentes obligationem, quam habebant confitendi ea, quæ tunc commiserunt, non tenentur modò iterare, ac repetere confessiones præteritas, sed sufficit, idipsum tantum confiteri: & ratio est, quia id peccatum ob ignorantiam fuit omissum, unde ignorantia excusavit; quia sic integra fuit confessio formaliter, si non materialiter: consequenter non repetenda, quia non sacrilega, ut in privilegio; & ita etiam præter citatos *Bonac. De Pœnit. disp. 5. q. 5. sec. 2. punc. 2. §. 3. Diffic. 4. n. 2. Bassæus verbo confessio p.* aliique communiter. Non repetenda in quam Confessio, exprimenda tamen absolutè peccata eadem omissa tantum (quia videlicet inculpatè oblita, vel alia justa de causa non confessa) in sequenti Confessione, accedente eorundem peccatorum memoria. Contrarium enim asserere. Propositio *est XI. à Sanctiss. Alex. VII.* damnata: quæ est hujusmodi. *Peccata in Confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.* Ad cujus etiam expressionis, atque Propositionis normam (omnino) pariter intellige mi Lettor, & non aliter, etiam ea, quæ quo ad hoc, pono, & affirmo in Privilegio sequenti.

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Qui in Confessione omisit aliquod mortale, ignorans invincibiliter esse tale, à culpa, & ab iteratione Confessionis excusatur.

884 ITa est utique, quia videlicet confessionem fecit validam & formaliter integram. Solum ergo tenebitur ad summum explicare in nova Confessione peccatum in priori omissum. Sequitur hoc privilegium ex præcedenti ut patet. Et sub iisdem ferè terminis proponitur, & approbatur *à Leandro par. p. tract. 5. de Sacram. pœnit. disp. 5. qu. 69.* referente pro eodem etiam *Navarr. in cap. Fratres de pœnit. dist. 5. n. 82. Sylv. verbo Confessio p. qu. 3. Vasq. qu. 92. art. 3. dub. p. Reginald. lib. 6. nu. 153. Bonac. l. c.* & alios (*in præcedenti privilegio citatos*) eadem de causa à repetitione confessionis pueros excusantes, qui in Confessione aliquod mortale tacuerunt; ignorantes invincibiliter mortale esse, sed grandiores facti, mortale esse agnoscunt. Quo privilegio supposito, *P. Diana tom. 1. Coordin. tract. 3. res. 119. ex p. 3. tract. 4. res. 107. aliàs 108.* affirmat, se resolvisse de quodam puero, qui usque ad decimum tertium annum, non se accusavit de pollutionibus, quas ordinariè faciebat, ignorans invincibiliter, illas esse peccatum: illum non fuisse adstrictum præteritas confessiones reiterare, sed sufficere, se in prima confessione de pollutionibus factis, accusare.

885 Dixi supra (ad summum.) Quia licet Doctores in casu hujus privilegii communiter asserant, dictum peccatum omissum in priori, in nova Confessione debere confiteri: non desunt tamen qui oppositum doceant. Hujusce opinionis videtur esse *Jacob. Marchantius Resolutionum Pastoralium tract. 5. De Sacram. Pœnit. cap. 3. De Integrit. Confession. qu. 3.* in qua inquirens: Quid agendum sit Confessario cum pœnitente, qui interrogatus de numero dicit se non esse solitum in præcedentibus confessionibus illum exprimere, nec de hoc interrogari: *an talis debeat repetere confessiones præcedentes?* Respondet: *Si ignoraverit hoc esse necessarium exprimere ad integritatem, & validitatem confessionis, non esse compellendum ad repetitionem: sicut nec quando omittit aliquod peccatum mortale, quod non putabat, nisi veniale.* Hoc ultimò additum, est ad rem nostram ut patet: quare ergo additum? Quia videlicet, si non putavit mortale (inculpabiliter suppono) nec tale commisit,

misit, ergo nec in nova confessione subiiciendum clavibus necessariò. Et ità ob id pariter, decidendo, respondet ad aliud consimile quæsitum *Bordon. in suis Decisionib. miscellaneis*, *Decis.* 321. quæ est hujusmodi. *Vir alioquin prudens, & sciens, qui antea in suis confessionibus nunquam se accusavit de desideriis carnis, Furti, Odii, &c. eò præcipuè, quia putabat ea non esse peccata; aut de illis nunquam dubitavit, sint ne peccata, non debet esse anxius circa præteritas Confessiones respectu integritatis, neque tenetur illas reficere, neque hujusmodi desideria aliàs non confessa modo confiteri. Ratio est clara. Primò, quia stante ejus bona fide, quæ secundum omnes à peccato excusat, non peccavit: ergo ex hoc capite non tenetur reficere Confessiones. Secundò, dictæ Confessiones non caruerunt sua integritate, quia integritas habet pro objecto solum peccatum tale cognitum ex parte Pœnitentis, qui in casu nostro nunquam habuit cognitionem, vel advertentiam, illa desideria fuisse peccata, & ignorantia fuit inculpabilis, sicut fuit in D. Paulo dum dixit ad Rom. 7. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Ex quo, Tertiò sequitur hunc Virum non teneri ea desideria confiteri, quia solum peccatum est objectum hujus Sacramenti. Nihilominus pro quiete conscientiæ suæ poterit, si vult ea desideria fateri talia, qualia sunt in seipsis, simul cum aliis peccatis. Ita Bordonus.*

886 Prosequens autem idem *Marchantius* suam responsionem *n. anteced. initio* allatam, Advertit: quando pœnitens de numero omisso in prioribus Confessionibus tacet, ignorans obligationem illum exprimendi, confessarium non teneri eundem hac de re interrogare; sed posse bona fide eum relinquere, maximè si potius perturbationem timeat, quam fructum speret. Imo rustici, qui bona fide putant se benè confessos, non sunt multum inquietandi interrogando de aliquo præteritæ Confessionis, nisi aliquid essentiale defuisse manifestum sit. Nam etiamsi quandoque confessiones fecerint materialiter non integras, propter tamen bonam fidem censentur formaliter integræ, & sic sufficientes: ita *Marchantius resp. c.* qui præterea eodem *cap.* 3. *c. in respons. ad* 2. *quæsitum*, docet sequentia, quæ in gratiam tum pœnitentium tum etiam Confessariorum placet referre. *Si numerus peccatorum aperiri non potest, aperienda est consuetudo, quanta, & quam diuturna fuerit, ut quantum fieri potest, status pœnitentis intelligatur; dum tempus, & frequentia aliquo modo indicatur, ut toties in hebdomada, vel mense, vel anno. Qui autem non potest hæc etiam specificare, dicat, se valde sepè hæc fecisse, aut quasi quotidie, aut frequenter in septimana: hoc etiam sufficiet ad aliquo modo statum aperiendum, prout potest. Nam velle rudes ad specialiorem numeri specificationem urgere, potius est velle eos divinare, quam verisimilia confiteri. Et experientia nobis constat, quod cum urgemus eos verisimilem numerum dicere in specie, si aliquem exprimant numerum, nonnisi conjecturam verisimilem facere: tum quia in diversis peccatis ferè eundem numerum expriment, licet unum præ altero longè illis frequentius fuerit: tum quia postea, specialius interrogati, quoties in die, hebdomada, vel mense, invenitur ex ipsorummet declaratione, non fuisse prius vel tertiam partem numeri expressam. Videnturque solum importunitatem Confessarii urgentis voluisse fugere conjecturali alicujus numeri expressione; Unde aliquando dicunt se commisisse id centies, & centies, idest sæpissimè:* hæc *Marcantius*, quæ uti & alia *d. cap.* 3. ex aliis etiam Doctoribus recensita, declarat se adnotare voluisse (cum *Filliuccio*) propter anxietates, quæ quandoque ob similia contingunt Confessariis circa pœnitentes ignorantes, rudes, & negligentes, quos difficile foret ad repetendas confessiones inducere, quia genii duriores. *Circa quos* (concludit uterque) *potest uti Confessarius sententia favorabili Doctorum, quæ probabilis habetur.* Cui conclusioni favent valdè verba, & doctrina *Fagundez* ab ipso tradita *Secundo Eccles. Præcep. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 14. ibi enim loquens de actibus ordinariè, & proximè peccatum copulæ subsequentibus, uti sunt verba turpia, gaudium, complacentia, amplexus, oscula, &c. & quærens, an qui habuit copulam teneatur illos confiteri: adhærensque Classicorum Doctorum negativæ sententiæ, uti veriori, ac probabiliori (tum quia pauci admodum comparatione aliorum inveniuntur, qui post ipsum actum copulæ, aut post vindictam injuriæ, aut commissum furtum, non complaceant, non loquantur ea de re, & paucissimi Confessarii, etiam doctissimi, hanc circunstantiam interrogant: tum etiam quia, licet singuli prædictorum actuum sint peccata mortalia in judicio Dei: nihilominus, cum communiter ante, & post principalem actum copulæ multa cogitata, dicta, & facta inordinata, & impudica soleant dici, explicata copula, satis constat moraliter Confessario de statu pœnitentis, ut illi medicinam congruam applicare possit) concludit ipse quoque rem suam per sequentia consolatoria verba: *Nihil enim amplius in hoc judicio Dei, & Confessionis requiritur, quam ut Confessarius statum agnoscat pœnitentis,*

nitentis, ut non feratur judicio cæco, & imprudenti: & aliquando etiam expediet, ut meretrices, & Scorta de hujusmodi actibus sigillatim non recordentur cum periculo gravi suarum conscientiarum: præceptum enim divinum, & positivum Christi, est suave, & obligat, quantum satis est, ad consequendum finem gratiæ: satis autem est ad consequendum hunc finem, ut Confessarius statum peccatoris agnoscat, quem satis agnoscit explicato actu principali copulæ, & numero actus illius, &c. hæc *Fagundez*: notanda à Confessariis, maximè anxiis, & scrupulosis. Quibus etiam addo ego, non esse inquirendas à Confessariis, aut explicandas à Pœnitentibus eas complacentias, quæ immediatè, & post concomitantur actum; at benè eas quæ post horæ dimidium, & ultrà committuntur, utpote non moraliter coniunctas cum actu. Sed

887 Quæres, an etiam qui temerè, & erroneè, ac ex ignorantia crassa omisit in Confessione aliquod lethale putans non esse tale, excusetur à culpa, & ab iteratione Confessionis. Respondeo negativè: quia in tali casu & peccavit mortaliter, & fecit Confessionem sacrilegam irritam, & invalidam: atque adeo nedum tenetur peccatum omissum confiteri, sed etiam totam confessionem utpote nullam iterare. Ità *Suar. Layman, Ochagravia, Lugo, Hurtado, Palao, Thomas à Iesu in Tribunali conscientiæ cap.* 6. quos & alios refert, & sequitur *Leander par. p. tr.* 5. *de Poen. disp.* 5. *qu.* 70. Et quamvis *P. Diana par.* 3. *tr.* 4. *ref.* 107. *aliàs* 108. docuerit cum *Reginal. in Praxi to. p. lib.* 6. *c.* 5. *sec.* 3. *nu.* 153. & aliis, non teneri Confessionem reiterare, qui per ignorantiam crassam temerè, & erroneè aliquod peccatum in Confessione omisit, sed teneri tantùm peccatum omissum postea confiteri: re tamen melius considerata, & ipsemet *par.* 10. *tr.* 14. *ref.* 19. huic responsioni nostræ adhæret; nempe esse Confessionem iterandam, quia fuit omninò irrita, & invalida, cum in ipsamet confessione peccatum patratum fuerit, & non confessum, igitur invalida ex defectu integritatis.

PRIVILEGIUM QUINTUM.

Qui ob ignorantiam, grosso modo, sine certo numero peccatorum mortalium, indocto Parocho, bona fide confessus est, excusatur, detectò etiam errore, à reiteratione Confessionis.

888 LEander *l. c. qu.* 71. loqnens de Rustico ignorante, dicit esse certissimum hoc privilegium: *Certissimè, & absque ullo timore dictus Rusticus non tenetur ad reiterandas Confessiones, quia revera, fuerunt validæ, & fructuosæ: & pro* hoc eodem privilegio sunt etiam *Navarr. lib.* 5. *Consil. tit. de pœn. & remiss. Conf.* 12. *in resp. ad p. qu. Henriq. lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 10. *in fine. Fagund. Eccles. præcep.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 5. *& cap.* 4. *n.* 10. *Diana To. p. Coord. tract.* 7. *ref.* 122. *Ex p.* 3. *tract.* 4. *ref.* 88. *aliàs* 89. *Bassæus Verbo Confessio Sacram.* 4. *Vers. Hinc insuper*, & alii. In hoc omnes convenientes, quod Rustici ignorantes homines, qui agresti, & inculto modo bona fide confitentur, sine numero, & diligentia, cogendi non sunt repetere confessiones factas cum indoctis Parochis. Quia cum hi habeant uniformem vitæ modum, nec extraordinariis vitiis, aut negotiis sint assueti, ex iis, quæ confitentur se uno mense, vel hebdomada, aut anno commisisse, facilè coniiciet prudens, ac expertus Confessarius, quantum in reliquis labentibus annis deliquerint, & quot numero peccata commiserint.

889 Huic eidem privilegio subscribit etiam *Lugo de Pœn. disp.* 16. *sect.* 14. *à nu.* 577. nonnihil tamen difficultatis facere videtur propter dicta verba citatorum Auctorum: Ex quibus [inquit] non facilè deduci potest, an hi ignorantes Rustici omninò excusandi sint à confessionibus repetendis, & ab accusando se denuò de præteritis peccatis patratis ante ultimam Confessionem: an vero solum excusandi sint ab explicando majori cum distinctione eorum peccatorum numero. Hoc secundum allegati D. D. insinuare videntur [ait *Lugo*] dum asserunt quod prudens Confessarius ex iis, quæ Rusticus confitetur, se hac hebdomada, seu mense commisisse, colliget quid toto anno fecerit, cum ibi videatur sermo esse de nltimo Confessario, qui, quia doctus, colligere poterit numerum in Confessionibus cum Parocho indocto factis, male explicatum: qualem sensum præ aliis expressit *Fagund. n.* 5. *cit.* dum ibi dicit: *Hos non esse cogendos repetere Confessiones præteritas cum indoctis Parochis, sed juvandos esse à prudenti Confessario, præmissis nonnullis interrogationibus, meliori modo quo fieri potest; nam ex his quæ confitentur, se uno mense, vel hebdomada, aut anno fecisse, satis coniicere potest expertus, prudensque Confessarius, quantum toto anno, aut reliquis annis labentibus deliquerint.* Ex quibus verbis *Fagund.* supponere videtur adesse obligationem subiiciendi clavibus peccata illa malè, & grosso modo prius explicata.

cata. Alioquin (infert *Lugo*) ad quid requiritur, quod Confessarius ex præsenti confessione colligat, quantum reliquis retro annis peccaverit? Et si hujusmodi est etiam illorum Doctorum sensus, non videntur consequenter procedere: Nam (arguit *Lugo*) si Rusticus ille cogendus non est magis distinctè, numerum dicere, prius confusè explicatum, eo quod ex uniformi ejus vita colligitur, quid fecerit toto illo tempore: Ergo Parochus potius, cui magis erat notus pœnitens, potuit melius ex illo loquendi modo colligere quid fecerit toto anno, & tunc sibi formare judicium sufficiens non minus, sed magis, quam Confessarius doctus postea, propter majorem notitiam, quam de pœnitente proprius Parochus habebat. *Non est igitur obligatio ulla subiiciendi iterum eadem peccata præterita clavibus, si non est obligatio magis distinctè eorum numerum explicandi: atque ita absolutè dicendum videtur, saltem, dum rusticus manet in eadem impotentia, vel difficultate explicandi melius statum suum*, ita concludit *Lugo n.* 578. *in fine*, argumentum suum, & sub hac eadem conditionata conclusione recipit ut patet, approbatque privilegium propositum. Sed

890 Quæres, An dictus rusticus, si adeò rudis esset, ac ignarus, ut non confiteretur nisi generalia, foret absolvendus? Ad hoc idem quæsitum *Caspensis Cursus sui Theologici to.* 2. *tract.* 24. *disp.* 4. *sec.* 15. *n.* 135. ita respondet. Inquires, quid sit faciendum cum homine rudi, qui non confitetur nisi quædam generalia? *Respond. Si sit verè attritus, & verè apprehendat se peccasse, absolvendus est: communiter tamen, & extra necessitatem non est absolvendus, quia eo ipso quod non confitetur aliquod peccatum in particulari, sufficienter intelligitur non apprehendisse, quid sit peccatum, maximè cum interroganti de rebus in particulari, in quibus regulariter datur peccatum ad minus veniale, ut de distractione in Oratione; ipse tamen semper respondet in nulla re illarum peccasse, quapropter neque attritionem habere potest.* Sic *Caspensis*. At *P. Pasqualig. in sua Theologia Morali disp.* 83. *sec. p. n.* 10. putat, eum posse absolvi, qui solum dicit se peccasse, *etiam si nesciat exprimere aliquod peccatum sive in genere, sive in specie: Quia dum non scit explicare, censetur impotens ad explicandum; qui autem est Impotens, potest absolvi, si solum se accuset, quod peccaverit, ut constat in moribundis*. Ita *P. Pasqualigus*.

PRIVILEGIUM SEXTUM.

Qui meminit solum se lethaliter peccasse, & ignorat hujus peccati speciem, de hoc in genere tantum se accusando, & non de aliquo peccato in particulari, excusatur à reatu invaliditatis Confessionis, & fructuosè absolvitur.

891 Supponit privilegium, quod hujusmodi Confessio habeat proprium requisitum dolorem, & nil aliud ei desit de suo essentiali. Probatur autem: Quia sic talis dat veram, imò necessariam materiam Sacramentalis Confessionis, & absolutionis; sui ipsius videlicet accusationem veram, ex qua Confessarius cognoscit talem pœnitentem peccasse, & de peccato suo dolere, sicque statum ejusdem agnoscit, & eum ex ostensione doloris esse dispositum sufficienter ad absolutionem, ergo husmodi confessio valida est, proficuaq; absolutio: consequenter verum privilegium: Quod confirmatur ex *D. Tho. in* 4. *dist.* 21. *qu.* 2. *art. p. ad p. & art.* 2. ubi expresè docet (ut notat etiam *Coninch* ubi infra) eum qui solum meminisset in genere se fecisse aliquod peccatum mortale, & hoc ita confiteretur, debere absolvi, etiamsi in particulari nihil confiteretur: hoc autem ut patet, est ad litteram privilegium propositum. Accedit etiam Auctoritas aliorum Doctorum, expresè item huic eidem privilegio assentientium: Nam *Navar. in Man. cap.* 10. *n.* 7. *in fine* sic: *Si recordatur se lethaliter crimen admisisse, non tamen occurit in specie, quod fuerit, tunc fateatur se deliquisse mortaliter, etiam si de eo in specie memoriam non habet. Layman. lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 8. *n.* 7. pariter sic: *Si pœnitens non recordetur speciem peccati, sed tantum in genere se mortaliter peccasse, v. g. in pravam cogitationem consentiendo noxium aliquid loquendo: debet hoc ipsum Confessario explicare: cum hæc sit sufficiens, imò necesaria materia Sacramentali Confessionis, & absolutionis, teste S. Tho. in* 4. *d.* 21. *qu.* 2. *art. pr. &* 2. *Suar.* quoque *de Pœnit. disp.* 23. *sec. p. n.* 8. ubi: *Si quis recordetur se peccasse mortaliter, oblitus est autem cujus speciei fuerit peccatum, illud debet saltem confiteri, & se peccasse mortaliter.* Et *n.* 9. *in princip. Si quis certò scit se peccasse aliqua cogitatione, dubitet autem, & ignoret in qua materia, & cum quanta gravitate, mortali ne, an veniali, potest, & debet illud confiteri sicut habet in conscientia, & talis*

sit Confessio habet generalitatem abstrahentem à peccato mortali, & veniali. His addendi sunt *Coninch de Sacramentis disp. 7. dub. 10. n. 97. Vers. Probatur secundò. Diana Coord. to. pr. tract. 7. res. 4. n. 2. Ex p. 3. trac. 4. res. 66.* & apud ipsum *Villalob. in Summ. to. p. trac. 9. Difficult. 34. n. 3.* sed occasione hujus privilegii.

892 Quæres, an etiam qui solum se accusat de peccato veniali in genere, seu de peccatis venialibus in genere, possit absolvi, & fructuosè absolvatur? Ex. gr. si quis devotus, & pius pœnitens accedat ad Confessarium, dicatque non habeo conscientiam peccati mortalis, sed me accuso de venialibus; quibus pluries Deum offendi, de illis doleo, & absolutionem peto: an iste talis possit absolvi, & fructuosè absolvatur, quamvis nullum peccatum in specie confiteatur: Vel teneatur illum cogere Confessarius, ut fateatur unum saltem in specie, antequam illum absolvat. Item si Confessarius audiens Confessionem personæ Spiritualis, ac devotæ sibi notæ, quamque sibi etiam constet alienam esse à peccatis mortalibus, sed ob aliquam distractionem [quæ quandoque accidere potest] nihil adverterit ex iis, quæ confessa est; & ne illam perturbet, ei non imponit ut confessionem repetat: sed solum petit ut se accuset de omnibus peccatis, tum commissis post ultimam Confessionem, tum de aliis anteactæ vitæ, atque pœnitens ita se accuset in genere, an inquam talis confessio sit materia sufficiens legitimæ, & proficuæ absolutionis Sacramentalis? Responsio sententiæ communis est negativa, quod videlicet si pœnitens nullum explicet peccatum in specie, invalida sit absolutio. Quia Pœnitentiæ Sacramentum fuit per modum judicii institutum: ad valorem autem judicii requiritur omninò, ut extra casum necessitatis fiat de materia certa, ac determinata, & de delictis in specie, ergo confessio de peccatis solum in genere, non est materia sufficiens sententiæ judicialis, seu absolutionis sacramentalis in casu nostro. Accedit praxis communis; nullus enim Sacerdos confitentem peccata in genere absolvit, nisi explicato aliquo peccato in specie, ergo &c. Ita præcipuè *Suar. sec. p. c. n. 10. vers. Dico ergo. Bonac. to. pr. de Pœnit. disp. 5. qu. 5. sec. 2. punc. 2. §. 3. diffic. 2. n. 15. Aversa De Pœnit. qu. 10. sec. 16. versu, Quartò denique*; & communiter D. D. dicentes, quod licet non teneamur confiteri peccata venialia, ex suppositione tamen quod velimus confiteri, tenemur materiam omninò certam exhibere, consequenter tenemur in particulari aliquod genus, seu speciem peccati venialis explicare: quoties loqui, & illud in particulari exprimere possumus, quamvis postea non teneamur illa quoad numerum explicare. Quare illi tantum (inquiunt) absolvi possunt, qui cum sola venialia peccata commiserint, solum fatentur se verba otiosa ex. gr. protulisse, nam hoc pacto materiam exhibent satis certam, explicantes speciem peccati loquacitatis, & indicantes se saltem verbum otiosum protulisse. Nihilominus

893 Respondeo ego ad quæsitum affirmativè cum opposita sententia, quæ mihi videtur practicabilis cum pœnitentibus idiotis, & cum personis spiritualibus: & etiam probabilis: quamque ut talem docent etiam *Dicastillus de Sacrament. to. 2. trac. 8. disp. 9. dub. 9. n. 760.* apud *Dianam to. p. Coordin. trac. 4. res. 18. ex par. 3. trac. 5. & Miscell. 5. res. 53. Homobonus de Exam. Eccles. par. pr. trac. 5. cap. 13. qu. 83.* item relatus *à Diana eodem p. to. Coordin. trac. 7. res. 14. n. 3. ex par. 3. tract. 4. res. 6. P. Quarti de Casibus reservatis, in Appendice de Sacram. Pœnit. cap. 2. qu. 3. Versu Opposita tamen, fol. mihi 297.* affirmans *fol. 300. in princip.* eam absolutè tenere plures Viros doctos recentiores à se consultos. Imò &, *Suar. n. 10. c. in princip:* concedit, speculativè loquendo, esse probabilem, posseque defendi. At nos hic absolutè dicimus etiam in praxi esse probabilem, & ut talem defendimus. Quare probatur responsio: *Primò*, Auctoritate prædictorum Doctorum. *Secundò*: Quia peccata venialia sunt quidem confessionis materia, sed voluntaria, unde non subiacent præcepto integritatis, & arbitrio pœnitentis remittitur explicare illa in confessione qualiter voluerit: ergo potest pœnitens ea in genere confiteri, & sic de illis absolvi. Antecedens est certum per omnes: posito enim quod quis non sit reus peccati mortalis, & velit confiteri venialia, haud tenetur confiteri omnia, neque explicare numerum eorum, quæ in specie confitetur, neque circumstantias mutantes speciem, &c. quia præceptum inquam integritatis non extenditur ad venialia. Consequentia verò probatur: quia explicare omnia peccata, & eorundem species, pertinet ad præceptum integritatis, & hoc non extenditur ad peccata venialia, ergo. *Tertiò*: Quia (ut) optimè arguit idem *P. Quarti in probat. 2.* admisso etiam fundamento communis sententiæ, & responsionis. Qui venialia peccata in genere confitetur, sufficienter etiam non-

nonnullas eorum ſpecificas malitias explicat, quæ in omnibus, & ſingulis peccatis venialibus imbibuntur: Qui enim venialia peccata confitetur, & de illis dolet, quatenus ſunt offenſa Dei, explicat ſatis ſe offendiſſe Deum, & deliquiſſe contra charitatem Deo debitam: Vel ſi dolet de iiſdem venialibus, quatenus fœdant animam, & retardant conſecutionem gloriæ, hoc ipſo declarat contra charitatem propriam, & virtutem ſpei, ſe deliquiſſe. Item venialia omnia quibus leviter violantur Dei præcepta, virtuti obedientiæ opponuntur qua tenemur præcepta Dei plenè obſervare: & etiam opponuntur gratitudini, & cultui divino; ergo confitens peccata venialia in genere ſufficientem materiam præbet abſolutionis, ad cujus valorem ſatis eſt, vel unicam malitiam in ſpecie declarare: ita dictus *P. Quarti*. Cujus argumentum ipſemet præterea ſic confirmat: Qui confitetur ſe in re levi violaſſe charitatem proximis debitam; vel obedientiam Prælatis, aut parentibus item debitam; vel ingratum fuiſſe benefactoribus, poteſt validè, & licitè abſolvi; ergo à fortiori poteſt abſolvi, qui confitetur ſimiliter violaſſe charitatem, obedientiam, & gratitudinem Deo debitam, quæ omnia ſufficienter explicat, qui fatetur venialia in genere, hoc enim ipſo dicit, ſe leviter offendiſſe Deum, atque ingratum, & inobedientem ei fuiſſe. *Quartò*: Quia in caſu neceſſitatis moribundi, vel ſimili, confeſſio mortalium peccatorum in genere eſt materia ſufficiens abſolutionis per ſe, & directè, ergo confeſſio venialium in genere eſt ſemper, & extra caſum neceſſitatis materia apta, & ſufficiens abſolutionis. Conſequentia probatur: nam idcircò requiritur caſus neceſſitatis quoad peccata mortalia, quia neceſſitate ſecluſa urget integritatis præceptum, quod non obligat ſtante neceſſitate gravi (Deus enim à nobis non requirit aliam Confeſſionem, quam quæ à nobis hic, & nunc poſſibilis eſt) ſed quoad venialia nunquam, & nullo modo obligat præceptum illud, ergo confeſſio venialium in genere abſolutè, & ſemper eſt ſufficiens materia validæ, & licitæ abſolutionis. Quod autem dicitur de peccatis venialibus, idem quoque aſſerendum eſſe de mortalibus aliàs ritè confeſſis affirmat dictus *P. Quarti l. c. verſu Ex dictis*; & meritò, quia pariter & hujuſmodi peccata ſunt materia voluntaria confeſsionis, & in eis æquè ac in venialibus militat eadem ratio.

894 Et ſi hujuſmodi doctrina, ſententia, ac reſponſio, ſpeculativè vera eſt cum *Suar.* etiam practicè, contra ipſum, talis erit. Tunc enim tantum (ut optimè etiam *Dicaſtillus ubi ſupra relatus à Diana*) in re morali aliquid dicitur ſpeculativè verum, & non practicè, quando id, quod in ſpeculatione conſideratur, non poteſt exhiberi in praxi, quin variatio aliqua contingat. At quando ad praxim reduci poteſt ea ratione, qua in ſpeculatione conſideratur, ſi verum eſt ſpeculativè, practicè quoque verum cenſeri debet. Quare cum confeſsio venialium in genere poſſit exhiberi in praxi eo modo, quo ſpeculativè cenſetur ſufficiens, practicè quoque talis cenſenda erit. Hinc ſoluta manet limitata oppoſitio *Suarez*.

895 Ad argumentum autem reſponſionis negativæ, ex ſententia communi ſuperius propoſitum: Concedimus quidem requiri ad valorem, & rectum ordinem judicii diſcuſsionem determinatæ materiæ in tali ſpecie, quando tamen agitur de delictis gravibus, & de cauſa magni momenti: at non ſic in peccatis levioribus, & parvæ offenſæ, quia tunc ſufficit confuſa cognitio, & in genere, maximè ſi reus voluntariè judicio ſe ſiſtat, & pœnitentiam petat: ut eſſet ex. gr. ſi filius, vel ſubditus ſe accuſarent, ſe pluries in rebus levibus non obtemperaſſe Parentibus, aut Superioribus, quibus non reluctantibus, facilè à Judice abſolverentur levi pœnitentia eis impoſita abſque alia diſcuſsione cauſæ. Præterquanquod eſto etiam neceſſaria eſſet explicatio alicujus malitiæ in ſpecie; hæc etiam clauditur in illa generica Confeſsione ut ſupra ſupponimus cum *P. Quarti*. Cæterum quoad communem praxim ulterius allegatam: concedimus ſecum ipſam à pœnitentibus exigi, ut explicent aliqua peccata in ſpecie: negatur tamen id eſſe abſolutè neceſſarium, quamvis melius ſit, & magis conſulendum. Quapropter abſolvens eum, qui ſolum in genere confiteretur venialia, vel mortalia, alias ritè confeſſa, nullo modo peccaret. Imò periti Confeſſarij, quando ex Confeſsione perſonæ ſpiritualis non apparet actio peccaminoſa pro abſolutionis materia, ſolent ab ea exigere, ut ſe accuſet de peccatis in genere vitæ preteritæ, & ſic eam abſolvunt. Hæc etiam idem *P. Quarti qu. c.* quæ tantum probabiliter ſint dicta: non omittens cum ipſo adnotare, quod huic eidem doctrinæ non parum faveat *D. Tho. in 4. diſt. 21. qu. 2. art. p. ad p.* dicens, poſſe generaliter fieri confeſsionem de venialibus.

896 Ex quibus ſequi videtur, poſſe probabiliter Confeſſarium validè, & licitè abſolvere pœnitentem, qui præter imperfe-

ctiones

ctiones quasdam, se accusat de peccatis mortalibus vitæ suæ aliàs confessis, & absolutis, nihil specificando (quod pariter ex privilegii hujus doctrina, deducit ex nostris valdè doctus, & eruditus *Pater Augustinus Ferrus in suis Casibus Moralibus singularibus Manuscriptis. Casu* 30. *Versu Dicendum Secundò.*) Quia videlicet in tantum tenemur mortalia nedum in genere, verum etiam in specie confiteri, in quantum Divinum urget præceptum de Integritate Confessionis; Igitur quando hujusmodi præceptum non urget satis erit mortalia in genere confiteri: Antecedens constat, quia mortale in specie confiteri non est de necessitate Sacramenti, absolvuntur enim moribundi, vel in alia gravi necessitate constituti, absque eo quod ullum peccatum specificent, quod evidens signum est, Sacramentum subsistere absque peccatorum specificatione, quia nimirum pro illo tunc præceptum integritatis non urget. Consequentia vero sequitur: Si namque Sacramentum subsistit absq; specificatione, quando integritatis præceptum non urget, hinc fit quod quando habet quis sola mortalia jam ritè confessa, quæ non tenetur iterum confiteri, & specificare, Sacramentum subsistat, si illa confitentur solum in genere, quia super ea non cadit integritatis præceptum. Et si dicas, non teneri quidem iterum confiteri mortalia ritè confessa, at supposito quod de iis velit quis iterum absolvi, debet aliqualiter specificare, quia apponi debet Sacramento materia determinata, tanquam tutior. Si inquam hoc dicas, Contra; nego enim assumptum antecedentis: ad cujus probationem, dico, cum *cit. P.Ferro*, materiam determinatam non esse tutiorem pro validitate Sacramenti: quia validitas Sacramenti non requirit tanquam ex sui natura præcisè, ex institutione divina materiam determinatam, cum absque ipsa valeat Sacramentum, ut constat in moribundis: sed requirit materiam quando concurrit præceptum integritatis, tunc enim non est validum, quia non servatur tale præceptum. At quando tale preceptum non urget, ut in Confessione venialium, & mortalium aliàs ritè Confessorum, quomodo credi potest non esse materiam sufficientem sola venialia, & mortalia in genere? Quæ doctrina non est contra propositionem primam damnatam *à Sanctiss. Pontifice Innocentio XI. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore:* Quia dum quis confitetur sola mortalia in genere, non potest esse dubium de valore Sacramenti, quia Sacramentum valet etiam sine materia determinata, ex *citata doctrina Angelici Doctoris in* 4. *dist.* 21. *qu.* 2. *art. p. ad p.* Quod totum probabiliter tantum, ut supra, dictum sit.

PRIVILEGIUM SEPTIMUM.

Pœnitens excommunicatus, qui bona fide procedens, naturali oblivione, aut ignorantia invincibili excommunicationis, absolutus fuit à peccatis ante absolutionem excommunicationis, fuit validè absolutus, & excusatur nedum à peccato, sed etiam ab iteratione Confessionis.

897 Negant hoc privilegium quamplures, & Classici D. D. quos refert *Leander par. p. tract.* 5. *disp.* 5. *qu.* 77. quorum aliquos item allegat (prætereaque sequitur) *Sancius in selectis disp.* 32. *nu.* 11. Quorum omnium fundamentum est, quia talis, utpotè excommunicatus, non est capax Sacramenti pœnitentiæ. Admittunt tamen illud *Navarr. in Man. cap.* 9. *num.* 4. *Cajet. Verbo Absolutionis impediment. Tolet. lib.* 3. *cap.* 10. *n. p. Laym. l.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 12. *Suar. de Pœnit. disp.* 31. *sec.* 3. *n.* 6. *& de Censur. disp.* 10. *sec.* 3. *n.* 9. *Coninch de Sacramentis disp.* 8. *dub.* 13. *Conclus.* 4. *n.* 104. *Diana to. p. Coord. tract.* 4. *res.* 38. *nu.* 2. *ex p.* 3. *tract.* 4. *res.* 78. *Coriolanus de Casibus reserv. p. p. sec.* 3. *de Conditionib. Confessionis Condit.* 8. *n.* 3. *Sanch. l.* 2. *Sum. cap.* 8. *n.* 5. *Lugo de Pœnit. disp.* 16. *sec.* 15. *nu.* 614. *Bassæus Confessio Sacramentalis* 6. *nu.* 5. & alii ferè communiter: Asserentes, Constitutum in excommunicatione, & bona fide, ac ignorantia invincibili excommunicationis, absolutionem petentem, validè absolvi à peccatis; tametsi non absolvatur ab excommunicatione: Igitur si validè sit à peccatis absolutus, excusatur à sacrilegio, & ab iteratione Confessionis, ut in privilegio: Quod probatur: *tum quia*, Ecclesia non intendit privare Sacramento excommunicatum in hujusmodi bona fide, & ignorantia positum: ut patet *ex Cap. Apostolicæ de Cler. excomm.* ubi Papa ait, excommunicatum celebrantem cum hujusmodi ignorantia, non incurrere pœnam juris: Hinc & *Suar. l. c. de Cens. n.* 10. inquit, quod excommunicatus celebrans inculpabiliter ex ignorantia, excusatur à nova censura, & irregularitate; quod docent communiter. *Tum quia*, licet absolutio à peccatis, ante absolutionem ab excommu-

nicatione, sit prohibita (propter quod, & qui illam dat, & recipit scienter, mortale sacrilegium committunt) nullo tamen jure est irrita, & jure optimo, cum nullo modo sit de essentia hujus Sacramenti, quod pœnitens prius absolvatur ab excommunicatione, quàm à peccatis, ut docent allegati: Igitur in casu hujus privilegii, pœnitens absolutus à peccatis, & non à censura, & excusatur à sacrilegio, & à reiteratione talis Confessionis, sed tantummodo tenetur petere absolutionem ab excommunicatione, quotiescumq; sciverit se esse constitutum in ipsa.

898 Adde quod aliàs, qui in excommunicationem incidisset, & ejusdem esset omninò oblitus, non posset tota vita à suo Confessario validè absolvi, ex quo multa sequerentur, & gravia incommoda, quæ admitti non debent: non enim excommunicatus est incapax Sacramentorum (contra fundamentum adversariorum) quamvis ei prohibeatur illa recipere. *Tum tandem quia*, durissimum esset obligare pœnitentem (ait etiam *Lugo n. cit.*) excommunicationis oblitum, vel ignarum, ut non posset unquam justificari in sacramento, sed solum per contritionem; quia cum ignoret is se esse excommunicatum, nunquam quæret absolutionis remedium, atque ita manebit incapax recipiendi sacramentum pœnitentiæ, quod quidem si Ecclesia fecisset, non videretur (inquit *Lugo n.* 614. *c.*) benè factum, cum ejus potestas sit non in destructionem, sed in ædificationem, & remedium animarum: dictus autem rigor adversus hominem non potentem sibi (ignorantiæ invincibilis causa) de remedio providere, videretur esse in meram destructionem: ergo verum privilegium nostrum.

PRIVILEGIUM OCTAVUM.

Pœnitens bona fide confitens casum reservatum ignorans esse talem, excusatur à reatu invalidæ Confessionis, & validè absolvitur.

899 Joannes *Præpositus in* 3. *par. qu.* 9. *De reservat. Casib. dub.* 7. *nu.* 38. ponit, & probat hoc privilegium sub sequentibus verbis. Si pœnitens bona fide confitetur, nesciens suum Casum esse reservatum; vel Sacerdotem non posse ab eo absolvere, absolutio videtur valida, Ecclesia tacitè hic, & nunc dante jurisdictionem in bonum animarum. Primò, quia alioquin innumeri meritò remanerent anxii de suis Confessionibus. Secundò, valdè graviter deciperentur, cum varii Sacerdotes non ita sciant casus reservatos, nec sit pœnitentium eos scire, vel Sacerdotum potestatem: Unde sive Sacerdos absolvendo peccet, sive non, pœnitens bona fide procedens videtur validè absolvi, remanente onere se sistendi Superiori.

900 Dices, qui bona fide confitetur mortalia non habenti circa illa jurisdictionem, non absolvitur, ergo nec prior. Respondeo primò *Suarez* sentire pœnitentem in casu antecedenti absolvi, cujus sententia non videtur improbabilis. Respondeo tamen secundò negando consequentiam, quia eo quod in casu antecedenti Ecclesia non det jurisdictionem, non sequitur notabile animarum periculum, cum ille casus sit omninò rarus, scilicet vel quod non habens potestatem absolvendi à mortalibus se exponat ad Confessiones excipiendas; vel non expositus requiratur audire. Si verò in priori casu Ecclesia non daret hìc, & nunc jurisdictionem, frequenter sequi posset animarum periculum, & quodammodo per se, rem moraliter considerando, cum Sacerdotes expositi frequenter hac in re possint errare. Hucusque *Præpositus apud Dianam Coordin. to. p. tract.* 5. *res.* 40. *n. p.* & 2. *ex par.* 6. *tract.* 6. & *Miscell. p. res.* 40.

901 Hoc idem privilegium pariter proponit, & latè probat *Joseph de Januario de Casib. reserv. resol. p. per totam*; dum in ipsa docet, Habentem casum reservatum, quem tamen invincibiliter ignorabat esse talem, posse validè absolvi à quocumque Confessario inferiori, sine licentia Ordinarij, etiamsi videlicet non habeat potestatem absolvendi à reservatis. Quod privilegium verum esse vult, tam si reservatio sit in pœnam delicti, quàm si sit ob bonum commune Ecclesiæ. Cum *Graffio de Casib. Reserv. lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 29. *Versu, Secundò in omni pœna.* Docent tamen hi Doctores (ut videre est apud ipsos) incidentes in casum reservatum, invincibiliter ignorantes reservationem, non incurrere in illam: consequenter à quocunque inferiori Confessario, etiam non habente jurisdictionem in reservata, validè, & cum fructu absolvi posse, absque obligatione iterandi unquam confessionem, vel se unquam sistendi superiori pro absolutione à reservatis, cum ab utroque excusaverit, & excuset ignorantia, cujus causa nec in reservationem incidere. Loquuntur autem de casibus reservatis absque censura (ut declarat idem *Januar. n.* 2. *resolut. c. in princip.*) cum clarum sit (inquit) censuram non incurri,

curri, nisi à sciente: *Cap. 2. de Constitutionib. in 6.* ubi deciditur, ignorantes non ligari sententiis (quod ampliatur etiam ad pœnas) quia censura non fertur, nisi contra contemnentes, & contumaces, *Cap. Nemo Episcoporum 11. qu. 3.* At qui ignorat, nec contemnit, nec contumax est, ergo non ligatur censura, nec in eam incidit, ut & nos docuimus *Cap. 4. Privil. 12. 13. & 14.*

902 Probant autem prædicti assumptum suum privilegium. Tum quia reservatio casuum est pœnalis, & cùm sit talis non ligat ignorantes, ergo isti in reservationem non incidunt. Et si non incidunt, à quocumque inferiori Confessario absolvi possunt, cum habeat hic potestatem in hos pœnitentes. Tum quia hic actus, prout dicit qualitatem reservationis, est involuntarius, cum sit secundum hanc qualitatem ignoranter factus, ergo secundum quod dicit illam reservationem, nullum est peccatum, consequenter nec casus reservatus. Si dicas hujusmodi reservatio facta est Confessariis, non pœnitentibus. Respondetur, quod est facta pœnitentibus, dum res indifferentes in ordine ad pœnitentes sunt peccaminosæ; sic locutio cum Monialibus est indifferens, & fit peccaminosa, quia est reservata, & sic de cæteris. Reservatio enim, vel est de re prohibita, quia mala, & est in pœnam delicti, & consequenter in ordine ad transgressores; vel est de re mala, quia prohibita, & tunc res indifferens fit peccaminosa in ordine ad pœnitentes. Igitur reservatio tota, quanta est, est in ordine ad pœnitentes per se primò, & directè, licet respiciat Confessarios per accidens, seu per aliud, nempè per pœnitentes. Et si velis dicere quod reservatio æqualiter respicit Confessarios, ac Pœnitentes, Respondetur sufficere, si statutum sit in ordine ad Pœnitentes, quod non obligat ignorantes, ut supra dictum est, & si non obligat Pœnitentes, consequenter Confessarii non possunt non hos absolvere, uti non transgressores, &c. ergo verum assumptum privilegium. Cujus alias rationes, & oppositionum solutiones, vide penes eundem *Januarium*, cujus doctrinam *P. Diana to. p. Coord. tract. 5. res. 39. n. 2. in fine : Ex par. 10. tr. 14. & Misc. 4. res. 65. aliàs. 63.* putat satis probabilem, pro qua præter *Graffium supr.* refert etiam *Navarr. in Man. cap. 27. n. 80.*

PRIVILEGIUM NONUM.

Qui mortale confessus est, quod tum ipse Pœnitens, tum Confessarius ob ignorantiam existimabant veniale, si norit postea Pœnitens esse mortale, à repetenda illius Confessione excusatur.

903 HUjus privilegii ratio est, *Tum quia*, ad Confessionis valorem non est necesse, ut Pœnitens, aut Confessor sciat determinatè peccatum confessum esse mortale, in omnibus quippe id scire impossibile est (*Sanch. To. p. Operis Moral. lib. p. cap. 10. n. 69. in fine. Diana to. p. Coord. tract. 3. res. 137. in fine Ex. p. 3. tract. 4. res. 90. aliàs 91.*) Ergo, &c. *Tum quia* (ut iidemmet etiam docent *l. l. c. c.*) integrè (ut supponitur) fassus est pœnitens peccatum quod fecit: ergo non tenetur iterum repetere illius Confessionem: nisi aliunde fuerit irrita, ut quia data opera quæsisset ille Confessorem ignarum, ac insufficientem ad ejus confessionem excipiendam. *Confirmatur* ex iisdem: Quia quando dictus Pœnitens fassus est integrè peccatum, quod fecit; nec tenetur iterum illius confessionem repetere, quando novit esse mortale, etiamsi quando confessus est dubitasset, an esset tale: & quamvis etiam Confessor ipse simili dubio teneretur: ergo eo magis non tenetur repetere confessionem illius si nec dubitabat esse mortale, ut potest privilegium supponere: Consequentia sequitur: antecedentis ratio est eadem ut supra: Quia videlicet pœnitens jam plenè in Confessione peccatum suum manifestavit, nec nova circunstantia explicanda occurrit: Quamvis igitur alteruter doctior factus, aut aliis consultis, agnoverit id esse mortale, excusatur nihilominus pœnitens, ut in privilegio: cum nec ad confessionis valorem necessarium sit, ut pœnitens, aut confessor sciat determinatè peccatum confessum esse mortale, ut supra. *Tum quia* (ut docent *Valerus, Corduba, & Victoria*, approbante *Diana tom. p. Coord. tr. 3. res. 30. n. 4. ex par. 5. tr. 14. & Misc. 2. res. 12.*) quando Confessarius scit discernere in communibus peccatis, an sint mortalia, nec ne, quamvis aliqua minus communia ignoret, & apprehendat ut venialia, & si sint mortalia, non est scrupulus iniiciendus in pœnitentem, ut teneatur hæc iterum confiteri: quia aliàs sequeretur, quoties Sacerdos non intellexisset circunstantias muta antes speciem, etiam si pœnitens illas sufficienter declararet, postea cognita Confessarii

fessarii ignorantia à pęnitente, teneretur iste iterum ea confiteri, quod onerosam nimis redderet confessionem, nec est dicendum; igitur nec etiam affirmandum, quod si pęnitens confiteatur aliquod peccatum quod ex ignorantia existimat veniale, cum sit verè mortale, teneatur postea pœnitens doctior factus iterum tale peccatum confiteri, quia non est de necessitate, & valore hujus Sacramenti, vt Confessarius, & pœnitens cognoscant totam gravitatem culpæ, sicque verum privilegium.

904 In cujus confirmationem addi potest doctrina *Henriq. lib. 2. de Pœnit. cap. 14. n. 5.* quæ est hujusmodi. *Qui bona fide confitetur ignoranti, quem postea novit nescisse distinguere inter mortalia, & venialia, non videtur cogendus iterare Confessionem, quia ille potuit, & voluit bene dispositum absolvere, quamvis defecerit in prudentia circa medicinam, & satisfactionem imponendam.* Ita ille, cui addendi sunt ii omnes, qui sentiunt non esse ex necessitate iterandam Confessionem factam cum Confessario valde ignaro, si bona fides ex parte pœnitentis adfuit. Sunt autem *Sanch. n. c. 69. Diana to. p. Coord. tr. 3. ref. 28. ex p. 3. trac. 4. ref. 120. aliàs 121. Suar. de Pœnit. disp. 22. sec. 6. n. 4. Vers. Addunt nonnulli, & disp. 28. sec. 2. n. 12.* (ubi citat *Gabrielem*, *Adrianum*, *Medinam*, & alios idem sentientes.) *Filliucc. to. p. tract. 7. cap. 9. n. 254. Bonac. to. p. de Sacram. Pęnit. disp. 5. qu. 5. sec. 2. punc. 3. n. 14. Lugo de Pœnit. disp. 16 sec. 15. nu. 603. Conincb de Sacram. disp. 6. dub. 5. n. 18. Leander par. p. tract. 5. disp. 5. qu. 84. Bassæus Confessio Sacramentalis 6. n. 4.* & alii apud ipsos: quorum omnium præcipua ratio est: Quia pœnitens obtinuit absolutionem Sacramentalem ab habente facultatem absolvendi, & plenè, ac bona fide sua peccata in confessione manifestavit, ut supponitur; nec obicem posuit valori Sacramenti: ergo talis confessio fuit valida, & fructuosa, nec iteranda, cum Confessarius aliquam habuerit scientiam, & notitiam de aliquo peccato pœnitentis, aut saltem de peccato in communi; quæ notitia nunquam deest tali Confessario, siquidem videt pœnitentem accedere ad Confessionem, & confiteri se esse peccatorem; & tandem impossibile est, quod aliquod peccatum non intelligat, & sciat esse peccatum, quod sufficit (per allegatos) ut ab illo absolvat.

905 Si hoc igitur sufficit, etiam per D. D. citatos, & pœnitens ob ignorantiam Confessarii quando post confessionem cognoverit hunc nescivisse distinguere an peccatum cum ipsomet confessum mortale fuerit, an veniale, non tenetur iterare confessionem: multo magis excusabitur ab ipsa iteranda, quando integrè quidem idem peccatum fassus est, dubitans tamen & ipse an fuerit mortale, & postea certò cognoscens esse tale: excusabitur inquam, tum ex mox allata communi D. D. ratione; tum etiam ex superius tradita, quia videlicet, ad validitatem Confessionis (modò cætera adsint, quod scilicet Sacerdos, licet ignarus, sit tamen approbatus, habens jurisdictionem, ministrans cum intentione, adsint materia, & forma, bona fides in pœnitente, ut supra) non requiritur, ut pœnitens, aut Confessarius sciat determinatè peccatum confessum esse mortale, alioquin [concludit *Bonac. n. c.*] *nullus reperiretur aptus ad Confessiones excipiendas, aut faciendas, cum nullus plenè sciat omnes circunstantias, & gravitatem omnium peccatorum.* Aliàs [infert *Conincb n. c.*] vix ulli possent reperiri idonei ad audiendas Confessiones: quia sæpissimè contingit, ut etiam peritissimi, & experientissimi Confessarii dubitent, an id quod pœnitens confitetur, sit verè mortale, an solum veniale: quia harum rerum cognitio in particulari sæpissimè à tot circunstantiis pendet, quas non possumus satis cognoscere, ut nullus mortalis possit de iis semper in particulari benè judicare. Adde, quod plurima sunt peccata, de quibus controversia est inter D. D. an mortalia sint, an venialia; quare nullus potest hoc omninò certò scire. Unde si quotiescumque Sacerdos intellexit quidem peccatum pœnitentis, sed ex ignorantia non potuit discernere an esset mortale, an veniale, confessio esset iteranda superveniente scientia ignorantiæ Confessarii, ut docent *Sylv. Verbo Confessio p. qu. 3. Versu Tertio. Bossius de Jubileo sec. 3. casu 2. §. p. à n. 168.* & alii apud ipsum, & apud *Leandrum qu. c. 84. in princip.* præterquamquod esset hoc nimis durum, sequeretur etiam in his casibus pœnitentem ab iis peccatis non aliter absolvi, quàm ab oblitis, & solum indirectè, quod videtur absurdum. Quia Christus tunc ad perfectam hujus Sacramenti administrationem requisivisset in Sacerdote majorem cognitionem status pœnitentis, quàm humanitus haberi potest: ità *Conincb n. cit. 18.*

906 Nec valet dicere, tunc solum esse iterandam Confessionem quando defectus evenit ex ignorantia, & imperitia Confessarii, non autem quando accidit ex rei difficultate. Nam (ut optimè etiam idem

Conincb

Coninch n. 19.) non videtur hoc dici consequenter: Quia sive defectus hic oriatur ex una, sive ex alia causa, semper est eadem ignorantia speciei ipsius peccati, & status pœnitentis. Hinc si hujus cognitio esset essentialiter requisita, ut pœnitens possit à peccatis directè absolvi, quacumq; ex causa contingeret eam deesse, necessariò deesset etiam absolutio directa. Igitur, tenetur quidem Confessarius, quantum hìc, & nunc moraliter fieri potest, curare, ut intelligat speciem peccati: & pœnitens pariter tenetur simili modo ità se explicare, ut ille possit eam intelligere: adeò ut ille cujus culpa defectus hìc accidit dicatur consequenter peccare. Inde tamen non sequitur, talem cognitionem esse absolutè necessariam ad directam absolutionem à peccato. Si tamen pœnitens, studio Sacerdotem quæreret qui ex ignorantia, & imperitia non posset inter peccata discernere, peccaret graviter, sicque propter defectum dispositionis, Sacramentum esset nullum. Quoties enim Sacerdos cui pœnitens peccata sua confitetur, adeò rudis, & indoctus est, ut nulla omninò ratione cognoscat gravitatem peccati, per inde est ac si peccata sua confiteatur dormienti, aut non advertenti, unde confessio hujusmodi invalida est, & repetenda. Secus si Confessarius peccati gravitatem aliqua ratione cognoscat, & si in particulari nesciat discernere, & distinguere species: ut innuunt citati.

907 Contra propositum tamen privilegium dicet quis. Paccatum confessum ut dubium, cessante dubio, debet iterum ut certum confiteri: ergo etiam peccatum certum, de quo tamen dubitabat pœnitens, vel Confessarius, an esset veniale, aut mortale, deprehenso esse mortale, rursus debet confiteri, ergo ruit privilegium ut patet: prima consequentia sequitur, par enim est utriusque ratio: antecedens verò est sententia D. D. communis, ut videre est apud ipsos, *Dianam* præcipuè *to. p. Coord. tract. 3. res. 139. ex par. 10. tract. 16. & Miscell. 6. res.* 79. & præterea probatur: tum quia peccatum illud dubium, & incertum sic confessum, quando postea scitur ut certum, notabiliter variat judicium Confessarii, & transfert illud de materia non necessaria Sacramenti in materiam necessariam: tum etiam quia, esto etiam, fuisset peccatum directè remissum in præcedenti confessione, quia tamen non fuit in illa satis explicatum, manet obligatio illud iterum ut certum explicandi. Respondeo, & si antecedens sit sententia, & propositio communis, contradicit ei tamen toto conatu *Emin. Lugo de Pœnit. disp. 16. sec. 2. §. 4.* at quidquid sit de antecedenti, transeat illud, sit etiam verum: negatur prima consequentia: ad ejusdem probationem, dico, quod non est utriusque per ratio, ex clara etiam doctrina *Sanch. n. c.* 69. ubi & ipse docet quidem quod qui confessus est peccatum dubium, & postea certus redditur de ejusdem commissione, *tenetur illud iterum confiteri*: sed optimè addit, hoc non procedere quando pœnitens integrè (ut supponit privilegium nostrum) fassus est peccatum quod fecit, dubitabat tamen an esset mortale: quia jam sic revera confessus fuit integrè peccatum; nec aliud requiritur ad valorem sacramenti, vel aliud occurrit iterum confitendum: non sic autem est quando quis conntetur peccatum dubium quod postea deprehenditur certum, cum non sit illud in priori Confessione integrè manifestatum. Unde clara hic est disparitas: sicque nec bene deducta ultima consequentia, firmo remanente privilegio nostro, quod expressè ponunt, & probant *Sanch. n. cit. Lugo l. c. n.* 93. *Leander disp. c. qu.* 87. [ubi dicit esse commune] *& Palaus to. 4. tract. 23. disp. unica punc. 12. n.* 3. quem sic concludit: *Estò quod præceperit Christus Confessario, ut quoad fieri poterit peccatorum gravitatem intelligat, ipsisque pœnitentibus eam declaret; non tamen valori Sacramenti eam conditionem annexuit*. Non desinam tamen hìc advertere (quod & deserviet pro hujus privilegii modificatione) dari plura peccata, quæ si sint venialia, non obligant sub mortali ad restitutionem famæ, vel rerum, nec annexam habent excommunicationem, bene quidem si sint mortalia. Quare quotiescumq; deprehenditur hæc fuisse mortalia, videntur iterum Clavibus subiicienda, propter ea, quæ peccatis eisdem sunt annexa.

PRIVILEGIUM DECIMUM.

Qui peccatum aliquod ignorantia vincibili, aut etiam scienter commissum prætermisit in Confessione, invincibiliter, aut probabiliter ignorans se teneri ad peccatum illud in Confessione aperiendum, excusatur ab obligatione repetendæ Confessionis.

908 Patet apertissimè hoc privilegium. Quia, qui sic reticet peccatum in Confessione, invincibiliter scilicet ignorans tale

tale peccatum in Confessione manifestandum esse, non peccat, cum ignorantia invincibilis, aut probabilis eum excuset, ergo excusat etiam eundem ab obligatione repetendæ Confessionis: sicque verum privilegium. Ita etiam *Bonac. to. 2. de Peccatis disp. 2. qu. 8. punct. 3. proposit. 2. n. 17.* Addens, idem privilegium extendendum esse ad eum, qui in prima Confessione culpabiliter prætermisit aliquod peccatum ex ignorantia vincibili, aut etiam scienter, sed in reliquis Confessionibus prætermisit bona fidè eo quod nullam de tali peccato, aut de tali omissione cogitationem habuerit facto diligenti examine: aut, eo quod in reliquis Confessionibus, prudenti ratione judicaverit illud non fuisse peccatum: iste enim non tenetur repetere Confessiones bona fide factas (sicut nec ille de quo in privilegio) cum à peccato excusetur ratione bonæ fidei, seu ignorantiæ invincibilis, aut probabilis; consequenter satisfaciet iste, repetendo Confessionem, in qua culpabiliter peccatum prætermisit: ille verò tantum confitendo peccatum novè cognitum, quod in priori Confessione ex ignorantia invincibili inculpabiliter omisit. *Bonac. l. c. & to. p. De Pœnit. disp. 5. qu. 5. sec. 2. punct. 2. §. 4. Diffic. 4. n. 2. & 3. & punc. 3. n. 6. & Lugo de Pœnit. disp. 16. sec. 15. §. p. n. 599.* ubi sic: *Advertendum est, quod si aliquis ante decem annos v. g. tacuit culpabiliter peccatum mortale, & postea in aliis Confessionibus intermediis non recordatus est; nunc quando Confessarius comperit vitium illius Confessionis prætertitæ, non debet obligare ad repetendas omnes Confessiones intermedias bona fide factas, sed solam illam, in qua fuit ille defectus, cum aliæ omnes potuerint validæ, & fructuosæ esse dum illius sacrilegii non recordabatur:* ità *Lugo*, aliique plures ante, & post ipsum, præcipuè *Sancius in Selectis disp. 41. n. 19. Diana par. 3. tract. 4. ref. 108.* (ubi in fine ait: hanc doctrinam sæpè in praxi eum à multis laboribus liberasse) *Leander par. p. trac. 5. disp. 5. qu. 88.* & omnes apud ipsum.

CAPUT XVI.
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA TERTIUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM,
De sumendo Eucharistiæ Sacramento in Paschate.

909 Ræceptum sumendi Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, & communicandi, duplex est, divinum scilicet, & Ecclesiasticum. Utrumq; obligans sub peccato mortali. Primum habetur *Joann. 6.* & satis intelligitur ex verbis illis Christi: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Alterum verò expressum est *in Cap. Omnis utriusque sexus:* ubi præcipitur, ut omnes utriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis pervenerint, semel saltem in anno, tempore Paschatis, Eucharistiam suscipiant, nisi fortè de Consilio Confessarii, ad tempus, ejus susceptionem differant. Sic ibi, & *in Trident. sess. 13. Canon. 9.* & apud omnes Doctores tam Theologos, quàm Canonistas, unde contrarium asserere manifestum continet errorem.

910 Primum præceptum (hoc est divinum, & seclusum à præcepto Ecclesiastico) per se obligat in articulo, seu periculo mortis fideles baptizatos, & præceptorum capaces, ut patet ex Doctoribus, & praxi Ecclesiæ, quæ semper magna solicitudine curavit, & curat, ut extremè laborantibus conferatur Sanctissimum Eucharistiæ viaticum. Et sanè cum ex Evangelio constet de Institutione, non de tempore hujus præcepti, valdè consentaneum est, ut dicamus tunc obligare quando usus Eucharistiæ est maximè necessarius, nimirum in articulo, seu periculo mortis: quia eo præsertim tempore tenentur homines vires spirituales reficere, cum corporalibus destituuntur, & adhibere media, quæ ad augendam gratiam, & eandem conservandam valdè conducunt, inter quæ præcipuun locum tenet Eucharistia. Et adeò hujusmodi præceptum divinum obligat

adultos

adultos baptizatos in articulo, seu periculo mortis, ut qui eo tempore Sacratissimam Eucharistiam non sumpserit, si dignè, ac decenter possit; aut si non possit, saltem in voto, mortaliter peccet (quamvis in gratia reperiatur, etiam si in Paschate communicaverit) & salvari non possit. Unde hoc præceptum in articulo, seu periculo mortis etiam justos obligat, quod singulare est huic Sacramento omnium nobilissimo, esse scilicet præceptum divinum Christiano justo impositum. Et hanc esse hodie sententiam communem testatur cum *D. Thom.* & aliis, *Fagund. De hoc præcept. lib. p. cap. 3. nu.* 4. quem etiam refert, & sequitur *P. Duardus par. p. Comment. Cap. Omnis utriusque sexus in §. 2. disp. p. sec. p. Conclus. 2. n. 7. fol.* 455. Affirmantes insuper, eos etiam, qui mortem violentam patiuntur obligari hoc divino præcepto; idest non solum positos in articulo, seu periculo mortis naturalis, sed etiam violentæ, ex publica auctoritate justitiæ inferendę. Unde tenentur Judices reis ad mortem damnatis concedere tempus necessarium, ut peccata Sacramentaliter confiteri, & ad Eucharistiam accedere possint. Neque opposita consuetudo probanda est, cum sit contra jus divinum, in quo homines dispensare non possunt. Dixi, *etiamsi in Paschate communicaverit*. Quia præcepto communicandi in articulo mortis non satisfit per communionem Paschalem: nec per aliam, quę ante talem articulum præmissa sit non per modum viatici. Ita *Sum. Diana c. Verbo Communionis Necessitas n.* 9. in quo etiam probabile dicitur, quod si quis mane sanus communicaret, & post meridiem in periculum incideret, ac timeretur eodem die moriturus, teneturus eodem die communicare per modum viatici: qua de re vide *Dianam Coordin. to. 2. tract. 2. à res. 70. usq. ad 75. inclusivè*. In quibus habes, an qui paulo ante, & per paucos dies communicaverit, teneatur iterum in articulo mortis communicare.

911 Alterum, & Ecclesiasticum præceptum communicandi semel in anno, nimirum in Paschate, ut supra, item obligat omnes baptizatos *ratione utentes*, & præcepti hujus capaces, quod præceptum etiam Divinum est, cum Ecclesia, tempus tantum determinet, quo sit adimplendum, quæ quidem determinatio licet sit de jure positivo, reputatur tamen à Deo, tanquam ab eo Ecclesiæ commissa: *Duardus sect. p. cit. concl. 4. n. 27. & sect. 2. n. 6. & in §. p. ejusdem cap. Omnis, disp. p. sec. 2. conc. 3. Ampliat. 5. nu.* 34. *fol.* 16. ibi: *Præceptum communionis in Pascha non est purè Ecclesiasticum, sed ita est Ecclesiasticum, ut sit etiam Divinum, sicut præceptum annuæ confessionis. Etenim Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non solum à Christo fuit institutum, sed etiam ejus sumptio præcepta Joann. cap. 6. Nisi manducaveritis, &c. Tempus autem illud sumendi fuit à Christo Ecclesię commissum, ut deputet, sicut circa confessionem: & propterea uno, & eodem Canone fuit ab Ecclesia præfinitum tempus confitendi, ac communicandi, ut benè declarat Sotus in 4. dist. 12. art. 11. col. 7. vers. Secundò adiicimus*.

912 Hoc præceptum obligat inquam omnes baptizatos *ratione utentes*, quod tamen non ità strictè accipiendum est, ut Infantes ad illud teneantur, statim ac incipiunt uti ratione, cum ex consuetudine, quæ optima est legum interpres, non admittantur infantes ad communionem, statim atq; ratione utuntur, sicut admittuntur ad Confessionem, sed tantum quando judicio sufficienti præditi sunt, ut cum majori reverentia, huic Sacramento præ aliis debita communicare possint. Hinc fit ut alii citius, tardius alii ad hujus sacramenti sumptionem obligentur, eo quod alii sunt præcocioris ingenii, aliique tardioris. Qua de re judicium sit penes prudentem Confessarium, qui variis interrogationibus deprehendere poterit, quandonam infantes ad eum accedentes, sufficienti judicio præditi sint, & ad Eucharistiæ sumptionem admitti debeant.

913 In Paschate obligat hoc præceptum, ut dicitur supra. Eos etiam qui pluries infra annum ad Communionem accesserint, ut est communis sententia, & consuetudo totius Ecclesiæ apud *Duardum par. pr. Cap. Omnis, &c. in §§. 2. disp. 3. sec. p. nu. 2. fol.* 511. Ubi, quod *Fabianus Papa* præceperat, ut saltem ter in anno fideles communicarent, *in Natalitio Domini, in Paschate, & Pentecoste*: ut in *c. Et si non frequentius, de consecr. d.* 2. Et quoniam frigescente charitate, & devotione, multi fideles nec illis diebus communicabant; idcircò *Innocentius III. in Concil. Lateran.* Statuit per hunc canonem, ut omnes fideles communicent semel saltem in anno in Pascha. Nomine autem Paschatis non intelligas diem ipsum Resurrectionis Dominicæ, sed tempus currens à Dominica Palmarum, usque ad Octavam Paschæ inclusivè, ita ut satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui semel communicat intra illos quindecim dies. Imò, ut *Suar. to. 3. in 3. p. disp. 70. sec. 2.* & alii advertunt

vertunt, variis in locis consuetudine receptum est, ut in tota Quadragesima, & octo, vel etiam quindecim diebus sequentibus, huic præcepto satisfieri possit. Hujusmodi autem tempus non est ita determinatum, quin ex consilio proprij Sacerdotis (ut supra) communio extra illud possit differri, ex rationabili causa. Dicitur autem hoc loco proprius Sacerdos quicumque potest legitimè Eucharistiam Paschalem (de qua hic) administrare. *Sic enim* (ait *Suar. disp. c. sec. p.*) *non discordatur à verbis legis*. Ita *Vers. Deinde ferè omnes, in fine*, & *sec. 2. c. vers. Sed circa hoc tempus, in fine*. Unde de ejus tantum consilio id fieri permittitur qui in Sacramentali foro jurisdictionem habet ordinariam, & Pastor dicitur animarum. Verum *P. Duardus par. p. c. in §. 2. cap. Omnis, &c. disp. p. sec. 2. n. 20. fol.* 462, advertit, quod revera id hodie non attenditur: atque ideò satis est, si communionem quis differat ex consilio sui Confessarii, sive proprius Parochus sit, sive delegatus ab Episcopo, sive à Rom. Pontifice, ut sunt Religiosi approbati ab Ordinario, qui æquiparantur Parochis, juxta ea, quæ docet *Mosfesius par. p. suæ Summ. Theol. tract. 7. cap. 15. n. 90. 91. & 92.*

914 Præcepto huic annuæ communionis non satisfacit, qui ad Eucharistiam accedit in peccato mortali. Et oppositam sententiam damnavit *Innocentius XI.* per damnationem *propositionis* 55. inter alias damnatas, quæ est hujusmodi: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*. Et meritò, quia *Paulus Apostolus* referens obligationem cujuscumque, qui debet adimplere mandatum sumendi Christi Corpus in Eucharistia, scriptum reliquit *in Epist. p. ad Corint. cap. 11. n. 28. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.* ergo qui seipsum non probat, hoc est, non reddit se dignum per confessionem peccati mortalis, sed indignè, ac cum mortali accedit ad manducandum Domini corpus, divino præcepto non satisfacit de dignè communicando, quod præceptum fuit ab Ecclesia statutum, ut semel in anno sit adimplendum, scilicet in Paschate, ac proinde qui dignè non manducat Dominum, præcepto tum Dei, tum Ecclesiæ non satisfacit. Tenentur igitur fideles sub peccato mortali ex Ecclesiæ præcepto semel in anno intra prædictum tempus dignè communicare, *& in propria Parochia*. Et quamvis extra illud, & articulum mortis non obligentur, optimum tamen consilium est, ut frequenter ad hoc Sacramentum cum dispositione debita accedant; cum enim in eo realiter Christus, qui gratiarum est fons, contineatur, dubium non est quin magnum augmentum gratiæ recepturi sint.

915 Dixi *Et in propria Parochia*, in qua utique adimplendum est hoc præceptum; licet possit adimpleri in aliena, & alibi de licentia Parochi expressa, vel tacita. Sic *Navarr. in Man. cap. 21. n. 52. Henriq. lib. 8. cap. 55. n. p. Suar. to. 3. c. disp. 72. sec. 2. Azor. to. p. Instit. Moral. lib. 7. cap. 30. qu. 6. Bonac. to. p. disp. 4. qu. 7. punc. 2. proposit. 2. n. 7. Fagund. Præcept. 3. Exclesf. lib. p. c. 5. n. 5. Leander par. 2. tract. 7. disp. 3. qu. 14.* & communiter omnes apud ipsum ex *cap. Omnis cit.* Ratio est: Quia in hoc capite decretum est, ut quisquis à proprio Sacerdote corpus Domini in Paschate accipiat. Quod decretum adeò obligat, ut qui aliis diebus anni, etiam à proprio Sacerdote, & in propria Parochia communicavit, denuò necesse sit, ut communicet intra dies statutos pro Paschali communione in propria Parochia de manu proprii Sacerdotis, seu ab alio de illius licentia ad satisfaciendum præcepto. *Jo. à S. Thoma in Compend. Doctrinæ Christian. par. 2. cap. 10. §. 3. de 3. præcep. Ecclesf. in princip.* Cum sit igitur ad proprium Sacerdotem accedendum, eo ipso ad hujus propriam Parochiam accedere oportet, vel in aliena, aut ubicumque alibi de licentia proprii Parochi: quia sicut Parochi possunt dare suis Parochianis licentiam, ut alia sacramenta, ex. gr. Matrimonii, Confessionis, Extremæ Unctionis ab aliis accipiant: ita etiam possunt eam dare ad Sacramentum Eucharistiæ, cum sit par ratio in omnibus. Cæterum si quis hoc idem sacramentum sine debita jurisdictione, aut facultate ministraret, peccaret mortaliter, ut omnes docent apud *Suar. sec. 2. c. versu, Hinc sequitur, in princip.* Quia alienum usurparet jus in re gravi, & cum animarum periculo per se loquendo; & contra pacem, & debitam gubernationem, & ordinem Ecclesiæ. Quod intellige ex suo genere, quia si intercedat bona fides (inquit etiam *Suar.*) & interpretativa, seu præsumpta voluntas Pastoris probabili causa excusari poterit peccatum, vel omne, vel saltem mortale. Et nedum peccat qui ministrat hoc sacramentum sine debita jurisdictione, aut facultate, verum etiam qui illud, & Sanctam communionem recepit ab eo, qui non est proprius Parochus, nec superior absque ejusdem licentia, aut privilegio: *Navarr. n. 52. c. in principio:* nisi utrumque excuset ignorantia, qua de re sit.

PRI-

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Religiosus non Parochus, nec habens speciale privilegium, qui Sanctissimum Communionem ministrat, ignorans hoc esse peccatum, cui etiam excommunicatio annexa est, ab hac Censura, & à peccato excusatur.

916 Communionem sanctissimam sine jurisdictione ministrare, lethale esse diximus numero præcedenti ex Doctorum omnium sensu. Religiosi autem ipsi professi, qui ità, & absque speciali privilegio illammet ministrare præsumunt preter lethale quod committunt, incidunt etiam ipso facto in excommunicationem reservatam Papæ, latam *in Clementina Religiosi*, per hæc verba : *Religiosi, qui Clericis, aut laicis Sacramentum Eucharistiæ, aut extremæ Unctionis ministrare præsumpserint, non habita super his Parochialis præsbyteri licentia speciali: Excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi, &c.* Incurrunt inquam in hanc Censuram, & lethale committunt : *Nisi ignorantia excusentur* : limitat *Navar. in Man. cap.* 21. *n.* 52. *in princip. Nisi bona fide administrent* (advertit *Bonac. to. p. de Sacramento Euchar. disp.* 4. *qu.* 5. *punc. p. n.* 9.) *vel ex ignorantia excommunicationis: vel probabiliter credant, Pastores ratam habituros hujusmodi administrationem, tunc etiam non dicuntur præsumere.* Ut enim hæc censura incurratur (ita *Suar. sec.* 2. *c. col.* 2. *versu, Sed inquires.*) *Necesse est, ut transgressio ex præsumptione fiat: nam qui ex ignorantia id facit, putans sibi licere, vel ex ratihabitione probabiliter præsumpta non incurrit hanc Censuram, ut Cajet. notat, nam hanc vim habet verbum illud in hac lege positum, Religiosi, qui, &c. præsumpserint*. Verum igitur privilegium propositum : & ut tale etiam expressè illud recognoscunt *Henriq. lib.* 8. *cap.* 55. *Filliuc. to. p. tract.* 4. *cap.* 9. *n.* 261. *in fine. Duardus in §.* 2. *cap. Omnis utriusque, disp.* 5. *sec.* 6. *n.* 6. *in princip.* & alii plures. Advertentes dictam excommunicationem non extendi ad alios Sacerdotes, sed solum ad Religiosos : Cum in *dicta Clementina* fiat tantummodo menrio Religiosorum, in pęnis autem non est facienda extensio, etiamsi quędam similitudo, vel rationis æqualitas intercedere videatur, restringendæ enim sunt pęnæ. Addit *Suar. l. c.* & cum ipso *Duardus sec. c. nu.* 4. quod nec adest hic fortasse rationis æqualitas: Quia in Religiosis potuit esse specialis causa : quia videlicet cum non possint tam facilè ab Episcopo coerceri, liberius possunt prædictam jurisdictionem usurpare, ut ibi *Glossa* notat.

917 Appellarione autem Religiosorum, quibus sub censura prohibitum fuit ministrare Clericis, aut laicis sanctissimam Communionem ut supra, veniunt non solum ii (ut advertit *Duardus n.* 4. *c.*) qui in aliqua Religione à Sancta Sede approbata, tria solemnia Vota emittunt, ut sunt *Nostri, Dominicani, Franciscani, &c.* Verum etiam qui èmittunt tria Vota simplicia, ut sunt *Patres Societatis Jesu*. Non tamen comprehenduntur illi, qui in aliqua Congregatione collegialiter vivunt, professionem non emittentes, ut sunt illi de Congregatione Romæ instituta *à Sancto Philippo Nereo*. Nec comprehenduntur Religiosi, qui Rectores, aut Parochi sunt sæcularium : ut habetur etiam ex *Navarro in Man. cap.* 27. *n.* 107. *Henriquez l. c. litt. B. Fagund. de hoc præcep. lib. pr. cap.* 5. *n.* 12. *idem Duardus n.* 4. *c.* & alii

918 His tamen non obstantibus, de facto hodie ex privilegio Romani Pontificis, possunt Religiosi per seipsos ubique terrarum quovis anni die ministrare Eucharistiam sæcularibus, & Clericis, excepto solo die Paschalis Resurrectionis, ut constat *ex Compendiis suorum Privilegiorum* : unde *in Nostro Clericor. Regular. Tit. Communicare, §. p.* sic habetur : *Omnes Christi fideles quovis anni tempore Rectorum Parochialium Ecclesiarum, licentia minimè requisita, possunt à nostris Sacramentum Eucharistiæ recipere, præterquam in die Paschæ Resurrectionis* : *& in mortis articulo, nisi necessitas urgeat*. Et quamvis hujusmodi privilegium sit nobis concessum citra limitationem, seu exceptionem, diei Paschatis, nihilominus *P. Peregrinus d. Tit. §.* 2. *in Scholio.* vult diem illum censeri exceptuatum ; quoniam in generali concessione non veniunt insolita, nisi mentio de illis specialis facta sit, ad quod allegat *c. fin. de Offic. Vic. lib.* 6. Et ibidem pariter probat, censeri diem illum etiam exceptum quoad Vagos, Advenas, & Peregrinos, *per Bullam Eugenii IV.* Qui declaravit quoque optimo jure satisfactum esse *Canoni, seu Decretali Omnis utriusque sexus*. Si in Hebdomada Sancta, vel infra octavam Paschæ Resurrectionis Dominicæ Eucharistiæ Sacramentum accipiant. Hinc patet diem Paschæ exceptum, non debere sumi, vel intelligi materialiter, hoc est de ipso tantum, & præciso die materiali Paschatis, sed formaliter ; idest non de ipso die Paschatis, sed quod non liceat Religiosis ministrare Sanctissi-

ctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſecularibus in eorum Eccleſiis ut ſupra, quando in eiſdem illi communicant ad implendum præceptum communionis annualis tempore Paſchatis, ſive illud Paſcha comprehendat octo, vel quindecim dies: ſive de more alicujus Regni, vel Provinciæ comprehendat etiam totum illud tempus quod intercedit a primò die Quadrageſimæ uſq; ad Dominicam in Albis, aut Paſtoris boni. Et hoc eodem pacto explicat diem illum Paſchatis exceptum. *Suar. ſec. 2. cit. verſu Cenſeo igitur*. Sub his verbis: *Cenſeo igitur veriorem interpretationem eſſe, mentem Pontificum fuiſſe excipere communionem Paſchalem, non materialiter (ut ſic dicam) ideſt quæ fit in ipſo primo die Paſchatis, ſed formaliter, ſeu prout præcepta eſt lege, quæ præcipit, ſemel communicare in Paſchate: nam quia Cap. Omnis, &c. ſolum præcipit communicare in Paſchate, illud Paſcha comprehendit (ut poſtea declaratum eſt) octo, vel quindecim dies, &c. quare omnis communio, qua impletur illud præceptum, dicitur Paſchalis, ſeu in Paſchate facta*. Ità *Suar.* quem etiam refert, & ſequitur *Fagund. præcept. 3. Eccleſiæ lib. p. cap. 5. n. 9. & lib. 3. cap. 2. nu. 18.* utrumq; verò refert inſuper, & ſequitur *Duardus ſect. 6. c. n. 7.* ubi etiam cum *Medina libr. p. cap. 11. §. 13.* inquit, poſſe quemlibet Sacerdotem Sæcularem, dum celebrat in Monaſterio Religioſorum Mendicantium, cum licentia Sacriſtæ miniſtrare Sæcularibus Euchariſtiam etiam in tempore interdicti per privilegium à *Julio II.* Conceſſum. Et ſimile privilegium habent etiam (inquit *Fagund. cap. 2. c. in princip.*) Religioſi Societatis Jeſu, conceſſum *à Paulo IV. anno* 1549.

919 Ex quibus valet inferre cum eodem *Fagund. n. 9. c.* poſſe Mendicantes, & etiam Patres Societatis in ſuis Eccleſiis, ex devotione fidelium, illis miniſtrare Euchariſtię Sacramentum in ipſo die Paſchatis: quamvis enim ſemper iſte dies à Summis Pontificibus ſimpliciter excipiatur: tamen illius diei exceptio ſimpliciter ideo à Summis Pontificibus fit, ut omnes fideles ſuas adeant Parochias ad ſatisfaciendum huic præcepto. Quare poterunt quidem hujuſmodi Religioſi, etiam in ipſo die Paſchatis, ſicut & in reliquo tempore Paſchatis, licitè, & ſine ſcrupulo prædictam Euchariſtiam miniſtrare in ſuis Eccleſiis ex devotione, non tamen ex obligatione, & intentione ſatiſfaciendi præcepto prædicto. Unde fidelibus iis, qui jam Eccleſiæ præceptum impleverunt, & iis etiam, quibus tempus implendi, ſive de jure, ſive de conſuetudine nondum eſt elapſum, poſſunt ex devotione Mendicantes Sacram Euchariſtiam miniſtrare, abſque ullo ſcrupulo, & peccato, & illi ex eo pio devotionis affectu liberè ibi ad menſam Euchariſtiæ poſſunt accedere; non tamen animo ſatisfaciendi præcepto. Ita *Fagund.* Cui eidem explicationi adhærent etiam *Vaſq. Coninch, Laymann. Miranda, Palaus, Leſſius, Lezana, Amicus*, & alii, quos refert (non diſſentiendo ab ipſamet explicatione) *Diana to. 2. Coord. tract. 2. reſ. 23. n. 2. par. 9. tract. 9. & 4. Miſcell. reſ. 27.* apud quem tamen *n. 4.* non deſunt (his non obſtantibus) qui velint adhuc excipi ipſum primum diem Paſchæ, ita ut in eo non liceat Regularibus Sacram Euchariſtiam miniſtrare, etiam ex devotione ſumentibus, etiamſi jam præcepto ſatisfecerint. Quod probant tum ex verbis Summorum Pontificum in eorundem conceſſione, ſeu privilegio poſitis, tum ex declaratione Sacræ Congr. Concilii, emanata *die 9. Julii* 1644. cum ſubſcriptione *Sanctiſſimi D. N. Innocent. X.* cujus tenorem refert *Diana reſ. c. 23. n. 5.* videatur.

920 Quæres hìc, an in articulo mortis, aut neceſſitate urgente, abſente, & deficiente Parocho, poſſint fideles accipere Euchariſtiam à Regularibus; & an iſti tunc poſſint eam illis licitè adminiſtrare? Reſpondeo primò, poſſe miniſtrare Regulares Sanctiſſimum Viaticum (imò & Extremam Unctionem) abſque licentia Parochi, ſuis Mercenariis, famulis, operariis, & ſervis ipſorum Religioſorum, ac quibuſvis eorum Hoſpitibus etiam Sæcularibus in articulo mortis conſtitutis. Imò & id etiam poſſe extraneis, quos in locis ipſorum Religioſorum in mortis articulo reperiri contigerit: hocque ex privilegio *Pii IV. & Pii V.* quo gaudent per communicationem Regulares: & refertur *à P. noſtro Peregrino in Compend. noſtrorum Privilegior. Verbo Communicare, §. 3. pag. 111.* tenoris ut ſequitur: *Præsbiteri noſtræ Congregationis Sacramentum Euchariſtiæ, etiam pro Viatico conſtitutis in articulo mortis, & Sacramentum extremæ Unctionis miniſtrare poſſunt cæteris Clericis, & Fratribus noſtræ Congregationis, item Mercenariis, famulis, Operariis, & Servis noſtræ Congregationis: ac quibuſvis Hoſpitibus ſæcularibus, & extraneis, quos in locis, vel in habitationibus noſtræ Congregationis tunc reperire contigerit, & in mortis articulo, & quoties de illo dubitare contigerit, etiam Diœceſanorum locorum, & Sacerdotum Curatorum quorumcumque, etiam in quorum Civitatibus, & Diœceſibus, ac Eccleſiarum*

rum Parochiis respectivè Ecclesiæ, & loca ipsius Congregationis nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcumque licentia minimè obtenta, nec petita: & in casu quo non daretur licentia petendi spatium propter repentinam necessitatem, possunt Sacramenta supradicta ministrare etiam aliis quibuscumque infirmis, etiam in mortis articulo constitutis, ubique in casu necessitatis supradicto, etiam nulla ad hoc per nos petita, nec nobis concessa licentia. Pius IV. nostræ Congregationi: & Confirmatum à Pio V. anno Domini 1567. idibus Februarii, ut patet in nostris privilegiis manuscriptis, & in Bullario Romano to. 2. Bulla 31. sub Pio V. §. 17. fol. 216. quæ incipit, Ad Immarcescibilem, &c. Et modo in *Bullario novo* ponitur hæc Bulla *fol.* 162. extenditur privilegium *fol.* 163. *columna prima*, *item §.* 127. posito ergo hoc indulto, ac privilegio vera utique data responsio, ut ex se constat: In cujus confirmationem, & robur, vide quæ dicunt, & docent *Peyrin. de Privil. to. pr. Constit. p. Julii II. §.* 37. *n.* 92. 93. 94. (ubi etiam, quod sæcularibus in Conventibus Religiosorum hospitibus, ibiq; infirmantibus, possint Religiosi, nedum Eucharistiam, & Unctionem extremam ministrare, verum etiam si ibidem decedant, eorum cadavera sepulturæ tradere, absq; alicujus Episcopi, vel Parochi quæsita licentia) *Lezana in Summa to. 3. Verbo, Eucharistia, n. 10. & Verbo, Extrema Unctio, nu. 3. Jacobus Mancinus in Pract. Visitandi Infirmos practica 4. dub. 22. & pract. 8. dub. 31. Tanbur. Opusc. de Commun. cap. 5. §. 5. nu. 9. Diana to. 2. Coordin. tract. 2. ref. 21. n. 5. & 6. ex par. 3. tract. 2. ref. 12. Portel. in Dubiis Regularium Verbo, Sacramentor. administratio n. 9. Diana tract. 2. c. Coord. ref. 22. n. 6. & 7. ex par. 10 tract. 11. & Miscell. p. ref. 31. Quintanad. in Theolog. moralis tract. 5. Singulare 4. n. 4. & 5. Diana tract. 2. c. ref. 63. ex par. 5. tract. 3. ref. 52. & eodem to. 2. Coord. tract. 4. ref. 13. nu. 6. ex par. 9. tract. 7. & Miscell. 2. ref. 56. & to. 7. Coordin. tract. p. ref. 88. nu. 6. ex par. 9. tract. 9. & Miscell. 4. ref. 36.* aliique.

921 Respondeo secundò ad quæsitum, posse Religiosos rectè, & licitè, in articulo mortis, non solum ex privilegio particulari, sed etiam de jure communi, seu potius de privilegio juri communi inserto, sæcularibus Eucharistiam administrare, deficiente Parocho: *Fagund. in hoc præcep. lib. 3. cap. 2. n. 20.* cum aliis ibi relatis, loquentibus tum de Parocho absente, tum etiam de præsente, sed malitiosè administrare nolente. Imò quilibet alii Sacerdotes possunt in mortis articulo, absentibus Parochis, Eucharistiæ Sacramentum tanquam Viaticum administrare, quia tunc præsupponitur rationabilis Parochi voluntas; & quamvis hæc non præsupponeretur, præsumitur tamen certa voluntas Episcopi, vel Summi Pontificis, & Ecclesiæ consensus, si fortassis de Parochi iniqua voluntate constaret: *Lezana in Summ. Qq. Regular. to. 3. Verbo, Eucharistia quoad Regulares num. 4.* (allegans *Jo: de Lugo De Sacram. Euchar. disp. 18. sec. 2. n. 53.*) *Suar. sec. 2. c. dub. ult. Peyr. l. c. n. 91. Rodriq. to. p. qq. Regul. qu. 56. art. 5. Henriq. lib. 8. de Euchar. cap. 54. n. 2. Sà Verbo Eucharistia n. 4. Filliucc. to. p. tract. 4. cap. 9. qu. 7. nu. 266. Bonac. to. p. De Euchar. disp. 4. qu. 2. punc. p. propofit. 2. n.* 10. & alii apud eosdem, fundantes hanc responsionem, & sententiam *primò*, in privilegiis particularibus Religiosorum ab eisdem *l. l. c. c.* recensitis: *secundò*, in jure communi, quo conceditur confessio in tali articulo. Ergo etiam communio *ex c. Quid in te, de pæn. & remiss. Tertiò*, in præsumpta rationabili voluntate Parochi [esset enim irrationabiliter invitus] vel Episcopi, vel Summi Pontificis. *Quartò*, in jure naturali quo tenemur (tenetur & ipsa Ecclesia) proximis in spiritualibus necessitatibus subvenire. Videndus *Fagund. toto n.20. cit.* quem concludit per hæc verba: *Hæc opinio, omnibus pensatis, mihi videtur tenenda, & sine scrupulo sequenda: tum propter auctoritatem suorum Doctorum, quibus contradicere in re tam pia durum est; tum quia est magis pia, & consentanea Ecclesiæ Catholicæ.* Collige ex his Parochos graviter obligari, ut curent, ne ex sua incuria aliquis suorum Parochianorum sine Sacro Viatico ex hac vita decedat: idem enim præceptum, quod Parochianum in mortis articulo positum ad Eucharistiam sumendam obligat, Parochum etiam ad eandem exhibendam arctat.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Qui pro impletione Paschalis communionis, hanc ex ignorantia recipit ab eo, qui non est proprius Parochus, & Superior, nec de ejusdem licentia expressa, vel tacita, à peccato excusatur.

922 Privilegium propono de communione tantum, quæ hujus Capitis subiectum est, cui videlicet semel in anno tempore Paschali fit satis ex præcepto Ecclesiæ, injuncto *in Cap. Omnis utriusque sexus,* in

in quo præcipitur, ut fideles in anno communionem sumant à proprio Sacerdote. Veritas autem hujus privilegii constat ex se, nec indiget probatione. *Navarr. in Man. cap.* 21. *nu.* 52. *in princip.* idemmet privilegium admittit nedum, verum etiam illud extendit ad quamcumque aliam communionem etiam liberam, & ex devotione factam, sub his verbis: *Peccat qui hanc Sanctam Communionem percipit ab eo, qui non erat proprius Parochus, nec Superior absque ejusdem licentia expressa, vel tacita, aut privilegio, etiam extra Quadragesimam, vel Pascha, etiam in articulo mortis, nisi ignorantia excusetur.* Rarò tamen hodie accidere potest quod fidelis quis sumat ex devotione Sanctissimam Communionem à Sacerdote, qui aliquo titulo jus non habeat illam licitè administrandi.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Adultus dubitans an adhuc teneatur Eucharistiam sumere, & præcepto Ecclesiæ, vel Divino satisfacere, sequens in hoc Parentum, & Confessarii judicium, à quibus prohibetur communicare, excusatur à peccato ob ignorantiam probabilem.

923 Ecclesiasticum præceptum sumendę Communionis obligat omnes fideles utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerunt, ut constat ex dictis, & patet ex *Cap. Omnis, &c. & ex Trident. sess.* 13. *Canone* 9. ubi excommunicantur contrarium asserentes. Per annos autem discretionis intelligendi sunt ex communi D. D. ii in quibus pueri non solum sunt capaces doli, & peccare possunt, sed etiam talem discretionem habent, ut hoc mysterium suo modo capere, id tanquam cibum spiritualem à corporali distinguere, ac proinde ad ipsum cum debita reverentia accedere valeant. Quia tamen in particulari universim certa ætas definiri nequit, in qua pueri, & puellæ censeri debeant sufficientem discretionem attigisse, cum alii citius, videlicet circa annum nonum, aut decimum: tardius alii, & circa decimum quartum annum tantum specimina præfatæ discretionis edere soleant. Hinc est, quod in hoc, puer, sive adultus, relinquitur judicio prudenti parentum, & confessarii, ad discernendum de sui discretione, & capacitate, qui non ex sola ætate, sed etiam ex ingenii ipsius, ac morum constitutione decernant, an obligetur adhuc, nec ne communionis præcepto, & si negativè morali eorundem prudenti judicio definiant, adultus verò ipse, illud sequendo, à peccato transgressionis præcepti excusatur, ut in privilegio. Cui subscribunt expressè *Reginal. in Praxi to.* 2. *lib.* 29. *n.* 85. per hæc verba: *Quartum documentum est: Pueros cum dubitare cœperint, an teneantur Eucharistiam sumere, satisfacere tam præcepto divino, quàm Ecclesiastico, si in eo Parentum, & Confessariorum judicium sequantur. Ratio est: quia dubitantes de sufficienti discretione, & consequenter de dicta obligatione, an eos jam adstringat, excusabuntur à peccato per ignorantiam: quæ probabilis ex eo censebitur, quod ad illam depellendam fecerint id, quod tenebantur facere: nempe exquisierint Parentum, & Confessariorum Consilium, ad quos pertinet ea de re judicare: ita ut ipsi magis arctentur ad pœnam peccati mortalis, si quod in ea committatur; quam pueri: ut notant Tabiena in Verbo, Communicare n.* 6. *& Cajet in Verbo, Communio: addens id procedere, etiam si in* 14. *aut* 15. *anno illi non communicent: ita Reginald. & Bonac. De Euchar. disp.* 4. *c.* 9. 7. *punc.* 2. *prop. p. n.* 2. sic subscribens: *Adultus quando dubitat, utrum teneatur communicare, debet consilium à Confessario, vel Parentibus petere, seque ipsorum consilio accomodare, cum ipsorum curæ, & regimini subiectus sit: Ita Paludan. Cajet. &c. Et puto cum Sà, & aliis, excusari posse adolescentes non communicantes, quando prohibentur à Parentibus communicare, cum enim ad Parentes pertineat explorare, an filii sufficientem habeant hujus Sacramenti cognitionem, sequitur filios excusari à peccato per ignorantiam probabilem, quoties prohibentur à parentibus communicare. Idem tenet Reginal. l. c. n.* 85. *Chamerota de Euchar. cap.* 10. *dub. p. ad finem, Cajet. & alii.*

924 Ex his collige, Pueros non simul incipere obligari ad præceptum Confessionis, & Communionis, sed citius, & prius ad illud, quàm ad hoc: quod etiam docent communiter D. D. *Navarr. in Man. cap.* 21. *n.* 57. *Vers. Diximus ad id: Suar. to.* 3. *in* 3. *p. disp.* 70. *sec. p. Bonac. punc.* 2. *c. n.* 3. aliique apud ipsum. Hujus autem ratio est, quia ad Confessionem satis est usus rationis sufficiens ad peccandum mortaliter, ad communionem verò major discretio, & rationis usus (*extra articulum saltem mortis*) exigitur; quia Eucharistia est & minoris necessitatis, & majoris dignitatis, quam Sacramentum Confessionis, sicque illa majorem animi præparationem exigere videtur. Nec obstat *cap. Omnis utriusque sexus*, in quo obligantur fideles tum ad communionem, tum ad confessionem postquam pervenerunt ad annos discretionis: sicut ergo ad confessionem

obli-

obligantur statim ac habent usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, ita etiam obligari videntur ad communionem statim ac sunt capaces mortalis peccati, vel saltem statim ac pervenerunt ad annos discretionis. Non inquam obstat: & neganda est consequentia *cum citatis*, & aliis: Quia majus judicium requiritur (ut supra) ad communionem, quam ad confessionem. Cum enim Eucharistiæ Sacramentum sit dignius, & excellentius Sacramento confessionis, major ætas, & judicium requiritur ad ipsius excellentiam cognoscendam, & ad discernendum cibum à cibo. Hinc *Theologi in* 4. *dist.* 9. *D. Tho. qu. p. art.* 5. *quæstiunc.* 4. *& Summistæ omnes*, *Verbo Eucharistia*, *& Verbo Communio*, *apud*, *& cum Suar. sec. p. c. Vers. Sed explicandum*, notant, quod quamvis verba *d. cap.* & legis, generatim loquantur de hominibus, postquam ad annos discretionis pervenerint, simulque obligationem confitendi, & communicandi conjungant, nihilominus non statim ac homo habet usum rationis, quo fit capax peccati mortalis, & obligationis confitendi, non statim inquam obligatur hac lege Paschalis communionis, sed per aliquod tempus, imò etiam per aliquot annos potest ad confitendum priusquam communicandum obligari. Verba enim legis sunt accommodatè intelligenda, juxta genus materiæ: & considerandum discrimen magnum inter utrumque Sacramentum. Cui communi explicationi respiciens etiam *Cajet. Verbo c. Communio*: ait, *Adverte, quod Consuetudo optima legum interpres, distinguit inter annum discretionis ad confitendum, & annum discretionis ad communicandum, quasi ad confitendum quælibet discretio sufficiat, ad communicandum autem exigatur discretio devota, & reverentialis.*

925 Dixi (*Extra articulum saltem mortis*) Quia in articulo mortis Eucharistiæ viaticum dari potest, ac debet pueris, qui per ætatem doli sunt capaces, & apti confiteri, tametsi antea nunquam communicaverint, ut colligitur ex *D. Tho. in* 3. *p. qu* 8. *art.* 9. Quod *Navarr. cap.* 21. *n.* 57. (quem sequitur *Reginald. lib. c.* 19. *n.* 84. *Vers. Cæterùm.*) fatetur quidem omnibus esse consulendum: Sed *Suar. sec. p. c. in fine*, existimat esse obligationem, tam ex parte petentis, quam dispensantium, quia talis est capax fidei, & sufficientis reverentiæ Sacramenti; & est in eo periculo, in quo non expectat commodius tempus ad recipiendum Sacramentum cum meliori dispositione: ergo debet tunc accipere eo modo quo potest: ita ipse. Et pueris, qui sunt doli capaces, & apti confiteri, posse, ac deberi in articulo mortis dari viaticum, videtur esse D. D. communis apud *Laym. lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 3. ubi ait, pro eo tempore generalem regulam tradi posse *ex cap. penult.* 26. *q.* 6. quod, *Cui Sacramentum pœnitentiæ conceditur*, *neque Eucharistiæ Sacramentum negari debet*, *si desideret*. Et ratio est, quia ex una parte Sacramentum istud ejusmodi pueris plurimum prodesse potest in articulo mortis, & ex altera parte eidem Sacramento nulla fit irreverentia, cum tales pueri tunc ita plerumque qualificari valeant, ut illud cum aliqua veneratione, ac devotione accipiant. Et certè si teste *Henriq.* (apud eundem *Laym. n. c.*) pueri ritè instructi tempore Jubilæi, facilius ad Eucharistiam admittendi sunt, cur in articulo mortis eisdem negaretur?

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Reus in conscientia lethalis culpæ, cui dum tenetur ad Communionem accedere deest copia Confessarii, nec potest recedere, aut se subtrahere absque jactura propriæ famæ, si cum sola attritione supernaturali cognita suscipit Sacramentum, bona fide, & invincibili ignorantia, credens illam sufficere ad bonum Communionis usum, excusatur à mortali, nec ponit obicem Gratiæ.

926 Sancta Tridentina Synodus *sess.* 13. *cap.* 7. Statuit, & declarat nullum sibi conscium mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad Sacrosanctam Eucharistiam accedere debere, juxta præceptum Apostoli *p. Cor. cap.* 11. *Probet seipsum homo*, Ecclesiæ consuetudine declaratum. Ab hujusmodi autem præcepti (præmittendi confessionem) executione, excusatur quis, si non adsit copia confessoris, & communicandi necessitas urgeat. Utrumque enim concurrere debet quantuncunque quis se contritum existimet, ut advertit *Trident. cap.* 7. *c.* & observant *Nunnus in* 3. *p. q.* 80. *art.* 4. *Palaus par.* 4. *tract.* 21. *Disp. Unica*, *punct.* 12. *n.* 5. & alii.

927 Tunc (per D. D. apud eundem *Pal. l. c. n.* 6. & alios) videtur deesse confessarius, adeòque ad Eucharistiam non præmissa confessione licere accedere, si urgeat necessitas. *Primò*: Si ita à te distet, ut nequeas illum absque gravi incommodo adire, quod prudentis judicio judicandum est, spectatis, tum debilitate tua, & ætate, tum etiam aliis circumstantiis, ut brevitatis temporis in quo communicare debes, &c. *Secundò*: si nullus adsit qui

ſit qui juriſdictionem habeat, aut cui juriſdictionem ex privilegio concedere poſſit: quia deficiente juriſdictione, Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrari non poteſt. *Tertiò*: Quando ſolus adeſt Confeſſor, de quo probabiliter timetur, quod revelabit crimen, vel provocabit ad malum, vel aliud graue nocumentum ex tali confeſſione ſequetur. Nam talis timor cauſa eſt ſufficiens ad excuſandum à Confeſſione ex communi Doctorum ſententia, prout notat etiam *Suar. to. 3. in 3. par. diſp. 66. ſec. 4. §. 3. Caſus*. Advertunt tamen aliqui, quod ſi ſolum damnum probabiliter timeatur de quibuſdam peccatis mortalibus, & habeat pœnitens alia peccata mortalia, tenetur confiteri de iſtis: quia ſic præſtat confeſſionem formaliter integram, & præcepto de confeſſione præmittenda ſatisfacit. *Quartò*: Quando nullus adeſt, cui poſſis confiteri ſine interprete. Vel ſolus adeſt Sacerdos mutus. *Quintò*: Si habeas peccatum reſervatum, & nullum aliud mortale, nec pateat aditus ad Superiorem: etiamſi præſens ſit Confeſſarius, qui te non poſſit abſolvere. Si tamen aliis peccatis mortalibus gravatus exiſtas, debes in tali caſu confiteri ea inferiori, ut communiter Doctores. An verò tunc tenearis inferiori confiteri non ſolum non reſervata, verum etiam peccata reſervata, diviſio eſt inter Doctores: Sententia aſſerens omnia peccata reſervata cum non reſervatis, debere dici Confeſſario inferiori, ſecurior eſt, & conſulenda, cum onere poſtea comparendi coram Superiore, ut benè docet *Filliuc. to. p. tract. 4. De Euchar. cap. 8. Verſ. Dico Secundò, in fine. n. 213.*

928 Tunc verò (quoad rem noſtram de communione) urget neceſſitas (quæ utique gravis per omnes eſſe debet, cum res etiam ſit gravis prætermittere executionem præcepti divini, & in materia tam gravi) & quæ, ut dictum eſt, ſimul cum abſentia Confeſſoris concurrere debet, ut à confeſſione communioni præmittenda quis excuſetur, cum is videlicet (aliis caſibus omiſſis, quæ videri poſſunt apud Doctores) ſine gravi nota, & ſui infamia non poteſt omittere communionem; & quando ex hujus omiſſione ſequitur non ſola admiratio, ſed ſcandalum: *Filliuc. cap. c. Verſu, Quartò quæro, n. 214.* ut eſſet ex. gr. ſi aliquis acceſſiſſet ad locum communionis, nec poſſet ſine nota infamiæ recedere; D. D. communiter, & ita, ut *Fagund. cap. c. n. 9.* aſſerat, quod hęc ſit communis cauſa, & neceſſitas ab omnibus Doctoribus ſine controverſia recepta, ſi ſequatur ſcandalum, Miſſam, aut communionem ommittendo, aut gravis infamia, quæ moraliter vitari non poſſit. Dixi (*quoad rem noſtram de communione*) Quia ſi loquamur de Sacerdote celebrante, plures etiam caſus enumerantur à Doctoribus, in quibus poteſt ipſe quoque (exiſtens in mortali) carente copia Confeſſarii, & gravi neceſſitate urgente, Miſſam celebrare abſque prævia confeſſione: Caſus eſt talis (per *Suar. ſec. 4. c. Henriq. lib. 8. De Euchar. cap. 46. Fagund. Præcep. Eccleſ. 3. lib. 3. cap. 9. n. 4. Dianam to. p. Coord. tract. 3. reſ. 155. nu. 2. ex p. 9. tr. 3. reſ. 17.* & alios) Si neceſſitas proximì in articulo mortis urgeat, ita ut neceſſe ſit Sacrum facere, & hoſtiam conſecrare ad illum communicandum, & non detur copia Confeſſarii; tunc enim rectè poterit Sacerdos, habens etiam conſcientiam peccati mortalis, celebrare: quia in tali caſu neceſſitas proximi, ut propria reputanda eſt, juxta illud: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* Et in eodem caſu dantur prædictæ duæ conditiones requiſitæ ad communicandum, & celebrandum, non præmiſſa Confeſſione, neceſſitas videlicet urgens, & defectus copiæ Confeſſarii. Et parum refert, quod hujuſmodi neceſſitas non ſit propria, ſed proximi, cum pro propria habenda ſit. In his igitur, & aliis ſimilibus caſibus, qui apud citatos, & alios videri poſſunt, licet exiſtenti in mortali celebrare, & communicare abſque prævia confeſſione.

929 Licet inquam: Sed habita prius contritione: Unde aſſerendum eſt, quibus in caſibus poteſt aliquis [in mortali exiſtens] communicare ſine prævia Confeſſione, eum debere conari ad contritionem eliciendam: quæ aſſertio certa eſt, & adeò, ut *Diana n. 2. c.* dicat: *Qui habet conſcientiam peccati mortalis, & confiteri non poteſt, tenetur ad habendam prius contritionem, quam ad hoc Sacramentum accedat. Atque adeò nunquam dignè accedet, niſi probabiliter, & inculpabiliter exiſtimet ſibi eſſe peccatum per contritionem remiſſum. Et hæc aſſertio tam certa eſt, ut contraria, nec probabilis ſit, nec ſine temeritate defendi poſſit. Et in hoc conveniunt omnes Doctores:* ità *Diana*, & optimè. Notat tamen *n. 3. cum Præpoſito in 3. p. qu. 80. art. 3. dub. 3. n. 15.* Quod ſi talis bona fide putet ſe contritum, poteſt hoc Sacramentum ſumere: neque peccaturum ſi ſubdubitet, an fortè ſufficientem habeat contritionem: nam morale judicium, quod de noſtris actibus formare poſſumus, non excludit neceſſariò omnes metus dubitationis. Quare autem teneatur talis ad contritionem ſaltem putatam, & exiſtimatam aſſignatur ratio hæc communi-

muniter à D.D. Quia videlicet tenetur ad se probandum: & quia Eucharistia est Sacramentum vivorum institutum ad dandam secundam gratiam, nutritionem spiritualem per modum cibi: ergo requirit sumentem in vita gratiæ. Favet etiam *Trident. cap. 7. c. in princip.* dum ait: *Cavere quisque debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad hoc Sacramentum percipiendum accedat*. Hinc si quis cum attritione cognita accederet ad communicandum, peccaret mortaliter, quia manducaret indignè, consequenter nec posset recipere effectum gratiæ cui in manducatione obicem poneret.

930 Excusaretur tamen ab hoc mortali, & reciperet effectum gratiæ, si accederet nedum cum contritione existimata, sed etiam cum attritione supernaturali cognita, quam ex ignorantia invincibili nihilominus crederet sufficere, ut in proposito privilegio; cujus ratio est: Quia hujusmodi attritio videtur æquivalere attritioni existimatæ contritioni. Accedit etiam pro privilegii hujus confirmatione, Doctorum auctoritas, quæ extat explicita, ut sequitur. *Suar.* namque *to. 3. in 3. part. disp. 63. sec. 2. in fine*: sic ait: *Ad casum de homine, qui probabili fide, & ignorantia putat sufficere ad dignam sumptionem attritionem cognitam, dicendum est, illum revera consecuturum primam gratiam per hoc Sacramentum: Quia illa ignorantia etiam excusat à peccato, & obice indignæ sumptionis. Et dici potest illa attritio æquivalere attritioni existimatæ contritioni, quia existimatur sufficiens dispositio tam ad gratiam, quàm ad dignum usum Sacramenti.* Et idem habet *disp. 66. sec. 5. vers. Ad fundamenta*: per hæc verba: *Qui cum sola attritione recepit hoc Sacramentum, non sanctè, sed indignè recipit illud, quia accepit in pravo statu, & revera manducat illud in peccato mortali, nam prius manducat Sacramentum quam ab illo possit recipere effectum, in termino enim manducationis dandus esset effectus: & ideò si sciens hoc faciat, peccatum committet, per quod ponet obicem Sacramento: qui verò accedit bona fide, excusatur ab hoc peccato, & ideò non ponit obicem, & recipere potest effectum.* Hactenus *Suar.* cui addo *Filliuc. to. p. tract. 4. cap. 8. qu. 5. nu. 220. Vers. Secundò*: ibi enim: *Qui cum contritione existimata, vel cum attritione cognita, quam putat ex ignorantia invincibili sufficere, accedit, recipit effectum. Nam bona fides excusat à peccato, & consequenter non ponit obicem in ipsa manducatione; quare recipiet effectum, quem per accidens conferunt Sacramenta vivorum, remissionis videlicet mortalium, & primæ gratiæ.* Noster tandem *P. Duardus par. p. Comment. in § §. 2. Cap. Omnis utriusque sexus, disp. 2. sec. 8. nu. 7. fol. 492.* Huic eidem privilegio subscribit, dicens: *Quod diximus de attritione existimata contritione extendimus ad attritionem cognitam ex invincibili ignorantia. Unde si quis conscientiam habens peccati mortalis, de quo cognoscat habere tantum attritionem, quam probabiliter credat sufficere ad dignè communicandum, & propterea communicet, is cum novam culpam non contrahat, non ponit obicem Sacramento, atque ideò per accidens dicitur assequi primam gratiam.* Igitur ex auctoritate, & ratione, verum propositum privilegium.

931 Modo hic quæres: An qui sic conscius lethalis culpæ necessitate urgente, & ex defectu confessarii accedit ad celebrationem, seu ad Eucharisticam communionem, non præmissa Confessione, teneatur cum primùm possit confiteri? Respondeo, Vel procedit quæsitum de Sacerdote, qui sic celebravit: vel de quocumque alio, sive laico, sive Clerico, vel etiam Sacerdote ipso ad communionem more laicorum ità accedente: Si de Sacerdote procedit, tenetur utique quamprimum confiteri ex *Trident. sess. 13. cap. 7.* ubi postquam statuit debere conscium peccati mortalis confiteri antequam recipiat Eucharistiam, sic ait in fine: *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Quibus verbis (ex omnium Doctorum sententia apud *Suar. disp. c. 66. sect. 8. in princip. & Filliuc. l. c. n. 221.*) continetur utique præceptum. Et quia docuerunt aliqui hujusmodi *Trident.* verba tradita esse sub consilio, *Alexander VII.* hanc opinionem damnavit, prohibendo, & damnando hanc propositionem, quæ est 38. in ordine propositionum, quas idemmet Pontifex damnavit: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.* Quomodo autem intelligenda sit dicta particula *Quamprimum?* Eorum sententia Doctorum, qui de illa sic senserunt: *Illa particula Quamprimum, intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur*, fuit pariter prohibita, & damnata ab eodem Pontifice *Alexandro VII.* & inserta inter cæteras damnatas propositiones, & ipsa est 39. Intelligi ergo debet, non quidem *statim post Missam, sine temporis intervallo*, hoc enim rigidè nimis sumeretur. Sed vel juxta Viri prudentis piam explicationem, & arbitrium, cui totum hoc relinquatur, ut ait *Io. De Lugo de Euchar. disp. 14. sec. 7. n. 161. in fine*: & qui ex materia hujus præcepti, & aliis circumstantiis judicet quæ dilatio opponatur

tur hujusmodi particulæ, ac præcepto, vel non opponatur illi. Vel quod Sacerdos saltem intra triduum post celebrationem confiteatur, ut habet etiam pro probabili idem *Lugo n.* 163. Et quod meritò dicatur fieri *Quamprimùm*, imò *Illicò*, quod intra triduum fit, aliis omissis, tradit *Gonzalez ad Regul.* 8. *Cancell. n.* 51. ibi: *Illud dicitur illicò fieri, quod intra triduum fit, l. fi. ibi, Illico autem, idest intra triduum, C. de Judiciis.*

932 Adverte tamen cum eodem *Lugo n.* 162. & 163. *c. c.* Quandoque contingere posse quod præceptum illud obliget sub mortali ad confitendum eadem die: si videlicet hodie haberet Confessarium, quem cras certò habiturus non sit, & cras etiam instet necessitas celebrandi: in hoc enim casu, etiam si tertia die sit certò habiturus confessarium, debet nihilominus hodie confiteri; quia illa dilatio, licet pauca sit quoad tempus, magna est in qualitate, cum sit causa iterum celebrandi absque confessione; quod est contra finem hujus præcepti. Dicta ergo tridui dilatio non debet afferre hoc periculum denuò celebrandi absque Confessione. Sed nec etiam solum periculum non confitendi postea per plures dies: Nam si hodie, & nunc habeo confessarium, quem postea per dies plures non habebo, hodie, & nunc debeo confiteri, quia dilatio hodierna in hoc casu adversari graviter videtur præcepto Concilii, quo præcipitur confessio, cùm primum fieri poterit, hoc est prima habita occasione, ac opportunitate: cui præcepto utique graviter obstat qui vult notabilem illam dilationem confitendi post primam opportunitatem, & occasionem. Cessante autem hoc, & altero periculo, probabile est, quod non sit dilatio gravis, si intra triduum confiteatur Sacerdos.

933 Si verò quæsitum procedat simpliciter tantum, & more laicorum communicantibus, respondeo hos non ligare præceptum *Tridentinum*. Unde, qui copiam confessoris non habens, & conscius peccati mortalis justificari curavit actu contritionis (saltem existimatæ ut supra) ut Eucharistiam susciperet, non tenetur confiteri *Quamprimùm* in *Tridentini præcepto*, quia hoc afficit solos Sacerdotes, & de solis Sacerdotibus loquitur. Cum enim rigorosum sit, esto maximè conveniens, non debet ultra proprietatem verborum extendi, atque adeo solum Sacerdotem peccati mortalis conscium, necessitate urgente, non præmissa confessione celebrantem, comprehendere, & afficere debet: in expositione namque legis, præsertim onus imponentis, standum est verbis propriè dictis, nec ipsa lex extendenda est ad casum non expressum; ità communiter Doctores, unanimi assertione affirmantes hoc præceptum non obligare laicos, & simpliciter communicantes, sed solos Sacerdotes. Et ratio differentiæ, ac intentio Concilii in hac lege assignari potest cum *Suar. disp. c.* 66. *sec.* 7. *littera B*, & *Lugo n. c.* 162. *in princip.* Quia videlicet cum ad celebrandum major quædam reverentia, ac præparatio requiratur, voluit Concilium Sacerdotum conscientiæ, & puritati consulere, qui propter necessitatem celebrandi facilius possent confessionis remedium negligere; idcircò providere voluit permittendo eis quidem ita celebrare cum contritione in casu veræ necessitatis, sed ut maneret etiam in ipsis obligatio confitendi data occasione, ut sic tollatur periculum sæpius celebrandi absque confessione; seu ne facilè assuescant confessionem prætermittere; cum ratione officii sæpius habeant necessitatem celebrandi; quam, vel non habet Laicus communicandi, vel saltem rarò, cum præsertim regulariter possit confiteri illi Sacerdoti, à quo communionem accepturus est. Hinc non est par ratio de Sacerdote celebrante, & de Laico communicante.

934 An autem teneatur ad hoc *Tridentini* præceptum qui celebrat non præmittendo confessionem ex oblivione peccati, respondeo negativè cum *Suar. Filliuc. Lugo l. l. c. c.* & Doctorum communi. Quia Concilium loquitur tantùm de Sacerdote, qui conscius sibi peccati mortalis, celebrat absque præmissa confessione, urgente necessitate, ille autem, qui propter oblivionem non est sibi conscius peccati, non potest comprehendi hac lege *Tridentini*, cum sit sermo in ipsa de necessitate urgente, cum conscientia, seu scientia peccati, quæ scientia omninò excludit oblivionem. Si quis tamen ex oblivione ad celebrandum accederet, & ante communionem sui peccati recordaretur, & nihilominus communicaret, non prævia confessione, cum sola tamen contritione ad evitandum scandalum, aut quia copiam confessarii non habet, tunc comprehenditur sub ejusmodi *Tridentino* præcepto: nam tunc communicat non prævia confessione, ob urgentem necessitatem, & cum conscientia mortalis peccati. *Suar. sec.* 7. *littera D.* Quod quidem verum esse ait, sive ante inchoatam celebrationem non fuerit confessus: sive confessionem præmiserit, & deindè ante communionem meminerit peccati obliti; quia tenebatur illud confiteri ante Communionem ex Divina

lege,

lege, & solum illud omisit sine peccato ob urgentem necessitatem: quod utrumque docent & plures alii. Non habet tamen locum præceptum hoc *Tridentinum*, in eo Sacerdote, qui malitiosè, ac culpabiliter celebravit, omissa confessione, quamvis sciret se esse in mortali: quia ut patet ex ipsiusmet præcepti verbis, non militat in iis, qui non urgente necessitate, in peccato celebrant. Vide *Suar. Filliuc. Lugum, Duardum l. l. c.c.* & alios, apud quos etiam habes, *Tridentinum* præceptum obligare pariter celebrantem Missam in *Parasceve*, etiam si non consecret; aut si post consecrationem peccaret mortaliter, & communicaret tantum præmissa contritione: item absolventem Sacrificium ab alio inchoatum. Eo quia in his omnibus casibus agit Sacerdotem, & ministrum publicum Ecclesiæ, & ideò comprehenditur sub obligatione Sacerdotum.

935 Non desinam hoc loco advertere cum *Fagund. cap. 9. c. n. 7.* facilius concedendam esse licentiam Sacerdotibus celebrandi in necessitate absque confessione, deficiente copia confessarii, præmissa contritione, quàm laicis communicandi: quia Missæ Sacrificium prodest pro defunctis ex opere operato, estque Sacrificium commune, & valdè utile. Unde necessitas ex parte Sacerdotis non tam rigorosè accipienda est quoad celebrationem, quam ex parte laici, quoad communionem. *Sylvest. Verbo Eucharistia 2. n. 9. ad finem.* Sacerdotis necessitatem (de qua hic) intelligit, ut sequitur: *Ego puto, quod hic sub nomine necessitatis, intelligatur omne excusans ab irreverentia Sacramenti: ut si est obligatus ad celebrandum, vel si non celebrando generaret sibi infamiam, vel admirationem: vel nuper decessit anima indigens Sacrificio probabiliter: aut si imminet solemnitas magna, in qua valdè utile sit animæ celebrare: aut si tantus sit fervor in eo, qui peccavit, quod inde ex Sacrificio speret magnum juvamen contra peccatum, & hujusmodi. In his enim casibus, deficiente copia Confessarii, datur necessitas sufficiens, ut contritus Sacerdos possit licitè absque Confessione celebrare. Et ratio est evidens: quia tota ratio, & fundamentum obligationis præcepti Divini, præmittendæ Confessionis ante communionem, quando conscientia peccati mortalis gravat, ea est, ut reverentia habeatur erga tantum Sacramentum, quæ naturali lumine illi debetur: concurrentibus autem his casibus, & circunstantiis, potest major reverentia in aliquo Sacerdote dari non confesso, quàm aliàs plerumque in multis confessis.* Hæc *Sylv. ibi*, & ex ipso *Fagund. n. 7. c.*

936 Pro complemento tandem hujus privilegii, referam hic quæ cum & ex aliis docet *Leander par. 2. tract. 7. disp. 7. à q. 16. usque ad 21. inclusivè*, eo quia eadem mihi quoque videantur probabilia. Docet *primò*: Quod si Sacerdos post introitum, sed ante consecrationem recordatur se in mortali esse, quamvis absque scandalo, aut nota possit confiteri, ad id non tenetur; quia non decet cœptum Sacrificium interrumpere, & in hoc casu ait debere Sacerdotem contritionem elicere, & Missam cœptam perficere. *Secundò*: Nec eundem Sacerdotem existentem iam in Altari teneri præmittere confessionem (quamvis absque nota, & scandalo id possit facere) si antequam inchoet Missam recordetur culpæ mortalis. Sed posse, habita contritione (si aliorum peccatorum confessionem præmisit) Missam inchoare, & perficere. Quia si Laicus potest Eucharistiam sumere, casu quo jam Sacræ communicaturus assistens, recordatur alicujus mortalis non confessi, non præmissa confessione illius, etiam præcisa omni nota, & periculo infamiæ (ut mox dicetur) Quare hoc idem nequibit Sacerdos, si hoc illi accidat jam in Altari ad Sacrificium celebrandum existenti? *Tertiò*: Etiam Laicum jam Altari applicatum coram aliis, ut suscipiat Eucharistiam, si recordetur alicujus mortalis, posse non præmissa confessione illam suscipere, etiam præcisa nota, & scandalo, dummodo post sumptionem Eucharistiæ peccatum illud oblitum confiteatur. Quia cum actio communicandi sit quodammodo inchoata, non decet ob reverentiam Eucharistiæ ab illa Divina Mensa recedere, donec perficiatur: sicut à mensa Principis recedere non decet ante peractum convivium; postquam aliquis ad illam sedet. *Quartò*: Quod Sacerdos (vel Laicus) qui prius confessus fuerat, & postea dum jam est in Altari recordatur peccati in confessione obliti, non teneatur ante communionem elicere contritionem de illo. Quia jam supponitur in statu gratiæ per confessionem præmissam, & absolutionem indirectam ejusdem peccati obliti; unde non est necessaria contritio ad hujusmet remissionem. Secus tamen esset dicendum casu quo non esset præmissa confessio: quia tunc tenetur ante communionem confiteri. *Quintò*: Quod Sacerdos qui non præmisit Confessionem, si in Missa recordatur se esse in peccato, non tenetur statim ad eliciendam contritionem, sed potest prosequi Missam non contritum, usque ad consecrationem, si memoria peccati occurrat ante illam: vel usque ad communionem, si post consecrationem occurat.

Quia ſtatus gratiæ ſolum requiritur ex præcepto in conficiente, vel recipiente Sacramentum, non in exercente alias actiones Ordinis ſacri, conſequenter contritionis defectus in aliis partibus Miſſæ, non erit peccatum ſaltem mortale. *Sextò*: docet Sacerdotem, qui confeſſionem præmiſit, & poſtea antequam ad Altare accedat, recordatur alicujus peccati non confeſſi, teneri illud confiteri priuſquam communicet, præciſis circunſtantiis, quæ excuſare poſſunt. Quia præceptum confitendi ante communionem, non eſt præceptum confitendi utcumque, ſed confitendi omnia peccata ante communionem, ſi fieri poteſt: hæc *Leander* cum aliis, & ex aliis ab ipſomet allegatis.

CAPUT XVII.

DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ

CIRCA QUARTUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM,

De Jejunio.

937 

Ejunium duplex eſt, Naturale, & Eccleſiaſticum. Primum eſt perfectiſſima abſtinentia ab his, quæ guſtu percipiuntur, & à qualibet re ſumpta per modum cibi, & potus, quod frangitur quoties aliquis cibus, vel potus tranſmittitur ad ſtomachum: unde qui deguſtat aliquid, illudque non traiicit ad ſtomachum, non frangit jejunium naturale, ut benè *Reginald. lib. 4. n. 125. Filliuc. tract. 27. par. 2. cap. p. n. 5. in fine*: aliique. Quia jejunium naturale frangitur per comeſtionem, & potionem: comeſtio autem, vel potatio contingit dum tranſmittitur aliquid ad ſtomachum per modum cibi, & potus. Secundum eſt, quod ab Eccleſia præceptum eſt, & ab eadem pro diverſis temporibus, & diebus inſtitutum, quo præcipitur unica comeſtio in die, ideſt, à media nocte, ad mediam uſque noctem futuram: hinc jejunium Eccleſiaſticum eſt abſtinentia voluntaria à cibo juxta ritum Eccleſiæ, vel juxta modum ab Eccleſia omnibus fidelibus præſcriptum. Licet autem ſemel tantum in die jejunii veſci liceat de Jure, conſuetudo tamen introduxit parvam cœnam. A quibus autem cibis ſit abſtinendum tempore Jejunii Eccleſiaſtici, ſatis ex communi praxi fidelium perſpicuum eſt, abſtinendum eſſe à carnibus. Hujuſmodi verò Jejunium impoſitum eſſe ab Eccleſia ſub præcepto, certum eſt: Quia ita in jure habetur, *Cap. non liceat. Cap. non oportet. Cap. Placuit, de Conſecrat. Diſt. 3. Cap. Quadrageſima, de conſecrat. diſt. 5. cap. p. & cap. Conſilium, de obſervat. jejunii.* Ex quibus textibus non colligitur quidem (ut benè etiam *Paſqualig. de Jejunio Deciſ. 30. n. p.*) unum commune præceptum jejunandi, ſed diverſa præcepta pro diverſis temporibus: Quæ jejunii præcepta certiſſimè obligant rigoroſa obligatione, & ſub mortali, ut tradunt omnes Theologi cum *D. Tho. 2. 2. qu. 147. art. 3. in corpore*. Juncta reſponſione *ad* 2. tenent omnes Canoniſtæ *in citatis capitibus*: & omnium fidelium praxis communis: & opinio contraria, quę videtur eſſe *Cajet. in Summula Verbo Jejunium, cap. 4. & 2. 2. qu. 147. art. 3. §. Ad hujus evidentiam* (volentis, quod de ſe jejunium non obliget ad mortale, ac proinde non ſervantes jejunia indicta peccare tantum venialiter, ſecluſo tamen contemptu) tanquam falſa reiicitur ab omnibus fidelibus, unanimi ſenſu aſſerentibus præceptum Eccleſiaſticum jejunii de ſe obligare ad mortale. Quod etiam conſtat. Quia certum eſt apud omnes, Eccleſiam poſſe condere leges, & imponere præcepta, quæ obligent ad mortale; ſed ſic eſt, quod hoc intendit Eccleſia in præceptis jejuniorum à ſe impoſitis, ut (tanquam certum) docent communiter Doctores omnes apud *P. Paſqual. deciſ. c. nu. 3.* ergo. Unde quicumque ad jejunium Eccleſiæ obligati illud non ſolverint (etiam citra contemptum) ſine diſpenſatione, vel legitima cauſa non jejunandi, abſque dubio delinquent mortaliter. Cauſę autem excuſantes à jejunio, conſequenter à peccato, ſunt, *Ætas, Infirmitas, Labor, Paupertas, &c.* ut videre eſt apud Doctores: & ad caſum

casum hujus tractatus, & rem nostram, etiam *Ignorantia* excusat, ut expressè *Bonac. to.* 2. *titulo De Peccatis*, *disp.* 2. *qu.* 8. *punc.* 3. *n.* 27. *in princip.* per hæc verba: *Qui aliquo die non jejunat, quia nihil de jejunio audivit, vel cogitavit, vel dubitavit, excusatur à peccato contra præceptum jejunii, & referri potest ad invincibilem ignorantiam*. Qua de re sit.

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Qui post adhibitam diligentiam debitam, adhuc dubius est, & invincibiliter ignorans, an expleverit viginti, & unum annos, excusatur à præcepto, & transgressione jejunii.

938 Communissima omnium sententia est, apud *P. Pasqualig. de Jejunio*, *Decis.* 247. *n.* 2. hoc Jejunii præceptum non obligare, nisi expleto anno vigesimo primo: uti etiam universalis consuetudo ipsum sic interpretatur. Ratio etiam naturalis assignatur apud eundem *Pasqual. decis. c. n.* 3. Quia videlicet usque ad annum vigesimum primum durat incrementum corporis, & dum est in tali statu, natura indiget plurimo, & continuo nutrimento, præcipuè ob abundantiam caloris, unde pueros, & adolescentes obligare ad jejunium ante annum vigesimum primum expletum, esset ipsis nimis onerosum, quia opprimeret naturam tendentem ad augmentum, & complexio debilitaretur, & ad incongruum statum reduceretur. Idcircò Ecclesia non intendit eos obligare, quia non obligat ad ea, quę nimis onerosa sunt, & excedunt moralem potentiam, etiam si alioquin futura sint utilia, ut esset jejunium pro motibus carnis coercendis etiam ante vigesimum primum annum, quia non intendit, quod utile est, sed vult etiam quod non sit nimis onerosum.

939 Obligantur igitur Adolescentes omnes ad jejunium (tam Viri quàm fœminæ, *Leander par.* 3. *de præceptis Eccles. tract.* 5. *disp.* 8. *qu.* 2. ex communi item Ecclesiæ praxi, & Doctorum assensu) statim post annum vigesimum primum completum. Quia tamen eorum aliquis potest quandoque ità dubitare, an expleverit dictum annum vigesimum primum (consequenter an teneatur jejunare, nec ne) ut adhibita etiam debita diligentia, adhuc id invincibiliter ignoret, in tali casu excusatur (ut in privilegio) à præcepto, & transgressione jejunii, ad ipsumque non tenetur. Quod admittunt, & docent *Sanch. de Matrim. to. p. disp.* 41. *n.* 38. *Sancius in Selectis disp.* 43. *nu.* 6. & *disp.* 54. *n.* 5. *Layman lib. p. tract. p. cap.* 5. *§.* 3. *n.* 33. *Bassæus Verbo Jejunium* 2. *nu.* 11. *Vers. Qui dubitat. Trull. in Decal. lib.* 3. *cap.* 2. *n. p. Fagund. quarto Eccles. præcep. lib. p. cap.* 8. *n.* 7. *Diana to.* 4. *Coord. tract.* 6. *res. p. ex p. p. tract.* 9. *res.* 49. *Didacus de Narbona in Annalib. Jur. ann.* 21. *qu.* 2. *n.* 15. *Pasqualig. de Jejunio decis.* 255. *Leander par.* 3. *tr.* 5. *disp.* 8. *qu.* 13. aliique plures apud citatos, & communiter. Et ratio omnium communis est: Quia in tali dubietate, & ignorantia, possessio stat non pro præcepto jejunii, sed pro libertate illius, qui toto tempore antecedenti vigesimum primum annum non habuit. Et quia ante dubium est in libertate non jejunandi, qua libertate non debet privari ob præceptum dubium. Quod confirmatur; quia jus incertum non potest prævalere contra jus certum, minus namque non potest prævalere contra majus: supposito autem dubio, & ignorantia stante de complemento anni vigesimi primi, adest jus certum possidenti propriam libertatem, & jus præcepti obligantis ad jejunium, incertum est: quia cum præceptum non obliget, nisi completo anno vigesimo primo, dum dubium est tale complementum, remanet etiam dubia obligatio; quia remanet dubium fundamentum, seu materia circa quam versatur talis obligatio. Igitur quando quis nescit, & ignorat tempus præcisum quo complet annum vigesimum primum excusatur ab obligatione, & transgressione jejunii, ut in privilegio proposito; nec tenetur jejunare; nisi quando potest formare determinatum judicium, quod talis annus jam sit completus. Antequam enim tale judicium formare possit, remanet dubius, & ideò non subiicitur obligationi jejunii. (Adverte hic obiter cum *Sanch. Sancio l. l. c. c. Palao par. p. disp.* 3. *puncto* 8. *nu.* 7. & aliis, quod qui dubius item est, & nescius, an habeat ætatem requisitam ad Ordines, & Beneficia, non poterit ad illa promoveri: quia toto tempore antecedente dubium, obligatus erat non ascendere ad Ordines, vel Beneficia ante ætatem, unde possessio est pro præcepto, donec constet de ætate, ergo non poterit illo deobligari, dum non probat ætatem.)

940 Si autem ex uno capite probabile sit quod annus vigesimus primus sit completus, & ex alio capite etiam probabile, quod non: tunc utrumlibet sequi potest, quia non est major ratio de una parte, quàm de altera, & ideò ex libertate sua potest se determinare. Si verò magis probabile sit, quod non com-

compleverit, non tenetur jejunare, quia juxta majorem probabilitatem potest judicare quod non compleverit. Ita etiam *Bassæus vers. c. & P. Pasqual. decis. c. nu.* 4. qui quærens *n.* 5. Quid agendum ei, qui nedum ignorat diem, aut mensem, in quo complet annum vigesimum primum, sed etiam annum, ut non rarò contingit in rudibus, qui nesciunt quem annum ætatis agant, an vigesimum primum, an decimum nonum, an vigesimum secundum, vel tertium, nec habent media, ex quibus certificentur, vel quia nesciant, aut non recordentur ubi Bapizati, vel ex aliquo alio capite. Respondet, servandum esse, quod moraliter possibile est. Unde quadam morali æstimatione determinanda est ætas habita ratione eorum omnium, ex quibus colligi potest; & si ipsi hoc præstare non possunt, debent se remittere judicio prudentis Viri, aut Confessarii si sit prudens: & tunc tenebitur jejunare, quando juxta moralem æstimationem statuatur, esse completum vigesimum primum annum: antequam autem hoc statuatur, non tenebitur, nam nondum erit subiectum aptum ad suscipiendam obligationem: ita *Pasqualig.* & ex ipso *Leander disp. c. qu.* 14. Quamvis autem ante expletum annum vigesimum primum non teneatur jejunare, tenetur tamen diebus jejunio dicatis, à carnibus, aliisque cibis prohibitis abstinere, uti & omnes adulti: *Trull. in Decal. lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 6. *nu. p. in fine*, & communiter: Quia sunt duo præcepta, unum jejunandi, à quo ratione ætatis quisque excusatur, ut supra: alterum abstinendi à cibis prohibitis, à quo nullus excusatur absque legitima causa, demptis infantibus ante septennium, hi enim soli, quibus ratio nondum illuxit, ova, lacticinia, & carnes, etiam in Quadragesima vesci possunt; cum hi legibus Ecclesiæ nondum adstringantur.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Ignorans an sit media nox, & comedens, excusatur à peccato violationis jejunii, etiamsi die sequenti sit jejunandum.

941 Incipit jejunium à media nocte, & in media nocte sequenti terminatur, ut communiter docent omnes, & pro certo supponunt. Jejunium enim est addictum diei, & pro ipso die indictum; unde durare debet toto integro die indictum, & toto integro die, pro quo inducitur: integer autem dies computatur à media nocte in mediam noctem sequentem. Quia dies incipit à media nocte, & terminat in media nocte sequenti. *L. More Romano, ff. De fer.* Ideò autem incipit à media nocte, quia tunc Sol incipit ascendere ad nostrum Orizontem: Unde præceptum jejunii naturalis in ordine ad sumptionem Eucharistiæ pro illa die in qua est sumenda, debet consequenter incipere à media nocte antecedente; quia tunc incipit dies in qua est sumenda *D. Tho.* 3. *p. qu.* 80. *art.* 8. *ad* 5. In illis verò regionibus in quibus per sex menses anni est perpetua nox, aut continuus dies, servandum est præceptum secundum capacitatem consuetudinis illius regionis. De qua re *Pasqualig. Decis. Morali* 336. Dicit ergo propositum privilegium, quod qui ignorat, nescit, aut dubitat, an sit media nox, possit comedere, ac cœnare absque peccato violationis jejunii, quando in sequenti die est jejunandum. Quod tradunt *Sanch. de Matrim. to.* 10. *p. lib.* 2. *disp.* 41. *n.* 40. in quo sic: *Dubitans an audita fuerit hora noctis duodecima, poterit edere carnes, licet dies sequens sit jejunii, quia possessio est ex parte libertatis, & dubium est an tunc sit præceptum: itaque non est dubium an excusetur à præcepto, sed an sit præceptum, & in dubio, dum de præcepto non constat, favendum est libertati. Contrarium tamen dicendum esset, si hodie esset dies jejunii, & dubitem an sonuerit hora duodecima noctis, non enim possum cœnare: quia possessio est pro præcepto, cum constet hodiernam diem esse jejunii, & dubitetur an transacta sit. Fagund. præcep. Eccles.* 4. *lib. p. cap.* 10. *n.* 2. inquiens: *An ille, qui dubitat, an mediam noctem audierit, possit in eo dubio carnes edere. Respondet Sanch.* (*l. c.*) *affirmativè, & optimè: quia perinde est dubitare tunc, an sit media nox: ac dubitare, an detur præceptum jejunii, ut patet: & in dubiis an detur, & existat præceptum, Votum, lex, juramentum, aut non detur, dum de re non constat, favendum est libertati: ut optimè docet Soarius, loquendo de juramento promissorio, & Voto, to.* 2. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 33. *Bassæus in Florib. Verbo Jejunium* 2. *n.* 11. *Vers. Si quis.* Ubi ait: *Si quis dubitet, an die Jovis sit hora duodecima noctis, adhuc potest edere carnes, tum quia dies Jovis est in possessione, & non tenetur quis credere non esse diem Jovis, quousque evidenter sciant. Tum quia, quando quis dubitat, an sit media nox, dubitat, an inceperit obligatio abstinendi à carnibus: unde jus præcepti est dubium, an valeat pro illo tempore; jus autem dubium non potest prævalere contra certum. Idem dicendum de quocumque die in quo comeduntur carnes, si sequens jejunii, aut abstinentiæ sit.* Et idem tradunt omninò *Trull. in*

Decal. lib. 3. *cap.* 2. *dub.* 4. *n.* 8. *Leand. par.* 3. *tract.* 5. *disp.* 6. *qu.* 31. *Jo. Sanch. in Selectis disp.* 43. *n.* 5. *Diana to.* 8. *Coord. tr.* 2. *res.* 5. *ex par.* 4. *tract.* 3. *res.* 18. *Pala. par. p. tract. p. disp.* 3. *punc.* 8. *n.* 6. *Pasqualig. de Jejunio decis.* 163. aliique plures apud eundem, & apud ante allegatos.

942 Ex quibus clarè utique habetur, ut constat, & admissio ferè communis propositi privilegii: & optima, ac fundamentalis ejusdemmet ratio. Quia videlicet, quando quis ignorat, & ignorando dubitat, an sit media nox, dubitat consequenter, an inceperit obligatio jejunandi, ac proindè non comedendi: Unde jus præcepti est dubium, an valeat pro illo tempore; & jus comedendi est certum, quia certum est, quod quilibet potest comedere quocumque tempore, in quo non urgeat jejunandi obligatio; jus autem dubium non potest prævalere contra certum.

943 Si dicas, Jus comedendi carnes redditi dubium ex eo, quod dubitatur, an urgeat præceptum jejunandi, vel abstinendi à carnibus. Resp. hoc non posse dici, quia jus certum non immutatur, atque adeò non cadit à sua certitudine; alioquin etiam in materia doctrinali, quæ certa sunt, fierent dubia ex eo, quod in contrarium adessent dubitationes: Unde sequeretur, quod etiam res fidei evaderent dubiæ, quia in contrarium dubitari potest. Ità *Pasqualig. Bassæus l. l. c. c.* & alii.

944 Privilegii hujus occasione, Quæres hic, quomodo computanda sit media nox (jejunii, vel abstinentiæ causa) an mathematicè, an verò moraliter? Quidque animadvertendum sit, ob eandem causam jejunii, vel abstinentiæ, circa pulsationem Campanæ hora duodecima, seu in medietate noctis? Respondeo, præceptum de servando jejunio à media nocte in mediam noctem, intelligendum esse de media nocte moraliter, non mathematicè (ut volunt aliqui apud *Bassæum n. c.* 11. *Versu*, *Ex dictis*) computata. Et ratio est, quia non potest imponi præceptum ab Ecclesia, nisi eo pacto quo servari potest, alioquin obligaret ad impossibile, non potest autem hoc observari, nisi computetur media nox moraliter tantum: nam mathematicè impossibile est (moraliter loquendo) ità mensurare, & cognosci hoc dimidium noctis, ut non contingat aliquis error circa aliquam partem exiguam saltem temporis ante, vel post mediam noctem naturalem, quia est impossibile habere instrumenta ità perfecta, quibus exactè observetur cursus, & motus Stellarum, & Solis: impossibile ergo erit observare præceptum jejunii ità exactè, & mathematicè, ut statim à vera media nocte incipiat ipsius observantia. Ex qua etiam sequitur, dari parvitatem materiæ in postponendo v. g. cœnam post mediam noctem, ad quam jejunium subsequitur, sicut etiam in anticipanda comestione in die jejunii ante mediam noctem; & proinde excusare à peccato mortali, & etiam veniali, si maximè interveniat justa aliqua causa. Ità *Bassæus l. c. & Verbo, Communio Sacra, nu.* 46. *Vers. Verum quia*: ubi cum *P. Pasqual. decis. Morali* 338. *n.* 5. putat non esse mathematicè procedendum in rebus moralibus, ita ut tempus mathematico modo mensurari debeat, sed sufficere, si moraliter mensuretur, ita ut in iis, quæ pertinent ad priorem, vel subsequentem diem parum referat, si pro aliquo exiguo tempore anticipetur, vel postponatur. Hinc parum referet si etiam jejunium naturale incipiat paulo post à media nocte. Vide eundem *Pasqual. Decis. Morali c. & De Jejunio decis.* 443. *n.* 8.

945 Quid verò animadvertendum sit circa pulsationem Campanæ, seu horologii in signum medietatis noctis, quæ est altera pars propositi quæsiti, constat ex data antecedenti responsione ad primam partem ejusdem. Cum enim tempus mediæ noctis nequeat exactè observari, nec etiam quatenus benè, vel malè indicatur à pulsatione Campanæ, vel ab Horologiis (quæ nec sunt obvia semper unicuique, ut per ipsa possit se regulare; ut contingit in Oppidis, & Villis, & etiam in Civitatibus: quia non ubique per totam Civitatem audiuntur pulsus horarum, vel non est moraliter possibile ad eosdem semper attendere: & nunquam ita exactè procedunt, prout constat experientia, ut indicent præcisè horam, & tempus, quod currit, sed solum indicant moraliter (nempe plus, minusvè) remanet quod præceptum non obliget, vel obligare possit ad exactè observandam mediam noctem quocumque modo, sed sufficiat, quod secundum prudens judicium jejunium incipiat à media nocte, seu ab illo tempore, quod habetur pro media nocte, quamvis exigua pars temporis post medium noctis naturalis computetur pro ipsa media nocte; ita ut etiam si post medium noctis, aut ut indicatum per horologia, comedatur, aut bibatur, dummodo per exiguum tempus id fiat, ità ut secundum judicium probabile non censeatur elapsa media nox possit adhuc censeri jejunium incipere à media nocte, & ita docet *P. Pasqual. de Jejunio, decis.*

decis. 443. *n.* 9. & 10. Adde cum *Caramuele in Theologia Regul. disp.* 101. *n.* 1328. *Nullum Horologium esse infallibile, ideò nulli necessariò esse standum. Omnia Horologia habere vim opinionis probabilis: & Horologia etiam accurata horæ quadrante à veritate sæpius deviare.* Quę utique facilè admittentur ur probabilia: ne dicam ut certa (ait *Bassæus Verbo c. Communio Sacr. nu.* 46. *c. Vers. Sed quid*) ab his, qui in directione Horologiorum sunt exercitati: ex praxi enim quotidiana animadvertunt horologia etiam exquisitissima propter variam intemperiem aeris, spatio quinque, aut sex horarum, quadrante horæ à veritate deviare. Nec mirum, si hæc horologia sint fallacia, cum pleraque solaria, ex quibus illa diriguntur per quadrantem horæ à veritate devient, ut ipsemet sæpesæpius animadverti. Ità *Bassæus*: ad rem concludens idem *Caramuel sub n.c.* Et dum actualiter hæc scribo in nostro Dunensi Monasterio sito intra mœnia Civitatis Brugensis, experior tribus quadrantibus aliquot Horologia, quæ benè regulata dicuntur, ab aliis dissidere: ergo temerarius non erit, qui censuerit Urbis Horologia, quæ à stolidis sæpius diriguntur, integro quadrante exorbitare. Ideò quadrante horæ antequam sonet duodecima, incipit dies sequens probabiliter, & æquè probabiliter antecedens dies finitur quadrante postquam sonuerit hora. Hac de re vide *Sanch. n.* 40. *c. Vers. Quod si diversa. Cum seq. Palaum part. p. disp.* 3. *punc.* 8. *à n.* 6. *Trull. dub.* 4. *c. Pasqual. de Jejunio Decis.* 158. 159. 160. 443. 444. *& in Decisionib. Moralib. Decis. c.* 338. 339. *Dian. to.* 2. *Coordin. tract. p. res.* 111. 112. 113. *Ex par.* 7. *tr.* 11. *& Miscell.* 2. *res.* 15. *Ex p.* 3. *trac.* 4. *res.* 36. *Ex par.* 4. *tract.* 3. *res.* 19. & alios ab eisdem citatos.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Qui ex ignorantia jejunii bis comedit aliquo die in notabili quantitate, excusatur à culpa, & ab obligatione amplius eo die jejunandi.

946 PRæter abstinentiam à carnibus, & cibis vetitis ab Ecclesia in die jejunii, necessaria est unica comestio pro salvando jejunio; & ità ut sit de essentia jejunii unica comestio: talis est fidelium praxis communis; & sensus, ac sententia omnium Doctorum, tam Canonistarum, quàm Theologorum, ut videre est apud *P. Pasq. de Jejunio qu.* 86. *nu. p. & Leandrum par.* 3. *tract.* 5. *disp.* 4. *qu. p. &* 2. Qui etiam notant cum aliis allegatis, quod hæc comestionis, prandiique unius præscriptio, non habetur expresse in jure Canonico, sed tantum ex consuetudine universalis Ecclesiæ, quæ, quia præscribit modum comedendi in die ieiunii ab Ecclesia præcepti, & mentem interpretatur legislatoris, habet vim obligandi tanquam ea, quæ est de aliquo necessario pro observatione ieiunii, quod observari non potest, nisi circa modum comestionis habeatur aliqua præscriptio: ita *P. Pasqualig. qu. c. n.* 2. hinc optime arguit *Leander qu.* 2. *c.* Cum in jure Canonico expressè cautum non sit, ut in diebus jejunii, unicum tantum prandium, comestio, seu refectio fiat, non restat à quo alio capite hoc proveniri possit; nisi à consuetudine Ecclesiæ, quæ vim legis obtinet.

947 Hac ergo lege, & consuetudine universalis Ecclesiæ obligante supposita, clarè infertur veritas propositi Privilegii, & evidens ratio ejusdem. Etenim, si substantia, & essentia jejunii consistit in unica comestione, qui bis comedit in die jejunii, & in notabili quantitate, non potest amplius eodem die jejunare, quia non potest amplius servare substantiam jejunii: & si id facit ex ignorantia, utique non peccat, ergo hujusmodi ignorantia excusat ab utroque, à peccato videlicet, & ab obligatione amplius eodem die jejunandi, sicque verum, & benè fundatum propositum privilegium. Quod etiam affirmant, & concedunt pariter, & ob datam rationem, *Bonac. to.* 2. *in* 8. *Decal. præcep. disp. Vltima, qu. p. punc.* 3. *quæsito* 2. *n.* 8. *in respons. ad primum Obiicies. Et Trullench in Decal. lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 5. *in fine.* Dixi *in notabili quantitate:* quia, si levem quantitatem susceperit, non sufficientem ad fractionem jejunii, tenetur reliquo tempore jejunare ac si nihil comedisset, ut advertunt etiam *iidem præcitati.*

948 Et in confirmationem prædictorum, ac hujus privilegii, addo cum *Bonac. l. c.* & aliis ibidem: quod qui in die jejunii scienter sumpsit jentaculum (intellige excedentem limites refectiunculæ) etiamsi sumpserit absque culpa, ut si jentavir intentione serviliter laborandi, aut laboriosum eo die iter suscipiendi, non tenetur die eodem jejunare, etiamsi postea ex accidenti serviliter non laboret, aut iter non suscipiat (limita cum *Lessio lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 3. *nu.* 18. *in fine.* ponendo illum non posse reliquum diei sine cibo transigere; si enim id sine incommodo posset, videretur teneri; quia jejunium quoad unicam refectionem adhuc servari posset) & tamen hic solum materialiter ieiunium violavit, sumendo jentaculum

culum absque culpa: ergo à fortiori à jejunio excusatur, qui bis in notabili quantitate comedit ex inadvertentia, & ignorantia jejunii. Insuper, si Petus sumpta multiplici refectione discedat ex Oppido ubi tali die non jejunatur, & Vesperis superventurus sit Veronam, ubi jejunatur, non tenetur Veronæ Vesperis jejunare, licet teneatur à carnibus Veronæ abstinere ob pręceptum negativum non comedendi cibos vetitos in die jejunii, ut benè etiam *Less. cap. 2. c. dub. 8. n. 58. Filliuc. tom. 2. tract. 27. par. 2. cap. 6. n. 109. Pasqualig. de Jejunio decis.* 60. & alii. Ergo etiam qui sępius aliquo die jejunii inadvertenter, & ex ignorantia comedit in notabili quantitate, non tenetur amplius eo die jejunare, cum par ratio in utroque casu esse videatur, ut patet: ergo, &c. Dictum est: *Teneri Veronæ (si ibi jejunatur) à carnibus abstinere*. At, hoc limita cum iisdem *Filliucc. & Pasqual. l. l. c. c.* Si tamen videlicet sit ibi proprium domicilium, quia quilibet tenetur legibus proprii domicilii statim ac quandiù in ipso est. Nec obstat quod mane comederit carnes, quia præceptum non comedendi carnes est negativum obligans pro quocumq; momento temporis, pro quo prohibentur, atque adeo divisibiliter: unde semper viget obligatio, nec extinguitur per id, quod quis semel in illa die carnes comederit: sicuti extinguitur jejunium per multiplicem refectionem, & ideo potest cœnare, quia jam jejunii obligatio extincta est in ipso, cum individua sit, consistens in unica comestione, sicque semel violans jejunium comedendo, non tenetur amplius ea die à cibis abstinere. *Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 18. n. 23. Vers. Verum probabilius.*

949 Si verò locus, ad quem Vespere pervenit, proprium non esset domicilium, sed hospitium tantum, & permanenter in eo futurus non esset, potest (secluso scandalo) carnes comedere, etiam si ibi prohibeantur, ut præter *Filliucc. & Pasqualig. l. l. c. c.* advertunt etiam *Sanch. de Matrim. l. c. Sancius in Selectis Sacram. disp.* 54. *n.* 31. & alii apud ipsos. Quia eum non sit proprium domicilium, non est membrum, seu pars illius communitatis, & ideò cum ejusdem obligationibus non communicat, nec subditur legibus, quibus communitas illa dirigitur. Quod locum habet, etiamsi lex illa prohibens carnes in illo loco, vigeret pariter in proprio domicilio, ut notant *Sancius n. 31. cit. circa finem, & Pasqualig. decis. c. n.* 3. Quia tam lex domicilii, quàm loci in quo est, sunt leges particulares, sicq; uterque locus non coalescit in unam Communitatem, uti neque leges particulares ipsorum in unam legem: ideoque non obligatur, quia lex domicilii non extenditur ad ipsum, cum extra proprium locum non extendatur: nec lex loci ubi est, eum non sit subditus ipsi, eo quod non est pars illius communitatis. Ita, & optimè *Pasqualig.* cum *Sancio l. c.* contra *Sanch. de Matrimon. lib. 3. disp. 18. n. 3. Fagund. præcep. Eccles. 4. lib. p. cap. 7. nu. 7. Bossium de Jubileo sec. 4. casu* 18 *n.* 44. & alios. Sed contra privilegium.

950 Obiicies: Qui ex ignorantia, vel inadvertentia jejunii aliquo die bis comedit, non est immunis ab obligatione jejunii, sed adhuc tenetur eo die jejunare, postquam advertit illum esse diem jejunii: Ergo post secundam etiam refectionem ex ignorantia factam, servari potest jejunium, & si potest, in conscientia servari adhuc debet; sicque ruit consequenter privilegium ut patet. Antecedens assumptum probatur; Quia præceptum jeiunandi non est præceptum affirmativum, sed negativum; non enim præcipitur refectio, sed prohibetur multiplex refectio, & idem est præcipere ut semel tantum comedas, ac prohibere ne sæpius edas: præceptum autem negativum semper obligat, & toties violatur, quoties actio prohibita exercetur. Confirmatur, quia sicut lex jejunii prohibet vesci carnibus, sic etiam sæpius quam semel edere: ergo quemadmodum toties jejunii legem labefactat, quoties quis in die jejunii carnes comedit; eodem modo toties quis jejunium solvit (consequenter peccat) quoties comedit postquam semel corpus refecit.

951 Respondeo ad argumentum negando absolutè antecedens: ad probationem, dico cum *Azorio par. p. lib. 7. cap. 9. qu. 2. Vers. Ad argumenta in fine: & Bonac. n. 8. cit.* Jejunii præceptum semel in die tantum edendi, non esse simpliciter negativum (uti est præceptum carnes non edendi) sed solùm secundum quid, ne scilicet bis comedamus, sed semel tantum, ex suppositione, quod in die jejunii edere velimus. Unde negationem quidem habet, sed finitam, & certam, ne scilicet bis comedamus, quę negatio valde differt ab ea, quam continet præceptum de non sumendis carnibus, & cibis vetitis; quod ideò præceptum negativum est, absolutè, & simpliciter: alterum verò de unica comestione, simpliciter affirmativum: inter quæ differentia hæc reperitur (per *Trullench dub. 3. cit. nu.* 4. & alios ibidem, ac communiter) quod comedens

dens cibos vetitos in die jejunii toties peccet mortaliter, quoties illos ſumit, modo inter unam, & alteram comeſtionem interponatur moralis diſtantia, ita ut comeſtiones diſtinctæ numero moraliter videantur: comedens verò ſæpius in die cibos non vetitos, ſolum peccat mortaliter in ſecunda comeſtione. Et ratio differentiæ eſt ſupra data, quia videlicet, ſumptis ſemel cibis vetitis, cum præceptum hoc ſit negativum, adhuc manet obligatio non comedendi cibos vetitos, quæ ſervari adhuc poteſt, eo quod præceptum negativum obliget ſemper, & ad ſemper: ſumpta verò ſecunda refectione non poteſt amplius ſervari præceptum affirmativum de unica comeſtione ſumenda. Et hinc eſt, quod ſi quis poſt ſecundam etiam refectionem denuò comederit, non toties deinde mortaliter peccet, quoties eo die poſt eandem ſecundam refectionem cibum notabilem ſumpſerit: Nemo enim (ait *Azor. qu. 2. cit. Verſ. Ego probabiliorem*) dum ſe violaſſe legem jeiunii confitetur apud Sacerdotem, interrogari ſolet, ter ne, an quater, an bis tantum illo die cibum ſumpſerit, cum tamen alioqui perquirendum foret, ſi ſingulæ corporis refectiones culpæ, & vitio tribuerentur. Sicque negatur etiam argumenti conſequentia. Ad confirmationem patet reſponſio ex dictis: concedimus enim reperiri in jeiunii lege negationem quandam, & ſecundum quid, non comedendi ſcilicet niſi ſemel; non tamen includere quamlibet negationem ſimpliciter, ſed illius tantum, quæ carnem notabiliter mortificat, qualis eſt ſecunda comeſtio. Vel dic cum *Filliuc. tract. 27. par. 2. cap. 2. n. 24. Trull. n. 4. c.* & aliis apud ipſos: in omnibus comeſtionibus incluſam eſſe negationem, atque adeò omnes eſſe prohibitas, ſed ſolam ſecundam mortiferè: quia hæc ſola mortificat notabiliter: aliæ verò quatenus & ipſæ aliquo etiam pacto carnem mortificant, ſolum venialiter, & ſecundariò, cum etiam per eas longiùs recedatur à fine jeiunii, &c.

952 Inſtabis cum *Valent.*, *Sà*, *Navarro*, *Vivaldo*, & aliis apud *Leſſ. de Juſt. dub. 3. c. n. 19. & Bonac. n. 8. cit.* Qui ex inadvertentia, & ignorantia ieiunii comedit bis, non frangit præceptum niſi materialiter, cum ad violationem formalem requiratur notitia ipſius præcepti, ergo ſi non frangit, adhuc ſervare erit adſtrictus: conſequenter non liberatur ab obligatione eodem die ieiunandi, contra id quod dicit propoſitum privilegium. Et quod non liberetur, aſſerit etiam expreſsè *Sancius in Selectis diſp. 5. n. 2.* per hæc verba: *Si inadvertenter aliqu[is] pluries cibum, etiam carnis ſumeret, jejuniu[m] neutiquam frangeret, & ſervare erit adſtrictus cum prorſus illa comeſtio ſit involuntaria reſpe[c]ctu jejunii, nec præceptum violatur, ſive ſolvi[]tur niſi per actum voluntarium*. Ita ille aliis citatis: quibus addo *Pellizzar. in Man. Regul. to. p. tract. 5. cap. 5. n. 17. & Dianam to. 4. Coordin. tract. 6. reſ. 79. in fine, ex par. 9. tract. 6. & Miſcell. p. reſ. 27. aliàs 28.* ubi item expreſsè ſic: *Dicendum eſt, quod ſi mane quis comedit, ignorans ea die jejunari, tenetur reliquo tempore ſervare jejunium ac ſi non comediſſet quicquam, quia comeſtio illa fuit involuntaria, ſicque jejunium non fuit violatum niſi materialiter, ac proinde adhuc poteſt ſervari; ideò poteſt prandere cum aliis, imò & ſumere collationem veſpertinam*. Et idem repetit, ac confirmat in ſequentibus *reſolutionib. Coordinatis 102. ʃ. ultimo, & 116. ʃ. item ult. in princip. ex par. 10. tract. 14. & Miſcell. 4. reſ. 63. aliàs 61. ex par. p. tract. 9. reſ. p.*

953 Reſpondeo ad inſtantiam diſtinguendo antecedens: Qui ex ignorantia bis comedit, non frangit revera ieiunium, nego: frangit ſine culpa, concedo Iterum diſtinguo: Qui ex ignorantia, &c. frangit jeiunium tantum materialiter cum abſoluta videlicet excluſione fractionis formalis, & realis, nego, cum incluſione, ſed abſque culpa, & concedo: Ergo non liberatur ab obligatione eodem die ieiunandi, nego conſequentiam: imo non poteſt amplius eodem die ſervare ſubſtantiam ieiunii (ex *Bonac.*, *Trullench*, & aliis) cum conſiſtat ieiunium in unica refectione. Et idem omninò docet *Layman lib. 4. tract. 8. cap. pr. n. 13. Verſ. Neque arbitror*: dum ibi ſic: *Neque arbitror diſcrimen faciendum eſſe utrum aliquis ſcienter reficiendo ſe altera vice, jejunium ſolverit voluntariè, juſta, vel injuſta cauſa, an verò ignoranter, vel involuntariè, quia neſciebat, aut non recordabatur eſſe diem jejunii; quandoquidem etiam in hoc caſu jejunium reipſa, & materialiter violatum eſt, ut ſervari omninò non poſſit ſecundum formam, & modum Eccleſiæ*. Ex qua, & etiam adverſariorum doctrina confirmatur noſtra reſponſio: nam per ipſoſmet, qui voluntariè, ac malitiosè, & abſque iuſta cauſa bis comedit in die ieiunii, non tenetur amplius eodem die ieiunare; tenetur tamen abſtinere à carnibus, ſivè malitiosè, ſive ignoranter eodem die eas ſemel comederit: qua ratione, niſi quia hoc præceptum utpote negativum obligat in quolibet tempore,

ſemper,

mper, & ad semper; illud verò non, ti affirmativum, & in unica comestione onsistens; unde sumpta secunda, sive ignonter, sive malitiosè, ieiunium amplius rvari haud potest: Si ergo qui tantum x ignorantia bis comederet, teneretur dhuc eodem die servare ieiunium, & non ui ex malitia illud frangeret, qui ex matia illud frangeret reportaret commodum e propria iniquitate, ut patet. Si dicas cum aliquibus apud *Bonac. n. 8. cit.*) raionem, seu disparitatem esse: Quia bis omedendo ex ignorantia, & inadvertenia ieiunii, non violatur præceptum ieiunii nisi materialiter, cum ad violationem formalem præcepti requiratur ipsius præcepti notitia, consequenter secunda, vel tertia comestio ex inadvertentia, vel ignorantia præcepti facta non imputatur ad culpam. Qui verò ex advertentia ieiunii, & malitiosè bis comedit, violavit præceptum formaliter. Si inquam hoc dicas (uti etiam assumi videtur in instantia) contra, nam ut optimè *Bonac. n. 8. c. Vers. Dixi in notabili*. Si data ratio valeret sequeretur etiam non violari ieiunium ab eo, qui pransus est, nesciens diem ieiunii, & postea iterum prandet, posita ieiunii advertentia.

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Qui ex ignorantia ieiunii comedit carnes in quantitate, excusatur à culpa, & ab obligatione amplius eodem die ieiunandi.

954 ABstinentia à carnibus ita est de intrinseca ratione, & essentia ieiunii Ecclesiastici, ex ipsius Ecclesiæ institutione, ut substantia ieiunii sine ipsa subsistere nequeat, uti tradunt communiter Sancti P. P. Pontifices, Concilia, Canones, Theologi, utriusque Juris D. D. & confirmat constans, ac perpetua Ecclesiæ traditio, & ut videre est apud *Pasqual. de Jeiunio decis. 41. Leandr. par. 3. tract. 5. disp. 2. qu. 2. & 3.* & alios plures de ieiunio agentes. Quod autem abstinentia à carnibus sit de substantia, & essentia ieiunii ex institutione Ecclesiæ, à qua ipsum Ecclesiasticum ieiunium pendet, patet: Tum quia essentia ieiunii Ecclesiastici attendenda est secundum institutionem eiusdem Ecclesię, à qua dependet: & sic est, quod Ecclesia omninò præcipit ieiunium cum abstinentia à carnibus; ergo hæc abstinentia erit de ipsius substantia, ac essentia. Tum quia de essentia ieiunii Ecclesiastici est illud, sine quo etiam si cætera adsint, subsistere nequit: sed sic est, quod sine abstinentia à carnibus nequit ieiunium Ecclesiasticum subsistere: ergo abstinentia à carnibus erit de essentia illius: Minor probatur, quia Pontifices ipsi supponunt, non posse cum carnibus stare ieiunium; sic *in Bullis Cruciatæ Gregor. XIII. Sixtus V. & Clemens VIII.* dum dicunt, quod *qui Carnem non comederit, & si Ova comedat, & lacticinia cum privilegio dictarum Bullarum adimplere sit visus præcepti ieiunium:* Qua formula (ut refert *Pasqualig. decis. c. n. 3. in fine:* antea usus fuerat *Pius V.* quem ferunt viva voce declarasse, sine abstinentia à carnibus non posse stare ieiunium: Et meritò, quia ieiunium consistit in abstinentia ad macerandum corpus ordinata, proindeque esse debet abstinentia à cibo, qui magis est substantialis, gusti magis gratus, & qui corpus magis reficit, ac sensui vires subministrat contra rationem, tales autem sunt carnes ex genere suo, à quibus si non abstineretur, & si ab aliis inferioribus cibis abstineretur, nullum corpus, aut saltem parum sentiret incommodum. Quibus præmissis.

955 Probatur privilegium primò: *Basilii Poncii de Leone, & Angeli Manriquez* auctoritatibus, quas quia refert *Joannes Caramuel in Theologia Intentionali lib. 3. de Conscientia Dubia, Cap. p. disp. p. Corollario 17. n. 1351. fol. mihi 293. col. p.* ideò ponam hîc eiusdem *Caramuelis* verba: quæ habentur etiam apud *P. Dianam to. 4. Coordin. tract. 6. res. 79. ex par. 9. tract. 6. & Miscell. p. res. 27. aliàs 28.* sunt autem huiusmodi: *Obiter dicam, me audivisse Reverendissimum D. Manriquum, nunc Salmanticensis Universitatis Primarium Professorem, in Gymnasio publico sic discurrentem (Si quis ex inadvertentia, aut oblivione, in die ieiunii, carnes in magna quantitate comederit, non fregit ieiunium, adeoque tenetur servare formam ieiunii reliquò tempore, eodem modo ac si carnem non comedisset: Unde si comederit caponem mane, poterit meridie prandere, & Vesperi collationem ordinariam sumere: quia leges actibus non humanis non violantur: & illis, qui ex inadvertentia, aut oblivione, hominum quidem sunt, non verò liberi, & humani. Contrarium tamen addebat, non auderem dicere improbabile, propter Basilii Poncii de Leone (tunc Primarius Professor erat) opinionem, docentem, illud ieiunium esse fractum revera, tametsi inadvertenter, illudque die reliqua non obligare, & ab inadvertentia habuisse non quidem quod non violaretur; sed quod violaretur, & frangeretur sine culpa) sic discurrebat Angelus Manriquus: sic Basilius:* ita *Caramuel*. Igitur ex auctoritate horum duo-

duorum Virorum, (qui ex atteſtatione *P. Dianæ l. c.* luminaria fuere inclytæ Academiæ Salmanticenſis, & quos vocat ipſe Gigantes Theologiæ, primus Ciſtercienſis, alter Auguſtinianus) probabile, ſaltem non improbabile privilegium propoſitum: quod præterea.

956 Probatur ſecundò ratione: Qui ex ignorantia comedit carnes in quantitate, excuſatur à culpa: ergo etiam ab obligatione amplius eodem die ieiunandi: antecedens debet concedi, uti ab omnibus conceditur: conſequentia verò ſequitur apertè ex præmiſſis: ex quibus conſtat, quod ſubſtantia, & forma ieiunii conſiſtit in abſtinentia à carnibus: everſa ergo forma ieiunii per comeſtionem carnium, non poteſt amplius ieiunium eodem die habere locum, cum debeat adhærere illius ſubſtantiæ, qua ſublata, ieiunium omninò aufertur, nec eodem die amplius ſubſiſtentiam poteſt habere, & in conſequens nec obligare: Ergo.

957 Probatur tertiò: Diſpenſatus ad comedendas carnes in ieiunio, cenſetur ſolutus ab obligatione, & obſervatione ieiunii, ita ut poſſit cœnare, nec teneatur ieiunare: ergo etiam in caſu propoſiti privilegii: Conſequentia ſequitur ob paritatem rationis: antecedens (quod admittunt *Cajet. 2. 2. q. 147. art. 7. in reſp. ad ultim. dubium. Azor. p.p. lib. 7. cap. 10. qu. 3. Verſ. Arbitror igitur. Henriq. lib. 7. cap. 13. n. 13. Filliuc. tract. 27. par. 2. cap. 3. n. 52. & 53. Sanch. in Conſiliis to. 2. lib. 5. cap. 29. nu. 3. Diana to. 4. Coord. tract. 3. reſolut. 170. tract. 6. reſolu. 75. & 86. ex p. p. tract. 11. reſ. 4. Ex p. p. tract. 9. reſ. 25. Ex p. 10. tract. 12. & Miſcell. 2. reſ. 46. aliàs 45. Llamas in Summa Eccleſiaſtica p. 3. cap. 5. §. 26. Joann. de la Cruz. in Director. Conſc. p.p. præcep. 3. de Jeiun. art. 4. dub. 8. concluſ. 3. Fagund. 4. Eccleſ. præcep. lib. p. cap. 2. n. 5. Trull. in Decal. lib. 3. cap. 2. dub. 2. n. 7. aliique apud ipſos, & communiter apud Dianam reſ. 86. c. cum Leandro par. 3. tract. 5. diſp. 8. qu. 38.*) probatur. Quia abſtinentia ab eſu carnium eſt de ſubſtantia, & eſſentia præcepti ieiunii: ſoluta igitur, & diſpenſata ſubſtantia, & eſſentia præcepti ieiunii, totum præceptum ſolvitur; *& contrarium videtur inintelligibile* (ait *Fagund. n. c. circa finem*) *Et jam modo* (addit *Llamas §. c. in princip.*) *eſt luce clarius, quod diſpenſatus quoad eſum carnium, eſt, & quoad ieiunium.* Imo uſus, praxiſque pœnitentium hoc probat (inquit *Filliuc. n. c. 52.*) cum enim hi diſpenſati ſunt ad carnes, non ſolent ſe accuſare ſi ſæpius comederent nec ne, ſed pro comperto habent ſe poſſe non modò bis, ſed quoties voluerint comedere abſque culpa (ut etiam advertit *Azor l. c.*) Et Medici quando diſpenſant ad carnes, etiam interrogati reſpondent, diſpenſare ad duplicem comeſtionem. Cùm igitur de intrinſeca ſubſtantia, & ratione ieiunii ſit abſtinentia à carnibus, imò hæc ſit forma ieiunii, qui eſt diſpenſatus in illarum eſu, diſpenſatus conſequenter cenſetur in præcepto ieiunii, idque ex ſui natura: ex ceſſatione enim formæ ceſſat etiam intentio legis, ejuſdemque obligatio, *Paſqual. de Ieiunio, deciſ. 267. nu. 10. & ſequentib. & deciſ. 274. nu. 5.* ubi, etiamſi forma, quæ eſt de ſubſtantia, ceſſet per ſe, ſive ex accidenti. At, ſic eſt quod ceſſat forma ieiunii Eccleſiaſtici ex eſu carnis, tam cum diſpenſatione, quàm ex ignorantia ut patet, ergo.

958 Confirmatur, qui in die ieiunii nonniſi carnes habet ad veſcendum, non tenetur ieiunare, ut docent *Fagund. lib. p. cit. cap. 8. n. 12.* (*cum D. Tho. ibi, Ricardo, Durando, Sylveſt. Roſella, Cajet.*) *Azor. lib. 7. c. cap. 27. qu. 7. Trull. n. 7. c. Diana reſ. Coord. cit. 86. Paſqualig. deciſ. 274. c. Carolus Baucius de Miſcellan. Practicis Caſuum Conſcient. q. 54. qu. 54. fol. 50. Leand. qu. 38. c. & alii:* quia ille ſic, non poteſt ſervare ſubſtantiam ieiunii Eccleſiaſtici, cujus eſſentia conſiſtit in abſtinentia à carnibus, & à pluribus refectionibus ut ſupra: Sed nec poteſt amplius ſimiliter eodem die ſervare ieiunii Eccleſiaſtici formam, eſſentiam, & ſubſtantiam qui comedit carnes, licet ex ignorantia, ergo & deobligatus remanet à ieiunio, & à culpa pariter excuſatus ut in privilegio propoſito. Quod inſuper ſequitur ex precedenti; imò eadem eſt omninò utriuſque ratio, idemque fundamentum, ut patebit diſcurrenti. Uti ex privilegii utriuſque doctrina etiam infertur, quod diſpenſatus ut bis in die ieiunii poſſit comedere, ſit omninò exemptus, & deobligatus à ieiunio. Quia diſpenſatus, ut bis comedat, diſpenſatus eſt (ex dictis) in forma ſubſtantiali ieiunii, quæ conſiſtit in unica integra comeſtione, & una collatione, admiſſa per conſuetudinem: ergo diſpenſatus ut bis comedat, exemptus eſt totaliter à ieiunio, vi cuius præcepti prohibetur, non tertia, &c. ſed ſolum ſecunda comeſtio. Sic *P. Paſqual. de Ieiunio Deci. 347. Leand. diſp. 8. c. qu. 147.* & apud eoſdem *Cajet. Navarr. Sà, Azor. Reginald. Bonac. Fagund. Trull.* aliique.

PRI-

PRIVILEGIUM QUINTUM.

Accedens ad communionem ex ignorantia ieiunus quidem ieiunio Ecclesiæ, sed non naturæ, & necessariò ad Eucharistiam sumendam, excusatur à peccato mortali.

959 Poteſt quis adeo ſimplex eſſe, ac ignorans, ut exiſtimet eſſe quidem neceſſarium ieiunium ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, ſed Eccleſiæ tantum, non naturæ: & ſi is cum hac ignorantia accedit ad communionem non ieiunus ieiunio naturæ, vi huius privilegii à mortali peccato excuſatur; à quo pariter eundem etiam claris verbis excuſat *Cajet. in Summula Verbo Sacrament. Communio, Verſu, Si autem,* dicens: *Si autem ſciens, & advertens aliquis non ieiunus communicauerit, mortis articulo dumtaxat excepto, mortaliter peccat, ut communiter tenetur. Dixi autem ſciens, non propter ignorantiam iuris de ieiunio communicandi, cum hoc ab omnibus ſciatur, ſed propter ignorantiam qua fallitur aliquis putans ſe eſſe ieiunum, cum verè non ſit ieiunus. Contingit enim aliquos bonos viros credere, quod ſumpta aliqua re aromatica (puta cinamomo, vel nuce muſchata, vel aliquo eiuſmodi) non ſit fractum ieiunium, propterea fortè quia non frangitur ex his ieiunium Eccleſiæ. Imò à fide dignis accepi quendam bonum Sacerdotem multo tempore pro reverentia Sacramenti præaccepiſſe nucem muſchatam, ut bonum odorem ſtomachi Euchariſtiæ præpararet. Sciebat ille quod oportebat ieiunum communicare, ſed neſciebat ſe non eſſe ieiunum poſt ſumptam nucem muſchatam pro reverentia Sacramenti, neſciens diſtinguere inter ieiunium Eccleſiæ, & ieiunium naturæ. Excuſatur ille à peccato mortali contra ius poſitivum, quia plus neſciebat, in ſua ſimplicitate gradiens, & arbitrans ſe ſcire quod omnes ſciunt, ſcilicet quod ieiuni tantum debent communicare, & propterea non erat ſolicitus de fuganda ignorantia illa:* ita *Cajet.* Quem ſequitur *Summa Armilla Verbo Communio, nu. 2.* ſic affirmans: *Requiritur, quod communicans ſit ieiunus, ieiunio non Eccleſiæ tantum, ſed naturæ, videlicet quod à media nocte nihil ſumpſerit per modum cibi, vel potus, & ab omnibus, quæ per os ſumuntur, etiam medicinalibus, ita quod ſcienter, & advertenter, non ieiunus, hoc modo communicans (excepto mortis articulo) mortaliter peccat.* Igitur, non ſic ieiunus, neſcienter, & ex ignorantia communicans, à peccato excuſatur, ut in privilegio: Quod etiam docet *P. Paſqualig. de Ieiunio Deciſ. 447.* allegans pro eodem *Perſicum lib. p. De Officio Sacerdotis cap. 3. dub. 6. nu. 62. & Boſſium to. 3. moral. tit. 22. n. 2.* illudque admittens quamvis ignorantia videatur craſſa, quia poteſt facilè expelli. Vult tamen (Cum *Vivaldo, & Thoma Hurtado*) privilegium non habere locum quoad Sacerdotes, quia talis ignorantia in ipſis eſſet craſſiſsima, & affectata, tenentur enim ſcire Sacerdotes ratione officii neceſſarium eſſe ieiunium ſimpliciter, etiam naturæ. Unde ad ſummum ſolum ratione inadvertentiæ poterunt excuſari.

960 Probatur autem poſitum privilegium. Quia ubi non est voluntarium, ibi non eſt peccatum, & ubi eſt ignorantia, ibi eſſe non poteſt voluntarium: in caſu autem noſtri privilegii ſupponitur, quod ſumptio prædictarum rerum non ſolvat ieiunium ante Euchariſtiæ ſumptionem ſervandum, ergo is, qui ſic accedit, non accedit voluntariè cum impedimento ad illam ſumendam, conſequenter accedit abſque peccato. Iste enim talis ſupponit ſe ſcire omnia, quæ ſcire debet in ordine ad ſumptionem Euchariſtiæ, & putat quod ſufficiat ieiunium quale ipſe ſervat, nec de oppoſito habet aliquod dubium: ergo. Quod autem dicitur de ignorantia, dicendum eſt etiam de inadvertentia (ut advertit pariter idem *P. Paſqualig. deciſ. c. n. 3.*) quando videlicet quis non advertens ſe comediſſe, aut ſumpſiſſe aliquid medicinale, accedit ad ſumendam Euchariſtiam; quia eadem eſt ratio de inadvertentia, ac de ignorantia, cum utraque reddat actum involuntarium. Quod etiam indicat *Armilla Summa* nedum, ſub illis verbis: *Scienter, & advertere:* Sed & *Cajet.* ipſe expreſsè hoc docet per hæc, *Verbo cit. Dixi (advertens) quia ſi contingat aliquem ſcientem omnia, poſt ſyropum ſumptum communicare, non recolendo de ſumpta potione, excuſatur à mortali violatione iuris poſitivi; non enim voluntariè communicavit non ieiunus, qui ex oblivione huiuſmodi communicavit.* Ita *Caiet.*



C A-

CAPUT XVIII.
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA QUINTUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

Solvendi Decimas.

961 Uintum Ecclesiæ præceptum est de solutione Decimarum, quæ solutio est actus tum Religionis, tum iustitiæ, Religionis quidem, quatenus fit Ecclesiæ Ministris in recognitionem Divini dominii, & supremæ excellentiæ; Decimarum enim solutione recognoscimus fructus omnes à Deo recepisse, Deumque esse eorundem authorem. Justitiæ verò, quia solutio fit in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ illis debitam. Ministri namque Ecclesiæ spiritualia nobis ministrant, & pro nobis laborant, ergo illis temporalia subministrare debemus: Nam *qui Altari inservit, de Altari vivere debet*. Hinc est, quod Decimarum solutio non est mera tantum, ac voluntaria eleemosina, ut affirmare ausi sunt *Vvicleph*, aliique Hæretici, asserentes, posse populum Christianum eas ad libitum Sacerdotibus denegare propter eorundem scelera, qui error damnatus fuit in *Concil. Constantiensi sess.* 8. De fide enim est Decimas, ac primitias non esse arbitrarias eleemosinas, sed stipendium, ac subsidium Ministris Ecclesiæ jure debitum ad illorum debitam, ac necessariam sustentationem, propter Ministerium spirituale ab illis Christiano populo impensum, ut communiter omnes in *Tractatu de Decimis*. Et nedum jure naturali, & Divino, secundum plures, & classicos D. D. Decima debita est (de qua re Recentiores, *Suarez*, *Fagundez*, *Barbosa*, *Lessius*, aliique) Sed certissimè, & indubitatè, jure positivo Ecclesiastico, & Ecclesiæ præcepto: Nam sicut olim in veteri lege fuit præceptum de solvendis decimis, ut patet *Exodi* 22. *Levit.* 27. *n.* 18. ita & nunc in nova, & Ecclesia, datur pariter idem præceptum, quod utique inter quinque præcepta Ecclesiæ circunfertur: & inter ipsa fidei rudimenta traditur, atque supponitur, constatque *ex jure Canonico* 16. *qu. p. extra tit. de Decimis per multa capita*, & *Concilio Trid. sess.* 25. *cap.* 12. *De reformat.* Ubi mandat excommunicari eos, qui Decimas subtrahunt, aut impediunt, *cum decimarum solutio* (ait *Concilium*) *debita sit Deo*; & *qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadant*. Et præcipit ne ab hoc crimine, nisi plena restitutione sequuta, absolvantur. De quibus autem solvendæ sint Decimæ: videndi Doctores in hoc præcepto; distinguentes triplex genus Decimarum, Personalium videlicet, Prædialium, & Mixtarum: Unanimique omnium assensu affirmantes, crimen esse lethale decimas non solvere, *nisi excuset* (quoad rem nostram) *ignorantia*, & *bona fides*, ut ait *Petrus à S. Joseph in Summula Casuum Conscientiæ De V. Ecclesiæ Præcepto*, *Opusculo primo*, *cap.* 5. *in fine*. *Et in Idea Theolog. Moralis*, *De Justitia lib.* 4. *cap.* 3. *fol.* 487. Vel etiam eas solvere ex deteriori parte, mala fide: Qua de re sit

PRIVILEGIUM UNICUM.

Qui ex ignorantia, & bona fide decimam debitam solvit ex deteriori parte, à mortali excusatur.

962 PEccare mortaliter peccato injustitiæ (& etiam sacrilegii secundum multos, & classicos D. D.) qui decimant partem pejorem, & deteriorem cum malitia, & in quantitate notabili, docet *Fagundez de* 5. *Eccles. præcept. libr. p. cap.* 4. *n.* 7. per hæc verba: *Inter latrones, & fraudatores decimarum numerantur illi, qui tempore messis meliores manipulos sibi eligunt, deteriores Parochis: sicut enim non tenentur meliora, sic nec deteriora; sed tenentur bona fide facere, prout res se se offerunt, ut notant Less. to. p. de Just. lib.* 2. *c.* 39. *de Decimis, dub.* 3. *n.* 16. & *Sylvest. Verbo Decimæ*, *n.* 15. *§.* 3. *Ex quo planè sequitur, peccare eos mortaliter*,

taliter, *si quantitas notabilis fuerit, & ad mortale attingat; & teneri ad restitutionem, qui prædictos meliores manipulos sibi seligunt, & qui ex deteriori vino decimas solvunt, sibi pretiosius seligendo, & quod dicimus de his duabus, de cæteris rebus intelligendum est*: sic ille: & antea *Navar. in Man. cap.* 21. *n.* 31. *Vers. Secundò peccat*: docens ibi peccare mortaliter, qui decimat partem pejorem; *Quia licet* (inquit) *non debeatur optima, debetur tamen mediocris*: & sic etiam *Petrus à S. Joseph in Summula l. c. Nam quamvis* (ait) *meliorem partem dare non teneantur, æquitas tamen exigit ut saltem mediocrem pendant. Unde secus facientes non tantum peccant, sed etiam ad restitutionem tenentur.* His adde *Palaum par.* 2. *tit. de Decimis disp. Unica punct.* 8. *n.* 2. *Trull. in Decal. lib.* 3. *cap.* 3. *dub.* 3. *n. p. Leandrum par.* 3. *tract.* 6. *disp.* 4. *quæst.* 36. & D. D. communiter apud *Trull. n. pr. cit.* Cum enim decima pars sit debita ex omnibus, & tam meliora, quàm deteriora, manu Dei contingant, de omnibus æquè decima debetur: hinc neque tenetur quilibet meliora eligere, neque potest deteriora dare; aliter si hoc faceret scienter, & in notabili quantitate, peccaret mortaliter, ut dictum est, & asserunt communiter, præcipuè allegati: secus verò si ex ignorantia (ut in privilegio) & bona fide daret, ut iidem Doctores: sic enim excusaretur à peccato. Et *Raphael De la Torre in* 2. 2. *qu.* 87. *art.* 2. *disp.* 5. *num.* 2. relatus à *Leandro qu.* 36. *c.* videtur assertum privilegium confirmare, dum dicit: Quòd in casu quòd adsit bona fides decimantium nec intendentium lucrari dando pejora, sed ut obvia fiunt selecta, & pejora dantur pro decimis, non est cur sollicitus plus nimio sit exactor decimarum. Addens tamen *Leander in fine quæst. ex D. Gregorio* relato 16. *qu.* 7. *Can. Quicumque*. Quòd tunc decimans, postquam recognovit in se, quòd fideliter non dedit decimas suas, debet emendare quòd minus fecit.

CAPUT XIX.
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA SACRAMENTA.

Et primò circa Ministrum Sacramentorum; necnon circa suscipientem illa.

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Sacramentorum Minister in mortali administrant cum ignorantia, inadvertentia, vel oblivione status sui culpabilis, à novo mortali excusatur.

963 Acramentorum Minister duplex est, Minister videlicet ex officio, sive solemnitatis, sic dictus, quia ratione consecrationis habet ex officio conficere Sacramenta. Et Minister necessitatis, sic dictus, quia confert Sacramentum tantum, ut subveniat necessitati, ut in Sacramento Baptismi; unde hic non administrat illud ex officio, vel ratione consecrationis. Certum autem est Ministrum in mortali existentem quantumvis sceleratum, conficientem Sacramentum, validè conficere, dummodo nihil aliud ipsi desit quàm divina gratia, & morum probitas. Quod etiam docet Catholica fides, contra *Donatistas*, aliosque Hæreticos, declarata in *Concil. Trident. sess.* 7. *Canon.* 12. *De Sacramentis in Genere*: his verbis: *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre, anathema sit*. Et quod insuper colligitur ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ nunquam consuevit eos rebaptizare, qui sub debita materia, & forma à Ministris peccatoribus, Hæreticis, Schismaticis, & degradatis baptizati fuere. Hinc *S. Augustinus Tract.* 5. *in Joannem* ratiocinatur sic: *Quid tibi facit malus Minister, cum bonus est Dominus, quidvè impedit malitiosus præco, ubi benevolus est Judex? non exhorreat columba (idest Ecclesia) Ministrorum malorum, sed respiciat Domini potestatem: Baptisma enim tale est, qualis est ille*

ille in cujus potestate datur, non qualis est ille per cujus Ministerium datur. Accedit etiam ulterior ratio, tum quia, si valor Sacramentorum, exigeret necessariò probitatem Ministri, eorundem efficacia non penderet tunc ex solis meritis Christi, sed simul etiam dependeret ex Ministri meritis: Sed sic est quod non ex his, sed ex illis solum dependet, cum Sacramenta suum effectum producant non ex opere operantis, sed ex opere operato, habendo suam efficaciam ex Passione Christi; ergo. Tum etiam quia: Si valor Sacramenti necessariò penderet à conscientia Ministri bona, vel mala, nostræ justificationis negotium, ipsaq; salus æterna, per Sacramenta obtinenda, valdè fidelibus redderetur incerta, cum vix unquam de probitate Ministri certitudinem moralem habere possent, quod utique magnum esset inconveniens.

964 Minister necessitatis, dum in statu peccati mortalis Sacramentum conficit, & administrat, ex. gr. cum Laicus, aut Clericus baptizat, non peccat mortaliter: ità docent *S. Tho. in 3. par. qu.* 64. *art.* 6. *ad* 3. *Cajet. ibidem. Sylv.*, *Scotus*, *Sotus*, *Suar.*, *Henriq.*, *Sanch.*, *Laym.*, *Filliucc.*, *Bonac.*, aliique plures, quos referunt, & sequuntur *Diana to. p. Coord. tr. p. res.* 42. *ex p.* 3. *trac.* 4. *res.* 10. *& Leander par. pr. tract. p. disp.* 4. *qu.* 5. Ratio autem est, tum quia non est ratio, quæ ad contrarium asserendum cogat, ut infra: tum quia talis non abutitur gratia sacramentali collata per specialem consecrationem, eo ipso, quod ejusmodi minister non sit per specialem consecrationem deputatus ad ponendum actum confectivum sacramenti: tum etiam quia, si verum esset quod Laici Baptizantes in casu necessitatis cum peccato mortali, peccarent mortaliter; væ væ obstetricibus (concludit etiam *Diana res. c. in fine*) & aliis Laicis in tali casu adstantibus.

965 Et nedum Laicus, & Clericus, sed nec etiam Sacerdos existens in mortali, peccat mortaliter, quando ut minister necessitatis baptismum administrat, hoc est, quando illud privatim sine solemnitate confert, & in extrema necessitate, more laicorum. Sic ferè omnes D. D. *pro præced. n. c.* aliiq; tum apud *Dianam res. c.* tum apud *Leand. qu.* 5. *cit. & qu.* 6. *seq.* & sic etiam *D. Tho. l. c. ad* 3. ubi ait: *In articulo tamen necessitatis non peccat baptizando in casu, quo etiam Laicus posset baptizare: sic enim patet, quia non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti*. Adverte tamen hic, quod cum dicit *D. Th.* Ministrum necessitatis conferentem Baptismum non se exhibere in illa actione, ut Ecclesiæ Ministrum, non est intelligendum, quod hujusmodi baptizans non sit Christi, & Ecclesiæ Minister, est enim; nam debet Christi, & Ecclesiæ intentionem habere, & applicare materiam, & formam à Christo Domino institutam. Sed sensus est, quod talis Minister non exhibet se, ut Ministrum Christi ad illud munus specialiter deputatum, & consecratum, sed solum assumitur per accidens ob necessitatem Sacramenti. Et ut talis inquam Minister necessitatis: quamvis Sacerdos, & existens in mortali, mortaliter non peccet sacramentum ministrando, & conferendo. Quia licet tunc etiam agat quidem ut Christi minister (ut dictum est) non tamen per se ut minister Ordinarius, sed tantum ex accidenti; ac proinde non habet obligationem conficiendi Sacramentum in statu gratiæ, ita ut si illud conficiat in statu disgratiæ lethaliter peccet. Neque enim conveniens est, ut illi, cui Ministerium ex accidenti solùm conceditur, tantum onus imponatur, quantum imponitur ei cui competit per se. Confirmatur, quia licet Sacerdos sit minister ex officio, in casu tamen necessitatis non ministrat Baptismum ut minister ex officio, sed ut minister necessitatis, sicut Laicus, & fœmina. Et caracter Sacerdotalis non concurrit ad illud ministerium, sed se habet quasi per accidens, & concomitanter, & ob id Sacerdos se habet in eo casu non aliter quàm Laicus. Is etenim dicitur Sacramentum ex Officio ministrare, qui actionem sacram ita exercet, ut nullus eandem saltem illo modo exercere queat, nisi eam consecrationem habeat. Igitur cùm Sacerdos in necessitate baptizat, & sine solemnitate, eo dumtaxat modo baptizat, quo Laicus, & fœmina baptizare potest, & ideò non baptizat ex officio, hoc est, ut minister Ecclesiæ peculiari consecratione ad sic ministrandum deputatus, ac propterea obligari non debet, ut conformetur Sanctitati Christi, & Ecclesiæ, uti non obligatur Laicus: consequenter ad existendum in gratia: ergo sine ipsa sic ministrans non peccat mortaliter.

966 Sed nec etiam venialiter, si reverenter, & cum aliquo timore administret, ut tenet *Petrus de Cabrera de Sacrament. qu.* 64. *art.* 6. *disp. p. §.* 4. *n.* 17. do ejus verba: *Minister necessitatis* (ait) *sive sit Laicus, sive Sacerdos, qui in mortali administrat Sacramentum, etiamsi videns, & sciens faciat, non peccat mortaliter, immò verò neque venia-*

liter

ter , si aliqualem adhibeat reverentiam , & um aliquo timore , & pudore id faciat ; sic est ommuniter receptum à Theologis , paucis excetis , & probatur ; quia omnia argumenta adlucta ad probandum esse peccatum mortale miistrare Sacramenta in culpa mortali , proceunt tantum de Ministro , qui ex officio , & um solemnitate Religiosa ministrat sacramenum ; ergo sine ratione dicitur ministrum necesitatis peccare mortaliter , aut venialiter : sic lle relatus à *Diana tom. pr. Coord. tract. p. ef. 43. n. 2. Ex p. 5. tract. 3. ref. 24.*

967 Minister ergo tantum solemnitatis qui videlicet ex officio ad quod per speialem consecrationem deputatus est) si cum onscientia peccati mortalis sacramentum onficiat , & conferat , peccat mortaliter eccato Sacrilegii. Hocque certum est, & onstans apud omnes Theologos : adeò ut ontrarium asserere (quod affirmant *Hieron. Llamas in Summ. Ecclesiastica par. p. cap. pr. §. 5. & p. 2. cap. 2. §. 12. Crousers in Regul. S. Francisci cap. 7. lect. 21. & Marcus Vidal. n Arca Vitali tit. de ministro Sacrmenti , Inquisitione unica , nu. 69. & 75.)* uti contra communem , esse reiiciendum, dicat *Diana tract. p. c. ref. 10. n. 10. ex par. 6. tract. 6. & misc. p. ref. 53. cum Coninch de Sacram. qu. 64. art. 6. dub. p.* Absolutè nunc , & certissimè absque ulla hæsitatione omninò esse improbabile, affirmant *Leand. disp. 4. qu. 9.* Et nedum improbabile, sed etiam per *Luysium Turrianum, apud eundem Leandrum qu. cit.* temerarium, sine idoneo fundamento, & scandalosum. Et quod peccet mortaliter probatur ratione *D. Th. 3. p. qu. 64. art. 6.* Quia videlicet, minister conficiens Sacramentum, ad id munus specialiter ex officio consecratus , tenetur conformare se cum principali agente , cujus se exhibet ministrum, juxta illud *Levit. c. 19. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum, & Ecclesiast. 10. Secundum Judicem populi , sic & ministri ejus*. Ergo si id faciat cum conscientia peccati mortalis, peccat mortaliter : quia irreverentiam in materia gravi irrogat Deo principali agenti , & quantum est ex parte ipsius coinquinat Sacramentum ipsum, licet secundum se sit incontaminabile. Confirmatur: Quia sacramenta continent in se moraliter merita, & sanguinem Christi, & eorundem Minister, merita, ac sanguinem Christi , dispensat, idque in persona Christi , quam sustinet immediatè : ergo contra ipsius , & sacramentorum dignitatem videtur, & sequitur esse , peccatorem , qui est hostis Christi, & Diaboli mancipium ea administrare, quia omninò dedecet talem in tantę dignitatis, ac sanctitatis munere, & tam immediatè personam Christi sustinere, ita ut sit unum agens cum Christo : Igitur in tali statu sic agendo , & Sacramentum administrando , peccat mortaliter.

968 Mortaliter inquam peccat , nisi ignorantia , inadvertentia , vel oblivio status sui excuset, ut in proposito privilegio, quod ponunt etiam ad litteram *Patritius Sporer par. pr. Tyrocinii Sacramentalis practici c. 3. qu. 34. §. 4. nu. 186.* ut sequitur : *Peccat omninò mortaliter minister Sacramenti consecratus, ex officio conficiens Sacramentum in mortali : excusat tamen ab hoc novo mortali Ignorantia, inadvertentia, & oblivio sui inculpabilis , & Petrus à S. Joseph in Idea Theologiæ Sacramentalis lib. p. cap. 5. Vers. Observandum* 2. sic dicens : *Qui sibi conscius est peccati mortalis aliquando excusatur à nouo peccato sacramenta administrando , nempè quando urget necessitas ministrandi , & aliundè minister , aut non cogitat de suo statu, aut inculpabiliter ignorat obligationem ministrandi in statu gratiæ , &c.* Huicque eidem privilegio subscribit *Diana ref. 10. c. Coord. n. 11.* per hæc verba : *Sacerdos quacunque ratione conferat in peccato mortali aliquod sacramentum præter ipsum Baptismum (non solemniter collatum) peccat semper mortaliter ; nisi excusetur ignorantia*. Per quam utique hujusmodi Minister nedum per citatos excusatur, sed per omnes D. D. excusari debet , cum ignorantia , uti & inadvertentia, ac oblivio sui status inculpabilis , causent involuntarium , & nullum peccatum nisi volitum ; nullumque volitum quin præcognitum.

969 Excipit tantum *P. Diana* Baptismi Sacramentum in necessitate collatum, nullum aliud ; neque etiam Confessionis Sacramentum , & meritò : nam Sacerdos quoque absolvens cum conscientia peccati mortalis in casu necessitatis etiam extremę, *per se loquendo*, peccat mortaliter : Quia ad absolutionem sacramentalem in quocunque casu conferendam , consecratio ministri , aut Ordo Sacerdotalis non se habet per accidens, sed per se: siquidem in nullo eventu potest dari à Laico : ac proinde cum Sacerdos absolvat, ut minister per se ad id munus consecratus , mortaliter per se loquendo peccat, etiam in casu extremæ necessitatis, si id efficiat cum conscientia peccati mortalis. Dixi *per se loquendo*, peccare mortaliter hujusmodi Sacerdotem cum conscientia peccati mortalis absolventem in extrema etiam necessitate : Quia per accidens probabile est eum excusari , si non

valet moraliter in eo necessitatis articulo, & brevissima morula se disponere ad justificationem, & gratiam per actum contritionis, ne homo interim, & ægrotus moriatur (qui jam animam agit) absque absolutione Sacramentali, quæ tunc existimatur necessaria ad salutem: ut tenent *c. c. Sporer*, *Diana*, *Leander disp.* 4. *c. qu.* 8. & communiter. Tunc enim saltem concepta simplici aversione à peccato memoriæ occurrente, ex charitate, vel officio absolvens, non committet irreverentiam saltem gravem, imò in subita festinatione nullam: uti cum aliis resolvit *Lugo de Sacram. in Genere disp.* 8. *sect.* 9. *nu.* 151. *& rectè* (ait *Gobat* apud, & cum *Sporer n.* 186. *c. in fine*) *quia necessitas urgens, excusat irreverentiam erga Deum, sicuti sæpè erga Principem*. Vide *Dianam tract. p. c. ref.* 12. *ex p.* 5. *tract.* 13. *& Miscell. p. resol.* 74.

970 Quæres hìc obiter primò: Ad quid teneatur minister existens in mortali, ut dignè, & sine novo peccato conficiat aliquod sacramentum, ut minister ad id munus specialiter deputatus? Respondeo teneri ad veram, aut saltem probabiliter existimatam contritionem, non tamen ad actualem peccatorum Confessionem; excepta Eucharistia: ita communiter Theologi, quos refert, & sequitur *Bonac. To. p. de Sacram. in Genere*, *disp. p. qu.* 3. *punc.* 2. *§. p. propos.* 2. *nu.* 3. Prima pars patet: quia ut talis minister conficiat dignè sacramentum requiritur per se loquendo, quod sit in statu gratiæ, ut probatum est, dispositio autem per se requisita ad talem statum est contritio: ergo hæc requiritur per se loquendo, in eo, qui habet conscientiam peccati mortalis, ut dignè conficiat Sacramentum. Patet etiam pars secunda: Quia nullum per se loquendo extat præceptum divinum, aut humanum præmittendi Confessionem in tali casu, excepta Eucharistia: ergo per se loquendo illam præmittere in ordine ad alia sacramenta non est necesse, sed sufficit contritio in re absque confessione prævia, vel quod bona fide credat se esse in gratia per contritionem saltem probabiliter talem existimatam. Confirmatur (loquendo in specie de Sacerdote, & ministro Confessionis Sacramentalis) argumento *Victoriæ* apud *Llamas in Summa par. pr. c. p. §.* 5. *Leandrum qu.* 8. *cit.* & alios. Si Sacerdos existens in mortali teneretur prius confiteri ad dignè administrandum pænitentiæ sacramentum, incidere quandoque posset in inextricabiles perplexitates: nam si tres essent in mortali peccato Sacerdotes, & non adessent alii, & omnes sic tenerentur ad confessionem, ut administrarent, quis audiret prius alterius confessionem? quis incipiet? & ille à quo audietur, cum sint omnes in mortali? dicendum ergo in tali statu existentem Sacerdotem, teneri tantum conteri (ut supra.) Et actum contritionis elicere, ac habere saltem antequam absolutionis verba proferat, & priusquam absolvat pœnitentem: dico saltem, quia non est necesse priusquam incipiat excipere pœnitentis peccata: ratio est, quia dispositio animi, generatim loquendo, ad dignè conferendum, vel conficiendum Sacramentum sufficit quod adsit ante consumatum actum essentialem sacri Ministerii, sufficit igitur antequam proferat ultima verba formulæ absolutionis per quam Sacerdos ultimò conficit Sacramentum: ut docent *Henriq. lib.* 6. *cap.* 18. *n.* 6. *in Glossa*, *littera V*. *Diana To. p. Coord. tract.* 7. *ref.* 43. *ex par. p. tract.* 7. *ref.* 47. *Gobat in Alphabeto Baptizantium Casu* 4. *n.* 150. *& in Alphabeto Confessariorum Casu* 5. *nu.* 196. aliique.

971 Quæres secundò: An contrahentes Matrimonium peccato lethali affecti, peccent mortaliter, non solum ea ratione, qua sacramentum suscipiunt, quod indubitatum est; sed etiam quatenus ministrant, ita ut duo committant? Respondeo, non peccare lethaliter ea præcisè ratione qua ministrant: Quia non sunt ministri ad id munus specialiter consecrati, sed solum illis necessitate quadam concessum est, quatenus oportuit materiam, & formam in ipso contractu per ipsosmet constitui: contractus enim Matrimonii fieri non poterat, nisi per contrahentium consensum: hinc non peccant lethaliter nisi quatenus recipiunt Sacramentum; non quatenus ministrant: quia solum ministri specialiter consecrati lethaliter delinquunt, si culpa lethali affecti ministrent: ità *Sanch. de Matrimon. libr* 2. *disp.* 6. *n.* 4. *Sotus in* 4. *dist. p. qu.* 5. *art.* 6. *in fine*; ubi, *quod isti contrahentes sint ministri, sicuti Laicus in necessitate baptizans*. *Henriquez lib.* 11. *de Matrim. cap.* 2. *in fine*: ubi, *Quod Laicus nullum sacramentum ministrat solemniter ex officio*. *Suar. in* 3. *p. to.* 3. *disp.* 16. *sec.* 4. *vers. Ad fundamentum*. *Bonac. l. c. n.* 10. *Diana to. pr. Coord. tract. primo*, *ref.* 11. *in fine*, *ex par.* 10. *tract.* 16. *& Miscell.* 6. *ref.* 28. *aliàs* 29. *Leand. disp.* 4. *c. qu.* 7. & alii apud ipsos.



PRI-

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Sacramentorum Minister Excommunicatus, denunciatus, & evitandus conferens Sacramenta; per invincibilem ignorantiam, & naturalem inadvertentiam, excusatur à peccato mortali, necnon ab incursu irregularitatis.

972 Apud omnes D. D. tum Canonistas, tum Theologos, certum est, excommunicatum, qui *vitandus* communiter appellatur, privatum esse activa sacramentorum ministratione, ac communicatione, & Sacrificii oblatione, *cap. Latores, de Clerico excommunicato ministrante, & cap. Si celebrat, eodem tit.* idque sub peccato mortali, quia tam gravis materia est actio ministrandi, quàm recipiendi Sacramentum. Et præter mortale quod committit in ministrando, fieri etiam irregularem certum quoque est: & adeò, ut *Joseph Gibalinus de Irregularit. cap.* 5. *qu.* 2. *prop. p. par. p. fol.* 336. asserat, *Incurri irregularitatem à Clerico per violationem censuræ illi sui Ordinis exercitium prohibentis*; propositionem esse universalissimam, & in hac amplitudine sumpta à nemine negatam; ac omnium D. D. (quos adducere superfluum foret) consensu firmatam: eamque facilè colligi *ex toto Titulo de Clerico excomm. Minist. & ex cap. p. cap. is qui, & cap. is cui, de sentent. excomm. in* 6. & sigillatim discurrendo per omnes censuras ab ipsomet *l. c.* ostenditur.

973 Verum, per ignorantiam invincibilem, & naturalem inadvertentiam, ab utroque dictum excommunicatum ministrum excusari, à peccato mortali videlicet, necnon ab irregularitatis incursu, certum etiam est. Et quoad primam de peccato excusationem, hæc expressa est *in Cap. Apostolicæ, de Cler. excomm. ministrante*, per hæc verba: *Quia tempore suspensionis ignari celebrastis divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos.* Accedit authoritas *P. Dianæ to. p. Coord. tr. p. res.* 15. *ex p.* 5. *tr.* 9. *res.* 83. ubi ad casum huius privilegii, quærens, *An excommunicatus denunciatus, vitandus, possit conferre Sacramenta.* Respondet negativè, esseque privatum activa communicatione Sacramentorum, & Sacrificii oblatione: *idque sub peccato mortali. Excusari tamen* (addit) *per ignorantiam invincibilem, & naturalem inadvertentiam.* Idemque repetit *in res.* 16. *seq. Ex p.* 5. *tr.* 9. *res.* 96. ubi sic: *Certum est excommunicatum, denunciatum, & publicum percussorem Clerici peccare mortaliter administrando aliquod Sacramentum. Tamen est difficultas specialis, an in aliquo casu excusetur à peccato; ita quòd possit sine periculo ministrare? Ad quam breviter respondetur; primò excusari per ignorantiam invincibilem, naturalem oblivionem, vel inadvertentiam, ut supra, &c.* Potest namque dari casus, quòd hujusmodi minister invincibiliter ignoret prohibitionem administrandi sacramenta, cum ejusmodi prohibitio positiva sit, ac humana, unde potest in eam cadere ignorantiam, quæ esset juris. Item potest ignorare se esse in excomunicatione, vel non advertere, quæ esset ignorantia facti, ut frequentius potest accidere.

974 Supponit privilegium, Sacramenta collata à ministro excommunicato non tolerato, esse valida: quædam saltem; quod addo, quia Doctores excipiunt ab huiusmodi validitate (extra casum necessitatis) Sacramentum pœnitentiæ, & Matrimonii, defectu iurisdictionis quam non habet minister excommunicatus non toleratus extra dictum articulum necessitatis. Hinc *Avila De Censur. p.* 2. *cap.* 6. *disp.* 3. *dub. p. conclus. p.* ait: Certum esse quodcumque Sacramentum celebratum ab excommunicato non tolerato, etiam extra casum necessitatis esse validum, exceptis Sacramento pœnitentiæ, & Matrimonii, pro qua conclusione allegat *D. Tho.* 3. *p. qu.* 64. *art.* 9. *ad* 3. *Navarr. in Man. cap.* 27. *n.* 36. *in fine, & omnes.* Et probatur eadem conclusio quoad Sacramenta non excepta: nam in eorundem administratione concurrunt omnia essentialia, videlicet, vera materia, forma, & minister, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, ut supponitur: ergo. Quoad excepta item probatur: & primò de Sacramento pœnitentiæ; Sacerdos etenim excommunicatus non toleratus, extra articulum necessitatis, nullam habet iurisdictionem, vel habet eam impeditam & ligatam, ergo. Confirmatur, quia ad Sacramentum pœnitentiæ administrandum, sola Ordinis potestas non sufficit, sed præterea requiritur (per omnes) iurisdictio, ut constat *ex cap. Omnis utriusque sexus.* Quæ datur, & aufertur ab Ecclesia, ergo sine hac (qua utique caret, vel eam habet impeditam dictus non toleratus Sacerdos, ac minister) sacramentum pœnitentiæ est nullum. Ex quo inferes, quod si quis cum ignorantia invincibili confiteatur huiusmodi Sacerdoti, Confessio erit nulla, & comperta veritate, mortalinm confessio necessariò iteranda erit. Intellige tamen si ignorantia fuerit particularis, hoc est huius, vel illius pœnitentis (ut observat etiam *Avila dub. c. sub. conclus.*

3. nam si sit ignorantia communis, & talis Sacerdos habeat aliqualem titulum; Sit ex. gr. Sacerdos, qui alibi sit nominatim excommunicatus, & denunciatus; vel notorius percussor Clerici; hic autem Veronæ ubi modo moratur, ignoretur nedum eius excommunicatio, sed eidem collatum fuerit Parochiale Beneficium, Confessiones quas audit validæ sunt: quia titulus præsumptus, & communis error conferunt iurisdictionem. *Cajetan. in Summa, Verbo, Absolutionis impedimenta in princip. & Verbo Confessionis iteratio, item in princip.* & communiter. In hoc enim casu præsumendum est quod Ecclesia velit prospicere potius communi saluti fidelium, dando iurisdictionem huic Sacerdoti, quam illum punire cum tanto fidelium detrimento.

975 Validæ etiam sunt Confessiones quas idem Sacerdos audit in casu, seu articulo necessitatis, quamvis sit nominatim excommunicatus denunciatus Quod tenent *Cajet. in Summa, Verbo, Absolutio Sacramentalis, Vers. Necessitas duplex. Angelus Verbo Confessor p. n.* 16. *Soto in* 4. *dist.* 18. *qu.* 4. *art.* 4. *§. Nonnibil ambiguitatis. Avila dub. c. conclus.* 4. & alii apud ipsum, & probant: tum *ex Concil. Trident. sess.* 14. *cap.* 7. *in fine*, dicente: *In articulo mortis nulla est reservatio: atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt*. Ex quibus verbis, sicut nullus casus, vel peccatum excipitur *à Concilio*, à quo pœnitens non possit absolvi, ita nullus excipitur Sacerdos, qui non possit absolvere: ergo. Tum etiam quia, non est credendum quod pia mater Ecclesia velit fideles suos carere absolutionis beneficio in ultimo vitæ periculo, cum præsertim confessionis Sacramentum de attrito faciat contritum. Quamvis enim talis Sacerdos privatus sit iurisdictione, & usu ipsius extra mortis articulum, non tamen in illo, ut constat ex verbis *Tridentini*: conferentibus iurisdictionem cuicumque Sacerdoti absolvendi quoscumque, & à quibusvis casibus, ac peccatis nullo excepto. Intellige tamen hoc (cum *Soto immediatè ante citato*, *§. Nonnibil ambiguitatis*, *Avila conclus.* 4. *c. in fine*. *Navarro apud ipsum*, & aliis multis) supposito quod non sit alius minister legitimus, & Sacerdos, qui possit, & velit administrare hoc Sacramentum.

976 De Sacramento Matrimonii maior est difficultas, utrum validum sit, si celebretur coram Sacerdote excommunicato non tolerato. Juniores nonnulli apud *Avilam conclus.* 4. *c. in fine*, dicunt esse validum. Ipse verò *conclus.* 5. *cum Veracruz*, & aliis Viris doctis, judicat esse nullum. Quia Parochus non assistit Matrimonio in quantum Parochus formaliter, cujus rei argumentum est, quod si loco Parochi mille testes adhiberentur matrimonium non valebit. Sed in matrimonio assistit Parochus ratione publici officii, & publicæ potestatis, & hujusmodi assistentia, & præsentia cum tali publica potestate de substantia matrimonii requiritur post *Tridentinum*: excommunicatus autem non toleratus caret utiq; dicta potestate, & jurisdictione, ergo cum tali præsentia nullum erit matrimonium. Secus dicendum est de testibus, licet enim hi sint excommunicati non tolerati, Matrimonium coram illis celebratum valet, quia non assistunt ut personæ publicæ, nec ratione publici officii, sed ut personæ privatæ: non sic autem Parochus, ut dixi, ideò, &c. Hac de re videndi Doctores in materia de Matrimonio. Concludo tamen cum eodem *Avila conclus.* 5. *c. in fine*. Quòd quando est communis ignorantia, & titulus præsumptus, tunc validum erit matrimonium, sicuti est & absolutio ex dictis.

977 Secunda pars privilegii remanet probanda, quod videlicet minister excommunicatus, denunciatus, & vitandus, conferens Sacramentum, per ignorantiam invincibilem, & naturalem inadvertentiam excusetur etiam ab incursu irregularitatis. Hæc tamen pars etiam patet: tum *ex cap. Apostolicæ cit.* in cujus titulo ad rem hanc expressè sic: *Suspensus, vel excommunicatus ignoranter celebrando, nulla indiget dispensatione respectu irregularitatis, aliàs secus*. Tum etiam ex his, quæ diximus *cap.* 4. *privilegio* 15. videantur.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Si à Ministro malo, qui mortaliter peccaturus est in conferendo, petat quis, vel recipiat Sacramentum, illius tamen statum ignorando, excusatur iste à mortali, & recipit rem Sacramenti.

978 INquirunt Doctores an liceat petere, vel recipere Sacramentum à ministro malo, ac indigno, & qui peccaturus est lethaliter in administrando; & ratio inquisitionis est, quia id esset cooperari illius peccato, aut illum ad peccatum inducere, ut constat, quod fieri nequit absq; gravi peccato, eo quia præceptum charitatis, & fraternæ correctionis, uti & præceptum vitandæ ruinæ spiritualis proximi, obligat

obligat quemlibet ex genere suo sub mortali ad vitandum mortale proximi, quando commodè, & absque proprio damno facere potest. Quapropter magis communiter resolvunt: non licere extra necessitatem, aut rationabilem utilitatem petere Sacramentum ab eo Sacerdote, & ministro, quem cognoscimus administraturum in peccato mortali, etiamsi sit proprius Parochus; vel aliàs paratus administrare. Tum ob charitatem proximi, qua tenemur peccatum illius impedire si possumus, si commodè possumus. Tum etiam ne divinus honor, & reverentia Sacramento debita lædatur. Ità *Soto in 4. dist. p. art. 6. Suar. in 3. par. to. 3. disp. 18. sec. p. à vers. Dico ergo primo. Coninch de Sacram. qu. 64. art. 6. dub. 2. nu. 43. Bonac. tom. pr. disp. pr. qu. 6. punct. 5. nu. 2.* aliique plures apud ipsos. Quod verò liceat petere, & recipere Sacramentum à quolibet Sacerdote potestatem, & jurisdictionem habente, quem scimus administraturum in mortali, sive paratus sit ad illa ministranda, sive non, quando nostra interest, ut nostræ consulamus necessitati, vel ob justam, & rationabilem utilitatem, probant citati, & alii magis communiter: quia tunc petere non est peccatum, nec cooperari peccato alterius: & res petita est bona, & licita, & potest, ac debet Sacerdos eam licitè, & benè facere omninò, cum in istis Sacramentis maximè, non sit necessariò præmittenda confessio, sed sufficiens contritio, quæ meritò sperari potest ab eodemmet elicitura priusquam obeat Sacrosancta munia, unde si illicitè præstat malitia sua est. Et petens utitur jure suo utendo solum malitia alterius, minimè autem, illi cooperando; ut contingit in petente in necessitate mutuum ab usurario, quem scit non mutuaturum nisi sub usuris; vel ex justa causa juramentum ab eo, qui juraturus est per falsos Deos, qui petens neutrum inducit ad peccatum, sed tantum permittit ipsum ex justa causa, quia quantum est ex se, rem licitam petit, & honestam. Quapropter nullum etiam est peccatum, vel erit sic petere Sacramentum à ministro malo, & si certò, ac probabiliter putandum sit eum in administratione peccaturum.

979 Si tamen (ut dixi, & D. D. allegati, & alii multi affirmant) adesset alius, qui æquè commodè, & absq; peccato posset mihi sacramentum conferre, ad illum accedere utique tenerer relicto malo, & indigno ministro, & secus faciens, graviter peccarem, & lethaliter contra charitatem proximi, & contra reverentiam Sacramento debitam: nisi me excusaret ignorantia: quæ certè excusare potest in hoc casu, ut dicit privilegium, & ita, ut ignorans recipiat cum fructu Sacramentum, idest, & ipsum, & ipsius rem, gratiam videlicet. Quod apertè, ac expressè docet *D. Th. in 3. p. qu. 64. a. 9. ad 3.* Ubi loquens de Sacramento in mortali administrato, & de malo, ac suspenso, & excommunicato Ministro administrante, ait: *Sacramentum quidem confert, sed tamen peccat conferendo, & similiter ille, qui ab eo accipit Sacramentum, & sic non percipit rem Sacramenti, nisi fortè per ignorantiam excusetur.* Ità Sanctus Doctor: & idem est quod intendit privilegium nostrum propositum, ut patet.

980 Ejusmodi autem excusatio à peccato, ignorantiæ causa, contingere potest nedum frequenter, & sæpè in petente Sacramentum, sed etiam ferè semper (non loquendo de ministro excommunicato, denunciato, notorio: vel publico Clerici percussore: publico concubinario, &c.) Nam ut petens in petendo peccet, debet certò scire, & cognoscere ministrum esse malum, idest in mortali, quia si abest certitudo moralis, quæ raro, imò rarissimè haberi potest, semper bonus præsumendus erit minister, consequenter petens ab ipso Sacramentum non peccabit. *Tambur. in Decal. lib. 5. cap. p. §. 4. n. 39.* Non enim petens & recipiens Sacramentum, debet ministrantis conscientiam indagare; nec inquirere, an sit administraturus in peccato, quoniam hæc cura non est ipsi petenti commissa, cui si morali certitudine non constet ministrum indignè ministraturum, præsumere debet vel esse probum, vel dignè ministraturum: *Franciscus De Lugo de Sacramentis lib. p. cap. 5. qu. 3. n. 20.*

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Excommunicatus recipiens Sacramenta, ignorans tamen, vel non advertens se esse in excommunicatione, à peccato excusatur.

981 Certum est non solum excommunicatum denunciatum, & publicum percussorem Clerici, sed etiam occultum excommunicatum, & toleratum non posse licitè Sacramenta recipere, & absque peccato; ut est communis Doctorum apud *Suar. de Cens. disp. 10. sec. p. n. p. in princip. Filliuc. to. p. tract. 12. cap. 3. nu. 53. & 55.* & alios. Pro utroque autem currit hoc privi-

privilegium; quod pariter inter ignorantiæ privilegia reponunt etiam *Filiuc. l. c. n.* 56. *& Diana to.* 5. *Coord. tract. p. ref.* 127. *ex p.* 5. *tract.* 9. *ref.* 81. & uterque sub iisdem ferè verbis, prout sequitur. *Cum prohibita sit excommunicato passiva participatio Sacramentorum, nec possit ea recipere sine peccato, excusari aliquando potest maximè excommunicatus occultus. Primus casus est. Si ignoraretur invincibiliter ejusmodi prohibitio; cum enim positiva sit, & humana, potest cadere in eam ignorantiam, quæ esset juris. Secundus, si ignoraret se esse in excommunicatione, vel non adverteret, quæ esset ignorantia facti, & frequentius potest accidere. Tertius, si esset urgens necessitas recipiendi Sacramenta ob vitandam gravem infamiam, sive scandalum, sive dammum, ut periculum mortis, vel quid simile:* ità *Filliuc. & Diana* cum ipso. Verum

982 Quæres hìc, an dictus excommunicatus recipiens Sacramentum pœnitentiæ cum hujusmodi ignorantia à peccato excusante, recipiat etiam rem, & effectum Sacramenti, idest gratiam, & remissionem peccatorum. Ratio quæsiti est, quia de Sacramento pœnitentiæ est peculiaris difficultas, an susceptum ab excommunicato sit validum, vel irritetur ex vi ipsius Censuræ. Esse invalidum, & confessionem irritam, absque effectu, atque necessariò iterandam, affirmant plures apud *Suar. disp. cit. sec.* 3. *nu.* 8. *& alii relati à Diana to. pr. Coord. tract.* 4. *ref.* 88. *ex p.* 3. *tract.* 4. *ref.* 78. Licet enim per hos, quodlibet Sacramentum de facto collatum excommunicato teneat, nec per excommunicationem irritetur vis Sacramenti; hoc tamen [inquiunt] non est verum in Sacramento pœnitentiæ: etenim reliqua Sacramenta solum requirunt Ordinis potestatem in conferente, quæ adimi non potest: at Sacramentum pœnitentiæ ulterius requirit jurisdictionem, per excommunicationem verò subtrahitur excommunicatus à jurisdictione Confessarii, & propterea absolutio eidem impertita, est nulla, quia absque jurisdictione: non item alia Sacramenta, quæ absque jurisdictione, quæ sit eorum validitati necessaria conferuntur. Qua tamen difficultate non obstante.

983 Respondeo ad quæsitum: Etiam Sacramentum pœnitentiæ collatum excommunicato, ignorantiam, vel inadvertentiam habente, ut in privilegio, validum esse, & suum habere effectum ita ut non sit necesse talem Confessionem iterare, sed tantum petere absolutionem ab excommunicatione, non enim est de essentia hujus Sacramenti ut pœnitens prius absolvatur ab excommunicatione, quam à peccatis. Hæc responsio est primo cum *Toleto lib.* 3. *cap.* 10. *n. p.* ubi sic ait: *Si excommunicatus sive maiori, sive minori excommunicatione confessioni accedat, & absolutionem recipiat, non ablata prius excommunicatione, confessio nulla est; non enim capax est subiectum tale bujus Sacramenti. Adverte tamen, quod cum distinctione procedendum est. Quando enim qui confitetur babet invincibilem ignorantiam juris, vel facti, quia nescit se excommunicatum; vel ignorat excommunicatum non posse confiteri: tunc valida est confessio, & verum Sacramentum: & ratio est, quia Ecclesia non intendit privare Sacramento excommunicatum in bujusmodi ignorantia positum: Quod patet ex cap. Apostolicæ, de Cler. excomm. Ministr. ubi ait Papa, excommunicatum celebrantem cum bujusmodi ignorantia, non incurrere pœnas juris. Quando verò non est ignorantia, aut est crassa: tunc non valet confessio, sed est iteranda, ut dicunt citati contra Cajetanum.* Hujus autem secundæ partis distinctionis ratio est: Quia quando intervenit peccatum mortale in receptione pœnitentiæ, Sacramentum nullum est, cum id sit contra substantiam ejus, & reddat illud irritum. Quando autem excommunicatus scit se esse excommunicatum, nec posse confiteri, nisi prius absolvatur ab excommunicatione, & vel reticet illam malitiosè, consequenter confessionem facit non integram, vel si illam exprimit, vult nihilominus prius absolvi à peccatis quam ab excommunicatione, in utroque casu committit peccatum mortale in ipsa confessione, consequenter nulla est, ac irrita. Secundò, cum *Suar. disp. c. à n.* 9. sic affirmante: Dicendum est tale Sacramentum validum esse, & etiam suum habere effectum, nec esse necesse confessionem iterari, quando excommunicatio probabiliter ignoratur ab ipso pœnitente. Et propria ratio esse debet quia per excommunicationem nil tollitur quod sit de substantia sacramenti: ergo si ex parte recipientis non intervenit aliud impedimentum, sola censura non potest irritare Sacramentum: consequentia patet: antecedens probatur, quia ibi non deest nec forma, neque intentio: Et (quod ad rem spectat, & in quo est punctus oppositæ dificultatis) non deest jurisdictio, nam per excommunicationem privatur quis jurisdictione activa in alios, non tamen subiectione passiva ad alios sibi superiores, seu (quod idem est) alii non privantur jurisdictione in ipsum: alioqui non tam ipsorum excommuni-

ınicatorum, quam ipsius Confessoris esset is pœna. Ita *Suar. l. c.* qui etiam *n.* 15. tat, hæc omnia vera esse etiam si censu- sit reservata. Tertiò cum *Filliuc. cap.* 3. *n.* 59. *& Diana to.* 5. *Coord. tract. p. res.* 8. *n.* 3. *ex par.* 5. *tract.* 9. *res.* 82. sub iis- m sequentibus verbis: Si nullum inter- niat peccatum mortale ex parte excom- unicati, quia scilicet excusatur, vel ob norantiam, vel ob aliam necessitatem, ut otest aliquando contingere, tunc valida- it etiam pœnitentia, & habebit effectum æ gratiæ, & remissionem peccatorum. t ratio est, quia per excommunicationem ihil tollitur quod sit de substantia Sacra- nenti, neque enim tollitur jurisdictio alio- um in excommunicatum, nec ipse est in- apax, cum censura tantum sit vinculum, uod adjunctum præceptum habet non re- ipiendi Sacramentum, consequenter tan- um reddit receptionem iniquam, non au- em invalidam: si ergo sit causa aliqua ex- cusans à peccato, & à transgressione præ- cepti, erit valida, & fructuosa receptio pœnitentiæ, neque contrarium potest ullo jure probari. Quarto tandem hæc respon- sio est (tot aliis omissis) cum *Navar. in Man. cap.* 9. *n.* 4. *Laym. in Theol. moral. lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *n.* 12. *Vers. Dico* 3. *Co- ninch de Sacram. disp.* 8. *dub.* 13. *Conclus.* 4. *n.* 104. *& Diana to. p. Coord. trac.* 4. *res.* 88. *n.* 2. addens *n.* 3. supradicta procedere, *non solum quando pœnitens absolvitur, quia ipse ignorat excommunicationem, vel recipit Sacra- mentum ex necessitate, sed etiam si Confessarius sciens peccata habere annexam excommunicatio- nem, illum tamen hoc non obstante, ex mali- tia absolvat, licet non habeat potestatem absol- vendi à censura.*

PRIVILEGIUM QUINTUM.

Suscipiens Sacramentum in mortali ex igno- rantia, inadvertentia, vel oblivio- ne inculpabili, à novo pec- cato excusatur.

984 Accedens cum mortali ad Sacra- menta, quæ ex sua institutione per se conferunt primam gratiam, ut sunt Baptismus, & Pœnitentia, non peccat mortaliter, quia non tenetur esse in gratia, neque hujusmodi Sacramenta hanc exigunt pro necessaria dispositione in suscipiente, cum ipsamet sint instituta ad eandem con- ferendam: nec loquitur privilegium de ta- li suscipiente. Peccat quidem mortaliter, accedens cum lethali ad recipienda Sacra- menta, quæ per se instituta sunt ad au- gendam gratiam, quia supponunt suscipi- entem in gratia, unde qui sine ipsa accedit non dispositus, ponit obicem gratiæ, & novum lethale utique committit, nisi ex- cuset bona fides, ignorantia, inadverten- tia, vel oblivio inculpabilis, ut in privile- gio: quod ponit etiam *Patritius Sporer par. prima Tirocinii Sacramentalis cap.* 4. *n.* 223. *pag. mihi* 223. *in fine*, per hæc verba: *Ter- ret Apostolus p. Cor.* 11. *de Eucharistia dicens: Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Do- mini: idest: non discernens à communi propha- no cibo, & potu. Quæ verba suo modo applica- ri etiam debent ad omnia alia Sacramenta. Verè enim ita indignè suscipiens non dijudicat, vel discernit inter Sacramenta Sacratissima, & alia elementa propbana, & vacua. Intellige autem semper si id fiat scienter, & culpabiliter: secus si ex inadvertentia, ignorantia, vel obli- vione inculpabili contingeret: tunc enim & si suscipiens effectu Sacramenti careret, à pecca- to tamen novo excusaretur*: ità *Sporer*.

985 At nedum *à peccato novo excusaretur*: verum etiam *effectu Sacramenti non careret*: quod sentio cum *Bonac. to. p. disp. p. qu.* 6. *punc.* 2. *in fine n.* 14. *&* 15. si actum saltem attritionis eliciat. Accedens etenim ad re- cipienda Sacramenta, quæ per se instituta sunt ad augendam gratiam, recipit primam gratiam (si habeat attritionem, quam bo- na fide putat esse contritionem) & remis- sionem peccati mortalis: nam quamvis non omnia sacramenta sint per se instituta ad dan- dam primam gratiam, nihilominus aliquan- do eam conferunt, & remittunt peccatum mortale: *D. Tho. in* 3. *p. qu.* 72. *art.* 7. *ad* 2. & communiter D. D. apud *Bonac. disp. p. c. qu.* 4. *punct.* 2. *sub n.* 2. *& Leandrum par. p. tract. pr. disp.* 3. *qu.* 5. Ubi sic: *Si quis existens in mortali accedat ad Eucharistiam, Confirmationem, & ad alia sacramenta bona fide (idest non conscius peccati commissi) attri- tus, & putans se esse in gratia, tunc verè justificabitur virtute talium Sacramentorum.* Et ratio est, tum quia Sacramentum Ba- ptismi, & Pœnitentiæ, quamvis per se pri- mò institutum sit ad dandam primam gra- tiam, nihilominus potest etiam dare, & pro- ducere secundam, ut constat in eo, qui re- cipit Sacramentum pœnitentiæ habens sola venialia, aut ad ipsum accedit contritus, cum per contritionem conferatur gratia. Ergo etiam alia sacramenta, quæ primariò non sunt instituta ad dandam primam gra- tiam (quæ ob id dicuntur Sacramenta vi- vorum) nihilominus possunt eam quandoq; conferre,

conferre, & facere de attrito contritum. Tum quia, si quis dum existit in mortali, bona fide recipiat Sacramentum Eucharistiæ, vel Extremæ Unctionis, &c. credens se esse in gratia, non peccat, neque ponit actualem obicem gratiæ: ergo gratiam recipit: nam Sacramenta infallibiliter gratiam conferunt non ponenti obicem, ut patet *ex Trident. sess. 7. Canon. 7.* sed gratia, quam iste recipit, non est secunda gratia, sed prima: ergo Sacramenta, quæ non sunt primariò instituta ad conferendam primam gratiam, possunt quandoq; eam conferre. Ex qua doctrina, & conclusione patet, contra *Sporer*, & cum *Bonac. n. 15. cit.* eum, qui inculpabiliter ex ignorantia, vel ex oblivione non advertit se esse in peccato, & sic accedit ad recipienda sacramenta bona fide, nedum excusari à novo mortali, sed nec carere sacramenti effectu, & recipere gratiam, si actum attritionis eliciat, hic enim non ponit obicem gratiæ, si actum attritionis eliciat; cum non solum Baptismus, & Pœnitentia conferant primam gratiam, sed & reliqua Sacramenta ex accidenti, si non ponatur obex.

CAPUT XX.
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA SACRAMENTUM BAPTISMI.



986 Baptismus, nomen est Græcum, significans ablutionem, seu immersionem in aquam. Ideo autem appellatur hoc Sacramentum immersio, quia olim fieri solebat per immersionem in repræsentationem sepolturæ Christi, juxta illud ad *Colos. 2. Consepulti ei per Baptismum*. Retinuit autem Ecclesia latina nomen Græcum ob antiquitatem. Triplex est Baptismus. Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Baptismus Sanguinis, est Martyrium, quo proprii sanguinis effusione quis baptizatur, de quo *Marci 10. Potestis bibere Calicem, &c. Et Baptismo, quo ego baptizor baptizari*, idest ipsa morte, & sanguinis effusione. Accommodatur specialiter Martyrio illi, quod supplet defectum Baptismi, ut si contingat alicui rapi ad Martyrium, antequam possit baptizari, tunc enim Martyrium supplet effectum Baptismi, non tamen est Sacramentum, ut docent communiter D. D. cum *D. Thoma*. Baptismus Flaminis, est pœnitentia, seu dolor de peccatis ob Dei amorem, cum proposito suscipiendi Baptismum, & de hoc dicitur, *Lucæ 3. Prædicans Baptismum pænitentiæ in remissionem peccatorum*. Quæ pœnitentia, seu contritio, quia fit impulsu Spiritus Sancti, qui dicitur flamen, idcircò & ipsa dicta est flamen: & hic Babptismus in solis est adultis usum rationis habentibus, & nondum baptizatis, & vices gerit Sacramenti Baptismi, illiusque defectus supplet, imò ea de causa Baptisma nuncupatur: impeditus namque suscipere Baptismum, si votum illius habeat inclusum in contritione, seu dilectione Dei super omnia, gratiam, & remissionem cujuscumque culpæ consequitur; & etiam omnis pœnæ, si valdè fervens sit contritio; quamvis communiter partem tantum deleat, ut *Bellarminus*, *& Henriquez* docent apud, & cum *Filliucc. De Baptismo cap. p. n. 3.* Iste autem Flaminis Baptismus Sacramentum non est, ut pariter docent communiter cum *D. Thoma*. Baptismus tandem Fluminis, idest Aquæ, propriè est, & dicitur Baptismus, estque verum Sacramentum Baptismi, quod à *D. Tho.* & Doctoribus communiter, ut videre est apud *Bonac. to. pr. de Baptismo disp. 2. qu. 2. punc. p. n. p. Trullench de Baptismo cap. p. n. 3.* & alios, definitur: *Baptismus, est exterior corporis ablutio facta sub præscripta forma verborum*. Et de hoc agimus in præsenti capite, idest, de Ignorantiæ Privilegiis circa ipsum. Unde sit



PRIVI-

PRIVILEGIUM PRIMUM.

ui nunc existunt in partibus remotis, cum invincibili ignorantia Baptismi salvari possunt.

987 Baptismus necessarius est omnibus, tam parvulis, quàm adultis ad salutem, & ad assequendam primam gratiam, & remissionem originalis peccati: patet primò, ex verbis illis *Jo. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*. Secundò, ex definitione *Trident. sess. 7. Can. 5. de Baptismo: Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit*. Tertiò, quia homines non possunt salutem consequi, nisi mundentur à peccato originali, ad cuius ablutionem institutus est Baptismus: Qui respectu adultorum, est medium necessarium ad salutem, vel in re, vel in voto. Qui enim ratione utitur, per actum contritionis justificatur extra Sacramentum, & si in eo statu intereat, antequam illi administrari possit Baptismus, sine eo in re suscepto salvabitur. Respectu verò parvulorum, aliter dicendum est: cum enim illi nequeant habere votum Baptismi sive explicitum, sive implicitum, sequitur ipsis necessarium esse ad salutem Baptismum realiter susceptum. Excepto tamen casu martyrii, quia ex communi sententia, si infans aliquis ante Baptismum aquæ in odium Christi occidatur, iste salvabitur per Baptismum Sanguinis, ut suadetur exemplo *Innocentium*, quos Ecclesia ob mortem pro Christo susceptam, ut Martyres, & verè Beatos colit. Et nedum parvuli, & infantes; sed etiam adulti per Baptismum sanguinis salvari possunt sine Baptismo aquę: ut in terminis hoc docet *D. Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 22. & lib. 13. de Civit. cap. 7.* & ostendi etiam potest tum ex promissione illa Christi *Matth. 10.* quæ generalis est: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est*. Et postea. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Tum ex *Innocentio III. Cap. Cum Marthæ, de Celebratione Missarum*. Ubi: *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*, quod ex *D. Augustino* desumptum fuit. Eo igitur ipso quod quis pro Christo moritur censetur esse Beatus, nec egere precibus fidelium, adeoque Martyrium perfectè supplet defectum Baptismi aquæ, quoad remissionem peccatorum, & pœnæ illis debitæ. Quæ intelligenda sunt, quando quis ante Martyrium non potest baptizari: si enim possit, tenetur sub peccato mortali baptismum suscipere, (& si est in mortali, debet etiam se ad contritionem excitare) cum propter Martyrium non liberetur ab obligatione servandi præcepta divina; sicque nec ab obligatione divini præcepti suscipiendi baptismum, quo omnes obligantur.

988 Quoniam autem difficultas esse potest, an modo post generalem promulgationem Evangelii, in partibus maximè remotis hujusmodi Baptismi præceptum, habere possit ignorantiæ invincibilis causa, excusationis privilegium, & cum ipso salvari, ideò discutiendum hoc est. Aliqui id negant, sentientes, illos, qui nunc existunt in partibus remotis cum invincibili ignorantia baptismi, & legis Christi, damnandos esse; quia (inquiunt) post generalem Evangelii promulgationem, non restat aliud remedium pro originali, præter Baptismum in re, vel in voto. Alii verò è contra affirmant, putantes salvandos esse, si naturæ legem servaverint: quia credibile est, Deum servanti legem naturæ, daturum lumen, & speciale auxilium, quo se valeant ad ipsum convertere. Cui sententiæ ex animo adhærens, tanquam conformi summæ pietati, & misericordiæ divinæ, eandem uti talem exhibeo sequendam in hoc primo hujus capitis privilegio; à quo *Bassæus in Floribus, Verbo Baptismus p. n. 8.* non videtur dissentire: & illud absque hæsitatione, uti valdè probabile, & divinæ inquam misericordię, ac pietati magis conforme, amplectitur *Bonac. de Baptismo disp. p. qu. 2. punc. 2. in fine, n. 15.* ubi sic: *Utrum qui existunt in partibus remotis cum invincibili ignorantia baptismi, & legis Christi salvari possint. Respondent aliqui Doctores damnandos, quia post generalem Evangelii promulgationem, non restat aliud remedium pro originali præter baptismum in re, vel in voto. Alii verò putant, salvandos esse, si naturæ legem servaverint, quia credibile est, Deum servanti legem naturæ daturum lumen, & speciale auxilium, quo se valeat ad ipsum convertere. Ita S. Thomas 2. 2. qu. 10. art. 4. Summa Corona de Baptismo, fol. mihi 29. & alii Recentiores ferè communiter, quorum sententia mihi probatur, & videtur conformis summæ pietati, & misericordiæ divinæ*. Hactenus *Bonacina*. Cui addo *Trullench de Baptismo lib. 2. cap. p. dub. 2. in fine, & in Decal. lib. p. cap. p. dub. 2. nu. 9.* ubi tanquam certum supponit, dictam invincibilem ignorantiam dari posse in aliquibus, nec per eandem (quia sine culpa est) damnari eos posse:

posse: quod docet etiam *Palaus de Baptismo tract.* 19. *disp. unica punct.* 8. *n.* 3. *in fine*, per hæc verba: *Omnes præcepto suscipiendi baptismum tenentur, tenentur namque eo præcepto quantum est ex se, tametsi ob ignorantiam ab ejus transgressione culpabili excusentur.* Et si à transgressione excusantur, utique etiam à peccato: quod deducit etiam idem *Trull. nu.* 9. *c.* ita arguendo: Qui invincibiliter fidem Christi ignorant excusantur à peccato infidelitatis, & ob eandem infidelitatem non poterunt damnari: nam si ignorant invincibiliter, ob hanc infidelitatem negativam, quippe quæ sine culpa est, damnari non possunt: si cum Dei auxilio servent legem naturalem. ; Nam si hanc servent, Deus providebit, ut sciant fidem Christi, & res necessarias, dabitque illis Doctorem; ut dedit *Cornelio Actor.* 10. aut illos interius illuminabit, eo quod facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam suam. Quod si non servent legem naturalem, damnabuntur quidem, sed ob hujusmodi peccata; non autem ob invincibilem ignorantiam Baptismi, &c. quæ sine culpa est. Vide *Filliucc. to.* 2. *cap. pr. n.* 29. & 30. & *Maurum Oberascher de Sacramentis par. pri. tract.* 2. *de Baptismo cap. p.* §. *p. Versu Prob.* 3. *Pars*, *fol. mihi* 254. ubi ad rem hujus privilegii, loquens de adulto, sic ait: *Si nondum reipsa baptizatus ob ignorantiam invincibilem, vel natura'em oblivionem nil cogitaret de perceptione baptismi, & actum veræ contritionis eliceret, vere justificaretur, & tamen non haberet nisi Votum implicitum baptismi, quatenus scilicet perfecta contritio includendo propositum servandi omnia præcepta, includeret implicitè voluntatem implendi præceptum de suscipiendo baptismo*: ità dictus *Oberascher*, & optimè: nam ut benè notat *Bassæus in Florib. to.* 2. *Verbo*, *Baptism.* 3. *n.* 6. omnes quidem arctissimo præcepto tenentur suscipiendi Baptismum, vt patet ex illo *Matth.* 28. *Baptizate omnes gentes*; quæ verba licet ad Apostolos dirigantur, indirectè tamen obligant omnes gentes: alioquin potestas Apostolorum fuisset supervacanea, & inefficax. Parvuli tamen tenentur necessitate medii: adulti verò necessitate præcepti: *Quia adulti* (sic *Bassæus*) *sunt capaces præceptorum, & alia via, nempè voto baptismi possunt Salvari*. Hæc doctrina est Catholicorum communis cum *D. Thom. in* 3. *par. qu.* 68. *art.* 2. *in corpore*.



PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Non Sacerdos extra necessitatis casum baptizans; & qui baptizatur, si adultus sit, per invincibilem ignorantiam existimantes hoc licere, à mortali peccato excusantur.

989 Triplex constituitur minister Baptismi in *Cathechismo Pii V. par.* 2. *cap.* 2. *sec.* 23. & 24. Necessitatis videlicet, Commissionis, & Solemnitatis. Minister Baptismi ex necessitate, est omnis homo habens usum rationis, seu omnes etiam de populo, sive mares, sivæ fœminæ, quamcumque illi sectam profiteantur, scientes debitam formam Baptismi, & materiam applicare. Minister ex commissione, est Diaconus, ut colligitur ex *Pontificali Romano*, ubi Episcopus ad electos in Diaconos inquit: *Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare*: signum evidens, eum ordinari, ut tanquam Præsbiterorum minister baptizet; & non quidem tantum privatè: hoc enim etiam Laicis convenit, sed & solemniter. Minister verò solemnitatis, seu ex officio, est solus Sacerdos, ut habetur *in Concil. Florent. sub Eugenio IV. in suo Decreto*, ubi de Baptismo sic: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio convenit Baptizare*: & *in cap. Constat, de Consecratione dist.* 4. Optimeque id probat *D. Thomas in* 3. *qu.* 67. *art.* 2. cum quo omnes Doctores de Baptismo, ut videre est apud ipsos. Nomine autem Sacerdotis comprehenditur Episcopus, ut docet idem *D. Tho. art. c. ad p. Quia* (inquit) *quod potest inferior, potest & Superior*.

990 Non Sacerdotem autem extra necessitatis casum baptizantem, etiam sine solemnitate, peccare mortaliter, est clara sententia *D. Thom. qu.* 67. *cit. art.* 3. *ad p.* quam sequuntur *Navarr. in Man. cap.* 22. *n.* 7. *Henriq. lib.* 2. *c.* 28. *nu. pr.* & *cap.* 29. *nu. pr.* (ubi, quod nedum peccet graviter non Sacerdos, qui extra necessitatem, etiam absque solemnitate baptizat, sed etiam adultus, qui sponte sua à non Sacerdote baptizatur) *Suar. in* 3. *p. to.* 3. *disp.* 31. *sec.* 4. *Versu*, *Secundò graviter*. *Laym. de Baptismo lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *Vers. Dico* 2. *Bonacina de Baptismo disp.* 2. *qu.* 2. *p.* 5. *n.* 9. *Trull. de Baptismo lib.* 2. *cap. p. dub.* 5. *n.* 4. *Leand. de Baptismo tract.* 2. *disp.* 4. *qu.* 6. *Bassæus in Florib. to. p. Verb. Baptism.* 3. *nu.* 14. aliique communiter apud ipsos. Hujus autem

utem lethalis culpæ ratio est: tum quia qui-
umque extra necessitatis casum baptizat,
ui id jure, seu ex officio non competit,
t sunt Laicus, & Clericus non Sacerdos,
icit in re gravi contra prohibitionem Ec-
lesiæ, ergo graviter, & lethaliter peccat:
um quia per se, & ex instituentis intentione
olus Sacerdos est minister hujus Sacramen-
, ut constat *ex anteced. num. ex Conc. Flo-
nt. in instructione Armenorum*: Et ex com-
uni Ecclesiæ usu: Ergo nequit Laicus
ut Clericus, qui non est Sacerdos absque
eccato mortali extra necessitatem Bapti-
are: (Imò idem dicendum est de Sacer-
ote, absque necessitate extra Ecclesiam
ptizante. Quia *in Clementina unica de
aptismo*. Severè præcipitur, ut Sacerdos
lemniter baptizet in Ecclesia, nisi in ca-
necessitatis excusetur: aut casu quo fi-
Regum, aut Principum baptizandi sint)
t Clericus non Sacerdos baptizans solem-
ter (idem dic de Diacono si non adest
entia proprii Sacerdotis) nedum peccat
ortaliter, sed fit etiam irregularis *ex cit.
Clerico non ordinato administrante*. Laicus
tem solemniter ministrans Baptismum,
am extra necessitatem non fit irregula-
, ut probat *Henriq. cap. 29. c. eodem n. p.
Filliuc. to. p. tract. 2. cap. 4. nu. 85. cum
varro l. cit. & cap. 27. nu. 242. & Trull.
n utroque num. 4. cit.* Sed tantum peccat
rtaliter.

991 Peccat inquam mortaliter, uti &
ericus non Sacerdos baptizantes extra ca-
m necessitatis (ut volunt ferè omnes) si-
ti & adultus sua sponte ab eisdem ba-
zatus: excusabit tamen ab hoc peccato
rincibilis ignorantia, credentes hoc sibi
re, ut in proposito privilegio. Quod
oresse admittunt *Henriq. cap. c. 28. n. p.*
hujusmodi verba: *Quomodocumque mi-
er Laicus absque necessitate baptizat, peccat
taliter, & qui ei cooperantur, nisi ignoran-
excuset*. Et *Bartholomæus de Ledesma
ic. 10. conclus. 2. colum. 147.* sic dicens
ud *Leand. qu. 6. c.* quem ipse sequitur.)
*diderim ego, quod tam qui baptizat, quàm
baptizatur, si sit adultus, & pater etiam
sentiens ut ejus filius baptizetur à non Sacer-
, extra necessitatem, in domo, sine cere-
iis, mortaliter peccent*; *nisi ignorantia in-
ibili excusentur, existimantes quod illud li-*
Et sicuti ob invincibilem ignorantiam
ortali peccato excusantur, sic etiam
eandemmet ignorantiam, Clericus non
erdos excusatur ab irregularitate, præ-
a, nec illam contrahit, ut toties in
erioribus probatum est. Imò ad hanc
eandem rem, idem omninò docet *Georgius
Gobat in Alphabeto Baptizantium casu* 4. *nu.*
140. dum dicit: *Si Diaconus sine commissione
Parochi baptizet solemniter, incurrit irregula-
ritatem decretam cap. p. de Cleric. non ordin.
ministr. in illos, qui non ordinati baptizant.
Suar., Vasq., & aliis passim, nisi excuset igno-
rantia*.

992 Ex dictis collige cum *Laym.*, *Bass.
l. l. c. c.* & aliis: Quemcumque extra ca-
sum necessitatis baptizantem, cui de jure,
& ex officio id non competit (nisi excuset
inadvertentia, seu ignorantia) peccare
mortaliter. Similiter lethalis culpæ reum
esse Sacerdotem, si extra necessitatis casum,
non solemniter baptizet. Item mortaliter
peccare alienum Sacerdotem, si absque li-
centia proprii Sacerdotis expressa, aut ta-
cita, & rationabiliter præsumpta solemni-
ter baptizet: & multo magis peccare Lai-
cum, qui & sine licentia legitima Sacerdo-
tis proprii, & sine solemnitate extra ca-
sum necessitatis baptizat. Consulantur D.
D. citati. Vide *Gobat Casu c. n.* 138. ubi
quærit, An si Diaconus esset Parochus, &
nondum Sacerdotali charactere insignitus,
licitè possit baptizare, absque alia commis-
sione. Et respondet affirmativè: Eo enim
ipso (inquit) quod Episcopus tali Diaco-
no confert Canonicè beneficium parochia-
le, confert quoque (ut sanè patet) jus
tam liberè in sua parochia augendi nume-
rum Christianorum, ac si esset jam Sacer-
dos: secus si ejusmodi Parochus foret so-
lummodo Subdiaconus, huic enim sicut
Minoristis, nequit, nisi in extrema neces-
sitate id committi, & quidem solum in ca-
su quo non adest dignior. Ita *Gobat l. c.*
Videatur.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

*Qui inscienter, & ex invincibili ignorantia re-
baptizat, à lethali culpa excusatur, &
ab irregularitatis incursu, & sic
etiam qui rebaptizatur.*

993 SAcramentum baptismi semel va-
lidè collatum non potest iterari,
& omninò irreiterabile est. Unde homo se-
mel validè baptizatus, non potest iterum
validè baptizari, nec uni eidemque subje-
cto sæpius quam semel conferri. Et hoc
est de fide ex definitione *Conciliorum Late-
ranensis in Cap. Firmiter. Florentini in Decre-
to Eugeni, & Trident. sess. 7. de Sacramentis
in Genere Canon. 9. & Can. 11.* Colligiturq;
ex illis verbis *Apostoli ad Ephes. 4. Una fides,*

unum Baptiſma, & ex pleriſque Sanctis Patribus, qui docent, Baptiſmum validè ſemel collatum iterari non poſſe. Ratio autem hujus irreiterabilitatis petenda eſt à voluntate Chriſti, qui hoc Sacramentum ita inſtituit, ut noluerit illud eidem homini bis adminiſtrari. Congruentię verò ſunt; *tum quia* Baptiſmus eſt quædam generatio ſpiritualis, juxta illud *Jo:* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto:* ſicut ergo generatio corporalis iterari non poteſt, ita nec ſpiritualis. *Tum quia* Baptiſmus ſignificat mortem, & Reſurrectionem Chriſti, teſte *Apoſtolo ad Rom.* 6. *Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, &c.* ergo ſicuti hic nonniſi ſemel mortuus eſt, & à mortuis reſurrexit, ita Sacramentum baptiſmi, nonniſi ſemel conferri poteſt: *Tum quia* Sacramenta characterem imprimentia non ſunt iterabilia, quia eorundem character eſt indelebilis, baptiſmus imprimit characterem, ergo iterabilis non eſt. *Tum denique quia* Sacramentum baptiſmi principaliter datur ad delendum originale peccatum: ſicuti ergo peccatum hoc non amplius redit ſemel deletum, ita Baptiſmus validè ſemel datus, non eſt amplius reiterandus. Ita etiam *D. Thomas in* 3. *par. quæſt.* 66. *art.* 9. & communiter omnes. Hinc

994 Infertur graviſſimum ſacrilegii ſcelus eſſe, aliquem ſcienter rebaptizare, de quo ſufficienter, & morali certitudine conſtat, quod jam ſemel debitè baptizatus fuerit, etiam domi ab obſtetrice. Ratio eſt, quia gravis irreverentia infertur ſacramento, ejus collationem ſcienter cum nullitate attentare: & fit contra ſubſtantiam ejus, dum tentatur conferri in ſubiecto incapaci. Quapropter *D. Leo Epiſt.* 37. inquit: *Scimus eſſe inexpiabile facinus, quoties juxta hæreticorum dogmata, contra ſanctorum Patrum inſtituta, cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis ſemel tributum eſt, bis ſubire, Apoſtolica reclamante ſententia, quæ nobis unam prædicat Deitatem; unam in fide Confeſſionem: unum in baptiſmate Sacramentum.* Et ratio data procedit etiam quamvis rebaptizatio fiat ſub conditione, conditio namq; eſt impertinens, & habetur pro non adjecta (ut advertit etiam *Trull. de Baptiſmo lib.* 2. *cap. p. dub.* 5. *n.* 13. *in princip.*) quando ſufficienter, & morali certitudine (ut ſupra) conſtat de Baptiſmo. Nec quidem ſufficit quivis timor, aut levis ſuſpicio, vel ſcrupulus, an fuerit collatus validè: alioquin pauci eſſent, qui Baptiſmum repetere ſub conditione non poſſent. Unde merito *Sotus apud Suar. to.* 3. *in* 3. *diſp.* 31. *ſec.* 6. *Verſu, De quo præcepto, & Trull. nu.* 13. *c.* carpit Parochos qui facilè rebaptizant baptizatos domi à fœmina; fides enim adhibenda eſt mulieri, ubi non eſt rationabilis cauſa dubitandi, ut idem *Sotus* ibidem, & communis. Quare dubium debet eſſe morale, & rationabile, ideſt, rationi conſonum, & homine cordato dignum, & tunc ſolum dandus eſt ſub conditione, *ſi non es baptizatus*, ut habetur *cap.* 2. *extra de Baptiſmo:* & ſic docent *Suar. in* 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 22. *ſec.* 2. *Verſu, Sed quæres, Coninch de Sacram. qu.* 66. *art.* 9. *dub. p. n.* 91. *Layman. lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 3. *Valent. to.* 4. *diſp.* 4. *qu. p. punct.* 4. *Verſ. Quod ſi dubium. Palaus de Baptiſmo diſp. unica, punct.* 13. *n.* 3. *Trull. n.* 13. *c.* & alii. Ratio autem, quare cum hujuſmodi rationabile dubium intercedit, baptiſmus ſub conditione repetendus ſit, ſive tale dubium ſit facti, ſive juris, eſt, quia tunc, & proximo ſubvenitur in re maximè neceſſaria, & Sacramenti reværentia non læditur.

995 Adeo verò ingens eſt injuria, & irreverentia, quæ fit baptiſmi Sacramento quando iteratur abſque ſufficienti, & morali certitudine, quod invalidè fuerit collatum, ut ſcienter rebaptizans, & ſcienter rebaptizatus, non ſolum lethaliter graviſſimè peccent, ſed etiam uterque irregularis efficiatur, ut habetur *Cap. Qui in qualibet ætate p. quæſt.* 7. *cap. Qui bis. Cap. Eos quos de Conſecrat. diſt.* 4. *cap. Ex litterarum de Apoſtatis, Cap. Non licet, & cap. Rebaptizare de conſecrat. diſt.* 4. Accedit etiam communis auctoritas Doctorum, quos larga manu allegat *Gregorius Sayr. in Theſauro Caſuum Conſcientiæ lib.* 7. *cap.* 8. *nu.* 3. Addens *n.* 4. (pariter ex communi Doctorum omnium) quod ultra pœnam irregularitatis de Jure Canonico ipſis decretam: Jure etiam Civili, tam rebaptizanti, quam culpa ſua rebaptizato, pœna capitis imponitur *Lege* 2. *Cod. ne Sanctum Baptiſma iteretur.* Obſervant tamen communiter Doctores, quod præfata irregularitatis pœna extendenda ſit ſolum in eos, qui ſacrilegè rebaptizant, aut rebaptizantur abſolutè; non verò in illos, qui ſic rebaptizant, aut rebaptizantur ſub conditione; ut proinde hi poſteriores licet graviter peccent ob rebaptizationem, præfatam tamen irregularitatis pœnam non incurrant. Ratio autem eſt, quia, ut habetur *in cap. His, qui de ſententia excommunicationis in* 6. non incurritur irregularitas; niſi expreſsè habeatur in Jure: atqui non habetur expreſsè niſi

contra

ontra rebaptizantes, & rebaptizatos ab-lutè: ergo. Accedit quod leges pœnales tpotè odiosæ, sint restringendæ, lex au-m decernens irregularitatem contra reba-izantes, & rebaptizatos sit pœnalis, ideo-e sit restringenda, nimirum, tantum ad baptizantes, & rebaptizatos absolutè.

996 Verum appositè dixi supra *initio m.* 994. gravissimum sacrilegii scelus esse, quem *scienter* rebaptizare, de quo suffi-nter, & morali certitudine constat, &c. ia inscientia, & ignorantia invincibilis rebaptizante, & rebaptizato, utrumq; cusat tum à peccato, & culpa lethali, m etiam ab irregularitatis incursu, ut in vilegio: Quod etiam uti proponitur, bere videtur admissionem communem ctorum, quorum aliquos cum propriis rundem dictis (ut moris nostri est) fide-r hic adducam ad ornatum, & conclu-nem validam ejusdemmet. Primo ergo se mihi offert hic, *Sayrus l. c. n.* 8. *Ver-Secunda opinio*, firmans privilegium nos-m, ut sequitur: *Opinio verior, & com-nis est, quæ ait non esse irregularem reba-zantem, aut rebaptizatum, quando adest babilis ignorantia facti. Ratio est: quia gularitas hæc contrahitur ex culpa, & de-: ergo ubi non est culpa mortalis, non in-ritur pœna irregularitatis: ubi autem est orantia probabilis, sive in rebaptizante, sive ebaptizato, nulla est culpa; ergo nec irre-res sunt. Et certè cum citati concedant re-tizantem ex ignorantia probabili non incur-irregularitatem, idipsum concedere debent ebaptizato, cum rebaptizatus non minus in a sit, quam rebaptizans.* Secundò, *Fa-d. in Decalog. to.* 2. *lib.* 8. *cap.* 25. *n.* 18. *f. Ad secundum.* Ubi sic: *Qui rebaptizat rando rebaptizationem esse peccatum, non incurrit pœnam irregularitatis, quia ubi non est culpa, cessat pœna. Si verò rebaptizaret sciens rebaptizationem esse peccatum, propter injuriam Sacramento factam, ignorans tamen invincibiliter rebaptizationem esse prohibitam lege Canonica sub pœna irregularitatis, similiter dico mihi videri, non incurrere irregularitatem, quia formalis intentio Ecclesiæ non est punire injuriam Sacramento irrogatam, sed talem injuriam, quæ fiat propter transgressionem legis Canonicæ, quam qui ignorat, transgressionem legis consequenter evadet.* Tertiò, *Oberascher de Baptismo tract.* 2. *cap. pr. §.* 5. sic affirmans: *Gravissimum sacrilegii scelus est, aliquem scienter rebaptizare, de quo sufficienter constat quod jam semel debitè baptizatus fuerit. Dico scienter: nam ignorantia invincibilis utique à peccato excusat. Et quando re diligenter examinata rationabilis dubitatio remanet circa validitatem baptismi prioris, tunc non tantum potest, sed etiam ex post facto baptismus conferri debet* (sub conditione) *quemadmodum decernit Alexander III. cap.* 2. *de Baptismo. Secus si habeatur moralis certitudo de veritate & validitate baptismi prius collati, ut quia persona fide digna asserit baptismum cum omnibus requisitis fuisse collatum, &c.* Alias auctoritates vide penes proprios Auctores: Modo hic sufficiat dixisse communiter admitti privilegium hoc; quod concludo (uti & præsens Caput) advertendo cum *Trullench dub. cit. in fine*, & aliis communiter, in præfata irregularitate, si publica sit, solum Summum Pontificem dispensare: si verò sit occulta, potest Episcopus, *Ex Trident. sess.* 24. *c.* 6. Quia contrahitur ex delicto occulto. Videantur *Henriq. libr.* 2. *cap.* 31. *Suar. sec.* 6. *cit. Sayr. cap.* 8. *c. Filliuc. tom. pr. tract.* 2. *cap.* 4. *nu.* 91. & 92. aliique.



CAPUT

CAPUT XXI.
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS.

997 
Onfirmatio, de qua in hoc capite, est Sacramentum novæ legis à Christo Domino immediatè institutum, quod de fide credendum ab Ecclesia proponitur per *Concil. Florent. in Decreto Eugenii*, *& Trident. sess. 7. de Confirmatione canon. p.* in quo ita loquitur: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum, &c. Anathema sit.* Ab Ecclesia autem, ideò communiter hoc Sacramentum sub nomine *Confirmationis* appellari solet, quia ut docet *Cathechismus Romanus de Confirmat. Sacram. cap. 3. sec. 2.* qui baptizatus est, cum ab Episcopo Chrismate ungitur, additis solemnibus illis verbis *Signo te signo Crucis, & Confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spititus Sancti:* Nisi aliud efficientiam ejusdem impediat, novæ virtutis robore firmior, atque perfectus Christi miles esse incipit. Unde bene notavit *Reginald. lib. 28. cap p. n. 2. Sacramentum hoc dici Confirmationem à proprio suo effectu.* Quare *Confirmationis* nomine, intelligitur ritus ille, quo Episcopus frontem baptizati Sacro Chrismate inungit, sub data verborum forma. Qui ritus, nomine confirmationis expressus, cum sit de fide verum novæ legis Sacramentum; sic rectè definitur esse *Sacramentum novæ legis, quo homo baptizatus per Chrismatis unctionem in fronte factam ab Episcopo sub certa verborum forma, fidei robur consequitur.* Quod totum, & claris terminis tradit *D. Tho. 3. par. qu. 72.* per aliquos articulos, & profitetur unanimis Catholicorum sensus contra varios hæreticos. Quoniam autem quæ de hoc Sacremento à Doctoribus tractantur pauca sunt, idcircò & nos duobus tantum positis privilegiis, quæ ad idem Sacramentum spectare videntur, breviter præsens caput expediemus. Sit igitur

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Ignorantia invincibilis Sacramenti Confirmationis, excusat, & excusatur à peccato.

998 Quamvis de fide sit *ex præced. num.* dari Sacramentum Confirmationis, nihilominus hujus sacramenti ignorantia invincibilis reperiri potest quandoq; in aliquibus etiam fidelibus, & tunc utique absq; peccato in illis; tum quia invincibilis; tum etiam quia non tenentur fideles illud scire, & ea addiscere, quæ ad illius substantiam pertinent, nisi casu quo quis sui compos velit idemmet recipere, tunc etenim tantum, sub mortali obligatur scire prius illius substantiam, & dispositiones quas requirit, ut dignè recipere possit. Quod docent etiam *Sanchez in Sum. to. p. libr. 2. cap. 3. nu. 9. Suar. de fide disp. 13. sec. 4. nu. 12. Diana Coordin. to. 6. tract. pr. ref. 5. nu. 3. ex par. 3. tract. 5. & Miscellan. p. ref. 48. Leander par. 6. tract. 2. de fide, disp. 2. qu. 58.* aliique penes ipsos: idipsum omnes (quoad hoc) affirmantes de Sacramentis Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii, quod de Confirmationis Sacramento resolvunt, ut constat ex eorundemmet verbis: Sic enim *Suar. n. c. in fine. De aliis verò Sacramentis* (idest Confirmationis; Extremæ unctionis, &c.) *non est tanta ratio necessitatis. Monendi tamen sunt Fideles, ut ea non ignorent; & quicumq; aliquod illorum recipere vult, tenetur prius scire quid recipiat, ut ad illud dignè se præparare, & accedere valeat.* Idem docet *Diana:* hæc ejus verba: *Quoad Sacramenta, omnes explicitè scire debent substantiam, & rationem Sacramentorum non omnium, sed Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ; in cæteris verò idem opus erit, si quando suscipere voluerint. Ita Villalobos, Tannerus, Sanchez, Suarez, Malderus, & alii: contra Lorcam, &c.* Ita *Diana*. Quibus adhærens *Leander qu. 58. cit.*

cit. in fine: sic & ipse absolutè affirmat: *Nullus fidelium tenetur præfata Sacramenta Confirmationis, Extremæ unctionis, Ordinis, & Matrimonii scire, antequam recipere decernat, necdum sub culpa veniali. Quia sunt omninò voluntaria: ergo nemo obligatur ad illa scienda, antequam decernat illa suscipere.* Si igitur nullus fidelium (per allegatos D. D.) obligatur ad sciendum Confirmationis Sacramentum, antequam illud suscipere velit, ignorantia illius consequenter non est culpabilis, ut in proposito privilegio, & ab omni peccato etiam veniali ipsa excusatur. Uti & à peccato etiam ipsamet excusat, data quoque, sed non concessa, illorum sententia, qui absolutè affirmant quemlibet teneri scire prædicta Sacramenta, quoad substantiam, &c. etiam antequam illa velit recipere. Quod præcipuè tenet *Pala. to. p. tract. 4. disp. p. punc. 10. n. 7. in fine:* sic dicens: *Dum autem non decernis illa suscipere, & si probabile sit, te non esse obligatum illa scire: & probabilius credo, obligari: tum ut possis, si velis illa recipere; tum, ut gratum te Deo exhibeas pro tot remediis ad tuam salutem institutis. Et ita tenet expressè Coninch disp. 14. dub. 10. conclus. 2. n. 192. quamvis inclinet non esse obligationem sub gravi culpa.* At esto etiam esset obligatio inducens culpam gravem, & lethalem, ab eadem inquam excusat ignorantia ut in privilegio: quia cum de invincibili ipsum loquatur ut patet, excludit utique etiam culpam talem, & gravem.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Iterans Confirmationem ex ignorantia invincibili, à culpa mortali excusatur.

999 Confirmationis Sacramentum in eodem homine iterari non posse certum est per omnes; imò certum de fide, ut videre est apud D. D. præcipuè *Suar. in 3. p. to. 3. disp. 34. sec. p. Vers. Ultimò ex dicto.* Unde iterans Confirmationem, peccat utique mortaliter. Verum quidem est quod nec Confirmans, nec bis Confirmatus incurrit irregularitatem: quia talis pœna non est expressa in jure. Ratio autem initerabilitatis hujus Sacramenti determinitur ex principali ejusdem effectu, videlicet charactere, qui est qualitas quædam spiritualis, & supernaturalis animæ inhærens, quo confirmatus, in militem Christi munitum, & roboratum insignitus est, hacq; de causa (ut notat etiam *Palaus part. 4. de Sacram. Confirmat. tract. 20. disp. Unica punc. 6. nu. 3.*) Confirmationis Sacramentum iterari nequit, uti colligitur ex *cap. Dictum est. Cap. de homine, de Consecrat. dist. 5. & ex Trident. sess. 7. Canon. 9. de Sacram. in Genere.* Sacramenta enim, quæ imprimunt characterem iterari non possunt, & qui *scienter* secus fecerit lethalis culpæ reus erit. Non verò qui inscienter, & ex ignorantia ut in privilegio: Quapropter sicuti qui ex ignorantia invincibili rebaptizat, vel sinit se bis baptizari, à culpa lethali excusatur *ex præcedenti capite*, sic etiam ab eadem culpa excusatur qui ex eadem ignorantia iterat sacramentalem ejusdem hominis Confirmationem, vel denuò sinit se Confirmari; est enim eadem ratio omninò in utroque Sacramento.

1000 Verum, & si ob ignorantiam, vel oblivionem iterans hoc Sacramentum, à peccato excusetur; expediens nihilominus est, taliter illud conferre, quod minus periculum subsit idemmet iterandi etiam ex ignorantia, vel oblivione; quod advertit pariter *Oberascher De Sacramento Confirmat. tract. 2. cap. 3. §. 3. Conclus. p. Vers. Prob. 3. Pars.* Minus autem periculum suberit iterandi, si in ejusdem Sacramenti collatione observet Minister quod observandum monet *Cathechismus Romanus Pii V. part. 2. cap. 3. de Confirmat. Sacram. sec. 18.* per hęc verba: *Observandum est, omnibus quidem post Baptismum, Confirmationis Sacramentum posse administrari: sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint, quare si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certè hoc Sacramentum differre maximè convenit.* Convenit inquam, & aliis omissis congruentiis, præsertim quia (ad rem nostram) *dum alicui Sacramentum istud* (ait *Oberascher*) *ministratur post adeptum rationis usum, minus subest periculum iterandi ob ignorantiam, seu oblivionem Confirmationis jam acceptæ: ac insuper suscipiens magis meminisse potest illius, quod ab Episcopo per inflictionem alapæ intimatur.*



CAPUT

CAPUT XXII.
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ

CIRCA SACRAMENTUM POENITENTIÆ.

De Ignorantiæ Privilegiis ad Pœnitentiæ Sacramentum spectantibus, latè egimus superius Cap. 15. in quo de spectantibus ad secundum Ecclesiæ præceptum de Annua Confessione. Legantur ibi posita, quibus addo sequentia ad idem Sacramentum spectantia. sitque

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Confessarius inculpabiliter ignorans ignorantia publica, & communi, revocatum fuisse Privilegium absolvendi, & dispensandi, absolvens; & dispensans, excusatur à culpa, & absolutio valet, ac dispensatio.

1001 Pro hujusmodi Privilegio expressè sunt *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 40. n. 5.* ubi sic ait: *Si contingat, aliquem uti Privilegio revocato, ex ignorantia publica, & communi, & usum Privilegii pertinere ad Jurisdictionem, vel aliud simile munus publicum, dico, tunc actum sustineri, & esse validum, non vi solius Privilegii, sed adminiculo Juris sustinentis similes actus factos titulo publicè reputato, ac tolerato, juxta leg. Barbarius, ff. de Officio Prætorio, & ita vitantur incommoda publica, &c. Portel. in Dubiis Regularib. Verb. Privilegii Cessatio n. 70.* Ubi, quod si invincibiliter ignoret, *carebit peccato coram Deo. Bord. conf. 52. nu. 141.* in quo sic: *Quid si Confessarius inculpabiliter ignorans Privilegium absolvendi, dispensandi, revocatum fuisse, absolvat, dispenset, postquam in aliquibus locis suæ Religionis revocatio intimata fuit, an nullam faciat absolutionem, & dispensationem? Dico valere, quia habet justum titulum, bonam fidem, & errorem communem, saltem in suo Conventu, ubi de ea revocatione non constat, quæ omnia sufficiunt ad conferendum ei potestatem, ut omnes docent per leg. Barbarius.*

1002 Hujus autem Privilegii verum, ac solidum fundamentum est, quod habens titulum coloratum cum communi errore, putatur legitimus Superior, & ejusdem sententiæ, & alii jurisdictionis actus sunt validi, ut passim *D. D. in leg. Barbarius, ff. de Officio Prætoris:* Unde *Cajet. in Summa V. Absolutionis impedimenta*: *Scito quod ex communi jure, secundum communem sententiam (ex leg. Barbarius) tenent gesta per hujusmodi Judicem, ubi duo simul concurrunt, scilicet communis error facti, & titulus.* Idem docent *Paludan. in 4. distin. 17. qu. 6. art. 2. Navar. in Cap. Placuit de Pœnitent. distinct. 6. n. 179. Vers. Non otiosè. Medina Cod. de Confessione qu. 22. Arragon. qu. 60. art. 6.* quos citat, & sequitur *Lessius de Justit. lib. 2. cap. 29. dub. 8. n. 65.* cum aliis hoc idem affirmantibus de sententia, & actis, tum fori externi, tum Sacramentalis, & interni, de quo in hoc Privilegio. Ratio autem omnium communis est, quia nisi hujusmodi acta essent valida (in utroque foro) magna sequerentur incommoda in Republica, magnaque perturbatio sequeretur populo Christiano: Omnes enim sententiæ, Officiorum collationes, & Beneficiorum, item præsentationes, electiones, & alia hujusmodi deberent rescindi tanquam invalida, item Sacramentales Confessiones, & absolutiones, tanquam nullæ, & nullius valoris iterari: quod negatur à D. D. communiter, & expressè à *Cajet l. c.* ubi ipse sic: *Et hinc habes, quod absolutus à legitimo aliàs Superiore habente impedimentum occultum, quod si sciretur, impediret absolutionem, est verè absolutus coram Deo, & coram Ecclesia.* Stantibus videlicet dictis duabus conditionibus, quæ semper ex eodem *Cajet. & ex aliis D. D. & Juribus* concurrere debent, ut Judicis putativi, & Confessarii acta valeant: Una ex parte ipsius Confessarii, ac Judicis nimirum, ut habeat titulum: Altera ex parte populi, ut communiter putetur legitimus, quibus concurrentibus, jus ipsum confert jurisdictionem extraordinariè ad singulos actus, propter bonum commune: *Less. n. c. Vers. Notandum est;* & D. D. in *Cap. Nihil est, de elect. & in cit. leg. Barbarius Philippus, ff. de Officio*

Officio Prætor. ubi ponitur expresſè caſus noſtri Privilegii, & aſſertionis (quod refert idem *Leſſ. n.* 65. *c.*) Cum enim iſte Barbarius eſſet alibi conditione ſervus, Romæ ubi latebat ejus conditio, & ut liber habebatur, promotus eſt ad Præturam, cujus tamen ob illud impedimentum erat incapax. Nihilominus approbantur ejus acta, quæ geſſit, quamdiu latuit, idque ob utilitatem eorum, qui apud ipſum egerant: & additur ratio, quia Populus Romanus, cujus authoritate hæc dignitas collata fuerat, potuiſſet etiam ſervo hanc poteſtatem decernere: quod confirmatur *ex Synodo Romana* 3. *quæſt.* 7. *cap.* 1. ubi dicitur. Si ſervus, dum putaretur liber, ex delegatione ſententiam daret; quamvis poſtea in ſervitutem depulſus ſit, ſententia ab eo dicta, rei judicatæ firmitatem tenet. Ex quibus deduc cum eodem *Leſſ. l. c. n.* 68. *in fine:* Quod, & ſi illi, qui ſolum habent titulum coloratum, & agnoſcunt ſe tantum illum habere, poſſint generatim dici peccare uſurpatione Judicii, quia quantum in ipſis eſt, uſurpant poteſtatem, quam non habent, non tamen ſententia illorum eſt irrita; quia dum hoc attentant (cum errore communi) Eccleſia juriſdictionem extraordinariè ad bonum commune, in ipſo actu ſuppeditat. Sed contra.

1003 Obiicies ex *Portello in dub. Regularib. Verbo Leges n.* 4. Lex revocans Privilegia, revocat illa ſtatim à die publicationis Romæ factæ: ita, ut actus talium Privilegiorum non valeant ab illa die, etiam ſi ob ignorantiam ſine culpa fiant extra Curiam, maximè quando dicit lex, vel revocatio: *Ex nunc*, vel *Ex præſenti die:* Ergo ex eodem *Portell. n. c.* licet lex, ſeu revocatio non liget ignorantes, quo ad conſcientiam, ligat tamen, quo ad nullitatem actus contrarii, hoc eſt, ſi fiat oppoſitum, ſtatim in illo die publicationis, eſt nullum ubique, quod patet, quia Princeps id poteſt facere, quoad nullitatem externam actus. Et hoc verbo uſus eſt *Sixtus V.* in prima ſua Conſtitutione contra illegitimos, annullando profeſſionem. Ergo, & ſi verum Privilegium noſtrum, quoad excuſationem à culpa, non tamen quoad validitatem diſpenſationis, &c. in doctrina etiam *Portelli*, pro Privilegio noſtro primo loco allati. Reſpondeo negando hanc ultimam conſequentiam, quoad ſecundam partem de nullitate, & invaliditate actus. Quo verò ad authoritatem *Portelli*, poſitam pro antecedenti obiectionis, concedo eo loco ita ſentire, ut ſonant etiam ejuſdem verba. At *n. c.* 70. mutavit ſententiam: ibi enim expresſè ſic: *Probabilior eſt opinio oppoſita dicens, actum eſſe validum; donec de tali revocatione habeatur notitia. Verba autem illa, ex nunc eſſe intelligenda cum debito ordine naturali, & ſecundum jus ſuave, habita ſcilicet notitia, &c. Et per hæc* (concludit ita) *ſeu ad hæc conciliabis ſuperius dicta (Verbo Leges n.* 4.) *ibi enim locuti ſumus juxta unam opinionem, hic juxta aliam: & hanc hoc loco puto probabiliorem, & ſuaviorem.* Verum

1004 Hic adverto, quoad citatam Conſtitutionem *Sixti V.* contra illegitimos, iſtorum profeſſionem annullantem, hanc excipi à doctrina præſentis Privilegii: juxta ea, quæ pariter tradidi in *Cap.* 4. *Privil. p. num.* 109. ſicuti (per *Suar. de Legib. lib.* 5. *cap.* 33. *n.* 7. *Salas de Legib. diſp.* 16. *ſect.* 9. *n.* 41. *Laym. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 7. *Verſ. Porrò Suarez. Merollam to.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 5. *dub.* 22. *n.* 295. *fol.* 241. & per alios apud ipſos, & communiter) excipiuntur Pontificiæ illæ leges, ac Conſtitutiones, revocationes, irritationes, &c. quæ inhabilitant perſonas, contractus, &c. quæ ſunt circa eas res, & actiones, in quibus Papa liberam habet diſponendi, vel diſpenſandi facultatem, abſq; alicujus injuria, ut ſunt Beneficia, & collationes eorum, & ideò ſæpè in his inhabilitat perſonas, vel impedit valorem à die promulgationis, ut fecit *Clemens VIII.* in Regno Luſitaniæ, conſtituendo novum impedimentum ex defectu generis, ad quædam Eccleſiaſtica Beneficia, & *Sixtus V.* hoc ſimiliter fecit, ac declaravit in Profeſſionibus Religioſorum, quia etiam valor Profeſſionis pendet, ex acceptatione Sedis Apoſtolicæ. Tales igitur irritantes Conſtitutiones, ſtatim poſt promulgationem in Curia vim ſuam ſortiri videntur, etiam erga ignorantes, ut docent citati Doctoris, & alii communiter. Verum quidem eſt, quod ignorantes invincibiliter tales Conſtitutiones irritantes, & ob id ponentes actus in ipſis prohibitos, ac nullos, & inſubſiſtentes, non peccant, & excuſantur à culpa, ut in Privilegio, cum nulla lex quo ad forum internum, & in conſcientia quocumque tempore lata, & promulgata obliget in actu ſecundò ſub culpa invincibiliter ignaros, licet actus inde poſiti ſint nulli, irriti, ac nullius valoris. Hinc ſi quis ex. gr. ob invincibilem ignorantiam contrahat Matrimonium cum conſanguinea, à culpa quidem excuſatur, ſed contractus non ſubſiſtit, &c.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

De quodam scrupuloso Pœnitente, qui commisit peccatum materialiter mortale, & ob invincibilem excusantem ignorantiam, putavit veniale.

1005 Refert casum *Laurent. Portel. to. 1. Responsionum Moral. p. 3. casu* 22. dicens sibimet contigisse, & eundem scribere voluisse pro quiete, & consolatione scrupulosorum, quibus sæpè idemmet accidere potest, & solet: Est autem hujusmodi. Quidam vir timoratus, sollicitus aliàs Animæ suæ, quendam fecit actum, qui aliàs erat in se peccatum mortale, sed ille facto discursu sibi possibili, cogitavit, illud esse tantum peccatum veniale: & cogitans esse solum veniale, actum exercuit, nullo modo facturus, si sciret esse peccatum mortale. Et hoc idem mihimet pluries accidit administrando Sacramentum Pœnitentiæ. Inquirit *Portel.* an iste peccaverit solum venialiter, an verò mortaliter. Communicavit casum cum viro doctissimo Theologo, pro tali publicè reputato, & cum eodem postea resolvit (uti, & ego cum iisdem sentio) peccasse solum venialiter, & ob invincibilem ignorantiam, & bonam fidem excusatum fuisse à mortali. Tum quia, qui facit actum, qui de se est peccatum mortale, si omninò bona fide facit, nec venialiter peccat, ut omnes concedunt, ergo similiter, & respectivè, qui facit peccatum mortale, putatum omninò veniale, aliàs non facturus, peccat solum venialiter. Tum quia, peccatum, ut peccatum, totaliter pendet ex hoc, ut sit voluntarium: ergo sicuti voluntarium dat esse peccatum in totum, sic etiam dabit esse peccatum in parte, unde volente, seu judicante solum esse veniale, non imputabitur ad mortale, sed ab ipso excusabitur.

1006 Et si dicat quis, istum volentem peccare venialiter deliberatè, & facientem materialiter actum peccati mortalis, jam se exponere periculo paccati mortalis, atque adeò jam mortale committere: Opponit *Portel.* sequentia, egregiè quadrantia. Primò, qui ab eodem Domino per intervalla surripuit res minimas, peccavit solum venialiter, quamdiù per furta minima non accessit ad quantitatem notabilem, & sufficientem ad mortale: quando verò commisit ultimum furtum parvum, quod junctum præteritis efficit quantitatem notabilem, tunc per illud furtum ultimum peccat mortaliter, cum sit complementum damni notabilis. At omnes concedunt, quod si iste, in ultimo furto parvo, quod ob proximè dictum, est peccatum mortale, non advertit tale furtum ultimum esse mortale, sed solum credit esse veniale, sicut præcedentia parva, neque advertit ad præcedentia furta parva, hic talis etiam in ultimo furto peccavit solum venialiter, licet jam esset mortale à parte rei, & licet se exponeret periculo peccandi mortaliter, & sciret clarè se peccare venialiter in ultimo furto. Sic de ultimo furto parvo non considerato, ut mortali tenet *Cajet. in Summula Verbo Furtum*, & *Rebell. de Oblig. Justit. lib. 3. quæst. 15. sect. 4. §. Hinc colliges*, & favet *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 21. n. 4.* quod exemplum est omninò adæquatum. Secundò, Peccans cum fœmina consanguinea, quam omninò ignorat esse consanguineam, peccat quidem mortaliter, sed non peccato incestus, ut patet, si enim id sciret, non faceret, & tamen exposuit se periculo committendi peccatum incestus, quod erat annexum isti actui: & hunc incestum evasit, proptera quod incestum nullo modo esse credidit, neque illum intendit. Facit ultimo, quod tradit *Glossa in Cap. Plerumque de donat. inter Virum, & Uxorem, in Verbo Repetere non valebit*: ubi dicit, quod crimina secundum intentionem judicantur; & injuria ex affectu mentis fit: & citat ad hoc quinque, vel sex textus utriusque Juris, quæ ibi videri poterunt, & ibi dicta juvant ad præsens intentum. Hactenus *Portel.* Vide *cit. Glossam*, quæ valdè facit ad præsens Privilegium.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Habens authoritatem absolvendi, aut dispensandi, validè absolvit, aut dispensat, quamvis ignoret suam authoritatem, Privilegiumque suum.

1007 Gravissimum dubium est, inquit *Rodriq. to. 1. qq. Regular. qu. 20. art. 25. fol. mihi* 124. utrum videlicet valeat absolutio, vel dispensatio Prælati habentis authoritatem à Summo Pontifice, ut possit absolvere à tali peccato reservato, à tali Censura, vel ut possit dispensare super tali, vel tali re, ipso Prælato ignorante omninò tale Privilegium proprium, suamque talem authoritatem. Et similiter, quando idem Prælatus, ex. gr. Provincialis, habens à Papa, ut possit committere suis Fratribus

ictam potestatem, absolvendi scilicet, ispensandi in casibus, in quibus ipse rdinaria non potest, & ipsemet ignoranoc suum Privilegium, commisit subdiuo omnem potestatem suam, quam t, & idem subditus absolvit, vel dist virtute Privilegii ignorati, an vainquam absolutio, & dispensatio talis? utrique hujus Privilegii dubitationi facit idem *Rodriq. l. c.* ut sequitur. Duioni respondet quidam Doctissimus Vir, in utroque casu valet absolutio, & nsatio, per *Regulam Juris cap. unico de nsatione impub. lib. 6.* quæ habet, *si non quod ago, ut ago, valet, ut valere po* Quod confirmatur ex doctrina *Panorm. p. Licet de Offic. Ordin. nu. 6. & in cap. sup. de Offic. deleg. n. 12.* dicentis, quod ndo ex coniecturis constat, quod quis it, quod *actus quem fecit, valeat omni quo potest, quod tunc habet verum præ Regula. Immò quando sumus in dubio de intentione, tunc præsumendum est, quod t valere actum omni modo quo potest, quia nda est interpretatio eo modo, ut res potius t, juxta Capitulum Abbate, de Verbo fic.* Hæc *Panorm.*

08 Item confirmatur, quia validitas s non pendet à notitia potestatis, sed sa potestate, & ab ipso posse: quia tia tantum habet accusare, vel excuà peccato, sed non invalidare, vel vae actum. Quod confirmatur etiam arento ex Sacerdote simplici, qui in aro mortis potest absolvere ab excomication. Ponamus casum, quod ignorante ipso hanc potestatem, absolvit agonizantem à casu Bullæ Cœnæ Domini, certè valebit absolutio, dato, ipsum ignorasse contingat tunc posse. Vide, quomodo validitas non dependet à notitia potestatis, sed ab ipso posse, vel non posse. Et hunc casum dicit Doctissimus ille, & *Religiosus P. Veracrux Religionis Eremitar. D. Augustini*, Patet de sua Religione, & de Ecclesia Dei satis benemeritus, in suo *Compendio Manuscripto* contigisse *in Guatimala Anno Domini M. D. LXII.* affirmans, sic ibi fuisse judicatum, quia interpretativè voluit ille Prælatus, & absolvere, & committere illam potestatem. Sic enim responderet, si tunc interrogatus fuisset. Et sic dicunt communiter Doctores, quod adimplentes præcepta ex ignorantia, nihilominus adimplent illa ex intentione virtuali, ut si in die festo, quem ignorant esse observandum, Missam audiant. Et hæc opinio procedit maximè in Religiosis, quibus licet ignorantibus, multa Privilegia concedantur, conceduntur tamen ad petitionem Procuratorum Generalium, qui nomine totius Ordinis, ad hæc, & ad alia negotia in Romana Curia assistunt. Hactenus *Rodriquez*. Pro hujus Privilegii, & doctrinæ confirmatione, vide quæ trado in mea *Filiatione Spirituali*, in qua *cap. 2. dub. 5.* probo authoritate, & ratione, lucrari Indulgentias ab iis etiam, qui illas ignorant, si ea adimpleant, quæ à concedente injuncta sunt, ob virtualem scilicet intentionem, quam quisque in suis bonis operibus habet easdem adipiscendi, omnesque quas potest, &c.



CAPUT XXIII.
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ

CIRCA VENERAB. EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM, ET SACRIFICIUM MISSÆ.

Etiam de Ignorantiæ Privilegiis ad hoc Venerabile Sacramentum, & Missæ Sacrificium spectantibus egi in Superioribus, sub Cap. 16. Ubi de spectantibus ad tertium Ecclesiæ Præceptum de Sumenda Eucharistia in Paschate. Addo hic sequentia.

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Ignorans esse illicitum denuo Ministrare Viaticum infirmo non jejuno tertia die immediatè post primam Communionem, & illud idem administrans, excusandus est.

1009 Regulariter saltem (secundum multos, classicosque D. D.) illicitum esse videtur repetere Viaticum non jejunis in eadem infirmitate, nisi post aliquot dies. Unde hic *Veronæ*, visum fuit aliquibus non bene fecisse, nec excusandum esse, quendam Monialium Confessarium, qui sexta feria communicavit per modum Viatici Monialem non jejunam mortaliter infirmam, & iterum etiam communicavit eandem non jejunam, die tertio (idest Dominico) immediatè post Viaticum repetendo: Quod inquam aliquibus etiam doctis, & Parochis non benè visum fuit. Et meritò, per ipsos. Nam tum in *Rituali Romano* tum in *Veronensi*, adesse videtur determinatio, quando de novo Ministrare possit Viaticum, contra quam utique se gessit præfatus Confessarius, ut constat: In *Rituali* namque *Romano*, *Tit. de Communione Infirmorum*: *Vers. Pro Viatico*, sic: *Quod si Æger sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, poterit rursus sumere*. In *Veronensi* verò, *Tit. de Observandis in Administratione Sanctissimæ Eucharistiæ pro Infirmis*, itidem sic: *Viaticum etiam non jejunis datur, & sæpius in eadem infirmitate, quoties per aliquot dies mortis periculum evaserint, in idemque relapsi fuerint*. Ex quibus clarè deduci videtur, adesse, (in *Iure* etiam) definitam Regulam circa Ministrationem Viatici, ut non queat videlicet denuò Ministrari, nisi inter unam, & alteram sumptionem intercedant aliquot dies, hoc est plures. Dixi, *in Iure etiam*, quia *Rituale Romanum*, saltem quo ad ea, quæ in ipso præscribuntur facit *Jus*; Siquidem *Sanct. Pont. Paulus V. in Bulla eidem Rituali præfixa*, eademque in ipso exhibet, præscribit tanquam *de jure* observanda, ut patet ex illis verbis *in fine: Inviolatè servent*. Quod non fecit præfatus Confessarius, ut ex se constat, in dicta secunda Sanctissimi Viatici Ministratione, ergo non benè se gessit, nec excusandus.

1010 Et contra eundem insuper, videntur insurgere ii omnes, qui volunt, Viaticum, non nisi post decem, aut octo dies repeti posse. Sunt autem quam plures, præcipuè *Suarez disput. 68. de Eucharist. sect. 5. Vers. Duo verò dubia, littera B.* ubi sic: *Ægritudo si perseveret, vel augeatur, periculum tamen duret aliquot dies post primam communionem, v. g. octo, aut decem dies, existimo, posse postea communicare post cibum, & potum, si ægrotus non possit Sacramentum suscipere jejunus. Toletus lib. 6. summ. cap. 15. Vers. Jejunus, in fine. Coninch de Sacram. qu. 80. art. 8. n. 53. Henriq. lib. 8. de Eucharist. cap. 4. in princip. Fagund. Præcept. 3. Ecclesiæ lib. p. cap. p. n. 6. Reginald. in Praxi Fori Pœnitent. lib. 29. n. 120. Bonac. de Sacram. Eucharist. disp. 4. sect 6. punc. 2. n. 23.* Ubi sic: *Utrum infirmus, qui semel non jejunus communicavit per modum Viatici, possit iterum ad communionem admitti sine jejunio, aut cum jejunio? Respondeo, posse iterum jejunum admitti, & de hoc nulla est difficultas, cum nulla sufficienti ratione probari possit, infirmum jejunum, & sufficienter dispositum privandum esse tanto Sacramento. Difficultas est, utrum possit iterum non jejunus admitti? Ad quam difficult. respondetur, infirmum, qui sex, vel octo dies antea communicavit per modum Viatici,*

posse iterum ad communionem admitti per ...m Viatici, si commodè nequeat jejunus ...unicari, ita Tabiena, &c. Item contra ...em insurgunt pariter hi, qui asserunt, nisi post septem dies iterum Ministrari Viaticum, ut *Sylvius par. 3. quæst.* 80. ... apud *P. Pasqualig. de Casibus tempore ... occurrentibus qu.* 255. *n.* 2. *in fine* ... post sex, *ut Possevin. de Officio Curati ... n.* 21. *Filliuc. to. p. tract.* 4. *cap.* 8. ... *n.* 238. *Vers. Tertiò non* : item *Major. ...r. Granad. & Zambran.* relati *à Pat. ...ualig. l. c. n.* 3. aut saltem quatuor, ut ...met *P. Pasqualig. quæst. cit. nu.* 8. sub ...met verbis: *Dicendum est, Viaticum non ...de novo Ministrari, nisi inter unam, & ...m sumptionem intercedant saltem qua... dies regulariter loquendo.* Ex quibus ...bus deduci videtur, esse illicitum, ...tionem desumptam ex *Rituali Romano,* ... sententias tot clarissimorum Docto... repetere Viaticum non jejuno ter...ie immediatè post primam Commu...em, nisi ignorantia Ministrantis sic, ...set ipsum à proprio errore, ut in ipso ...ilegio proposito. Uti certè excusat. ...d clarè probatur, quia nesciens illici... esse, quod agit, non peccat, nec de... nisi materialiter, ignorantia ipsa ex...ite; sed ita est, & supponitur in ... nostro, & Privilegio proposito, Er... Absolutè igitur excusandus est, denuò ...istrans Viaticum infirmo non jejuno ...a die immediatè, post primam Com...ionem, ignorans tamen, id esse illici...

...11 Sed insuper addo, nednm excusan... etiam esse præfatum Monialium Con...rium, qui (ut supra) secunda Vice ... Moniali mortaliter infirmæ, tertia diè ...ediatè post primam Communionem ...istravit (nec jejunæ) Sanctissimum ...icum, sed etiam defendendum, ac ...andum à Censura (in tali suo parti...i casu) esto etiam concederemus id ...e, non ignoranter, sed appositè, cum ...a scilicet advertentia, & cognitione ...gationis sui Ministerii. Dico : *In tali ...articulari casu* hoc est dictæ Monialis ...ribus spiritualibus virtutibus præditæ, ...rnatæ) quæ assueta præsertim erat fre...tissimè, & maxima cum devotione ...osanctam Eucharistiam sumere, utpo...rga ipsam summo desiderio quotidiè af...m, & ita, ut in aliis suæ vitæ pluri...infirmitatibus, & diuturnis, aliud ma...olamen non habere fateretur, quam ...m Eucharisticum frequenter sumere. Addo igitur inquam in hujusmodi casu particulari, defendendum, ac sustinendum factum, ut benè factum, ac liberandum præfarum Confessarium à quavis Censura. Et primò defendendum, uti defendi potest, authoritate Doctorum. Nam *Ludovicus à S. Joanne par. pr. Summæ qu.* 7. *de Euchar. art.* 10. *difficult.* 4. *apud Quintanad. Singulari* 14. *n.* 3. *in fine*, dicet : *Posse Ministrari Viaticum tertio quoque die, asserens, hoc fuisse approbatum ab Academia Complutensi, ac postea à Patre Vasquez*; hujusmodi sententiam approbat, ut patet, ac sustinet in individuo factum ipsum, de quo hic. Et huic eidem sententiæ accedere videtur *Possevinus nu.* 21. *cit.* dum ibi *in fine* sic : *Spirituales vero* [nota] *& Ecclesiastici, quare non poterunt etiam sæpius communicare, cum si sani essent, etiam sæpius communicarent? Layman restringit, & magis coarctat. Laym. in Theol. Morali libr.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *sub n.* 20. *Vers. Addo primo.* Vult namque, quod si infirmus solitus sit sumere frequenter Eucharistiam (ut solita erat dicta Monialis) & difficulter abstineat (ut pariter eademmet, me etiam teste) possit ipsi Viaticum Ministrari altero etiam die. Et præfatus Confessarius, non altero statim die, sed tertio tantummodo, & morte instante, postea secuta, dictam Monialem denuo non jejunam communicavit, do ejusdem *Laym.* verba : Existimo *(* inquit *) ob justam causam, puta si aliquis assuetus frequenter communicare, aut sacrificare propter devotionem, ac desiderium, difficile abstineat, permitti ipsi posse, ut altero statim die iterum S. Eucharistiam è manu Sacerdotis accipiat non jejunus, dummodo mortis periculum instare videatur.* Hancq; *Laym.* sententiam, admittit pariter *(respectu talis patientis) Gobat in Alphabeto communicant., casu* 18. *num.* 317. *Imò* (addit) *etiam in rigore, respectu omnium qui peterent, cum Dicastillo de Eucharist. disp.* 9. *n.* 334. Accedit etiam (apud eumdem *Quintanad. Singul. c. n.* 3.) *Gaspar Hurtado de Eucharist. disp.* 9. *difficult.* 16. *fin.* qui absolutè arbitratur, posse quotidiè Ministrari, si nequeat expectare jejunus; citans *Armillam, & Concilium Constantiense*, quod, *(* inquit *) videtur indicare, toties posse ab infirmis non jejunis sumi Eucharistiam, quoties à sanis jejunis.* Favet apertissimè *Palao p.* 4. *Operis Moralis trac.* 21. *disp. unica punc.* 13. *nu.* 14. *fol.* 103. Amplians ità Ministrationem Sanctissimi Viatici in favorem graviter Infirmorum, ut velit absolutè, quod possit illis Ministrari singulis diebus : sic : *Si constitutis in mortis articulo (ut præcitati* Docto-

Doctores affirmant) nulla est lex posita de præmittendo jejunio Communioni, cum datum omnibus sit, singulis diebus Eucharistiam accipere, poterunt illam accipere non jejuni, si jejunium servare non possunt. Necessitatem verò tanti Sacramenti singulis diebus habent morituri, ut quid ergo illo privandi sunt? Poterunt ergo singulis diebus communicare, si aliter non possunt. In quod inclinare etiam videntur *Martinus à S. Joseph tract. de Moniali. lib.* 1. *tract.* 8. *de Eucharist. n.* 15. (relatus *à P. Pasqu. qu. c. nu.* 6.) *& Pellizzar. de Monialib. cap.* 10. *sect.* 3. *subsect.* 1. *n.* 224. *Vers. Respond. Posse*: ubi ad rem ferè, ut supra de Moniali ait sic: *Cum juxta citatos Doctores licitum sit fidelibus infirmis communicare per modum Viatici non semel, sed iterum, atque iterum, & quidem secundum Layman altero statim die in aliquo casu: licitum erit Confessario Monialium ingredi ad talem effectum, ne alioquin Monialis infirma destituatur tam salutari remedio, & quidem valdè necessario; ut proindè dici possit comprehendi sub regula generali assignata superius, quod potest Confessarius Monialium ingredi in casibus necessariis.* Harum autem sententiarum fundamentum esse potest. Primò, quia (*ut ait Gobat n.* 317. *c.*) Ecclesia hosce ægros eximit à lege jejunii naturalis. Secundò, necessitas hujus Sacramenti, quæ in illo articulo maxima est. Tertiò, quia ut ponit optimè *P. Pasqualig. n.* 6. *c.* cum de hoc nihil decernatur *in Jure*, nec sit extra reverentiam hujus Sacramenti frequenter ministrari, è contra verò maximè prosit ægroto: proindè cum simus in re favorabili, amplianda est ministratio, quantum fieri potest. Igitur, tot, & classicorum Authoritate Doctorum, defendi potest primò, ac liberari à Censura præfatus Confessarius qui, &c.

1012 Secundò præterea defendi potest, ac liberari à Censura, ratione. Quia, admisso etiam, quod adsit *in Jure* (idest *in Rituali Romano*, ut supra, *Ex Bulla Summi Pontificis Pauli V.* Rituali eidem affixa) determinatio, quando de novo Sanctissimum Viaticum Ministrari possit etiam non jejunis, *post aliquot dies* videlicet: hoc est saltem *quatuor*, juxta doctrinam *P. Pasqualigi qu. c. nu.* 8. *&* 9. ita ibidem subtiliter extendentis, ac interpretantis ly *aliquot dies*: hoc inquam admisso, & libenter concesso: hujusmodi tamen *Jus*, ac lex non debet intelligi in quocumque casu, uti nec in quocumque obligat lex humana, qualis est Ecclesiastica, præcipuè in casu necessitatis, qui legem non habet, ut docet, *D. Thom.* 3. *par. qu.* 80. *artic.* 8. *in fine responsionis* (ubi ad rem nostram de Communione infirmorum) sed intelligi debet, *regulariter tantum*, quo pacto etiam, eandem legem, & idem jus explicat ipsemet *P. Pasqualig. n.* 8. *cit.* sic expressè affirmans: *Dicendum est. Viaticum non posse de novo Ministrari, nisi inter unam, & alteram sumptionem intercedant saltem quatuor dies, Regulariter loquendo*. Regulariter igitur, inquam, tantum loquendo, intelligi debet spatium quatuor dierum, quod intercedere debet inter unam, & alteram Viatici sumptionem: hoc est cum limitatione aliqua desumpta ex diversitate personarum ęgrotantium, circumstantiarum, &c. Quia lex quælibet, ac Regula, cum suis limitationibus accipienda est; hæc præcipuè de administrando infirmis Viatico; uti, & eandem sic apertè, accipit idemmet *P. Pasqual. quæst. cit.* 12. per hæc verba: *Regula est circa Ministrationem Viatici, ut non possit de novo Ministrari, nisi inter unam, & alteram sumptionem intercedant saltem quatuor dies. Hæc tamen regula cum suis limitationibus juxta diversitatem circumstantiarum accipienda est, quia datur pro eo, quod regulariter contingit. Unde si quis indigeret frequentiori sumptione, ob tentationes, quibus premeretur, aut ex aliquo alio capite, possent reduci ad praxim illorum opiniones, qui concedunt, posse frequentius Ministrari*. Et ita etiam fecit præfatus Monialium Confessarius, qui propterea, Authoritate Doctorum, & ratione valida, sustinendus in eo quod fecit, ut benè factum, defendendus omninò, ac à Censura eximendus in relatis circumstantiis positus.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Parochus per meram inculpabilem oblivionem (quæ invincibili ignorantiæ æquiparatur) omittens in feria quinta Cœnæ Domini consecrare ex more Hostiam alteram pro sequenti feria sexta in Parasceves, à mortali culpa excusatur. Quid tamen facere debet is obliviosus Parochus, sua cognita oblivione, ut effugiat scandalum, & murmur populi?

1013 Quacumque feria quinta in Cœna Domini, Prælati quicumque, Rectores Ecclesiarum, & Parochi in eorum Solemni Missa duas Hostias consecrant, quarum unam sumunt, alteram verò servant pro die sequenti feriæ sextæ in Parasceves (in quo non conficitur Sacramentum) eandemque reservatam in alio Calice processionaliter, & cum

& cum debita solemnitate per Ecclesiam ferentes, in solemni Sepulchro reponunt, ut iterum extrahatur die sequenti, & cum eadem solemnitate processionaliter deferatur, ut moris est, &c. Qui Ecclesiæ consuetus publicus ritus, ac solemnitas, servari debet à dictis Prælatis, & Parochis, quibus ex vi sui muneris, & Officii incumbit valdè, curam habere, ut serventur Ecclesiæ ritus, præcipuè quo ad functiones graves, & publicas, quas populus expectare solet (ut cum spirituali devota aviditate, quascumque Hebdomadæ Sanctæ functiones singulariter expectat.) Aliàs minueretur Ecclesiarum decor, & cultus Divinus, atque scandalizaretur populus. *Quæ incommoda* (ait noster *Quartus in Rubricas Missalis par. pr. Proœmiali dub.* 5. *Vers. Respondeo, & dico prim.*) *tenentur Prælati omninò vitare sub peccato mortali ex genere suo*. A quo mortali, eatenus excusatur dictus Parochus, quatenus ipse omisit (ut in proposito Privilegio) consecrare in die Cœnæ Domini alteram Hostiam ex inculpabili oblivione, invincibili ignorantiæ æquivalente. Quo firmiter supposito: & oblivione ablata, quomodo se gerere debet præfatus obliviosus Parochus, ut effugiat scandalum, & murmur populi expectantis in die sequenti Parasceves solemnes solitas functiones, Processionem, &c. à quibus utique, si deficit Hostia consecrata, maximo cum scandalo abstinendum erit?

1014 Olim de hoc casu à Viro Docto interrogatus fui, & firmè credens ab ullo (quem saltem hactenus ego viderim) unquam nec discursum, nec propositum fuisse; ...ræ manibus (post meam Viro illi Docto ...erbotenus datam sententiam) incidenter ...abui, Doctissimi *P. Gobat Aureum Sacri... antium Alphabetum*, in quo, hunc eun...em verè singularem casum, reperi, pro...situm ab ipso, & resolutum; & adeò ...gularem inquam, ut idem Author sic ...eatur: *Hoc dubium nemo, quantum mihi ...dem constat, tangit vel verbo, vel scripto.* ...hujusmodi ergo casu non ficto, sed rea...er facto à rurali quodam valdè simplici, ...ue ignaro Parocho, quæritur quid iste ...ere debuisset, ut evitaret scandalum, & ...rmur Populi? Clam consecrare alteram ...stiam (quod, & immediatè fecit) res...dit illi prædictus Vir Theologus. Cui (me interrogante post jam factam à ...tato Parocho ex sui consultatione, no... Hostiæ consecrationem) opinionem ...m dedi, ut sequitur: Quod videlicet ...oc tam singulari casu, debuisset potius inquiri alius Sacerdos, qui priuatim (Januis Ecclesiæ clausis) Missam de Passione celebraret, & consecraret Hostiam pro Officio publicè postea celebrando ab eodem Parocho, non enim licitum est consecrare Hostiam (ut ille consulvit) sine Calice, communiter namque Theologi apud, & cum *Card. de Lugo de Eucharist. disp.* 19. *sect.* 8. *n.* 103. supponunt, & docent, Christum Dominum, ità instituisse hoc Sacramentum, ut simul illud instituerit in ratione Sacrificii, nec voluerit fieri Sacramentum sine Sacrificio, nec Sacrificium sine Sacramento. Nec Sacerdotibus duas potestates dederit disparatas, sed unicam tantum ad sacrificandum; ita ut neque extra Sacrificium consacrare possent, neque absq; consecratione possent Sacrificium offerre, ut probat cum aliis *Suar. to.* 3. *in* 3. *par. disp.* 43. *sect.* 4. *Vers. Dico secundò*. Hinc, & *Franciscus Lugo de Sacrament. lib.* 4. *cap. p. qu.* 2. *n.* 22. *Vers. Jam dico primo*, absolutè ait. Nunquam licere Sacerdoti formaliter, & directè consecrare unicam speciem, cum intentione non conficiendi Sacrificium. Quia violaret præceptum negativum, non offerendi Sacrificium mutilum, vel etiam non exercendi nomine Christi, actionem sacrificandi vanam, & irritam, quod obligat pro semper. De hac re iterum infra.

1015 Accipe modo hic totum responsum *P. Gobat in Opusculo Alphabeti Sacrificantium Casu* 7. *à n.* 216. *Si Parochus feria V. in Cœna Domini non consecrasset Hostiam pro sequente feria, an hac sequente feria eam licitè consecraret? Non licitè, quia alioqui deberet etiam consecrare Calicem, nec enim fas est consecrare unam speciem sine altera, & tamen eo die nefas est facere Missam propriè dictam, qualis certò foret, si utramque speciem consecraret. Licitè, quia alioqui non habebit Hostiam, quam de more illius diei levet, seu tollat dextera manu, ostendendamque populo, ac sumat.*

1016 *Hoc dubium, nemo quantum mihi quidem constat, tangit verbo, vel scripto. Respondeo autem, non esse tunc sacrificandum, sed loco Hostiæ grandioris, accipiendam esse unam è particulis, de quibus paulo ante* (idest antecedenti *num.* 215. *in principio*. Ubi, quod nullus Parochus sit adeò incurius, quin habeat pro eo tempore plures particulas consecratas pro communicaturis: noster tamen ruralis, de quo loquimur, summè incurius, unicam tantum consecratam habebat in Pixide asservatam, ideò, nec accipi hæc unica poterat. Si namque id potuisset, prædictus Theologus, ita consulvisset, uti, & ego, &c.) *At populus mirabitur*,

quando

quando tolletur tam parva Hostia. Respond. E duobus malis minus est eligendum, est autem minus malum facere hoc, quam non habere ullum Officium. At ne quidem parva Hostia suppetit. Ergo, non parva pœna imminet ob tam periculosam negligentiam. Interim videbitur nonnemini, esse tunc penitus omittendum Officium illius diei ob varia incommoda, quæ sequentur ex celebratione. Puto tamen ea esse minoris considerationis, quàm omissionem illius Officii: omittendo enim, agitur contra legem naturalem de vitando scandalo, & gravibus murmurationibus: non omittendo fit transgressio legis humanæ, utpotè postponendæ naturali, capit. final. de consuetud.

1017 *Distinguo autem casum hoc modo: Contingit is, vel in Urbe, vel in Pago. Si in Urbe, facile habebitur Sacerdos, qui privatim faciat Sacrum de Passione, aut Cruce, consecretque Hostiam pro Officio publicè celebrando ab alio. Si in Pago, faciat ipse Parochus privatim ejusmodi Sacrum omissa sumptione ablutionis; publicè peragat consuetum Officium diei: acturus quidem contra duplex Præceptum Ecclesiæ, unum de non communicando bis, alterum de non conficiendo Sacramentum illo die: Sed quia est fas, facere etiam die profesto bis Sacrum, ut satisfiat devotioni populi, ut in Casu sexto: & quia etiam prohibitio, non conficiendi eo die Sacramentum, cedere debet legi naturali, de non dando scandalum; ideò credo posse stari data resolutione, quam si velis extendere etiam ad Casum, quo non suppetit Hostia, nisi parva, erit fortè qui approbet extensionem.* Hactenus, & optimè *Gobat.*

1018 Cui, nec non sententiæ nostræ, accedere videtur in suis *Consiliis, seu Responsis Variis, Gabriel à Sancto Vincentio Responso* 136. Ubi quærens: An in die Veneris Sancti possit dici Missa pro communicando infirmo, & quænam Missa dici possit, profert sequentia, quæ confirmare videntur traditam doctrinam nostram, & *P. Gobat.* In quodam Oppido (ait) non fuit conservatum Sacramentum pro necessitate infirmorum, ut fieri solet; die Veneris Sancti quis incidit in gravissimum morbum, ex quo hora secunda noctis mortuus est: petiit mane dictus infirmus communionem, sed non erat Sacramentum. Quæsitum fuit, an tunc potuerit dici Missa, ut communicari posset. Negarunt aliqui, quia ea die non potest poni Sacrificium incruentum, cum ponatur cruentum, &c. *Nihilominus dixi (ita à S. Vincentio) quod dici poterat Missa saltem privatim, & clausis Ecclesiæ foribus. Primò: Quia probabilis est multorum sententia apud Joannem de Lugo de Eucharistia disput. 15. sect. 3. n. 67. quod pro communicando infirmo, possit Sacerdos non jejunus celebrare, quod videtur quid plus, quam celebrare in die Veneris Sancti. Secundo: Quia præceptum non celebrandi in die Veneris Sancti, est Ecclesiasticum: at præceptum communionis in articulo mortis, est Divinum, præceptum autem Divinum magis urget quam humanum, & in concursu utriusque, illud præferri debet. Quantum ad Missam, dico, quod potest dici Missa de Passione, aut pro infirmo. Aliqui etiam dixerunt, quod potuerit ille Sacerdos dare illi infirmo partem Hostiæ, quæ in Sepulchro conservabatur, quod non displicet.* Sed occasione prædictorum

1019 Quæres: An Missa Feriæ sextæ Parasceves sit verum Sacrificium, & veram habeat rationem Missæ? Respondeo negativè, cum communi sententia, quod in illa die non offeratur Sacrificium: ita *D.Tho.in 3. par. qu. 83. art. 2. ad 2.* (in quo, ut observat etiam *Suar. to. 3. in 3. par. de Sacram. Eucharist. disput. 75. sect. 4. Vers. In Confirmatione*, supponit *S. Doctor*, illo die non offerri Sacrificium, & nullam Missam dici, seu non fieri Sacrificium, in quo mysticè repræsentetur mors Christi, quia eo die recolimus realem mortem ejus; seu Sacrificium cruentum, pro ut in tali die re ipsa gestum est) *Suar. Vers. cit.* & ibi communiter tum Theologi, tum Doctores Juris Canonici. *Henriq. lib. 9. cap. 9. n. 2. & 6. Caspens. par. 3. Cursus Theolog. trac. 23. disp. 1. sect. 2. n. 25. Aversa de Euchar. qu. 11. sect. 2. Vers. Respondetur cum communi. Francis. Lugo de Sacram. lib. 5. cap. 5. qu. 3. n. 29. Pasqualig. de Sacrific. to. p. tract. p. qu. 33. Quartus in Rubric. Missalis Romani part. 1. Proœmiali dub. 2. item par. 1. tit. 14. dub. 4. in princip. & in Appendice de Sacrificio qu. 1. punct. 5.* aliique innumeri apud relatos. Accedit etiam: *Declaratio Sacræ Congregationis emanata die 19. Februar. 1632. apud Gavantum in Rubr. Missalis par. 4. tit. 9. de Feria sexta in Parasc. num. 24.* per quam declaravit, quod si incidit festum Annunciationis in Feria sexta Parasceves, non tenentur Fideles audire illam Missam, seu Officium, quod tunc celebratur. Et id ea ratione declaravit, quia tunc non offertur Sacrificium, consequenter nec Missa propriè dicta, ut in responsione, quæ propterea

1020 Probatur, tum ex *Innocentio Papa, Cap. Sabbato de consecrat. distinct. 3.* Ubi ait: *Traditionem Ecclesiæ habere, isto biduo* [ideft Feria sexta Parasceves, & Sabato Sancto] *Sacramentum penitus non celebrari.*

Nomi-

...omine autem Sacramenrorum intelligit ...acrificia. Unde Sacerdos in Officio Solem... Parasceves non consecrat, sed Hostiam ...ridiè consecratam, & asservatam, consu...it sine sanguine sub speciebus Vini, quę ...onsuetudo generalis, & vetus, inviolabi...s usque ad hæc tempora perseverat. Sab...ato Sancto similiter olim prohibitum fuit ...elebrare, ut constat ex *citato textu*: Ec...clesia enim per totum etiam illum diem in ...ejunio, luctu, & repræsentatione mortis ...Dominicæ perseverabat, Missamque Re...surrectionis, ipsa nocte Resurrectionis ce...lebrabat; quæ postea anticipata fuit ad ...tempus ante meridianum Sabbati: hinc ...Missa, quæ modo celebratur, est Missa Resurrectionis, quæ antiquitus celebrabatur in nocte diei Resurrectionis: Unde adhuc in Præfatione dicitur, *Te quidem omni tempore, sed in hac potissimum nocte*. Et in Oratione *Communicantes*, dicitur. *Et noctem Sacratissimam celebrantes Resurrectionis, &c.* Tum ex *D. Thomæ* ratione *supra*, quia videlicet eo die Parasceves celebratur propriè Sacrificium ipsum cruentum mortis Christi: cum ergo Ecclesia recolat tali die realem Christi Passionem, Sacrificiumq; cruentum, non repræsentat mysticè, nec immolat incruentè. Tum quia: Unica tantum species Sacramentalis, nempè Corpus Christi adhibetur in sexta Feria Parasceves, ergo verum Sacrificium eo die non intervenit: consequentia hæc probatur, quia ut desumirur, ex *Concil. Trident.* de Jure Divino est, quod Sacrificium offeratur cum utraque specie, nam *Sess.* 22. *cap.* 1. de Christo sic ait: *Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus Panis, & Uini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem.* Hoc est ut offerrent sub iisdem symbolis, quia præcepit eis, quod facerent, quod ipsemet fecit; obtulit autem sub utraq; specie. Unde *Canon.* 2. inquit: *Si quis dixerit, illis verbis. Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum* (nempè, sub iisdem speciebus) *anathema sit*. Igitur cum Sacrificium de Jure Divino requirat utramq; speciem, utraque quando non adhibetur, ut in Feria sexta Parasceves, tunc non aderit verum Sacrificium. Ecclesia namque non dispensat, ut in illa die offeratur Sacrificium aliter, ac est institutum à Christo Domino, præsertim cum non adsit sufficiens causa dispensandi. Hinc

1021 Dico, & ego cum *Aversa Vers. c.* nullatenus esse admittendum, quod asserit *Nugnus par. 3. qu. 83. art. 1. par. 2. diffic. 2. post concluf. 2. Verf. Quinto prob.* (quem sequitur *Gabriel. à S. Vincentio de Sacrament. disp. 1. de Sacrific. Missæ qu. 4. Vers. Secunda ratio est.*) Ex peculiari videlicet Christi dispensatione, Ecclesiam eo die Parasceves ita celebrare. Certè enim nec apparet talis dispensatio, nec est necessaria. Item nec approbandum esse, quod aliqui dicunt, ea die compleri Sacrificium præcedenti inchoatum die. Nam illud Sacrificium jam erat completum, & una consecratio, nonnisi per unam sumptionem debet compleri, & consumari in ratione Sacrificii: Sacrificium enim una die inchoatum, non potest compleri altera die, nec post notabilem interruptionem (ob id si deficiente Sacerdote post consecrationem, non inveniatur alius, nisi die sequenti, non poterit jam compleri illud Sacrificium.) Quare *Henriq. n. 6. cit.* (quod docent, & D.D. laudati) expresè sic: *Consumptio Hostiæ pridiè consecratæ, quæ fit in Feria sexta Parasceves, non habet rationem Sacrificii (nisi lata significatione) quia eo die, quo præsens fuit verum Christi Sacrificium in Cruce, decenter noluit Ecclesia adesse Sacrificium memoriale, & vetat Sacramenta Euchariftiæ penitus celebrari; ut præsente luce cessat umbra; & figura. Tunc enim Sacerdos nullum dicit verbum, quo ostendat se offerre: nec facit Memento, nec dicit Orationes post Communionem: & sumit absque ulla dispensatione speciem tantum panis, cum tamen jus Divinum præscribat Sacrificium, non fieri, nisi sub duplici specie.* Sed

1022 Obiicies primò: In Missa Parasceves, non minus, ac in cæteris Missis recitatur Oratio: *In spiritu humilitatis*, in qua dicitur: *Sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, &c.* Et Sacerdos dicit: *Orate Fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat.* Talia autem verba non debent esse illusoria, cum sint eadem, quæ in cæteris Missis: nec sunt intelligenda de Sacrificio improprio, cum nulla hic detur exceptio. Secundò: Quia tali actioni competit vera definirio Sacrificii quæ est: *Cultus sensibilis expressivus totalis dependentiæ, & subjectionis practico modò respectu Dei*. Tertiò: Quia esto etiam Jus Divinum præscribat, Sacrificium fieri sub utraque specie, nihilominus habemus, quod Summi Pontifices aliquando, aut dispensarunt, aut

doctrinaliter interpretati sunt, quod fieri possit consecratio in sola specie panis, ut videre est apud *Suar. de Legib. lib.* 10. *cap.* 6. *num.* 14. *&* 21. Ubi ait: *Secundum Jus Divinum, Eucharistia nec confici, nec sacrificari potest, nisi in duabus speciebus, & tamen ob necessitatem, & carentiam vini dispensavit interdum Pontifex, ut in solo pane conficiatur, ut aliqui referunt, & sequuntur, quos retuli in* 3. *Tom.* 3. *par. disput.* 43. *sect.* 4. Adde, quod Christus, quando Eucharistiam instituit, eam confecit, & consecravit in Azimo, & tamen Ecclesia dispensat, & tolerat, quod Græci consecrent in fermentato: à pari ergo poterit etiam eadem Ecclesia, accedente præsertim gravi aliqua causa, non obstante Christi Domini exemplo, dispensare, ut fiat Sacrificium sub unica tantum panis specie: & id facere in feria sexta Parasceves affirmari poterit.

1023 Resp. Ad primum cum *Suar. Vers. cit. Quando in officio illius diei Sacrificium nominatur, vel latè sumitur pro quocumque Sacro Ministerio, vel significatur ipsa Hostia consecrata, eo modo, quo victima Sacrificii solet interdum Sacrificium appellari.* Et cum *Casp. n.* 25. *cit. & Pasqual. qu. c.* 33. *n.* 7. Non coarctari Sacrificium per illa pronomina ad actionem sacrificandi, sed solum significari, quod res illa, quæ dicitur Sacrificium, quia fuit oblata in præcedenti Sacrificio, fiat Sacerdotis, & adstantium, quo ad verum fructum, &c. cum enim illo die non fiat consecratio, ut constat; sed sola sumptio Hostiæ præconsecratæ, dicendum est, Ecclesiam eo die non Sacrificare, cum non consecret, sed tantummodo Sacerdotem participare de Sacrificio sumpto pro victima, pro se, & pro populo facta, illam comedendo pro se; & pro populo, & ideò meritò rogat populum adstantem, ut pro se Deum oret, ut Sacrificium, idest, res illa in Sacrificium pridiè oblata, cedat per manducationem in suam, & totius populi utilitatem: itaque nomen Sacrificii, in illo loco non significat actionem sacrificandi, sed Corpus Christi pridiè in Sacrificium oblatum.

1024 Ad secundum nego (cum *Pasqual. quæst. cit. n.* 8.) illi actioni Sacrificii definitionem convenire: in primis enim cum sit victima, quæ superfuit Sacrificio, non potest offerri de novo in Sacrificium, hinc deest materia apta ad offerendum pro Sacrificio. Præterea, quod adhibetur in illo Ministerio, est tantummodo Sacramentum, Sacramentum autem concessum non est hominibus ad offerendum in Sacrificium, sed solum in usum sanctificandi, ideòque cum in illo die non fiat Sacrificium; ab Ecclesia adhibetur Sacramentum, tamquam participatio Sacrificii anterioris cum illa fractione sacra, ut in illo pariter die, in quo cessat Sacrificium ob commemorationem Dominicæ Passionis, non careat fructu Passionis Dominicæ, ut advertit *D. Thom. ubi supra*. Adde, quod functio illa, neque est instituta, neque assumpta, ut signum interioris Sacrificii, unde nec rationem Sacrificii habere potest, cum illi desit, quod formaliter requiritur ad Sacrificium. Et quamvis sit actus Religionis, impetratorius, & satisfactorius, non inde tamen sequitur, quod sit Sacrificium, cum hæc attributa sint communia actibus virtutum, ob idq; tanquam generica, non constituunt actionem in tali, vel tali specie: neque potest aliqua actio esse Sacrificium, nisi sit signum interioris Sacrificii, atq; adeò ordinata ad hoc præstandum: ita *P. Pasqualigus*.

1025 Ad tertium, negatur suppositum, quod videlicet Summus Pontifex dispensaverit unquam, ut in solo pane fieret consecratio. Imò ita est de ratione hujus Sacrificii consecratio utriusque speciei, ut in nullo eventu possit una species consecrari sine alia; adeò ut, nec Ecclesia possit in hoc dispensare, & ita etiam sentiunt, apertisque verbis idem affirmant unanimiter D. D. sequentes: *Caspensis sect. c.* 2. *n.* 32. *Infero ex dictis, consecrationem utriusque speciei, ita esse de ratione hujus Sacrificii, ut in nullo eventu possit una species consecrari sine alia, neque Ecclesiam posse in hoc dispensare. Oliverius Bonartius de Sacrificio Missæ lib. pr. cap.* 22. *n.* 2. *Ex hoc sequitur, Ecclesiam non posse ullo modo dispensare, ut Sacrificium Eucharisticum sub una specie perficiatur, cum non possit mutare essentialia Sacramentorum, aut Sacrificii, cum utraque sint divinitus instituta; alioquin non essent legitima. Quartus in Rubric. Missalis in Appendice de Sacrificio punct.* 3. *c. Sententia est communis, consecrationem utriusq; speciei esse de essentia Sacrificii, consequenter non posse Summum Pontificem dispensare, ut in una tantum specie offeratur*, & concludit punctum, dicendo: *Falsum esse, Summum Pontificem, eam dispensationem concessisse: quod si aliqui id referunt, non sunt audiendi; quia ex Scripturis Apocriphis, ita acceperunt. Quicquid autem sit, utrum Summus Pontifex possit dispensare in Jure Divino positivo, certum est, id saltem fieri non posse, in iis, quæ sunt bases, & prima fundamenta Christianæ Religionis, ut sunt Articuli Fidei: materiæ, & formæ Sacramentorum. Item substantia Sacrificii:*

Quia

ia si hæc variari possent, nihil esset firmum edificio Ecclesiæ. Aversa qu. c. 11. sect. 5. s. Sed dici: Necessitas., & obligatio confe- ndi in utraque specie, tanta est, ut in ea possit à Pontifice dispensari. Ratio genera- sumitur, quia non adest in Ecclesia potestas pensandi propriè in Divinis Legibus, & spe- liter in iis, quæ Christus Instituit circa Sa- menta. Et idem est circa hoc Sacrifiium Eu- aristiæ. Et factum illud, quod de Innocen- VIII. refertur, dispensasse videlicet cum orvegis in hac re, non censetur verum, nec risimile; si quidem apud Norvegios tot sæcu- habitum, & conservatum erat vinum, ac inceps etiam habetur, & conservatur, non lum pro consecratione, sed etiam sufficienter d communem potum. Ad id quod quidam af- rmant, & si consecratio sub utraque specie it de Jure Divino, conveniens tamen videtur Christum reliquisse in Ecclesia potestatem in hoc dispensandi propter necessitatem, quæ occurre- e potest in aliqua Provincia ob carentiam vini. Respon. Nec oportebat, nec expediebat, Chris- tum in hoc relinquere potestatem dispensandi, sicut nec in aliis ritibus substantialibus Sacra- mentorum. Et specialiter non aderat talis ne- cessitas, quia compertum est, ad quascumque remotissimas regiones posse, & solere asportari vinum, ut etiam triticum, ubi non nascitur.

His adde *Vasq. in 3. par. to. 3. disput.* 223. *cap.* 3. *n.* 20. *Castrü Palaü par.* 4. *tract.* 22. *disp. unica, punc.* 2. *à n.* 6. aliosque: Contra *Adrianum in* 4. *qu.* 6. *de Eucharistia. Majo- rem in* 4. *distin.* 9. *qu.* 3. *Paludan. distin.* 11. *quæst.* 1. *nu.* 3. *Fagund. Præcep. pr. Ecclesiæ lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 6. *Dian. to.* 3. *Coord. trac.* 1. *resol.* 47. *ex par.* 8. *trac.* 1. *resol.* 23. & alios. Ad exemplum tandem, quod additur in calce hujus tertiæ objectionis, de consecra- tione videlicet facta in Azymo à Christo Domino, & quod nihilominus Ecclesia dispensat, & tolerat Græcos consecrantes in fermentato, quid inde contra nos? Ma- teria namque hujus Sacramenti: *Necessariò quidem est panis triticeus, sine quo non perfici- tur Sacramentum, non est autem de necessita- te Sacramenti, quod sit Azymus, vel fermen- tatus, quia in unoquoq; confici potest. D. Tho. in* 3. *par. qu.* 74. *artic.* 4. & ibi *Cajet.* sic: *Unde in Concil. Florent. sub Eugen. IV. legi- mus sic. Item in Azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacer- dotesque in altero ipsum Domini corpus confice- re debere, utrumq; scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* Hac de re Theologi omnes, in *tract. de Eucharist.* Ubi: *Qualis esse debeat panis con- secrandus in Corpus Christi.* Vide *Franciscum Macedo, de Ritu Azymi, & Fermentati, & Joannis Ciampini Conjecturas de perpetuo Azy- morum usu.*

1026 Omnium autem laudatorum D.D. & aliorum etiam, qui brevitatis gratia omittuntur, ratio communis, & eadem desumitur ex *Trid. supra*, & ex facto Christi, ex quo *idem Concilium* colligit, ipsum Christum præcepisse, ut sub utraque specie hoc Sacrificium conficeretur. Hinc arguunt sic: De essentia Sacrificii Missæ est expressa repræsentatio effusionis Sanguinis Christi facta in Sacrificio Crucis, seu Passionis ipsius Christi Domini, sed nonnisi per utramque consecrationem habetur hęc expressa repræsentatio. Ergo, &c. Minor probatur, quia, & si Corpus Christi ex vi verborum per primam consecrationem ponatur sine sanguine, nihilominus nullum adest adhuc sensibile signum, neque Sanguinis, neque effusionis ejusdem à corpore, quod tamen fit per sequentem consecrationem. Ergo in sola prima consecratione non habetur constitutivum essentiale Sacrificii Missæ, sed requiritur etiam secunda, tamquam essentialis ob mentionem sanguinis, & repræsentationem effusionis, & hæc est aperta sententia *D. Thom. in* 3. *par. qu.* 74. *art.* 1. & *qu.* 80. *art.* 12. *ad* 3. *Cajet. ibidem Coninch de Sacram. quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 5. (ubi, quod Sacrificium essentialiter requirit consecrationem utriusque speciei, ita ut Pontifex nullo modo dispensare possit, ut alterutra species sola consecretur, quia tunc non esset verum, & integrum Sacrificium; sed dimidiatum, & mancum, quod est contra Jus Divinum, & Christi institutionem, nam sic fieret Sacramentum, & non Sacrificium. Neq; enim effici potest, ut conficiatur verum Sacrificium sine suis essentialibus constitutivis) *Jo: de Lugo sect.* 8. *supra c. à nu.* 5. affirmantis quoque, ita esse necessariam utriusque speciei consecrationem ad valorem hujus Sacrificii, ut neque ex dispensatione Pontificis, possit licitè una species, absque altera consecrari. Quia (inquit) fuit à Christo institutum hoc Sacrificium sub utraque specie, ut repræsentet suam Passionem, & mortem: cum enim non morbo, aut suffocatione mortuus fuerit, sed effusione sanguinis sui, debuit hoc genus mortis, & hæc effusio sanguinis exprimi per Sacrificium, in quo corpus, & sanguis seorsim constituerentur; quod non fit, nisi per utriusque speciei consecrationem, per quas constituitur in Altari, sanguis ex vi verborum in Calice, & Corpus ex vi verborum sub speciebus pa-

nis, quæ est quasi pictura exprimens, quomodo in Cruce separatus sanguis à corpore, & per effusionem illam Christus mortuus fuerit, ita *Eminen. de Lugo*.

1027 Hujusmodi ratio desumpta est ex doctrina, quam tradit *Suar. to. 3. in 3. par. qu. 75. sec. 6. Vers. Dico ergo 2.* Ubi ait: Aliud esse loqui de quolibet signo, seu indicio mortis Christi: aliud verò, de expressa repræsentatione Passionis ejus, Primum enim reperiri potest in qualibet specie per se sumpta, tamen valdè implicitè, & obscurè: quia corpus, licèt ex se, & ex vi verborum, non dicat determinatè corpus vivum, tamen etiam non excludit illud; & ideò consecratio corporis, ut sic, non satis significat corpus mortuum: Et idem ferè est de consecratione sanguinis per se sumpta, nam etiam sanguis potest esse in venis, & extra venas: ergo sola illius consecratio, ex vi sua non repræsentat sanguinem, ut separatum à corpore: necessaria ergo est separata utriusque speciei consecratio, ut sit expressa representatio Passionis, atque adeò mystica mactatio, ita *Suar. Vers. c.* quem vide etiam *sequenti Versu. Secundo probari potest*: Ubi confirmat assumptum suum exemplo Baptismi, in quo non sufficit dicere: *Ego te Baptizo in nomine Trinitatis*: quia talia verba significant minus expressè, & clarè Divinas personas: Christus autem voluit, ut clarius exprimerentur; sic ergo, nec possumus in hoc Sacrificio adhibere, illud solum signum, quo minus distinctè, clarè, & expressè Christi mors representatur, quam ipsemet voluit magis expressè repræsentari. Hinc optimè *Emin. de Lugo sect. c. n. 112.* deducit, rationem à priori hujus sententiæ, & conclusionis, atque solutionis argumentorum contrariæ sententiæ, desumi debere ex Christi voluntate, qui talem ritum sacrificandi instituit, quo clarè repræsentaretur ejus mors. Quo irrefragabili fundamento supposito, satisfaciendum est argumentis, quibus Auctores contrarii conantur probare, quamvis sit de Jure Divino, quod Sacerdos duplici in specie sacrificet, ac celebret, probabilius tamen esse, Summum Pontificem posse ob publicam, & urgentem necessitatem, & justam causam dispensare, ut in altera tantum specie panis, vel vini Sacrificium, & Sacramentum fiat verum, & proprium; cujus sententiæ sunt plures, & classici D. D. quos citat, & sequitur *Fagund. primo Eccles. Præcep. lib. 3. cap. 5. n. 6.* & quos pariter refert, sed non sequitur *Palao punct. 2. cit. n. 5.* Argumenta autem hujus sententiæ, sunt sequentia.

1028 *Primo*. Si ex aliqua causa hæc potestas Pontifici negaretur, ea esset, quia Pontifici datum non est, consecrationem Eucharistiæ permittere, quin ea consecratione Sacrificium commemorativum Passionis Christi Domini offeratur. At consecratione sub una tantum specie Passio Christi commemoratur, ergo nulla est ratio, ob quam potestas hæc Pontifici denegetur. *Secundo*: Concessa est potestas Summo Pontifici, teste *Conc. Trident. sess. 21. cap. 2. Ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*. Sed permittere consecrationem sub una tantum specie, omissa alterius speciei consecratione, non mutat Sacramenti substantiam, sicut non mutatur ob receptionem Sacramenti sub una tantum specie. Ergo Pontifici concessa est potestas permittendi consecrationem sub una tantum specie. *Tertio*: Sacerdoti æqua obligatio esse videtur consecrandi sub utraque specie, & utramque consecratam consumendi. Sed Pontifex dispensat, ne utramque speciem consecrans, utramque recipiat, ut patet in Sacerdotibus denuò ordinatis, qui cum Episcopo ordinante concelebrant, & cum ipso utramque speciem consecrant, & sub utraque non communicant. Ergo poterit etiam dispensare, ne aliqui sub utraque specie consecrationem præstent. *Quarto*: Christus Dominus sub una tantum specie de facto consecravit, cum Discipulis suis euntibus in Castellum Emaus apparuit, & *in fractione panis*, se illis ostendit, *Lucæ 24.* ut ex communi sententia probant ibi *Toletus, & Maldonatus*. Consecravit ergo sub utraque specie Christus Dominus, & sub una tantum, signum evidens Sacrificii essentiam consistere posse in altera tantum specie: nec consequenter Summos Pontifices essentiam Sacrificii destruere, si ex causa dispensent, ut Sacrificium Missæ sub una tantum specie fiat. Adde, si nunquam futurum erat licitum Sacerdotibus sub una tantum specie consecrare, Christus Dominus, qui se Apostolis Magistrum, & Doctorem exhibebat, nullatenus id fecisset. *Quinto*: Potest Summus Pontifex urgente magna, & justa causa dispensare in iis, quæ sunt de Jure Divino, & hæc est hodie communis opinio, ut videre est apud Doctores; & de facto *Fagund. cap. 5. c. n. 7.* plures enumerat dispensationes à Summis Pontificibus olim diversis temporibus concessas (per quandam

inter-

interpretationem Divini Juris) in Matrimonio rato, & non consumato: & etiam in Voto solemni Professionis, & tamen vinculum Voti, & vinculum Matrimonii est de Jure Divino, nihilominus per Pontificiam dispensationem, causa urgente, tollitur; uti, & per eandem dispensationem ex causa, vinculum tollitur juramenti, nec non, & aliorum privatorum non solemnium Votorum: auferendo omninò obligationem eadem implendi, item auferendo pariter obligationem residentiæ personalis Ecclesiastici Pastoris. Tandem aliis omissis, de Jure est Divino integritas Confessionis, & de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, nec Papa potest in hoc dispensare, nihilominus hujusmodi integritas multis in casibus (ut constat) omitti potest absque culpa: Manet ergo ex his, veritas hæc indubitata, quod potest Summus Pontifex, in iis etiam, quæ sunt de Jure Divino, dispensare, magna urgente, & justa causa; *(Idque facit auctoritate, & commissione Christi Domini. Henriq. lib. 8. cap. 13. nu. 2. ad marginem, littera K.* ibiq; *D. Tho. Scotus, Hervæus, Durand. Richard. Palud. Navar. Sotus, Cajet.*) Et si ex justa causa, licèt dimidiare Confessionem, licitum etiam erit, dispensatione supposita, solum panem (& non utramque speciem) consecrare, &c. ut supra. *Sexto: Azor. tom. 1. Instit. Moral. lib.* 10. *c.* 19. *qu.* 2. *Vers. Altera sententia, littera D.* aliique plures (& ex citatis omnes) referunt, scribere *Raphaelem Volaterranum l. 7. Geographiç, Cap. de Saxonibus, & Onuphrium Panvinum in Chron. Anno* 1490. *Innocentium VIII.* cum Norvegis dispensasse, ut eorum Sacerdotes sub specie solius panis consecrarent. Verba autem *Volaterrani pag.* 80. relata ab *Oliverio Bonartio de Missæ Sacrific. cap. 22. n. 3. sunt sequentia. Norvegiæ* (ait) *Innocentii VIII. Pontificis concessione permissum, sine vino, Cœnam consecrare, quod ob immensa frigora, vinum in ea regione importatum acescat.* Et si Pontifex dispensavit, certè quia potuit. Ergo, &c.

1029 Pro satisfactione, & solutione adductorum argumentorum, supponendum cum *Suar. disp. 75. c. sect. 6. Vers. In utraq; & alibi*, aliud esse loqui de Institutione, quæ fieri posset circa has easdem actiones; aliud verò de Institutione, quæ facta est; nam de possibili loquendo, potuisset utique Christus Dominus instituere unicam tantum consecrationem, neq; in hoc ulla per reperiri potest repugnantia. At de hac possibilitate modo hic non agitur, sed de Institutione pro ut facta est ab eodem Christo Domino (ex cujus divina tantummodo voluntate desumenda est hujus negotii totalis ratio) qui talem ritum sacrificandi instituit; quo clarè repræsentaretur ejus mors, ut supra docent præter *Suarez, Emin. de Lugo sec. 8. c. n.* 112. *Palao c. n. 6. Caspens. c. n.* 32. aliique, ex citatis præcipuè. Quo supposito.

1030 Respondeo ad *primum*: Consecrationem utriusque speciei, ita esse ex Institutione Christi, de ratione hujus Sacrificii, ut in nullo eventu possit una species consecrari sine alia, neque Ecclesiam posse in hoc dispensare, quia Christus de facto instituit, non unam speciem dumtaxat, sed utramque, ad significandum expressius Sacrificium suum cruentum, passionem videlicet suam, & mortem: sicque ad rationem, essentiam, & substantiam hujus Sacrificii à Christo instituti spectat talis expressa significatio, quæ, &c. Ad *secundum*: Admitto, concessam esse Summo Pontifici, & Ecclesiæ, potestatem in Sacramentorum administratione, mutandi, & alterandi, pro ut sibi visum fuerit expedire, salva tamen illorum substantia. At, cum ex dictis ad substantiam hujus Sacrificii, maximè spectet significatio, si Pontifex dispensaret, ut offeretur in unica specie, mutaret substantiam Sacrificii à Christo institutam, non enim ab ipso fuit instituta una tantum species, sed utraque ad expressius significandam suam passionem, ergo utramque necessariò postulat ex sui Institutione, & Christi voluntate. Nec valet hic distinctio (quæ fortasse potest afferri) de iis, quæ pertinent ad usum; & de iis, quæ ad Sacramenti substantiam pertinent, quasi quod utriusque speciei consecratio spectet potius, non ad Sacrificii substantiam, sed ad usum, qui à Pontifice, & Ecclesia mutari potest. Non inquam valet, quia (ut optimè etiam *Suar. disp. c. 43. sect. 4. Vers. Quintò potest, propè finem;*) si usus etiam tali modo Jure Diuino institutus esset, tam immutabilis esset, sicut substantia, quia substantia non aliam necessitatem, vel immutabilitatem habet, nisi quam secum affert Jus Divinum. Et idcircò semper Ecclesia declaravit, non esse de Jure Divino, ut Laici communicent sub utraque specie, quod ad usum pertinet, ut defenderet, ipsammet Ecclesiam potuisse facere, ut communicarent sub una tantum specie. Adde, quod institutio, de qua hic, non pertinet tantum ad usum, sed ad ritum conficiendi Sacramentum, & offerendi Deo Sacrificium, atque adeò

adeò ad substantiam ipsius Sacrificii, quæ non minus immutabilis est, quam substantia Sacramentorum; ita *Suar. Vers. c. in fine*. Ad *tertium*: Quando plures Ordinati Sacerdotes cum Episcopo consecrant, cum ipsomet veluti componunt unum integrum Ministrum unius tantum Sacrificii, quod ab omnibus conficitur, ad cujus perfectionem satis est, quod sub utraque specie sumatur à Ministro ejus in una tantum persona, quia ita omnes ministrant, ut quilibet eorum per se sufficiat, & sit veluti integer Minister. Ad *quartum*: Conceditur, eo casu Christum consecrasse unicam tantum speciem, quia ad sui manifestationem, & discipulorum solatium ea solum sufficiebat, sed inde inferri non debet unam speciem, absque altera consecrari posse, cum stet Divinum Præceptum, de utriusque speciei consecratione.

1031 Ad *quintum*: Respond. Summum Pontificem, nec Ecclesiam posse dispensare in iis, quæ propriè sunt de Jure Divino, ut sentiunt *Urbanus*, & *Zozimus Pontifices in Capit. Sunt quidam; & in Cap. Contra statuta* 25. *qu.* 1. In quibus sic: *Sunt quidem dicentes Romano Pontifici semper licuisse novas condere leges. Quod, & nos non solum non negamus, sed etiam valdè affirmamus. Sciendum verò summopere est, quia indè novas leges condere potest, unde Evangelistæ aliquid, & Prophetæ nequaquam dixerunt. Ubi verò apertè Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes, Sancti Patres sententialiter aliquid definierunt; ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potius, quod prædicatum est, usque ad animam, & sanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apostoli, & Prophetæ, destruere (quod absit) niteretur; non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optimè custodierunt*; ita *Urbanus Papa*. Sequitur *Zozimus*. *Contra Statuta Patrum concedere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam*. Inferior enim non potest dispensare in lege lata à Superiori, ut Doctores latè in materia de Legibus. Et confirmari potest ab inconvenienti; quia si semel admittamus (inquiunt etiam *Suar. Vers. c. Quintò potest. Quartus supra*, & alii) hujusmodi dispensationem propriam in Divino Jure, nihil erit firmum, aut immobile, vel immutabile in ædificio Ecclesiæ: nec erit major ratio, cur dispensari possit in uno magis, quam in alio, si æqualis causa intercedere videatur etiam in præsenti materia Sacramentorum, sicque fingamus, v. gr. non reperiri in aliqua Provincia Oleum, vel Balsamum (quod supponitur de Jure Divino necessarium esse ad Confirmationem) posset pariter Ecclesia dispensare, ut Confirmatio, & Extrema Unctio daretur sine Oleo, & Balsamo, quod quis dicet? Ad id autem, quod asseritur ex sententia hodie D. D. communi, posse videlicet Pontificem summum dispensare, & quod de facto etiam ex causa dispensat, ac dispensaverit in iis, quæ sunt de Jure Divino, hoc est in Matrimonio rato non consumato: in Voto tum privato, tum solemni, in juramento, in residentia Pastoris, &c. In promptu est satisfactio, ex doctrina *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 88. *artic.* 10. *Suar. sec.* 4. *c. Vers. Et ex his*. *Palai punc.* 2. *c. n.* 10. *prope finem*, & aliorum. Dico enim cum citatis, recitatas, vel alias si quæ sunt similes dispensationes, non esse propriè dispensationes in Jure Divino, tollendo per ipsas obligationem ejusdem Juris: Sed versantur circa materiam ejus, illam mutando; sicut in Voto Jus Divinum tantum est, ut, qui votum habet, illud adimpleat, & hoc semper manet integrum, at, quod ego votum habeam, non est Jure Divino, sed voluntate mea factum est, & in hoc propriè dispensat Pontifex, auferendo, vel mutando votum. Et hęc eadem est clara, & aperta doctrina *D. Thom. art.* 10. *c.* 2. *Ad* 2. ubi Angelicus Doctor sic ait: *Dicendum, quod sicut ex jure naturali, & Præcepto Divino tenetur homo implere votum, ita etiam tenetur ex eisdem obedire Superiorum legi, vel mandato. Et tamen cum dispensatur in aliqua lege humana, non fit, ut legi humanæ non obediatur, quod est contra legem naturæ, & mandatum Divinum, sed fit, ut hoc, quod erat lex, non fit in hoc casu. Ita etiam authoritate Superioris dispensantis, fit, ut hoc, quod continebatur sub voto, non contineatur, in quantum determinatur in hoc casu, hoc non esse congruam materiam voti. Et ideò cum Prælatus Ecclesiæ dispensat in voto, non dispensat in pręcepto juris Naturalis, vel Divini, sed determinat id, quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumspicere*. Hactenus Sanctus Doctor: Ex cujus Doctrina affirmamus (cum *Suar.* pariter *Vers. cit. Et ex his*, & sequenti *Vers. Addo denique*. *Palao p.* 4. *Operis Moral. trac.* 22. *disp. unica punc.* 2. *nu.* 10. *in fine*. & aliis ex supra citatis) Pontificem non dispensare propriè in Votis, juramentis, matrimonioque rato, non consumato; sed dispensare

solum,

folum, remittendo nomine ipfius Dei obligationem, qua remiffione facta, nec votum, nec juramentum, neque matrimonium ratum perfiftit, ac proindè non propriè in Jure Divino difpenfare dicitur. Jus enim Divinum, quod nequaquam à Pontifice tolli poteft, eft, quod perfeverante Voto, juramento, & Matrimonio rato obligatio nafcatur. Quod verò Votum, Juramentum, & Matrimonium ratum non diffolvatur caufa rationabili intercedente, & à legitimo Miniftro, non eft Juris Divini, potius enim ex Divino Jure habetur, horum diffolvendorum poteftatem Pontifici Summo commiffam effe. Et idem de Refidentia Paftorum, & Parochorum dicendum eft, ex Jure Divino videlicet obligationem effe, ne ifti abfint abfque legitima caufa. At jufta, & legitima caufa intercedente, conforme eft, Juri Divino abeffe poffe. Ad id etiam, quod infuper additur, de Jure Divino in Sacramento Pœnitentiæ eft integritas Confeffionis, nihilominus multis in cafibus hæc, abfque culpa omitti poteft; cum *Suar. Verf. cit. Addo denique in fine*, & cum Theologorum communi: Refpond. Integritas formalis folum, Jure Divino eft de neceffitate Sacramenti Pœnitentiæ materialis verò folum quatenus ad formalem neceffaria eft. Pariter etiam fatisfactio, tunc folum neceffaria eft, quando æquitas judicii illam pofulat, neque alia ratione eft de illius Sacramenti integritate, tunc verò omitti non oteft abfque aliqua culpa: ficque nil hic ontra affumptum noftrum. Iterum, iteunque concludentes, circa Sacramentoem ufum, nec non & Divini Sacrificii, offe Summum Pontificem mutare ea, quę ndent ex Ecclefiæ difpofitione, non verò ıæ Jure Divino funt inftituta: nam hæc nfentur ad Sacramenti, vel Sacrificii fubantiam, & effentiam pertinere, atque am ad eorundem valorem, adeòq; firma, immobilia effe in Ecclefia Dei.

1032 Adverto tamen hic, cum *Suar. ꝝ. 4. c. Verf. Dico ergo primò. Azor. par.* 1. 10. *cap.* 19. *quæft.* 3. *Laym. lib.* 5. *fumm. ct.* 5. *cap.* 7. *in princip. Palao l. cit. nu.* 11. *ancifco Lugo de Sacrament. libr.* 4. *cap.* 1. 2. *n.* 22. & alii: Interdum poffe congere, ut fine ullo peccato in una tann fpecie fiat confecratio, non quidem pter difpenfationem, vel interpretation præcepti, fed propter impotentiam ficam, vel moralem, alteram confendi: quo cafu dici non poteft, in una tum fpecie voluiffe Sacerdotem confecrare, fed unius tantum fpeciei confecrationem permififfe: nam aliud eft, Sacrificium imperfectum facere, quod ob nullam caufam licet, ut bene *Suar. dicta fec.* 4. *Francifcus de Lugo fupra Verf. c. Jam dico:* aliique præcipuè *Layman. l. c.* (ubi ; *Cujufmodi interruptio, directè intenta, nullo cafu, ne ad mortem quidem vitandam, conceffa eft: ut fi quis necem minetur Sacerdoti, nifi in folo pane facrificare aggrediatur, v. g. ad communicandum infirmum; potius enim omnia perferre debet, quam Sacrificium mutilum, contra Chrifti inftitutionem, efficiendo, facrilegium committere.*) Aliud verò eft, Sacrificium imperfectum permittere, quod ex rationabili caufa honeftari poteft. Et contingere poteft in fequentibus cafibus. *Primò*: Si confecrata Hoftia, reperias, aquam loco vini appofitam effe, neque invenias vinum, quod confecrare poffis, vel non invenias abfque magno fcandalo, aut fine manifefto vitæ periculo: in hoc enim cafu non poteft dici, quod voluiffes fub una tantum fpecie confecrare, bene te permififfe unicam tantum fpeciei confecrationem, ob phyficam impotentiam confecrandi utramque *Suar. Verfu c. Dico ergo primò. Palao nu.* 10. *cit.* aliique plures. *Secundo*: Si poft confecratam Hoftiam comperiat Sacerdos, vinum effe veneno infectum, nec habeat aliud, aut poffit aliud invenire, faltem fine magno periculo, vel fcandalo, poteft à confecratione Calicis defiftere. Item fi poft confecrationem Calicis intelligit in eo effe vinum mortiferum, non tenetur illud fumere, etiam fi fortaffe, non poffit aliud vinum confecrare; non tenetur, inquam, cum tanto difcrimine, quia in his cafibus fola eft permiffio, non commiffio, unde fine culpa poteft Sacerdos in eifdem fumere Hoftiam, & defiftere à confecratione Calicis. *Suar. l. c.* & communiter. *Tertio*: Si poft confecratam Hoftiam immineret Sacerdoti evidens periculum mortis, fi detineretur in confecrando Calice: ut fi in aliquo cafu hoftes Hæretici, v. g. ingruant ad occidendum facrificantem in Altari, poteft is Hoftiam jam confecratam ftatim fumere, vel fecum auferre, fi ad confecrandum Calicem fine evidenti mortis periculo pergere non poffit *Suarez, Layman l. l. c. c.* & communiter. Quia in hoc cafu, & in præcedentibus (uti, & in aliis fimilibus, qui videri poffunt apud D. D. præcipuè *Fagund. cap.* 5. *c. à nu.* 10.) Sacerdos non mutilat directè, & ex propofito Sacrificium, fed permittit ejus imperfectionem, feu omittit illud perficere, quæ omiffio non

eft

est intrinsecè mala, & in dictis circumstantiis honestatur: præceptum enim affirmativum perficiendi Sacrificium in casu necessitatis non obligat, ut bene citati, præcipuè *Suarez*, *Layman*, *Franciscus de Lugo*, *&c.* Addit tamen, *Suar. Vers. cit. Dico ergo primo*, & bene (quod advertunt, & alii.) Hoc intelligendum esse per se, & ex vi dicti præcepti, idest, si aliunde non sequatur scandalum, nec contemptus nostræ Religionis: quia tunc posset ex hoc capite teneri Sacerdos ad consummandum Sacrificium, non tam ex præcepto integritatis Sacramenti, & Sacrificii, quam ex præcepto confitendi fidem, & vitandi scandalum. Cæterum, moraliter loquendo, nullus incidere potest casus, quo liceat directè, & ex proposito consecrare, & sacrificare in sola specie panis, ne quidem, ut periculosè ægrotanti Sanctissimum Viaticum ministretur; quia tunc excusatur infirmus à præcepti transgressione, ob Sacramenti defectum. Multominus hoc licebit, ut populus diebus festis Missam audiat: vel in Paschate communicet. Vel si vinum, initio Sacraficii allatum non fuerit, nec possit postea haberi, vel sine perturbatione populi adferri, ita *Suar. sect. cit.* 4. *Vers. Dico secundo*. *Bonartius de Sacrific. Missæ libr.* 1. *cap.* 22. *in fine*, aliique, præsertim *Franc. de Lugo de Sacrament. sub n.* 22. *cit. Vers. Hinc fit primo*, dicens *sequ. Versu*: *Si quis minetur mortem Sacerdoti, nisi consecret solum panem in his, aut similibus casibus, quamvis etiam non intercedat contemptus fidei, mortem esse potius oppetendam, quam solum panem consecrandum, sic tenent Doctores supra relati cum aliis, ob rationem superius à nobis assignatam.*

1033 Ad sextum tandem, & ultimum argumentum oppositum, Resp. Cum supra laudatis Doctoribus: Nulla ratione audiendum esse *Volaterranum*, dicentem *Innocentium VIII.* dispensasse cum *Norvegis*, ut sine vino consecrarent, eo quod difficulter apud eos vinum conservari possit. Hoc enim falsum esse patet. *Primò*: Quia ostensum est supra, contrarium esse Juris Divini. *Secundò*: Quia hujus dispensationis nulla extant vestigia. *Tertiò*: Quia falsum est, ibi vinum non posse conservari. *Quartò*: Quia si difficultas habendi vinum sufficeret ad hujusmodi dispensationem, maximè jam dispensandum esset cum aliquibus Indis, apud quos difficillimè vinum haberi potest. Et nihilominus in omnibus Provinciis, in quibus est fides, etiam nunc experimur, etiam si frigidissimæ sint, confici hoc Sacramentum absque tali dispensatione. Et quamvis gratis demus (inquit *Suar. sect.* 4. *c. Vers. Deinde sicut*) fieri posse, ut propter hanc causam Sacrificium hoc alicubi minus frequenter conficiatur, minus inconveniens hoc est, quam ritum sacrificandi immutare, uti per tot annos, nec immutavit Ecclesia, nec unquam talis dispensatio facta est ab ipsa, ut constat ex invariabili Ecclesiæ usu, ubique per tot sæcula. *Quintò*: Quia ipse *Volaterranus* dicit, Pontificem dispensasse, ut Calix sine vino consecraretur, qui esset apertus error in fide: Cum *Concil. Florent. Sess.* 13. *Can.* 2. definiat, Vinum de Vite esse materiam necessariam consecrationis Calicis. Do hìc *Volaterrani* verba: *Norvegiæ* (ait) *Innocentii VIII. Pontificis concessione permissum, sine vino Calicem consecrare, quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acescat.* Hæc ille, qui paucis verbis plura profert absurda, nec ad præsens propositum pertinentia. In primis enim, non dicit concessisse Pontificem, ut sub altera tantum specie (panis videlicet) consecraretur, qua de re agitur, sed ut Calix sine vino consecraretur. Præterea, Calix sine vino? debet ne consecrari vacuus? certè non: Ergo infusus: si infusus, utique vel aliquo liquore, vel aqua, vel cervisia, &c. hoc autem dicere, præterquam quod ridiculum, & insanum videtur; est etiam hæreticum, cum vini liquor de Vite expressus sit materia consecrationis Calicis, ex *Florent. Concil.* supra. Adde, quod si ante Innocentii tempora fuit (ut supponitur) in vino consecratum, nec fuerunt unquam tam immensa frigora, ut vinum acesceret, vel potius congelaretur, ut quid opus fuit postea dispensatione, de qua (quod mirum admodum est) apud alios Auctores nullum extat vestigium? Quare meritò *Francisc. de Lugo l. cit. n.* 23. ait: *Licet admitteremus necessitatem alicujus regionis, tamen hoc Sacramentum, & hoc Sacrificium, Christus, qui præviderat illud inconveniens, ita instituit. Verum nusquam subesse talem necessitatem, satis convincit perpetuus usus Ecclesiæ, si quidem tot sæculis nunquam talis dispensatio data fuit. Confirmatur, quia Pontifex dispensare non potest in his, quæ sunt in Jure Divino, nisi traditione, seu praxi constet Christum Pontifici concessisse facultatem ad sic dispensandum, sed hoc non constat in nostro casu, quin potius praxis, & traditio suadent oppositum, ergo non potest dispensare Summus Pontifex.*

1034 Concludendum ergo ex hucusque dictis, nullum incidere posse casum, in

quo

quo liceat directè, & ex proposito consecrare, & sacrificare in sola specie panis, nec ullam prorsus usque adhuc extare dispensationem in Ecclesia consecrandi in unica specie. Nec etiam, quando ex Pontificio Privilegio celebratur Missa super Mare, aut flumen, quod addo, quia hoc apud me vivum est, ac valdè efficax argumentum, indispensabile esse ab Ecclesia consecrare tantum in una panis specie, non dispensando à consecratione Calicis, quando concedit celebrari Missam super Mare, propter periculum videlicet effusionis sanguinis, ob quod periculum *Suar. to. 3. in 3. par. disp.* 81. *sect.* 3. cum aliis absolutè ait: *Super Mare, aut flumen celebrari non potest, etiam titulo necessitatis, propter periculum effusionis sanguinis, ut prædicti Authores notant.* Et hæc est communis antiquorum sententia apud *Franc. de Lugo de Sacrament. lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 1. *in princip.* & apud alios; quam etiam non pauci Recentiores amplectuntur, ut videre est apud eundem *Lugum*: imò communiter Doctores eandem tenent apud *Dian. to.* 2. *Coord. trac.* 1. *res.* 135. *ex par.* 5. *tract.* 3. *resolut.* 40. Ubi *in princip.* eosdem citat, & enumerat ad satietatem. Quorum omnium fundamentum præcipuum est, periculum versandi sanguinem: hujus enim Sacrificii reverentia postulat summam cautelam ad evitandum tale periculum, quod tamen in aquę motione tam facili, tamque frequenti, vitari vix potest. Igitur absolutè, licitum non videtur, &c. Distinguunt hoc ultimum consequens *Fagund. pr. Ecclesiæ Præcepto lib.* 3. *cap.* 10. *nu.* 15. *& Bonartius de Sacrific. Missæ libr. pr. cap.* 18. *nu.* 8. Igitur absolutè non est licitum, &c. *de Jure antiquo procedendo*, concedo: *de Jure novo, & hodie*, nego: *Dicendum est* (ita *Bonartius cum Fagund.*) jure antiquo, *hoc non licuisse; iam tamen ex Privilegio concedi: Nam Clemens VIII. & Paulus V. indulserunt hoc Patribus Societatis nostræ, ut in Indiarum Orientalium navigatione, Missa (non solum Sicca, sed vera, & integra, cum Sacramenti consecratione) celebrarent sereno Cœlo, & tranquillo Mari. Nam tunc non est periculum effusionis sanguinis, cum, & caveri hoc possit, si alius Sacerdos Calicem Consecratum manu contineat, ne effundatur.* Vide *Fagund. l. c. Cardinal. de Lugo de Eucharist. disp.* 20. *sect.* 3. *Pat. Verricelli. De Apostolicis Missionibus tit.* 8. *de Eucharist. & Sacrific. Missæ qu.* 133. & alios. Ex qnibus Authoribus habes, hodie, auctoritate, ac Privilegio Summi Pontificis, licere Sacrificare etiam in Mari, & Missam ibi integram celebrare, hoc est, consecrando etiam Calicem, & non aliter, non obstante antedicto periculo effusionis sanguinis. Argumentum efficax non posse Summum Pontificem dispensare Sacrificium sub una tantum consecratione, quia hoc esset ire contra Jus Divinum, ut tot, tantique Doctores supra constanter asseverant. Sed hic obiter

1035 Inquires: Quid sit Missa Sicca (quam innuit supra *Bonartius*) an hæc sit licita; qualiter ordinari debeat, & an ipsa cadat sub præcepto diebus Dominicis, & in festo de Præcepto, in quibus fideles tenentur audire (quando possunt) Missam integram. De hac Missa, *Navarr. in Miscellaneis de Oratione, Miscellan.* 88. 89. 90. *&* 91. *Henriqu. lib.* 9. *de Sacrific. Missæ cap.* 27. *n.* 3. (ibi: *Navigantes ferebant secum Eucharistiam, & quidam celebrarunt in Mari. Sed meritò in jure prohibetur in Mari celebrare, aut in flumine: nisi Missam Siccam Sacerdos recitare velit solemniter indutus, cum Orationibus piisque ritibus, sed absque consecratione Eucharistiæ. In fluvio tamen placidissimo, ubi effusio sanguinis timeri non posset, fortasse in necessitate liceret:*) *Fagund. Præcept. pr. Ecclesiæ cap.* 10. *n.* 14. *Azor. to.* 1. *libr.* 7. *cap.* 7. *qu.* 6. *Portell. to.* 1. *Respons. Moral. par.* 3. *casu* 26. *Lezza. in Sum. Verbo Missa num.* 65. *Quartus in Rubricas Missalis Rom. par. pr. tit.* 14. *dub.* 4. aliique.

1036 Respond. Missam Siccam esse ceremoniam Sacram, seu Piam, nomine solum, & apparenter Missam, non autem re ipsa, cum in ea non offeratur Sacrificium, neque fiat ulla consecratio, sed solum recitentur preces dici solitæ in Missa. Quare sicut arbor illa, dicitur Sicca, quæ caret humore, & anima vegetante, pariter Missa hæc dicitur Sicca, quia caret vera ratione Sacrificii. Tali nomine (ut refert *Navar. Miscell. c.* 88. *in princip.*) Usus fuit *Guilliel. mus Episcopus Mimatensis in Ration. Divin. Offic. l.*4. *c. pr. n.* 23. Sentiens, Missam Siccam appellari eam, quæ continet omnia contenta in Missa integra, excepta consecratione corporis, & sanguinis Domini, cum aliquot aliis ad eam pertinentibus: Introducta autem fuit ad solatium longo tempore navigantium (hinc dicitur etiam Missa Navalis,) ut qui veram Missam audire nequeunt, satisfaciant aliqualiter propriæ devotioni, quamdam Missæ imaginem audiendo. Hujusmodi autem Missa (debito ordine recitata, ut infra) secundum se licita est, quia nulla lege prohibita; & etiam quia nihil mali continet, imò devotionem

fovet erga verum Sacrificium, & excitat ad actus pios. Maximè licita est, & laudabiliter recitatur in Mari, quando præsertim navigatio diuturna est, nec possunt navigantes è Navi descendere ad litus; & ob id appellatur, ut supra, Missa Navalis: Introducta præcipuè in hunc finem, & ob eumdem finem à Superioribus concessa, ut constat ex quodam *Libro Sacerdotali*, quem dicunt approbatum à *Leone Decimo*, quemque testatur *Navarr. Miscell.* 89. *cit.* se vidisse, sibique monstratum, *à Sacri Palatii Magistro Fr. Paulo Constabili*. Vide præter Doctores citatos, etiam *Thomam Hurtadum par.* 1. *resolut. Moralium tract.* 7. *cap.* 7. *à n.* 312. *usque ad* 320. *inclusivè*, in quo cum *Sylvio* 3. *par. quæst.* 83. *art.* 2. *qu.* 2. rationabiliter concludit, *Ubi non est consuetudo dicendi tales Missas Siccas, nullatenus esse introducendas, aut dicendas. Ubi autem est consuetudo, permitti posse*.

1037 Qualiter autem ordinanda sit Missa Sicca? *Navar. Miscell.* 89. *cit.* & 90. ex *cit. Libro approbato à Leone X.* tradit modum per extensum, recitando integra verba ejusdem Libri, spectantia ad ordinem, & ritum dicendi illam, videatur: *P. Quartus dub.* 4. *cit. sub Vers. Secunda difficultas*, brevius procedendo, ordinandam esse ait (ex eodem Libro) ut sequitur: *Qualiter ordinari debeat Missa Sicca?* Respon. Quo ad ea, quæ recitari debent. Inchoari debet Missa Sicca à *Confessione*, ut moris est in Missa propriè dicta, & reliqua omnia dici possunt cum *Gloria*, & *Credo*, juxta qualitatem Missæ usque ad Offertorium inclusivè, idest, usq; ad Versiculum post Evangelium, vel Credo. Deinde aliis omissis, dicuntur Orationes Secretæ, & post eas *Præfatio*, post *Præfationem* dicitur immediatè *Oratio Dominica*, & *Agnus Dei*. Tandem dicto Versiculo, qui dicitur Communio, Sacerdos dicit Orationes post Communionem. Et data benedictione, Evangelium Sancti Joannis. Ita colligitur *ex dicto Libro Sacerdotali*, quem approbat *Navarr. Miscell.* 89. *citans etiam Durandum*, &c. & districtè explicat *Burvardo ab Argentina de Ordine Missæ, Cap. de Missa Sicca*. Hactenus *P. Quartus*. Qui duo hic præterea advertit: Unum est, dicendas non esse Orationes post Communionem, in quibus fit mentio de Sacrificio oblato, vel de Sacramento percepto. Ex. gr. *Refecti cibo, potuque Cœlesti*, &c. ne significatio fit falsa, ut bene advertit etiam *Navarr. Miscell.* 90. *in fine*. Sed omittenda esse illa verba, vel commutandas esse Orationes cum aliis proportionatis ex Missali, juxta Missæ qualitatem. Et idem dicendum de Orationibus Secretis, in quibus fit mentio de Sacrificio offerendo. Alterum est; nullum esse peccatum omittere partem aliquam hujus Missæ Siccæ, ver. gr. Epistolam, vel Præfationem, &c. quia non cadit sub Præcepto, neque Missa ipsa, neque pars ulla ejusdem, neque tenentur fideles in Festis de Præcepto illam audire, ut docent *Fagund.*, *Lezana*, & alii supra, etiam si Missam veram audire non possint. Potest autem hæc Missa celebrari etiam à non jejuno, & qualibet hora, & pluries etiam eodem die ab eodem recitari, cum non sit verum Sacrificium, nec subjaceat legibus præscriptis in ordine ad verum Sacrificium. Hinc

1038 Omitti debent in Missa Sicca. *Primo*: Oblatio panis, & vini, cum Orationibus ad eam pertinentibus. Imò neque debet esse in loco Missæ panis, aut vinum: omittitur etiam Oratio: *Suscipe Sancta Trinitas hanc Oblationem*, cum *Orate Fratres*, quia hæc omnia pertinent ad verum Sacrificium offerendum. *Secundò*: Omittitur totus *Canon*, cum cæremoniis, & signis, quæ in eo fiunt, ob eamdem rationem. *Tertiò*: Tandem non fit communio, quia nec adest Corpus Christi; ita *Durandus*, *Navar.* & *P. Quartus* cum ipsis, & aliis. Quo verò ad apparatum, erigitur quidem Altare cum suis ornamentis, non tamen necessaria est Ara lapidea, vel consecrata: possunt etiam adhiberi lumina, Missale, & alia similia. Quo ad vestes Sacerdotales, potest Sacerdos altero è duobus modis uti, nempè, vel recitare hanc Missam cum superpelliceo tantum, & Stola; vel saltem absque Casula, seu Planeta, quod est magis conforme *Libro Sacerdotali* supra citato. Vel potest etiam hanc Missam recitare indutus omnibus paramentis Sacerdotalibus, ut ex *Durando*, refert *Navar. Miscell. c.* 88. nam eisdem utuntur Sacerdotes in aliis functionibus Sacris, hæc omnia ex *P. Quarto*, & iste ex aliis D. D. apud quos alia plura.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Sacerdos, qui per inadvertentiam naturalem, errorem, vel ignorantiam invincibilem consecravit in Missa solum panem, excusatur à culpa, & sacrilegio. Quid postea facere debeat agnita propria ignorantia?

1039 Sacerdotes consecrare debere utramque speciem in celebratione Missæ ex Christi institutione, & Jure Divino,

Divino, satis conclusum est in præcedenti Privilegio, & quod consecrare directè, & ex proposito unicam tantum speciem maximum esset lethale, ac sacrilegium, à quo tamen (dicit præsens Privilegium) excusaretur Sacerdos ille, qui per inculpabilem, & invincibilem, ac naturalem inadvertentiam, errorem, & ignorantiam, unicam tantum speciem consecravit. Quod accidere potest, inquit *Suar. to. 3. in 3. par. disp. 43. sec. 4. Vers. Dico ergo primo*, sub sequentibus verbis (quæ sunt ad litteram, ut patet, Privilegium propositum:) *Interdum accidere potest, ut sine ullo peccato in una tantum specie conficiatur hoc Sacramentum, non propter dispensationem, vel interpretationem Præcepti, sed propter impotentiam physicam, vel moralem implendi illud. Hoc per se constat, quia ex ignorantia in primis, vel inadvertentia inculpabili accidere interdum potest, ut aliquis non ponat vinum in Calice, sed aquam, atque ita consecret solam materiam panis, &c.* prærer *Suar.* huic eidem Privilegio, verbis æquivalentibus, subscribunt *Azor. par. pr. lib. 10. cap. 19. quæst. 3. Vers. Major, & alii, in princip. Reginald. in Praxi to 2. lib. 29. cap. 2. de mat. Sacrament. Eucharist. par. pr. ejusdem cap. n. 14. in princip. fol. mihi 584. Fagund. Præcep. pr. Ecclesiæ lib. 3. cap. 5. n. 10.* & plures alii, quos refert, & sequitur *P. Diana to. 2. Coord. trac. p. ref. 236. ex par. 10. tract. 12. & Miscell. 2. resol. 14.*

1040 Quid autem facere debeat dictus Sacerdos, postquam deprehendit esse aquam in Calice? Quàmprimum hoc advertit, debet supplere defectum, ait *Suar.* citatique D. D. quia tamen (addunt iidem) accidere potest casus, in quo postquam Sacerdos deprehendit non esse vinum in Calice, non reperiatur aliud vinum, vel certè, ut non possit queri sine magno scandalo, aut sine evidenti periculo vitæ: tunc non obligabitur, cum tanto detrimento ad quærendum illud; quia non est verisimile, præceptum hoc obligare cum tanto discrimine: eo magis, quia in tali casu; formaliter, & humano modo loquendo, dictus Sacerdos non consecrat in una specie; sed permittit (ut in præcedenti Privilegio) unam speciem solum manere consecratam, & omittit aliam, quia moraliter non potest illam habere. Et sicut ex communi omnium sententia (arguit *Suar.*) licet Sacerdos teneatur utramque speciem conficere, & sumere in Sacrificio, nihilominus si post consecrationem Calicis intelligit in eo esse venenum, non tenetur illud sumere, quamvis non possit fortasse vinum aliud consecrare, pari ratione, si in nostri Privilegii casu non poterit Sacerdos quærere vinum, nec habere sine vitæ periculo, vel sine gravi scandalo (quod non est inferioris considerationis) non tenebitur quærere.

1041 An verò ex dicta Missa, in qua Sacerdos consecravit panem absq; vino, possit ipse recipere consuetum stipendium? Negativè sentio, cum *Diana Coord. tract. 1. c. ref. 229. n. 6. ex par. 10. tract. 16. & Miscell. 6. ref. 63.* Quia dantes stipendium, volunt applicationem Sacrificii integri, non manchi; nam si dantes stipendium pro Sacrificio, scirent illud esse mancum, non integrum, utiq; illud non probarent, dant enim stipendium certum pro tanto fructu certo, quod sequitur ex Sacrificio perfecto, hoc est sub utraque specie consecrationis oblato, & non aliter.

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Sacerdos carens Hostia grandiori, quam consecret, & exponat populo in Oratione quadraginta horarum post prandium, sumens ipse particulam parvam è Sacrario, seu Pixide, ex præconsecratis ab alio Sacerdote, asservans verò in eodem Sacrario grandiorem, ab ipsomet consecratam ad illam post prandium in Oratione exponendam, à mortali excusatur, si ex ignorantia invincibili id præstet.

1042 Casus iste, seu Privilegium, sub variis terminis proponi potest, variis inquam, sed omnibus sub eadem omninò resolutione solvendis, quod unusquisque videlicet in se, & ex se contineat sacrilegium mortale, nisi ignorantia excuset. Nam *Primo, Henriq. lib. 9. de Missæ Sacrific. cap. 9. n. 2. in fin.* proponit, ut sequitur: *Si Parochus carens pane quem consecret, ostendat populo Hostiam Sacrarii pridem consecratam (quamvis eam elevaret frangeret, & sumeret etiam sub utraque specie, ea intentione, ut populus audiret Missam in festo) non est Sacrificium, quod aliis prosit ex operato:* Igitur lethaliter peccat talis Parochus sic celebrando. *Secundo, Card. de Lugo de Eucharist. disp. 19. sect. 5. sub num. 76. Vers. Denique ex his.* Idem ferè, sed sub alia formalitate proponit, dicendo: *Sacerdotem in Missa non sumere, quidquam ex Hostia quam ipse consecravit, sed illam in Sacrario servare; & sumere solam Hostiam, quæ antea in Sacrario erat, quod aliqui* (apud ipsum) *concedunt fieri posse, absque tamen illius auctoritate, afferentes solum usum (melius*

dixissent abusum) ex ignorantia quorumdam Parochorum, qui ita faciunt: est contra sensum Ecclesiæ, & omnium Doctorum. Ergo sic Ministrans, peccat mortaliter (quod nervosè probat *c. Card.*) quando non excusat ignorantia ipsa. *Tertio, Diana Coordin. tom. 2. tract. 1. res. 134. in princip. Ex par. 5. trac. 13. Miscell. 1. res. 96. & Gobat in Alphabeto Sacrificant. Casu 23. & ult. nu. 833.* faciunt propositionem sub iisdemmet verbis, ut sequitur: *Quidam Sacerdos in ultima Missa oblitus est consecrare Hostiam exponendam post prandium in Oratione quadraginta horarum; quæsitum fuit, an dictus Sacerdos potuisset sumere particulam è Sacrario ex præconsecratis ab alio Sacerdote, & Hostiam ab ipso consecratam conservare ad effectum publicè illam exponendi postea. Supposito quod non esset ultra tempus celebrandi aliam Missam.* Et licitè hoc fieri non posse uterque resolvit (ob rationes de quibus infra.) Igitur illicitum, nisi excuset ignorantia. *Quarto*, Eandemmet propositionem (sed sub aliqua distinctione) facit *Tambur. in Methodo celebrandæ Missæ, lib. 2. cap. 8. §. 8. n. 17. Licet ne* (ait) *Sacerdoti assumere Particulam parvam, & grandiorem conservare in Pixide, ad illam v.g. exponendam in Oratione quadraginta horarum, si fortè alia grandior haberi ad hunc finem non possit? Distinguendum est. Vel enim hic Sacerdos consecravit in ea Missa, tum Particulas parvas, tum Hostiam grandiorem. Vel solum consecravit ipsam majorem, inveniuntur tamen parvæ præconsecratæ in alia præcedenti Missa. Si primum, licet Sacerdoti parvam sibi sumere, & majorem conservare. Si posterius, non licet. Ratio est, quia Sacerdos debet communicare de suo Sacrificio. Nam, ut habet Textus, Cap. Relatum 11. de Consecrat. distinct. 2. (Quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse cognoscatur?) quod facit in casu priore, non verò in posteriore. Hinc aliqui Parochi, dum renovant Eucharistiam, si consumunt Hostiam ab alio consecratam, eam verò, quam ipsi consecrant, reponunt in Sacrario, ritè nequaquam faciunt, suntq; ab Episcopis; & Doctoribus corrigendi.* Corrigendi inquam, nedum quia nequaquam id ritè faciunt, verum etiam qui sic faciendo, peccant mortaliter, nisi eos excuset ignorantia, ut in proposito Privilegio. Quod ponit etiam, & approbat *Fagund. Præcepto pr. Ecclesiæ lib. 3. cap. 4. n. 27.* sub sequentibus: *Si Sacerdos carens Hostia, quam consecret, ostendat populo Hostiam Sacrarii pridiè consecratam, quamvis elevet, frangat, ac sumat, etiam sub utraque specie, ea intentione, ut populus audiat Missam in festo, non est Sacrificium, quod aliis prosit, & peccabit mortaliter, nisi ignorantia excuset, & tenebitur populus audire aliam Missam.* Igitur ex his verum nostrum Privilegium.

1043 Cur autem Sacerdos se gerens in celebranda Missa, ut in recitatis casibus, vel aliis, si qui sunt similibus, peccet mortaliter, quando ignorantia illum non excuset. Ratio est præcipua (quam etiam adducit *Jo. Præpositus in 3. p. D. Thom. qu. 83. art. 1. dub. 7. n. 50.* quamque innuit *Card. de Lugo Vers. c. in fine.*) Quia Sacerdos celebrans debet sumere Hostiam, quam in suomet, eodemque sacro consecravit, sive etiam aliam sumat, sive non; quia sumptione sola Hostiæ, in eo Sacrificio consecratæ ostendit, se illi Sacrificio consentire: nullo verò modo sumendo Hostiam præconsecratam, quæ impertinenter se habet ad hoc Sacrificium. Actio enim, in qua ratio Sacrificii ponitur, est consecratio ad sumptionem ordinata; & debet eadem victima consumi, quapropter jura non solum dicunt, Sacerdotem debere participare in Missa de hoc Sacramento, sed debere participare de eodem Sacrificio: Unde in *Concil. Tolet. 12. c. 5.* relato in *Cap. Relatum 11. de Consecr. distin. 2.* dicitur: *Quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse cognoscitur?* Adde cum eodem *Card. Vers. cit.* Ex *Rubricis Missalis.* Sæpius haberi, si post consecrationem acciderit species sanguinis omninò effundi, aut in ipsis, vel in Hostia venenum apparere, Sacerdotem debere aliud vinum, vel aliam Hostiam consecrare quam sumet: at hoc nec necessarium esset, nec licitum, si ad Missæ integritatem sufficeret consecratio, & sumptio utriusque speciei, sive sumantur, quæ tunc consecrata sunt, sive quæ in alia Missa consecrata fuerunt: Sufficeret enim in illis casibus sumere unam Particulam consecratam ex sacrario: vel etiam (si sanguis effusus fuisset) sufficeret ex alio Altari accipere ab alio Sacerdote celebrante partem ex Calice, & cum illa (& Hostia pariter præconsecrata) prosequi Missam inceptam, & sic consummare Sacrificium (si sufficit consecratio, & sumptio Sacramenti aliàs consecrati) & si hæc sufficit, ergo non potest in casu posito, secunda consecratio adhiberi, quia non potest hæc absque gravi sacrilegio adhiberi, nisi quando necessaria est ad perfectionem Sacrificii. Male ergo (si sic est) præcepit Ecclesia, ut in dicto casu, vel dictis, iterum consecretur: nihilominus, Theologi omnes (concludit *de Lugo*) nemine excepto, necessarium esse dicunt alias species

cies

cies consecrare, quia debet eadem victima consumi. Ergo, &c.

1044 Si tamen in aliquo casu deficeret quidem omninò grandior Hostia, sed supperteret parva particula, posset ne Sacerdos hanc adhibere ad Sacrificium, maximè si sit Parochus ruri existens, ut suus populus in die festo audiat Missam? Respondeo affirmativè. Ratio est, quia nullum adest præceptum in contrarium: nec ullam esse constat consuetudinem (ut obligantem) de consecranda Hostia majore, vel minore, cum utrobique Sacrificium æquè perficiatur. Quod si offensio aliqua simplicium imperitorum quandoque timeatur, facillimè instrui poterunt de rei veritate. Ita etiam *Thom. Tambur. §. 8. c. nu. 16.* Ubi supponit talem celebrationem fieri posse etiam in die non festo, nullaque existente causa præter Sacerdotis privatam devotionem. Et ante ipsum, idem docuit *Jacob Marchantius Resolutionum Pastoralium tract. 4. c. 5. n. 6. Vers. Quantum ad materiam*, ibi enim sic: *Si haberi major Hostia non possit, an ex minoribus liceat adhibere? Respondeo in Missa privata, & secreta id fieri posse, cum non inveniatur præceptum in contrarium: gratiusque videri Deo sic celebrare, quam non celebrare, licet non sit festus dies, maximè si non sit periculum de scandalo, tunc enim, id etiam urgente causa publicè fieri, nihil vetaret*, ita *Marchantius*, prosequens sic immediatè.

1045 Quidam Parochus ob defectum majoris Hostiæ consecravit in sua Missa parvam particulam, timens autem populi scandalum, aut murmur, dum minorem Hostiam consecrasset, elevavit ob suam cautelam Hostiam majorem præconsecratam, quæ in Pixide asservabatur, ut exponeretur populo in die solemni, seu pro Oratione quadraginta horarum. Quæritur, an id ritè, & prudenter factum fuerit? *Marchantius* ipse respondet, negando id esse ritè gestum. Cum enim (inquit) debeat in Missa exhiberi populo adoranda eadem Hostia, quæ in eademmet Missa consecratur, & offertur, talis prædicti Parochi cautela approbanda non est: additque, *Melius tamen meo judicio fecisset, si & majori illi Hostiæ alteram parvam per illud Sacrificium consecratam simul adiunxisset, quod facilè fieri poterat, exhibendo utramque adorandam. Sic enim satisfaceret cæremoniæ huic Sacræ, qua Hostia Sacrificii hujus, populo ad adorandum exhibenda præcipitur.* Verum si *Marchantio* cautela dicti Parochi (& meritò) non arridet, nec *Tambur. l. c. n. 22.* placet hæc posterior *Marcantii*, putans neque hanc, neque illius Parochi anteriorem cautelam esse approbandam. Uti postea, *seq. n. 23.* omninò reprobat (quod facit etiam *Gob. l. c. n. 837.*) factum cujusdam Parochi, cui cum deesset Hostia grandior consecrata exponenda pro Oratione quadraginta horarum, usurpavit non consecratam, affigendo illi parvam particulam consecratam, & ita simul exposuit, ne scilicet parva formula in sphærula appareret populo, qui Parochum de negligentia reprehendisset. Reprobat inquam *Tambur.* (& meritò) hujusmodi factum (nullo modo probandum) ob periculum idololatriæ, quamvis materialis, cum fideles adorent totum illud, quod expositum est per modum unius, quod non licet. Ut in simili docet *Card. de Lugo de Sacrament. disp. 8. sect. 11. nu. 188.* de Ministrante peccatori occulto Particulam non consacratam, quod nec licitè: Communiterque hoc etiam reiicitur (ait *de Lugo*,) & ob eamdem rationem, ob periculum videlicet idololatrię saltem materialis. Nam in ipsomet actu sumendi à peccatore talem particulam non consecratam, aliqui adorabunt illam, etiam si non videant. Præterea, ipsemet actus sumendi illam reverenter, est actus Religiosus, & externus quidem cultus, qui non solet, nec debet, nisi veræ Eucharistiæ exhiberi, unde est adoratio quædam saltem externa, & reverentia, quam sumens, exhibet exterius illi Hostiæ, quam sumit. Pariter Sacerdos dum eamdem particulam non consecratam Religiosè ministrat, saltem exterius videtur illi exhibere sacrum cultum veræ Eucharistiæ debitum, quæ actiones externæ etiam reverentiæ, & cultus circa Hostiam non consecratam vitari debent, nec licent. Hactenus *de Lugo*, hic obiter relatus in confirmationem eorum, quæ, pariter hic referimus contra prædictum Parochum exponentem pro Oratione quadraginta horarum, Hostiam non consacratam affigendo particulam parvam consecratam. Quod factum à nemine uti rectum, vel licitum approbari potest (bonam mentem ad summum prædicti Parochi excusandam, eo maximè quia in repentinis non semper vacet locus, ac cognitio pro veritate indaganda, juxta quam operetur) evidens enim est in hujusmodi facto probabilitas periculi idolatrandi saltem materialiter in adorantibus eam totam materiam, quam fideles expositam contuentur: non est autem licitum aliquem inducere, seu exponere periculo idolatrandi, ut communiter D. D. Et ad hunc eumdem casum, optimè faciunt verba *Thom. Tamburini*

burini in Methodo Expeditæ Celebrationis Missæ lib. 2. *cap.* 8. *§.* 8. *n.* 23. quæ sunt sequentia. *Illud certè probandum nullo pacto est, quod quidam Parochus, dum ei Hostia grandior consecrata non suppeteret, ad eam exponendam in Oratione quadraginta horarum, imprudenter egit. Parvam enim consecratam Hostiam, affixit Hostiæ grandiori non consecratæ, & ita simul exposuit, ne scilicet parva formula in sphærula appareret populo, qui Sacerdotem de negligentia præparandi majorem reprehendisset. Hoc, inquam, non est probandum, quia esset periculum idololatriæ, quamvis materialis (cum fideles adorent totum illud, quod expositum est per modum unius) quod nullo modo licet*. Hinc claré infertur, illicitam esse talem expositionem, seu fictionem. Verum

1046 Quia quandoque casus accidere potest, quod grandior Hostia consecrata deficiat, & solum parvulæ consecratæ habeantur, & tempus urgeat, instetque exponendi (post Vesperas v. gr.) quid ergo fiet in tali eventu? *Cassianus à S. Elia in Examine Centum Historiarum Decisione* 21. *n.* 19. Respondet: Si circumstantiæ tales concurrant, ut eis attentis, nec non, & populi qualitate, ac multitudine jam congregata, omninò expositio sit facienda, taliter, quod non omnes possint præmoneri, tunc propter scandalum pusillorum inter prudentes existentium, expediet Hostiam magnam componere cum parvulis Hostiis consecratis, ut totum, quod exponetur, sit materia consecrata, & sic Idololatriæ etiam materialis non erit periculum: ita *à S. Elia l. c.* Verum esset, & periculum etiam Idololatriæ materialis abesset: Si dictæ particulæ inter se se componerentur (sejunctæ à qualibet materia, & Hostia non consecrata) ut efformarent seipsis, ita unitis sphæram unius grandioris Hostiæ. Quia tamen hoc difficulter sortiri potest, saltem bene; & fortasse unquam absque aliqua irreverentia, & indecentia, maximè si non aqua munda, sed saliva ad illas parvas formulas uniendas uteretur; ideò. Dico in tali casu consultius esse omittere expositionem, si commodè potest omitti. Nam, quæ admiratio, maximè apud prudentes, quod scandalum, quod excidat mente præparatio talis Hostiæ? Moneantur omnes de oblivione, vel de inadvertentia Sacerdotis, & quod scandalum ex hoc acceperint sunt? Et si commodè expositio omitti nequit (maximè ob devotionem populi enixè expectantis) pro illa vice Pyxis, seu Ciborium, in quo sint particulæ consecratæ (saltem una) exponatur. (& cum eadem luminum, &c. Solemnitate) quæ expositio non est nova in Ecclesia Dei, imò in usu, ut constat, etiam in Cathedralibus, & Collegiatis, nec ullam habet, vel habere potest oppositionem, aut contradictionem.

PRIVILEGIUM QUINTUM

Ex ignorantia (item ex perturbatione mentis) committens in celebratione Missæ aliquem errorem, etiam gravem, excusatur à culpa mortali.

1047 Ponit hoc idem Privilegium ad verbum *Gobat in Alphab. Sacrificant. casu* 23. *& ultimo n.* 845. ibi enim sic: *Pro consolatione tua, nota singulariter ex Escobar lib. pr. Examine* 11. *nu.* 92. *& Tambur. lib.* 2. *cap.* 5. *§.* 2. *nu.* 30. *Quando ex ignorantia, vel perturbatione committis in Missa aliquem, etiam gravem errorem, procedens tamen cum bona fide, non imputari tibi ad culpam mortalem, videlicet ob defectum sufficientis libertatis. Si tamen ignorantia sit habitualis, teneris sub mortali dare operam, ut eam emendes.* Accedunt Tamburini verba, quæ *n. c.* sunt sequentia: *Nec scrupulosè te geras, nam quodocumque, bona fide, in illa perturbatione facias, coram Deo factum bene censebitur. Imò hæc est universalis doctrina, in similibus perturbationibus, etiam in rebus gravissimis, atque adeò etiam in Missæ substantialibus, quam tradit ex Navarr. & Sylvio. Diana p.* 2. *trac.* 14. *res.* 70. *in fine. Et ratio esse potest, quia ea, quæ bona fide fiunt in illa perturbatione, non præsumuntur ita deliberatè facta, ut saltem ad mortale pertingant.* Et si ad mortale non pertingunt, quæ bona fide fiunt in dicta perturbatione, multò minus ad idem mortale pertingent, quæ fiunt ex ignorantia invincibili, cum hæc per omnes auferat voluntarium, ignorantiæ oppositum. Hinc optimè ait relatus *Navarr. in Man. cap.* 25. *n.* 91. *Si quis ignorat Præceptum Ecclesiæ, quo qui celebrat, tenetur sub utraque specie consecrare, & sumere: aut inopinato casu perturbatus non suscipit, nec consecrat vinum, non peccat ob id mortaliter, juxta Adrianum.* Cui sententiæ, seu Privilegio subscribens *P. Diana l. c. & in to.* 2. *Coord. tract.* 1. *res.* 235. *n.* 5. ait: *Notandum est cum Navar. & Sylv. in* 3. *p. qu.* 80. *ar.* 8. *casu* 2. *quod Sacerdos non peccaret mortaliter, si inopinato casu perturbatus, non susciperet, nec consecraret vinum, &c.* Et his addo *P. Pasqualig. de Sacrif. Missæ to.* 1. *tract.* 1. *q.* 47. *n.* 4. ubi sic: *An Sacerdos peccaret, si omitteret consecrationem alterius speciei, quando reperiret, materiam*

conse-

ſecrandam non eſſe promptam, & ita mente per-
baretur, ut non conſideraret, quod eſſet procu-
da materia pro conſecratione alterius ſpeciei?
pondeo cum Præpoſito 3. par. qu. 83. art. 1.
. 8. n. 56. Verſ. Reduco 3. Quod excuſare-
ſaltem à mortali, quia perturbatio mentis
ratur, quod omiſſio conſecrationis alterius ſpe-
non ſit deliberata, atque adeò imputabilis;
d etiam dicendum eſt, ſi Sacerdos bona fide
aret, ſe tunc non teneri ad procurandam
teriam pro conſecratione alterius ſpeciei. Quid
tem facere debeat Sacerdos, qui ex per-
rbatione mentis (vel etiam ex deficientia
ateriæ pro conſecratione alterius ſpeciei)
n conſecravit? Vide Rubricas Miſſalis Ro-
ani Tit. de Defectibus in Celebratione Miſſa-
m occurrentibus: eumdem P. Paſqualig. à
4. c. Gavantum in Rubricas Miſſalis par. 3.
t. 10. de defectibus in Miniſterio ipſo occur-
ntibus: P. Quarti in Rubricas Miſſalis par.
. tit. 3. ſec. 2. de ſupplendis defectib. dub. 1.
. 3. 4. & 5. & toto tit. 4. ejuſdem Partis 3.
& etiam tit. 5. Averſam de Eucbariſt. qu. 11.
ec. 16 & alios agentes de defectibus ſupplen-
lis in Miſſa fortè occurrentibus. Et inſuper,
n qui ex perturbatione mentis (vel ex de-
ficientia materiæ, aut alia de cauſa) alte-
ram tantum, & unicam ſpeciem conſecra-
vit, poſſit pro illa Miſſa accipere, vel re-
tinere acceptum ſtipendium? Salvo melio-
ri judicio, reſpondeo affirmativè in opinio-
ne eorum, qui ſuſtinent in qualibet ſpecie
per ſe ſumpta, ſeu in qualibet ſigillatim,
perfectam, & completam rationem Sacri-
ficii inveniri: Quia in qualibet ſpecie ſeor-
ſim, ac per ſe ſpectata apparet, quicquid
eſt de ratione eſſentiali Sacrificii, cum ſub
qualibet offeratur totus Chriſtus; & in
qualibet reperiatur tota definitio Sacrificii,
oblatio videlicet, immutatio victimæ, &c.
conſequenter ſub qualibet ſpecie reperiatur
eſſentialis Sacrificii ratio, ita ut conſecra-
tio utriuſque ſpeciei ſpectet tantum ad in-
tegritatem Sacrificii: cujus ſententiæ ſunt
(ut videre eſt apud Averſam de Eucbariſt.
qu. 11. de Sacrificio Miſſæ. Paſqualig. to. &
tract. cit. qu. 44. n. 3. & alios) Caſalius de
Sacrific. Miſſæ lib. 2. cap. 25. Henriq. lib. 9.
Summ. cap. 9. nu. 10. Nugnus 3. par. qu. 83.
art. 1. par. 2. diffic. 2. concluſ. 4. Bonac. qu.
ult. de Euchar. punct. 2. n. 7. Pitignanus in 4.
diſt. 13. qu. 2. art. 3. Marchin. de Sacram. Or-
dinis tract. 2. par. 2. cap. 1. n. 15. Gabriel à
S. Vincentio de Sacram. diſput. 1. de Sacrific.
Miſſæ qu. 6. Verſ. Noſtra ſententia, aliique.
Cum igitur juxta horum Doctorum ſen-
tentiam, etiam in Miſſa in qua unica tan-
tum ſpecies conſecratur, ſalvetur eſſentia-
lis ratio Sacrificii, pro ipſa quoque (proba-
biliter) ſecundum eamdem ſententiam acci-
pi poterit, retinerique ſtipendium: quod

1048 Negandum probabiliter cenſeo
[ſalvo item meliori judicio] in opinione eo-
rum, qui ſentiunt, conſecrationem utriuſq;
ſpeciei eſſe de eſſentia Sacrificii Miſſæ: hi
ſunt D. Tho. par. 3. qu. 76. art 2. ad 1. &
qu. 80. art. 12. ad 3. Sebaſtian. Perez de Sa-
crific. Miſſæ cap. 14. Alan. lib. 2. de Sacrific.
cap. 719. & 20. Valent. to. 4. dſp. 6. qu. 8.
punct. 5. §. 6. Verſ. Eſt enim obligatio. Suar.
diſp. 75. de Eucbariſt. ſect. 6. Verſ. Dico ſe-
cundò. Bellarmin. lib. 4. de Euchar. cap. 22.
propoſ. 2. Præpoſitus. Sylvius. Granad. Caſpen-
ſis. Gaſpar Hurtad. Palaus. Averſa. Coninch.
Lugo Card. Fagund. Meratius. Franciſ. Lugo,
quos omnes refert P. Paſqualig. quæſt. c. 44.
n. 5. apud quem etiam habes hujus opinio-
nis ſolida fundamenta. Quoniam autem
conferens ſtipendium pro Miſſa celebran-
da, vult, atque intendit habere integrum
Miſſæ Sacrificium, pro ut eſt tale, quod
ſecundum hanc ſententiam eſſentialiter re-
quirit utriuſque ſpeciei conſecrationem, &
pro integro hoc, & tali Sacrificio tribuit
eleemoſynam, hæc recipi, vel retineri ne-
quit, quando Sacerdos utramque ſpeciem
non conſecrat, nec celebrat totam, talem-
que requiſitam Miſſam.



CAPUT

CAPUT XXIV.
DE PRIVILEGIIS
IGNORANTIÆ
CIRCA SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS.

1049 Xtrema Unctio est verum novæ legis Sacramentum, immediatè à Christo Domino institutum, ut unanimis Catholicorum contra varios hæræticos; & est fidei articulus, definitus à *Trident. sess. 14. de Extrema Unctione Can. p.* & eodem *Concilio* teste ibidem, promulgatus à *S. Jacobo Apostolo in Epist. Canonica Cap.* 5. sic loquente: *Infirmatur quis in vobis, inducat Præsbiteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & Oratio fidei salvabit infirmum, alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*. Extrema autem Unctio nuncupatur, quia Unctio inquam est, olei benedicti, quæ Infirmo in extremis posito confertur à Sacerdote sub certa verborum forma ad succurrendum ejus lassitudini in anima; & suo modo in corpore. Extrema insuper Unctio dicitur, nedum quia in extremis posito pro solatio exhibetur, verum etiam quia inter Sacras Unctiones, quas homo recipit vitæ decursu ab Ecclesia, solet esse postrema. Primam enim recipit in Baptismo: Secundam in Confirmatione: Tertiam in collatione Ordinis Sacerdotalis: Ultimam, quando eidem, ut extremè de vita periclitanti administratur Sacramentum hoc Extrema Unctionis: De quo cum circa ejusdem ignorantiæ privilegia (subjectum unicum, unicumque objectum hujus nostri tractatus) nil aliud specialius ponendum occurrat, tantum sit

PRIVILEGIUM UNICUM.

Ignorantia invincibilis Sacramenti Extremæ Unctionis, excusat, & excusatur à peccato.

1050 Sequitur omninò Privilegium hoc *ex Privileg. p. præcedent. Cap. xxj.* ut legenti, & consideranti patebit; & iisdem auctoritatibus, ac rationibus firmatur: Videantur.

CAPUT XXV.
DE PRIVILEGIIS
IGNORANTIÆ
CIRCA SACRAMENTUM ORDINIS.

1051 Rdinis nomen amplum valdè est, & in universum significat habitudinem, seu respectum quendam unius ad alterum, prioris, & posterioris: in rigore tamen latini sermonis usurpatur ad denotandum inter homines certum statum, seu gradum personarum in Republica: sic enim dicitur Ordo Senatorius, Ordo Equestris, & similes. Hinc etiam deductum videtur ad significandum certum statum, & gradum personarum in Ecclesia, qui dicitur Ordo Clericalis, nempe ministrorum, qui deputantur ad res divinas, & Sacras: sicque in præsenti Capite sumitur Ordo, ut significat signum, seu certum ritum, aut externam cæremoniam qua confertur homini gradus dignitatis, & officium in Ecclesia, seu qua consecrantur tales ministri, eisque datur moralis potestas ad exercen-

exercendas sacras functiones, præcipuè verò ad perficiendum Sacrosanctum Eucharistię Sacramentum. Actio qua prædictus gradus, dignitas, seu officium, ac potestas confertur, dicitur Ordinatio. Et hæc est propriè Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, ut definitum habetur in *Concil.* tum *Florent. in Decreto Eugenii*, tum *Trident. sess.* 23. *de Sacram. Ordinis can.* 3. per hæc verba: *Si quis dixerit Ordinem, sive Sacram Ordinationem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, &c. anathema sit*.

1052 Septem numerantur Ordines, Præsbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui dicuntur Ordines majores: Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii, qui dicuntur Ordines Minores. Episcopatus sub Præsbyterio tanquam perfectum Sacerdotium continetur. Prima Tonsura non est Ordo, sed præparatio quædam ad illum. Omnes autem Ordines unum Sacramentum constituunt, cum ad eundem proximum finem conferantur, nimirum ad Missæ sacrificium, ad quod majores proximè concurrunt, minores verò remotè. Singulis sua munera tributa sunt, singulisque Sacramenti ratio communis: de quo ad rem nostri tractatus sit

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Qui ante ætatem Canonicam bona fide ordinatur, excusante ignorantia non peccat.

1053 Nullus ordinandus est ante debitam, & præscriptam ætatem: singulis autem Ordinibus præscribitur ætas, ut sequitur: Ad Coronam (ut vocat *S. Thomas*) seu Primam tonsuram, requiruntur septem saltem anni expleti, *cap. Nullus junct. Gloss. Verb. Infanti de temp. ordin. in* 6. Et post septennium potest tam hæc conferri, quam quatuor Minores scientibus legere, & scribere, quia circa hos nihil disposuit *Concilium Trident. mox cit.* nihilq; innovavit (ut notat etiam *Pax Jordanus Vol. p. libr.* 3. *Tit.* 6. *nu.* 204. ob id addens, *circà eosdem Minores servanda esse jura antiqua, nimirum, cap. in singulis cum seqq. D.* 77. *& dictum Cap. Nullus*) ad Subdiaconatum, requiruntur viginti duo anni inchoati. Ad Diaconatum, vigintitres inchoati. Ad Presbyteratum, viginti quinque inchoati. Ita ex nova dispositione *Conc. Trident. sess.* 23. *c.* 12. per quod corriguntur multi Canones antiqui super hac ætate disponentes, ut notissimè D. D. Anni autem computantur juxta consuetum Ecclesiæ morem, videlicet dierum 365. sive inciderit bisextus, sive non, quia de illo non curatur, ut videre est apud *Bonac. to. pr. de Sacram. Ordinis disp.* 8. *qu. unica punc.* 5. *n.* 14. *Jordan. l. c. n.* 206. *Barbosam de Potest. Episcopi p.* 2. *Allegat.* 16. *nu.* 2. & alios penes ipsos. Et sufficit ad singulos Ordines per unum medium diem, annum necessarium à *Trident.* præscriptum inchoatum fuisse: idem *Barbosa l. c. n. p. Bonac. l. c. n.* 12. *Coninch de Sacram. disp.* 20. *dub.* 10. *conclus.* 5. *n.* 102. & communiter D. D. Regula enim juris est (ait *Barbosa n. c. p.*) quod sive agatur de materia favorabili, sive odiosa, vel pœnali, ubicumq; requiritur ætas ad aliquem actum vel exercitium, sufficit attigisse primum diem ultimi anni, quia annus cœptus habetur pro completo: Vide *Navarr. in Man. cap.* 25 *n.* 116. *& Sanch. in Conf. to.* 2. *lib.* 7. *cap. pr. dub.* 33. cum quibus concors est D.D. sententia, non esse necesse dictos annos esse completos, sed sufficere esse inchoatos.

1054 Igitur accedere ad dictos majores, & Sacros Ordines ante impletam Canonicam ętatem à *Trident.* præscriptam (absq; legitima Summi Pont. dispensatione) peccatum est lethale, licet validè ordinetur. Et nedum peccat qui ita ordinatur, verum gravissimè peccat ipsemet Conferens Ordines, ante prædictam ætatem, contraveniunt enim sacris Canonibus in re gravi. *Pax Jordanus l. c. n.* 207. & communiter. Si tamen quis ordinetur ante impletam ætatem bona fide: utpotè ob assertionem parentum, vel alia ratione credens probabiliter habere ætatem, cum revera non habeat, is utique non peccat (sicuti nec conferens) ignorantia, seu errore probabili excusante, ut in proposito privilegio; quod expressè, & claris verbis ponunt, *Bonac. l. c. n.* 13. *Vers. Verum qui*. Ubi. *Quod non peccet qui testimonio suorum parentum, bona fide, ante legitimam ætatem recipit Ordines*. *Jordanus l. c. à n.* 206. sic dicens: *Intelligenda sunt prædicta, quando scienter, aut ignorantia peccaminosa, ordinatur ante debitam ætatem; secus quando ignoranter, & deceptus fecisset*. *Patritius Sporer par. p. de Sacramentis cap.* 4. *qu.* 42. *§. p. n.* 262. Ita affirmans. *Si quis bona fide ordinatur ante impletam ætatem, utique non peccat, ignorantia, seu errore probabili excusante*. Et hoc idem ponit *Barbosa Alleg. cit. nu.* 20. ut sequitur: *Qui testimonio parentum, vel sui Superioris bona fide*

ordinatus est ante legitimam ætatem, non remanet suspensus, cum non peccet recipiendo Ordines bona fide. Occasione autem horum verborum sit

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Qui ante Canonicam ætatem bona fide suscipit majores Ordines non peccat, excusante ignorantia, sed nec suspensionem incurrit; neque eosdem Ordines exercendo, irregularitatem.

1055 Quod non peccet, privilegium est antecedens, ex quo hoc alterum sequitur, quod videlicet ob eandem bonam fidem, & ignorantiam sic promotus ad Ordines non incurrat suspensionem ab Ordinum executione, neque irregularitatem eosdem majores Ordines exercendo. Supponit hoc privilegium quod ordinatus ante legitimam ætatem ipso facto maneat suspensus ab ipsius Ordinis exercitio, & si in illo ministraverit irregularitatem incurrat, quod supponunt etiam D. D. communiter, ex *Bulla Pii II. incip. Cum ex Sacrorum:* quam refert ad verbum *Barbosa De Potest. Episcopi par. 2. Allegat.* 17. *n.* 11. in qua expressè sic: *Auctoritate Apostolica hac Constitutione perpetuò valitura statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli, qui absque dispensatione Canonica, aut legitima licentia, sive extra tempora à jure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque dimissoriis litteris, ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerint promoveri, à Sacrorum Ordinum exequutione ipso jure suspensi sint: & si hujusmodi suspensione durante in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.* Loquitur solum *in hac Bulla Summ. Pont. Pius II.* ut patet, & advertunt D. D. etiam idem *Barbosa Alleg. c. n.* 18. de suscipientibus Ordines sacros extra tempora, vel ante legitimam ætatem, aut sine literis dimissoriis, vel cum falsis, quod idem est: non autem loquitur de prima Tonsura, seu de Ordinibus minoribus.

1056 Supponit igitur (inquam) hoc privilegium, quod promotus ad Ordines Sacros ante Canonicam ætatem, absq; legitima dispensatione, ac privilegio, maneat ipso jure suspensus, & exercendo Ordines suspensione hujusmodi durante, quod contrahat irregularitatem, ut statuitur in præfata *Extrav. Piana.* Quia tamen pœna suspensionis, & irregularitatis apposita per *Pium II.* est tantū contra præsumentes; qui bona fide facit, ex ignorantia credens se habere ętatem, non dicitur præsumere, ergo sicuti bona fides, & ignorantia ipsa ex antecedenti privilegio excusat à peccato Ordinatum, ut supra, ita quoque ignorantia eadem, & bona fides eundem excusat ab incurrenda pœna, &c. ut in proposito hoc privilegio: quod concedunt etiam *Navarr. in cap. Accepta, de restit. spoliat. Oppos.* 8. *nu.* 32. *& in Man. cap.* 27. *nu.* 156. *Portel. in Dubiis Regular. Verbo Ordines Sacri, n.* 13. *Miranda in Man. Prælator. to. p. qu.* 39. *art.* 6. *in fine. Filliuc. to. p. tract.* 17. *cap.* 5. *n.* 84. *Suar. de Cens. disp.* 31. *sec. p. n.* 26. *Laym. in Theol. Mor. lib.* 5. *tr.* 9. *cap.* 10. *n.* 2. *Peyrin. de Privil. to.* 1. *Constit. p. Julii II. §.* 16. *n.* 27. *Diana to.* 5. *Coord. tract.* 3. *ref.* 41. *ex par.* 3. *tract.* 4. *ref.* 181. *alias* 182. *Jordanus l. c. n.* 210. *Leander p.* 2. *tract.* 6. *disp.* 6. *qu.* 11. *Barbosa Allegat. cit.* 16. *n.* 17. ubi plures allegat D. D. communiter affirmantes, quod si quis credens se habere legitimam ætatem, & ignoranter ante illam ordinetur sicuti non peccat excusante ignorantia, nec consequenter in censuram, aut pœnam incurrit à *Pio II. in sua Extrav.* indictam, cum ad hanc incurrendam culpa, imò præsumptio, & dolus requiratur quod totum bona fides excludit, & ignorantia. Verum igitur privilegium.

1057 Si tamen sic Ordinatus resciverit postea defectum ætatis, tenetur sub mortali abstinere ab exercitio Ordinis ita suscepti: non jam ut suspensus, sed ut adhuc irregularis ex defectu ætatis: quoniam prohibitio Ecclesiæ impediens susceptionem etiā Ordinis ante impletam ætatem, extenditur ad executionem Ordinis sic suscepti, cum propter indecentiam Ministerii prohibeatur susceptio Ordinis. Verum quidem est, quod & si cognito defectu ante impletam ætatem, & adveniente jam mala fide, ministrando in tali Ordine peccat mortaliter, non tamen incurrit novam irregularitatem ex delicto abusus sacri Ordinis, ob violatam censuram: cum ita bona fide suscipiens Ordinem, nullam suspensionem, vel censuram incurrerit: ut docet etiam *Diana ref. cit.* 41. ubi sic: *Difficultas est, an adveniente mala fide, si sic ordinatus ante legitimam ætatem celebret, incurrat irregularitatem. Respondeo negativè cum Peyr. in tom. p. Privilegior. Minimor. Constit. p. Julii II. §.* 16. *n.* 29. *qui citat Navarr., Quarantam, & Rodriqu.* (quibus adde *Suar. de Cens. disp.* 51. *sec.* 2. *n.* 4. *Bonac. n.* 13. *c. & Leandrum disp. cit.* 6. *qu.* 13. alios etiam referentem.) *Et ratio est, quia cum à principio non incurrerit in suspensionem, adveniente mala fide si celebret,*

bret, non est cur irregularitatem incurrat. Sed an saltem ità celebrando peccet mortaliter, respondet affirmativè Villalobos, & alii communiter, &c. hactenus *Diana*.

1058 Ex hac autem doctrina sequitur, quod talis, adveniente postea, & impleta ætate requisita absque ulla alia dispensatione, vel absolutione, in eo ordine celebrare poterit, cum jam nulla amplius censura ligatus sit, ut ex mox dictis colligi debet, & expresè etiam docet *Peyrin. §. cit. 16. n. 27.* per hæc verba: *Qui bona fide sine dolo inadvertenter, aut ignoranter, vel imprudenter ante legitimam ætatem ordinari se fecit, putans se legitimam, non incurrit pœnam suspensionis indictam in Extravag. Pii II. quia illa solum punit præsumentem, ac temerarium, quare cum ad ætatem pervenerit, poterit sine scrupulo celebrare. Navarr.* (ubi supra.) *Quaranta in Summa Bullarii. Verbo Ordo. Versu Quibus sic, pag. 486. Miranda in Man. Prælat. to. p. qu. 39. art. 6. Vers. Solummodo est difficultas, &c.* Quibus addo *Trullench de Sacram. lib. 6. cap. unico, dub. 10. n. 7.* ubi sic: *Non incurrit hanc suspensionem, qui facta debita diligentia, putans habere legitimam ætatem, cum revera non habeat, fuit ordinatus. Item nec qui testimonio parentum bona fide suscepit Ordines ante legitimam ætatem. Item nec qui ignoranter id fecit, quamvis sit culpabilis, modo non sit affectata, ita ut æquiparetur dolo, temeritati, aut præsumptioni: Hinc fit hunc, bona fide durante, si exerceat Ordinem, nec peccare, nec incurrere censuram aliquam, nec fieri irregularem, quia ut dictum est, non est suspensus, consequenter celebrando non violat censuram: at dum sciverit se non habere legitimam ætatem, peccat mortaliter si celebrat. Adepta autem legitima ætate, poterit sine aliqua absolutione, aut dispensatione in ordine ministrare, quia cum non fuerit suspensus, solum requiritur, ut revera habeat legitimam ætatem. Ita Covarr. in Clement. Si furiosus par. p. §. p. n. 4. Barbosa de Potest. Episcop. par. 2. Allegat. 16. nu. 23.* Quibus insuper adde *Jordanum tit. 16. cit. nu. 216. Vers. Bene verum est. Sporer n. c. 262. in fine*, & alios apud citatos. Sed

1059 Quæres hic, An suspensus propter Ordinem susceptum ante legitimam ætatem possit exercere ordines alios ante ritè susceptos. Respondeo affirmativè cum *Henriq. lib. 13. cap. 32. n. 2.* (ubi, *Suspensus ab uno Ordine superiore, ut à Diaconatu quem per saltum recepit, non censetur suspendi ab inferioribus Ordinibus.*) *Avila de Censuris par. 3. disp. 5. dub. 7. versu Sexto notandum est. Leandro disp. cit. 6. qu. 10.* alios plures allegans: *Diana tom. 5. Coordin. tract. 3. resol. 42. ex par. 5. tract. 10. res. 35.* & apud ipsum *Scortia in Bulla Pontif. epit. 39. theor. 109.* ibidem docente; hujusmodi suspensionem impedire solum usum Ordinis malè suscepti, & in quo deliquit, & consequenter etiam ne ulterius ascendat, non autem ne utatur Ordine inferiori, si legitimè illum suscepit: idque indicant illa verba: *Si suspensione durante in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.* In eisdem scilicet malè susceptis, quibus suspensi sunt, & non in quovis Ordine; ut etiam jure antiquo suspendebantur ab executione Ordinis solius malè suscepti *ex Gloss. cap. Consultationi, de temp. ordin. ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 2. de Reform.* ita *Sfortia, & Diana*.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Episcopus Ordinans ignoranter alienum Subditum, non manet suspensus.

1060 Episcopi licet validè conferant Ordines subditis alterius Episcopi, absque ejus licentia, non tamen licitè, quia id ipsum prohibitum est *in Concil. Niceno can. 17. & Trident. sess. 14. cap. 2.* Ubi Episcopo Ordinanti non subditum imponitur pœna suspensionis à collatione Ordinis per unum annum, & ipsi Ordinato ab exercitio Ordinum sic susceptorum, ad beneplacitum proprii Episcopi. Et noviter ab *Urbano VIII. in Bulla incip. Secretis. Anno 1624. edita. Sic Leander par. 2. tract. 6. disp. 8. qu. p. cum Navarro lib. p. Consil. De Temporibus Ordinationum, Consil. 39.* Qui tamen, sequenti *Consil. 40.* excusat ab hac suspensione Episcopum ex ignorantia probabili ordinantem alienum subditum, ut in proposito privilegio: do hic ejusdem verba: *An Episcopus ignoranter Ordinans alienum Parochianum sine licentia sui Ordinarii sit suspensus? Respondeo quod non est suspensus, si probabiliter id ignorabat, tum per §. Notandum p. quæst. 4. & alia citata per ejus Glossam; tum quia cap. Eos qui, de temp. ordin. lib. 6. quod imponit pœnam suspensionis ordinanti alienum Parochianum sine licentia Superioris, requirit ut id faciat scienter, vel affectata ignorantia:* ita *Navar.* quem sequens *Leander disp. c. qu. 3.* in qua inquirens, An Episcopus ordinans ignoranter alienum Subditum maneat suspensus? Respondet negativè, & ut in nostro privilegio: Quia, inquit, *Cap. Eos qui, cit.* imponens pœnam Ordinanti alienum sine licentia sui Episco-

pi, requirit, ut id faciat scienter, vel affectata ignorantia. Sic *Navarrus l. cit. Consil.* 40. qua de re videndus *Petrus M. Passerinus in p. lib. 6. Decretalium. In cap. Eos qui. 2. de tempor. ordin. à n. p. usque ad* 17. *fol. mihi* 453.

PRIVILEGIUM QVARTUM.

Sacris initiatus ab Episcopo alieno ignoranter, à suspensione excusatur, & etiam ab irregularitate si eodem Ordine utatur.

1061 Talem *scienter* ab Episcopo alieno Sacris initiatum ipso jure esse suspensum, & celebrando ante absolutionem suspensionis fieri irregularem, certum est, quia sic habetur in *Extravag. supra c. Cum ex Sacrorum, Pii II.* & docent *Navarrus consil.* 39. *c. in fine*, *Leander disp. cit.* 8. *qu.* 24. & alii. Ab utraque autem liberat, & excusat ignorantia, ut in hoc privilegio. Sicut enim excusat Episcopum, ex *præced. privil.* ignoranter ordinantem non subditum à pœna suspensionis, & hunc eundem excusabit pariter, cum non sit major ratio de uno qnàm de alio. Ablata autem suspensione à principio, ob ignorantiæ privilegium, nec contrahi amplius potest ulla irregularitas, ut patet *ex anteced. privil.* 2. *hujus Capitis*. Et esto etiam daretur scientia suspensionis in sic ordinato, si hæc tamen esset cum ignorantia invincibili irregularitatis, licet ipso jure suspensus esset, nihilominus celebrando non incurret irregularitatem, excusante censuræ ignorantia si non peccati, in hoc casu, ergo.

PRIVILEGIUM QUINTUM.

Qui invincibiliter ignarus obligationis servandi castitatem, suscepit Ordinem Sacrum, cui annexa est hæc obligatio, ab ipsamet excusatur in foro conscientiæ.

1062 Ordini Sacro annexam esse obligationem servandi perpetuam castitatem certissimum est, non quidem jure divino: sed jure Ecclesiastico inductam, aut ex proprio voto, aut ex utroque simul: nam quod est de jure divino indispensabile est, atqui tam in Græca, quam Latina Ecclesia permissum fuit Sacrorum virorum conjugium: ergo. Et hac de re *Concil. Trid. sess.* 24. *Can.* 9. sic definit: *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos: vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto: anathema sit.* Ex qua definitione patet, quod Concilium continentiam Sacrorum ministrorum, non in divinum aliquod præceptum, sed in legem Ecclesiasticam quoad Clericos, & in solemne votum quoad Regulares professos refert. Quod advertit etiam *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 11. dicens: *Non est essentialiter annexum debitum continentiæ Ordini Sacro, sed ex statuto Ecclesiæ.* Et docent *Leander tract.* 6. *c. disp.* 8. *qu. p.* cum aliis ibidem relatis; præcipuè *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *disp.* 27. *qu.* 2. Qui tamen *nu.* 10. affirmat probabilius esse hanc obligationem non consurgere immediatè ex constitutione Ecclesiæ, sed ex voto castitatis, quod Ecclesia suo præcepto annexuit Ordinibus Sacris: cogitque eos, qui Ordinem Sacrum assumunt, ut votum castitatis emittant, non expressè, sed facto ipso, & tacitè; quamvis enim voce non voveant, & facto, & opere profitentur castitatem per Sacrorum Ordinum susceptionem. Et quod subeat hoc potestati Ecclesiæ, consequenterque verè votum sic liget: probat, quia quamvis Ecclesia neminem possit absolutè cogere ad continentiam, cum sit res meri consilii, *ca. integritas* 32. *qu.* 2. In ordine tamen Sacro, quem confert, potest apponere conditiones, & leges justas illi statui convenientes, qualis est, ut ad illum promotus, castitatem voveat. Sicut quilibet in rei suæ traditione potest legem apponere, *l. in traditionibus*, *ff. de pactis*. Hęc *Sanch. n.* 10. *c.* ubi etiam pro sua sententia refert cum *S. Thoma* quinquaginta Theologos, & Canonistas; quibus & alii addi possunt. In hoc tamen uno D. D. omnes conveniunt, quod omnibus constitutis in majoribus Ordinibus præcepta sit continentia, ut patet ex multis Sanctis Patribus, tot Canonibus, & nominatim ex *Concil. Trident. l. c.* qno supposito tanquam certo.

1063 In proposito privilegio affirmatur, quod si quis ignarus omnino dicti Voti, seu obligationis servandi continentiam, Ordines suscepit Sacros, ab hujusmodi obligatione in conscientia, & foro interiori excusatur: à quo non dissentit *Coninch de Sacram. disp.* 20. *dub.* 14. *difficult.* 3. quem sequitur *Palaus p.* 4. *de Sacram. Ordinis trac.* 27. *disp. Unica*, *punct.* 18. *nu.* 12. Et probatur, quia si talis Ordinem Sacrum suscepit existimans nullam obligationem castitatis servandæ eidem Ordini annecti, nulla est illi obligatio in foro conscientiæ; & eo magis

gis

gis (inquiunt *citati)* si probabilibus rationibus ille ductus, ita existimet: non enim ex voto suscipitur talis obligatio, ut de se constat, cum nemo censeri possit vovere id quod ignorat omninò: votum namque est lex privata, quam quisque sponte sua sibimet imponit: ignorans autem prorsus votum, caret voluntate vovendi, ac per consequens, imponendi sibi eam legem. Quod confirmari potest ex *D. Gregor. lib. p. Epist.* 42. *circa medium* (ab iisdem etiam relatum) ubi scribit: nimis durum esse, iis Subdiaconis, qui in Sicilia erant ordinati, cum ibi omnes Subdiaconi more Græcorum uterentur uxoribus, velle harum usum interdicere; quia nimirum cum fuerint ordinati cum ignorantia talis obligationis, non potuerunt censeri eam acceptasse. Neque etiam supposita obligatio suscipitur ex dicta lege Ecclesiastica, quia ipsa neminem invitum (ut ait etiam *Palaus nu. c.)* intendit adstringere, ut colligitur ex eodem *D. Gregorio*. Ergo.

1064 Dicit Privilegium *in foro conscientiæ*: quia in foro exteriori talis ignorantia non censebitur probabilis, & justa, ut docet *Azor. par. p. Instit. Moral. lib.* 13. *cap.* 14. *qu.* 10. & confirmat *Sporer par. p. Tyrocinii sacramentalis cap.* 6. *qu.* 49. *§.* 4. *n.* 360. *fol. mihi* 396. hæc dicens ad rem nostram: *Si quis suscipiat Ordinem Sacrum prorsus ignarus Voti annexi Castitatis: (Casus hoc tempore vix supponendus supponamus tamen) siquidem intenderet suscipere eo modo, quo alii suscipiunt, seu eo modo, quo Ecclesia Catholica confert, adhuc implicitè emittit votum; & de eo informatus postea obligabitur, nec validè Matrimonium contrahere poterit: quod si verò nec sic quidem intendat, sed potius errore positivo credidit non esse obligationem voti annexam Ordini, aut etiam animo ita comparatus fuit, ut si sciret votum, & obligationem castitatis Ordini esse annexam, eum non susciperet: tunc adhuc validè ordinatus, in foro conscientiæ saltem, voto castitatis non obligabitur, cum illud nullo modo emiserit (quia votum debet ex propria voluntate oriri, est enim spontanea promissio facta Deo) Obligabitur tamen in foro externo, quousque illam suam ignorantiam, errorem, vel dispositionem contrariam probaverit. Et insuper irritum esset eius Matrimonium, quod fortè contraheret, quia habet Ordinem Sacrum, cui annexum est impedimentum dirimens: unde postea informatus, si velit in Ordine suscepto ministrare, votum antea omissum debet emittere, ut supra dictum. Si nolit, & Matrimonium inire cupiat, omninò dispensatione opus erit, quam difficulter impetrabit, quia difficulter probabit talem ignorantiam habitam hodie in tanta rerum peritia. Certè Urbanus VIII. cuidam Subdiacono* (de quo *Gobat in Alphabeto Ordinis Casu* 20.) *allegant defectum intentionis in suscepto Ordine, & dispensationem identidem per Patronos petenti, denique impertiuit rescriptum cum hac fulminatrice Clausula (Dispensamus in animam tuam) indicans nimirum dispensationem ipsi cessuram in æternam pernitiem, nisi preces veritate nitantur:* hactenus *Sporer*: optimè affirmans quod difficulter ille probabit talem suam ignorantiam habitam hodie in tanta rerum peritia: ob quam etiam advertit *Coninch, & cum ipso Palaus l. l. c. c.* Vix in Ecclesia Latina hanc ignorantiam posse habere locum, cum præcipuè omnes ante collationem Sacrorum Ordinum ab Episcopo admoneantur de obligatione castitatis servandæ, dum iis dicit. *Filii dilectissimi ad Sacrum subdiaconatus ordinem promovendi, iterum, atque iterum considerare debetis, quod si hunc Ordinem susceperitis, castitatem Deo adiuvante servare oportebit. Vide Tambur. de Sacram. Ordinis lib.* 7. *cap.* 3. *§.* 3. *nu.* 11. ubi habes eandem hanc doctrinam traditam à *Sporer* Sed

1065 Contra privilegium oppones, *primò* quod lex justè lata obligat etiam ignorantes. *Secundò*, quod suscipiens spontè aliquod officium, necessariò acceptat omne onus ei annexum, etiamsi hoc ignoret. *Tertiò*, quod talis debet velle legitimè Ordines suscipere, & consequenter implicitè vovere continentiam, aliàs illegitimè eos susciperet. Respondeo cum *Coninch l. c. nu.* 142. Ad primum, id solum verum esse in obligationibus, quæ omninò invitis imponi possunt, qualis non est hæc obligatio ad continentiam, quæ requirit aliquam acceptationem obligati; vel saltem ut aliquid faciat, quod ipsum ad talem acceptationem obliget. Ad secundum, negatur assumptum esse generaliter verum: Fallit enim quoties is, qui officium suscipit, habet justam caussam sibi persuadendi tale onus non esse annexum illi officio, nec non habet invincibilem ignorantiam hujusmodi annexionis. Ad tertium negatur consequentia: Quia qui ob probabilem rationem, vel errorem positivum sibi omninò persuadet, sacrum Ordinem sine voto, seu obligatione continentiæ posse legitimè suscipi, potest eum velle sic suscipere: maximè sine voto, cum Ecclesia ab eo non exigat Votum ex dictis.

1066 Quæres hic obiter, an excusetur à peccato, qui per ignorantiam invincibilem aliquid facit, vel ommittit contra proprium statum, & officium: Respondeo excusari,

cum

cum *Bonac. to. 2. tit. de Peccatis disp. 2. qu. 8. punc. 3. n.* 18. Cum laboret ignorantia invincibili, ut supponitur, & dari possit talis ignorantia, non solum communium legum, verum etiam particularium spectantium ad proprium statum, & officium (ut constat etiam ex dictis in hoc privilegio, de Ordinato in sacris, qui ignorat obligationem suam servandi continentiam) quando videlicet nulla præcessit de hujusmodi legibus cogitatio, humana etenim diligentia expelli non potest ignorantia, vel inadvertentia, cujus nulla prorsus occurrit cogitatio.

1067 Ex superioribus dictis infertur, quod & si Ecclesia absolutè neminem cogere possit ad servandam (multo minus ad vovendam actu interno) continentiam, cum hæc res sit consilii, non præcepti, teste *Apostolo p. Corinth.* 7. nihilominus in Ordine Sacro, quem liberè confert quibus vult, conditionem, & legem adiicere potest, & de facto adiicit; ut qui talem ordinem suscipiunt, eo ipso facto continentiam profiteantur, ut colligitur *ex sacris Canonibus supra cit. sanctis Patribus, &c.* Casu tamen quo quis invincibiliter ignoraret hanc legem, & obligationem, (ut in hoc privilegio) adhuc maneret ad castitatem servandam obligatus, si informatus velit in ordine suscepto ministrare; aliàs esset in statu peccati mortalis; quia præcepto gravissimo Ecclesiæ contradiceret. Et si hoc tempore laberetur in peccatum incontinentiæ, non committeret in illo malitiam sacrilegii in Confessione detegendam, quia nec contra votum, nec contra legem ex motivo Religionis præcipientem delinqueret. Videantur hac de re *Dicastillus tract.* 6. *disp. p. n.* 398. *&* 400. *Tambur. l. c. n.* 10. *Sporer §.* 4. *c. n.* 357. *&* 358. *Gobat Casu* 20. *c.* & alii.

PRIVILEGIUM SEXTUM.

Qui suscipit Ordinem Sacrum ignorans invincibiliter onus eidem annexum recitandi Horas Canonicas, atque adeo illas omittit, excusatur à culpa, ignorantia durante.

1068 Sacris Ordinibus initiati tenentur jure Ecclesiastico ad recitandas quotidie Horas Canonicas saltem privatim, *Suar. lib.* 4. *de Orat. cap.* 16. *num.* 2. *Bonac. to. p. de Horis Canon. disp. p. q.* 2. *punc.* 3. *n. p. Trullench in Decal. lib. p. cap.* 7. *dub.* 12. *§.* 2. *nu. p.* & alii apud ipsos: & communiter D. D. quod probant præcipuè ex communi usu, & consensu Ecclesiæ, habente vim præcepti sub mortali obligantis. Quamvis autem hujus præcepti, & obligationis ignorantia vix concedi possit quæ excuset Clericum in Sacris, cum sit præceptum satis notum: nihilominus si verè in aliquo extaret invincibilis, & inculpabilis, utique excusaret, ut in proposito privilegio; quod etiam confirmat, & approbat expressè *Trullench in Decal. lib.* 1. *cap.* 7. *Dub.* 29. *n.* 4. ut sequitur: *Quoad ignorantiam dico, ignorantiam juris vix posse excusare Clericum in sacris, vel habentem beneficium: est enim præceptum satis notum, & dum examinatur ad Ordines, vel beneficia, solet inquiri de obligatione, & Horis Canonicis. Si autem daretur invincibilis, & inculpabilis (secus si crassa, & culpabilis) excusare posset. De Obligatione autem ad tempus in Beneficiario facilius potest esse ignorantia juris, ut an teneatur recitare statim, ac obtinuit beneficium, an post sex menses tantùm: an etiam quando non recipit fructus, & hujusmodi. Quod si ignorantia sit facti, quæ coincidit cum naturali oblivione, vel inadvertentia, quæ circa unam, vel alteram horam (vix tamen circa totum officium contingit) si verè talis est excusat: hoc est si absque culpa contingit talis ignorantia, seu oblivio, & inadvertentia: ratio est, quia efficit involuntarium:* ità *Trullench*, & ante ipsum, ac sub iisdem ferè verbis *Filliuc. to.* 2. *trac.* 23. *cap.* 9. *qu.* 2. *&* 3. *n.* 281. *&* 282. item *Bonac. to. p. de Horis Canon. disp.* 1. *q.* 6. *pun.* 3. *n.* 9. alios referens. Et *Palao par.* 2. *de Horis Can. disp.* 2. *punc.* 6. *n. p.* Dicit autem privilegium, *Excusatur à culpa ignorantia durante:* scientia namque adveniente obligationis Horarum Canonicarum, debet eas sub culpa lethali recitare quotidie Ordinatus in sacris, ut advertit etiam *Azor. Instit. Moral. par. p. lib.* 13. *cap.* 14. *qu.* 10. *in fine*.



CAPUT

CAPUT XXVI.
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA SACRAMENTUM MATRIMONII.

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Promissio Matrimonii facta cum semiplena advertentia, & ignorantia, non inducit obligationem adimpletionis.

1069 

Um promissio Matrimonii, seu Sponsalium obligatoria sit sub mortali *Sanch. de Matrim. lib. p. disp.* 27. *n.* 2. cum aliis tribus, & triginta D. D. & communiter: (Omnes enim contractus obligatorii sunt ex justitia, sed sponsalium mutua, & reciproca promissio, & obligatio, verè est contractus, & in materia gravi, igitur obligatorius ad sui adimpletionem sub mortali) hinc est, quod petit advertentiam, & deliberationem ad mortale requisitam. Quapropter, meritò *à Basilio Pontio lib.* 4. *de Matrim. cap. p. nu. p.* sequens generalis statuitur regula tanquam certa: *Ea deliberatio, sive ea libertas cum ea consideratione necessaria est ad contractum Matrimonii, & ad sponsalia, quæ necessaria est ad peccatum mortale.* Hujusmodi autem regula videtur esse fundamentum propositi privilegii: Quod ex eademmet probat etiam *Leander par.* 2. *De Matrim. disp. p. qu.* 17. sic dicens: *Quia sponsalia obligant ad mortale, petunt advertentiam, & deliberationem, ad mortale saltem requisitam. Quæ tunc censetur talis, quando intellectus, sine ullo errore, aut ignorantia apprehendit rem, & sufficienter advertit, sit ne bona, vel mala; quod totum deficit in semiplena advertentia, & deliberatione:* sic etiam *Sanch. de Matrim. disp.* 8. *n.* 2. *&* 5. *Lessius lib.* 2. *cap.* 40. *dub. p. n.* 2. *Bonac. to. p. de Sponsalib. qu. p. punc. p. n.* 4. *Trullencb De Matrim. lib.* 7. *cap. p. dub.* 3. *n.* 2. & alii.

1070 Ex hoc privilegio sequitur, promissionem Matrimoni factam alteri in calore iracundiæ nec esse validam, nec obligatoriam, si iracundia, vel animi perturbatio tanta sit, ut ptivet hominem in tali statu usu rationis, impediatque advertentiam requisitam ad mortale. *Navarr. in Man. cap.* 18. *n.* 7. *Sanch cum aliis triginta n.* 5. *c. Trullencb l. c. n.* 4. *Leander l. c. q.* 18. aliique plures. Si verò non sit tanta perturbatio, ut de facto advertentiam non impediat, aliter est dicendum. D.D. iidem. Item sequitur neque esse validam, vel obligatoriam Matrimonii promissionem alteri factam ab insano, amente, neq; ab ebrio, eo tempore, quo his defectibus subjacent, cum tunc temporis careant perfecta libertate, advertentia, & cognitione quæ necessaria est, ad perfectum voluntarium consensum. Si verò dum isti lucida habent intervalla, & quando sunt, vel ab insania, vel ab amentia liberi, contraherent sponsalia, valida essent, & obligatoria. Uti & similiter si in aliqua materia insani essent, & in aliis rationis compotes existerent, nisi insanitas esset hujus materia..

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Qui promisit Matrimonium, invincibiliter ignorans promissionem suam esse obligatoriam, eam non adimplendo, à culpa excusatur.

1071 Probatur hoc privilegium, quia si promisit invincibiliter ignorans obligationem sequi ex promissione, non habuit voluntatem promittendi, cum ignoraverit naturam promissionis: ergo. Confirmatur, tum quia obligatio promissionis consurgit ex spontanea promittentis voluntate, at in casu hujus privilegii omninò involuntaria est, cum nihil magis sit contrarium voluntati quam ignorantia, & error, *l. Si per errorem, ff. De jurisd. omn. jud.* tum quia ignorantia, & error circa substantiam rei promissæ, irritant obligationem, eo quod voluntatem auferant, at multo magis ad promissionis naturam pertinet virtus obligandi, ergo hujus virtutis ignorantia, voluntatem, & obligationem aufert

aufert. Tum etiam quia in casu proposito verè non vult ille promittere Matrimonium, cum per vocem, promitto, non intelligat promissionem, & obligationem oriri, sicq; verum privilegium: Quod etiam tradit *Carolus Baucius De miscell. Practicis qu.* 269. sic dicens: *Quando promittens Matrimonium se habuit negativè, puta, quia naturam promissionis, & obligationem ex ea resurgere prorsus ignorabat, non manet obligatus: quia obligatio promissionis consurgit ex spontanea promittentis voluntate; sed in hoc casu omnino involuntaria est, cum nihil magis voluntati contrarium sit, quam ignorantia, & error;* & ita etiam *Sanch. de Matrim. lib. pr. disp.* 9. *n.* 2. *Versu Item certum. Cum aliis ibidem. Filliuc. tom. pr. tract.* 10. *cap.* 7. *qu.* 3. *Vers. Quartò potest. n.* 238. *Bonac. to. p. De Sponsalib. qu. p. punct. p. n.* 5. *Trull. de Sacram. lib.* 7. *cap. p. dub.* 4. *Sporer de Sacram. par.* 2. *tract.* 2. *cap. p. §. p. Versu hinc deduces: fol.* 771. & aliis.

1072 An verò promissio ficta Matrimonii sit valida ad obligandum? Affirmant *Pontius de Matrim. lib.* 12. *cap.* 2. *n.* 7. *cum Vasq. disp.* 6. *De Matrim. cap.* 3. Quia talis promissio, & si verbalis, est vera respectu hominis. Et *Hurtado de Matrim. disp. pr. Diffic.* 11. *nu.* 42. existimat promissionem Matrimonii, & cujuscumque alterius rei, fictè omninò, & solis verbis homini factam, absque alio animo quam proferendi verba ipsa, esse validam ad obligandum ex fidelitate, sed non ex justitia, nisi per accidens, ratione videlicet damni secuti. Ex quo etiam infert *nu.* 43. promissionem tantum exteriorem respectu hominis, non esse in rigore omninò fictam; quia nequit esse ficta in ratione promissionis, quamvis sit ficta in ratione contractus conferentis jus justitiæ. Ex opposito tamen *Sanch. disp.* 9. *c. n.* 3. *Coninch de Sacram. disp.* 21. *dub.* 2. *n.* 7. *Bonac. to. p. de Matrim. qu. p. punc.* 2. *n.* 2. *Vers. Dixi in propositione. Trull. l. c. dub.* 5. *num.* 2. aliique penes eosdem, sentiunt (& ego cum illis) talem fictam promissionem neque ex justitia, neque ex fidelitate obligare: quoniam nec justitia, nec fidelitas obligare possunt ad id quod verè promissum non est. At ficta promissio non est vera, sed solo nomine promissio, ergo non inducit obligationem: nec etiam ex fidelitate: nam etiam obligatio ex fidelitate supponit veram promissionem: aliter si non sit vera, idem est ac si nulla promissio existeret; nulla autem existente, quomodo potest (ait *Trullench*) oriri ex illa aliqua obligatio cum non entis nullæ sint qualitates? Peccavit tamen (inquit idem, & mortaliter ait *Sanch. n. c.* cum aliis ibidem) fictè promittendo, quia decepit sic alterum, qui non poterat ità facilè cognoscere illius deceptionem, & commisit perniciosum mendacium, in quolibet enim contractu utrinque obligatorio (qualis est sponsalium) lex justitiæ præscribit, ut uterq; verè contrahat, & promittat. Non tamen tenetur stare promissioni, nec adimplere sponsalia ex vi promissionis, seu sponsalium, nisi ratione damni, si alter fortè patitur, aut ratione scandali vitandi, si aliter vitari non potest: sic *Trull. n. c. & dub.* 6. *nu.* 2. aliique. Et *P. Diana to.* 2. *Coord. tract.* 6. *res.* 7. *Ex p.* 3. *tract.* 4. *res.* 204. *alias* 205. licet affirmativam sententiam *Pontii*, & *Vasquezii* (quam sequitur etiam *Turrianus in* 2. 2: *to.* 2. *disp.* 64. *dub.* 15.) non reiiciat, ob ejusdem fundamentum, ab his Doctoribus assumptum: Quia videlicet, eo ipso, quod quis profert verba promissionis, & quæ scit esse promissionis, & illi cui fit promissio sunt insinuata, ex naturali jure tenetur ad servandam veritatem, cum promissio esse debeat fidelis: idcircò qui promisit, non potest sua voluntate tollere eam naturalem obligationem: nec esse potest voluntas proferendi externa signa promissionis, sive contractus cujuscumque, sine implicito animo se obligandi: Unde obligatio promissionis (in hac sententia per suos D. D. & in omni contractu) non oritur ex voluntate promittentis, sed ex naturali jure, quod debet esse veritas conjuncta verbis in futurum, quam non potest auferre à verbis, qui promittit. Licet inquam, idem *P. Diana*, non reüciat hanc sententiam; oppositam tamen *P. Sanchez*, & aliorum citatorum (quæ communis etiam est) nempè promissionem fictam non obligare, putat in praxi tutam; & probabilissimam esse. Ad fundamentum autem *Pontii*, & *Vasquezii* allatum, fidelitatis videlicet, & veritatis, quæ in promissionis verbis in esse debet, jam responsum est supra cum *Trull.* Quia enim fidelis inquam, & vera debet esse promissio, idcircò qui decipit, fictè, ac mendaciter promittendo, peccat: at qui sic promittit, verè in foro interno non promittit, ut dictum est. In externo vero foro, judicabitur ferè semper contra fictè promittentem: nam Judex super verbis promissoriis sententiam feret, non super intentione; tum quia hæc non est directè sub sua jurisdictione; tum etiam quia ab ipsomet supponetur eadem conjuncta cum verbis; quando enim verba sunt promisso-

ria,

ria, non est præsumendum defuisse intentionem, & animum promittendi, cum iste ex natura rei adesse soleat, nisi de contrario constet.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Sponsus qui post valida contracta Sponsalia sufficientem habet causam ad illa dissolvenda, quam tamen ignorat, si cum tali ignorantia accedat carnaliter ad Sponsam, non amittit jus resiliendi ab illis.

1073 SPonsum conscium causæ sufficientis (quæ multiplex esse potest) ad dissolutionem sponsalium, jus amittere resiliendi ab ipsis si accedat ad sponsam, eamque carnaliter cognoscat, affirmant communiter D. D. *Sanch. de Matrim. lib. p. disp.* 66. *num.* 2. *Coninc. de Sacram. disp.* 23. *dub.* 10. *n.* 76. *Hurtado de Matrim. disp.* 2. *diffic.* 16. *n.* 59. *Diana to.* 2. *Coordin. tract.* 6. *res.* 14. *num.* 5. *Ex par.* 10. *tract.* 11. & *Miscell. p. res.* 28. & alii. Et ratio est: quia sicuti si Vir Matrimonium copulatus cum Uxore, post cognitum ejus adulterium eam cognoscat, admittit jus petendi divortium; ut docet *D. Tho in* 4. *disp.* 35. *qu. unica, art. p. in corp.* & patet. *Ex lege si Uxor* 13. *in fine. ff. ad leg. Juliam de adulteriis.* Et eidem juri renunciare censetur: ita similiter sponsus per talem copulam amittit jus dissolvendi sponsalia: eo enim accessu, utpote facto sub spe Matrimonii, satis ostendit se cedere juri resiliendi, & in priori consensu permanere. Quod verum utiq; existimabitur in foro exteriori; quia in eo absq; dubio (inquit etiam *Hurtado*) ita judicabitur, cum dictus accessus sit vehemens indicium remissionis causæ, ac defectus, & cessionis juris resiliendi. In foro autem interiori, & conscientiæ jus pariter amittit sponsus per talem copulam dissolvendi sponsalia in opinione *Diana n. c.* etiam si voluntatem non habeat remittendi jus suum; quoniam remissio hæc (inquit ipse) non fit ab homine, sed à jure: & si nulla ipso jure erant sponsalia, per copulam fiunt valide. *Unde* (concludit ipse) *ego his diebus consului, non potuisse quendam à sponsalibus resilire: quia post fornicationem sponsæ, illam carnaliter cognoverat.* Ab hac tamen doctrina quoad interiorem conscientiæ forum recedit *Hurtado n. c.* (& cum eo *Trull. de Sacram. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 13. *n.* 7.) quando sponsus non accedit animo implendi sponsalia, quia (inquit) absque eo animo accedens non censetur verè remittere: quod tenet etiam apud *Dianam res. c. n.* 6. *Martinus Perez de Matrim. disp.* 9. *sec.* 17. *n.* 6. Ubi, quod in conscientiæ foro sponsus non amittit jus resiliendi, si accedat ad sponsam sine animo perseverandi in sponsalibus. Et ratio est, quia copula nullo jure continet explicitam, vel implicitam voluntatem renuntiandi proprio juri; potest enim haberi sine voluntate, imò cum expressa opposita voluntate non renuntiandi: igitur accedens absque animo non renuntiandi, nec cedendi proprio juri, illud non amittet; & consequenter resilire poterit à sponsalibus. Et tunc tenebitur solum recompensare damnum illatum, si alia via, quam ducendo sponsam potest damno illato satisfacere.

1074 At insuper, nedum non amittit dictum jus accedendo absque consensu, & animo remittendi illud; sed nec quando idem suum jus ignorat, & cum tali ignorantia cognoscit sponsam, ut dicit privilegium propositum. Quod probatur, quia cum ea ignorantia non potest habere, seu non censetur habere consensum in sponsalia, illaque ratificare: cum *ex lege Si per errorem*: nihil sit magis contrarium consensui, quam error. Huic privilegio subscribunt *Diana n.* 5. *c.* Ubi: *Si ignorat jus resiliendi, & cum ignorantia cognoscat Sponsam; non censetur sponsalia ratificare.* Et *Coninch n. c.* 76. sic: *Qui ignorans se habere jus resiliendi habet copulam, non censetur confirmare priorem consensum; quia ad hoc necesse est ut sciat se posse resilire: vel saltem, ut exterius ostendat se eo animo eam copulam habere; ut vellet priorem consensum confirmare, & si infirmus esset.*

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Copulati in Matrimonio invalido, cujus tamen invaliditas ab ipsismet invincibiliter ignoratur, excusantur à culpa lethali in eorundem usu carnali.

1075 HOc privilegium est idem omninò ac *privil.* 10. *Superioris cap.* 11. & cum ipso incidit ad quod ideo lectorem mitto, ne eadem ibi dicta hic repetamus. Unum tantum hic addo, & adverto. Filios videlicet assumptos ex tali Matrimonio bona fide ex invincibili ignorantia inito, validoq; existimato ab Ecclesia, ac ab eisdem contrahentibus, & copulatis, esse verè legitimos: ita *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *disp.* 42. *n. p.* & *lib.* 8. *disp.* 34. *n.* 46. *Pontius De Matrim. lib.* 11. *cap.* 2. *§.* 2. *n.* 13.

Diana To 2. *Coord. tract.* 6. *ref.* 134. *n. pr. Ex par.* 10. *tract.* 11. *& Miscell. p. ref.* 62. *Leander de Sacram. to.* 2. *tract.* 9. *disp.* 18. *qu.* 18. (ubi ex *Pontio*, *hanc esse sententiam omnium*) aliique penes ipsos: Et patet *ex cap. Ex tenore. Cap. Inter. Et cap. Pervenit, qui filii sint legitimi*. Et ratio est: Quia titulus Matrimonii prodest, ut filii censeantur legitimi, & ideo prodest, quia semper parentes. (Vel alter saltem) dederunt operam rei licitæ, saltem in sua existimatione, quæ probabilis fuit: cum in facie Ecclesiæ contraxerint, & præsumendum est, ne delictum præsumatur, aliàs hos non commiscendos, nisi credidissent validum esse Matrimonium: Ecclesia enim, quæ innoxios minimè punit, vult hos filios legitimos esse. Ita *Sanch. disp.* 6. 42. *n. p. c. Versu, Præterea quia*. Ubi dicit ipse (*Vel alter*) quia videlicet ipsemet (tum etiam alii Doctores allegati) concedit filios assumptos ex dicto Matrimonio esse legitimos, nedum quando uterque Conjugum, & parentum est in bona fide, ob invincibilem ignorantiam impedimenti Matrimonium dirimentis, sed etiam quando unus tantum eorum est in bona, alter verò in mala fide: Quapropter *disp. item cit.* 34. *n.* 46. *in princip.* ait sic: *Supponendum est, filium natum ex Matrimonio bona fide alterius parentis inito, esse verè legitimum, non solum quoad parentem habentem bonam fidem, sed etiam quoad alium malam fidem habentem. Quia verè est legitimus, ut constat ex cap. ex tenore, &c.* Vide *Paulum Comitolum in Responsis Moralibus lib. p. qu.* 112. *fol. mihi* 223. ubi ad rem hanc, duo valde singularia facta recenset.

PRIVILEGIUM QUINTUM.

Promissio Matrimonii inter Adulteros non inducit impedimentum criminis dirimens eorum subsequens Matrimonium, si eorundem unus ignorabat alterum Conjugatum esse, vel adhuc vivere alterius Conjugem.

1076 Quando adulter, vel adultera commisso adulterio, contrahunt insuper, vel potius mutua promissione per verba de præsenti invicem promittunt se copulari in matrimonio, statim nascitur inter eos impedimentum dirimens, ut deinde, etiam mortua uxore adulteri, vel marito adulteræ, matrimonium validè contrahere nunquam possunt, absque speciali dispensatione. Unde in pœnam hujus criminis redduntur inhabiles ad contrahendum Matrimonium inter ipsosmet, non quidem jure naturæ, vel divino. Ut patet in *Davide*, qui post adulterium, & occisionem *Uriæ*, duxit ejus Uxorem *Bethsabeam*, sed solo Jure Ecclesiastico, ut constat ex plurimis Sacris Textibus *cap. Relatum* 32. *qu. p. cap. Propositum. Cap. Ex litterarum. Cap. Significasti. Cap. Veniens, &c. De eo, qui duxit*. Et ex communi sententia. Ratio autem cur imposita sit ab Ecclesia dicta inhabilitas est, ne ob promissionem scilicet factam Matrimonii contrahendi, captetur occasio machinandi mortem alterius Conjugis inter adulteros. Ex quo

1077 Habes *Primò*, in hoc crimine non requiri occisionem, vel machinationem mortis, sed sufficere adulterium cum promissione Matrimonii. *Secundò*: Non sufficere solum adulterium, alioquin omnes adulteri, vel adulteræ invalidè contraherent secundas nuptias. *Tertiò*: Neque sufficere solam promissionem futuri Matrimonii post mortem Conjugis quippe quæ per se loquendo, spectato jure naturæ illicita non est: quamvis per accidens hujusmodi promissiones soleant esse causæ multorum malorum: idcirco meritò *Cap. Finali. De eo, qui duxit*. Graviter delinquere dicuntur, eisque pœnitentia præcipitur injungi, qui matrimonio ligati, promittunt alteri Matrimonium post Conjugis mortem. Quæ promissio, licet non secuto adulterio Matrimonium subsequens non dirimat, est tamen nulla, & irrita, quia à jure reprobatur *in cit. cap. fin. De eo, &c.* utpotè quæ ansam insidiandi conjugi præbeat: hinc hos dantes similem fidem peccare graviter, expressè deciditur *in cit. cap.* dum subjungitur in ipso, pœnitentiam illis injungendam esse, ut dixi; & tradunt ibi omnes scribentes: Similique culpa involvetur (inquit *Sanc. de Matrimon. l.* 7. *disp.* 79. *n.* 40.) acceptans ejusmodi promissionem, utpotè qui culpæ alterius consensum præbet. Requiritur igitur ad hoc impedimentum, & sufficit, adulterium simul cum promissione futuri Matrimonii, sive adulterium sit commissum ante, sive post promissionem, seu fidem datam, ut expressè habetur eodem *Cap. Finali*. Minimè verò requiritur, ut fiat unum intuitu alterius per modum pacti conditionati, ex. gr. dicendo: promitto me ducturum te, mortua conjuge mea, vel tuo, si potestatem corporis feceris: nullibi enim hoc exprimitur, sed sufficit, cum adulterio ante, vel post, fieri promissionem Matrimonii, hancq; promissionem non esse

ante

ante adulterium revocatam, si namque fuerit ante revocata, non erit amplius adulterium cum promissione, & ideò nec ullum amplius impedimentum. Si verò facta sit post adulterium, & si ante mortem conjugis revocata sit, impedimentum jam antea contractum per adulterium cum promissione, permanebit utique, & nil conferet talis revocatio ad illud evadendum. Quia jam illi id incurrerant, nec propria authoritate se eximere poterunt, ut notant *Sanch. disp. c. n. 7. Bonac. de Matrim. qu. 3. punc. 6. n. 13.* aliique passim.

1078 Præterea ad hoc impedimentum requiritur, ut promissio, & adulterium vivente eodem conjuge facta sint. Unde si fides, & promissio data sit sub uno Matrimonio, & adulterium commissum sub alio posteriori, aut versa vice adulterium commissum sub priori, promissio autem facta sub posteriori Matrimonio, non erit impedimentum; quia per posterius aliud Matrimonium dissoluta est connexio adulterii, & promissionis, quæ haberi nequit nisi durante uno, & eodem Matrimonio. *Sanch. disp. c. n. 5.* cum aliis ibidem, *Bonac. l. c. n. 12. Palao par. 5. de Sponsalibus, disp. 4. punct. 12. num. 8. in fine*; & communiter. Colligiturque ex *cap. 6. & ultim. De eo, qui duxit.*

1079 Ad hoc etiam crimen dirimens inducendum, requiritur insuper & adulterium perfectum, ac completum per immissionem seminis intra vas fœmineum, adeò ut nec tactus quantumvis turpissimi, nec copula imperfecta, incepta, seu conatus, sufficiant, ut notant cum *Sanch. disp. c. 79. n. 2.* plerique alii, ac Communiter D. D. aliàs non erit perfectè adulterium impedimentum præstans; ut exigunt jura, in re odiosa strictè interpretanda. Et quod prius Matrimonium, quo durante promissio futuri Matrimonii inter adulteros facta est, fuerit verum, & validum Matrimonium, & si ratum tantum, & nondum consummatum. Si enim Matrimonium illud reipsa fuisset irritum, & ut tale cognitum, ac definitum, adulterium existimatum cum promissione futuri Matrimonii nullum præstaret impedimentum, ut expresse dicitur *cap. 2. De eo, qui duxit.* (Ubi decernitur Matrimonium metu contractum, nec postea tacitè, vel expressè ratificatum, eo quod irritum sit, non obstari valori Matrimonii alterius, initi cum adultera) & ut notat *Sanch. disp. cit. nu. 30.* cum pluribus ibidem, & docent communiter D.D. Non est autem necesse ad hoc impedimentum inducendum, ut utraque pars sit copulata conjugio, sed tantum necesse est, quod unaquæque habeat notitiam proprii Matrimonii, vel alterius adulteri, ut constat *ex c. Capitib. p. & 7.* (in quibus, quia fœmina ignoravit Matrimonium alterius, ob quod non peccavit peccato formali adulterii, dicitur, non incurrisse dictum impedimentum,) & notat etiam *Hurtado de Matrim. disp. 23. Difficultate 2. n. 6. Vers. Circa adulterium*: existimans præterea contra *Sanch. disp. c. 79. nu. 31.* ad hoc impedimentum sufficere, quando uterque adulter est conjugatus, nosse proprium conjugium, quamvis ignoret alterius: Quia (inquit *Hurtado*) in hoc casu verè uterque peccat peccato adulterii, & adulterium formaliter ex parte utriusque committitur. In dictis autem *Capitib. p. & 7.* dicitur, fœminam ignaram Matrimonii Viri, non incurrisse dictum impedimentum, quia fœmina ipsa (ut ibi supponitur) non erat conjugata: Ita *Hurtado*. Opposita tamen sententia *Sanchezii l. c.* & aliorum apud ipsum, & apud *Escobar. in Theol. Moral. lib. 27. sec. 2. dub. 49.* communior est apud *Gobat. in Alphab. Matrimoniali par. p. Casu 10. nu. 194. in fine.*

1080 Quo verò ad promissionem Matrimonii junctam adulterio, ut hæc contrahat dictum impedimentum dirimens; requiritur, ut inter complices, & criminis participes sit exterioribus signis expressa: quia se habet ad instar Sponsalium, & per modum contractus: Nam promissio merè interna juncta adulterio, non præstat hoc impedimentum, eo quod ea utpotè alteri ignara non præbet ansam machinandi mala, & mortem conjugi. Ita *Sanch. disp. c. 79. n. 9.* cum communi. Ab aliquibus petitur quod sit mutua: sed ad minus requiritur quod sit ab altera parte acceptata, acceptatione manifestata aliquo signo exteriori. Et ratio est, tum quia acceptatione seclusa, non habetur fidei datio, quam *Textus Iuris* requirunt, sed nuda solum pollicitatio, seu fidei oblatio, non datio, quia nulli datur, quod à nullo accipitur: tum etiam quia, ut promissio juncta adulterio inducat hoc impedimentum debet esse apta ad inducendum effectum, ob quem à jure idem impedimentum statutum est, atqui seclusa acceptatione alterius partis non est apta ad inducendum illum effectum, si quidem si promissio facta ab una persona, non acceptatur ab altera, non præbet sufficienter occasionem machinandi mortem conjugi. Unde si Viro promittente mulier

non acceptet promissionem, sed illam respuat; vel negativè se habeat, non sequitur hoc impedimentum. Neque facit hic *Regul.* 43. *Qui tacet consentire videtur*, *de Regulis Juris in* 6. nam hæc admittitur in sibi favorabilibus; non in id quod in ipsius damnum cedit, ut D. D. communiter colligunt ex eadem Regula apud *Coninch* mox citandum; nec *qui tacet consentire videtur* in sibi odiosis, nocivis, & pœnalibus, ut in casu hujus impedimenti, quod inducitur tanquam pœna, ideò restringenda: hinc etiam *Glossa* super eadem *Reg.* 43. sic ait: *Ubi agitur de commodo, & honore tacentis, tacens videtur consentire. Sed si agatur de suo incommodo, non habetur pro consentiente*. Non requiritur autem quod hujusmodi promissio sit jurata: quia *jura*, & Doctores hoc non exigunt; sed quod de se nata sit obligationem parere. Ita *Palud.*, *Sotus*, *Vega*, *Henriquez*, *Sanch.*, *Pontius*, aliique, quos citat, & sequitur *Leander de Matrimon. disp.* 14. *qu.* 12.

1081 An verò sufficiat promissio ficta, quæ seriò facta exterius appareat, & acceptatur omnino? *Sanch. disp. c. n.* 10. *Coninch de Sacram. disp.* 31. *dub.* 5. *n.* 57. *Palaus l. c. n.* 11. *Leander disp. c. qu.* 11. aliiq; penes ipsos, affirmant, & eorum communis ratio est, quia talis promissio, & si ficta ex parte promittentis, verè ansam præbet promissario, qui eam veram, & seriò factam arbitratur, insidias machinandi conjugi innocenti, quod *jura* intendunt evitare. Sed negant, *Henriq. lib.* 12. *de Matrim. cap.* 14. *n.* 3. *Sà De Matrimonii Impediment. dirimentib. n.* 7. *Bonac. punc.* 6. *c. n.* 8. *Hurtado difficult.* 2. *c. n.* 9. *Layman. lib.* 5. *trac.* 10. *par.* 4. *cap.* 10. *nu.* 4. *Vers. Quarta Conditio. Aversa de Matrim. qu.* 18. *sec.* 3. *vers. Sufficere quoque. Diana to.* 2. *Coord. tract.* 6. *res.* 168. & 169. *Ex par.* 3. *tract.* 4. *res.* 197. *aliàs* 198. *ex par.* 9. *tract.* 7. & *Miscell.* 3. *res.* 26. *Trullench de Sacram. libr.* 7. *cap.* 9. *dub.* 10. *Conclus.* 3. *n.* 9. aliique. Quorum etiam ratio est: quia ficta promissio non est vera promissio, & sicut verum adulterium, sic veram exigunt promissionem. Nec tanta datur occasio machinandi conjugis mortem quando ficta promissio est, ac quando ex parte utriusque ut vera est acceptata: quia tunc uterque posset moveri ad talem machinationem: at in casu nostro, illa solum pars, quæ eam veram judicat: unde non currit omninò ratio à juribus intenta; & si curreret, in his, quæ sunt odiosa, ut est apponere impedimentum dirimens Matrimonio, strictè interpretanda sunt, nec ad similia extendenda.

1082 Et sicut non sufficit ad contrahendum dictum impedimentum, promissio ficta cum adulterio; sic nec promissio (cum adulterio) conditionata, & conditione ante mortem conjugis non impleta, ita ut transierit promissio in absolutam per adventum ejusdem conditionis, ante conjugis mortem: ut si adulter dicat adulteræ, *Ducam te in Uxorem, si meus Pater ab Urbe discesserit*: sic conditionatè promittendo, necesse est ut discessus Patris sit ante mortem conjugis, ut cum adulterio consurgat impedimentum: ita *Coninch dub.* 5. *c. nu.* 59. *Aversa sec.* 3. *c. vers. Rursus sufficere. Hurtado Diffic.* 2. *c. n.* 10. *Palao l. c. n.* 13. *Laym. n.* 4. *c. Vers. Sexta Conditio. Trull. n. cit.* 9. *Tambutin. de Matrim. lib.* 8. *tract. p. cap.* 6. *§.* 3. *n.* 4. & alii: asserentes omnes, promissionem esse debere puram, aut saltem ante mortem conjugis purificatam, quia promissio conditionata ante conditionem impletam non est simpliciter promissio, aut fides data, quam requirunt Sacri Canones: esto enim conditionata promissio obliget expectare conditionis eventum, pendente tamen conditione non obligat exequi quod promissum est, idcircò non debet censeri promissio simpliciter, & absolutè. Cum hoc autem impedimentum annexum sit promissioni conjugis, de vera, & propria promissione, & quæ aliàs obligationem conjugii induceret, intelligi debet. Verba quippe legis, in pœnalibus maximè, non extendenda, sed potius restringenda sunt. Et ratio hæc probat, quamvis ex prædicta etiam conditionali promissione daretur ansa occidendi conjugem, quia ob rationis similitudinem non debet fieri extensio in pœnalibus. Accedit quod ex promissione conditionata ante mortem conjugis non æquè datur occasio conjugem occidendi, sicuti ex promissione absoluta; siquidem ex conditionata concipitur spes conjugii, sed sub dubio, & sub conditionis eventu.

1083 Tandem præter ea, quæ hactenus recensita sunt ita necessaria ad statuendum dictum criminis impedimentum dirimens matrimonium: insuper requiritur verum, & formale adulterium, ad quod necesse est, quod uterque habeat notitiam proprii Matrimonii, aut Matrimonii alterius adulteri, & si caret hac notitia, ità ut una pars ignoret alteram esse conjugatam, hujus ignorantiæ causa impedimentum hoc non inducitur, ut in proposito privilegio, quod concedunt communiter D. D. apud *Trull. n.* 9. *c. Conclus.* 4. in qua sic: *Requiritur*, *ut*

Adulte-

Adulterium sit utrique notum, ut diximus n. 2. & 3. Conclusione, & docent communiter D. D. unde non induceretur hoc impedimentum, si ipsa ignoraret eum, cum quo contrahit Matrimonium, esse Conjugatum: & si dum sciverit, illum esse Conjugatum, se separat ab illo, & illum amplius non cognoscit, poterit mortua illius Uxore, cum illo Matrimonium inire: minimè verò, si adveniente scientia Matrimonii illius, eum cognoscat, quia jam tunc, vivente alterius Uxore, adest formale adulterium conjunctum cum Matrimonio.

1084 Ratio hujus privilegii est apertissima: Quia, solo Jure Ecclesiastico ex dictis, & per omnes impedimentum dirimens (de quo hic) inductum est, & Jus ipsum Ecclesiasticum exigit in eodem impedimento, & ad sui subsistentiam dictam notitiam, & scientiam, ergo ubi adest opposita ignorantia impedimentum abest. Minor subsumpta probatur *ex Textu Canonico*, & authentica sententia, seu rescripto *Alexandri III. cap. p. De eo, qui duxit:* ubi sic loquitur. *Propositum est nobis, quod quidam vir uxorem habens, sibi aliam hujusmodi rei insciam copulaverit, sed prima mortua, discedere nititur à secunda. Sed licet in Canonibus habeatur, ut nullus copulet Matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maximè, cui fidem dederat uxore sua vivente: vel quæ machinata sit in mortem uxoris; quia tamen præfata mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem; nec dignum est, ut præfatus vir qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet. Consultationi tuæ taliter respondemus; quod, nisi Mulier divortium petat, ad petitionem viri non sunt aliquatenus separandi;* sic Pontifex *cap. p. c.* Ex quo, sicuti *ex cap. 7. ejusdem Tituli De eo qui duxit. Lib. 4. Decretal.* clarè habes, quia Mulier ignoravit matrimonium alterius, ob quod non peccavit ipsa peccato formali adulterii, ipsam excusari, nec incurrisse hoc impedimentum: & hoc idem dicit privilegium propositum. Ergo. Confirmatur, Quia *jura*, quibus hoc impedimentum statuitur, mentionem faciunt adulterii, quod ex utraque parte tendit in injuriam conjugis, præbens quoquo modo occasionem mortis ei machinandæ, hanc autem rationem non habet illa copula, quæ propter ignorantiam, excusationem præbet. Ergo. Accedit pro hoc eodem privilegio auctoritas nedum præcitatorum Doctorum verum etiam omnium de Matrimonio, & impedimento criminis in specie scribentium. Quorum aliqui affirmant, quod si unus adulterorum, etiam per crassam negligentiam ignoret adhuc vivere alterius conjugem, non incurret impedimentum. *Sanchez, Layman, Coninch,* aliique: etiam *Canones, scientiam exigunt*. Ergo ignorantia liberat ab hoc impedimento, sicque verum privilegium.

1085 Quomodo autem se gerere debeant qui putantes coniugem jam esse mortuam, vel mortuum, bonaque fide contraxerunt matrimonium, postea vero cognito, coniugem adhuc vivere, committunt, vel pergunt committere adulteria, idque quasi ex vi prioris contractus? Accipiant tales, Responsum *Doctoris Navarri* ad similem casum sibimet propositum *tom. 2. Consilior. lib. 4. Consil. 3. in eundem titulum: De eo qui duxit*. Antonius vivente priori uxore, motus rumore mortis ejus, quæ degebat longè distans ab eo, contraxit cum Berta ignorante Antonium habuisse uxorem, de cujus morte nil certi constabat: quæ Berta etiam, postquam deinde cognovit vivere uxorem Antonii, perrexit facere Antonio potestatem sui corporis. Nunc vero sepulta priori sua uxore, & superstite secunda, quærit Antonius, quid sibi faciendum? Sapientiss. *Navarr. Resp. Primò*. Non posse illos convivere, nisi eliciant novum consensum; quandoquidem matrimonium non valuit vivente prima uxore. *Secundò*. Licet novum consensum eliciant, attamen fore illicitum, ac irritum, nisi accedat dispensatio Pontificis; quandoquidem Berta perrexit carnaliter adhærere Antonio, etiam postquam cognovit adhuc vivere illius uxorem. *Tertiò*. Antonium teneri ducere Bertam volentem; quia illam ab initio decepit, utique non contracturam, si cognovisset, esse incertum, an viveret prior uxor. *Quartò*. Illam renovationem consensus fieri debere coram Parocho, & testibus; esto jam præcesserit in facie Ecclesiæ matrimonium illud invalidum. Verum quoad hoc existimo esse attendenda, ac examinanda verba, & præcepta, in rescripto, & dispensatione Summi Pontificis contenta, illaque exequenda. Sed

1086 Quæres, An hujus impedimenti dirimentis ignorantia, excuset, ac prosit, ita ut qui adulteravit cum coniugata cum promissione ducendi illam in uxorem mortuo Marito; possit absque dispensatione Pontificis matrimonium cum eadem inire, si dum commisit adulterium, nesciebat impedimentum dirimens ex illo proveniens. Huic eidem quæsito *Carolus De Baucio in Miscell. Casuum Consc. to. 2. Opusc. p. qu. 176.* satisfacit sic. *Quis commisit adulterium cum promis-*

promissione contrahendi matrimonium secuta morte alterius Coniugis, vel interfecit virum ad finem contrahendi matrimonium, sed ignoravit invincibiliter ex hoc crimine non potuisse sequi matrimonium absque dispensatione Summi Pontificis; an inciderit in hoc impedimentum dirimens? Respond. Hunc casum non inveni apud Sanchez, qui diffusè agit de matrimonio, nec apud amicissimum Dianam, qui profitetur peregrinas Doctorum opiniones in lucem edere ad utilitatem fidelium, & ad tollenda peccata mundi; ac proinde operepretium existimavi typis mandare doctrinam Paludani à mentibus fidelium abolitam, cum hic Auctor sit antiquus, & apud Bibliopolas non reperiatur. Ait hic Auctor in sent. dist. 34. qust. 2. nu. 17. & citat Canones, quod requiritur scientia hujus impedimenti, ad hoc ut incurratur tale impedimentum: quam scientiam hujus impedimenti Paludanus requirit ex parte utriusque contrahentis ad hoc ut incurratur supradictum impedimentum, nec sufficit ut unus contrahentium sciat hujusmodi impedimentum. Fernandez in Marcella Casuum Conscientiæ par. 3. cap. 16. sec. 5. in fine, citat Paludanum, & Majorem quæst. 2. dist. 37. quæst. p. art. 4. & dicit esse communiorem opinionem, nempe requiri scientiam hujus impedimenti, ad hoc ut quis incurrat. Ratio potest esse, quia hujusmodi impedimentum, ut supra dictum, est impositum ab Ecclesia in pœnam delicti: sed pœnas (ait Sanchez in Summa lib. 4. cap. 22. n. 18.) non incurri ab ignorante illas invincibiliter, & dicit hanc esse probabiliorem opinionem. Ergo. Hactenus *Baucius*: cujus, seu potius *Paludani* doctrina non obstante.

1087 Respondeo ad quæsitum cum *Diana to. 2. Coord. tract. 6. ref. 170. ex par. 10. tr. 13. & Miscell. 3. ref. 51.* & aliis communiter. Non prodesse in præfatis, nec excusare ignorantiam impedimenti etiam invincibilem, & nedum juris, sed nec etiam facti. Quia impedimenta matrimonii dirimentia, imposita sunt non solum ut pœnæ, verum etiam principaliter tanquam inhabilitates, ut communiter D.D. apud, & cum eodem *Diana ref. c. 170. n. 2.* ubi, quod non profit ignorantia nedum juris, sed nec etiam facti. Unde affinitas ignorata ante matrimonium illud dirimit, ut docet *Joannes de la Cruz in Direct. De Matrim. art. 5. dub. 9. concl. 2.* aliique communiter. Hinc generaliter loquendo, ad incurrendum quodvis impedimentum dirimens, ita & hoc criminis impedimentum, non requiritur scientia hujus impedimenti, nec excusat ignorantia: quia hoc impedimentum ab Ecclesia inductum est, non præcisè in pœnam delicti, sed principaliter ad absterrendos homines, ne spe matrimonii, crimina committant, pro ut unanimiter supponunt D.D.

1088 Confirmatur *Primò*: quia lex prohibens, seu irritans contractum matrimonii (de quo in quæsito) non est principaliter pœnalis, sed irritativa contractus, & obvians malis: ergo quoad ipsam nil prodest ignorantia etiamsi invincibilis esset, juris, vel facti: *Secundò*: Quia matrimonium est quidem sacramentum, sed etiam contractus, imò ratio contractus antiquor est ratione sacramenti: contractus autem, ut sit legitimus, subiacet dispositioni Reipublicæ, & sic etiam contractus omnes, ut patet: sicque potest Respublica varias conditiones exigere, sine quibus contractus, nec censeatur, nec sit legitimus: Ergo & Ecclesia potest certas conditiones exigere in contractu Matrimoniali, sine quibus contractus iste non sit validus, & proinde etiam instituere potest, uti instituit, impedimenta matrimonium dirimentia: quoad hæc autem, ignorantia etiam invincibilis nihil prodest; sicuti à simili nec prodest respectu irregularitatis, quæ propter solam significationem contrahitur, ex defectu lenitatis, vel natalium, ex bigamia, ex defectu corporis, aut animæ: data enim quacumque ignorantia juris, vel facti, hujusmodi irregularitas contrahitur; nec per ignorantiam tollitur: *Cajet. par. 2. qu. 76. ar. 3. §. Ad hoc dicitur. Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 32. n. 15. Bonac. de Cens. disp. p. punc. p. nu. 13. Diana to. 6. Coord. tract. p. ref. 38. nu. 6. ex par. 11. tr. 4. & Miscell. 4. ref. 4:* ubi, ex data similitudine, & paritate irregularitatis præfatæ, & inhabilitatis, quæ utique contrahitur etiam ab ignorantibus illam invincibiliter, talia esse concludit impedimenta matrimonii dirimentia, quæ cum sint non puræ pœnæ, sed inhabilitates, & sub nomine inhabilitatum comprehendantur, incurruntur, etiam si adsit ignorantia invincibilis tum juris, tum facti. *Tertiò*: Accedunt in confirmationem, & alia similia, ex Lege Civili, & Canonica, in quibus ex. gr. prohibetur ne Testamenta condantur nisi sub certo numero Testium: ne Professio emittatur, nisi completo integro anno Novitiatus, & post annum decimum sextum: Et si quis Testamentum conderet, Professionemque emitteret sine dictis conditionibus, ex ignorantia invincibili, Testamentum, & Professio, ignorantia non obstante, essent irrita. Sic igitur est in casu nostro (ait etiam *Diana ref. c. Coord. 170.*) licet aliquis adulterium, & homicidium committat, cum ignorantia inculpabili, &

invin-

invincibili impedimenti Criminis, hoc non obstante, matrimonium erit nullum absque prævia dispensatione contractum: uti esset si aliquis postquam cum Matre rem habuit, copulam haberet cum filia, ignorando inculpabiliter impedimentum affinitatis: hac enim ignorantia non obstante, si contraheret cum ista sine dispensatione prævia, nullum esset Matrimonium. Quorum omnium ratio est, ut supra, quia videlicet impedimenta matrimonium dirimentia, ab Ecclesia imponuntur, non tanquam puræ pœnæ, sed tanquam inhabilitates, & conditiones irritantes, & annullantes actum subsequendum: ita *Diana ref. c. 170. nu. 3.* ubi in fine allegat *Magistrum Serra to. 2. in p. 2. D. Tho. qu. 96. art. 4. ad 3.* docentem impedimenta matrimonii non esse propriè pœnas, sed inhabilitates, & ideo ignorantiam ab eis non excusare.

1089 Ex hactenus dictis, patet, ruere fundamentum *Paludani, & Baucii*, ac eorumdem suppositum; non enim ut ipsi volunt, Matrimonii impedimenta dirimentia, imposita sunt ab Ecclesia ut puræ pœnæ, uti sunt suspensio, interdictum, & irregularitas ex delicto, à quibus ignorantia inculpabilis excusat; sed ut inhabilitates, & conditiones annullantes actum faciendum, in quibus non prodest ignorantia, ruit ergo suppositum fundamentum, ideo, &c. *Qui tamen bona fide contraxerunt adstricti impedimento criminis, non vererer* (inquit *Patritius Sporer de Matrim. cap. p. Crimine 4. num. 114. in fine: fol. 122. cum Gobat p. p. Alphab. Matrimonial. Casu 10. n. 202. in fine) relinquere in bona fide.* Quod potissimum fieri potest quando ex admonitione nullus speraretur fructus: aut quando remedium difficillimum esset; ita ut scandalum, vel notabilis infamia; vel damnum grave inde sequeretur. Quando enim nullus speratur fructus, inicitur laqueum admonendo; nam qui ratione ignorantiæ non peccabat, peccabit postea admonitione: possumus igitur non admonere (nec ad id tenemur) laborantem ignorantia invincibili, quando non speratur fructus (sicuti nec vi præcepti correctionis obligamur alteri correctionem facere quando fructus non speratur) & ità expressè in simili casu tacendum esse, & relinquendo tales putativos conjuges in bona fide docent *Innocentius III. cap. Quia circa 6. de Consanguin. Coninch de Sacrament. disp. 8. dub. 17 n. 137. Sanch. de Matrim. lib. 2. disp. 38. Conclus. 4. n. 6. Suar. de Pœnitent. disp. 32. sect. 4. n. 4. Reginald. lib. 2. cap. 4. nu. 46. & libr. 31. cap. 31. nu. 229. Henriq. lib. 6. cap. 27. n. 4. Bonac. de Matrim. qu. 3. punc. ultimo. propos. 2. n. 4.* alique plures. Hinc

1090 Habes generalem regulam pro Confessariis in ordine ad admonendos suos pœnitentes ignorantia laborantes. Vel enim isti sunt in ignorantia vincibili, & culpabili: vel in inculpabili, & invincibili: Si primum; tenetur Confessarius admonere pœnitentem, eumque ex officio instruere, quando instructione indiget, atque admonitione; aliter Confessarius non instruendo pœnitentem ignorantia vincibili laborantem, se gereret infideliter. Ad idque tenetur Confessarius etiam si non speretur emendationis fructus: tum quia munus suum tenetur persolvere, munus autem Confessarii est repellere pœnitentem minus dispositum, illumque admonere: tum etiam quia fortasse aliquando proderit admonitio, cum fieri possit, quod pœnitens, cognito pravo statu, agitetur stimulis, & resipiscat. Unde in casu nostro Confessarius tenetur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia vincibili, & culpabili contraxit invalidè Matrimonium. *Sotus in 4. dist. 18. qu. 2. art. 4. §. Secundum assertum sit* (ubi sic; *Quando ignorantia est juris, quod omnes tenentur scire, sive divini, sive humani; vel facti, quod ille pœnitens scire tenetur, Sacerdos obligatur pœnitentem instruere quicquid sequatur, sive prosit, sive obsit. Res est clara, nam omnis talis ignorantia est culpabilis.*) *Coninch l. cit. n. 136. Suar. sect. c. n. p. Bonac. l. c. proposit. p. n. 2. & 3.* & alii. Si verò secundum; Quando Confessarius probabiliter fructum sperat, tenetur pœnitentem ignorantia etiam invincibili juris, vel facti laborantem admonere, ut relinquat statum, qui materialiter est status peccati, quamvis excusetur per ignorantiam, *Coninch. nu. c. 136. Suar. sec. c. n. 3. Bonac. l. cit. propos. 2. nu. 4.* & alii. Ratio est, tum quia tenemur ex charitate admonere proximum, etiam si ignoranter faciat id, quod ex se peccatum est, quando est spes fructus, ut patet ex materia de correctione fraterna, quia hæc ipsa ignorantia, & hujusmodi status, de se est magnum malum proximi, & ideo ipsa misericordiæ ratio obligat ad subveniendum illi, quando est spes fructus, juxta generales Regulas misericordiæ. Tum quia Confessarius ratione officii vicem gerit Pastoris, & Doctoris; tenetur igitur si commodè fieri potest (& fructum sperat) illuminare pœnitentem etiam invincibili ignorantia laborantem: ad id non tenetur si fructum non speret, ut supra dicitur, & probatur.

tur. Circa quod tamen

1091 Adverte cum *Suar. sec. c. num.* 2. Aliud esse (supposita præfata ipsius pœnitentis ignorantia) tacere Confessarium veritatem, aliud mentiri, & pœnitentem in suo errore quoquo modo confirmare. Confessor igitur nullo modo debet falsum dicere, vel pœnitentem suo in errore confirmare, ut ex se clarè patet, quia hoc est intrinsecè malum. Hinc fit, quod si pœnitens interroget, vel dubitet, veritas illi aperienda sit. An verò liceat interdum dissimulare, & occultare, cùm hoc non sit falsum dicere, nec errori favere. Distinguo cum eodem *Suar.* Si dubitat pœnitens de re, quæ ad jus pertinet, seu præcepti obligationem, nullo modo Confessor potest dissimulare, sed explicare debet pœnitenti obligationem quam ipse habet, supposita facti narratione, quam ipsemet proponit. Quia tunc Confessor habet rationem Pastoris, & Medici, idcirco ad illius munus pertinet veritatem docere; tacendo enim, & dissimulando, fuimet etiam auctoritate confirmaret, pœnitentis errorem. Si verò ad factum res pertinet, tenetur etiam interrogatus veritatem fateri, & non plus dicere quam interrogatus sit. Ut si dubitet uxorata an possit reddere debitum Marito petenti propter Votum castitatis quod habet, licet sciat illam habere aliud impedimentum quod irritavit matrimonium, potest respondere simpliciter, votum non impedire redditionem debiti, reliqua verò tacere invincibiliter ignorata: quando maximè Confessor non sperat fructum, ut supra: quia tunc nec tenetur ratione officii, nec ratione charitatis admonere pœnitentem, cum aliàs supponatur bene dispositus, & integrè confessus formaliter: Unde & *D. Augustinus in cap. Si quis autem de Pœnit. d.* 5. in hujus Confirmationem ait: *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* Videatur *Suarez sect. cit.*

PRIVILEGIUM SEXTUM.

Qui scit impedimentum aliquod dirimens matrimonium, occultum tamen, & adeò occultum, ac ignoratum ab aliis, ut ipse solus noverit, probarique nullo modo queat, excusatur ab obligatione denunciandi, ac detegendi illud.

1092 Negant hujusmodi privilegium *Sanch. (aliis relatis) de Matrim. Tom. p. lib.* 3. *disp.* 13. *n.* 2. *Fagund.* 2. *Eccles. Præcep. lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 4. *Henriq. de Matrim. libr.* 11. *cap.* 14. *nu.* 5. *Bonac. De Matrim. qu.* 2. *punc.* 6. *n.* 10. *Coninch de Sacram. disp.* 27. *dub.* 7. *conclus. p. n.* 61. *Gaspar Hurtado de Matrim. disp.* 5. *Diffic.* 21. *n.* 75. *Filliuc. to. p. tract.* 10. *par. p. cap.* 5. *Vers. Dico* 3. *n.* 185. *Trull. De Sacram. lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 11. *n.* 3. *Palao par.* 5. *de Sponsalibus disp.* 2. *punct.* 13. *§.* 6. *n.* 5. *Leand. p.* 2. *De Matrim. trac.* 9. *disp.* 7 *qu.* 88. aliiq; plures: unanimiter sentientes quod si unus tantum sciat tale impedimentum, & consequenter ob aliorum ignorantiam illud probare haud possit, teneatur nihilominus idemmet impedimentum denunciare. Omnium fere ratio est: tum quia, ut ait *S. Tho.* 2. 2. *qu.* 70. *art. p. ad.* 2. quisque tenetur manifestare peccatum occultum inferens damnum tertio, quando Prælatus interrogat legitimè, ut in casu hujus Privilegii, in quo Superior per denunciationes interrogat legitimè, atqui subticere occultum impedimentum dirimens Matrimonium, vergit in magnum præjudicium tertii, nimirum tum alterius conjugis impedimentum ignorantis: tum futuræ prolis, quæ ex tali Matrimonio nasceretur illegitima, tum etiam ipsius Sacramenti, quod in hujusmodi casu magnam pateretur irreverentiam, quatenus nullitati exponeretur. Tum quia, cum in manifestando impedimento Matrimonii occulto, non agatur de crimine puniendo, sed de eo impediendo ne fiat, tanta probatione non est opus, sed sufficit unus testis, quamvis sit denunciator cui non incumbit onus probandi, sed ad Parochum, vel Prælatum spectat, quid faciendum sit providere. Tum etiam quia, licet in aliis rebus, in quibus agitur de punitione rei, spoliatione possessionis, &c. non sufficiat unius testimonium ad faciendam fidem, bene tamen in casu hujus Privilegii, in quo agitur de evitando peccato, & animæ periculo, ne impediti contrahant contra Ecclesiæ præceptum, illegitimè, & invalidè.

1093 Et hoc (addunt) verum est, licet etiam sub secreto naturali (extra sigillum Confessionis intellige) tale impedimentum sciat: imò etiam si juraverit se nunquam manifestaturum. Tum quia, ut docet *S. Tho. l. c.* secretum naturale non obligat; consequenter nec juramentum adhærens illi, quando imminet damnum commune, aut periculare tertiæ personæ. At per hoc quod matrimonium cum impedimento dirimente contrahatur, imminet damnum commune, cum ex illo plura incommoda sequantur, tum conjugibus, tum filiis ex eisdem ortis, qui illegitimi erunt, tum consanguineis,

sanguineis, & aliis, inter quos jurgia, & dissensiones orirentur, si postea detecto impedimento matrimonium dissolvatur. Tum etiam quia (ut supra etiam) hic non agitur de damno, aut punitione alicujus, sed de peccato vitando, & eripiendo contrahente à morte spirituali sibi imminenti. Quare lex de impedimento hujusmodi detegendo; cum respiciat vitam animæ, legi est præferenda, de observando secreto naturali: proindeque illicitum erit illud in tali casu observare, & cum sit juramentum iniquitatis, ad hoc obligare non poterit: ita præcipuè: *Trull. n. 3. c. Leand. disp. c. q. 87. Sanch. l. c. n. 5. Vers. Verum dicendum, ubi citat Paludan. & alios. Hurtado n. c. Aversa de Matrim. qu. 7. sec. 4. Vers. Tenetur detegere*: aliique plures. Limitantes tamen obligationem hanc revelandi occultum impedimētum, quoties tantum id commodè fieri potest: quotiesque prudenter non timetur sequuturum revelanti maximum detrimentum, aut grave damnum, aut magnum scandalum inter alios, ut idem advertunt *Navarr. in Summa cap. 22. n. 83. Aversa sec. c. Vers. Non autem. Coninch l. c. n. 62.* & alii. Quia in his casibus, nec fraterna correctio, neque præceptum Ecclesiæ, aut Superioris, imò nec lex ipsa charitatis obligant, cum tanto suo, vel aliorum dispendio, ut communiter D. D. & videre est apud *Petrum Navar. de Restit. lib. 2. cap. 4. n. 228.* Quæ autem dicunt relati Doctores de obligatione manifestationis impedimenti matrimonium dirimentis; suo modo, & proportionaliter applicant etiam impedimento matrimonium impedienti: Quia licet hoc non irritet matrimonium, facit tamen ut illicitè, & cum peccato contrahatur; unde impedimentum istud sciens, & congruè potens ejus detectione peccatum impedire, hoc facere tenetur.

1094 Ex opposito tamen ab hujusmodi obligatione excusant, admittuntq; nostrum propositum privilegium, *Supplementum Gabrielis d. 28. qu. 2. art. 3. dub. penult. Joannes Major in 4. sentent. dist. 21. qu. 2. art. 3. Sà, Verbo Matrimonium n. 23. Pontius de Matrimon. lib. 5. cap. 34. n. 5.* Ubi sic: *Mihi placet sententia, quæ negat obligationem esse detegendi impedimentum Matrimonii, si illud est omnino occultum; & ipse solus novit, ità ut probari nullo modo possit, quam sententiam tenuit Major in 4. &c. & eadem mihi sententia placet; eamque per partes explicare, & probare conabor, ut magis constet ejus veritas*: ità *Pontius*, quem refert etiam, nedum *Diana to. 2. Coord. tract. 6. res. 69. n. 2.* verum & eundem sequi, & approbare videtur: dum *n. c. in fine*, sic ait: *Pontius, fusè hanc sententiam explanat, & probat: unde quando acciderit casus, lege illum, & omnia solidè pertractata invenies.* Subdens postea *n. 3. Nota etiam, quod dictus Basilius Pontius n. 11. respondet ad argumentum contrarium desumptum ex cap. præterea, de Spons. Qui postea in cap. 36. n. 2. sic etiam asserit. Delato ad Ordinarium impedimento, si unus tantum testis sit absque aliis adminiculis, censeo non posse interdici Matrimonium, nec deberi, per ea, quæ adduxi supra cap. 4. unus enim testis, etiam in causa matrimonii non probat, etiam quoad effectum impediendi Matrimonium, quidquid dicant multi, gravesque Doctores. Ità ille, quæ omnia valdè notanda sunt, quia nova, & practicabilia sunt.* Sic concludit *Diana l. c. Ex par. 3. tract. 4. res. 220. aliàs 221.*

1095 Probatur ergo hæc secunda sententia (consequenter Privilegium propositum) ex doctrina ejusdem *Pontii*: Tum quia, commune est in aliis rebus neminem obligatum esse denunciare quod probare non potest, ut docent *Navarr. de Restit. lib. 3. cap. p. in secunda edit. nu. 358.* & cum aliis *Guttierr. lib. p. Canonicar. Qq. cap. 11. n. 21.* ne ut impostor, aut calumniator habeatur: ergo similiter in præsenti. Tum quia, etiamsi nonnulli Doctores asserant adesse quandoque obligationem manifestandi id quod probari non potest, ideo affirmant quia tunc agitur de vitando peccato, & non inferendo damnum tertio, ad quod solus ille sufficit. At in casu hujus privilegii, nullum est peccatum, quod vitetur; neq; damnum quod inferatur: nam vel Conjuges sunt in bona fide, & nullum peccatum committunt contrahentes, utpote ignorantes se esse impedimento ligatos: & Matrimonium Ecclesia ipsa censebit validum; prolesque legitima nascetur, cum bona fide Conjugum suscepta sit, & in facie Ecclesiæ Matrimonio contracto: nullàque injuria Sacramento irrogatur, cum nullum efficiatur Sacramentum: ergo nullum est peccatum, quod vitari debet, nullumque damnum imminet, quod repelli necessarium sit: & dictum illius testis non sufficit, cum non probet. Vel conjuges sunt in mala fide, & ex mala fide procedunt, quia illis notum est impedimentum, & adhuc non videtur obligatus qui solus omnino novit, illud denunciare, cum ex suo tantum dicto nec probari impedimentum possit, nec Matrimonium impediri. *Cap. Licet ex quadam de testibus.* Quod efficacius procedit, si impedimentum procedat ex de-

licto, cum absque fructu, alicui, infamia inferenda sit. Et hinc patet solutio fundamenti prioris, & oppositæ sententiæ. Vide *Pontium cap. c.* & adverte, me admittere privilegium, quando (tantum) qui novit impedimentum, certus est quod nullus alius præter ipsum illud idem noverit, suamque denunciationem nihil esse profuturam: sub qua restrictione etiam *Palao §. 6. c. n. 7. in fine*, admittere videtur sententiam *Pontii*, & aliqualem probabilitatem eidem concedere, quamvis superius *nu.* 5. absolutè affirmarit primam sententiam *Sanch.* omnino consulendam esse: en *Palai* verba: *Ut sententiam Basilii Ponce aliquam probabilitatem videatur habere, debes certus esse, nullum alium à te impedimentum nosse, tuamque revelationem nullius fore utilitatis, &c.*

PRIVILEGIUM SEPTIMUM.

Conjuges ignorantes tactus inter se exercitos ob solam voluptatem captandam, sine periculo tamen pollutionis, & absque animo perveniendi ad copulam, esse saltem peccata venialia, ab ipsismet venialibus excusantur.

1096 SUpponit privilegium, hujusmodi tactus, sive actus, aspectus, confabulationes turpes, &c. esse quidem venialia peccata, in coniugibus illicita, non tamen in ipsis mortalia, quando abest periculum effusionis seminis extra vas, etiamsi fiant animo ad copulam haud perveniendi. Et quamvis non desint qui affirment in coniugibus etiam, esse mortalia, ut videre est apud *Sanch. de Matrim. to. 3. lib. 9. disp. 44. n. 2. Gaspar. Hurtadum de Matrim. disp. 10. diffic. 10. sub n. 46. Dianam to. 2. Coord. tract. 6. res. 191. Ex par. 3. tract. 4. res. 224. aliàs 225.* & alios (Qui ducuntur ad id affirmandum, tum quia venerea delectatio, non intenta ob bonum prolis, aut in ipsum relata, omnibus interdicitur, prohibeturque sub culpa lethali: tum quia talis delectatio est quasi incepta seminis effusio, ad illamque tendit, cum ipsam comitetur commotio membrorum generationi inservientium; hæc autem lethalis est, extra copulam coniugalem: tum etiam quia eadem delectatio in Viduis est lethalis, ergo & Coniugibus, quando non est voluntas, vel opportunitas habendæ copulæ) quamvis inquam id aliqui affirment, contrarium tamen docent communiter Doctores. *Sanch. l. c. nu. 3. Coninch de Matrim. disp. 34. dub. 11. nu. 114. Hurtadus nu. c. 46. Vers. Sanc. verò. Gobat. par. 2. Alphabeti Matrimonialis Casu 17. n. 656.* aliique communiter, solam esse videlicet culpam venialem, tactus, oscula, turpes fabulationes, &c. inter coniuges, ob solam voluptatem in ipsis captandam absque animo perveniendi ad copulam: si namque mortalia essent, *Væ væ Coniugatis*, ait *Diana l. c. n. 2.* Ideò autem non sunt mortalia, quia libido, seu voluptas in ipsis tactibus, & actibus reperta, non quæritur omnino extra matrimonium, sed in ipso: hi etenim actus, ideo inter solutos sunt mortales, quia excitant delectationem veneream similem illi, quæ habetur in copula, & ad hanc natura sua ordinantur; in quibus igitur illicita est copula sub reatu mortali, ita & hujusmodi tactus, &c. & in quibus matrimonium excusat libidinem quæsitam in copula, saltem à mortali, ità etiam excusabit saltem à mortali libidinem in dictis actibus quæsitam, utpote coniugalem. Ex quo infertur responsio ad argumenta opposita. Ad primum enim dic cum *Sanch. l. c. n. 7.* assumptum verum esse, ubi matrimonium non adest, excusans à mortali eam delectationem veneream, vel illa capitur in cogitatione concubitus non coniugalis cogitati. Ad secundum, eam delectationem ordinari ad coitum cum proprio coniuge, & seminis emissionem intra legitimum vas, quod sufficit ne sit mortalis culpa, quamvis tunc copula non habeatur, vel haberi non possit. Ad tertium disparem esse rationem, quia in Viduis prohibitus est coitus, & delectatio consequenter sensitiva cogitationis illius, & deficit matrimonium, utrumque excusans: Quæ secus in coniugatis se habent, idcircò in ipsis dicta delectatio, & voluptas, non est in hujusmodi actibus culpa mortalis.

1097 Est autem eadem voluptas utique venialis, ut vult D. D. communis, & privilegium propositum supponit: Ratio est, quia talis delectatio caret debito fine (nempe prolis bono) per copulam intento, & ad quem actus coniugalis à natura ipsa dirigitur. Quod confirmari potest, quia sicut opus coniugii ob solam voluptatem exercitum, non caret culpa veniali, quia caret bono fine (hoc est fine prolis) in ipsomet desiderato, ita similiter, nec actus prædicti eadem culpa carent, utpote debito prolis fine privati, & ita etiam argumentatur *Sanch. disp. c. n. 3. & 5.* Licet ergo hi actus non careant dicta veniali culpa, ab eadem excusari, illam ignorantes, affirmat privilegium nostrum: quod ex se patet, & pro-

batione

batione non eget. Innumeri autem sunt Conjugati qui hæc venialia ignorant, testes sint Confessarii ipsi, ego quoque. Uxorati namque, quamvis spirituales, & conscientiæ timoratæ, de his venialibus in eorum Confessionibus ferè nunquam se accusant; mulieres præcipuè, nec unicum verbum accusativum circa hoc proferentes: evidens argumentum, quod ipsæ saltem sint, hujus venialis reitatis ignorantes, ratione cujus ignorantiæ remanent consequenter ab hac veniali reitate immunes, atque excusatæ: Uti & à mortali, admissa opinione eorum, qui supra censent, continere prædictos actus culpam mortalem, cum respectu utriusque culpæ, mortalis videlicet, seu venialis, sit eadem ratio, privilegium idem. Et si quis dicat Uxoratos non se accusare in Confessionibus de prædictis actibus, eo quia & ipsi supponunt illos continere solam culpam venialem, quam non tenentur, uti venialem (& de qua fortasse nec dolent) sacramentaliter confiteri, consequenter non esse inferendum, eorundem Uxoratorum silentium in Confessionibus, ortum habere ab ignorantia, & ab ipsammet à culpa excusari, Respondetur Privilegium loqui, & debere intelligi tantum de ignorantibus dictam culpam, qui innumeri sunt (fœminei maximè sexus) experimentaliter loquor.

1098 Sed obiicies, non potest supponi ignorantia talis in conjugatis, cum ad eorundem statum spectet scire, & scire debeant, prædictos actus continere culpam venialem: cum igitur idem sit *scire, & debere scire*, ruit privilegium; & conjugatorum ignorantia, vel non supponitur, vel tantum abest quod in hoc casu excuset à peccato, ut potius causa sit peccati si in ipsis adest. Huic obiectioni facili negotio satisfit. Et in primis respondetur, falsum esse quod in ea primo assumitur, quod videlicet ignorantia talis, supponi non possit in Conjugatis, cum experientia ipsa oppositum omnino demonstret: quot quot ego ipse pœnitentes conjugatos excepi, tum Viros, tum Mulieres absque numero, ignorantia tali laborantes? Et quamvis ad horummet statum spectet scire (consequenter debere scire) dictos actus turpes, esse, saltem in ipsis, peccata venialia, ob id tamen non infertur nequire habere circa illos veram ignorantiam inculpabilem, verèque hanc adesse, & supponi posse in eisdem conjugatis: non enim universaliter verum est, idem esse, seu in idem coincidere, seu par esse, *scire, & debere scire*, quasi moraliter absolutè censeri debeat, scire, qui scire tenetur, id maximè quod ad ejusdem statum pertinet, & si id nesciat, & ignoret, culpabilis ejusdem ignorantia evadat: non inquam hoc verum universaliter est, unde nec dicta regula *paria sunt scire, & debere scire*, universaliter admittitur à D. D. ut etiam vidimus initio hujus tractatus *n. 17. & Cap. 4. privil. 3. n. 117. & etiam dicam sequenti cap. 27. privil. 24. in fine*. Ad hoc enim quod talis ignorantia sit culpabilis, non sufficit quod ignorans teneatur scire, sed quod proximè, & moraliter id possit, ut D. D. communiter: & quandoq; contingit, ut quis non sit in actu ut possit id moraliter scire, nimirum si præsertim nullo modo sit, vel fuerit excitatus ad hoc ut scientiam habeat, quod facillimè in casu nostro accidere potest, præcipuè in mulieribus conjugatis, quibus ob earundem sexum, ac modestiam, notitia ulla fortasse data, aut aperta fuit, nec scientia excitata circa turpitudinem culpabilem prædictorum actuum inter ipsas, & eorundem Viros. Unde cum in ipsis advertentia nulla adfuerit circa malitiam dictorum actuum, dubium ullum, nec scrupulus; ignorantia consequenter vera admittenda est in ipsis, ac supponenda; & talis, quod etiam excuset à peccato, nec sit causa peccati, ut in fine objectionis: Ignorantia enim, quæ excusat à peccato, non potest esse causa peccati, ut etiam docet *Passerinus in primum lib. Sexti Decretal. in cap. Ut Animar. 2. De constit. art. 13. quæst. primæ, n. 251.* neque peccati rationem habere, ut dicitur de crassa, & affectata, quæ scientiæ æquiparatur, & culpabilis communiter asseritur, uti est.

1099 An verò oscula, tactus, & amplexus non impudici, licitè fiant, & absq; culpa inter conjuges, si nullus alius finis intendatur in illis, quam sibimet ipsis indicia mutui amoris præbere, *Sanch. de Matrimon. to. 3. lib. 9. disp. 44. n. 10.* cum aliis ibi relatis, affirmativè respondet: tum quia hujusmodi actus ad id quoque à natura instituti sunt: tum etiam quia, sponsis pariter de futuro sunt sic liciti, & hoc probat *lib. c. disput. 46. n. 51.* quod esse certum apud omnes Doctores affirmat *Gobat Casu cit. n. 671.* Ubi sic: *Certum est apud omnes D. D. oscula, tactus, & amplexus non impudicos, licitè fieri inter Sponsos, quando fiunt secundum consuetudinem patriæ in signum benevolentiæ, ad conciliandum, & fovendum mutuum amorem in ordine ad Matrimonium, ita loquitur Perez disp. 8. sec. 6. n. 4.* & ita etiam (licet non ad verbum) idem *Sanch. n. c. 51.*

Nnn 2 dans

dans ibi rationem sui dicti, & conclusionis, quia videlicet, horum actuum finis est honestus, ergo omnino liciti, sicuti sunt inter conjuges. Limita tamen, modo in his actibus non adsit periculum pollutionis nec consensus in veneream delectationem. Qua de re vide eundem *Gobat l. c. n.* 672. 673. 674. & alios ab ipso allegatos. Et sis memor, quod tactus, amplexus, & oscula, si in se absolutè spectentur, sunt indifferentes, propriam bonitatem, vel malitiam sumentes ex motivo quo exercentur: *ut communiter Doctores:* At habiti inter Virum, & Fœminam, nedum ob delectationem carnalem, verum etiam ob solam sensibilem delectationem in appetitu sensitivo consurgentem ex ipsis, quamvis de fornicatione, nec de illius delectatione cogitetur, (& secluso etiam periculo consensus ulterioris, & pollutionis) sunt peccata mortalia. *Sanch. disp. c.* 46. *n.* 7. & talia sunt à fortiori inter personas ejusdem sexus, nam sic ordinantur ad longè pejorem concubitum: idem *Sanch. l. c. nu.* 8. aliique. Item memor sis non dari parvitatem materiæ in re venerea: Quod totum hic obiter dictum sit, occasione propositi Privilegii.

PRIVILEGIUM OCTAVUM.

Accedens scienter ad consanguineam suæ Uxoris in secundo gradu, ignarus tamen talis gradus consanguinitatis, sed existimans esse in tertio gradu, non impeditur à petitione debiti.

1100 AD consanguineam Uxoris suæ in primo tantum, vel secundo gradu accedens, committit incestum, quia in his dumtaxat contrahitur affinitas ex fornicatione orta, ex *cap. p. De eo, qui cognovit Conf. Uxor. suæ*, & privatur jure exigendi debitum; quod non evenit quando accessus, & copula habetur cum consanguineis alterius conjugis in tertio, aut quarto gradu: ità expresse *Sanch. de Matrimon. to. 3. lib. 9. disp. 27. n.* 14. ubi ait, *Copulam habitam cum Consanguineis alterius conjugis ultra secundum gradum, minimè impedire debiti exactionem.* Et ita etiam *Pontius de Matrim. lib. 7. cap. 33. n. 6. Hurtado de Matrim. disp. 10. difficult. 7. n. 30. Diana to. 2. Coord. tract. 6. ref. 242. n. 2. ex p. 11. tract. 5. & Miscell. 5. ref.* 38. aliique plures: imò communiter Doctores apud *Hurtad. & Dianam*. Rationem à priori assignantes: quia videlicet, affinitas non impedit, nec dirimit Matrimonium, nisi ob copulam ad quam ordinatur, quia est indecens inter affines, ergo eo ipso quod dicta affinitas restricta est per *Trident. sess. 24. De Reformat. Matrim. cap.* 4. ut non impediat, neque dirimat Matrimonium, nisi in primo, & secundo gradu, etiam censetur restricta, ut non impediat petitionem copulæ, nisi in eisdem gradibus. Unde, quamvis debitum petere sit distinctum à contractu Matrimonii; eo tamen ipso, quod affinitas non obstat contractui, neque obstabit petitioni debiti. Quibus præpositis.

1101 Privilegium probatur, tum ex doctrina, & Doctoribus supra relatis *in Privilegio 7. Cap. XI.* cum sit utriusque ratio eadem, ut patet. Tum ex *c. cap. De eo, qui &c.* Ubi: *Si quis cum filiastra sua, scienter, fornicatus fuerit: nec à Matre debitum petere, nec filiam unquam habere potest Uxorem:* Unde expresse hic petitur scientia affinitatis ad incurrendam privationem petendi debiti. Tum quia idem est ignorare consanguinitatem, ac ignorare gradum cui pœna privationis petendi debitum statuitur, Tum etiam quia pœna privationis debiti, solo incestui in primo, & secundo consanguinitatis gradu statuta est: At conjux habens copulam cum consanguineis alterius conjugis cum ignorantia talis gradus, excusatur ab ea incestus circunstantia, ergo & à pœna subinde excusabitur. Huic eidem doctrinæ, ac privilegio, subscribunt, *Sanch. disp. c. 32. n. 43. & 49. Portell. nu. 31. cit. Palaus Versu Quarto infero cit. Diana l. c. Bossius de Effect. lib. Matrim. cap. 5. n. 154. & 155.* aliique plures apud eosdem. *Vide Privileg. 7. Cap. XI.*

PRIVILEGIUM NONUM.

Conjux cognationem contrahens spiritualem cum altero conjuge, quia nimirum vel prolem hujus (ex priori conjuge jam mortuo) vel communem, & ex se habitam baptizat, aut tanquam Patrinus tenet in Baptismo, aut in Confirmatione, per quod incurritur pœna, ut non possit petere debitum à tali Conjuge, & actus conjugalis fit illicitus, ac peccaminosus, liberatur à tali pœna, & à peccato in actu conjugali excusatur, si id fecit, & cognationem contraxit, cum ignorantia ipsius pœnæ, ac prohibitionis.

1102 NOnnisi ex duobus Sacramentis, Baptismi videlicet, & Confirmationis, cognatio oritur Spiritualis, cujus

rei

rei rationem assignat *D. Tho. in 4. ad Anni-bald. dist. 24. quæst. Unica, art. 2. in Corpore*, his verbis: *Quia Cognatio ex generatione causatur, & ideò cum spiritualis generatio per duo Sacramenta causetur, scilicet per Confirmationem, & Baptismum; hæc duo Sacramenta spiritualem cognationem causant: nam Baptismus est quasi generatio, vel nativitas in utero: Confirmatio verò quædam nativitas ex utero, inquantum aliquis jam roboratus exponitur ad publicè confitendum nomen Christi*: ita ibi *S. Doctor*. Hinc cum Generatio Spiritualis habeat similitudinem cum generatione carnali, sicut ex hac contrahitur cognatio carnalis, ita ex illa contrahitur cognatio spiritualis, Baptizans namque (uti & Confirmans) & Patrinus, meritò cum Baptizato (aut confirmato) cognationem istam contrahunt, quia Baptismum (seu Confirmationem) Ministrans est quasi Pater generans, & suceptor, seu Patrinus est quasi Mater, quæ nomine Ecclesiæ baptizatum suscipit. Et sicuti cognatio carnalis, ob reverentiam consanguineis debitam, dirimit Matrimonium inter ipsos; & cognatio spiritualis itidem Matrimonium dirimit inter certas personas propter reverentiam ipsis debitam intuitu cōcursus præstiti ad hanc generationem spiritualem, uti constat ex *Trident. sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 2.* & Doctoribus omnibus: Ex quibus certum est, quod cognatio spiritualis ex Sacramentis Baptismi, & Confirmationis proveniens, impedit irritativè Matrimonium nondum contractum: Superveniens vero Matrimonio jam contracto, actum conjugalem facit illicitum, & privat jure exigendi debitum.

1103 Actum conjugalem facit inquam, illicitum, privatque jure petendi debitum, in quo conveniunt omnes Doctores. Verum, ab hac eadem prohibitionis pœna, & à culpa conjugalis actus consequenter, eximit ignorantia, ut in privilegio proposito, quod sequitur etiam ex præcedenti, & adeò, ut utrumque à nonnullis sub una eademque assertione afferatur, & affirmetur, cum & utriusque eadem sit omnino ratio, idem fundamentum. Hinc *Henriq. lib. 11. de Matrim. c. 15. n. 11.* sic: *Si Matrimonio superveniat cognatio spiritualis ex Baptismo, vel Confirmatione, impedit petere debitum, nisi per ignorantiam inculpatam baptizasset, aut fuisset susceptor in confirmatione: quod enim excusat à propria specie culpæ, non privat in pœnam jure quæsito petendi. Incestus formaliter, & voluntarius* (idest scienter, & absque ignorantia) *cum propriæ viventis uxoris consanguinea in primo, vel secundo tantum gradu, impedit petere.* Item *Sanch. disp. c. 32. à n. 43.* & cum ipso *Portell. nu. 31. cit.* sic affirmant: *Conjux contrahens affinitatem, vel consanguinitatem, aut cognationem spiritualem cum sua Uxore, quia scilicet baptizavit suum filium, vel accessit ad consanguineam Uxoris, per quod incurritur pœna, ut non possit petere debitum à tali Uxore, vel Conjuge, liberatur talis ab illa pœna non petendi debitum, si id fecit cum ignorantia facti, vel juris*: ita *Portell. ex Sanch.* qui sub eodem *n. cit. 43.* utrumque privilegium simul annectit, ac probat: primum quidem, & antecedens carnalis Cognationis, ac consanguinitatis, inquiens: *Quando adest invincibilis ignorantia facti, cessat culpa illa, nec est incestus, cessabit ergo pœna. Præterea, in affinitate probatur ex cap. p. De eo, qui cognov. Consangu.* (*ibi*) *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit: nec à matre debitum peterè potest &c. Ubi expresiè petitur scientia ad incurrendam privationem debiti petendi.* Secundum verò, & præsens de Cognatione spirituali privilegium, dicens: *Et in cognatione Spirituali probatur, Ex cap. Si Vir. de cognat. Spirituali: ibi: Si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur. Atq; ita docent universi Doctores citandi n. 44. 45. 47.* ita *Sanch.* Addi possunt *Bonac. de Matr. qu. 4. punc. 2. n. 6. Versu, Respondeo primò, & Versu, Respondeo secundò. Gabriel Beatus in Q7. Selectis qu. 18. n. 27. ex Navarr. cap. 16. Summ. n. 34.* & (aliis omissis) etiam *Palaus Versu c.* dum ibi, & ipse sic: *Infero conjugem habentem rem cum consanguineis alterius conjugis in secundo gradu, ignorando hunc accessum esse specialiter ab Ecclesia prohibitum, non impediri à debiti petitione, quia non committit incestum. Idem est si teneret, vel baptizaret filium alterius Conjugis, ignorans hoc esse ab Ecclesia prohibitum, quia in his casibus est ignorantia juris, quæ si invincibilis est, à pœna excusat ex supradictis. Idem existimo dicendum de ignorante solam pœnam, hoc est de ignorante sibi esse prohibitam debiti petitionem.* Communis autem, ac fundamentalis ratio (& à priori) tum citatorum, tum Doctorum omnium, hæc unica, & eadem est (quæ constat etiam ex dictis) quia videlicet absque scientia culpæ, juris, Canonis, aut prohibitionis, nec peccatum, nec impedimentum contrahitur (intellige de impedimento adveniente jam contracto Matrimonio, non ante) ab utroque enim, carens scientia, ignorantiæ privilegio excusatur, & liberatur. Hinc

1104 Et de hoc eodem proposito privi-

legio

legio loquens expresse *Hurtado de Matrim. disp.* 10. *difficult.* 6. *nu.* 22. *Vers. Hoc ergo* : formiter ad prædicta, sic ait : *Conveniunt Doctores quando Baptismus fit absque culpa , vel quia fit ignoranter invincibiliter , vel quia fit in casu necessitatis , quando scilicet urget necessitas , & non est alius , qui id possit facere , tunc cognationem spiritualem , ex eo provenientem , nullo modo impedire actum conjugalem , ut satis insinuatur in cap. Ad limina* 30. *qu. pr.* Ibi enim excipitur Pater , Filium suum legitimum baptizans necessitate urgente, qui ex tali Baptismo non contrahit cum sua conjuge cognationem spiritualem, nec ex hoc impeditur à petitione , & redditione debiti . Et hic obiter nota cum *Mauro Oberascher de Sacramentis tract.* 2. *cap.* 3. *§.* 2. *quæsito p. in respons. fol. mihi* 394. optimè hic addi *Filium suum legitimum* : Quoniam si quis ex concubina filium susciperet, eundemque necessitate urgente baptizaret, non pateretur exceptionem , sed cum concubina illa cognationem contraheret spiritualem, vi cujus, ex postfacto , eam in Uxorem nequiret ducere . Nam jura tantum faciunt exceptionem quoad usum Matrimonii jam contracti , ne scilicet per illum actum Baptismi præjudicetur petitioni debiti, non autem quoad matrimonium contrahendum . Et hoc idem notabile extendendum etiam est ad eos, qui ante matrimonium, cognationem hujusmodi ex causa Sacramenti Baptismi, aut confirmationis contraherent , cum ignorantia etiam invincibili quod talis cognatio sit impedimentum dirimens, reddensque nullum , ac irritum, subsequens inter ipsos matrimonii Sacramentum, cum tali ignorantia contractum , quoniam hæc ignorantia excusat quidem à peccato, sed nil confert ad validitatem Sacramenti, & contractus ejusdem. Nec est , quod dicas , excusat dicta ignorantia, & eximit à pœna privationis juris petendi, ac reddendi debiti matrimonii jam contracti : ergo etiam liberat ab impedimento, seu inhabilitate illud contrahendi: Negatur enim consequentia ; privatio namque juris petendi debiti à conjuge post contractum verum, ac validum matrimonium, cedit in pœnam à qua ignorantia excusat , & eximit: contrahi verò cognationem spiritualem quæ subsequens matrimonium dirimat , nullatenus rationem pœnæ habet, saltem ex se, cum pertineat ad quoddam amicitiæ , & conjunctionis genus , unde nulla paritas, consequentia nulla. Adde quod hujusmodi impedimentum cognationis spiritualis, & carnalis, in tali, & tali gradu, imponitur ab Ecclesia non sub ratione alicujus pœnalitatis formaliter , sed inhabilitatis ; per ipsum enim Ecclesia inhabilitare intendit, reddereq; inefficaces omnino , taliter conjunctorum voluntates ad contrahendum matrimonium , ita ut , sive cum scientia, sivè cum ignorantia etiam invincibili hujus impedimenti , contrahant , semper matrimonium irritum evadit , ac nullum , ob id enim cognationis impedimentum dicitur dirimens. Si cum scientia impedimenti hujus contrahitur, matrimonium nullum est , & contrahentes peccant lethaliter : si cum ignorantia invincibili, excusantur quidem à lethali, sed matrimonium item nullum est , & contrahentes in petendo, & reddendo tuti sunt in conscientia , usque dum perseverat in ipsis ignorantia eadem, & bona fides. Sed

1105 Quæres hic obiter , quid facere debeat Confessarius conscius impedimenti dirimentis, illius pœnitentis qui ignorantia laborat juris, vel facti ? Confitetur mulier v. g. se fornicatam fuisse cum consanguineo conjugis ante contractum matrimonium, cum ignorantia juris irritantis matrimonium : cum affine in primo , vel secundo gradu, in quibus affinitas provenit ex fornicatione , cognoscit Confessarius matrimonium esse nullum (quia ignorantia juris irritantis ex proximè dictis ; & ex Doctoribus communissimè , non excusat ab inhabilitate ad actum.) Vel item cognoscit priorem conjugem superstitem , de cujus vita mulier laborat ignorantia invincibili : vel certò scit ipsam esse consanguineam in quartum gradum sui conjugis , cujus dispensationem non obtinuit : quia eam ignorabat, & modo etiam : vel tandem certò cognoscit subesse impedimentum aliud, ut cognationis spiritualis, vel aliud irritans tale matrimonium ; quamvis conjuges ob illius ignorantiam bona fide degant . Quid faciet Confessor in tali casu ? Respondeo, Si talis Mulier (idem dic cum proportione de Viro in similibus casibus) ignorantia invincibili juris , aut facti talis impedimenti laboret , ita ut Matrimonium bona fide contractum fuerit, & Confessarius sciat illud esse nullum , & suam admonitionem judicet probabiliter profuturam , sine scandalo , aut detrimento , ut si faciliter posset dispensationem obtinere , & credere solicitaturam , nec incontinentiæ periculum immineat, nec quod interim accedat ad conjugem , sciens jam non esse suum, tenetur eam (vel eum) de impedimento certiorem facere : Quia munus Confessarii

est

est pœnitentem instruere, cùm vel proprius pastor sit, vel in Confessionibus audiendis pastoris proprii vices gerat. Nec permittere debeat, quod in tali statu persistat: quia notabile est quoddam damnum animæ ferens secum diuturnam seriem actionum, quæ ex se sunt contra legem: ergo cum spes proficiendi adest, tenetur admonere, & docere: quamvis enim illa ignorantia nunc invincibilis sit, potest facilè vincibilis fieri, & transire in statum culpabilem. Ita *Sanch. de Matrim. lib. 2. disp. 38. nu. 5.* (in quo universaliter sic: *Cujuscumque juris ignorantia invincibilis sit, aut facti, si spes probabilis sit fore, ut monitio prosit, sine gravi scandalo, aut detrimento, tenetur Confessarius admonere pœnitentem*) *Aversa de Matrimon. qu. 21. sec. 3. Versu, Sed aliis potius*: aliique. Casu autem quo teneatur Confessarius admonere, potest id facere post absolutionem, nisi probabiliter credat ante absolutionem profuturam monitionem, postea verò minimè; quod etiam advertit *Sanch. n. c. ex Metina, & Corduba.*

1106 Si verò credat, non profuturam admonitionem; & timet, quod monita, vel à Matrimonio cum scandalo resiliret, si conscia esset nullitatis; vel quod variæ difficultates, aut perplexitates occurrent; vel subesset incontinentiæ periculum; vel quod mala fide continuabunt Matrimonium, in quo bona fide vivebant, vel alia hujusmodi, non debet de impedimento admonere; sed peccare potius, & imprudentissimè se gereret, cum sic nil aliud faceret quam laqueum, & offendiculum apponere constitutis in bono statu, & bona fide: & ideò *D. Augustin. in cap. Si quis autem, de Pœnitent. dist. 7.* dicit: *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem:* Nulli enim laqueum inijcere debemus, *Cap. De Viduis 27. qu. p.* & nulla lex obligat ad actus otiosos, & inutiles. Et sicuti correctio ipsa ad correcti utilitatem ordinatur, & illius spe cessante, non obligat; ita confessio ad pœnitentis bonum tendit; cessante igitur hujus boni spe, non tenebitur Confessor admonere; ratio enim mediorum à fine sumitur: ita etiam *Sanch. l. c. nu. 6. Bonac. to. pr. de Matrimon. quæst. 3. punc. ultimo n. 4. Aversa Versu cit. Layman. in Theol. Moral. lib. 5. tract. 6. cap. 13. n. 5. Vers. Dico 2. Suar. in 3. par. to. 4. disp. 32. sec. 4. nu. 4. Diana Coordin. to. 2. trac. 6. res. 244. n. p. ex p. 3. tract. 4. res. 80.* ubi ait, prædicta esse valde advertenda à Confessariis: *Nam scio* (inquit) *quendam imprudentem Confessarium dedisse occasionem multorum peccatorum, è quadam manifestatione unius ex supradictis casibus.* Verum quidem est, quod si Confessor conscius impedimenti interrogetur de rei veritate à pœnitente, debet omnino illam ei aperire, & edocere: sic etiam *Aversa Versu c. in princip. Tenetur tamen dicere veritatem prudenter, quantum satis est interrogationi* (ait *Henriq. libr. 6. de Pœnitent. Sacram. cap. 27. nu. 5.*) quod advertit etiam *P. Diana res. c. n. 2.* maximè quando ex interrogatione pœnitentis non speratur fructus. *Notandum est* (sic ipse) *quod cavere Confessarius debet, si fructus non speretur, ne plus respondeat, quam à pœnitente interrogatur: Ver. gr. Utrum Matrimonium contractum ab eo, qui ante nuptias simplici castitatis voto obstrictus erat, validum existat, & an Uxori debitum reddere teneatur, affirmet utrumque Confessarius, interim tacens de obligatione petendi debitum. Et ita contra Sotum in 4. dist. 18. qu. 2. art. 4. ad 2. docent Sanch. l. c. n. 8. & Laym. n. 6. ubi etiam rectè observat, quod ut intelligat Confessarius, utrum in supradictis casibus pœnitens inculpata ignorantia laboret, nec ne, caveat eum sollicitare interrogationibus specialibus, videlicet, existimet ne Matrimonium validum esse, nam subito pœnitenti suspicionem commovebit. Sed solum in tali casu contentus sit interrogare pœnitentem, nihil ne sit, quod animum ejus gravet, conscientiam scrupulosam reddat. Et hæc adnotare volui in gratiam Confessariorum, quia in praxi sæpè sæpius advenire solent.* Ita *P. Diana.*

1107 Si autem Confessarius comprehendat pœnitentem ignorantia vincibili impedimenti laborare, debet eum admonere, certumque facere de illo: quia cum ignorantia vincibilis à peccato non excuset, non poterit eum absolvere, indigno namque conferret Sacramentum: & si deneget absolutionem non detecta causa, merito ipse irritabitur, & scandalum patietur: unde ipsummet pœnitentem certificare debet, etiamsi non speret monitionem profuturam: quoniam licet tunc non proficiat, temporis decursu, ipse stimulis conscientiæ agitatus, fortasse resipiscet. Ita *Sotus l. c.* (ubi docet de communi) *Laym. n. 5. c. in principio. Aversa, Versu c. Suar. disp. c. 38. n. 2.* qui *n. 3.* notat, quod ignorantia vincibilis respectu unius, non sit vincibilis respectu alterius: & quod illa, quæ vincibilis fuit ab initio, modo esse possit invincibilis: quia fortè consulvit viros, quos doctos existimabat, qui eum de Matrimonii valore certificarunt, eorundemque consilio acquievit. Et quod ignorantia esse potest speculativa, non practica: Ut si sciat, se clam contraxisse, vel cum affine, aut consanguineo;

ſanguineo ; neſciat tamen invincibiliter, hoc eſſe impedimentum dirimens, quod requiritur ut mala fide Matrimonio fruatur. Quæ omnia à Confeſſario ponderanda ſunt, ut cognoſcat, an vincibili, vel invincibili ignorantia laboret, ne laqueum, & ſcandalum apponat ei pœnitenti, qui bona fide procedit. In dubio autem melius erit tacere, & ſuæ conſcientiæ pœnitentem relinquere.

1108 Loquendo tamen de impedimento adveniente Matrimonio jam contracto, ut ſupra, cujus conjuges privantur jure petendi, atque reddendi: difficultas etiam eſſe poteſt, an nedum invincibilis illius ignorantia eos liberet à pœna privationis juris, ut ſuperius, tum in hoc eodem, tum in præcedenti privilegio definitum eſt; verum etiam ignorantia vincibilis? In hac difficultate diviſi ſunt Doctores, nam plures, & Claſſici, quos refert *Sanch. to. 3. de Matrim. lib. 9. diſp. 32. n. 44.* aliique, ſentiunt, quod ſola invincibilis ignorantia excuſet, liberetque à dicta pœna; & nullatenus ignorantia vincibilis: Quia ignorantia, quæ excuſat eſt ſola invincibilis, & inculpabilis: ignorantia autem vincibilis eſt culpabilis, atque adeò non excuſat. Ipſe verò *Sanch. diſp. c. n. 47. & 49.* ex oppoſito vult, quod etiam vincibilis tum facti, tum juris, qualiſcumque illa ſit, & quantumcumque craſſa (modo non ſit adeo craſſa, ut ſit ingens temeritas ignorare, vel non ſit affectata) excuſet conjuges ne debiti petitione priventur. Et idem docet *Pontius de Matrim lib. 10. cap. 6. n. 10.* ait enim: *Ignorantia excuſationem meretur, quamvis ea tam hujus juris, quam facti ſit culpabilis, dummodo non ſit affectata ignorantia. Itaque quamvis levet conjux, vel baptizet, cum ignorantia vincibili, imò craſſa, vel juris, quia ignoravit legem Eccleſiaſticam; vel facti, quia ignoravit eſſe proprium filium, vel Conjugis, adhuc non privatur jure petendi, atque reddendi. Quod deduco ex manifeſto juris principio, quod quando lex requirit ſcientiam, vel dolum, non ſufficit dolus præſumptus, ideo excludit dolum, vel ſcientiam quævis ignorantia etiam craſſa. Quam Doctrinam tradit Cajet. in Summ. Verb. Excommunicatio, explicando ferè ſingulas excommunicationes. Navarr. in Summ. cap. 27. Tiraquellus, Suar., Salas, &c. ita Pontius nu. c.* videatur; uti & *Sanchez n. n. c. c.* in quibus hoc idem aſſumptum probat ex profeſſo. Quod etiam facit *Boſſius de effectibus Matrimonii cap. 5. à n. 160.*

PRIVILEGIUM DECIMUM.

Impedimentum Cognationis legalis ortum ex adoptione, ſuperveniens Matrimonio, cum ignorantia tamen quod idipſum privet Conjuges jure petendi, ac redendi; ab hac pœna eximit eoſdem ignorantia eadem.

1109 Cognationem legalem ortam ex adoptione, unum eſſe ex impedimentis dirimentibus ſponſalia quæcumque, & Matrimonium ipſum, antequam contrahatur, certum eſt apud omnes, de hoc Sacramenti contractu ſcribentes, ad quos pro totali ejuſdem Cognationis legalis notitia, ſpecie, extenſione, diviſione, &c. Lectorem mitto. Suppoſito autem quod hujuſmodi impedimentum Matrimonio ſuperveniens interdicat & ipſum, debiti petitionem; dicit præſens privilegium, Conjuges eximi ab hac pœna per ignorantiam ejuſdem interdicti. Quod ſequitur apertiſſimè ex duobus antecedentibus privilegiis: Nam ſi ignorantia facti, vel juris, vel pœnæ in cognatione Carnali, ſeu ſpirituali excuſat Conjuges (ex antedictu duobus privilegiis) ne ipſis interdicatur debiti petitio, & uſus conjugalis, excuſabit etiam eadem ignorantia (ne item interdicatur) in cognatione legali, cum non ſit diſpar, imò eadem omnino ratio, ut patet, ne dicam major in legali cognatione: quippe quæ minorem infert perſonarum propinquitatem, conjunctionem, ac ligamen, quam carnalis, vel ſpiritualis cognatio. Solo enim jure humano interdictum eſt hoc impedimentum. Cum ut fatentur univerſi, apud, & cum *Sanch. de Matrim. to. 2. lib. 7. diſp. 43. nu. 21.*) conſtet, nec jure naturæ adoptionem eſſe inventam, nec ex ea cognationem Matrimonio obſtantem conſurgere.

1110 Dixi (*Suppoſito quod hoc impedimentum Matrimonio ſuperveniens interdicat debiti petitionem*) non caſu, ſed appoſitè. Quia & ſi *Bonac. to. pr. de Sacram. Matrim. qu. 3. punc. 5. §. 3. n. 9. in fine.* Suſtineri poſſe affirmet, & non ſine probabilitate, quod cognatio legalis ſuperveniens Matrimonio contracto, impediat debiti petitionem: Nihilominus *Sanch. diſp. c. n. 19.* tenet oppoſitum, quod videlicet non impediat; ſub his verbis: *Quando hæc cognatio legalis ſupervenit Matrimonio jam contracto, poſſet aliquis exiſtimare eam impedire debiti petitionem reſpectu conjugis, qui eam contraxit. Quia omne*

impedi

impedimentum, quod præcedens Matrimonium illud simpliciter dirimeret; si subsequatur, illud dirimit secundum quid, nimirum, impediens ejus usum, quoad debiti exactionem. Verum eam doctrinam non approbo, nisi textus expressus inveniatur, qui eam debiti petitionem in eo casu interdicat. Quare cum in cognatione legali, is non reperiatur, existimo eam non impedire debiti petitionem. Quod aliis placere dicens, sustinet *Petrus de Ledesma de Matrim. qu.* 57. *art.* 2. *ad finem*. Sic *Sanch.* & post ipsum *Pontius de Matrim. lib.* 7. *cap.* 41. *n.* 7. ubi expressè inquit: *Hoc impedimentum supervenient non dirimere, nec impedire debiti exactionem, quia nullo cavetur jure. Dirimere autem Sponsalia, cum impediat, & dirimat Matrimonium, cujus promissio est in Sponsalibus*. Et idem tenet *Guttierrez* relatus à *Bonac. n.* 9. *c.*

PRIVILEGIUM XI.

Contrahens quis Matrimonium in aliena Parochia bona fide, ignoransque hoc esse lethale, & Matrimonium nullum (ex Decreto Concil. Trident. sess. 24. de Reformatione cap. 1. de Reformatione Matrimonii) *ab hujusmodi lethali excusatur. Quid tamen is debeat facere, postquam sciverit suum Matrimonium fuisse nullum?*

1111 Certum est hujusmodi contrahentem Matrimonium bona fide in aliena Parochia, ob eamdem bonam fidem, & ignorantiam, excusari à lethali. Et hoc idem ignorantiæ Privilegium supponere videtur *Carolus de Baucio in suo Tractatu de Casibus Conscientiæ singularibus*; *casu* 230. *fol.* 325. Ubi etiam, & ipse inquirit. *Quid facere debeat homo, qui Matrimonium bona fide contraxit in aliena Parochia, idest non sua, neque sponsæ, & post multos annos sciuit; hoc non potuisse facere, & consequenter fuisse Matrimonium nullum, sed in vicinia, ubi commorantur, sunt existimati tamquam veri Conjuges?* cui quæsito respondet: *Debere iterum contrahi Matrimonium à Parocho, ubi habent domicilium habitationis saltem per majorem anni partem, secreto, absque denunciationibus, & examine, dummodo præcedat assistentia saltem duorum testium, & Parochi, & contrahentes sint in gratia, saltem per contritionem. Neque est opus, ut scribatur dictum Matrimonium in libro, dum fuit scriptum à primo Parocho, ne videatur ab his fuisse contractum dictum Matrimonium non expressa causa, dummodo in foro externo moraliter non possit probari, primum contractum fuisse nullum, tamquam contractum coram alieno, & non proprio Parocho, ita de Baucio*, cui lubens subscribo.

1112 Accedit etiam pro hujus Privilegii admissione, & confirmatione, expressa ratio, & auctoritas *Tho. Sanch. de Matrim. l.* 13. *disp.* 17. *nu.* 10. *Coninch de Matrimon. Sacram. disp.* 27. *dub.* 1. *n.* 13. *Vers. Sed hæ rationes. Pontii de Matrim. l.* 5. *c.* 6. *n.* 18. *Hurtadi de Matrim. disp.* 5. *difficult.* 3. *n.* 12. *Palao par.* 5. *de Sponsalib. disput.* 2. *punc.* 13. *§.* 8. *n.* 7. *Trullench de Matrim. l.* 7. *dub.* 1. *n.* 12. *Leandri de Matrim. tract.* 9. *disp.* 7. *qu.* 9. *Anton. à Spir. Sanc. in Directorio Confessar. de Matrim. tract.* 11. *sec.* 8. *Andreæ à Matre Dei de Matrim. tract.* 9. *c.* 8. *punc.* 2. *n.* 16. Hi enim omnes, aliique propositum etiam Privilegium inter cætera ignorantiæ Privilegia recensent expressè, probantque, eo quia ignorantia citatæ *Trident. legis, ac Decreti* excusat à culpa, aufertq; scientiam requisitam ad voluntarium, absq; quo nequit esse culpa. Verum quidem est, quod non excusat actum contra legem irritantem à nullitate, quæ contrahitur ex defectu solemnitatis ad valorem actus requisitæ ex lege: quia ignorantia, quamvis invincibilis, non supplet solemnitatem ex lege requisitam ad valorem actus. Et hinc est, quod tum laudati D. D. tum communiter omnes (quibusdam exceptis apud *Petrum de Ledesma de Matrim. qu.* 45. *art.* 5. *Coninch dub. c. n.* 12. *& Trullench n. c.* 12.) concedunt quidem, quod contrahentes Matrimonium absque Parocho, & testibus, excusentur à culpa, si invincibiliter dictam legem *Trident.* irritantem ignorant, ut in Privilegio; at absolutè postea negant, quod validè contrahant; istiusmodi enim etiam Matrimonium nnllum est, irritum, ac invalidum ex ipsomet *Trident.* Quæ invaliditas, & nullitas, in dicta *Trident. lege* inclusa, non inducitur in pœnam; quia non inducitur ad puniendos contrahentes clandestinè, sed tantum in odium Matrimonii clandestini, ne valeat absque dicta assistentia Parochi, & testium, ob inconvenientia, quæ ex eo oriri possunt. Ex quo

1113 Ruit fundamentum eorum, qui volunt (apud *Ledesm.*, *Coninch*, *& Trull. n. antec.*) validè contrahere absque Parocho, & testibus eos fideles, qui invincibiliter ignorant dictam legem *Trident.* irritantem: Quia videlicet, si ignorantes prædictam legem, verè liberantur à culpa, ut in Privilegio, ergo, & à pœna irritationis, & nullitatis contractus. Ruit inquam tale fundamentum, & negant communiter D. D. eo quod irritatio actus, & contra-

ctus, in pœnam contrahentium clandestinè imponitur, sed in odium talis contractus, ut inconvenientia inde orta evitentur: ac proindè, etiam si ignoranter Matrimonium clandestinè contrahatur, nullius est valoris, utporè ab inhabilibus contractum. Neque obstat, si addas, inhabilitatem esse pœnam, & statutum inhabilitans censeri pœnale, & odiosum, igitur non ligare ignorantes. Respondetur enim, inhabilitatem censeri pœnam, quando inducitur ad puniendos illicitè contrahentes, secus verò quando ponitur ob defectum solemnitatis. Unde cum in hoc casu ponatur in odium, ut supra, Matrimonii clandestini, cui deficit prædicta solemnitas Parochi, & testium, ob inconvenientia, quæ inde oriri possunt. Inde est, quod non contrahitur, & si ignoretur.

1114 Et in confirmationem hujus responsionis, ac doctrinæ, quamplures etiam paritates hic queunt afferri. Nam, ignorantia solemnitatis ad Professionem Regularem requisitæ, ex. gr. ut videlicet, quod fit post annum integrum Novitiatus; & post decimum sextum ætatis annum expletum, &c. non potest Professionem facere validam, si absque tali solemnitate ignoranter fiat; non enim per ignorantiam ponitur, quod aufert solemnitatis carentia, & quod abstulit inhabilitas. Item ignorantia invincibilis impedimenti dirimentis Matrimonium inter consanguineos, & reddens illos intra quartum gradum inhabiles ad contrahendum, neutiquam eosdem reddit habiles, &c. Faciunt præterea ad rem hanc, ea quæ adduximus in *Cap. 26. Privileg. 5.* videantur. Videantur insuper *Sanch. n. 10. cit. Et Coninch dub. cit. n. 8.*

CAPUT XXVII.
DE PRIVILEGIIS IGNORANTIÆ
CIRCA VARIA.

PRIVILEGIUM PRIMUM.

Ignorantia invincibilis excusat ab hæresi.

1115 Atio hujus privilegii clara est: Quia videlicet, Hæresis error est hominis baptizati in intellectu, voluntarius, contra aliquem fidei articulum: seu assensus est rationis contra fidem, voluntarius: at ignorantia invincibilis aufert hujusmodi assensum voluntarium, seu ex electione voluntatis provenientem, ergo excusat ab hæresi. Confirmatur, quia hæresis peccatum est, peccatum verò sine voluntate dari nequit, ut ex se constat, ergo. Hinc etiam *Fagund. in pr. Decal. Præcep. lib. p. cap. 10. n. 16.* ait (& cum ipso *Antonius à Spiritu Sancto in Direct. Confessarior. par. 3. tract. 2. disp. 2. sec. 3. n. 47.*) *Ignorantia invincibilis excusat ab hæresi, non alia de causa, nisi quia tollit voluntarium:* Quod de Hæresis ratione videtur esse; sicut enim de ratione fidei est, ut sit voluntaria; ita etiam de ratione hæresis ejus contraria, quia contraria proportionem servant.

1116 Ex hoc eodem privilegio, deduc cum *Sanch. in Decal. par. pr. lib. 2. cap. 7. n. 13. Fagund. n. c.* & aliis: Non esse hæreticos, nec alicujus culpæ reos, eos scrupulosos, qui patiuntur inviti cogitationes blasphemas turpissimas, & hæreticas contra Deum, Beatissimam Virginem, & Sanctos, quamvis sibi videantur consentire, quia eis deficit plena voluntas. Et ita etiam, apud eundem *Sanchez* universi fatentur; atque hæc provenire asserunt ex Dœmonis suggestione, ad conscientiarum bonarum tranquillitatem impediendam, & ut à Christi via deterritæ retrocedant. Ex triplici autem signo (cum *Sanch. l. c. n. 14. & Fagund. n. cit.*) colligi potest in hoc, plenæ voluntatis deficientia. Primo, si patiens per prædictas cogitationes, ac tentationes, judicet se hæreticum, nam hæreticus esse nequit hoc judicans, non enim id judicaret, nisi judicaret falsum esse, atq; hæreticum id quod sibi videtur voluntariè judicasse ut verum. Secundo, si cum dictas

ctas cogitationes ; ac tentationes patitur, maxima tristitia afficitur, non enim ita contristaretur, nisi odio haberet hujusmodi errores, & veritatis Catholicæ amantissimus esset. Tertio, signum moraliter dissensus certissimum similiter esse videtur, quando tristitia illa, & si non extiterit in ipso tempore tentationis, & conflictus, eo tamen transacto statim advenit, quia si voluntariè adhæsisset, neutiquam tam cito, nec ità faciliter resipisceret. Hinc inferes (cum citatis Doctoribus) sanum consilium esse in eo, qui similes tentationes, ac cogitationes patitur, & dicta signa experitur, easdemmet contemnere, atque eodem modo se habere, ac si nihil menti occurrisset. Quod & insinuat *D. Bonavent. Opusculo De Profectu Religiosorum cap. 3.* dicendo: *Tentationes contra fidem, & de spiritu blasphemiæ, & similes, nec fugere possumus, nec repugnando vincere. Quia quanto plus indignamur nobismet ipsis, & disputamus cum eis, magis refricatur earum rabies, & accenditur.* Et remedium esse eas irridere, docet expressè *Gerson Tract. De Fœda Tentatione, Alphabeto 62. littera O, usque ad literam T.*

1117 Deduc insuper ex posito privilegio, eum excusari ab hæresi qui contra fidem tenet aliquid, sed invincibiliter errat, & ignorat esse contra illam; quia ad hæresim requiritur quod error scienter scit contra fidem Catholicam Romanam, & cum pertinacia, quæ utiq; non est in ignorante, ut docent communiter Doctores, & idcircò per ipsammet ignorantiam invincibilem, quivis ab hæresi excusatur. Immò etiam per vincibilem, & culpabilem, ut alibi in Superioribus innuimus, & cum *Azorio, Suario, Coninch*, & aliis, docet *Palaus to. p. tract. 4. disp. 3. punc. 2. n. 3.* & cum communi *Fagund. in pr. Decal. præcep. lib. p. cap. 4. n. 20. & 22. & Antonio à Spiritu Sancto sec. c. n. 49.* Quia videlicet ignorantia etiam vincibilis, sufficit in foro interno (inquiunt communiter) ut non detur peccatum hæresis, licet aliàs illa laborans, in foro externo reputetur hæreticus: quia ad hæresim non satis est qualibet culpa, ut accidit in aliis materiis, sed requiritur præterea pertinacia, quæ certè non est in ignorante, uti loquimur etiam supra *in Privilegio 7. IV. Cap.* & alibi.

PRIVILEGIUM SECUNDUM.

Ignorans legatum aliquod, pium esse, & longius biennio differens illud solvere, non incidit in casum reservatum.

1118 Qui solutionem ex legato pio debitam, diutius biennio distulerit, reus est culpæ lethalis, & casus est reservatus in *Diœcesi Mediolanensi, decimus octavus in ordine*, recensitus in *Tabula Casuum* (ibidem) *Reservatorum*, quos explicat *Oliverius Mazuchellus De Casibus Reservatis*. De quo agit *disp. 2. cap. 21. qu. p. & 2.* advertens in principio *n. 6.* ad hanc reservationem tria requiri; Quod videlicet solutio protrahatur ultra biennium: quod legatum sit pium: & quod dilatio sit culpabilis, & mortalis, quia reservatio de mortalibus tantum est, & quidem gravioribus, ut patet *ex Trident. sess. 14. cit. 7.* & ex communi Doctorum sensu. Ex defectu ergo alterius conditionis ex his tribus non incurretur reservatio, & ab ipsa excusabitur. Hinc non incidit, qui non solvit ob inopiam, vel ob aliam justam causam impeditur, dilatio enim concurrente justa causa, non est culpabilis.

1119 Nec item incidit in hunc casum reservatum differentem solvere legatum ultra biennium, ignorantem illud esse pium, ut in privilegio: Quod etiam ponit *Defendens Quadrius de Casibus Reserv. disp. 3. casu 8. Conclus. 10. n. 10. 15. 16. & 17. pag. 475.* sub sequentibus verbis: *Ignorans legata pia esse, vel exequi impeditus, non incidit in Casum, si ea longius biennio solvere differat.* Accedit etiam *Mazzuchellus qu. c. p. Difficultate Unica nu. 17.* dum ibi sic: *Obligatio solvendi incipit tantum à die scientiæ.* Probatur igitur privilegium propositum cum eodem *Quadrio*: Quia ignoranti (vel impedito ad aliquid agendum) non labitur tempus præfixum ad illud agendum, ut tenent cum communi sententia apud *c. Quadrium n. 1016. Covarruvias, Hostiensis, Immola, Panorm.* & alii: nec ulla culpa in eo intercedit, ignorans enim, in eo quod ignorat non dicitur delinquere: igitur cum nulla culpa in eo intercedat, ut ignarus, reservatione ligari non debet, quæ culpam mortalem in differente solvere talia legata utique supponit. Ergo verum privilegium positum.

PRIVILEGIUM TERTIUM.

Peccatum ita per ignorantiam minui potest, ut ex mortali fiat veniale.

1120 IGnorantia quandoque excusat à peccato in toto, ut est invincibilis, quæ cum sit involuntaria omnino, etiam illud quod ex ea fit, involuntarium est: cum enim factum ex ea sit in se incognitum, non potest esse in se volitum, juxta commune axioma, *Nil volitum, quin præcognitum*. Quandoque verò licet non excuset prorsus in toto à peccato, excusat tamen in parte, quod facit ignorantia vincibilis, & culpabilis, quæ non excusat quidem à tota culpa, facit tamen culpam leviorem, quam si scienter patratum esset opus; minuitque illam, & adeo, ut possit quandoque venialem facere ex mortali, ut in proposito privilegio, quod communiter admittitur à Doctoribus cum *D. Tho. p. 2. q. 76. ar. 4.* Et præterea probatur: tum quia, peccatum mortale ex suo genere, ob imperfectam advertentiam fieri potest veniale, ut docent *Vasq. Sanch. Becanus, Azor. Reginald. Sylv. Caiet. Armilla, Filliuc.* aliique, apud, & cum *Bonac. to. 2. De Peccatis disp. 2. q. 2. p. 3. n. 3. & 4. & eadem disp. 2. q. 8. punc. 3. propos. 2. n. 21.* ergo etiam per ignorantiam peccatum mortale fieri potest veniale, cum inadvertentia comparari possit ignorantiæ: tum quia, sicut totalis ignorantia, hoc est invincibilis, omnino excusat à peccato, quod alioquin sublata ignorantia esset mortale, ita ignorantia tantummodo venialiter culpabilis, à mortali excusabit opus factum cum ipsa, quod alioquin mortale esset: sicuti enim se habet totalis ignorantia ad excusationem totalem, ita partialis ad partialem: tum quia, peccatum perpetratum cum ignorantia, seu negligentia tantummodo venialiter culpabili, non est nisi imperfectè voluntarium, ac volitum; voluntarium autem imperfectum, seu imperfectè volitum, minuit utique peccatum ipsum, & ita, ut ex mortali transire illud faciat in veniale, eo quia nonnisi venialiter (hoc est imperfectè) volitum sit, quandoquidem non est aliter volitum, nisi ut est volita ignorantia. Hinc si quis fornicans ex. gr. invincibiliter putaret fornicationem esse licitam ad vitam tuendam, nullatenus peccaret ob eam causam fornicando: si id tamen venialiter ignoraret, fornicando, solum venialiter peccaret, & à mortali excusaretur: proquo privilegio sunt *Sylv. Verbo Periurium q. p. vers. 2. quando iuratur. Navarr. in Sum. cap. 12. n. 7. Vers. 6. qui* (ubi ajunt veniale esse periurium, quando aliqua diligentia adhibita est, sed non sufficiens ad videndum, an sit falsum, quod juratur.) *Valent. to. 2. Disp. 6. qu. 6. punc. 3. Sanch. in Opere Morali part. p. lib. 1. cap. 17. n. 17. Reginald. tom. p. lib. 11. n. 19. Layman. lib. p. tract. 2. cap. 4. n 9. Bonac. n. 21. c.* aliique communiter.

1121 Ex his sequitur, ignorantiam vincibilem posse magis, vel minus gravitatem peccati minuere, sicuti ipsamet potest esse magis, vel minus voluntaria, & culpabilis. Quare si ignorantia sit tantum venialiter, & imperfectè voluntaria (ut est quando quis adhibuit quidem diligentiam aliquam, sed non sufficientem, ut in casu periurii ex veniali ignorantia notant relati *Sylv. & Navarr.*) minuit etiam peccatum adeò ut non sit mortale. Et ratio utique est, quia in tali casu peccatum non est volitum nisi venialiter, nec aliter ac est volita ipsa ignorantia, ut supra. Quod advertit etiam *Valent. punc. 3. c.* contra *Cajet. art. 4.* ubi videtur asserere, fieri posse, ut ignorantia sit tantum venialis, & peccatum ex illa admissum sit mortale; quod verum esse putat, quando peccatum est intrinsecè malum, contra jus naturæ; ut si quis ex ignorantia, & negligentia tantum veniali, putans fornicationem non esse malam, fornicaretur. *Fallitur Cajet* (inquit *Valent.* cum quo & ego.) Nam si quis prorsus invincibiliter, atque adeò inculpabiliter putaret fornicationem licere, nullo modo peccaret illam admittendo, ergo si venialiter tantum id putaret, solum venialiter peccaret, quia non esset tunc fornicatio, nisi imperfectè, & venialiter tantum voluntaria, sicut ipsa ignorantia. Ita etiam *Valent.* Ex qua doctrina, ac privilegio, infertur præterea subsequens

PRIVILEGIUM QUARTUM.

Ignorantia ita minuit peccatum, ut quandoque excuset à reatu lethali unius circumstantiæ illius, quamvis non alterius.

1122 EXplicatur, & probatur simul hujusmodi privilegium. In antecedenti dicimus ignorantiam nonnunquam excusare à peccato in toto, nonnunquam verò in parte. Hoc secundum haberi potest, vel minuendo peccatum, ita quod fiat veniale ex mortali, ut in eodem antecedenti: vel excusando quidem à lethali

ali peccato, sed secundum unam tantum-odo circumstantiam illi respondentem, n verò secundum alteram item lethalem usdem: hoc idem in præsenti privilegio firmatur. Et observatione, ac exemplo obatur: Ignorantia *Patriarchæ Jacob* co-noscentis *Liam* pro *Rachele*, ipsum excu-vit omninò à peccato: ignorantia verò *udæ* cognoscentis nurum suam *Thamar enes.* 38., quam nurum esse nesciens, spicabatur Meretricem: excusavit quidem ctum ipsius à peccato incestus, non ta-en à peccato fornicationis: quia licet igno-ret invincibiliter se accedere ad nurum, on ignoravit tamen se accedere ad non xorem suam: hoc idem observavit *Cajet.* . 2. *qu.* 76. *art.* 3. quod & refert *Reginal.* . 19. *c. in fine*: in approbationem pariter ujusmet propositi privilegii: Cujus ratio priori est, quia peccatum respondens illi ircumstantiæ, censetur, & est volunta-ium, ut patet. Ita etiam communiter Doctores apud *Bonac. qu. c.* 8. *punc.* 3. *nu.* 24. Hinc

1123 Inferes, Quod & si in uno actu plures reperiantur malitiæ species, intellectus autem unam tantum cognoscat, tunc reliquæ menti non obiectæ, & ignoratæ, non imputantur; specifica enim malitia, ut imputetur ad culpam necessario est cognoscenda, cujus ratio sumitur ex fundamento superius, & sæpius allegato, ab omnibusque concesso, quod nimirum *nihil volitum, nisi præcognitum*. Unde nec specialis malitia cuiquam imputari poterit, nisi præcognita. Ob idque docet generatim *D. Th. p.* 2. *qu.* 72. *art.* 9. nullam circumstantiam addere novam malitiam, nisi præcognoscatur, si quis ergo non cognoverit specialem aliquam malitiam in obiecto latentem, aut non cogitaverit de illa, eam non contrahet, licet alioqui peccet. Sic qui fornicatur cum Muliere quam nescit esse conjugatam, admittit quidem mortale peccatum luxuriæ, sed non adulterii, ut supra, ignorantia minuente, & excusante. Qui rem, quam scit quidem esse alienam, surripit, nescit tamen esse Sacram, tantum simplicis furti reus est, non Sacrilegii. Qui scit furtum esse quidem mortale, imperare vero furtum invincibiliter ignorat esse lethale, non peccat imperando, bene tamen furando. Qui hominem, quem nescit esse Clericum, vel Patrem, percutit, solum contra justitiam peccat, non verò contra Religionem, vel Pietatem, seu reverentiam parentibus debitam, cum eas circumstantias ignoraverit. Qui fornicationem externam scit esse peccatum, ignorat tamen invincibiliter desiderium fornicandi esse peccatum, desiderio fornicationis non peccat, licet peccet lethaliter exterius fornicando. Qui enim invincibiliter ignorat actum internum esse peccatum, cognoscens tamen actum externum peccaminosum esse, excusatur à malitia actus interni: quia (ut optimè etiam *Sanch. lib. p. Moral. cap.* 16. *n.* 17. & alii) cum conscientia sit proxima bonitatis, & malitiæ actuum humanorum regula, nemo potest peccare quandiu illius conscientia prudenter dictat, id quod agit haud peccatum esse. Quod intellige verum, quamvis actus internus, & externus in genere moris non sint, nec constituant duo peccata, sed unum tantum; & unum tantum quid moraliter judicentur, (etiam per *Suar. de Actib Human. disp.* 10. *sec. p. nu.* 9. *Laym. lib. p. tract.* 2. *cap.* 4. *n.* 11. *Arriag. To.* 3. *disp.* 16. *sec.* 2. *num.* 5. *P. Morandum to.* 2. *Theologiæ tract.* 2. *De Actib. Human. qu.* 16. *n.* 131. *Vers. Deducitur p. & alios communiter, cum D. Tho. p.* 2. *qu.* 20. *art.* 3. *in Corpore*: ubi expressè sic: *Actus interior voluntatis, & actus exterior prout considerantur in genere moris, sunt unus actus.*) Quia non est peccatum, nisi voluntarium, & liberum, ergo si tantum ratione actus interni habetur ratio voluntarii requisiti ad peccatum, unicum tantum peccatum erunt, non duo, actus interior, & exterior; quod ideo dicitur actus exterior comparari ad interiorem, tanquam materiale ad formale; quia si interior est peccatum, & exterior; si non est ille, neque erit iste: quidquid dicant aliqui apud *Suar. sec. p. c. n.* 9. & 10.

1124 Ex quo etiam deduces, actum exteriorem per se nullam addere bonitatem, aut malitiam moralem actui interiori, nisi quandoque per accidens, ut tradit *D. Tho. qu. c. art.* 4. & communiter Expositores; prima pars patet, si enim omnis bonitas moralis formalis humana, & malitia, provenit tota, & tota est ab actu interiori, & nonnisi denominativè in exteriori, utiq; non potest exterior actus aliquid bonitatis, aut malitiæ dare, vel addere illi, à quo omnem quam habet bonitatem, aut malitiam recipit, nisi dicamus ei addere tanquam terminum, ut videtur loqui *D. Th. eodem artic.* Ex eo quod quilibet actus censetur accipere suum complementum à suo termino, & actus exterior est terminus interioris. Secunda etiam pars constat, quia licet actus exterior non causet bonitatem, aut malitiam interiori, potest tamen, cum

debeat

debeat exterior aliquod tempus durare, esse causa, cur etiam internus duret, vel quod repetatur. Adde, quod cum sint multi actus exteriores, qui magnam excitant delectationem, possunt esse causa, qua, & voluntas in illis magis intendatur. Et in hoc sensu dicunt aliqui D.D. quod exponendus sit *D. Augustin. 13. de Trinit. cap. 5.* dum ibi ait: *Miseriorem esse qui exterius implet, quod interius male vult.*

1125 Quamvis tamen actus externus suo modo liber, nihil habeat propriæ, & intrinsecæ malitiæ, nihilominus est necessario confitendus, & est de necessitate confessionis, ut uterque actus, externus scilicet, ac internus confiteatur, ita ut nullo modo satisfaciat, qui, postquam homicidium, fornicationem, &c. perpetravit, solum dicat, se habuisse voluntatem occidendi, fornicandi, &c. sed debet clarè dicere, quod occiderit, fornicatus sit, &c. quo explicato satis intelligitur internus actus, seu prava voluntas occidendi, fornicandi, &c. Hujus autem rei obligatio, seu confitendi, & sic satisfaciendi ratio, nulla maior adduci potest, quam institutio Christi Domini, eiusdemque voluntas nobis per Ecclesiam continuata praxi, & communi usu, ac sensu D.D. omnium declarata. Quare si Christus Dominus voluisset, ut nunquam ex obligatione confiteremur peccatum externum, sed solum ejus affectum, seu propositum, confessio esset legitima (modo non deesset contritio, & propositum emendationis) quia hoc pendet à sola sui institutione, & voluntate. Non ergo quia externum opus superraddat malitiam actui interno, obligamur illud in Confessione exprimere, sed quia Christus Sacramentorum institutor, voluit, ut peccatum exterius patratum Sacerdoti panderetur. Adde etiam, utrumque actum esse confitendum, tum quia multoties plura sunt annexa actui exteriori, quæ non interiori, ut restitutiones, censuræ, irregularitates, &c. Tum quia multoties non potest rectè explicari actus internus, nisi & exterior explicetur: Tum quia ex exteriori multa alia consequuntur, quæ non ex interiori: Tum denique quia nequiret Confessarius adhibere medicinam spiritualem, nisi etiam confiteretur actus exterior, &c.

1126 Extenditur autem propositum privilegium etiam ad pœnam cum proportione minuendam, nedum culpam; ut expressè etiam docet *Petrus Maria Passerinus in pr. libr. sexti Decretalium qu. pr. artic. 20. n. 382. fol. 147.* ubi sic: *Extenditur assertio* (hoc est privilegium) *ut si pœna sit imposita pro qualitate actus, ignorantia qualitatis excuset à qualitate culpæ, & à pœna contra actum, ut qualificatum imposita. Sic qui ignorans habet rem cum aliena, credens esse suam Uxorem, non est adulter, ut in facto Jacob cognoscentis Liam, quam credebat esse Rachelem, est manifestum. Similiter qui percutit Clericum ignorans Clericatum, non est Sacrilegus, nec excommunicatus, Cap. Si verò el 2. de sentent. excommun. Item Venator, qui ex ignorantia probabili occidit hominem, quem putavit esse feram, non est homicida, nec pœnis homicidæ subditur, D. Tho. p. 2. qu. 76. art. 3. & ibi Alvarez disp. 154. n. 3. Armilla Verbo Ignorantia nu. 9. D. Antoninus par. pr. tract. 4. cap. 5. §. 5. Serra p. 2. qu. 76. art. 3. d. 2. Cum enim pœna non infligatur justè, nisi pro culpa; & ignorantia qualitatis, si sit antecedens tollat qualitatem culpæ, vel culpam, si culpa super qualitate fundatur, eadem ratione tollit pœnam, quæ fundatur super culpa. Cajet. pr. 2. qu. 76. art. 3. dub. 3. & ibi Alvarez disp. 154. & 158. n. 4. Sylvest. Verb. Ignorantia n. 11. Armilla n. 7. Sanch. de Matrimon. lib. 9. disp. 32. n. 23.* hactenus *Passerinus*, qui ex professo subtiliter, clarè, doctrinaliterve agit de Ignorantia in universum, ejusdemmet divisione, ac distinctione, excusatione à peccatis, & à pœnis causa ipsius, inadvertentia, inconsideratione, & alia, à nobis etiam sparsim tradita pluribus in locis, ac privilegiis hujusce nostri tractatus.

1127 Confirmatur præterea hujusmodi extensio ex doctrina communi, nam triplex causa generalis minuendi pœnam ex conditione delinquentis, à Doctoribus assignatur, scilicet, Ignorantia, Vis, & Metus: ista etiam tria cum tollant libertatem, vel illam minuant, juxta doctrinam *D. Thom. p. 2. qu. 6.* & Doctorum communem, per ipsa etiam consequenter, vel omnino excluditur, vel minuitur pœna, hoc est, vel excusant omnino à pœna, vel illam minuunt. Vis enim, cum totaliter tollat libertatem, ab omni culpa, & pœna excusat. Metus etiam, si sit cadens in constantem virum, vel excusat omnino à culpa, quando lex non obligat ad sui observantiam cum periculo damni gravis; vel saltem excludit dolum, & minuit pœnam. Ignorantia verò (de qua tantum hic) tam juris, quam facti, si sit probabilis, & invincibilis, sicut excusat à culpa, ità excusat ab omni pœna. Si vincibilis, & excludens dolum, diminuit pœnam, ut supra, & etiam alibi.

PRIVI-

PRIVILEGIUM QVINTUM.

…orantia vincibilis, nisi sit affectata, diminuit malitiam, & rationem peccati.

128 **H**Oc privilegium communiter admittitur à D. D. cum *D. Tho. p. 2. qu. 76. art. 4.* sequitur ex præcedentibus: & præterea probatur, quia ignorantia vincibilis, nisi sit affectata diminuit voluntarium, ex diminutione autem voluntarii, diminuitur peccatum. Confirmatur ex eodem *D. Tho. art. c.* quia quicquid est ratio remissionis peccati, alleviat peccatum: sed ignorantia est hujusmodi, ut patet *p. ad Timot. p. Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*, ergo ignorantia diminuit, vel alleviat peccatum. Ita argumentatur *S. Doctor*: loquens utiq; & ipse (ut in privilegio nostro) de ignorantia vincibili, nam invincibilis, *Ea est* (inquit) *quæ totaliter à peccato excusat, quia totaliter voluntarium tollit, unde peccatum non minuit, sed omnino aufert.* Adverte autem hic cum *Gabriele à S. Vincentio in suo Tract. de Remediis Ignorantiæ disp. p. dub. 4. nu. 38.* Quod non omnis ignorantia vincibilis æqualiter diminuit peccatum, sed alia magis, alia minus, alia nullo modo, juxta voluntarii diminutionem. Eo autem magis tollitur voluntarium per ignorantiam, quo ipsa est minus vincibilis, quo difficilius vinci potuit, quo fuit minor negligentia discendi. Sicque ignorantia crassa, vel supina, quæ majorem negligentiam supponit, parum diminuit. Cæterum ignorantia affectata parum, aut nihil diminuit, sed potius auget peccatum.

PRIVILEGIUM SEXTUM.

Ignorantia à pœna Ecclesiastica excusat, etiamsi non à culpa.

1129 **P**Onit quis actum contra Ecclesiasticum præceptum v. g. quod scit esse obligatorium, & sub mortali; ignorat tamen censuram, sive pœnam Ecclesiasticam eidem actui annexam: hujusmodi ignorantia; licet eum non excuset à culpa, eo quia novit præceptum obligatorium, & contra ipsum posuit, atq; commisit actum; excusat tamen à pœna, seu Ecclesiastica censura. Quia videlicet, ignorantia, cum qua etiam contrahitur culpa gravis contra præcepta, & sufficiens est ad contrahendam talem culpam, non est sufficiens ad contrahendam pœnam Ecclesiasticam, ut censuram. Quod tradunt etiam communiter Doctores, cum quibus & nos superius satis superque *in privilegiis Quarti Capitis*, præcipuè *in 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.* Videantur.

1130 An verò currat hoc idem privilegium quoad alias pœnas, & id quod dicitur de ignorantia quoad pœnas Ecclesiasticas, currat etiam quoad alias pœnas, sive divinas, sive humanas? Respond. negativè: Nam qui aliquem v. g. occidit; qui furatur, aut quodlibet aliud peccatum committit, incurrit utique reatum pœnæ æternæ, si peccatum est mortale; aut pœnę temporalis, si est tantum veniale. Similiter leges civiles puniunt capitali pœna occisorem, quamvis hanc pœnam ignoraverit. Verum quidem est, quod ignorantia multum juvat ad temperandam, ac minuendam pœnam. Quare tam in foro Dei, quam in foro Civili, qui ex culpabili ignorantia præceptum aliquod transgreditur, etiamsi ignoret pœnas à Deo, vel legibus Civilibus, aut etiam Ecclesiasticis (exceptis censuris) eas incurrit, liceat eas ignoraverit. Cujus discriminis ratio est, quia Censuræ ex sua institutione requirunt aliquam monitionem, & contumatiam, quam non habent ignorantes: & in pœnis, quæ à Deo, vel Republica infliguntur, solum requiritur malitiosa, & gravis præcepti aut legis transgressio, quæ in ignorante vincibiliter reperitur; ita etiam *cit. à Sancto Vincentio disp. c. dub. 2. n. 15.*

PRIVILEGIUM SEPTIMUM.

Ignorantes invincibiliter culpam contrahere lethalem, necnon in Excommunicationem incidere, qui inducunt aliquem ad eligendam sepulturam cum Voto, Juramento, &c. ab utroque excusantur.

1131 **I**N *Clementina Cupientes §. Sanè De Pœnis.* Religiosi, & Clerici Seculares, inducentes aliquem ad vovendum, jurandum, vel promittendum, ut apud eorum Ecclesias eligat sibi Sepulturam, vel jam electam amplius non immutet, excommunicantur, & excommunicatio, ibidem, reservatur Papæ (præterquam in mortis articulo) nullis obstantibus privilegiis, cujuscumque tenoris existant, &c. Et si tales inducentes excommunicantur, utique peccant mortaliter sic inducendo, quoniam excommunicatio nonnisi ob lethalem culpam contrahitur per omnes. Ab hujusmodi

modi ergo culpa, necnon à censura excusantur dicti inducentes, qui sic inducunt cum ignorantia invincibili talis prohibitionis, ut in privilegio; quod expresse etiam ponit *Franciscus Maria Samuellius De Sepulturis tract. p. disp.* 2. *Contrav.* 4. *Conclus. p. n. p.* sub his verbis: *Inducens ad eligendam sepulturam cum Voto, Juramento, &c. cum ignorantia probabili, minimè in excommunicationem incidit, per allegata Jura allata in Superioribus.* Accedit quoque *Suar. de Cens. disp.* 22. *sec.* 4. *n.* 26. ubi loquens de hac eadem *Clementina*, ait (cum *Cajet.*) *Qui ex ignorantia hujus prohibitionis hoc facit* (hoc est, inducit) *non incurrit hanc censuram*. Addens postea: *Ignorantia probabilis semper excusat à censura, cum excuset à culpa, etiamsi simpliciter lex sit lata contra omnes transgressores.*

1132 Probo autem privilegium cum eodem *Samuellio nu.* 2. *&* 3. & ex doctrina omnium communi: Quia quando ignorantia probabilis concurrit (quæ à lethali culpa utique excusat) seu quando quis ignorat prohibitionem, ut probabiliter putet se tali modo inducere posse ad sepulturam eligendam cum Voto, Juramento, &c. non peccat, nec consequenter evadit excommunicatus, ergo verum privilegium. Ignorantia enim probabilis si à peccato mortali excusat, necessario sequitur excusare etiam ab excommunicatione, nec ipsam habere locum, quia non contrahitur nisi ob contumaciam, cum peccato mortali coniunctam, juxta *Cap. Nullus*, *Cap. Nemo* 11. *q.* 7 *& cap. p. De judic. & cap. A nobis*, *& cap. Sacrosancta de sentent. Excomm. & cap. Romano*, *§. Caveant*, *de sentent. excomm. in.* 6. & juxta ea, quæ nos etiam sparsim tradidimus *in Privilegiis Capitis* 4. quæ desumpta fuere ex doctrina, quam tradunt communiter D. D. cum agunt de Censuris: Et in hoc speciali casu, *præter citatos*, præsens propositum privilegium expresse affirmant, & admittunt, *Cajet. in Summa*, *Verbo Excommunicatio*, *cap.* 49. *Navarr. in Man. c.* 27. *n.* 103. *& P. Pasqualig. Decis.* 376.

1133 Addit tamen *Suar. n.* 26. *c.* & cum ipso *idem P. Pasqual. Decis. c. n.* 3. *& Bassæ. Verbo*, *Sepultura*, *nu.* 2. *prope finem*. Ad incurrendam excommunicationem, aliquid amplius requiri, quam ad peccandum in præsenti casu; ac proinde ignorantiam aliquam, quæ non excusaret à peccato, posse excusare ab incursu Censuræ excommunicationis; quia in *cit. Clementina Cupientes §. fin. Sanè*, fert Pontifex excommunicationem *in temerarios* violatores suæ Constitutionis: ibi enim dicitur: *Sanè temerarios violatores Constitutionis illius, quæ Religiosis, & Clericis secularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent*: dicta autem particula *temerarios*, debet aliquid operari: proindeq; necesse esse ausum temerarium, qui non intervenit, quando ex ignorantia, & bona fide proceditur: etiamsi ob negligentiam ignorantia à culpa non excuset, dummodo tamen ignorantia non sit affectata: ita *Suar. l. c. Samuell. Controv. c.* 4. *Concl.* 2. *n.* 5. *&* 6. *& P. Pasqual. n.* 3. *c.* Addens ipse *n.* 4. Etiamsi ignorantia affectata sit, sufficere, ut quis hanc excommunicationem non incurrat, eo quia etiam affectata ignorantia sufficit ad excludendum ausum temerarium, qui requiritur pro contrahenda excommunicatione. Ausus temerarius dicit ire sine ratione contra Constitutionem, atque adeo velle ipsam infringere, & non observare: Unde necessaria est intentio contraveniendi: quæ locum non habet posita quacumque ignorantia etiam affectata, quia etiam affectata facit ut non habeatur præ oculis Constitutio. *Audere* enim importat quemdam contemptum, ut notat *Innocent. in cap. Cum medicinalis de sent. Excomm. in* 6. Hactenus *Pasqual.* & post ipsum *Samuell. Controv. c. Concl.* 3. *n.* 8. 9. 10. 11. & apud hunc D. D. communiter *n.* 11. *c.* cum quibus & ego *in Privil. Cap.* 4. *c*

1134 Adverte autem hic, quod præter dictam *Clement. Constitut. Cupientes*, extat & aliud antecedens *Decretum Bonifacii VIII.* quod habetur *Cap. Animarum periculis*, *De Sepulturis*, *in* 6. Tenoris sequentis: *Universis Religiosis, & Secularibus Clericis, cujuscumque status, vel conditionis existant, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ, districtissimè probibemus: ne aliquos ad vovendum, iurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel iam electam ulterius non immutent*. Uiolantes hoc Dectetum, seu Constitutionem, ac prohibitionem hanc, peccant quidem (nisi excuset ignorantia) ut vult etiam *P. Pasqualig. Decis.* 375. contra utrumque *Rodriq.* & mortaliter, eo quia, transgressores sint præcepti *districtissimè impositi*, *in virtute sanctæ obedientiæ*, *ac sub interminatione maledictionis æternæ*, ut constas ex textu: qui tamen, & quæ prohibitio, nullam habet censuram annexam. In dicta Clementina addita est, cum reservatione ad Summum Pontificem, *& non obstantibus privilegiis, &c.*

ut ex-

ut expresse in ipsa videre est, præcedenti numero relata: In qua personæ, in quas fertur censura, satis exprimuntur, scilicet Religiosi universi, etiam Laici professi, non ad Chorum deputati, aut Clerici: Unde sufficiet si Religiosus sit, quamvis non Clericus. Sub hac censura in opinione *Samuell. de Sepult. disp.* 2. *c. Controv.* 8. *in principio, & conclusione* 2. *n.*6. & ante ipsum *Suar. sec.* 4. *c. nu.* 25. veniunt etiam Moniales: *Opinor etiam Moniales comprehendi* (sunt verba *Suarezii*) *non tamen Novitios, propter dicta in simili. Et è contrario sufficiet, quod sit Clericus in quocumque gradu, quia textus ibi nihil distinguit.* Ratio autem cur Novitii, sive Laici, sive Clerici non afficiantur præfata pœna, aut censura, communiter traditur à Doctoribus, quia videlicet Novitii, in materia pœnali, nomine Religiosorum non veniunt: sic *Petrus de Murga Disquisitionum Moral. to. p. tr.* 7. *sect.* 8. *Disquis.* 6. *n.* 13. *Cum Lezzana, Sanch. Azorio, Bassæo, Pellizzario, Abbate, Tambur.* & alii. Sed

1135 Quæres hic obiter primo, An peccent mortaliter, & contrahant dictam excommunicationem, qui conantur inducere ad eligendam sepulturam cum Voto, Juramento, aut promissione, si effectus electionis non sequatur? Respondeo ad primam quæsiti partem, affirmativè. Imò certum esse debere apud omnes (inquit *Pasqualig. disp.* 374. *n. p.*) quod peccent mortaliter, quia quantum est de se, intendunt actum malum, & tendunt in obiectum prohibitum, qua prohibitum est, quod sufficit, ut actus contrahat malitiam, quæ contrahitur eo ipso, quod eius obiectum est dissonum rectæ rationi. Quo vero ad secundam partem, responsio est negativa, cum *Rodriq. to.* 3. *Qq. Regul. qu.* 58. *art.* 7. *dub.* 5. *Navarro in Man. Cap.* 27. *nu.* 103. *Versu, Declaratio pr. Caiet. in Sum. Verbo Excommun. cap.* 49. *Angelo Verbo Sepultura n.* 37. *Suar. sec.* 4. *c. nu.* 26. *Pasqualigo Decis. c. à n.* 3. *Francisco Anton. Glianes in Summa Censurar. Verbo Sepultura sub n.* 2. & aliis. Ratio autem hujus responsionis sumitur ex doctrina, quam communiter tradunt D. D. de Censuris: quod nimirum non contrahantur nisi sequuto effectu. Unde, & *Caiet. l. c.* de hac eadem loquens, ait: *Huiusmodi pœna stricti iuris est, & effectum requirit*: Adverte tamen hic, quod si quis motu proprio, Voto, vel Juramento elegisset sepulturam, servare quidem teneretur (*Sylv. V. Sepultura qu.* 5. *n.* 5.) illius nihilominus obligatione non obstante, non potest Clericus, vel Religiosus eum inducere, ut obligatorio modo firmet electionem suam jam factam apud ipsorum Ecclesias; juxta illa verba: *Vel iam electam ulterius non immutent. Pasqualig.* etiam, *Decis.* 73. *nu.* 3. Dico apud ipsorum Ecclesias, quoniam hoc idem expressum est in Canone, ibi enim: *Ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant:* tanquam facientes aliquid præjudiciale Ecclesiæ Parochiali, aut alteri, in qua de jure sepeliri deberent.

1136 Quæres secundo, An dicta excommunicatio locum habeat pro iis, qui inducunt ad electionem sepulturæ, mediante obligatione, eos, qui non pro se eligunt, sed pro aliis: an verò tantum liget eos, qui pro se eligunt. Resp. Ligare omnes, qui inducunt ad eligendum, sive pro se eligant, sive pro aliis, quia universaliter de iis, qui inducunt ad eligendam sepulturam apud proprias Ecclesias loquitur Constitutio: ita etiam *P. Pasqual. Decis.* 373. *n.* 6. Cum quo *nu.* 7. nota, quod electio sepulturæ facta contra dictam Constitutionem est nulla, & proinde qui cum tali forma elegit, debet sepeliri, ubi prius sepeliendus fuisset, nulla facta electione. Et ita etiam decernit *Bonifacius VIII. in Cap. Animarum c. de Sepult. in* 6. ibi: *Nos enim electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis. Statuentes, ut hi, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias ullatenus sepeliri, nec alibi possint eligere sepulturam: sed contradictione quacumque cessante, sepeliantur omnino apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de Jure fuissent, si aliàs sepultura non electa forsitan decessissent.* Insuper nota cum eodem *P. Pasqual. Decis. c. n.* 8. Quod etiam si quis induceret ad eligendum sepulturam cum Voto, Juramento, aut promissione non apud propriam, sed apud alienam Ecclesiam, ut supra, ut Franciscanus apud Dominicanos, cum fraude, hoc est, ad instantiam Dominicani, adhuc electio esset nulla, & contrahuntur pœnæ positæ in dicta Constitutione. Ita etiam *Portell. in Dub. Regul. Verbo Sepultura nu.* 5. ubi sic: *Si aliquis Minorita suadeat alicui cum iuramento, ut eligat Sepulturam apud Dominicanos, non facit contra illud Mandatum, quia Papa solum prohibet ne suadeat apud propriam Ecclesiam; non loquitur verò de suadente Sepulturam in Ecclesia aliena. Secus si idem Minorita id persuadeat ad instantiam Fratris Dominicani, hoc enim iam fit in fraudem illius legis.* Et idem habet *Rodriq. art.* 7. *c. Versu Quarto circa, cum suo Compend. Qq. Regular. res.* 128. *De Sepulturis nu.* 9. & apud hunc *Guttierrez de Juram.* 2. *p. c. fin. n.* 15. & *Villal. p.p. Summ. tract.* 17. *diffic.* 25. *num.* 4.

1137 Quæres tertio, An peccet, & in excommunicationem incidat qui inducit ad eligendam Sepulturam cum Voto, Juramento, &c. apud illam Ecclesiam, apud quam de jure debuisset sepeliri? *Resp.* Affirmativè cum *Portello Verb. c. n. 4.* ubi ait, quod licet Ecclesia non amittat jus quod aliunde habebat: qui tamen sic inducit peccat. Et hoc idem contra *Rodriq. to. 4. Summæ cap. 130. n. 3.* & alterum *Rodriq. in Comp. Qq. Regular. res. 128. in fine:* Existimat probabilius *P. Pasq. Decis. 375. n. 3.* Quia videlicet quandocumque intervenit actus prohibitus, tunc intervenit peccatum, & censura eidem actui imposita suum sortitur effectum. Actus autem in citatis Constitutionibus est inductio ad eligendam Sepulturam cum Voto, aut quavis alia obligatione, quæ prohibetur tanquam continens specialem deformitatem ad rectam rationem: per hunc enim actum ostenditur avaritia: quia præsumitur fieri ex desiderio emolumenti, quod provenit Ministris Ecclesiç ex sepultura, & est contra libertatem electionis sepulturæ, quam æquum est durare usque ad ultimum finem. Idem docet *Bassæus Verb. Sepultura sub n. 2. Versu Quæres tertiò.*

1138 Hinc infertur contra utrumque *Rodriq.* quod relatæ Constitutiones *in cap. Animar. pericul. & Clem. Cupientes*; non sunt in favorem Ecclesiæ, in qua de Jure defunctus sepeliri debet; alioquin sequeretur, quod si quis elegisset Sepulturam in alia Ecclesia, & Regularis ipsum induceret ad mutandam electionem, & Voto, vel alia obligatione eligeret sepulturam apud propriam Ecclesiam, non faceret contra Decretum, quia nova electio non esset in præjudicium Ecclesiæ, cui de Jure contingit sepultura: hoc inquam sequeretur in opinione maximè *citator. Rodriquezium*, assentientium, quod inducens ad eligendam cum obligatione Sepulturam apud illam Ecclesiam, apud quam de jure debuisset sepeliri, tribuat vires potius Decreto, non autem faciat contra illud, cum sit per ipsos in favorem dictæ Ecclesiæ. At non est ita, ut optimè etiam *P. Pasqual. Decis. c. nu. 4. & 5.* Sed in favorem libertatis electionis Sepulturæ, quam tanti fecerunt Summi Pontifices, ut eam concesserint etiam in præjudicium Ecclesiæ, quæ de jure jus habet ad sepulturam: & in detestationem avaritiæ, atque ob tollenda scandala: ut initio Constitutionis explicat *Bonifacius VIII.* quæ oriuntur ex eo, quod Regulares, aut Clerici Sæculares habeant ex ipsorum inductione obligatas personas ad proprias Ecclesias, quoad sepulturam: hinc quotiescumque quis inducitur ad hujusmodi obligationem, semper fit contra finem Constitutionum prædictarum, tantum abest, quod ipsis dentur vires, ut contendunt dicti *Rodriquezii*; & antè ipsos *Sylv. in Sum. p. p. Verb. Excommunicatio VII. n. 49. in fine*, ubi sic: *Tertio, quid agendum quando Ecclesia, in qua dictus eligens erat de Jure sepeliendus, est illa ad quam inducebatur? Et respondet Joann. Andreas, quod ista quæstio est indubitata: quia Constitutio emanavit in favorem Ecclesiæ, cui sepultura debetur: unde in eius pœnam retorqueri non debet, de Regulis Iuris, Quod ob gratiam lib. 6. Item licet inducens peccet: auferendo libertatem eligendi, tamen certat de debito retinendo Cod. de Cond. l. final. Idem Petrus de Ancharrano.* Hæc *Sylv.* Et apud *Petrum de Murga Tom. pr. Disquisitionum Moral. Tract. 7. sec. p. disquis. 6. Dub. p. nu. p.* idem tenet *Joannes Baptista Ventriglia, in Praxi rerum notabilium, annotat. 52. de Electione Sepult. §. unico, nu. 43.* Cujus Doctoris idem pariter fundamentum est, quia videlicet Constitutiones prædictæ in favorem suæ Ecclesiæ, & sui ipsius conditæ sunt. Quod autem est in favorem alicujus, in ipsius odium retorqueri non debet. *Cap. Quod ob gratiam cl 61. de Regulis Iuris in 6. l. Nulla, ff. de Legibus*, ita *Ventriglia*: contra quem tamen idem *de Murga dub. c. nu. 4.* ponit sequentem conclusionem: *Si Parochus inducat ad eligendam Sepulturam in propria Ecclesia Parochianum suum, vel ad illam non mutandam, pœnas incurrit inflictas per cap. Animarum, el p. de Sep. in 6. & per Clementinam Cupientes, la 3. de Pœnis: & electio ipsa irrita est, & nulla.* Primam partem conclusionis probat *n. 14.* ex dictis capitibus, absolutè, & indistinctè prohibentibus sub pœnis in eis contentis universis Religiosis, & sæcularibus Clericis cujuscumque status, & conditionis, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias Sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Clausula autem dicta, *Cuiuscumque status, & conditionis*; tam generalis est (inquit *Murga*) ut non possit non comprehendere Parochos. Præterquamquod, ubi Jus nondistinguit, nos distinguere non debemus, *l. de pretio, ff. de Publiciana in rem actione.* Alteram verò conclusionis partem probat auctoritate Doctorum, & jure ipso: cum ex ipso *Cap. Animarum*, omnis electio Sepulturæ cum pacto, & obligatione facta nulla sit, & irrita, *Electionem talem* (sunt Constitutionis

nis verba *Capit. c.) decernimus nullius penitus existere firmitatis :* ipso ergo jure nulla est, ac irrita hujusmodi electio, etiam inducta à Parocho &c. Qua nullitate presuppofita.

1139 Quæres quarto. An sic inductus, adhuc debeat in eadem Ecclesia sepeliri? Hoc quæsitum procedit etiam quotiescumque quivis alius Clericus, vel Regularis non Parochus inducit aliquem, ut se obliget ad eligendam Sepulturam, vel electam non mutandam, apud ipsorum Ecclesias in quibus de jure (præcisa tali electione) deberet sepeliri: an inquam adhuc debeat in Ecclesia eadem sepeliri? *Glossa* ipsa *in dictum cap. Animarum , Verbo Apud quas* , proponit hoc idem quæsitum ; & *circa finem*, per eandemmet videtur, quod non debeat ibi sepeliri. *Quid si Ecclesia ista* (ita *Glossa*) *sit illa in qua ab intestato sepeliri debebat ? Si dicamus quod ibi non debeat sepeliri, ubi ergo sepelietur ? & littera dicit , non apud illas, &c. Unde posset dici quod ibi sepelietur non obligatione promissionis, sed potestate juris, sicut cum ex duabus servitutibus remittitur altera, altera remanet, &c. In contrarium videtur, quod scilicet nec apud electas Ecclesias ullatenus sepeliri debeant. Secundum hoc enim , semper illi apud quos est sepulchrum Majorum etiam ex electione , vel promissione , quia privati erunt potestate eligendi, habebunt intentum : quod esse non debet.* Quo tamen non obstante. Respondeo, cum *Rodriqu. To.* 3. *Qq. Regular. qu.* 58. *art.* 7. *dub. p.* & altero *Rodriquez in Compend. Resol.* 128. *n.* 6. *§. Notand. est primo. Pasqualigo Decis.* 378. *à n.* 3. *Samuellio De Sepulturis tract. p. disp.* 2. *Controv.* 6. *Conclus.* 2. *Petro de Murga to. p. Moralium. Disquis. tract.* 7. *sec. p. disquis.* 6. *dub.* 7. (ubi refert etiam *sub n. p. in fine*, *Petrum de Ubaldis de Canonica Episcopali cap.* 11. *n.* 13.) & cum aliis communiter apud *Samuellium conclus.* 2. *c. n.* 9. *in fine :* Tenendum esse quod debeat in dicta Ecclesia sepeliri quam obligativo modo elegit , inductus , &c. si alioquin debuisset in ipsa sepeliri . Et ratio est , quia *Summus Pontif. Bonifacius* per suam prædictam Constitutionem prohibet tantum effectum electionis, illumque interdicit, declarat illam nullam, eandemque cassat , & irritam decernit : hinc res ad juris terminos reducitur , hoc est, eodem pacto res se habet ac si nulla facta fuisset electio : tunc autem utiq; servando jus commune , debuisset sepeliri in eadem Ecclesia, ergo etiam nunc, non quidem ex vi electionis, quia irrita est, nulla & invalida , sed ex juris determinatione. Confirmatur hæc eadem ratio à pari de Testamento, ex eodem *P. Pasqualigo Decis. c. n.* 4. Si quis condat testamentum , quod ex aliquo defectu sit nullum , hæreditas pervenit ad illos qui ab intestato succedunt, etiam si ipsi fuissent in eodem testamento instituti hæredes, & vitio ipsorum evasisset nullum testamentum, ergo à pari quamvis etiam electio sepulturæ sit nulla, & sit electus locus, in quo de Jure eligens debuisset sepeliri, adhuc in eodem loco sepeliendus erit. Quod etiam apertè deducitur tum *ex cit. cap. p. de Sepult. in* 6. tum ex relata *Clement. Cupientes*, quia non ponunt dictam pœnam (ut advertit etiam *Pasqualig. Decis. c. n.* 5.) iis qui inducunt ad talem electionem, ut eos privent jure communi: sed declerata nulla hujusmodi electione, reducunt sepulturam ad terminos juris: non debent igitur privari suo jure , cum per Canones non priventur, qui prohibent quidem eos sepeliri apud Ecclesias electas, sed quatenus in ipsis sepeliri deberent ex vi electionis , cum enim declarent nullam electionem, debent etiam prohibere electionis effectum , ideoq; prohibent apud dictas Ecclesias sepeliri in virtute electionis, & non si ex alio capite in ipsis sepeliri debent.

1140 Quæres quinto, An Religiosi, & Clerici sæculares inducentes obligatorio modo (ut supra) ad eligendam apud eorum Ecclesias sepulturam, & effectivè sepelientes in ipsis sic inductos : incidant in aliam pœnam præter supradictam excommunicationis censuram Papæ reservatam. Respond. affirmativè, ut videre est in dicto *Cap. Animarum de Sepult. in* 6. ibi enim *§. Si vero, Summus Pont. Bonifacius VIII.* sic : *Si vero iidem Religiosi, vel Clerici prædictos in suis Ecclesiis, vel cœmeteriis præsumpserint sepelire : ad restitutionem tam sepultorum Corporum (si petantur) quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum, pervenerint quomodolibet ad eosdem, infra decennium integraliter faciendam, ipsos obligatos esse censemus. Quam nisi fecerint , Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerint, necnon & cæmeteria earundem, ex tunc eo ipso sint , & tandiu maneant Ecclesiastico suppsita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum.* Limita tamen cum *Summ. Angelica p.* 2. *Verbo Sepultura , n.* 38. *in fine* (& ut in præcedentis nostri quæsiti responsione.) *Nisi esset Ecclesia in qua de Jure esset sepeliendus : quia non teneretur restituere nec corpus , nec aliud , secundum veriorem opinionem , &c.*

1141 Quæres sexto, An si unus tantum particularis ex Regularibus utriusq; sexus, & ex Clericis sæcularibus ad sepulturam

eligendam inducat apud suam Ecclesiam cum obligatione ipsius eligentis ut supra, pœnas Apostolicarum Constitutionum incurrat, & electio irrita sit, ac nulla? Ratio quæsiti est, quia nonnulli volunt quod electio sepulturæ cum voto, juramento, aut promissione facta ex inductione alicujus particularis personæ illius Ecclesiæ, in qua fit electio, puta Beneficiarii simplicis, Monachi, aut Fratris similiter simplicis, qui videlicet non sit Parochus, Prælatus, Vicariusve eorum, aut Sacrista, vel talis qui totam communitatem illius Ecclesiæ repræsentet, sit saltem valida, consequenter ejus Ecclesia non perdat jus per promissionem, & si inductivè factam, acquisitum. Ita sentire videntur *Rodriq. art. 7. c. dub. 3. Roderiquez in Compendio Resol.* 128. *n.* 8. *cum Portello in Dubiis Regularib. Verbo Sepultura n.* 4. ubi sic: *Vovens, vel promittens se sepelire in aliquo Conventu persuadente tantum aliquo Religioso non Prælato, quidquid sit de peccato suadentis, non perditur jus sepeliendi in illo Conventu, quia opus est ut persuasio fiat à majori parte Conventus. Rodriquez ubi proximè. Si autem Prælatus suadet cum illo effectu, & peccat, & perditur Jus sepulturæ; quia Prælatus repræsentat totum Conventum.* Hactenus *Portell.* Quod improbabile minimè esse, dicit *Samuellius de Sepult. tract. p. disp.* 2. *Controv.* 8. *Conclus. p. n. p.* & apud ipsum *nn.* 4. *Archidiacon. in cap. pr. de Sepult. in* 6. *Angelus Verbo Sepultura, n.* 33. *in fine, citans Joann. Andream, & Hostiens. Petrus de Ubaldis cap.* 11. *De Canon. Portio. Episcop. Lezzana to.* 3. *Verbo Sepultura quoad Regulares n.* 8. Ubi absolutè ipse notat pro praxi Regularium, quod si unus Religiosus nomine suo inducat aliquem dicto obligatorio modo ad eligendam sepulturam in sua Ecclesia, quamvis ipse peccaverit, non propterea alii Religiosi, aut totus Conventus incidet in prædictas pœnas, nisi ipse sit Prælatus, aut alius nomine Communitatis, quia solum isti possunt aliis, aut Communitati præjudicare. Imò *Angelus n. c.* 33. *in fine, cum Joanne Andrea, & Hostiens.* (Quibus adde *Petrum de Ubaldis apud Rodriquez dub.* 3. *cit. Versu, Ex his.*) Tenet, quod nec Prælatus solus possit sic Ecclesiæ præjudicare, aut nocere: *Quia* (inquit) *Prælatus solus non potest præjudicare Ecclesiæ in acquirendis.* Delictum enim unius, non debet aliis præjudicare, ut est vulgatum in jure: Unde si unus ex dictis Ecclesiasticis inducit ad eligendam sepulturam modo interdicto, non debet in Ecclesiæ damnum redundare, quod argumento etiam aliquorum Iurium comprobatur: ita D. D. relati; quibus minimè obstantibus.

1142 Ad quæsitum respondeo, Etiam Religiosum, & Clericum particularem inducentem ad eligendam sepulturam in propria Ecclesia, sub juramento, voto, aut promissione, pœnas incurrere Apostolicarum prædictarum Constitutionum, & electionem ipsam, esse ipso facto nullam. Ita etiam *Sylv. V. Excommunicatio VII. n.* 49. *Prope finem. Versic. Secundo dubitatur. Pasqualig. Decis.* 380. *Samuellius Controvers.* 8. *c. Conclus.* 2. & 3. *Petrus de Murga disquisit.* 6. *cit. dub.* 2. *Conclus. Unica*, & apud ipsum *sub n.* 6. *Trull. to.* 3. *Tract. de Jure Parochi, cap.* 9. *dub.* 5. *n.* 17. aliique. Probatur responsio: Tum quia *in dicto Cap. Animarum Bonifacius Papa VIII.* cum universis Religiosis utriusque sexus, & Clericis Sæcularibus cujuscumque status, conditionisque existentibus loquitur, quando sub pœna nullitatis electionis, & sub formali præcepto statuit, ne inducant aliquos ad electionem Sepulturæ cum juramento, voto, aut promissione apud eorum Ecclesias, vel ad non immutandam apud easdem jam electam: Talia enim sunt ipsius Constitutionis Verba: *Universis Religiosis, & Sæcularibus Clericis, cujuscumque status, & conditionis existant, &c.* Dictio autem *Universis*, universalis est, ut ex se constat, comprehendens (ut inquiunt etiam *Samuellius Conclus.* 2. *cit. n.* 6. *& de Murga conclus. c. n.* 12.) omnes, & singulas personas Majores, & minores, Regularium utriusque sexus, & sæcularium Clericorum cujuscumq; status: *Alioquin frustraretur lex fine suo* (ait *Pasqual. decis. c. n.* 2. & benè) *quia semper possent, qui sunt de Ecclesia aliqua, per unum aliquem procurare talem electionem, & sic reddere irritum Decretum. Alias* (infert etiam, & optimè *Samuellius n.* 6. *c. in fine*) *talis Constitutio inanis redderetur, si personæ individuæ, & singulares non comprehenderentur in ea, nam si major pars alicujus Ecclesiæ sæcularis, aut Regularis non induceret ad hoc modo sepulturam eligendam, nunquam contra talem Constitutionem contra fieret, sed hoc est falsum, ergo.* Tum quia, præceptum hoc formale, immediatè ad singulares personas dirigitur, & prohibitio hujusmodi est utique personalis, de cujus ratione est ut comprehendat omnes, & singulos; quia non fit Communitati, neque loco, sed personis; & proinde respicit actus personales, non autem actus Communitatis. Addo cum *de Murga n. c.* 12. *in fine*. Quod mens ipsa Pontificis dirigentis præceptum suum personis singu-

singularibus, non Communitati, convincitur. *Ex cit. Clementina Cupientes §. Santè de Pœnis*; in qua innovatur *Cap. Animarum*, & per illam additur istius violatoribus, Excommunicationis pœna: quæ non infligitur unquam Communitati, sed singularibus personis. Tum etiam quia *Bonifacii VIII.* intentio in præfata sua Decretali, fuit omnino auferre scandala, quæ frequenter oriebantur ex inductione Ecclesiasticorum circa electionem sepulturæ obligatorio modo: ut se declarat initio Constitutionis: sed eadem scandala, & pericula oriuntur ex inductione taliter facta per Clericum, aut Religiosum particularem, ac si fieret per Parochum, Prælatum, aut per majorem partem Capituli Ecclesiæ, aut Conventus Monasterii, ergo nulla, & irrita electio, etiam si dicto modo inducens, sit singularis, ac unus tantum. Hinc & ipsa *Glossa, in dictum caput Animarum, Verbo, Interdicto*: concludit: *Ergo propter transgressionem unius fratris, Ecclesia tota, & cæmeterium punietur*. Sed

1143 Dices primo. Procurator, Abbas, vel Episcopus non valet per suum actum præjudicare Monasterio, aut Ecclesiæ suæ, ergo multo minus præjudicare valebit Religiosus, aut Clericus particularis Ecclesiæ suæ per inductionem electionis sepulturæ in facta obligatorio modo: Consequentia constat à majoritate rationis: si enim illi, qui potentiores sunt, nequeunt per suum actum propriis Ecclesiis præjudicare, multo minus isti, qui minimi, ac inferiores sunt, id facere quibunt. Antecedens definitum videtur *à Gelasio Papa, in Canone si* 16. *qu.* 6. per hæc verba: *Si ergo delictum personæ in damnum Ecclesiæ non potest verti, quia Procurator conditionem Ecclesiæ est facere meliorem, non deteriorem: si pecto Abbatis possessiones Monasterii auferri non ...: quomodo delictum Episcopi vertetur in damnum Ecclesiæ, ut inde detrimentum suæ causæ patiatur? Sed detrimentum causæ pati, sic est accipiendum, ut Ecclesia suo jure ...etur, &c.* Hæc *Gelasius*. Ubi *Glossa*, ...bo *Si ergo*, sic: *Concludit Gratianus, ex ... dictis, quod propter delictum Prælati Ec... pati damnum non debet: quia Procurator est, non Dominus*. Et quod culpa solius Prælati, aut alterius Superioris solius non præjudicet Ecclesiæ, notant communiter ...tores, apud, & cum *P. Pasqualig. de ...ific. to. 2. qu.* 1027. *cum Glossa in cap. p... 17. qu. 6. & apud de Murga l. c. n.* 18. ..., pluribus in Decisionibus relatis pari... *P. Pasqualig*. apud dictum *de Murga n. eodem*. Ergo. Respondeo obiectioni distinguendo antecedens cum *P. Pasqualig. to. 2. c. qu.* 1088. *n.* 5. *& de Murga l. c. nu.* 19. Procurator, &c. non valet præjudicare Monasterio, aut Ecclesiæ, in acquisitis concedo antecedens, in acquirendis nego: & sic etiam nego consequentiam: quia in ea agitur de acquirendis per inductionem; non autem de acquisitis. Imo textus ipse adducti Canonis pro confirmatione antecedentis, probat hujusmodi distinctionem, cum in eo *Gelasius Papa* agat de possessionibus à Monasterio jam acquisitis, & de Jure quod habebat Episcopus. Hinc non mirum, quod definiat delictum personæ Procuratoris, Abbatis, aut Episcopi, in Ecclesiæ damnum non posse converti. Ita etiam *de Murga l. c. nu.* 20.

1144 Dices secundo. Delictum Personę non debet in detrimentum, præjudicium, ac punitionem Ecclesiæ redundare, ut decernit *Bonifacius VIII. in Cap. Delictum el 76. de Regulis Juris in* 6. At si electio Sepulturæ ad suasionem, & inductionem Clerici, aut Religiosi particularis obligatorio modo stabilita, esset nulla, ac irrita; delictum personæ in punitionem, detrimentum, & præjudicium Ecclesiæ redundaret: Ergo valida est, & rata dicta sepulturæ electio. Respondeo, & hunc *Canonis textum* eodem modo intelligendum esse, & sub eadem distinctione, ac præcedentem: Delictum personæ in Ecclesiæ detrimentum, &c. redundare non debet: in jam acquisitis videlicet ab Ecclesia; secus verò in acquirendis. Et quod etiam in hoc Canone agat Pontifex solum de acquisitis, ab exemplis à *Glossa* ipsa in eodem textu adductis, clarè patet: & ex ipsis id etiam demonstrat *de Murga l. c. n.* 22. Addo præterea cum *P. Pasqualig. Decis. c.* 380. *n.* 5. *& Samuellio Controv. c.* 8. *conclus.* 3. nullam in hoc intervenire punitionem Ecclesiæ, neque ullum ipsius præjudicium; quia non privatur aliquo jure quod acquisierit. Non enim jus acquisivit ratione talis electionis, quia cum hujusmodi electio fuerit contra Canones, & nulla, non transtulit jus aliquod in Ecclesiam apud quam electa fuit sepultura, idcirco non fit ei aliquod præjudicium si non concedatur. Neque personæ delictum redundat in Ecclesiæ detrimentum; Ecclesia enim nihil patitur; quia tunc patitur, quando læditur in aliquo sui ipsius: non autem quando ipsi non conceditur quod non est suum. Unde ad argumentum in forma: concessa majori, negatur minor, & etiam consequentia. Ex quibus etiam inferes cum *Rodriq.*

driq. Dub. 3. c. Versu Ex his : & P. Pasqual. Decis. c. n. 6. quod & si electio inducta obligatorio modo à solo Prælato non esset irrita, quatenus inducens unus tantum esset, adhuc tamen quatenus talis persona, idest quatenus Prælatus sic inducens, esset irrita; quia Prælatus, cum sit caput Monasterii, & Ecclesiæ, est persona publica, & in iis quæ pertinent ad Ecclesiam suam, eandem repræsentat, ideo, &c.

1145 Quæres septimo. An sepulturæ electio facta ex suggestione, absque interventu inductionis cum Voto, Juramento, ac promissione, à personis Ecclesiasticis, sit nulla, & irrita? Talem esse respondet *Bellettus p.p. Disquisitionum Clericalium, De Clerico Debitore §. 3. n. 26. pag. mihi 370.* citans ibi *Cravet. Cons. 16. Vol. p. & Brusatum Cons. 226. nu. 118. Vol. 3.* Et pro fundamento sui dicti affert *Cap. p. de Pactis in 6.* Et hoc idem esse responsum secundum communiorem, & probabiliorem sententiam affirmat *Samuellius disp. 2. c. Controv. 5. conclus. p.* cui adde *Genuensem in Praxi Archiep. Neap. cap. 61. & Lezzanam to. 4. Verbo Sepultura quoad Regulares n. 10.* uterque enim sic: *Si Parochus, dum accedit ad communicandum infirmum, ipsum interrogat non in genere in qua Ecclesia velit sepeliri, sed in specie, dicendo, vis sepeliri in Parochia, vel in alia Ecclesia, ipsam specialiter nominando, non valet hæc electio tanquam facta ad suggestionem; debet enim in genere interrogare.* At contra respondeo ego, Valere. Et idem etiam tenent *Pasqualig. Decis. 377. Samuell. Controv. 5. c. Conclus. 2. Bassæus Verbo Sepultura n. 2.* Ubi expresse: *Non est prohibitum* (inquit) *hortari aliquem, & persuadere ipsi, adhibitis etiam præcibus, ut apud propriam Ecclesiam eligat sepulturam, dummodo non intendatur ita ipsum obligare, ut non possit mutare electionem iam factam.* Et ante citatos idem docuit *Toletus lib. p. cap. 36. §. Quarta habetur:* ubi sic: *Ad hanc excommunicationem contrahendam debent Religiosi, vel Clerici inducere ad vovendum, jurandum, vel promittendum: simpliciter enim inducere, ut eligat, non satis est.* Item *Rodriq. art. 7. c. in fine:* ut sequitur. *Notabile est, quod dicta Constitutio non habet locum contra simpliciter exhortantes ad eligendam sepulturam non interveniente promissione, vel Voto, seu juramento, quia ii tales non incurrunt pœnam ejus, ita tenent Joannes Andreas, Ioannes de Lugo, & alii, quos refert Gregorius Lopez.* Omnium autem citatorum D. D. ac datæ hujus responsionis, ratio fundamentalis est; Quia electio Sepulturæ facta ex suggestione, non est inducta cum juramento, Voto, aut promissione obligatoria, ergo non est irrita, & invalida: antecedens est certum, & tale supponitur: consequentia sequitur: cum enim simus in materia odiosa, ac pœnali, non debemus illam extendere, ac dilatare de uno casu ad alium diversum, sed potius debemus eam restringere, & arctare, juxta *Regulam Iuris in 6. Odia, &c.* ergo vera responsio.

1146 Quæ etiam confirmatur, tum quia Verba Canonum, & Papalium Constitutionum, in propria sunt significatione sumenda, *l. Non aliter, ff. de legibus 3. & ex cap. Ex literis, de Sponsalibus, & in Cap. p. de pactis in 6.* & in allegatis Constitutionibus, & Juribus, nulla fit mentio de suggestione, sed tantum de non inducendo à personis Ecclesiasticis ad sepulturam eligendam cum Voto, aut Juramento, &c. Ergo. Tum quia (ut advertunt etiam *Pasqualigus Decis. c. n. 3. & Samuell. Conclus. 2. c. n. 6.* Nullum Jus extat, quod irritet electionem Sepulturæ factam ex suggestione, & sic etiam per suggestionem facta, manet adhuc in eligente libera ejusdem voluntas, illam mutandi, & aliam sumendi, ergo. Adde cum iisdem (*Pasqualigo n. 4. & Samuellio n. 8.*) hujusmodi suggestionem neque esse malam; quia non est de obiecto illicito, sed de eo, quod licitè fieri potest ab eligente. Neque etiam talis suggestio prohibita est ab aliqua lege, dummodo non fiat cum inductione obligationis à Regularibus, vel Clericis Secularibus. Nec contra hanc nostram responsionem facit *textus cap. p. de Pactis in 6.* ab Adversariis oppositus; in illo enim nil habetur quod faciat pro prima contraria opinione. Nam ibidem solum *Bonifacius VIII.* decernit, (ut patet apertissimè, *ex ipsa Glossa. Verbo Pactum:* & notat etiam *P. Pasqualig. Decis. c. n. 2.*) Quod Regulares habentes ab Apostolica Sede liberam Sepulturam, si paciscantur de non recipiendis aliquibus, vel certis Parochianis alicuius Ecclesiæ, tenentur servare pactum, & eos non sepelire, non obstante quòd apud ipsos elegerint Sepulturam: quia per pactum censentur renunciasse privilegio. Ita *Glossa*, nil contra nos, ut patet.

1147 Ex his infertur, Religiosos, & Clericos licitè inducere ad electionem sepulturæ faciendam in Testamento, aut Codicillo, & talem etiam electionem esse ratam, & validam: quod expresse docent etiam *Lezzana in Summa to. 2. p. 4. Verbo Sepultura quoad Regulares n. 7. Non incurrunt prædictas pœnas, qui inducunt ad eligendam sepulturam*

ram in Testamento, *seu Codicillo*, *quia hoc* *n est Votum*, *aut Iuramentum : & Petrus de* *urga Disquisit. 6. cit. dub. 5.* hiscemet ver- *; n. p. & 2. Electio sepulturæ facta in Tes-* *mento*, *aut Codicillo ex inductione Clerici*, *Religiosi*, *non est in Jure prohibita*, *nec* *Cap. Animarum*, *nec in Clementina Cupien-* *. Quia inducere ad eligendam sepulturam in* *tamento*, *aut Codicillo*, *non est inducere ad* *endam illam cum juramento*, *voto*, *aut pro-* *sione*. *Ergo dicta jura non sunt extendenda* *inducentes ad electionem sepulturæ in Testa-* *to*, *vel Codicillo faciendam*, *nec ad electio-* *sic ex hujusmodi inductione factam. Ante-* *ens per seipsum*, *ex ipsis terminis patet. Con-* *uentia verò probatur*, *quia recensita Jura* *alia sunt. Ergo extendi neutiquam debent*, *possunt quidem ad Casum non expressum*, *ad expressum arctari. Cap. Odia*, *De Re-* *is Juris in 6. l. Interpretationem*, *ff. de* *nis :* ità, & optimè dictus *De Murga*, *erens etiam n. p. Joannem Baptistam Ven-* *gliam in Praxi Rerum Notabilium*, *annotat.* *. num. 38.*

1148 Quæres octavo. An eligens spon- sepulturam apud aliquam Ecclesiam, steaque electionem mutans, & eligens iam inductus obligatorio modo, per Ca- ones prohibito, sepeliri debeat in Eccle- prius electa, an prout de Jure? *Ro-* *iquez art. 7. cit. dub. 2. & alter Rodriq.* *Compend. ref. 128. n. 7.* tenent debere se- liri in Ecclesia quam legitimè prius ele- rat, cum secunda electio nulla sit, hæc- e non vitiet electionem priorem, juxta ictillimam *Regulam Juris*, *Cap. Utile*, *e Regulis Juris n. 6.* Quod videlicet, *Uti-* *per inutile non vitiatur*. Nihilominus, licet la ratione inspecta, ita resolvendum esset, optimè etiam *P. Pasqualig. Decis. 379.* 3. oppositum tamen, dispositione juris enta, tenendum est, nimirum, quod n debeat sepeliri nec in Ecclesia prius ecta, & si electa fuerit hæc sponte, & gitimè, sed sepeliri debere prout de jure; que ad quæsitum cum *P. Pasqual. Decis.* Respondeo. Et quidem ratio evidens se- videtur : nam Pontifex in dicto *Cap. p.* *Sepult. in 6.* in pœnam electionis obliga- rio modo factæ, statuit quod alibi eligen- s nequeunt amplius sepulturam eligere: contrafaciant Voto, aut Juramento, aut omissioni factæ in electione sepulturæ: sed od apud illas sepeliantur Ecclesias, apud as de jure debuissent sepeliri. Hinc se- itur, quod prior electio irrita sit, dum lt Pontifex quod votum, juramentum, promissio liget eligentem, adeo ut non habeat amplius libertatem eligendi ulterius sepulturam; quare sicut nequit ulterius eli- gere, etiam irritatur electio præcedens, quia votum, juramentum, & promissio jam suum sortitur effectum quoad ligandum eligentem, qui si manet ligatus, destrui- tur consequenter electio præcedens, eo quia mutatur prior voluntas, & nova posterior voluntas manet ligata. Neque huic doctri- næ videtur contrarius ipsemet *Rodriq.* dum *art. 7. c. dub. 6.* ait sic: *Iurans*, *vel vovens*, *hujusmodi voluntatem*, *& electionem sic factam* *non potest mutare alibi eligendo*, *ne sit periu-* *rius*, *& ita juramentum*, *quantum ad ipsum* *jurantem spectat*, *servandum est*, *&c.* Si ergo servandum est, manet utique ligatus jura- mento, &c. quantum est de se, idcirco nec potest subsistere prior electio, quæ non ha- bet robur stante obligatione ad aliam sepul- turam : in qua deinde nec Pontifex vult quod sepeliatur secundum dispositionem propriæ voluntatis, sed tantum juxta dis- positionem juris, &c.

PRIVILEGIUM OCTAVUM.

Mulier ignorantia planè invincibili laborans, *quod ob sui pectoris nuditatem*, *& immodi-* *cum ornatum*, *alios provocet ad libidinem*; *excusatur à mortifero ornatu*, *& ab hujus-* *modi lethali nuditate*. *Confessarius tamen* *eam monere debet*, *etiamsi ex sua monitione* *fructum non speret*.

1149 SI ignorantia hujus Mulieris non est invincibilis, sed vincibilis, utique non excusatur à lethali, ejusdem pectoris nuditas, & ornatus immodicus ad libidinem provocans, quo casu Confessarius nequit dissimulare, sed eam monere debet, quamvis admonitio profutura non sit; & quodcumque scandalum Pœnitentis Mulie- ris sequatur. Juxta Doctrinam quam tra- dunt omnes apud, & cum *Sanch. libr. 2.* *de Matrim. disp. 38. n. 2.* quia cum vincibi- lis ignorantia haud excuset, Pœnitens affe- cta est culpa lethali, quare si Confessor dissimularet, Sacramentum conferret indi- gnæ. Et nedum nequit dissimulare, sed te- netur omnino monere, tum quia hujusmo- di admonitio proderit, ut Pœnitens igno- rantia illa liberetur, & agnoscat malum statum in quo est, & fortè resipiscet, mor debit conscientia, stimulisque agitabitur : tum quia ita ansam illi auferet conqueren- di de negata sibi absolutione : tum etiam quia sic suo muneri satisfaciet Confessarius, ut docet idem *Sanch. n. 2. c. versu Sed di-* *cendum*,

cendum, in fine, cum Soto, Ledesma, & Aragonio. Et tanquam certum tradit etiam *Suar. in 3. p. to. 4. disp. 32. sec. 4. n. p. & 2.* Excusatur verò à mortali formaliter ejusmodi Mulier, ut in privilegio, si illius ignorantia sit invincibilis, quia hæc utiq; (per omnes) illam liberat à gravi culpa, licet illius status materialiter sit status peccati mortalis. Hoc idem privilegium afferunt etiam, & admittunt *Diana to. 7. Coord. tract. 5. res. 63. n. 17. Ex par. 11. tract. 4. & Miscell. 4. res. 32.* sic dicens: *In locis quibus viget antiqua consuetudo, ut fœminæ incedant publicè cum pectore, & mammillis notabiliter nudatis, possunt à mortali excusari ab ignorantia invincibili, & vera simplicitate, quia ignorantia invincibilis legis, & præcepti excusat à culpa, &c.* ita *Diana l. c.* seu potius apud ipsum *Jo: Maria de Castillento in Theol. Moral. Seraph. to. p. Verbo Consuetudo, diffic.* 24. Et *Albertus De Albertis De Ornatu Mulierum disp. 3. cap. p. n. 26. pag. mihi* 319. hisce verbis: *Si Mulier ignorantia plenè invincibili obsidetur talis ornatus mortiferi, vel talis nuditatis, status ejus, qui materialiter est status peccati mortalis, excusatur per ignorantiam.*

1150 Additur in fine hujus privilegii, Quod Confessarius teneatur eandem Mulierem admonere de dicto suo statu, qui saltem materialiter est status peccati mortalis, quamvis fructus non speretur. Et quidem, quod ad id teneatur Confessarius quando fructus speratur, videtur certum, universè admittitur, & laudatur, præcipuè à *Sanch. l. c. n. 5. Suar. l. c. n. 3. Card. de Lugo de Pœnit. disp. 22. sec. 2. n. 27.* & ab aliis apud eosdem, hanc quoque doctrinam, & conclusionem tuentibus, sive ignorantia sit facti, sive cujuscumque juris. Et ratio est, quia Confessarius, vel Pastor est ex Officio, vel tenet locum Pastoris ex delegatione. Atqui ad Pastorem pertinet docere subditos, quæ necessaria sunt ad servandam Dei legem. Ergo cum ad hanc servandam necesse etiam sit abstinere ab insolita Muliebris pectoris nuditate, & ab immodico ornatu ad libidinem valde provocante, de utroque tenetur Confessarius, ubi spes fructus est, monere pœnitentem. Ad quod quidem insuper tenetur, si pœnitens interroget, vel dubitet, tunc enim, (ut communiter etiam D. D. præsertim *Suar. nu. 2. cit.*) Confessarius nedum ullo modo potest falsum dicere, aut Pœnitentem in suo errore ulla ratione confirmare, sed neque ei licebit dissimulare, & occultare, cum sit hoc intrinsecè malum; unde debet ei veritatem, suamque obligationem, vim juris, ac præcepti aperire: quia hoc munus est Confessoris, ut Medici, & Pastoris, ad quem pertinet veritatem docere, &c.

1151 Quod ad hoc quidem inquam, teneatur Confessarius, ideſt Pœnitentem admonere, quando speratur admonitionis fructus, vel quando pœnitens quærit, aut dubitat, conceditur ultrò (dicet quis) ob allatam rationem, & communem Authoritatem. At, quod etiam teneatur monere eandem Mulierem, etiam si ex sua monitione Confessarius fructum non speret emendationis, ut additur in privilegio: talis additio contradictores habet, & videntur esse Doctores omnes, affirmantes, quod ubi intercedit ignorantia invincibilis, & spes emendationis deest, Confessarius tacere debet, hocque docent adducti à *Suar. l. c. n. 4. Sanch. l. c. n. 7. 8. 9. de Lugo l. c. n.* 24. ubi expressè sic: *Quando ignorantia est invincibilis, sive sit facti, sive juris humani, sive divini, vel naturalis, debet Confessor cautè procedere: nam si prævidet ignorantiam ablatam redundare debere in novum peccatum pœnitentis, qui prosequetur faciens cum peccato, quod prius licitè faciebat; debet potius dissimulare, dum non interrogatur. Quod locum habet etiam si aliquando pœnitens dubitaverit: si tamen postea, propter aliorum consilium, vel propter aliam causam, dubium deposuerit, & jam nunc in bona fide invincibiliter reperiatur*: ita *Emin. De Lugo*. Et ante ipsum, *Suar. n. 4. c.* Sic: *Quando Confessor non sperat fructum, vel quia probabiliter, & prudenter timet pœnitentem non effecturum, vel certè non posse sine gravi incommodo id efficere, de quo admonendus est, potest, & debet tacere, ac pœnitentem in sua bona fide relinquere.* Idem docet post *Suar. & Lugonem*, & cum iisdem *Tambur. lib. 3. Methodi Expeditæ Confession. cap. 4.* Addit *Pellizar. de Monial. cap. 10. sect. 3. Subsect. p. nu.* 191. idem affirmandum etiam, quando quis bona fide, & invincibili ignorantia existit in occasione proxima peccandi, & non speratur emendatio. Horum autem ratio est, quia tunc Confessor nec ratione officii, nec ratione charitatis tenetur pœnitentem admonere: non ratione primi, quia tunc pœnitens est benè dispositus, & integrè confessus: igitur ex vi officii Confessoris absolvi potest: nec etiam ratione secundi, ut ex se manifestum est, quia charitas, & fraterna correctio solum obligat, quando adest spes fructus. Imò in hujusmodi casu, contra charitatem potius esset admonitio, quippe quæ posset fine ullo fructu maximum proximo afferre incommodum.

dum. Quod confirmari poteſt, nam neque Medicus adhibere debet Medicinam, ſi timeat majus damnum allaturam infirmo, quam fructum, maximè quando non admodum urget neceſſitas, uti eſt in præſenti caſu noſtro, quia cum ignorantia excuſet à peccato, facit ut neceſſitas non admodum urgeat. Concludendum igitur potius videtur ex his, quod quando Confeſſarius ex monitione non ſperat fructum emendationis, ſed prudenter, & probabiliter timet Pœnitentem Mulierem, de qua in privilegio, ab inſolita pectoris nuditate, aut ornatu valde ad malum provocativo minimè ceſſaturam, debet illam relinquere in ſua invincibili ignorantia, & bona fide; tacere, nec eam admonere. Hiſcemet omnibus nihilominus minimè obſtantibus.

1152 Dico ſuſtinendum eſſe oppoſitum; hoc eſt, debere Confeſſarium monere dictam mulierem, etiamſi ex ſua monitione fructum minimè ſperet, ut proponitur in privilegio. Et idemmet omnino ſuſtinet etiam *dictus de Albertis l. c. nu.* 27. Ratio eſt, quia licet Doctores relati ſubſcribant, & decernant Confeſſarium tacere debere, ut ſupra, etiamſi pœnitentis ignorantia in damnum proximi redundet, ut expreſsè *Sanch. l. c. n.* 10. cum *Metina*, *Cano*, *Ledeſma*, *Henriq.*, *& Corduba* & cum iiſdem *Suar. l. c. n.* 3. *Cardin. De Lugo l. c. nu.* 26. *Tamb. Cap.*4. *c. n.*5. (aliique contra *Navarr. & Covarru.*) nihilominus iidem Doctores, & alii cuncti, aliter aſſeverant, & docent, quod quando ignorantia invincibilis, talis eſt, ut ex ea malum boni communis timeatur, tunc alia eſt ratio, atque præferendum eſt bonum commune privato. Unde *Sanch. l. c. n.* 15. *Intellige* (inquit) *niſi ex ea ignorantia timeatur malum boni communis: tunc enim tenetur Confeſſarius admonere, quia præferendum eſt bonum commune privato; & quamvis fructus in eo minimè ſperetur, conſuletur tamen bono communi*: ſic etiam *Henriq. libr.* 6. *de Pœnit. cap.* 27. *n.* 4. *Cardin. de Lugo l. c. nu.* 30. *&* 34. & alii. Atqui inuſitata pectoris Muliebris nuditas, eſt omnino contra bonum commune, ut idem *De Albertis diſp. p. &* 2. optimè demonſtrat: tum quia immediatè plures valdè provocat ad laſciviam: tum quia concurrit pravo ſuo exemplo ad inficiendos alios, atque ad tam pernicioſam corruptelam introducendam. Ornatus pariter immodicus ad malum valdè alliciens, eodem modo communi bono repugnat; tum quia proximè alios permultos ad libidinem vehementer incitat; tum quia aliis pravo exemplo eſt, ut eandem corruptelam arripiant, vel arreptam foveant, &c. ita etiam idem *De Albertis n.* 27. *c.* Cum quo idem confirmatur: Quia ornatus immodicus ad malum valdè ſolicitans, vel inſolita nuditas fœminei pectoris magis bono communi adverſatur, quam ſcandalum, vel publica fama nullitatis Matrimonii; nam hujuſmodi ſcandalum, & damnum, tantum in eo verſatur, quod innoteſcit Paulam v. gr. Petri Uxorem non eſſe, ſed concubinam. At multo plura mortalia peccata, & damna boni communis proficiſcuntur ex nuditate inuſitata fœminei pectoris, vel immodico ornatu notabiliter ad libidinem provocante, quam ex ſola notitia Paulæ in concubinam proſcriptæ, ut moraliter certum eſt. Eo magis quia fieri fortaſſe poteſt, ut Paula tam deformis ſit, & evaſerit, ut nullum libidinis periculum aliis afferat immediatè, ſicut affert inſueta nuditas muliebris pectoris, aut immodicus ornatus ad malum valdè provocativus. Igitur multo magis tenetur Confeſſarius ob publicum, & commune bonum, Pœnitentem mulierem admonere cum invincibili ignorantia utentem ejuſmodi immodico ornatu, vel nuditate; etiamſi nullam ſpem fructus habeat, quam Conjugem ignorantem invincibiliter nullitatem proprii Matrimonii, cujus tamen fama publica vulgata eſt, nec credit monitionem profuturam. Et ità etiam ſentiunt omnino Viri doctiſſimi Theologiæ Magiſtri hac de re conſulti à relato *De Albertis*, ut ipſemet teſtatur *n.* 27. *cit. in fine*. Sicque verum in utroque capite propoſitum Privilegium.

PRIVILEGIUM NONUM.

Verba Blaſphema proferens, ignorans eorum ſignificationem, in caſum reſervatum non incidit.

1153 Blaſphemia in Deum, Beatam Virginem, & Sanctos prolata, reſervatur à pleriſque Epiſcopis, & locorum Ordinariis, videturque inter caſus repoſita, quos iidemmet in ſuis Tabellis Caſuum reſervatorum ſibi ipſis abſolutionem reſervant. Eſt autem Blaſphemia, ſecundum ſuam rationem formalem, locutio falſa in Deum, Beatam Virginem, aut Sanctos per modum convitii, ſeu contumeliæ (*D Tho.* 2. 2. *qu.* 13. *art. p.* & communiter) quod fit tribuendo aliquid Deo, quod ei non convenit, vel auferendo quod convenit, vel affirmando de creatura, quod

proprium est Dei. Blasphemia autem semper tangit Deum, vel immediatè, cum quis directè Deum blasphemat; vel mediatè, cum quis blasphemat Beatam Virginem, aut Sanctos, quatenus Sancti sunt, sive cum habitudine saltem virtuali ad Deum, *D. Th. art. p. c. Navurr. in Man. cap.* 12. *n.* 81. & 82. *Tolet. lib.* 4. *cap.* 13. & omnes. Est autem blasphemia ex suo genere peccatum mortale gravissimum, aliter inter casus reservatos ab Ordinariis minimè reponeretur, reservatio enim fit tantum de mortalibus (communiter omnes.) Nam si alia reservarentur peccata non mortalia, id esset iniicere laqueum fidelibus, & in gravamen eorumdem cederet intolerabile. *Suar. de Pœnit. disp.* 29. *sec.* 3. *Fillinccius tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 271. *Reginald. lib. p. n.* 126. *Coriolan. de Casib. Reserv. p. p. sec. p. n.* 8. aliique communiter, docentes, nullo modo venialia esse posse materiam reservationis, cum ea confiteri non cogamur. Suapte ergo natura, & ex suo genere blasphemia mortale est peccatum, quia gravem Deo infert injuriam.

1154 At si quis verba blasphema proferens, ignoret eorum significationem, ut in privilegio proposito, non incidit in casum reservatum, nec reservationi obnoxius est. Ita etiam expressè *Graffius De casib. Reserv. lib. p. cap.* 10. *n.* 49. *Bellochius de Casib. Reservat. par.* 2. *qu. p. n.* 268. *Mazzuchellus de Casib. reserv. disp.* 2. *cap.* 16. *qu.* 3. *num.* 52. *Cabrinus de Casib. reservatis, Casu De Blasphemia, Annotatione* 8. *n.* 16. & alii. Quorum omnium, & privilegii hujus ratio est, quia non advertentes ad verba, quæ proferunt: vel ignorantes eorum vim (ita ut si scirent talia verba continere blasphemiam, nullatenus proferrent) ut sunt rustici, idiotæ, & rudes, non intelligentes sensum linguarum, & verborum, ac in prolatione ignorantes quid sibi velint dicere, non committunt peccatum mortale, ergo neque incidunt in Casum reservatum, ergo verum Privilegium propositum.

PRIVILEGIUM DECIMUM.

Transgrediens Regulam, & ejusdem præcepta ex ignorantia invincibili, excusatur à culpa.

1155 PRobatur hujusmodi privilegium, quia sic transgrediens, censetur involuntariè transgredi, ergo absque culpa, ergo ab hac excusatur: nam *tolle voluntatem, & Infernus non erit*, ut proloquium Sanctorum est. Accedit Authoritas expressa *Hyacinti Donati to.* 3. *Praxis Rerum Regularium tract. p. qu.* 25. in qua quærens, An Ignorantia Regulæ, & præceptorum ejus, excuset transgressores à culpa: resolvit, quod sic, *Si tamen illa ignorantia sit invincibilis, nec potuit superari: tum quia ad impossibile (quod in moralibus censetur, omne valde difficile) nemo tenetur: tum quia nullus tenetur ultra posse, &c.* Neque huic privilegio obstat *Iuris Regula* 13. quæ dicit, *Quod ignorantia facti, & non juris excusat*, quia hæc Juris Regula procedit in foro fori, & Judiciali: non autem in foro poli, & conscientiæ. Imò etiam in foro Judiciali locum habet ad exculpandum pluribus in casibus, ut videre est apud Doctores, præcipuè *Azorium Instit. Moralium par. p. lib. p. Cap.* 16. *qu.* 2.

1156 Et nedum transgressor Regulæ, & præceptorum ejus ex ignorantia invincibili, excusatur à culpa, verum etiam qui eam scit, eamdemque transgreditur, sed non advertendo, ut pariter docet idem *Donatus qu. c. nu.* 4 cum *à Sancto Fausto l.* 6. *de Voto Obedient. qu.* 29. *Vers. Dices.* Quia & si quivis Religiosus scire teneatur Regulam, & advertere, per accidens nihilominus potest ab illa transgressione exculpari, non enim in manu nostra est semper advertere hic, & nunc; nam sæpe fit mentis alienatio ex naturali complexione, ex oblivione, vel inconsideratione orta sine nostra voluntate, sicque inculpabili. Quod autem hic asseritur de transgressione Regulæ, & præceptorum ejus inculpabili, ob ignorantiam, vel inadvertentiam, extendi etiam potest ad transgressionem Religiosi Voti: Unde & dictus *à S. Fausto in Speculo Confessarior. & Pœnitent. disp.* 34. *De Voto Paupert. quo Paupertas Religiosa violatur qu.* 36. *nu.* 3. (ad suam rem ibi) inferendo, sic ait: *Hinc plures fortasse excusari possent hoc tempore Religiosi, qui vel ignorantia, vel inconsideratione magis, quam pravo affectu, & cupiditate in recipiendo, & retinendo, ac dispensando, liberaliores sunt, quam oportet.*

PRIVILEGIUM XI.

Ignorantia invincibilis excusat à recitatione Officii.

1157 IN omissione recitationis Officii excusari à lethali ob invincibilem, seu probabilem ignorantiam Juris vel præcepti, ut in hoc privilegio, rarò fermè accidere potest, quia ignorantia Juris, in

ris, in præcepto Officii, non potest (quasi) esse probabilis, præsertim in Clericis, vel habentibus Beneficium, in quibus tam publicum, & notorium est hoc præceptum, ut nequeat invincibiliter ignorari, & maximè ab illis, qui tenentur scire sui status obligationem; & ab illis, qui dum examinantur ad Ordines, & Beneficia, interrogantur de obligatione recitandi divinum Officium. At negari absolutè nequit, quod ignorantia hæc inculpabilis non possit dari, maximè in persona aliqua simplici, & ignorante. Et respectu hujus valet utique exculpatio, & excusatio in omissione recitationis Officii, ut affirmat privilegium propositum, quod admittit etiam *Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. De Horis Canon. cap. 28. n. 3.* ubi sic: *De Ignorantia Juris, nihil est, quod dicamus, quia in hoc præcepto ferè non potest esse probabilis, & ad excusandum sufficiens, præsertim in Clericis in Sacris, & in habentibus Beneficium, quia præceptum est tam publicum, & notum, ut non possit invincibiliter ignorari, maximè ab his, qui tenentur sui status obligationem agnoscere. Aliquando verò posset hæc ignorantia esse inculpabilis in aliquo Religioso, vel Religiosa ignorante, præsertim si adhibeat fidem alicui Viro, vel Confessori, quem probum, & doctum esse existimet. Item potest esse invincibilis in puero, qui pensionem, aut Ecclesiasticum beneficium recipit in tenera ætate, quando per se non potest satis advertere ad hujusmodi obligationem, nec in cogitationem ejus venit, neque ab illis instruitur, qui eum docere tenentur; peccabunt enim illi, ipse verò omittens excusabitur.* Hactenus *Suar.* & optimè, ut patet, ad rem hujus privilegii, quod confirmat cum eodem *Suar.* & sub iisdem ferè verbis *Donatus to. 4. Praxis Rerum Regular. tract. 18. De Horis Canon. qu. 58.* Et huic privilegio disertis verbis subscribunt etiam *Bartholomæus à S. Fausto de Horis Canonicis lib. 2. q. 256. & Bonac. to. p. De Horis Canon. disp. p. qu. 6. pun. 3. n. 8.* sub his verbis: *Ignorantia probabilis legis excusat à divino Officio recitando: patet ex regulis generalibus traditis in tractatu de legibus, & de peccatis.*

1158 Amplia privilegium cum iisdem Doctoribus etiam ad naturalem oblivionem, seu inadvertentiam, quia hæc comparatur ignorantiæ invincibili, modo præcisa non fuerit, & tamen non fuerit immedita, nam qui aliquoties expertus est, fere se oblivisci alicujus horæ, quando consueto tempore illam non recitat, tenetur, vel recitationem prævenire, vel signum aliquod adhibere, quo memoria excitetur: ita etiam citati.

PRIVILEGIUM XII.

Ignorans invincibiliter peccatum esse operari cum dubio practico honestatis objecti, cum eo dubio operans, à peccato excusatur.

1159 Dubitat rusticus quis, an die Veneris ex. gr. sibi liceat lacticiniorum esus, & hoc dubio practico in eo manente edit illa, invincibiliter tamen ipse ignorat cum eo dubio operari, peccatum esse; hunc à peccato excusari dicit privilegium hoc, quod etiam affirmat *Sanchez in Decal. lib. p. cap. 16. n. 18.* & cum ipso *Carolus Baucius in Praxi Confessarior. tit. De Prudentia Confessarii sub §. Petes Quinto, Versu Immo ait. fol. 20.* Ratio est, quia sic operando non exponitur periculo peccandi, nec minus quam par est præceptum existimat. Cum enim operatio illa in dubio practico per invincibilem ignorantiam excusetur, non temerè, sed prudenter cum eo dubio operatur, proindeque quamvis objectum à parte rei esset peccatum, ille tamen à peccato excusaretur operando. Quia liberè velle, ut alter peccet, tunc tantum est contra charitatem Dei, & proximi, quando talis volitio ab ignorantia invincibili non excusatur. Extende cum iisdem privilegium; idem dicendo de sciente aliquam actionem esse mortalem, at invincibiliter ignorante peccatum esse imperare illam, excusari videlicet à culpa eamdem imperando. Et nota hic cum eisdem, extendi pariter privilegium hoc ad actus etiam internos circa quos haberet quis ignorantiam invincibilem: ut si idem Rusticus v. g. ignorantia invincibili crederet, desiderium furandi, fornicandi, &c. culpa vacare: aut à Viro existimato docto, ac pio audiisset fornicationem, & furtum externa esse peccata, at licere desiderium fornicandi, aut furandi; tunc enim ratione illius ignorantiæ invincibilis excusaretur à malitia interni actus desiderii fornicandi, furandi, &c. licet non à malitia actus externi. Quia cum conscientia sit proxima regula bonitatis, & malitiæ humanorum actuum, nemo peccare potest, quandiu conscientia dictet, id quod agit non esse peccatum: quod in hujusmodi sic invincibiliter ignorante contingit, prudenter enim sibi persuadet actum solum internum, non externum culpa vacare, ideo, &c.

PRIVILEGIUM XIII.

Commisit quis peccatum reservatum, esse tamen lethale invincibiliter ignoravit, hujus ignorantiæ causa à reservatione excusatur.

1160 Hujus privilegii ratio est clara: Reservatio enim, ut docet communissima D. D. sententia, fit tantum de mortalibus, igitur excusatus quis à lethali (ut certè excusat invincibilis ignorantia in hoc privilegio supposita) excusatus etiam est à reservatione, & consequenter peccatum non remanet reservatum, potestque absolvi à quolibet Confessario carente facultate super reservatis: Et ita etiam *Carolus de Baucio De Casib. Reservat. Quæsito 3. fol. mihi* 203. ubi in confirmationem hujus privilegii, addit sequentia: *Scio multos Confessores hoc non advertere, & statim quod eis apparet umbra peccati reservati; mittunt Pœnitentes ad Pœnitentiarios Majores, & reddunt difficile Sacramentum Pœnitentiæ. Quia multi, & præsertim Mulieres, non habent facilem accessum ad Ecclesiam Cathedralem: & totum hoc potest oriri, vel ex ignorantia doctrinæ, vel ex pauco labore circa examen pœnitentis, nam si mediis interrogationibus adjuvarent Confessarii pœnitentes ad eruendam veritatem facti, sæpe sæpius colligerent, non solum non peccasse mortaliter, sed neque venialiter: immo aliquoties ille actus elicitus à pœnitente fuit meritorius, si non materialiter, saltem formaliter; ut patet quando ignaræ feminæ faciunt palmos, vel quid simile cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis, causa sanandi aliquem morbum, & tamen licet in se sit illicitum, tamen ex ignorantia invincibili putant fœminæ exercuisse actum meritorium: & licet de illo se accusent, tamen post factum habuerunt scientiam de peccato, nam ante factum, existimabant esse actum dignum prẽmio: Ac proinde Doctus Confessarius in primis debet scire, quando quis dicitur laborare ignorantia invincibili. Secundo, de quibus rebus potest dari ignorantia invincibilis. Tertiò, quæ advertentia, & consensus est necessarius ad committendum peccatum mortale, quia si rectè sciet Confessarius supradictas res, excipiet multorum Confessiones, absque eo, quod mittat pœnitentes ad Majores Pœnitentiarios pro absolutione à reservatis.* Hęc *Baucius*: quæ hic referre volui in confirmationem propositi privilegii.

1161 Pro quo etiam faciunt ea, quæ docet idem *De Baucio in suo Tract. de Modo Interrogandi Pœnitentem post Præludium* 26. *§. Petes V. Versu Nono debet Confessarius advertere, fol. mihi* 86. 87. 88. & ea, quæ ex eadem doctrina, & principio deducit *Mathæus Stoz in Tribunali Pœnitentiæ libr. pr. par. 5. qu. 2. a. p. n.* 19. *Frustra se illi cruciant* (inquit) *qui, postquam ex Libro, vel Concione, &c. intellexerunt, actionem illam, quam olim in adolescentia exercuerunt ver. gr. pollutionem, ex genere suo esse illicitam, putant, se reos esse peccati, etiam si tunc, cum eam actionem exercuerunt, nulla ipsis, ne tenuissima de malitia morali cogitatio, suspicio, aut dubitatio inciderit: licet enim, si tunc talis cogitatio in mente fuisset, utique fuissent peccaturi, cognitio tamen postea acquisita, nullo modo facit, ut opus illud jam pridem peractum, quoad id, quod fuit ignoratum, fuerit voluntarium, atque adeò ad culpam imputandum*, ita *cit. Stoz*, & optimè ad rem hujus privilegii; nemo enim peccat mortaliter, nisi qui distinctè, & determinatè advertit malitiam gravem, ac mortalem; qui autem non peccat mortaliter, neque incidit in Casum reservatum. Adde posse quem mortaliter peccare, nec incidere in reservationem: si videlicet commiserit quidem peccatum reservatum, ignorarit tamen invincibiliter malitiam illam specialem in obiecto latentem ob quam peccatum fuit reservatum. Ut si reservatum sit furtum sacrilegum v. g., id est furtum rei sacræ, & furetur quis rem quidem sacram realiter, nesciens tamen esse Sacram, sed solum alienam, iste furando in materia gravi, peccat mortaliter peccato furti, & non sacrilegii, ob circumstantiam non præcognitam constituentem furtum in ratione sacrilegii: & sic non peccat peccato sacrilegii, quia peccatum debet esse volitum, & nil volitum quin præcognitum, consequenter neque etiam incidit in reservatum, sicque à reservatione, causa ignorantiæ excusatur, ut dicitur in privilegio. Ex quo sequitur.

PRIVILEGIUM XIV.

Quando in uno actu plures reperiuntur malitię, & intellectus unam tantum agnoscit, quæ ignorantur, nec menti fuerunt objectæ, non imputantur.

1162 Hoc privilegium sequitur ex præcedenti, immò utriusque ratio, ex uno, eodemque sumitur fundamento; quod nimirum malitia qualibet specifica peccati necessariò cognoscenda sit ut imputetur, eo quod nil sit volitum (de intrinseca ratione peccati) nisi præcognitum.

gnitum. Unde nec malitia aliqua specialis latens in obiecto, & in actu abscondita, cuiquam imputari poterit ad peccatum, quin sit praecognita, quare (aliis omissis) etiam *D. Tho. p. 2. qu. 72. art.* 9. generatim docet, nullam circumstantiam addere novam malitiam, nisi praecognoscatur: igitur si quis non cognoverit specialem aliquam malitiam in obiecto latentem, aut non cogitaverit de illa, eam non contrahet, licet alioqui peccet: & si in uno eodemque actu plures reperiantur malitiae, & intellectus unam tantummodo agnoscat, reliquae quae ignorantur, nec menti obiiciuntur non imputantur, ut in hoc privilegio, & praecedenti, subscribente *Matthæo Stoz l. c. n.* 21. dum ibi sic: *Qui rem, quam scit quidem esse alienam, nescit tamen esse Sacram, surripit, tantum simplicis furti reus est. Qui hominem, quem nescit esse Clericum, vel Patrem, percutit, solum contra justitiam peccat: peccaturus alioquin etiam contra Religionem, vel Pietatem, seu reverentiam Parentibus debitam, si eas circumstantias cognovisset. Item qui fornicatur cum Muliere, quam nescit esse conjugatam, admittit quidem peccatum luxuriæ, sed non adulterii. Et sic de reliquis. Bonac. De Peccatis disp. 2. qu. 7. pun. 3. nu. 9. & de Matrim. qu. 4. punc. 7. n. 6. Sanchez lib. pr. Moral. cap. 16. nu.* 10. ita laudatus *Stoz*.

1163 Hinc habes, quod ubi non agnoscitur nova malitiae circumstantia, nova culpa haud contrahatur, neque haec voluntati imputetur, uti nec imputari potest. Ex quo sequitur, innumeros à peccatis mortalibus etiam, excusari, plerique enim, cum operantur, maximè rudes, pueri, Mulierculae, indocti, &c. non apprehendunt in obiecto omnium circumstantiarum speciem distinctarum malitiam, quae in ipso latent, sed unam duntaxat, ob cujus apprehensionem, unicum solum specie peccatum committunt: & quandoque nec mortale, quod evenit si in actu advertant malitiam tantum venialem, tunc etenim venialiter solum peccant, & si alioqui res in se gravis sit, & mortalis: non enim gravior culpa contrahi potest, quam cognoscatur: *Quod optandum videtur* (ait *Stoz n. 24. in princip.*) *cum Deus per hoc minus offendi videatur.*

PRIVILEGIUM XV.

Ignorantia invincibilis Juris, & facti excusat iterari Confessionem.

1164 HAbet quis invincibilem Juris, & facti ignorantiam, & nescit se esse excommunicatum v. g., hujus Sacramentalis Confessio valida est, verumque Sacramentum, atque adeo ab iteratione excusatur: quod privilegium recensent etiam *Adrianus qu. 2. De Confessione. Palud. dist. 18. qu. 4. Ledes. 2. par. qu. 23. art. pr.* quos refert, & admittit *Coriolan. de Casib. Reserv. par. pr. Sect. 3. §. Octava Conditio Confessionis num.* 3. Et ratio est, quia non intendit Ecclesia privare Sacramento excommunicatum in hujusmodi ignorantia positum: ut *ex Cap. Apostolicæ, De Clerico. Excomm.* ubi *Gregorius Papa IX.* ait: *Excommunicatum, vel suspensum, cum hujusmodi ignorantia celebrantem, non incurrere pœnas Juris, & excusari*: Ergo.

PRIVILEGIUM XVI.

Ignorantia idiomatis excusat à præcepto divino, vel humano Sacramentalis Confessionis per interpretem, etiam fidelem.

1165 ADmittunt hoc privilegium Doctores communiter, ut testatur *Fagund. De Præcep. Ecclesiæ, præcep. 2. lib. p. cap. 6. n.* 6. ubi sic: *Excusat ignorantia idiomatis: nemo enim ex vi præcepti Confessionis, divini, vel humani tenetur confiteri per interpretem, etiam fidelem; potest tamen id facere si velit; & non tenetur; & interpres tenetur tunc ad sigillum, sicut tenetur Confessarius. Communiter Doctores.* Idem ponit noster *P. Duardus par. p. Comment. in §. p. cap. Omnis Utriusque sexus, disp. pr. sect. 9. nu.* 9. ibi enim sic: *Secunda causa, qua excusantur fideles à præcepto Confessionis, tam divino, quam Ecclesiastico, est ignorantia idiomatis: nemo enim ex vi præcepti Confessionis divini, vel humani tenetur confiteri per interpretem etiam fidelem, sed tantum id potest facere si velit, & eo casu interpres tenetur ad sigillum, sicut tenetur Confessarius.* Subscribunt privilegio huic *Sotus in 4. dist. 18. qu. 2. art. 6. Cajet. in Summ. Verbo Confess. Conditione* 11. *Suar. de Pœnit. disp. 36. sect. 6. n 3. & 4. Coninch de Sacram. disp. 5. dub. 10. Conclus. 2. nu. 77. Laym. lib. 5. tract. 6. n.* 5. aliique communiter. Colligitur, tum *ex cap. Omnis Utriusque sexus de pœn. & remiss.* ubi dicitur, *Omnis fidelis utriusque sexus tenetur solus confiteri sua peccata proprio Sacerdoti*: illa enim particula, *solus*, satis indicat neminem teneri per interpretem confiteri, sed soli Sacerdoti proprio: tum ex *Concil. Trid. sess. 14. cap.* 5. ubi pariter dicitur, nos non teneri confiteri *nisi secretò apud solum Sacerdotem*: ex quo apertè ostenditur nos non teneri confiteri modo tali,

tali, ut aliquis nos audiat præter solum Confessarium: consequenter non per interpretem. Et ratio est, tum quia jure divino nullus obligatur ad publicam propriorum peccatorum Confessionem, ut apertè ex eodem *Trident. cap. cit.* colligitur: nec ad eamdem quis tenetur jure, seù præcepto Ecclesiastico, quia præcepta Ecclesiastica non obligant cum tanto onere, pręterquamquod non extat præceptum tale, immò potius colligitur ex *Trident. cit.* oppositum, tum etiam quia, si scirem ego, quod Confessarius uni soli meum peccatum foret revelaturus, non obligarer ei confiteri ex communi D. D. sententia, ergo eodem modo nec teneor illud confiteri, quando unus alius præter Confessarium id debet audire. Et quamvis teneatur interpres ad sigillum, non adeò tamen arcto vinculo adstringitur uti Confessarius, quia non fungitur officio audientis, sed loquentis, hinc se tenet ex parte pœnitentis. Quare si interpres Confessionem revelaret, graviter quidem peccaret, & foret puniendus, non tamen ita ut Confessarius qui sigillum violaverit, quod notat etiam *Duardus l. c. n. 11. ex Soto.*

1166 Limitant tamen privilegium hoc Doctores laudati, quod videlicet verum sit, ac intelligi debeat ex vi præcepti Confessionis, sive præceptum divinum sit, sive humanum, & Ecclesiasticum, extra articulum mortis tantum; si quidem in articulo mortis, habens quis conscientiam peccati mortalis, tenetur (inquiunt, & optimè) ex præcepto divino, & naturali charitatis propriæ, per interpretem confiteri, saltem aliqua peccata venialia, & generaliter omnia mortalia, dicendo post venialium confessionem, se confiteri etiam alia omnia mortalia, quibus Deum offenderit. Hoc etenim tutius est ad salutem, & sine incommodo fieri potest. Imò suadendum omnino (addit *Conincb n. c.*) quando aliud pœnitenti non timetur incommodum, ut ipse omnia peccata sua confiteatur, iis tacitis, ex quorum reuelatione aliquod notabile detrimentum formidat, maximè si interpres esset suspectus. Quod idem dicendum esse (ait) ubi Confessio fieri nequit, nisi aliis audientibus, ut rempore naufragii, vel pestis. Per hujusmodi enim Confessionem rectè sibi, ac satis consulit pœnitens, cum non teneatur tunc ad Confessionem materialiter integram, quando non potest aliter confiteri, nisi per interpretem, vel aliis audientibus, est tamen inregra formaliter, quod satis ad dignam susceptionem sacramenti pœnitentiæ, ut communiter Theologi, &c.

PRIVILEGIUM XVII.

Donatio directa ignoranti illam, non arctat donantis conscientiam ad donationis executionem.

1167 Hujus privilegii ratio, petenda est à natura, seu conditione donationis, quæ vim non habet obligandi (uti nec promissio) ante acceptationem, ut communiter Doctores, qui etiam docent præcipuè *Lessius de Iust. lib. 2. cap. 18. dub. 6. nu. 39.* id provenire non tantum ex Jure Civili, sed etiam ex jure naturali, vel jure gentium. Hinc, ut promissio, & donatio vim habeant obligandi, absolutè requiritur acceptatio, saltem tanquam conditio sine qua non. Et patet, tum quia sicut in onerosis contractibus ante acceptationem ubique gentium cuique licitum est pœnitere, suamque revocare oblationem, ut constat in contractu sponsalium, Matrimonii, emptionis, &c. nec expectare opus est donec alter reiiciat, vel acceptet, ita & multo magis idem licitum erit in promissionibus, & donationibus gratuitis. Tum quia sicuti onerosa promissio, & oblatio racitam habent conditionem, si alter videlicet velit se vicissim obligare; ita etiam gratuita promissio, ac donatio, eamdemmet habent tacitam conditionem, si acceptentur. Immo hoc idem patet ex *l. Qui absenti ff. de acquirenda possess.* in qua dicitur: Qui promittit, vel donat, non videtur animum se obligandi habere, donec alter acceptet, ergo potest quisque revocare oblationem, & donationem usque dum alter acceptaverit. Tum etiam quia ex opposito sequeretur, eum, qui apud se tantum, & nemine audiente, diceret, promitto, vel do Petro quinquaginta, teneri manifestare hanc suam donationem Petro, an velit acceptare, nec posset pœnitere, sed teneretur exequi quantum est ex se, etiam ante acceptationem, quod ab omnibus negatur.

1168 Ab hujusmodi ergo negativa, ac tradita doctrina communi, & certa, desumo fundamentum hujus nostri privilegii, quod video ante me propositum fuisse à *P. Molphesio par. 2. Summæ tract. 12. cap. 19. n. 46.* sub his verbis: *Ignoto fieri potest donatio: nam etiam invisus amari potest, quamvis nihil meruerit. Ignoranti tamen non potest acquiri donatio, cum requiratur ejus acceptatio, l. absenti, ff. de donatione, &c.* Igitur si Ignoranti acquiri non potest donatio, hæc non arctat conscientiam donantis ad sui executionem,

tionem; ergo verum privilegium propositum.

PRIVILEGIUM XVIII.

A Reatu lethali simplicis fornicationis, excusari potest per ignorantiam (inter Christianos) etiam Surdus, & Mutus à Nativitate.

1169 Surdus non natura, sed ex accidenti, per auditum præcedentem, rerum cognitionem, & scientias potuit acquirere, ita ut surdus factus possit eas retinere, imo adhuc, saltem per nutus, gesticulationes, ac scripturam facilius edoceri, uti per eosdem nutus, & scripturam eamdem, animum suum (sic loquendo) patefacere, & aperire. Surdus verò non ex accidenti, sed natura, seu à nativitate, nedum sic non potuit edoceri, nec acquisivisse dictam rerum cognitionem, rerumque scientiam, sed necessario etiam natura, seu à nativitate mutus est, ut docet *Aristot. lib. 4. de Nat. Animal. cap. 9.* cujus rei rationem afferunt *Anatomici*, dicentes, ex cerebro quosdam descendere coniunctim nerviculos, & postea separari in tres partes, unam ad linguam accedere, reliquas verò ad aures properare, audituique deservire, sicque cum loquela, & auditus ex eodem principio proveniant, existente impedimento in uno, existere & in alio. Verum hęc ratio concluderet (ut optimè observat etiam *Blasius Michalorius De Cœco, Surdo, & Muto cap. 3. n. 6.*) si vitium solum extaret in nerviculis antequam disiungantur, sed potest etiam esse post disiunctionem, unde videmus quosdam ex una tantum aure natura surdos esse, hinc non sequitur de necessitate propter hoc surdum natura, seu à nativitate, debere consequenter esse etiam mutum. Quare cum *Michalorio c. n. 7.* dicendum est potius; Natura surdum, ideo esse etiam mutum, quia & si linguam habeat ad loquendum aptam, tamen prorsus ignorat quid loqui debeat: cum per auditum nec voces ullas, nec significationem unquam addiscere potuerit. Hinc videmus hujusmodi surdos linguam optimè enodare, sonum emittere, syllabasque, nullius tamen significationis proferre. Ex quo utique evidenter eruitur, & agnoscitur, quod si per auditum aliquid percipere possent, optimè enunciarent: ad loquendum enim, non solum linguæ aptitudo mihi ex. gr. necessaria est, sed insuper, ut quid proferre debeam non ignorem. Quod evidenter etiam constat in eo, qui vulgarem tantum linguam possidet, is enim nec Græcè, nec Hebraicè, nec Hyspanicè, nec Latinè, &c. loqui poterit, quacumque aptitudine non obstante. Nec de aliquo natura surdo legitur apud scriptores, qui non fuerit mutus, quemadmodum si fieri potuisset per tot transacta sæcula verisimiliter evenisset: ità *Michalorius citatus.*

1170 Ex hactenus ergo premissis, ac enarratis, evidenter constat surdum natura, seu à nativitate, maxima laborare ignorantia ferè in omnibus, unde ob id infelicior est quam Cœcus: *Michalorius n. 10.* Qua maxima in eo præsupposita, & stante ignorantia, non apparet implicantia ulla, quod ipse etiam positus per Baptismum inter Christianos possit, causa ejusdem, excusari à peccato commissæ fornicationis, ut in proposito privilegio, quod expressè conceditur etiam à *Diana to. 8. Coord. tract. 6. res. p. n. 6. in fine, Ex p. 9. tr. 9. & Miscell. 4. res. 60. aliàs 59. Inter Christianos* (sic ille) *non apparet aliquem posse (saltem ordinariè) excusari per ignorantiam à fornicatione, cum satis sit prædicatum, prædiceturque frequenter, quod fornicatio sit peccatum mortale. Dico, saltem ordinariè, si quis enim inter Christianos, mutus, & surdus à nativitate ignoraret fornicationem esse illicitam, partim ex eo quod sit duri, agrestisque ingenii: partim quia nullus eum instruxit, neque (cum aliis scientibus, ac fortassis etiam inducentibus) quisquam eum reprehenderit, fortè excusari posset per ignorantiam.* Sicuti etiam (addo ego) per eamdem ignorantiam excusari fortasse similiter poterit à peccato mollitiei: item transgressionis aliorum omnium præceptorum quorum cognitionem non habet, nec fortassis habere potest, cum eadem sit omnium ratio, privilegium idem. *Muti enim, & Surdi à natura* (ait *Michalor. tract. c. cap. 2. n. 15.*) *in maxima rerum ignorantia necessario versantur.* Addens *cap. 39. n. 2.* quod *dementes præsumuntur.* Vide eundem *Dianam res. c.* in qua contra *Caramuelem in Theolog. Morali lib. 3. n. 1600.* optimè probat, fornicationem esse intrinsecè malam, & non tantum malam quia prohibitam; ibique resolvit, atque enervat fundamenta contraria eiusdem *Caramuelis.*

1171 An verò Surdus, & Mutus à nativitate teneatur confiteri, & sit absolvendus? Respondeo affirmativè: sic etiam *Cajet. in Sum. V. Confessio, Conditione 11. Vers. Expedit autem:* ibi: mutus à nativitate *confiteri tenetur per nutus, & signa, ut melius potest. Diana to. 2. Coord. tract. 2. res. 93. §. p. ex p. 5. tr. 6. res. 7. Muti, & Surdi à nativitate tenentur confiteri, & sunt absolvendi:*

& etiam

& etiam per ipſum communicandi, quod tamen remittit arbitrio Confeſſarii ſub ſequentibus verbis in calce reſolutionis poſitis : *Remittendum puto judicio , & arbitrio prudentis Confeſſarii, quando, & quoties ſupradictis Mutis, & Surdis ſit Sacroſancta Eucbariſtia impertienda:* ſic ille. *Micbalorius tract. cit. cap.* 30. *n.* 6. *Alteri, eorum peccata confiteri poſſunt Surdi, & debent, ut alii: nec obſtat, pœnitentiam, ac admonitiones Confeſſoris audire non poſſe, nam ſignis ipſis eſt iniungenda pœnitentia.* Addens *Cap.* 51. *n.* 11. *Poteſt tam mutus à natura , quam ex accidenti confiteri ſua peccata Sacerdoti ſignis, & geſticulationibus, & eo modo quo melius poteſt, ad quod adbibendus eſt Sacerdos, qui eius geſticulationes, & ſigna, & videre, & intelligere ſit ſolitus, ac propterea ſi ex ipſis ſignis appareret ; & intellectum babere, & non ignorare quid agat, danda ei eſſet etiam Eucbariſtia.* De hac tamen re vide *Dianam reſ. cit.* 93.

PRIVILEGIUM XIX.

Regularis excommunicatus ob violentam manuum iniectionem in Clericum, ignorans probabiliter talem excommunicationem præbere impedimentum ſuſcipiendi Ordines, & eos ſuſcipit, non incurrit ſuſpenſionem Papalem (ſi factum ejus non eſt grave) cum poſſit iſte diſpenſari à ſuo Prælato Regulari.

1172 REgularis, qui excummunicatus exiſtens propter percuſſionem Clerici, Ordines ſuſcipit, incurrit utique in ſuſpenſionem *Cap. cum illorum, de Sent. Excommunic.* Circa quam tamen ſuſpenſionem advertit *Præpoſitus in* 3. *p. qu.* 3. *de Suſpenſ. dub.* 5. *n.* 38. & 39. apud, & cum *Diana Tom.* 5. *Coordin. tract.* 3. *reſ.* 33. *Ex par.* 5. *tract.* 10. *reſ.* 58. Ad hoc ut incurratur requiri ſimpliciter, ut Ordo ſuſcipiatur ſcienter, in contemptum diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Hinc dilatant, ac extendunt privilegium propoſitum per hæc verba ſimpliciter. *Ut bæc cenſura incurratur requiritur ut Ordo recipiatur ſcienter in contemptum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ut babetur Cap. c. Unde qui ignorans excommunicationem præbere bujuſmodi impedimentum Ordines ſuſcepit, non incurrit cenſuram quamvis ignorantia eſſet craſſa, vel etiam ſupina, quod valde notandum eſt.* Ita *P. Diana, ex Præpoſito cit.* At revera huic ignorantiæ non tantum privilegii confert *dictum Canonicum Caput*, ut relati Doctores, quod apertiſſimè conſtat ex textu ipſo, preſsè definiente, & ad normam tantum hujus propoſiti privilegii ; ut ſequitur : *Si excommunicatus pro manuum iniectione, ſcienter recipit Ordines, ſi eſt Clericus ſecularis deponendus eſt : Si Regularis, ab executione Ordinis eſt ſuſpenſus. Qui ignorans jus, & factum ſic excommunicatus recipit Ordines, ſi eſt Clericus ſecularis diſpenſat cum eo ſolus Papa : Si Regularis diſpenſat Abbas, ſi ignorantia eſt probabilis, & factum non eſt grave :* poſtrema hæc verba, ſunt ad literam privilegium propoſitum : Ergo verum, ad normam tamen ſolum hujus *Canonici Capitis*, contra citatos *Præpoſitum*, & *P. Dianam*.

1173 Et quamvis textus ipſe loquatur de Abbate, intelligendus etiam eſt de quolibet Prælato Regulari, ut pariter notat *Fagnan. in eodem Cap. Cum illorum n.* 26. ubi ſic : *Nota Abbatem quandoq; poſſe diſpenſare ſuper irregularitate ſcilicet, cum Monacbo ſuo, qui exiſtens in excommunicatione propter exceſſum non gravem, ex ignorantia probabili ſuſcipit Ordines, ut bic per Abbat. Marian. Socin, &c. Et quod dictum eſt de Abbate, intelligas etiam de quolibet Priore Conventuali, vel Prelato Regulari, ſecundum Innocent: bic, &c.* ita *Fagnanus* confirmans, ut patet, (cum ab ipſo allegatis) privilegium noſtrum. Quis autem dicatur exceſſus non gravis, & ſuper quo diſpenſare poſſit Abbas ut in privilegio, colligi poteſt in Textu ipſo *d. Capitis*. Eſt enim ille qui diſtinguitur ab atroci, enormi, &c. videlicet à mutilatione membri, efoſione oculi, effuſione ſanguinis, &c. Et etiam ille, qui conſideratur enormis, habito reſpectu qualitatis perſonę (in quam manus iniecta fuit) loci, &c. Qua de re præter *textum d. Capitis :* habes eundem *Fagnanum l. c. à n.* 16. *uſque ad* 25. *incluſivè*, & alios ab ipſo relatos.

PRIVILEGIUM XX.

Ignoranter promittens Epiſcopo non petiturus ab eo alimenta, ſi abſque titulo Ordinetur, non incurrit ſuſpenſionem.

1174 EX *Cap. pen. de Simon.* Qui ordinat aliquem accepta ab eo promiſſione, aut juramento, quod non petet ab eo Beneficium, aut alimenta. Item cum tali promiſſione eundem præſentans, ſuſpenduntur per triennium, ille à collatione, iſte ab exercitio Ordinum : Ordinatus verò ab Ordine ſic ſuſcepto, donec à Papa abſolvatur : niſi ob ignorantiam juris Ordinatus iſte ab hujuſmodi ſuſpenſione (ut in propoſito privilegio) excuſetur, uti eundem (ignorantia interveniente) excuſant *Suar. de Cenſ. diſp.* 31. *ſec. p. n.* 34. *Coninch*

ninch de Sacram. disp. 15. *dub.* 5. *n.* 37. *Diana to.* 5. *Coordin. tract.* 3. *ref.* 53. *ex par.* 5. *tract.* 10. *ref.* 54. Et quamvis hujuſmodi ſuſpenſio *ex Cap. Per tuas nobis* 37. *eodem tit.* incurri videatur etiam ſi promiſſio, aut juramentum, ſeu peccatum illud factum fuerit ex ignorantia; ibi, *ita ut ſe in hoc nihil illicitum agere exiſtimaverit*, & ad eum etiam, qui neſciebat, videatur conſequenter ſuſpenſio hæc extendi: hoc intelligendum eſſe quoad forum externum tantum, in quo præſumitur deliquiſſe, docent expreſsè citati, & præcipuè *Suar. n. c. in fine:* dum ſic: *Illa ignorantia, cum ſit juris, & in re adeò clara, non præſumitur probabilis. Si autem eſſe contingeret, videretur excuſare, quidquid ſit de præſumptione juris. Argumento cap. Si quis à Simoniacis p. quæſt. p.*

PRIVILEGIUM XXI.

Qui per ignorantiam inculpatam ordinatus fuit ab Epiſcopo Hæretico, Schiſmatico, Excommunicato, Interdicto, aut Simoniaco, Suſpenſionem non incurrit.

1175 Qui ordinatur ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, ſchiſmatico, vel hæretico, aut ſimoniaco, manet ſuſpenſus: ſic habetur in *Cap. p. & 2. de Schiſmaticis;* & per textus ibi, ac per plura alia, quæ habentur 9. *qu. p.* dicentia talem ordinationem eſſe irritam, non quidem quoad ſubſtantiam, ſed quoad uſum Ordinis, ob vitium Ordinantis, quod idem eſt ac aſſerere per talem ordinationem non dari Ordinis executionem, conſequenter ſic ordinatum manere ſuſpenſum: in quo Doctores *in dictum Cap.* conveniunt communiter, ut teſtatur etiam *Suar. de Cenſ. diſp.* 31. *ſec. p. n.* 61. Idemque docent *Summiſtæ* apud eundem, quibus addendi infra citandi.

1176 Quoniam autem contingere poteſt, ut quis abſque ſua culpa, per invincibilem videlicet, inculpabilemque ignorantiam (quod per *Suar. l. c. n.* 62. facilè poteſt accidere, per facti præcipuè ignorantiam de alterius excommunicatione) à talibus Ordines recipiat, is utique, ab hujuſmodi ſuſpenſione, ut in propoſito privilegio, excuſabitur: uti eundemmet excuſare videntur *Innocent. Abbas, & Covarr.* relati à *Suar. n. c.* 62. & præterea *Coninch de Sacrament. diſp.* 15. *dub.* 5. *ſub n.* 34. *Verſ. Quare omnino*, ubi ſic: *Omnino credo dicendum, tales (ignorantes videlicet) non incurrere veram ſuſpenſionem, ſed ad ſummum aliquam inhabilitatem, quæ eos præſertim in foro externo ab executione Ordinum impediat, donec ad miniſtrandum à legitimo Judice facultatem accipiant, contra tamen facientes non fiunt irregulares: ut benè notat Avila* 3. *par. diſp.* 5. *dub.* 8. *Verſ. ad Argumentum, & Suar. diſp.* 31. *ſec. p. n.* 62. Nota ly *præſertim in foro externo:* quia privilegium noſtrum è contra *de foro interno præſertim* intelligendum eſt. Cui privilegio maximè favet *cap. Si quis à Simoniacis p. qu. p.* ubi de Ordinatis à Simoniacis dicitur, ſi probare potuerint ex ignorantia (utique inculpabili) id feciſſe, in ſuis gradibus, & Ordinibus eſſe recipiendos. Favet etiam *Cap. Ordinationem* 9. *qu. p.* ibi enim: *Niſi probare voluerint ſe, cum ordinarentur, eos neſciſſe damnatos.* Accedit etiam ratio fundamentalis, & convincens: Quia ſuſpenſio eſt cenſura, & pœna, quæ non incurritur ſine culpa, & peccato, ergo excuſata culpa per ignorantiam invincibilem, non contrahitur pœna: ergo qui per ignorantiam probabilem, & invincibilem, à recenſitis in hoc privilegio, recepit Ordines, non manet ſuſpenſus, nec ſuſpenſionem incurrit. Quidam vir Doctus (innominatus) apud *Avilam dub. c. Verſ. Contra hos:* victus hoc argumento concedit conſequentiam: & in conſequens privilegium ipſum, quod facit etiam *Bernard. Diaz in Practica ſua* apud eundem *Avilam*.

1177 Qui tamen, non totaliter adhærens huic noſtro privilegio, imò potius oppoſitum (uti apud ipſum magis probabile) amplectens, quod videlicet ſuſpenſio talis incurratur etiam ab ignorante invincibiliter, *l. c. Verſu Ad Argumentum*, reſpondet ad argumentum factum: Quod hujuſmodi ſuſpenſio quando incurritur ab ignorante invincibiliter, non eſt verè cenſura, nam hæc ſolum imponi poteſt pro culpa (hinc qui in hac ſuſpenſione celebraret, non fieret irregularis) ſed eſt defectus quidam executionis: noluit enim Eccleſia quod non habentes Ordinum executionem, eam conferant aliis, cum nemo det quod non habet, & hanc rationem aſſignant Doctores, non culpa Ordinati. Ita ad argumentum factum reſpondet *Avila*: Quod facit etiam *Suar. n. c.* 62. per hæc verba: *Hæc ſententia (ſeu reſponſio) probanda eſt, quia jura ſimpliciter irritant ut poſſunt, hanc Ordinationem, non ob culpam Ordinati, ſed in injuriam Ordinantis. Cum enim talis Epiſcopus non habeat uſum Ordinum, nec illum dare permittitur. Non quod intrinſecè, & ex natura rei hoc ſequatur, pendet namque ex prohibitione Eccleſiæ,*

clesiæ, sed quod illam congruentiam consideraverint jura, quæ hoc disponunt, quia nemo dat quod non habet. Hinc est quod in cap. Si qui à Simoniacis p. qu. p. & in Cap. Ab excommunicatis, significatur, etiam probabiliter ignorantes, dispensatione indigere; quia videlicet nemo dat quod non habet: Suspensus, vel excommunicatus, usum Ordinis non habet, & ideò illum non confert, hæc tamen suspensio non est pœna, nec propriè suspensio, quæ sit censura; sed solus effectus, vel potius defectus consequens ex defectu (ut sic dicam) virtutis activæ Ordinantis. Hactenus *Suar.* cujus, necnon *Avilæ* doctrina, ac responsio, non improbatur omnino *à Coninch Vers. cit. in fine.*

1178 Verum tali etiam probabilitate supposita, & admissa, neque ruit ob id privilegium nostrum, imò vim potius, ac robur ex eadem acquirit. Hoc apertissimè constat, deduciturque ex ventre ejusdem doctrinæ, dum Authores, & Asseclæ illius, ore rotundo asserunt (ut patet ex eorundemmet verbis) quod dicta suspensio, quando incurritur ab ignorante invincibiliter, non est verè censura, nec pœna, cum hæc solum pro culpa (quæ hic non committitur) imponi possit. Unde etiam, qui in hac suspensione celebraret, per ipsosmet Authores, non fieret irregularis. Excusat ergo ignorantia (ex vi hujus doctrinæ) veram, & realem suspensionem, ut intendit privilegium, licet etiam concederemus quod à recensitis Ordinatus contraheret defectum illum, quem dicunt *Executionis*, ex defectu tantum activitatis in Ordinante: hujus tamen executionis defectus facilis est dispensatio (concludit *Suar n. c. in fine*) conceditur que ab Episcopo. Sed

1179 Quæres, An hoc privilegium intelligendum sit de Episcopo Excommunicato, suspenso, hæretico, &c. denunciato, & non tolerato? Respondeo affirmativè. De hoc etenim D.D. etiam intelligunt, affirmantes, quod suspensio incurratur quando quis ordinatur ab Episcopo excommunicato, suspenso, hæretico, &c. Et ratio est clara, quia hos solos vitare debemus: & toleratorum actus in gratiam; & utilitatem aliorum validi sunt per *Extravagant. Ad evitanda*. Ità præsertim *Navarr. in Man. cap. 27. sub nu. 241. Versu, Quarto quod*; ibi: *Qui ab Episcopo excommunicato, interdicto, aut suspenso, simoniaco, hæretico, aut deposito, aut degradato ordinatur, suscipit characterem, non tamen executionem; siquidem qui eam non habet, alteri dare non potest: modò sit denunciatus talis, per Extravag. ad evitanda. Potest autem Episcopus dispensare cum eo, qui ignorans denunciationem, Ordinatur, arg. c. si. de Ord. ab Episcop. &c. statuimus, &c. si à Simoniacis p. qu. p.* Idem habet *Avila Dub. cit. 8. in princ.* sub his verbis: *Incurritur suspensio quando aliquis Ordinatur ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto, schismatico, vel hæretico, intellige nominatim denunciato; ut advertunt Tabiena, & Armilla; vel etiam à degradato. Sic habetur ex cap. p. de Schismaticis, &c. Quod intelligitur etiamsi is qui ordinatur id ignoret, &c.* Hisque addo (aliis omissis) *Coninch dub. c. 5. n. 31.* qui & ipse affirmat sic: *Suspensus est, Ordinatus ab Episcopo hæretico, schismatico, excommunicato, interdicto, non toleratis, aut à Simoniaco per sententiam declarato, hos enim solos etiam si in Sacris, jam tenemur vitare; & toleratorum actus in gratiam, & utilitatem aliorum validi sunt, post Extravag. Ad evitanda.*

PRIVILEGIUM XXII.

Qui ignoranter Ordinatus fuit simoniacè, hoc est, ipso nesciente, ac ignaro, pecunia ab Amico data fuit Episcopo, ut eum in Ordinatorum numerum referret, suspensionem non incurrit.

1180 Qui recipit Ordines simoniacè, est ipso jure suspensus non solum ab Ordine sic suscepto, verum etiam ab aliis prius ritè susceptis, ut docent *Sylv. V. Suspensio qu. 7. Henriq. lib. 13. c. 37. n. 3.* (ubi ait hanc esse receptam Doctorum sententiam) *Avila de Cens. p. 3. disp. 5. dub. 9. concl. p. & Thomistæ* apud ipsum. Probant, tum *ex cap. Inquisitionis de accusat.* Tum *ex cap. Per tuas el 2. de Simonia*. Tum etiam, & efficacius *ex Extravag. 2. de Simonia*, ubi expressè: *Declaramus, quod omnes illi, qui simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint Ordinum executione suspensi.* Qui tamen recipit Ordines simoniacè ignoranter (ut quando Cognatus v. g. vel Amicus, me ignorante, dat pretium Episcopo, ut conferat mihi Ordines) manet suspensus tantum ab Ordine sic suscepto per *D. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 6. ad 3. Arragon. ibi conclus. 4. Sylv. l. c. & Avilam dub. c. Conclus. 2.* (expressè loquentes de ignorantia omnino inculpabili) Limitat tamen *Avila* hanc suam secundam conclusionem, dicendo, *se intelligere, quod maneat suspensus non suspensione, quæ sit censura*: quæ limitatio sequitur ex doctrina ejusdem *Avilæ*, in præcedenti privilegio tradita: quia videlicet, supposita invincibili ignorantia, nec per ipsum videtur incurri posse vera censura, quia hæc est pœna, quæ

cessat

cessat excusata culpa, ut docent etiam communiter. Videtur igitur tantum, quod possit incurri suspensio lato modo, hoc est, quod non vera suspensio in rigore possit contrahi, sed potius (& ad summum) defectus ille executionis Ordinis simoniacè absque culpa suscepti, de quo defectu in præcedenti privilegio idem *Avila*, & alii.

1181 Ergo secundum hanc doctrinam, & limitationem, qui ignoranter simoniacè ordinatus fuit, veram suspensionem in rigore non incurrit: ergo verum privilegium propositum, etiam per *Avilam*, saltem in dicta sua limitatione, & sententia. Verum inquam insuper, simpliciter, & absque recitata limitatione, in sententia etiam plurium, & Classicorum D.D. Nam *Henriq. cap. c. 37. n. 4.* absolutè sic: *Qui recipit Ordines scienter à simoniaco Episcopo, manet ab eo Ordine suspensus. Si tamen probabili ignorantia excusatus est à culpa mortali, excusatur & à pœna suspensionis, quamvis postea factum rescierit: ut si eo nesciente, Pater, aut Amicus pro ipsius Ordinatione dederat pretium pecuniæ Episcopo, aut tertio mediatori.* Huic eidem doctrinæ, ac privilegio subscribit, cum aliis, *Bonac. to. p. tit. De Suspensione, disp. 3. punc. 5. §. p. sub n. 9. Versu Dixi scienter*, & quidem & ipse absolutè, ut sequitur. *Recipiens Ordinem simoniacè, sed bona fide, & ignoranter, non incurrit suspensionem, cum ignorantia excuset à Censuris, ut accidit quando Pater ipso ignorante dedit Episcopo pecuniam, ut illi conferret Ordines. Ita Sayr. Suar. Filliuc. Coninch, & Henriq. Et hoc verum videtur, quamvis ille, qui ignoranter ordinatus est per simoniam, ratificet postea promissionem factam ab amico: nam ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi in jure exprimatur. Ita Henriq. l. c. n. 4. & alii.* Quibus addo *Dian. to. 5. Coord. tract. 3. res. 54. nu. 2. ex p. 5. tract. 10. res. 56.* ubi ait; se huic privilegio, ac sententiæ adhærere: *Quia* (inquit) *uti aliena simonia non impedit veram receptionem Ordinis, ita neque executionem illius, quando inculpatè recipitur.* Ita *Diana res. cit. 54. Coord.* Repetens sequenti *res. 55. ex par. 11. tr. 5. & Miscell. 5. res. 16.* cum *Stephano Baunio In Praxi Beneficiorum disp. 16. qu. 62. dub. 6. Ignorantem, sua causa factam esse simoniam, pœna propria non affici.*

PRIVILEGIUM XXIII.

Ignorantia, quæ quandoque in foro fori non excusat à pœna, ab hac, & à culpa excusat in foro poli.

1182 Certum est hoc privilegium, ab omnibusque utriusq; Juris Doctoribus communiter admissum; ac à nobis diversis in locis hujus Tractatus sparsim præsuppositum: Modo autem hic speciatim proponitur, atque probatur. Quia certissimum est, quod ignorantia antecedens juris, sive communis, sive particularis, excusat à peccato ipso, & à culpa contra eandem legem, & etiam à pœna ejusdem legis, hocque tanquam prorsus indubitatum docuerunt *D. Th. pr. 2. qu. 76. art. 3. & ibi Cajet.* aliique *D. Thom. Expositores.* Præterea *Suar. de legib. lib. 5. cap. 12. n. 6. & 7. Bonac. De Peccatis disp. 2. qu. 8. punct. 3. n. 8. Sanch. in Decal. lib. p. cap. 16. n. 21.* & communiter; inter quos præcipuè *Passerinus Dominicanus in pr. lib. 6. Decretal. in Cap. Ut Animar. 2. qu. primæ art. 17. n. 347.* ubi plures alios allegat. Et ratio omnium est: Quia ignorantia invincibilis etiam si sit juris communis, nedum particularis, excusat à culpa, quia excusat à voluntaria transgressione legis, ergo & à pœna: Consequentia hæc probatur: quia lex justa non imponit pœnam, nisi ut pœnam, sed ablata culpa, non habet locum pœna ut pœna, ergo nec debitum ejus, ergo talis ignorantia, quæ tollit culpam, excusat omnino à pœna. Et hoc in utroq; foro. Hinc etiam, cum *Carolo Rota De Privilegiis Mulierum cap. 3. Speciali 10. num. 48. pag. Mihi 308.* (licet iste Author ad aliud, & summmet propositum) conclude: *Dari* (hic pariter) *casum, quod plus prævalet, & prodest ignorantia, quam scientia.*

1183 Verum, quia quoad utrumque forum excusare quandoque talis ignorantia nō videtur, in foro fori videlicet, seu externo foro, ut in privilegio, ideo in hujus certissimam firmitatem, declarationemve, advertatur, uti optimè advertit etiam idem *Passerinus l. c. nu. 348. fol. mihi 140.* quod aliud est ignorantiam non præsumi, & non credi, ideoque actum ignoranter factum non excusari: aliud est ignorantiam jur i cujuscumque si adsit, & sit antecedens non excusare agentem à culpa contra legem, & à pœna legis. In foro fori, & externo, ignorantia ejus, quod quisque tenetur, & potest scire, certè non præsumitur, neq; creditur,

ditur, nisi probetur. Hinc commune est Canonistarum, & Jurisperitorum assertum, desumptum *ex Regula* 13. *de Regulis Juris in*. 6. quod juris ignorantia non excusat, quia non præsumitur esse, nec creditur, nisi probetur. Quod verò excuset & suffragetur si probetur illam fuisse antecedentem, patet clarissimè ex jure ipso admittente excusationem ignorantiæ juris in Militibus, Mulieribus, Pueris, in Minoribus, in quibus ignorantia præsumi potest, *l. p. C. De Jur. & facti ignor. Fagnan. cap. Ex par. n.* 10. *de Regular. Ancharan. conf.* 393. *n.* 7. *Tuscus Verb. Ignorantia conclus.* 11. *n.* 9. & 12. In quibus igitur non præsumitur ignorantia, hæc non dicitur excusare, nec creditur, nisi probetur. At coram Deo, qui omnia videt talia qualia sunt, & etiam coram Judicibus, si eisdemmet constet de ea, ignorantia antecedens utique excusat ignorantem in utroque foro. Et si eisdem de ea non constet, excusat tantum à culpa & à pœna legis, & juris, coram Deo ad normam propositi privilegii. Vide *Passerinum n. c.* 348. *in fine*: ubi benè docet, adeò verum esse quod ignorantia antecedens coram Deo excuset, necnon coram Judice apud quem de ea constat, ut non detur potestas in terra, quæ oppositum decernere possit: quia non datur potestas, quæ naturas rerum possit mutare. Nec fieri potest, ut quod est ignoratum involuntariè, & ex ignorantia est, sit voluntarium, quia impossibile est, voluntatem liberè velle, quod ignoratur. Sed & pariter est impossibile, quod sit peccatum, quod non est voluntarium; igitur est impossibile, quod sit peccatum, quod ex ignorantia antecedenti est factum.

1184 Ex positis initio numeri præcedentis, obiter collige, merito me concludere *in fine privilegii* 30. *hujus Cap.* Confessarium solicitantem, non evadere pœnas (in foro fori) *Gregor. Constitutionis*, contra suum impium, nefandumve scelus in Constitutione ipsa definitas, quamvis ejusdem habuerit, & allegaverit invincibilem ignorantiam, quia videlicet, esto etiam talem ignorantiam habuerit, non excusatur in foro exteriori, nec ei creditur, cum potuerit, ac teneatur ex suo officio eandem scire, ideo non præsumitur, tali ipsum ignorantia laborasse, atque adeò à Judice punitur, & puniri debet, &c. An vero quoad eas leges, & jura, quæ unusquisq; spectato suo statu, conditione, & officio, tenetur scire, si invincibiliter nescit, ac ignoret, detur in Judicio, & apud Judicem locus probationi propriæ hujus ignorantiæ, in Rei favorem, & levamen? Respondeo affirmativè, quod etiam patet ex numero antecedenti, in quo dicitur tantum, quod talis ignorantia in foro exteriori non creditur, nec præsumitur, non quidem simpliciter, sed cum addito, *nisi probetur*. Quo modo autem probari possit, vide *Privilegium* 32. hujus Capitis.

1185 Et si probari (consequenter dari) potest ignorantia invincibilis eorum, quæ ad proprium statum, conditionem, & officium spectant, sequitur, Regulam illam, ut scilicet censeatur ignorantia non probabilis, sed culpabilis, cum quis ignorat ea, quæ ex officio scire tenetur, aut considerare, non esse universaliter veram in foro conscientiæ, quod etiam affirmamus initio hujus *Tract. n.* 20. & docent pariter *Suar. de Cens. disp.* 4. *sec.* 8. *n.* 15. *Vasq. in pr.* 2. *qu.* 76. *disp.* 123. *cap.* 2. *n.* 6. *Sanch. lib. pr. Moral. cap.* 16. *n.* 27. *Passerin. qu. c. art.* 5. *n.* 133. aliique, unanimiter affirmantes, dictam regulam non esse universaliter veram, si namque vera esset, nulla ignorantia invincibilis, vel probabilis juris a licujus posset dari, quia nullum jus est, quod scire non teneantur illi, quos jus illud obligat. Verum quidem est, quod ignorantia, aut inconsideratio eorum, quæ quis ex officio scire tenetur, rarius potest esse, aut invincibilis, aut probabilis. Unusquisque enim tenetur inquirere leges, quæ spectant ad officium suum. *Gregorius Martinez par.* 2. *qu.* 76. *ar.* 2. *dub.* 5. *conclus.* 7. *Alvarez ibidem disp.* 153. *n.* 16. *Tabiena Verb. Ignorantia n. p. Magister Serra. Montesinus, apud, & cum Passerino n. cit.* Et quivis de facto tantam scientiam habere debet de concernentibus ad suum statum, & officium, ut sciat communia, ea videlicet, quæ communiter ab aliis ejusdem status, & Officii non ignorantur, & quod de aliis particularibus, seu specialibus sciat dubitare, ut occasione adveniente, possit veritatem inquirere sicuti debet: ita citati D. D. Contingere nihilominus potest, quod aliquis ignoret probabiliter id quod ad statum suum pertinet, vel officium; eo quia vel nulla cogitatione, aut excitatione præventus fuerit, aut saltem dubitaverit, an detur lex hoc, vel aliud prohibens; vel ut hic, & nunc recordaretur, & illius considerationem haberet, vel quia ex probabili judicio, & bona fide erret. Hinc deduc cum *Passerino l. c. n.* 124. non coincidere in idem, *scire*, & *debere scire*, quasi moraliter absolutè censeri debeat scire, qui scire tenetur, & illum

ut talem puniri debeat, qui nescivit quod tenebatur scire. Ut enim ignorantia sit culpabilis non sufficit, quod ignorans teneatur scire, sed necesse est, quod proximè moraliter id possit, aliquando autem contingit ut homo non sit in actu, ut possit moraliter scire, quando videlicet, vel nullo modo est ad hoc sic excitatus ut scientiam quærat, vel non habet necessaria ad scientiam acquirendam, vel non tenetur adhibere majus studium ad sciendum, quam illud quod adhibuit; vel bona fide, & non ex negligentia, oppositum, verum credidit.

PRIVILEGIUM XXIV.

Ignorans Constitutionem Sixti V. *in qua reservavit sibi absolutionem eorum, qui malè promoventur ad Ordines, excusatur ab illa incurrenda.*

1186 ITà expreſsè *Sanch. de Matrim. to.* 3. *lib.* 9. *disp.* 32. *n.* 28. & *Diana to.* 5. *Coord. tract.* 7. *res.* 62. *n.* 5. *ex par.* 7. *tract.* 4. *res.* 14. Uterque sub sequentibus: *Sixtus V. sibi reservavit absolutionem eorum, qui malè promoventur ad Ordines, si quis autem ignoraret hanc Constitutionem, non incurreret hanc reservationem, & si, is, qui malè promoveretur ad Ordines sciret se peccare. Ratio est, quia hæc reservatio est pœna statuta in odium delinquentis, ut proinde ab ea incurrenda excuset ignorantia* (Vide *Lugum de Pœnit. disp.* 20. *sec.* 2. *n.* 11. *& Basseum Verbo Ignorantia nu.* 17. *Versu Sed dubium est.*) Hoc idem, & in aliis privilegiis visum est, idcirco de eodem hic satis: hinc tamen sit.

PRIVILEGIUM XXV.

Ignorans & Constitutionem Grgegorii XIII. *in qua tulit Excommunicationem in eos, qui aliquid dederint, promiserint, acceperint, aut acceptaverint promissione pro justitia, aut gratia à Sede Apostolica obtinenda: & quod nullus possit absolvi ante realem restitutionem eorum, quæ pro tali gratia fuerint accepta, ut patet* ex Extravag. edita anno 1575. *immunis est ab hac reservatione.*

1187 SEquitur hoc privilegium, tum ex antecedenti, tum ex pluribus aliis positis sub *Cap.* 4. hujus Tractatus. Et ratio est eadem, ac præcedentis: Quia videlicet, & hujus generis reservatio, est pęna contra trasgressores dictæ Constitutionis, aut legis imposita: ergo sequitur naturam principalis, ideſt legis; cum autem ignorantia legis excuset à transgressione, excusabit etiam à pęna. Ità etiam *Molina de Just. to.* 5. *tract.* 2. *disp.* 92. *Versu Cum Gregor. XIII. Sanch. n. c.* 18. *Diana ref. cit.* 62. *nu.* 6. ubi etiam refert *Mazzuchellum de Casib. Reserv.*

PRIVILEGIUM XXVI.

Qui durante Matrimonio ignoranter suscepit Sacros Ordines, Suspensionem non incurrit.

1188 SUspensio incurritur ab eo, qui durante Matrimonio (etiam non consummato) *præsumit* suscipere Sacros Ordines, extra casus à jure concessos. *Joannes XXII. in Extravag. Antiquæ, de Voto:* Dicitur *præsumit*, hinc, Qui solum ex ignorantia procedit, & accedit ad Ordines Sacros, cum ratione ignorantiæ non dicatur præsumere, uti nec verè præsumit, hanc suspensionem non incurrit. Hoc affirmat præsens privilegium, quod confirmat *P. Diana to.* 5. *Coord. tract.* 3. *res.* 61. *ex p.* 5. *trac.* 10. *res.* 59. dum ibi sic: *Ad hanc Censuram incurrendam requiritur præsumptio; unde qui solum ex ignorantia procedit, licet crassa, vel supina, non suspenditur, & soluto matrimonio, potest in Ordinibus ministrare, si nullum aliud intercedat impedimentum, & multo magis si bona fide processerit. Durante tamen matrimonio non potest. Si præsumpserit Ordinem suscipere, non potest in eo ministrare, etiam soluto matrimonio, nec potest ad alium ascendere, vel promoveri ad Officium, vel beneficium Ecclesiasticum, & nisi talis profiteatur in Religione approbata, solus Pontifex potest eum absolvere, ut Extravag. cit. Si profiteatur, potest Diœcesanus dispensare, ut ibidem habetur. Et hæc omnia docet Præpos. in* 3. *par. qu.* 3. *de Susp. dub.* 5. *n.* 40. *Unde ego olim sine aliqua dispensatione celebrare feci post mortem Uxoris quemdam sic Ordinatum, qui bona fide Ordinem suscepit, credens Coniugem esse mortuam.* Hactenus *Diana*, & optimè ad privilegium nostrum.

PRIVILEGIUM XXVII.

Excommunicatus denunciatus, vitandus, conferens Sacramenta ex ignorantia invincibili, aut naturali inadvertentia, à peccato mortali excusatur.

1189 EXcommunicatus denunciatus, qui, & *vitandus* communiter appellatur, activa Sacramentorum communi-

municatione, & Sacrificii oblatione privatus est, *cap. Latores, de Clerico excommunicato ministrante, & cap. Si celebrat, eodem tit.* idque sub peccato mortali, cum tam gravis materia sit actio ministrandi, quam recipiendi Sacramentum. Ab hoc autem peccato, ignorantiæ, & naturalis inadvertentiæ privilegium excusat; quod constat patenter *Ex cap. Apostolicæ de Cler. Excomm. ministrante.* Affirmat *Diana to. 1. Coord. trac. p. res. 15. §. p. ex par. 5. tr. 9. resol.* 83. ibi: *Excusatur tamen per ignorantiam invincibilem, & naturalem inadvertentiam, cap. Apostolicæ, &c.* Confirmatque *Philipus Faber de Cens. in 4. sent. dist. 25. disp. 4. cap. 4. n.* 165. ubi sic: *Certum est excommunicatum denunciatum, & publicum percussorem Clerici peccare mortaliter administrando aliquod Sacramentum. Difficultas tamen est, an in aliquo casu excusetur à peccato; ita ut possit sine periculo ministrare? Ad quam respondetur primo, excusari per ignorantiam invincibilem, naturalem oblivionem, vel inadvertentiam, ut diximus de receptione passiva:* Ita *Faber l. c.* relatus à *P. Diana to. 5. c. tract. p. res. 16. nu. 3. in princip. ex par. 5. tract. 9. res.* 96.

PRIVILEGIUM XXVIII.

Ignorancia Regulæ quandoque excusare potest in Conscientia à sui observantia.

1190 QUærens *Rodriq. to. 4. Qq. Canonicar. Regularium in Praxi Crimin. Tit. p. cap. 2. num.* 25. *Quando excuset Ignorantia Regulæ?* Videtur respondere: Quociescumque noviter professus, ignorantiam prætendit austeritatis illius: Optima responsio, tunc enim solum videtur excusare posse in conscientia à sui observantia (ut in privilegio) respectu saltem talis austeritatis, tempore Novitiatus, & probationis simpliciter ignoratæ. Hinc idem *Rodriq. n. c.* monet Superiores Regulares ut sequitur: *Caveant Superiores in non permittendo, ut quis professionem regularem emittat, nisi prius Regulam pluries non perlegerit, vel legi ab aliis non audiverit, nam aliquando aliquis Abbas non ita in omnibus, & per omnia, facit ipsam Regulam observari, præsertim in anno, in quo quis permansit in probatione illius Regulæ; namque emissa professione, mutatoque Abbate, cum adstrictiorem Regulæ observantiam devenit Abbas successor, professus de recenti, qui ipsam non legit, nec minus ab alio intellexit, & laxiorem probavit, recusat ad illius observantiam cogendum esse, & quidem rectè, quia de tali superveniente austeritate prætendit ignorantiam.* Hæc *Rodriq.* loquens (ut facit etiam privilegium) de excusatione in conscientia, quod constat, dum addit (utique pro exteriori foro) *quamvis tandem is non audiatur, sed cogatur ad illius observantiam*: Sed *cogatur* inquam, quia in foro externo præsumitur non ignorasse.

1191 Sed *cogatur* insuper: Quia ut docet *Navarr. p. p. Consilior. lib. 3. de Regularib. cons. 22. nu.* 5. Nullo jure necessarium est, quod Novitius probet, & experiatur omnes austeritates Monasterii in individuo, sive in specie, sed sufficit, ut experiatur austeritatem ejus in generali, per totum unum annum degendo sub obedientia Prælati. Si enim statim post susceptum habitum inciperet ægrotare, & maneret æger quatuor, sex, vel decem menses intra Monasterium sub obedientia, posset in fine anni profiteri secundum mentem omnium Doctorum, quorum nemo dicit, aut auderet dicere contrarium: ergo absque ulla legge non est dicendum, quod teneatur Novitius experire omnes austeritates in specie, ut obligetur ad ipsas, &c. ita *Navarr. nu. 5. c.* qui præterea *eodem lib. 3. conf. 43. nu. 2. in fine:* concludit: *Posse cogi ad servandam illam austeritatem, si cum fuit professus, non limitavit suam professionem, & obligationem ad illum statum vivendi, qui tunc servabatur.* Vide eundem *n. c.* & *in Man. cap. 12. n.* 50.

PRIVILEGIUM XXIX.

Ignorans nullitatem suæ Professionis, non manet obligatus, nec eam cum tali ignorantia ratificare censetur.

1192 COmmuniter admittitur hujusmodi privilegium: asserunt enim D. D. unanimiter, ut aliquis Votum suum invalidum, ac invalidam professionem ratificasse censeatur, non satis esse, credere, votum, aut professionem, quam emisit, fuisse validam, & ideò proponere eam adimplere, & ratione illius in Monasterio permanere: sed oportere, ut resciat illius nullitatem, & velit illam de novo validare; ita singulariter tradunt *Cajet. 2. 2 q. 189. art. 5.* (ubi, *Considerans suum Votum, credens illud esse absolutè validum, intendit millies illud adimplere, non propterea coram Deo ratificavit, aut approbavit*) *Navarr. in Man. cap. 12. n. 71. Versu 10. supponimus, & par. p. Consilior. lib. 3. Consil. 28. n. 7. & Consil. 34. n. 4. Suar. De Relig. to. 3. lib. 7. cap. p. nu. 4. Diana to. 7. Coord. tract. p. res. 185. ex p. 6. tr.*

p. 6. tr. 7. & Miscell. 2. ref. 56. Vecch. disp. 14. dub. 3. n. 2. Pasqual. cent. p. q. 35. n. 6. Peyr. De Prælato qu. 3. cap. p. §. 5. n. 144. & omnes apud, & cum *Bordono de Professione Regulari cap. 21. qu. 14. n. 28.* Ratio autem est: tum quia voluntas non fertur in incognitum, ergo si vult ratificare professionem, debet eius nullitatem prænovisse: tum quia sine novo consensu non potest ratificari, sed ignorans non consentit, *l. si per errorem, ff. de Jurisdict. omn. judic. causa 29. qu. p. initio.* Ergo ignorans nullitatem suæ professionis per quemcumque actum subsequentem, etiam intentione eam ratificandi, non ratificat, si ignorat eius nullitatem (nisi ratificet, ex suppositione etiam qnod sit invalida) Igitur ignorans nullitatem suæ professionis, non manet obligatus; nec eam cum tali ignorantia ratificare censetur: sicque verum propositum privilegium.

1193 Dicit privilegium, *non manet obligatus*, quia videlicet, verè professionem non emisit: usque dum tamen manet in ignorantia invaliditatis ejusdem, peccat contraveniendo illi, quia tunc agit contra propriam conscientiam dictantem erroneè se esse verum professum, atque adeò obligatum, &c. Addidi (nisi ratificet ex suppositione etiam quod sit invalida) quia excipiendus, qui ita ratificat professionem, ut velit ratam esse, quamvis fortè ab initio fuerit invalida: nam sic, esto invalidam esse non agnoscat determinatè, tamen sub statu possibili, & sub conditione eam ratificare intendit, quod sufficiens est ad invalidam professionem ratificandam, quod etiam adnotavit cum *Lessio, P. Diana ref. 185. n. 2. in fine.* Affirmans in principio, & optimè, nec posse (præcisa hac conditione) ratificari professionem; nisi professus antefactæ professionis nullitatem cognoscat: eo quia non potest habere voluntatem ratificandi professionem, si cognoscat ratificationem esse sibi possibilem: sed ratificatio possibilis non est, nisi professio nulla extiterit: ergo non potest habere voluntatem ratificandi, nisi nullitatem professionis agnoscat: ita *Diana*.

PRIVILEGIUM XXX.

Sacerdos solicitans in Confessione, & ignorans Constitutionem Gregorii XV. *contra Confessarios solicitantes, excusatur à pœnis in illa latis, in foro tamen interno, non externo.*

1194 SIcuti ab initio promulgationis dictæ Constitutionis, potuit ipsa ignorari à Confessoribus solicitantibus, saltem non sciri utique ab omnibus; ita etiam modo non est adeò moraliter impossibilis ejusdem ignorantia in aliquo, & si non juris, saltem facti, idest, quod ignoret, an aliquod factum quod reipsa ad solicitationem pertinet, comprehendatur in dicta Constitutione. Qua supposita ignorantia, dicit privilegium hoc, quod si solicitans, sic ignoret *Constitutionis Gregorianæ* vigorem, excusetur à pœnis latis in illa. Quod privilegium communiter conceditur à Doctoribus, ut videre est apud *Thom. Hurtad. par. p. Resolution. Moral. tit. de Sacerdotib. Solicitantib. in Confess. tract. 4. c. 8. ref. 61. §. p. à n. 822. fol. mihi 228.* ibi: *Dico, ignorantia bujus Bullæ excusat à pœnis in illa latis. Est communis sententia Doctorum. Ita Sanch. Vasq. Diana, Gbilinus, Cœlestinus, Bonacina, Sayr. Soar. Escobar, &c. Et in casu Bullæ, Joannes à Trinitate, sect. ult. dub. ult. nu. 5. Sousa tract. p. c. 20. ubi hoc egregiè docet, &c.* Quibus adde *Ignatium Lupum In Eductum Sanctæ Inquisit. part. p. lib. p. art. 4. diffic. 2. fol. mihi 6.*

1195 Probat autem *Hurtadus* suum dictnm, consequenter privilegium nostrum: Quia, & si solicitatio ad peccatum in Confessione, prohibita sit jure divino, de quo non est ignorantia, tamen si ignoratur pœna imposita jure humano, utique ignorans pœnam, ab illa liberabitur. Sic enim *Innocentius Papa Epist. 3. cap. p.* scribens *Exuperio Tholosano* dicit, *quod ignorantes Constitutionem Synetii Papæ ad Himerium Tarrac. epist. p. cap. 7.* qua suspendebat Clericos incontinentes (utrumque refertur *cap. Proposuisti, & cap. Plurimos 82. dist.*) non incurrant præfatam pœnam, quamvis non ignorarent prohibitam incontinentiam jure naturali, & divino. Quare solum obnoxius erit pœnis latis jure divino, non vero latis jure humano, quod ignorat. Sicque ignorans legem, & Constitutionem, qua imponitur pro aliquo delicto, vel excommnnicatio, vel irregularitas, aut suspensio, has nullo modo incurrit, ut est certa, & indubitata sententia: hæc, & optimè dictus *Hurtadus*: quæ cohærent cum his, quæ tradita sunt superius in Privilegiis quarti Capitis, ad quæ brevitatis gratia mitto Lectorem in hujus etiam confirmationem.

1196 Qualis autem esse debeat hujusmodi ignorantia ut excuset? certum est per omnes invincibilem, & probabilem excusare. Idem est (ait *Sousa de Solicitan. tr. p. cap. 15. apud d. Hurtadum l. c. §. 2. n. 829.*) si ignorantia fuerit vincibilis, & improbabilis

bilis ex culpa veniali, quia ob culpam levem non irrogatur pœna adeo gravis: qui enim hac ignorantia laborat, non est suspectus in fide: nec præsumitur contra illam deliquisse, quamvis enim inferat iniuriam Sacramento, cum illo abutatur per Sacrilegium quod committit contra reverentiam illi debitam jure naturæ; nihilominus sicuti qui abutitur aliis Sacramentis, non est reus hujus Bullæ, ita qui illam invincibiliter ignorat. Idemque docet apud eumdem *Hurtad. §. c. 2. nu.* 830. *Joannes à Trinitate l.c. nu.* 9. Hactenus dicta, concessa esse intelligat, pius Lector, ad normam doctrinæ datæ *in Privilegio* 23. *hujus Cap. n.* 1180. (uti & sunt proposita) pro solo videlicet interno foro, non externo ullo modo; in quo contra Solicitantem, & tam pudendum ipsiusmet, sacrilegiumque scelus, præsumenda utique *Constitutionis Gregorianæ* relatæ, notitia, & scientia. Unde ne Solicitans remaneat impunitus, contra ipsum, utpote summè impium, ac criminosum, exercendum erit Judicium absque misericordia, nec præsumenda in ipso, vel credenda ignorantia, &c. Vide quæ dixi *Privil.* 23. *cit. & num. eodem*.

PRIVILEGIUM XXXI.

Mulier solicitata in Confessione, invincibiliter ignorans Edictum Tribunalis SS. Inquisitionis, obligans solicitatum (etiamsi ipse solicitationi consenserit) denunciare solicitantem: Vel ignorans quod obliget ad mortale: Vel quod imposita sit Excommunicatio contra non denunciantes, excusatur à pœna, nec illam contrabit si non denunciet.

1197 Sequitur hoc privilegium ex precedenti, cum non sit major ratio (ut patet) de Confessario solicitante, ac de persona, seu muliere solicitata: Imò hæc magis excusabilis est, ut constat, quippe quæ magis est obnoxia ignorantiæ, & nisi consenserit solicitationi, nec peccavit venialiter: quare ignara omnino obligationis denunciandi, nec ullam culpam, vel pœnam incurrit, si non denunciet. Hinc ad utrumque etiam indifferenter, tam ad solicitantem videlicet, quam ad solicitatum videtur extendere privilegium *Ignatius Lupus Difficult.* 2. *cit.* dum ibi absque restrictione affirmat, *Illos minimè affici Excommunicatione, qui moraliter Edictum S. Inquisitionis, nec audire, nec alicubi videre potuerunt: tum quia impossibilium nulla est obligatio, l. impossibilium, &c. tum quia lex in mitiorem partem est interpretanda*. Certum est autem quod tum idem Sanctissimæ Inquisitionis Edictum, tum dicta *Gregoriana Constitutio* arctant solicitantem, & solicitatum, ut videre est in ipsis, ergo. De solicitata verò Muliere, & Edictum ignorante, expressè loquens *Hurtad. cap.* 8. *c. res.* 46. confirmat privilegium positum, subsequentibus: *Si Mulier ignorat invincibiliter Edictum, vel quod obliget ad mortale, vel quod est imposita Excommunicatio contra non denunciantes, non incurrit pœnam si non denunciet. Tenent communiter Doctores contra Covarruv. in Cap. Alma mater par. pr. §.* 10. *nu.* 9. *& est per se evidens*.

1198 Et ratio est, tum quia hoc habetur in *Cap. Animarum, de Constitutionibus in* 6. in quo sic fatur, ac decernit *Bonifacius VIII. Statuta quorumcumque Ordinariorum ligare nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, ac supina*: cujusmodi non est ignorantia Mulieris, de qua in privilegio, cum in ipso supponatur invincibilis. Tum quia in *Cap. Cognoscentes, de Constitutionibus*, statuitur, quod qui peccarunt ante legem pœnalem datam, non ligantur lege, quia eam ignorarunt: sed qui post latam legem, eam ignorat invincibiliter, eodem modo se habet, ac si non esset. Tum etiam quia nullus meretur pœnam absque culpa, peccato, offensa, contumacia, &c. bujusmodi Mulier solicitata, si non denunciet non peccat, non offendit Ecclesiam, non est contumax adversus ipsam excusante invincibili ignorantia. Ergo.

1199 An verò excuset etiam ignorantia vincibilis, venialiter culpabilis, affirmativè dicendum, ut in antecedenti privilegio. Imò quamvis etiam esset ignorantia vincibilis mortaliter: tum quia hæc potest esse, & de facto est sine contumacia, quæ requiritur ad incursionem censurarum: tum quia *Summus Pontif. Bonificius VII. in dicto suo Decreto*, solum excledit ignorantiam *crassam & supinam*: & quamcumque aliam vult excusare ab incursione censurarum, ab Ordinario quocumque latarum: Ergo etiamsi ignorantia sit letbaliter culpabilis sufficit ad excusandum: & ita etiam cum aliis pluribus docet *Hurtad. res. c.* 46. *n.* 555. & 556. *Antonius à Spiritu Sancto in Direct. Confessar. p. p. tract.* 5. *disp.* 14. *sec.* 4. *n.* 933. aliique plures ibi citati, cum quibus & nos pariter idem docuimus, & cum communi, in Privileviis superius traditis, *Cap.* 4. Censeo tamen (quod est advertendum) excusare privilegium donec solicitata Mulier aliunde non habuerit scientiam suæ obliga-

tionis à fide dignis, vel alio modo: habita enim scientia, sub obligatione mortali, ac dicta excommunicationis censura, tenebitur Confessarium adhuc denunciare à quo fuit solicitata. Eo pacto quo quivis, Beneficium quod simoniacè, sed ignoranter (& ideò absque culpa) recipit, cum primum eam simoniam rescierit, tenetur sub reatu gravi, &c. illud renunciare secundum plures, ut, tot aliis omissis, docet *Navarr. par. 2. Consilior. lib. 5. De Simonia Consil. 70. num. 6.*

PRIVILEGIUM XXXII.

Ignorantia non solum excusat in foro animæ à Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, sed etiam in exteriori Judicio per juramentum præcipuè Ignorantis.

1200 Excusat inquam, ignorantia etiam in exteriori Judicio, per juramentum videlicet attestantis. Et probatur, quia nemo præsumitur suæ salutis oblitus; præsertim si non accedat aliqua præsumptio, ut si legem palam violaverit. Ita *Antonius à Spiritu Sancto in Director. Confessarior. par. 2. tract. 12. disp. p. sec. 14. §. 2. Versu, Dico tertio, num. 177. Cotonius in Summa Diana, Verbo Ignorantia nu. 10. & ibi Farinac. De delict. Canon. qu. 149. nu. 203.* Hinc sequitur (ita deducit *Cotonius*) *quod si quis in Regno Siciliæ Vitulam publicè mactasset, juraretque se legem D. N. Urbani VIII. id prohibentem, ignorasse, non deberet declarari, pœnas dictæ legis incurrisse.* (Limitat tamen nisi ex parte juris adsit præsumptio scientiæ; nam hæc non eliditur per ignorantiæ juramentum.) *Diana tom. 7. Coord. tract. p. ref. 19. ex par. 5. tract. 14. & Miscell. 2. ref. 24. cum Portel. in Responsf. Regular. p. p. Casu 27. n. 3.* In quo ad rem hujus privilegii, sic: *Pro majori istius casus notitia, & aliorum similium quotidie contingentium, in quibus violantur Bullæ Pontificiæ punientes illos, qui contrafacere presumpserint, quomodò credendum sit transgressori; dicenti se fecisse bona fide, & quomodo probanda sit bona fides? Respondeo in primis, quod si agatur solum de foro conscientiæ, credendum est omnino asserenti se fecisse bona fide, nec cogitasse ibi intervenisse culpam, vel pœnam, si enim id credidisset, non fecisset. Et huic tali persuadendum est, ut omnino quietus sit, nec se credat incurrisse. Imò addo, quod licet lex violata non poneret hoc verbum (præsumpserit) si tamen contrafaciens excusatus fuit à peccato, vel ob inadvertentiam, vel ob justam ignorantiam, non incurrit pœnam aliquam, alicuius legis, juxta communem Doctorum, quia ubi non est peccatum, seu culpa, non datur pœna.*

1201 *Si verò agatur de foro externo, quomodo probanda sit bona fides, sive ignorantia? Dico, id posse colligi ex præsumptione: si enim persona delinquens sit bonæ famæ, & idiota, & in materia non nimis clara, & vulgata; magna præsumptio est, quod peccaverit, seu potius quod legem violaverit bona fide, & ignoranter: sic Judex poterit acquiescere huic bonæ fidei, adnon imponendam pœnam. Ad majorem verò securitatem, probari potest bona fides, & ignorantia, per juramentum partiexhibitum, stante enim dubio, stabitur juramento illius. Et si obiiciatur contra illum præsumptio juris, quia jus videlicet contra illum præsumit, quod sciverit quæ tenebatur scire pertinentia ad suum Officium. Respondeo, quod etiam præsumptio juris eliditur per juramentum in contrarium, ut habetur in Cap. Cum in tua, de eo, qui Matrimon. accus. potest, & Glossa ibidem in fine Casus. Hunc eundem modum probandi bonam fidem per juramentum, tradit Navarr. lib. p. Consilior. Tit. de Constitutionib. Consil. p. qu. 2. n. 6. & 7. ubi ponit alios duos modos ad probandam ignorantiam.* Hæc omnia *Portel. l. c.* à cujus doctrina non dissentit *P. Diana*, tantummodo difficultatem aliquam dicit se habere circa ipsam, videlicet circa juramentum allegantis ignorantiam: Nam (ait *ref. c. n. 3.*) licet probetur ignorantia per juramentum eam allegantis, ut patet, ex *Glossa in Cap. 2. in verbo Scienter de temp. Ordin. in 6. Baldo in tract. de jure Protim. n. 18. ver. Sic & ignorantia. Jasone in §. Sed iste n. 89. & sequentib. ver. Advertere, Institut. de act.* Et quamvis ignorantia regulariter probetur per juramentum: *Glossa ordinaria in Regul. Præsumitur, de Reg. juris in 6. Graffius Decision. Aurear. p. 2. lib. 2. c. 9. n. 12.* Adeò ut si allegatio ignorantiæ dubia sit, allegans eam, juramento in foro externo confirmare cogatur, *Cap. Si verò 2. de sentent. Excomm. Thomas Del Bene, De Immun. Eccl. par. pr. cap. 2. dub. 4. sec. 17. n. 3.* Tamen ubi adest præsumptio scientiæ, juramentum ignorantiæ non tollit illam præsumptionem scientiæ in contrarium, ut docent *Bartolus, Pomatus, Jason, Alexander, &c. Quibus tamen non obstantibus* (concludit *Diana n. 4.*) *sententiam Portel. etiam tuentur Afflictus de Jure protim. §. 2. nu. 9. ver. Et si præsumptio, & Lucas de Penna, in l. super servis, colum. 3. vers. in p. Glos. C. qui militare possunt, lib. 12. Ubi videntur terminare, quod juramentum super ignorantia, excludit præsumptionem juris in contrarium existentem:*

tem: ita *Diana*. Sicque ratione, & auctoritate verum propositum privilegium. Vide *Passerinum Dominicanum in p. lib. 6. Decretalium in Cap. Ut Animarum 2. quæstionis primæ art. 17. à n. 349. & per totum Cap. cit. Animar.* ubi plura, & pulchra, (& ex professo) de Ignorantia ad hunc etiam tractatum spectantia.

PRIVILEGIUM XXXIII.

Ignorantia rerum ad cujusque Officium spectantium, ut ex. gr. Imperitia Medici in suo ægroto curando, & si multoties, ex Juris præsumptione, non excuset à culpa in externo foro, excusat tamen in conscientiæ interno foro, pro quo etiam cessare videtur præsumptio.

1202 Subsistentia, & veritas hujus Privilegii sequitur apertissimè ex dictis, ex allatis pluribus in locis, ex quibus clarè constat idemmet Privilegium admitti communiter à D. D. ibidem relatis, quibus hic addo *Joannem Cabassutium in sua Theoria, & Praxi Juris Canonici cap. 13. n. 2.* ubi in ejusdem Privilegii confirmationem, & comprobationem scribit, ut sequitur: *Judicari quidem solet in externo foro ex Juris præsumptione, quod quis negligens extiterit in iis, quæ proprii Officii sunt, addiscendis. Quæ tamen cessare præsumptio potest in foro conscientiæ. Perspecta quippè omni sapienti est ipsa humani ingenii naturalis infirmitas. Alioqui permulta sequerentur absurda. Primum, neminem, qui non sit eximii, ac præstantissimi ingenii, posse ulli se arti, aut disciplinæ addicere citra gravia, & continua peccata; quia quantumlibet adhibuerit, quis in addiscendo diligentiam, ignorabit tamen non pauca, quæ eximii quidem ejusdem artis professores inimitabili solertia assequuti sunt, aut inexhaustæ memoriæ bonitate retinent, quæ etiam longiore studio ab aliis acquisita, mox infelici oblivione dilabuntur. Altera etiam non minor sequetur absurditas. Cum enim doceat experientia, illos, qui longo provectu in aliqua arte, vel scientia versati sunt, longè scire iis, qui in eisdem disciplinis exercendis Juniores sunt, minusque experti; sequeretur ob minorem peritiam atque adeò ob inevitabiles quasdam in arduis, & difficilioribus imperitias, neminem posse licitè aliqua in arte versari, nisi prius acquisiverit consummatam experientiam ejus artis. Atqui nemo potest illam assequii consummatam experientiam, nisi diuturno tempore in eadem arte versatus. Atque ita nemo citra grave, & continuum peccatum aliquam aggredi, aut per aliquot annorum decursum exercere Professionem posset, cum tamen illa consummata peritia non obtingat, nisi post longam artis exercitationem, qua sola artes, & harum cognitio exacta perficiuntur. Quin etiam his ulterius adjungo, etiam perfectissima, quorum exiguus est numerus, ingenia, quę longa etiam in propriis Professionibus exercitatio ad consummatam frugem perduxit, non ita esse felicia, ut omnia, quæ suæ artis sint perspectissima, habeant, unde necesse est aliqua ignoratione errent. Et liquido perspicimus inter præstantissimos, & primarios Artium, & scientiarum, sive practicarum, sive speculativarum Professores, qui doctrinam excellentis ingenii acumine, & laboris assiduitate consummatissimam scriptis tradiderunt, & alios ab aliis, quam sæpissimè dissidere corrigi, & invicem coargui. Hæc ad singulas paginas accurrunt legentibus excellentiores quosque Philosophos, Theologos, Jurisconsultos, Medicos, & qui de Moribus scripsere, non dico Circumforaneos, aut etiam Mediocres, sed Principes, eximiæq; sapientiæ Magistros. Quis igitur ista perspiciens, ausit asserere, nullam posse cuiquam in arte propria, quæcumque illa sit, contingere ignorationem, inadvertentiam, vel errorem circa culpam, & offensam Dei? Id esset ignorare non fortasse sine culpa, nostræ conditionis infirmitatem inevitabilem, quæ nos in humilitate continet, de qua Rex Sapientissimus spiritu Divino collustratus hoc prohibet testimonium Sap. 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Præstantissimi quoque Jurisconsulti à Justiniano Principe ad Romanarum legum delectum, & compilationem adhibiti ab ipso Pandectarum exordio protestantur. Omnium habere notitiam, & penitus in nullo peccare, Divinitatis magis, quam mortalitatis est.* Hæc præfatus *Cabassutius*, quę, ut patet, egregiè probant propositum Privilegium.

PRIVILEGIUM XXXIV.

Ignorantia Privilegii excusat ab amissione ejusdem, quam quis meretur, si illo non utatur.

1203 HUjusmodi Privilegium concedent libenter Doctores communiter, cum sit assertio eorundem unanimis, seu suppositum commune D. D. quod, ut Privilegiatus per non usum, seu abusum amittat Privilegium, necesse est, ut habeat scientiam sui Juris, ac Privilegii, & etiam occasionem illo utendi, noluerit tamen. Unde scientia ad hunc effectum

ctum debet respicere tam Privilegium, quam occasionem usus. Loquitur autem Privilegium tum de ignorantia respectu totius Religionis, tum respectu alicujus Conventus, tum alicujus Religiosi particularis respective.

1204 Probatur tum ex concessione, & *Constitutione Eugenii IV.* Incipit: *Et quaslibet*, pro Monachis Congregationis Sanctæ Justinæ, Ordinis Sancti Benedicti (apud *Confectium in Collect. Privilegior. Mendicant. fol. mihi* 34. *Rodriq. to.* 1. *qq. Regular. qu.* 8. *art.* 4. *Naldum. Verbo Privilegium n.* 4. *Bordonum ref.* 52. *qu.* 37. *n.* 100. & apud alios) in qua expressè habetur: *Nullum præjudicium Privilegiis, indultis, gratiis, &c. ob eorundem ignorantiam generari, &c.* Et idem habetur ex concessione *Leonis X. Congregationi Camaldulensi*. Et *Julii II. Congregationi Sancti Oliveti*, apud eundem *Rodriquez l. c.* Tum authoritate Doctorum: *Suar. de Legibus lib.* 8. *cap.* 34. *n.* 5. *in fine*. *Barbosæ de Potestat. Episcopi par.* 2. *alleg.* 26. *n.* 14. *Merollæ to.* 3. *disp.* 16. *titul. de Privilegiis cap.* 7. *dub.* 1. *difficult.* 1. *n.* 16. *Bordoni n.* 100. *c.* & aliorum communiter asserentium non amitti à privilegiario Privilegium per non usum, quando ipse ex aliquo legitimo impedimento uti non potuit Privilegio, vel quando ignorabat se illud habere, consequenter illius non usus, ob carentiam scientiæ, fuit non voluntarius. Tum etiam ratione, quia ignorantia à multis aliis excusat, à Peccato, à Censuris incurrendis, &c. quoniam hæc supponunt culpam, à qua ignorantia ipsa excusat, consequenter ab amissione Privilegiorum, quæ quis meretur amittere, si illis abutatur, quibus non dicitur abuti eadem ignorans.

1205 Confirmatur Privilegium propositum, ex doctrina quam tradit *Portell. to.* 2. *Moralium Responf. par.* 3. *casu* 25. In quo quærens: An quædam Monialis Ordinis Sanctæ Claræ secundæ Regulæ, per suffragia Conventus electa in Abbatissam (& quam, cum esset illegitima ex prohibito concubitu, ob hoc impedimentum Provincialis noluit confirmare, nec cum ea dispensare) an inquam potuerit esse sine Prælati dispensatione Abbatissa; & an Prælatus potuerit illam excludere? Respondet: *Credo quod Monialis illegitima potest esse Abbatissa, vel Priorissa, absque ulla dispensatione Prælati, maximè si sit Regulæ primæ, vel secundæ Sanctæ Claræ, vel Ordinis habentis communicationem Privilegiorum, & proindè, quod hæc, de qua agitur, non potuit excludi ab Officio Abbatissæ, neque indiguit confirmatione, ut in Officio confirmaretur.* Ratio, autem hujus responsionis, est clara, & expressa probatio, seu confirmatio Privilegii nostri: & est hujusmodi: Supponit *Portel. casu cit. n.* 2. quod dictæ Moniales S. Claræ gaudeant Privilegiis omnibus, quibus gaudent Fratres Minores, sive talia Privilegia fuerint concessa Minoribus, sive talia habeant ipsi per communicationem. Privilegium enim illud, quod habet aliqua Religio per communicationem, & participationem, habet illud tanquam sibi proprium, & tanquam si sibi immediatè, & nominatim concessum fuisset, ut patet ex multis locis *Compendii F. F. Minorum* maximè in *Verbo Communicatio Privilegior. §.* 9. *in fine*, & *§.* 12. & alibi, & ex *Compendiis* aliarum Religionum præcipuè Theatinorum *Verbo eodem*. Quod verò Moniales Sanctæ Claræ gaudeant Privilegiis concessis Fratribus Minoribus, habetur in *Compendio cit. Mendicantium Verbo eodem §.* 14. *ex Leone X.* Quo supposito: Sic arguit *Portell.* Fratres Minores gaudent Privilegio concesso Religiosis Sancti Ioannis Evangelistæ, in Portugallia, quæ dicitur Congregatio Sancti Joannis Evangelistæ, in quorum *Compendio fol.* 9. *pag.* 2. habetur hoc Privilegium: *Ut admissus ad Professionem inter illos, si habet defectum natalium, ipso facto sit dispensatus non solum ad Ordines, sed etiam ad omnia solita gubernari per Fratres illius Ordinis, Prioratus, Rectorias, &c.* Cum ergo Moniales Sanctæ Claræ gaudeant hoc Privilegio concesso Minoribus per extensionem participationis, sequitur quod dicta Monialis Sanctæ Claræ, ipso facto, quod fuit admissa ad Professionem, maneat dispensata ad omnia Officia, & Prælaturas Religionis, ita ut non indigeat alia dispensatione. Et hoc credo esse verum, etiam si dicta Monialis esset illegitima sacrilega, idest, nata ex concubitu sacrilego: lex enim, seu dictum Privilegium non distinguit, sed loquitur in communi, de omni defectu natalium. Prædictum vero Privilegium est in praxi apud dictos Religiosos, ut scio certè: *Quamvis autem hoc Privilegium ignoretur à Monialibus, neque apud illas sit in praxi, hoc non tollit, quin illo possint frui nunc, postquam illius notitiam habent, ut tradit Rodriqu. &c.* hujusmodi Clausula (ut patet) est ad litteram Privilegium nostrum, ergo verum ex doctrina *Portel. &c.*

PRIVILEGIUM XXXV.

Qui credito ludit, & perdit, omninò ignorans quod ex Beneficio legis, non tenetur solvere, liberatur ab obligatione solvendi, & si ex ejusdem legis ignorantia solvit, potest solutum recompensatione, vel alia via recuperare.

1206 LUdus, alearum præsertim, ac proindè quicumque alius id genus fortunæ subiectus, utroque jure prohibitus est (ut notat etiam *Sotus de Just. l. 4. qu. 5. ad ar. 2.*) Clericis videlicet, jure Canonico, ut patet, *cap. Clerici 2. de vita, & honestate Clericorum*, ubi iisdem præcipitur expresè abstinere à ludis: *Ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint*. Ubi *Glossa Verbo ad aleas*, sic: *Sed numquid potest repeti, quod perditur in aleam? Dicunt quidam, quod non, sed pauperibus est eroganda pecunia illa, non sanè, nam cum turpitudo versatur ex utraque parte, melior est conditio possidentis. Alii dicunt, & melius, quod possit repeti*. Laicis verò Civili Jure prohibetur: ut videre est *leg. Alearum usus, C. de Religiosis, & leg. Solent, ff. de Aleatoribus*. Et præterea particularibus Regni alicujus legibus. Hæc autem prohibitio (ut advertunt etiam *Sotus art. c. in princip. & Sanch. de Matrim. to. 1. l. 6. disp. 38. à nu. 32.*) Ejusdem esse generis videtur, quo pupilli vetantur sua alienare bona. Et in odium ludi indicta fuit hujusmodi prohibitio, & præfatæ leges sancitæ, & meritò, nam in ludo tot coeunt vitiorum genera, ut ob id sit dominiorum per ipsum translatio sanctissimè interdicenda. Quoniam ut habetur eadem lege *Alearum*, licet res esset antiqua, prodit tamen pro tempore in lachrymas, quidam enim ludere nescientes, proprias substantias perdidere, consequenter postea ex hac inordinatione ad blasphemias prompti fuere. Et præterea, qui ludit, tam suorum profusus est, ac prodigus, quam alienorum avidissimè cupidus: generat enim ludus insatiabilem lucrandi sitim: quod adeò ad avaritiam attinet, ut in furtum vertere videatur. Unde *Arist. 4. Ethic. cap. 1.* Aleatores componit cum latronibus, deque avaritia infamat, & illiberalitate: quippè qui ab amicis eripiunt, quod potius illis elargiri deberent. Quoniam autem ex verbis *legis c. Aleatorum, C. de Relig.* habetur, quod si contra factum fuerit, idest, si quis ludo fuerit quidpiam lucratus, nulla æquatur condemnatio, qua scilicet cogatur, qui perdidit, solvere: quod si solverit, solutum reddatur (limita hic cum *Soto l. c. & cum Sanc. disp. c. 38. sub. nu. 34. Vers. Ad primum*, nisi perdens per ludum, nolit uti eo Privilegio, & velit perditum tradere, quod jure naturę potest, imò præcisa lege debet) & præter citatas, extat etiam postea lex *Matriti*, apud eundem *Sotum art. c. propè finem*, ut nemini liceat in creditam pecuniam ludere, qua non solum prohibetur executio cujuscumque obligationis, & promissionis, verum etiam ejusmodi promissiones, & obligationes pronunciantur omninò nullæ, ac cassæ. *Ubi non solum in foro exteriori, verum & interiori prohibetur, ut reor* (ita *Sotus* de hac lege Hispana in particulari) *translatio dominii, sicut in actione pupilli. Quare qui promisit, non tenetur solvere, & si solverit, alter in conscientia ante repetitionem tenetur restituere. Neque valeret, si ludens legi renunciaret, quoniam data est, non solum in favorem illius, sed, & in bonum commune. Posset tamen fieri libera donatio, quamvis semper suboleret fraudem*. Hęc *Sotus*. Hisque hactenus suppositis.

1207 Affirmat propositum Privilegium, quod si degens quis, ubi adhuc subsistunt præfatæ leges, credito ludat, & perdat, ignorans omninò, quod ex Beneficio earum non tenetur perditum solvere, liberatur ab obligatione solvendi; & si ex earundem legum ignorantia solvit, potest solutum repetere, imò recompensatione, vel alia via recuperare. Quod Privilegium, quo ad omnes sui partes probatur. Nam quoad primam, patet, quod videlicet ludens credito, non teneatur solvere pecuniam, quam amisit in ludo, quia id habet à recitatis legibus. Quo etiam supposito tanquam certo à *Sanch. in Conf. lib. 1. cap. 8. dub. 4.* Inquirit: *An si is, qui pecunia credita amisit in ludo, solvat pecuniam amissam lucranti, teneatur hic restituere illam pecuniam sibi solutam, & reddere solventi, juxta leges hujus Regni Hispaniæ*. Quo verò ad secundam partem, scilicet, quod possit, qui credita pecunia lusit, repetere pecuniam amissam, solutam cum ignorantia legis, per quam ab hujusmodi solutione deobligatur, item patet, quia si uti victus, & ex vi ludi solvit deperditum, ad quod causa legis deobligantis non tenetur, solvit utrique victori ex ignorantia, quod huic non debet, & si non debet, competit ipsi consequenter, & ex sua natura, actio repetitionis: non enim in hujusmodi solutione titulus, seu intentio, vel animus donationis præsumi, aut introduci (nisi gratis) potest: præterquam, quod donatio per omnes ignoranter facta (ut in hoc casu) non tenet, hinc nec obstat juri, nec actioni repetiti-

petitionis: hæc videntur certa.

1208 Tota difficultas sistit circa tertiam, & ultimam hujus Privilegii partem, an videlicet, si victus, quod perdidit ex Beneficii legis ignorantia lucranti jam tradidit, possit traditum recompensatione, vel alia via occulta subripiendo recuperare. Negat *Sanch. dub.* 4. *c. n* 3. cum aliis Doctis Magistris in eodem *nu.* 3. citatis: ubi dicit, *hanc sententiam negativam esse veram, licet solvens ignoret, se non teneri solvere*. Quam negativam probat, quia leges non irritant contractum ludi, sed tantum promissionem solvendi; quod est dicere, non tenetur, qui amisit, implere promissum, & solvere (ut, & nos in hoc Privilegio fatemur) at non ponitur aliquod verbum, quo importetur impediri translationem dominii, cum sit lex pœnalis, & non extendenda. Nec obstat argumentum in contrarium: quod scilicet qui lucratus est, nullum jus habet ad lucrum, consequenter si alter solvat, tenetur restituere, quia respondet, non habere jus ad illud lucrum ante solutionem, quia promissio est cassa per legem, & sic qui amisit, non tenetur solvere, at post solutionem, qui lucratus est, jus habet ad retinendum, cum nullo jure hujusmodi retentio prohibeatur. Unde non tenetur restituere, nisi vocatus in judicium, & condemnatus. Sicut juxta opinionem *Soti lib.* 4. *de Just. q.* 5. *art.* 3. & aliquorum aliorum, legatarius, qui recepit legatum in minus solemni testamento sibi relictum, non tenetur illud restituere, licet hæres non teneatur illi solvere hoc legatum.

1209 Eandem negativam sequitur *Emin. de Lugo de Iustit. & Iure to.* 2. *disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 67. affirmans, & ipse, *sententiam hanc esse veram, & licitè accipi, & retineri à lucrante, si ei solvatur:* pro qua etiam alios Doctores affert, qui loquuntur non solum de Jure communi, sed etiam de Jure Hispano, in quo leges clarius loquuntur, & prohibent ludum pecunia credita, etiam si ludus alioquin non sit prohibitus. Et eandem suæ assertionis rationem adducit idem *Emin.* quam producit *Sanch.* quia videlicet, licet leges irritaverint promissiones, & liberaverint victum ab obligatione solvendi, numquam tamen irritarunt translationem dominii, si lucretur. Nec (addit) fortasse expediebat, quia nobiles, ut fidem datam, & honorem suum liberarent ab omni nota, adhuc solverent, & lucrantes acciperent, nec lex talis deserviret, nisi ad illaqueandas conscientias subditorum. Quoniam verò, hæc *d. Eminentiss.* ratio, supponere etiam potest legis scientiam in eo, qui credito ludit, & Privilegium suum agnoscere non solvendi perditum, cui credere videatur dum solvit, *nu. seq.* 68. Petenti, an quod ipse hic asserit, locum habeat; quando solvens ignorabat, se non esse obligatum ad solvendum: videtur enim tunc ex errore solvere, atq; adeò non transferre dominium. Respondet, ex hoc capite non debere inijci scrupulum accipienti: tum quia talis error communiter non præsumitur, cum omnes communiter sciant, non esse obligationem solvendi, quod credito luditur ludo prohibito: tum etiam, quia semper manet præcipuus titulus, qui victum movet ad solvendum, nempè ut liberet fidem humanam, quam dedit, & ne inconstans, & infidelis reputetur in verbis, quare habet animum implicitum donandi, casu quo non debeat ex justitia. Verum

1210 Pace tantorum Virorum, oppositum sentio, idest sentio adhuc pro integritate propositi Privilegii, cum *Soto art. cit.* 2. *column. ult. ante responsionem ad argumenta* (ubi habet supra relata verba) *Comitolo lib.* 3. *Responsion. Moralium, Tit. de lucro, & ludo Alearum qu.* 9. & 10. *Januario to.* 2 *de Casibus reserv. ref.* 100. *à nu.* 2. & aliis. Dicoque, quod qui pecunia credita, pactaq; & non posita, ludit, & perdit, ignorans quod ex Beneficio legis non teneatur solvere, quod amisit, & perdidit, nedum si solvit (cum tali ignorantia) habet actionem ad solutum repetendum coram Judice si velit; verum etiam potest illud occulta recompensatione, vel alia via tuta conscientia recuperare. Pro cujus dicti, ac Privilegii intimiori notitia, & probatione.

1211 Supponendum est, cum *Jo: Salas de Legib. disp.* 16. *sect.* 8. *sub nu.* 20. *Vers. Item ludus. Lessio de Justit. libr.* 2. *cap.* 26. *dub.* 3. *n.* 17. & communi Doctorum sententia apud eosdem, quod, & si ludus alearum simpliciter, & directè, ac secundum suam substantiam sit prohibitus, tamen acquisita ludo etiam prohibito, retineri possunt, nec restitutioni obnoxia sunt ante Judicis sententiam restituere jubentis. Patet hoc, quia contractus ludi jure naturæ, per D. D. etiam communiter, habet vim transferendi dominium: ex eo autem, quod idem ludus, sit vetitus, non impeditur translatio dominii, neque jure naturæ, neque jure positivo: Non jure naturæ quia, & si contractus aliquis sit prohibitus, vel etiam jure naturæ illicitus, non ob id naturalis ratio dictat esse irritum, ut constat in Matrimonio contracto ab habente ante

ipsum

ipsum castitatis patratum votum; vel post sponsalia cum alio, vel alia inita: in venditione rei, quam Deo uovisti: in promissione Meretrici facta pro usu corporis, &c. aliud enim est, contractum esse vetitum, seu illicitum, & aliud esse irritum, seu carere vi obligandi, multa enim illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent. Sed neque positivo *Jure Cesareo* (de qno Doctores loquuntur) quia Jus illud [ut advertit etiam inter alios *Lessius dub. cit. 3. n. 18.*] nusquam irritum reddit talis ludi contractum, nam in *leg. Alearum, C. de Aleatoribus*, de quibus præsertim dubitari posset, sic habetur (quod, & refert idem *Lessius eodem n. 18.*) *Nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in specie, & si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio* (idest victus non cogatur solvere) *sed solutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint, vel eorum hæredibus, aut his negligentibus, à Patre, aut Defensoribus illius Civitatis, vel recipiat fiscus, non obstante quinquaginta annorum præscriptione*. In Græco verò textu, sic habetur: *Victum in aleæ usu non posse conveniri, & si solverit, habere repetitionem, tam ipsum, quam hæredes ejus, adversus victorem, & ejus hæredes; idque perpetuò, etiam post triginta annos*. Hæ leges, ut ex earundem verbis constat, non reddunt irritum ludi contractum, nec efficiunt ludentes inhabiles ad dominium transferendum; sed solum concedunt perdenti repetitionem, quod Doctores passim intelligunt de repetitione in Judicio, ut per sententiam Judicis recuperetur amissum. Unde inferunt, non sufficere, ut petitio privatim fiat, aut etiam fiat in judicio, nisi sequatur condemnatio, qua victor jubeatur restituere, ante hanc autem victorem non teneri restituere. Ita *Covarruv.*, *Castro*, *Medina* aliique, apud, & cum *Lessio n. 18. cit.* At nos hic, & in proposito nostro Privilegio loquimur de lege, quæ prohibet cuicumque in creditum pecuniam ludere, & quæ si non irritat contractum hunc (quod saltem dubium est, ut infra) declarat tamen irritas, & nullas quascumque promissiones, obligationes, & fidejussiones, quæ in hoc præstantur, de qua lege hujusmodi promissiones, & obligationes irritante, loquuntur pariter expressè relati *Sanchez, & de Lugo l. l. c. c.* ut videre est apud ipsos. Cujus etiam legis mentionem facit *Navarrus in Summ. Cap. 20. sub nu. 17. Vers. Ad quintum*, ut sequitur: *Ludens sub fide sua non iurata, non peccat in Regnis Hispaniæ non solvendo, quia Divæ Memoriæ Carolus Quintus in Comitiis Mantuæ Carpentanæ, sive Mandritii Anno 1518. vetuit ne luderetur sub fide solvendi, etiam ludis licitis, qualis est pilæ, simul irritas declarando quascumque promissiones, obigationes, & fidejussiones, quæ ad id præstarentur. Quod ipsum esse servandum, etiam in alis Regnis Jure communi asseruit probare Adrianus, quod efficaciter videtur Didacus, &c.* Hæc *Navarrus*; à quo non differt *Sotus colum. ultima cit.* in qua, & ipse sic: *Edita fuit lex Matriti, ut nemini liceat in creditam pecuniam ludere, qua non modo prohibetur executio, cujuscumque obligationis, & promissionis, verum etiam ejusmodi promissiones, & obligationes pronunciantur omninò cassæ, & nullę, &c.* Eadem habes apud *Comitolum qu. 9. c. sub n. 6.* Quibus suppositis.

1212 Probatur Privilegium, etiam quo ad tertiam, & ultimam sui partem, imò quo ad omnes simul, & ad hominem. Quia ex concessione, & admissione eorundem *Sanch. & de Lugo* leges de quibus ipsimet, & nos hic, irritant quascumque promissiones, & obligationes, quæ oriuntur ex ludo, de quo est sermo hic, cum ergo ludus, ut sic sit contractus dandi rem promissam victori, & talis ludus (de quo hic) sit sine obligatione dandi rem promissam victori, caret consequenter talis ludus partibus suis essentialibus: ludus enim credito esset sic, contractus inter plures non dandi rem promissam victori, ergo si ex ignorantia legis detur à victo, potest repeti, & tuta conscientia recuperari recompensatione, vel alia via occulta, ut in Privilegio. Confirmatur, quia si victus ex vi hujus ludi non tenetur adimplere, quod promisit, victor non habet jus exigendi promissum (sic etiam arguit *Januarius ref. cit. n. 3.*) quia jus, & debitum sunt correlativa. Si ergo jus, & debitum in hoc ludo extincta sunt, quantum est ex vi hujus ludi, impeditur translatio dominii non simpliciter ex alio titulo, sed ex titulo lucrativo ludi. Hinc meritò *Sotus column. ultim. cit. in princip.* ait: *Cum in hoc ludo prohibeatur executio cujuscumque obligationis, & promissionis, non solum in foro exteriori, verum, & interiori prohibetur, ut reor, translatio dominii, sicut in actione pupilli. Quare qui promisit* (maximè, ut in casu nostro, scilicet ex ignorantia legis) *nec tenetur solvere, & si solverit, alter in conscientia ante repetitionem tenetur restituere. Neque valeret, si ludens legi renunciaret, quoniam data est, non solum in favorem illius, sed & in bonum commune. Posset tamen fieri libera donatio, &c.* Igitur verum propositum Privilegium. Quod insuper.

1213 Pro-

1213 Probatur secundò cum eodem *Januario l. c. num.* 4. Quia vel credito ludens habilis est ad sic, & taliter contrahendum, vel à lege positiva inhabilitatus est, sicut inhabilitatus est Filius familias, Religiosus, Servus, &c. Si est habilis, contractus est de jure gentium, consequenter lex positiva non potest illum annullare. Nec valet, si dicas, quod sit in pœnam delicti, quia delictum est, quod lusit credito, & victor reportaret pœnam, non victus: pœna autem justa esse debet, & pro utroque: at si esset pœna, sequeretur ipsam luere, qui pecunia præsenti luderet: qui verò credito luderet, & culpam committeret, commodum ex ipsa, & ex delicto reportaret, & non pœnam, dum suum recuperaret. Vel est inhabilis ad contrahendum, & dum sic contractus sit nullus, utpotè factus ab impotente contrahere, potest consequenter tuta conscientia suum recuperare: quia ex contractu nullo, nulla oritur obligatio. Et hic obiter nota non deesse Doctores, (ut videre est apud *Molinam de Just. to. 2. disp.* 515. *n.* 8. *Vers. Quo ad secundum*) qui velint, hujusmodi contractum esse nullum, & irritum, nullumque dominium, vel jus ex ipso comparari posse à victore, & recipiente, perseverante dominio rei apud dantem, ita ut accipiens continuò teneatur in foro conscientiæ restituere acceptum eidem danti: Quia illæ leges nullum videntur, ac irritum eum contractum efficere, dum nullas, irritasque faciunt promissiones, & obligationes ad solvendum id; quod credito fuerit amissum.

1214 Ad fundamentum *Sanch. de Lugo*, & aliorum, dico cum *Januario n.* 5. quod si victor jus non habet ad solutum ante solutionem, quomodo post solutionem habere potest? Titulus enim hujus possessionis, vel est ludus, & hoc non, quia jus promissionis hic non habetur ex vi ludi, nec haberi potest causa legis annullantis quamcumq; promissionem, & obligationem: vel est alius titulus, scilicet præsumpta donatio? at non sumus in casu, quia donatio, ut supra, & per omnes, ignoranter facta non tenet. Adde, quod si ex vi donationis, ergo non ex vi ludi. Adde insuper, quod jus retentionis, supponit jus acceptionis, formaliter saltem, numquam enim jus retentionis potest esse licitum, si jus acceptionis sit illicitum, nisi nova causa, aut cognitione superveniente.

1215 Ad exemplum adductum ex *Soto*, facilis est responsio, dicimus enim, quod legatarius in testamento minus solemni potest recipere legatum, quia favor in tali testamento factus est hæredi, quando autem hæres juri suo vult cædere, & favori proprio renunciare, huic nulla fit injuria, dum ita vult, & scit legatum esse minus solemniter factum. Dicendum verò secus est in casu nostro, in quo solvens nullo modo scit, se non teneri ad promissum in ludo factum. Confirmatur, quia per *Sanch. dub. cit.* 4. *n.* 6. si victus solvat numos perditos vi ludi pecunia credita, & in solvendo habeat animum non solvendi, sed pudore, vel alio respectu solvat cum animo recompensandi, potest utique se recompensare, quando ei suppetat facultas: ergo à fortiori si solvat ex vi ludi cum ignorantia deobligationis solvendi. Si namque animus non solvendi eos numos ex vi ludi, sufficit, multo magis sufficiet ignorantia deobligationis. Item, per *Lessium*, *Salas*, & alios, quos refert, & sequitur *Eminentiss. de Lugo l. c. n.* 65. Esto etiam, quod victus renunciasset facultati petendi restitutionem, vel promisisset non petere, adhuc eam petere posset, quia (inquiunt) simplex cessio non privat jure, quod ei lex tribuit in favorem boni communis, quia alioquin facillimè lex redderetur inanis: omnes enim qui ludunt, promittunt solvere, & ad hoc ipsum facta est lex (inquit *de Lugo*) ut non obstante promissione solvendi, non cogatur solvere. Unde (concludit *Eminentiss.*) *Quando etiam victus promisisset solvere, non obstante Beneficio legis, videtur posse uti ejus Beneficio, quia lex universaliter concedit repetitionem soluti, & non potuit ipse vim legis enervare. Si tamen illa promissio fieret post factam solutionem, videtur valida, & irrevocabilis; quia tunc videtur esse nova donatio gratuita, & nihil habens commune cum ludo, quare sicut posset validè donare aliquid aliud, sic videtur posse tunc validè condonare ius, quod habet ad petendam restitutionem*, ita *de Lugo*. Si ergo per hunc Eminentiss. Doctorem (& alios) non tenetur victus solvere ex vi ludi, neq; cum scientia Beneficii legis, multò minus tenetur ex vi ludi ejusdem, & promissionis (etiam juratæ) cum ignorantia deobligationis solvendi, ut ex se patet. Quod si victus in ludo intelligit dare victori (ut innuit idemmet *de Lugo*) alio titulo non habente quid commune cum hoc ludo, neq; ex vi ejusdem, idest, titulo gratuitæ donationis, liberalitatis, compensationis, &c. potest utique victor illud recipere, & receptum tuta conscientia retinere, ut clarè constat, & concedit etiam *Januarius in calce resolutionis citatæ num.* 9. at sic sumus

extra

extra casum Priuilegii nostri, ut etiam dicimus supra.

PRIVILEGIUM XXXVI.

Acta in Capitulo in quo quis ex Capitularibus inhabilitate aliqua affectus est, si hæc occulta sit, atque ab aliis Capitularibus probabiliter ignorata, valent, nec irrita sunt: ut electiones v. g. & cætera quæ fiunt in Capitulis Religiosorum.

1216 INhabilitas ad votum, & suffragium suum ferendum, seu ad eligendum in Capitulis, provenire potest in Capitularibus vel ex aliqua censura, excommunicationis majoris vedelicet, seu suspensionis, aut ex delicto aliquo, vel ex alio titulo: & hujusmodi inhabilitas (unius, seu plurium electorum) potest esse publica, aut occulta. Si publica est, Electio in qua scienter admittuntur à Capitulo sic inhabiles, nec eiiciuntur si fieri potest sine scandalo: & si eiici nequeunt admittuntur sine protestatione, quod eos non admittunt ad jus ferendum, votandum & eligendum, uti jus, nequæ vocem habentes ad electionem, electio irrita est, inanis, ac nulla: *cap. Ad evitandum. cap. Constitutus. cap. Illa quotidiana, & ibi Glossa.* Et apertè *Innocent. & Panormit. in cap. 2. de postulat. Prælat. Sylvius verbo electio p. qu. 4. Suarez de cens. disp. 14. sec. 2. à n. 6.* præsertim *n. 17. & 18. & To. 4. de Relig. lib. 2. cap. 4. n. 9.* (Ubi, Quod ut electio sustineatur, *Conditio generalis assignari potest, ne elector non sit per excommunicationem, vel aliam similem censuram, aut Ecclesiasticam inhabilitatem suspensus à munere eligendi, quod generale est omnibus Electionibus Ecclesiasticis*) *Sigismundus à Bononia de elect. par. 2. cap. 3. dub. 63. n. 5. fol. mihi 251.* (Ubi testatur de communi) *Leza. in Sum. tom. 1. cap. 15.* (Ubi *n. 5.* Quod Electores liberi esse debent à censura, impedimento Canonico, privatione vocis, aut inhabilitate ad munus eligendi, aliàs peccabunt mortaliter, etiam si talis inhabilitas sit occulta. Quod & docent communiter.) *& to. 2. cap. 12. n. 29.* (addens in fine, *se scire aliquos velle solum verificari*, quod scilicet electio sit nulla, *in casibus à jure expressis, idest de excommunicato in cap. fin. de procur. & in cap. Massana de elactionib. De Laico.* ipse tamen *Lezzan.* concludit: *sed verior, & communior sententia est, quod in omni casu electio in qua scienter admittuntur inhabiles modo dicto, est irrita & nulla*, sic *in fine n. c.*) *Peyrin. de Subdito qu. p. cap. 31. §. 6. Vers. dico 2. & de Prælato qu. 2. cap. 25. n. 14. Pellizzar. in Man. to. 2. tract. 9. cap. 8. sec. p. qu. 37. n. 44. Tamb. De Iure Abbat. to. p. disp. 5. qu. 8. n. 11. Antonius à Spir. Sancto in Direct. Regular. par. 3. tr. 5. disp. 2. sec. p. à n. 22.* aliique communiter.

1217 Nota tamen hic cum *Lezza. n. c. 29.* quod quando admittuntur inhabiles, majori parte Capituli illorum inhabilitatem sciente, & est potestas in Capitulo ad dispensandum cum illis, valida est electio, quia censendi sunt virtualiter dispensari ab ipso Capitulo, ac per consequens validè elegisse. Ad quod optimè deseruit doctrina quam tradit idem *Lezza. to. p. cap. 18. n. 63.* De Prælato conferente alicui illegitimo aliquod Officium, sciens enim Prælatus subditum habere tale impedimentum, & conferens Officium censetur super illo dispensare si potest. Deservit etiam taciturnitas Ordinarii ac Episcopi videntis aliquem coram se Confessiones excipere, & tacet, ac tolerat; ipsa enim tolerantia, & taciturnitas videtur præsumere licentiam illi dare, atq; jurisdictionem per ratihabitionem de præsenti conferre, ut communis fert Doctorum sensus, praxisque frequens communiter recepta. Sic ergo etiam dicendum videtur in præsenti de Capitulo scienter admittente inhabilem, quem potest dispensare, censendum enim est, hunc eundem virtualiter dispensare, aliter eiiceret, eidemque se opponeret. Sed

1218 *Suarez De Cens. sec. 2. cit. à n. 8.* (quem sequitur *Sigismundus à Bononia l. c. n. 8.*) Distinguendum esse ait de Electione: Nam interdum ita fieri hæc debet à multis, ut omnium consensus, & conformis, requiratur ad electionis valorem, & ita, ut valor ejusdem ab omnibus, & à singulis dependeat: Si electio est hujusmodi, & omnium suffragiorum consensus necessarius est, non potest utique esse valida, si vel unus eligentium excommunicatus est, & inhabilis. Quod clarè probatur, quia si unus dissentiret, electio esset nulla: Ergo & eadem ratione, si unius suffragium invalidum est, erit electio nulla. Addit tamen hoc non procedere nisi simul cum consensione suffragiorum certus eorum numerus requiratur: si namque numerus non sit definitus, sed solum requiratur concordia eorum, qui ad electionem conveniunt, siue plures, siue pauciores esse contingat, tunc si de facto omnes in uno eligendo conueniant, non est cur electio sit irrita, & si unus electorum excommunicatus sit, quia inde solum fit, ut veri, & habiles electores, sint numero pauciores: non tamen ut

non

non sint concordes. Unde, sicut si unus abesset, nihilominus electio esset valida; ita etiam si unus sit excommunicatus, non est cur ex hoc præciso capite sit inualida, nisi alio speciali jure irritetur. Quandoque uerò electio (& est alterum electionis membrum, quod assignat *Suarez*) nec certum numerum eligentium, nec omnium consensionem postulat, sed solum majorem, aut duas partes suffragiorum: si ex parte electi tantus sit numerus suffragiorum, ut quamvis adjungantur, qui excommunicati sunt, & tanquam inhabiles reiiciantur, & adhuc supersit sufficiens numerus ad electionem complendam, valida est, non obstante excommunicatorum interventu, quia licet istorum suffragia nulla sint, cætera tamen quæ supersunt sufficiunt ad eligendum. Nanque si abfuissent excommunicati illi, cæteris eodem modo suffragantibus, electio facta, fuisset valida: Ergo quamvis ad fuerint ipsi, cum ad valorem electionis nihil conferant, nec necessarii sint, non possunt per se, & ex natura rei loquendo, invalidam electionem reddere, siue illa publicè, siue secretò fiat, dummodo satis constet tantum fuisse suffragiorum numerum, ut excommunicatorum, & inhabilium auxilium, seu concursum non requirat: ita *Suar.* cui etiam subscribit *Bordonus Resolutionum par.* 2. *ref.* 61. *n.* 38. & 39. dum ibi sic: *Quia cæteri Vocales legitimi per se (ut supponitur) sufficienter poterant validam producere electionem, ergo frustatoria fuit datio suffragii illegitimi. Neq; enim ratio suadet, ut si suo Voto nulla ratione poterat prodesse eligendo, neque eodem obsuerit sine quo, sive legitimo, sive non, poterat sequi electio. Ad obiectionem de excommunicato evitando, concurrente cum aliis: Dico, sive scienter, sive ignoranter, seu ex violentia admittatur, ejus votum non inficere electionem adhibita cautione, & diligentia, quod non fuerit necessarium ad electionem factam, eo quod electus habuerit omnia vota legitima præter illud votum excommunicati, cujus suffragium, uti non bonum, reiicitur, nec computatur comparativè ad majorem partem pro consequutione electionis validæ.* Hucusque *Bordonus*. Non admittens *n.* 39. limitationem *Richardi in* 4. *dist.* 18. *art.* 7. *qu. p. ad* 3. (quam refert etiam *Suar. sec. c.* 2. *n.* 12. *in fine*) opinantem, traditam doctrinam procedere solum in casu, quo excommunicatus concurrit aliis ignorantibus, aut scientibus, sed contradicentibus. Nam (inquit *Bordonus*) adhibita cautione ex qua constet electum habere omnia vota necessaria ad valorem electionis, sive procuraverint alii Vocales reiicere excommunicatum, sive non, & sciverint illum esse excommunicatum, eadem ratio militat in omnibus casibus. Neque enim ratio suadet, ut si quis suo voto nulla ratione poterat prodesse eligendo, neque eodem obsuerit, sine quo sive legitimo, sive illegitimo sequi poterat electio valida. Et si in contrarium allegantur *Textus*, isti intelligendi sunt (ait *Bordonus*) quo ad Votum excommunicati necessarium ad valorem electionis, seu alterius negotii, non quando superfluum est, quod patet ex *Cap. fin. de Procuratorib.* & *Cap. Ad probandum de Sent. & re judic.* in quibus illi Jurati, & Judices necessariò concurrebant ad illud mandatum procuratorium, & sententiam; ideo utrumque fuit declaratum nullum. Videatur *Abbas in Cap. Cumana in fin. de elect. & in Cap. ultim. de Procuratorib. n.* 3. ubi latè tractat hanc quæstionem, an inhabilitas unius electoris, reddat nullam totam electionem; vel sustineatur propter habiles, quæ etiam generalis est. Verum

1219 Quia præter *Richardum* tot alii initio hujus Privilegii relati, aliique plures, qui brevitatis gratia omittuntur, oppositum sentiunt expresse, ut constat, quod videlicet Inhabilitas ad suffragium ferendum, & ad eligendum in Capitulis, si publica est; scienterq; Capitulares admittunt inhabiles, nec eiiciantur si fieri potest, vel admittuntur sine protestatione, si iidem nequiunt eiici, acta non valent, & electio nulla est, inanis, & invalida: in gratiam hujus sententiæ, & opinionis (quam vide optimè, & per extensum cum suis citationibus traditam à *Petro Maria Passerino de electione Tit. de Eligentium Conditionib. cap.* 10. *à n.* 64. *usque ad finem Capitis, à fol. mibi* 199. *usque ad fol.* 212. *& numerum* 145. *inclusivè.*) Dicit nostrum propositum privilegium, Acta, & Electiones valere, atq; sustineri, si occulta sit inhabilitas, & probabiliter ignorata, cui privilegio subscribunt supra citati: *Innocentius, Panormitan. Sylve. Suar. Sigismu. à Bononia, Pellizzarius, Lezzana, Peyrinus, Tamburin., Anton. à Spiritu S., Passerin. l. l. c. c. Leander par.* 4. *tract.* 2. *disp.* 10. *qu.* 11. & quos alios referunt *Passerinus l. c. n.* 67. *aliique*. Et ratio assignatur, quia si censura, & inhabilitas Ecclesiastica occulta sit, ideoque ignorata ab aliis Capitularibus, defectus unius, vel aliquorum nocere non debet Capitulo id ignoranti, ut advertit etiam *Navarr. lib.p. Consilio. de Electione, Consil.* 9. *Vers. Respondeo quod, num. p.* Ubi, *Quod defectus Clandestinus*

nus unius de Capitulo, non debet nocere Capitulo id ignoranti, Cap. fin. Cum eo ad notat. de procurat. neque actui ab eo alias legitimè facto. Pro regula enim tenendum est. *Utile, per inutile non vitiari, Regula* 37. quæ (ut optime docet, & probat in suo Eruditissimo, & nunquam satis laudato *Tractatu De Regulis Juris Raymundus Nidus Regula* 37. *Versu Amplia primo, nu.* 24. *fol. mibi* 256. *colum. p.*) Valet in specie in Electione, sicque, nec in præsenti inhabilitas unius, vel alterius patet. Quod & affirmat *Suar. n.* 9. *c. de Religione*, ubi expresse sic: *Quando alii non consenserunt, nec voluntariè admiserunt excommunicatum, vel alium similem, cujus defectum supplere non poterant, tunc conspiratio reddet vitiosam totam electionem, non vero privata malitia unius.* Nam (ut aliqui etiam apud, & cum *Pellizzar. l. c. n.* 43.) cum in negotiis universitatis tota potestas resideat in his, qui habiles sunt, propterea estò alii inhabiles ignoranter admisceantur, ii, qui sunt habiles, totum Capitulum, illudque legitimum repræsentare possunt, & consequenter valida sunt ipsorum gesta, & acta, non obstante associatione inhabilium. Quod docet etiam *Passerinus nu.* 64. *c. in princip.* dicens: Sicut in aliis Electoribus legitimis defectum inhabilitatis ignorantibus, non est culpa, ita nec gestum per ipsos est invalidum. *Sed tunc* (addit & ipse cum *Richardo*) *videndum an excluso suffragio excommunicati* (& inhabilis) *ex aliis suffragiis legitimis, electus tot obtinuerit, quot sunt necessaria ad valorem electionis, alias non valeret electio.* Quod totum, cum subscriptione hujus privilegii, vide confirmatum à *Fagnano in* 2. *par. primi Decretalium Tit. De Electione, Cap. Massana n.* 11. *fol. mibi* 113. *& nu.* 31. *fol.* 115. ubi pariter concludit ita: *Electio igitur alias utilis, idest à duabus partibus Collegii Canonicè celebrata, per inutilem Scbedularum adjectionem vitiari non debet, ex Theorica Innoc. in Cap. Illa, n.* 2. *Verf. Imò plus dicimus.* Supponit autem *Fagnanus*, ut expresse idemmet *num. sequ.* 32. (cum eodem *Innocent.*) Quod Collegium, seu Capitulum, ignoranter admiserit inhabiles ad coeligendum, ob idque sustineatur electio. Et rationem diversitatis ibi cum eodem, & ex eodem *Innocentio* assignat; Quia videlicet ubi admittuntur inhabiles scienter, electores videntur nolle sine iis procedere, sed potius, ut actus sumat vim ab omnibus, ideoque non valeat quod agitur, quia quod possunt nolunt, & quod volunt adimplere nequeunt *Cap.* 6. *Cum super, De Officio deleg.* At verò ubi inhabiles admittuntur ignoranter, principalis intentio eligentium est eligere omni meliori modo, sive cum aliis, sive per se tantum, si alii de Jure interesse non possunt, ut *l. Eum qui, §. si in Curiam, & §. seq. ff. de injur.* ita *Prosper Fagnanus l. c.* Sed super hac eadem difficultate. Vide etiam *Suar. de Cens. sec.* 2. *cit. à nu.* 15. Occasione autem hujus privilegii.

1220 Quæres primo. An, & qualiter absolvi debeant à censuris, & pœnis Ecclesiasticis Electores, & Religiosi Capitulares antequam Capitulum inchoetur, & electio, seu actio Capitularis sequatur? Respondeo debere utique absolvi, & etiam tenore, ac tempore (ut advertit pariter *Pellizz. in Man. to.* 2. *tract.* 9. *cap.* 8. *sec. p. qu.* 33. *n.* 42.) quo præscribunt unius cujusquæ Ordinis Constitutiones, & Statuta. Sic *Lezan. to.* 2. *summ. cap.* 12. *sub nu.* 55. *verf. Deinde pro majori.* Dicit, in *Ordine Carmilitarum* formam absolutionis Vocalium adhiberi cum clausula, ut sequitur: *Ego N. In quantum Regularium privilegia se extendunt, absolvo vos à quavis sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & à quibusve aliis sententiis, pœnis, & quatenus opus sit dispenso vobiscum super quavis irregularitate (exceptis censuris, sententiis, pœnis, & irregularitatibus ob defectus ad electiones faciendas in isto Capitulo pertinentes contractis, vel ad forum contentiosum deductis) ad effectum legitimæ electionis, Vosque legitimos vocales declaro. In Nomine Patris &c.* Sic etiam in *Constitutionibus nostris Theatinis par.* 3. *cap.* 2. *n.* 14. pariformiter habetur: *Præses, accepta ab eo qui primum locum post se obtinet absolutione, det ipse cæteris omnibus absolutionem generalem à censuris omnibus ad hunc Canonicæ electionis effectum.* Hinc formula absolutionis adhibendæ in nostris Capitulis Generalibus præscribitur sub sequenti forma quæ habetur in *Rituali Theatinor. pag.* 223. *Authoritate Omnipotentis Dei, mibi per sedem Apostolicam concessa, ego vos omnes absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti; & à quibuscunque aliis sententiis, censuris, & pœnis, & dispenso vobiscum in omni irregularitate, quam quomodocumque incurristis, & super quocumque impedimento, quantum possum, & vos indigetis, ad hoc tantum, ut quæ in præsenti Capitulo à vobis fient, recta, & firma esse valeant. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Et sic etiam in *Constitutionibus Societ. Jesu par* 8. *n.* 6. (ut refert idem *Pellizzar. n. c.* 42.) dicitur: *Det autem omnibus absolutionem generalem ab omnibus censuris ad hunc Canonicæ electionis effectum.* Additurque ibi in *Declarat. lit. E. Absolvit*

solvit ab omnibus censuris, quas non incurrissent propter defectus ad hanc electionem pertinentes. Et in *Constitutionibus Augustinianorum Discalceatorum Italiæ cap. 2. n. 6.* habetur: *In loco capituli surgens Præsidens absolvat ad cautelam à censuris Vicarium Generalem, & reliquos Capitulares.*

1221 Et si hic obiter inquiras: An vi præfatæ absolutionis conferri solitæ Capitularibus, tollantur censuræ absolutè, & perfectè, vel ad reincidentiam, ita ut dicta absolutio non sit censurarum ablatio, sed potius dispensatio quædam ad effectum, ut Acta Capitularia sint valida, & non irrita? Respondet *Portell. to. p. Respons. Mor. Cap. p. n. 6. vers. noto 2. fol. mihi 3.* Absolutè vi dictæ absolutionis, censuras, & impedimenta auferri perfectè, non vero ad reincidentiam tantum tolli: ibi enim sic: *Noto quod in Religionibus, maximè Franciscana, in Capitulis ubi solent fieri electiones, Præses Capituli proximè ante electionem solet absolvere, & dispensare, & habilitare omnes electores ibi eligentes, ut illorum Suffragia valida sint. Et pro ista consuetudine adverto primo, quod si aliquis istorum electorum in illo capitulo fuerit electus ad aliquod officium, & antea habebat aliquod impedimentum excommunicationis, irregularitatis, vel inhabilitatis, tale impedimentum sufficienter manet sublatum per illam absolutionem, & dispensationem generalem, ita ut nulla postea dispensatione indigeret. Probatur claro exemplo Episcopi quando confert Ordines, qui ante collationem Ordinum absolvit, ac dispensat in communi omnes ibi existentes, & aufert ab illis omne impedimentum impediens receptionem justam illius Sacramenti. Et hæc absolutio data in communi, & generalis dispensatio, liberat omnes ibi præsentes ab omni impedimento occulto, ut tenet Navarr. conf. 49. n. 12. vers. Ad 2. & Zerola in Prax. par. 2. ver. Ordo. §. 2. solet Episcopus, & seqq. ubi citat cap. solitæ de Maiorit. & obed. Adverto 2. quod ista absolutio, vel dispensatio generalis data à Præside Capituli non prodest absentibus extra Capitulum. Nam Præses Capituli utitur his verbis: Absolvo vos, dispenso vobiscum &c. quibus verbis alloquitur solum præsentes. Unde si qui postea eliguntur absentes in Guardianos, vel similia officia, & habent aliquod impedimentum occultum annullativum electionis, & iste sic impeditus acceptat officium, debet quærere, & procurare remedium juxta Regulas supra positas. Neque enim Præses electionis, dicens, facta electione absentis, ego confirmo istam electionem, per hanc confirmationem dispensat in impedimento occulto electi absentis, sed supponit illum esse verè habilem pro dicto officio obtinendo: & electum confirmare, non est illum dispensare: sunt enim valdè diversa confirmare, & dispensare.* Hucusque *Portell. l. c.*

1222 Huic eidem inquisitioni, ac dubitationi, aliter respondet *Pellizz. l. c. n. 45.* Respondet enim, ex tenore ipso, & forma, seu verbis absolutionis, & dispensationis attentè consideratis deducendum, colligendumve esse, num talis absolutio, & dispensatio absolutè tradatur, atque perfectè. Vel ad effectum tantum determinatum; ut valeant videlicet acta, & electiones Capituli, quæ etiam dicitur absolutio, & dispensatio ad reincidentiam, ut conferri solet in collationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum ex stylo Curiæ, qui emanavit, ut in omni rescripto Gratiarum, & Beneficiorum, semper impetranti detur absolutio generalis, per illa verba, *Teque absolventes à quibusvis excommunicationibus &c.* cum illa clausula. *Ad effectum præsentium dumtaxat consequendum*: Quæ meritò etiam fuit illis addita, quia dicta absolutio, realiter, & in effectu non operatur absolutionem, sed suspendit impedimentum, proveniens ab excommunicatione, quousque gratia effectum suum fortiatur, (ad finem evitandi pericula, & nullitates, quæ frequenter in impetrationibus, & collationibus possent oriri, ex capite censurarum: nam excommunicati, irregulares, & inhabiles, ex quo sunt censuris obnoxii, de Jure Canonico nihil valent rectè impetrare, nec impetratis frui, sine peccato mortali, & obligatione renunciandi, ob impedimentum Canonicum) quousque, inquam, gratia effectum suum fortiatur, quo sequuto, impetrans reincidit in excommunicationem: Ut docet etiam (cum aliis) *Antonius Ricciullus De Jure Personarum extra Ecclesiæ gremium existentium lib. 4. cap. 9. n. 4. fol. mihi 175.* Sub his verbis: *Notandum, quod absolutio prædicta, realiter, & in effectu non operatur absolutionem, sed suspendit impedimentum proveniens ab excommunicatione, quousque gratia sortiatur effectum, quo sequuto, impetrans statim reincidit in excommunicationem. Decius, Rebuffus, Boer. & alii.* Si ergo (respondet *Pellizz. n. c. 45.*) datur absolutio priori modo, idest absolutè, absolutè etiam tolluntur censuræ, & pœnæ, nec amplius reincurruntur; Si verò posteriori modo, de novo incurruntur, statim ac capitularis congressus absolutus est; talis enim est absolventis intentio, & agentium actus ultra eorundem agentium intentionem non operantur. Qua supposita distinctione, & doctrina, quæ optima est.

1223 Respondeo ego, Absolutionem de

qua hic est sermo, & inquisitio, censendam esse non absolutè, sed limitatè datam, hoc est cum reincidentia, vt supra, uti etiam asseritur, ex stylo Curiæ, de quocunque rescripto gratiarum, & beneficiorum, semper videlicet tradita cum Clausula, *Ad effectum præsentium dumtaxat consequendum*, & consequenter cum reincidentia. Ita etiam. *Hyacintus Donatus in Praxi Regulari to. 2. p.p. tract. 4. tit. De Electorib. qu. 44. fol. mihi 53. n. 5.* ubi sic: *Quod dicitur de Rescriptis Curiæ Gratiarum, & Beneficiorum, pariter dicendum est de dictis Electoribus Prioribus, & consimilibus, quia hi omnes absolvuntur à censuris, ad effectum dumtaxat consequendum, nempè Electores ad effectum benè eligendi activè, vel passivè. Priores ad effectum suscipiendi, & juridicè administrandi Prioratum. Igitur censentur absoluti limitatè, & consequenter cum reincidentia (ad quam non requiritur noua culpa) ideoque dato Voto, finito Prioratu, tenentur procurare beneficium absolutionis, absolutè ad hoc, ut Divinis interesse possint, quæ excommunicatis sunt interdicta. Castell. cap. 13. De Directione Electionis, post Allegat. n. 16. 17. & 22.* Probatur responsio, tum ex tenore, verbis, & forma absolutionis de qua hic, quare, ut patet ex diversis Religionum formulis supra relatis, traditur non absolutè, & simpliciter, sed ad effectum tantum determinatum, & limitatum consequendum, legitimæ scilicet, & Canonicę electionis habendæ: & ut valeant acta, & electiones Capituli. Tum etiam ex *Cap. Eos qui. De Sentent. Excommun.* Ubi, *Qui nequeunt propter aliquod impedimentum: pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio absolvuntur, cessante postea impedimento, decernimus in eandem sententiam reincidere ipso jure &c.* Ergo.

1224 Absolutio verò quæ datur Regularibus subditis à suis Superioribus (de qua supra in *Cap. 4. & apud Jo: Crux de Statu Relig. cap. 6. dub. 15. & seqq.* apudque connumeros alios scribentes de Privilegiis Regularium) & quę datur iisdem Regularibus, in magnis Festivitatibus, in Visitatione Conuentuum, in die Cinerum, & Cœnæ Domini (de qua *Navarrus in Man. Cap. 26. num. 13. Portell. Verbo Abortus n. 11. Donatus l. c. n. 7.* aliiq;) absolutè datur, absque ulla limitatione videlicet. Ità in terminis *Navarr. l. c.* sic dicens *Religiosi notare debent, qui ab irregularitate, & aliis Censuris generaliter absolvuntur in Visitationibus à Superioribus, nam esto tunc non meminerint illa, sublata censentur, nec tenentur aliam absolutionem quærere ab eis, sed satisfaciunt confitendo simpliciter peccata ob quæ illa incurrerunt.* Idem affirmat *Portell. nu. 61.* sic scribens: *Pro consolatione Religiosorum, addò: Quod si Religiosus habens aliquam hujusmodi irregularitatem, vel inhabilitatem à quibus illius Prælatus potest dispensare, si inquam talis Religiosus præsens fuerit in Capitulo Visitationis in quo Prælatus dicit in Generali (Absolvo vos ab omni censura, & dispenso vobiscum in omni irregularitate, & habilito vos ad omnia) si inquam hæc dicat: ille qui præsens fuerit, si sit irretitus aliquo ex illis tribus, manet absolutus à censura, irregularitate, & inhabilitate. Nam talis absolutio datur ab habente potestatem, & sortitur effectum.* Sic Portell. post quem, & *Navarrum*, *Donatus n. 8.* ità prosequens: *Regulares, sic generaliter absolutè, etiam si in actu absolutionis non meminerint præfatorum impedimentorum, non tenentur amplius aliam dispensationem quærere, nec absolutionem postulare; sed integrum est eis, confiteri simpliciter practicata, ob quę in pœnas dederunt, sicut alia non reservata; quia per illam absolutionem, omnia impedimenta censentur sublata, quod valde notandum censet Navarrus in Summa &c. & consolatione dignum* [ait] *Magister Candidus to. p. de absolut. disquisit. 3. art. 40. dubio unico nu. 3.* ita *Donatus;* qui & antea idem docuerat, videlicet *To. p. par. 2. Tract. 4. Titulo de Violata Clausura qu. 31. nu. 3. fol. mihi 170.* ut sequitur: *Est valde notandum, Quod Religiosi Irregulares, inhabiles ad officia, suspensi à Divinis, & hujusmodi, à quibus Prælatus potest absolvere, si sint præsentes in Capitulo Provinciali, vel in Visitationibus, aut Festivitatibus, in quibus solent Prælati absolvere subditos, generaliter dicendo: (Si teneminì aliquo vinculo Excommunicationis, & Suspensionis, & Interdicti &c. absolvo vos, & restituo vos Sacrosanctis Sacramentis Ecclesiæ, Communioni, & unitati fidelium. Item eadem authoritate ego dispenso vobiscum super irregularitate &c. (pro ut sæpè fit in Dominicana familia, & habetur in fine nostri Breviarii. Esto, quod non petierint, vel quod non fuerint memores censurarum, pœnarum, & similium, quibus erant affecti, manent absoluti, ac dispensati, etenim per hanc generalem absolutionem, tam censuræ, quam pœnę censentur sublatæ, nec subditi tenentur aliam absolutionem quærere: Sed satis illis erit, sua tantum peccata, ut docet, ad pedes Confessarii confiteri. Navarr. Portell. Candidus l. l. c. c.*

1225 Et quamvis præfata clausula, quam affert hic *Donatus*, videlicet, *Si sint præsentes in Capitulo*, videatur quodammodo coarctare absolutionem ipsam, ut non profit

hæc tribui absentibus, quod expresse vult *Portell. Casu p. c. n. 62. in fine*: ubi sic: *Adverto, quod ista absolutio, vel dispensatio generalis data à Præside Capituli, non prodest absentibus extra Capitulum. Nam Præses Capituli, utitur his verbis (Absolvo vos, dispenso vobiscum &c.) Quibus verbis colloquitur solum præsentes*. Non sic autem coarctare, nec nocere, defendit idem *Donatus qu. cit. 44. n. 11.* Tum quia hujusmodi verba proferuntur regulariter: Tum etiam quia absentes dici possint præsentes moraliter, & obiectivè, si Prælatus potestatem habeat, & animum absolvendi etiam absentes; quandoquidem hæc duo sufficiunt ad absolvendum à censuris: sicut enim censura potest ferri in invitum, & absentem, ita etiam absolutio censuræ dari potest invito, & absenti (non enim est absolutio Sacramentalis) nam illatio, & ablatio censuræ, pari passu ambulant, sunt enim relativa, & dicuntur ad convertentiam. *D. Thom. 4. Sent. dist. 18. qu. 2. art. 5.* Unde *Sayrus de Cens. lib. 2. cap. 21. nu. 7.* cum aliis optimè ait: *Excommunicatio, sicut in aliquem invitum ferri potest, ita & invitus absolvi poterit*, (sic etiam absens,) *& absolutio impensa tenet*. Quod totum constat, & confirmari potest ex usu, & praxi Ecclesiæ universalis, præcipuè ex tot *Bullis Rom. Pontif.* per quas etiam absentibus absolutio censurarum impartitur.

1226 Nonnulla autem circa eandem absolutionem hic advertenda sunt. Primo. Prædicta de absolutione intelligenda esse vera in absolvente per potestatem ordinariam, absolutam, & independentem à voluntate, & consensu illius subditi, qui absoluendus est, ut contingit quando absolvit juxta dispositionem *Concilii Trident. Sess. 24. cap. 6. De Reform.* vel quando absolvit intuitu alicujus privilegii (quod advertit etiam *Donatus qu. c. 44. n. 12.*) qui enim aliquem absolveret ex vi solum alicujus privilegij concessi alicui pœnitenti, ut contingit per *Bullam Cruciatæ, per Jubilæum, & per Brevia*, quæ in dies expediuntur ad instantiam hujus, vel illius, si invitè illum absolveret, non esset absolutus, frustraque absolveret, quia usus privilegii hujus, pendet à voluntate ejusdem privilegiati. Quod totum advertit etiam *Avila de Cens. par. 2. cap. 7. disp. 2. dub. p. & 2. fol. mihi 185. 186.* Dicens, *Rectè facere Prælatos, qui dum in Capitulis Generalibus dant generalem absolutionem à censuris, solent, eam extendere ad absentes*. Addensque: *Sed nota, quod conclusio intelligitur de absolvente per potestatem ordinariam, & absolutam, independentem, à voluntate, excommunicati, unde per Bullam Cruciatæ, vel Jubileum, vel aliud privilegium concessum in favorem pœnitentis, non potest absolvi invitus. Henriq. lib. 13. de Excomm. cap. 29. n. p. & aliqui Magistri. Nam usus privilegii, pendet ex voluntate utentis illo, unde si non vult uti illo, non habebit Confessarius facultatem absolvendi virtute illius. Dico concessum in favorem pœnitentis, non si sit concessum in favorem Confessarii, ut si sit Religiosus qui absolvit virtute privilegii concessi ipsi Religioni credo quod absolutio erit valida.* Adde tu hic cum *Lezz. V. Absolutio n. 15. & 16.* hoc ultimū non procedere quo ad absolutionem sacramentalem, cum ad hujus absolutionis valorem requiratur voluntas illius, qui absolvendus est, cum nullus adultus possit invitus recipere Sacramenta, ut communiter omnes. Cum *Avila* idem docent & sub iisdem ferè verbis præter *Donatum n. 12. Lezzana l. c. & Layman. lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 6. n. 9.* ubi dicit, quod quando privilegia sunt generalia nedum ad præsentes, verum etiam ad absentes extenduntur: hinc infert cum *Avila*, Rectè facere Prælatos Ordinum, cum in Capitulis Generalibus dantes absolutionem à censuris, eam etiam ad absentes extendunt. Et exinde cum *Navarr. Henriq. & Avila* infert, Quod si Confessarius, facultate absolvendi præditus, oblitus sit aliquem à censura absolvere, vel si aliquem absolvit à censura, à qua non poterat, quia erat Superiori reservata, postea impetrata facultate, poterit, immo debet absolutionem absenti conferre, si ipsum ad se avertere non possit. Secus tamen dicendum esse de absolutione à reservato peccato, cum hæc sacramentalis sit, ideoque præsentiam Rei requirat: ita *Layman l. c.* quem etiam referunt, & sequuntur *Lezana, & Donatus l. l. c. c.*

1227 Secundo aduertendum, prædictam absolutionem non suffragari absolutis nisi in foro interno conscientiæ, & in occultis, in foro externo minimè, nec in publicis impedimentis. D.D. communiter, præsertim *Navarr. & Zerola* quos citat, & sequitur *Donatus qu. c. 44. nu. 14.* Addens *n. seq.* ad hanc absolutionem requiri, ut in nullius cedat præjudicium, uti etiam advertit *Portell. Casu p. superiùs c. n. 2.* ubi. *Hujus opinionis Doctores, dicunt necessarias esse sequentes conditiones. Prima, ut impedimentum sit occultum: alioqui actus nullum haberet colorem, sed esset planè irritus in foro externo. Seconda, ut id in nullius cedat præjudicium: si enim duo electi essent, præferendus esset, qui caret impedimento, quia hic solus jus habet.*

1228 Quæres Secundò. An si quis Ca-

pitu-

pitularis contemnatur, nec vocatur, acta in Capitulo sint valida, ac legitima, an verò hujusmodi contemptus sit defectus irritans illa? Suppono hic cum *Lezzan. in Summa to. 2. cap. 12. nu. 30. in princip.* Quod nullus elector potest, aut debet excludi ab electione prætextu alicujus inhabilitatis, delicti, aut censuræ, etiam causa pendente, nisi prius fuerit sententialiter condemnatus. Ante sententiam enim in foro externo pro habili habetur. Quod pariter docent *Angelus V. electio n. 3. Sylv. V. electio qu. 2. n. 3. Armilla Verbo eodem n. 10. Miranda in Man. Prælator. to. 2. qu. 23. art. 5. conclus. 3. Peyrin. de Subdito qu. p. cap. 31. §. 6. conclus. p.* aliique plures, dum affirmant cum *Gloss. cap. 2. de Postulat. Prælat. & Abbate in eodem cap. post Innoc.* quod hi qui privandi sunt jure eligendi, non sunt priuati: *Quia privandus antequam privetur, justè possidet.* quo supposito, ad quæsitum.

1229 Respondeo Primò. Valent acta, & electio facta in Capitulo non vocatis, seu contemptis iis, qui sunt privati, vel inhabiles ad eligendum, licet prius discussum non sit, an sint privati, satis enim est, quod possint postea convinci: Ita *citati, & Peyrinus cum ipsis conclus. cit.* Ratio est, quia si in veritate non habent jus, nec potestatem eligendi, non erat, nec est opus eos vocare: secus autem esset si essent privandi, ut dictum est, *Quia privandus* antequam primetur justè possidet.

1230 Respondeo Secundo. Si quis Electorum legitimorum fuerit contemptus, & ad electionem non vocatus, electio quidem valida est, sed iniustè facta, & potest irritari, ac cassari, immo debet ad petitionem ejus, nisi forsan ipse velit eam ratam habere, & in eam consentiat: per quem consensum (ait *Suarez de Relig. to. 4. lib. 2. cap. 5. n. 6.*) non confert valorem electioni, jam enim facta, & valida supponitur, sed quasi cedit juri suo, quo posset infirmare illam, & irritationem ejus postulare, quo pacto firmitatem quandam confert electioni jam factæ. Hujusmodi responsio est Doctorum communis, ut videre est apud citatos, & alios *De Canonica electione* scribentes, unanimiter concedentes talem electionem esse validam, posse tamen, & debere irritari ad petitionem Capitularis contempti, quod est dicere eam non esse ipso jure irritam, sed solum posse irritari per sententiam superioris; Quamquam contemptus, si velit, possit eam ratam habere: ita communiter Doctores inter quos etiam *Layman in Theologia Morali lib. 4. tr. 2. cap. 12. Versu dico 3. tit De Beneficiis Ecclesiasticis*: Qui tamen, apud, & cum *Pellizz. l. c. qu. 19. n. 23.* monet, tunc verificari quod non sit ipso jure irrita electio, etiam si fiat contempto aliquo ex vocandis, quando eidem interfuerunt saltem duæ partes Capitularium. Adde tu, quod tunc non sit ipso jure irrita electio sed valida, si constiterit in scrutinio secreto, quod electus, fuit electus ex numero sufficienti Vocalium habilium, & juxta statutum ad validam electionem præscriptum quo ad numerum Vocalium pro valida electione definitum, excluso etiam Vocali contempto, idest non vocato: Qua de re *Suarez l. c. nu. 2.* optime ait: Non tantum non esse necessarium ut omnes qui jus habent eligendi, & qui possunt ferre suffragium, præsentes sint (quia non coguntur interesse, & eligere, sed si velint, ex *cap. Quia propter*) verum etiam, nec major illorum pars; quia potest major pars nolle adesse, & tunc non est impedienda electio contra intentionem *dicti cap.* Vide inter alios *Passerinum de electione cap. 20. n. 79. tit. de eligentium conditionibus pag. mihi* 202.

1231 Confirmatur eadem responsio apertissimè ex *cap. Quod sicut 28. de elect.* ubi expresse sic: *Quod si eos vocatos non fuisse constiterit, sed contemptos, infirmanda erit penitus electio taliter celebrata, nisi postea propter bonum pacis curauerint consentire.* Item ex *cap. Bonæ memoriæ 36. eodem Titulo*, ibi, *Tum quia inuentus est N. fuisse contemptus: cum plus in talibus consueuerit contemptus unius abesse, quam multorum contradictio in præsenti.* Exquo utroque *Canonico Textu* clarè habetur, ut patet, quod uno Electorum contempto, & si electio non sit ipso jure nulla, annullari tamen, & cassari potest per sententiam Superioris, petente vocali contempto (vel vocalibus contemptis petentibus si hi plures sint) ut apertè *Canones, & D. D. citati.* quibus addo *Donatum in Praxi Regulari to. 2. par. p. Tract. 4. tit. de Electoribus q. 21. fol. mihi* 42. Et præter probata *n. anteced.* ratio etiam esse potest, quia & si ad electionem celebrandam necesse sit, ut omnes Electores ad quos spectat convocentur ex *Cap. quia propter 13. De elect.* Ubi, *Statuimus ut cum electio fuerit celebranda præsentibus omnibus qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de Collegio qui siggillatim vota cunctorum diligenter exquirant.* Hujusmodi tamen vocatio electorum absentium, non est de forma, & essentia, vel substantia electionis, ut docet *Glossa in dicto Cap. Quia pro-*

pter

pter Verbo Sanior, ibi enim ait: *Quod quilibet sit vocandus, qui commodè vocari possit, non credo esse de substantia electionis, ut propterea casset electio: dummodo contemptus postea consentiat electioni factæ*. Non est in quam hujusmodi vocatio de substantia electionis, sed ex justitia (ut advertit etiam *Donatus qu. c. n. 2.*) etenim non vocare vocandos, est impeditio, & retardatio jurium Vocalium ad quos de Jure communi, vel speciali pertinet in capitulo vocare, seu suffragari: sicque impediti, & non vocati dicuntur contempti, & iniustè læsi: contemptus nanquæ dicitur is, qui legitimè non fuit vocatus ex *c. c. Capitibus*: ideoque (*ex iisdem etiam Capitibus*) potest instare, & petere hujusmodi electionem, ob sui contemptum, seu, ob iniustitiam sibi illatam, nullam declarari. Et quod dicitur de uno contemptu, potest ad duos, tres, vel quatuor extendi, eadem enim ratio militat in omnibus, ita etiam *Donatus n. 2. c. & ante ipsum Portell. in dub. Reg. V. electio n. 13. fol. mihi 122.* ubi sic: *Si unus tantum electorum non vocetur, electio non est ipso facto nulla, quia non habet defectum in substantia, potest tamen postea annullari, petente illo contempto. Idem dic si duo, vel tres non vocentur Gloss. in cap. Quia propter de Elect. V. Sanior. & Innoc. cap. Quod sicut, de electione*, & alii. Vide *Tambur. De Jure Abb. to. p. disp. 5. qu. 3.* ubi & ipse notat *nu. 2.* quod hic, *Unius contemptus plus operatur, quam plurium contradictio*. Et *n. 3.* quod si electio ad instantiam contempti, per sententiam retractatur; ipsa cassata, omnes electores ad electionem noviter celebrandam convenire debent. *Panorm. super d. cap. Bonæ memor. 2. n. 25.* Et idem *Tambur. l. c. n. p. in fine*. pariter advertit, quod quamvis contempti reclamatio facienda esset ante confirmationem electionis *Lavor. tit. 4. cap. 17. n. 22.* potest tamen fieri etiam post confirmationem, ut docet *Glossa in d. cap. Quod sicut, & ibi Rubrica Textus*. Quod etiam confirmat *Donatus n. 3.* Addens *n. 5.* Nulli alteri electorum excepto contempto, licitum esse excipere contra electionem, sub prætextu contemptus alterius; nam exceptio Juris tertii, nulli convenit, nisi propriæ personæ offensæ, unde tacente vocali contempto, non datur locus aliorum querelis: Qua de re latè etiam (apud eundem *Donatum n. 5. e.*) *Layman. in q. q. Canonicis q. 39. & 40.* ubi ex multis ostendit Electorem posse cedere, & renunciare juri suo privato, circa quod nequeunt alii se intromittere.

1232 Et si hic etiam obiter inquiras, An Capitularis contemptus habeat etiam jus petendi, ut cassentur acta, & gesta in Capitulo, & irritentur, quamvis non malitiosè sed per inadvertentiam (quæ etiam in exteriori foro probari possit) fuerit contemptus, seu non vocatus? Ratio hujus inquisitionis, seu dubitationis esse potest, quia jus irritandi acta Capitularia, & petendi eorundem cassationem, competens Capitulari contempto, idest non vocato, concessum videtur quasi in pœnam contemptus; at pœna locum non habet, nisi adsit culpa, hæc autem nec supponitur, nec adest, vel adesse potest in præsenti casu, ergo &c. Respondeo etiam in hoc casu Capitularem contemptum jus habere irritandi acta Capituli, & petendi ut cassentur (licet fortasse melius tunc esset cedere tali suo Juri.) Hujus responsionis ratio esse videtur, quia dictum jus, quod habet Capitularis contemptus (ut ait etiam *Pellizzar. l. c. n. 24.*) non est inductum in pœnam, ita ut necessariò debeat supponere culpam, sed ut alteri potius jus suum ablatum resarciatur, nempè jus accedendi ad Capitulum, quod Capitulari contempto etiam in præcedenti casu ablatum fuit, quamvis in tali ablatione non intercesserit injuria formalis, nec culpa ulla consequenter. Et hac in re idem proportionaliter sentiendum est, quod sentiunt pariter D. D. cum *D. Tho. 2. 2. qu. 62. art. 6. & 7.* de eo cui res sua ablata est: is enim habet jus, ut res illa sibi reddatur, etiam ab eo, qui illam accepit absque injuria ipsiusmet Domini, & per consequens absque culpa: idque non ratione injustæ acceptionis (ad quam culpa supponitur) sed ratione rei acceptæ, quo titulo potest quis obligari ad restituendum, quamvis in auferenda re aliena nullo modo peccaverit: quæ doctrina communis est, & certa, optimeque confirmans: ut patet, datam responsionem.

1233 Quares tertiò. An Capitularis de quo inter alios Vocales extat dubium, eum habere inhabilitatem aliquam, vel impedimentum (ex. gr. Excommunicationem majorem) ob quod nequeat esse de gremio Capituli, retinendus sit, vel eiiciendus? Respondeo quando res est dubia, cum in dubiis juvet, faveatque possessio, favendumque sit potius reo, quam actori, nedum admitti potest, sed debet, cum protestatione tamen illi facta, Quod videlicet admittitur ad eligendum, si & in quantum postmodum appareat eum debuisse admittit, seu cum protestatione non excludendi, non excludendum, nec admittendi non admittendum. Ità etiam *Panormit. in Cap. Cumana*

Cumana de Electione num. vltimo. Sylv. Ver. Electio pr. qu. 15. *Miranda in Man. Prælat. qu.* 23. *art.* 11. *concluſ.* 5. *Verſ. ſolummodo intereſt . Peyrin. to. p. de Subdito qu. p. cap.* 31. §. 6. *Verſ. Dico ſecundo* (ubi alios citat,) & *Verſ. Dico* octavo (ubi cum *Panormit. Armilla , Vega , & Graffio Conſiliorum to.* 2. *lib. pr. Conſil. p. De Electione . Difficult.* 6. *nu. pr. fol. mihi* 15. affirmat, Quod ſi inſtante termino Electionis dubitatur de aliquo an habeat vocem , nec id poteſt commodè probari, debet admitti cum proteſtatione , quod illius votum non valeat, niſi in quantum poſtmodum apparuerit, eum debuiſſe intereſſe) *Lezza. in Sum. to.* 2. *cap.* 12. *Verſu , Nullus tamen , nu.* 30. *prope finem . Pellizzarius in Man. Regular. to.* 2. *tract.* 9. *Cap.* 8. *ſect. p. qu.* 22. *n.* 30. *P. Alphonſus de Leone De Cenſuris Recollect.* 6. *n.* 1025. *fol. mihi* 663. *Donatus in Praxi Regulari To.* 2. *par. p. tract.* 4. *tit. de Electoribus quæſt.* 8. *n.* 6. *fol. mihi* 37. aliique plures. Et ratio reſponſionis eſt : Tum quia ſi dicta inhabilitas eſt dubia, nec per Judicem conſequenter adhuc declarata, ergo uſque dum declaretur, ſuſtinendus eſt, nec eiiciendus , cum in dubio faveat ejuſdem poſſeſſio, ut D. D. communiter : Tum quia , ex dictis , privandus antequam privetur juſtè poſſidet , ergo uſque dum privatio ipſa juridicè lata ſit, non debet contemni, nec eiici. Tum etiam quia ſi dicta inhabilitas dubia , aut impedimentum, ortum habet à cenſura , excommunicationis majoris ex. gr. ceſſat ſcrupulus in cæteris de gremio communicandi cum ipſo , ex ſupra dicta proteſtatione, dicendo videlicet, quod Capitulum non intendit excludere, non excludendum, nec admittere , non admittendum : quia hujuſmodi proteſtatio (ut optime etiam *Donatus nu.* 6. *c. in fine*) reddit actum involuntarium .

1234 Quæres quarto. An caſu quo aliquis Capitularis , vel plures , recedant è Capitulo jam congregato, poſſint de jure reliqui Capitulares qui remanent proſequi Capitulares actus, & electionem facere , & ſit hæc Canonica ? Reſpondeo affirmativè cum *Panormit. in Cap. Cum nobis n.* 10. *Navar. Conſilior. lib. p. Titulo De Elect. conſil.* 7. *n. p. Rodriq. To.* 2. *qq. Regularium qu.* 53. *art.* 11. *Tamburin. de Jure Abb. diſp.* 5. *qu.* 3. *nu.* 24. *Peyrin. de Subdito qu. pr. cap.* 31. §. 6. *Verſ. Unde Colligitur . Pellizzar. l. cit. qu.* 20. *n.* 25. & aliis apud eoſdem, docentes, quod ſi omnes Vocales jam congregati ſint in Capitulo, decem v. g. & aliqui egrediantur , ut quatuor ex illis v. g., vel ſex remaneant, poſſunt de jure illi qui remanent electionem facere: imò quod etiam ſi unus ſolus remaneat poteſt iſte facere electionem, & erit Canonica . Licet enim (ut advertit etiam *Rodriq. art. c.*) nullum Collegium Eccleſiaſticum poſſit conſtitui in uno, quia *de Jure Civili l. Neratius ff. de verb. ſignif.* requiruntur ſaltem tres: de *Jure Canonico* verò , ſaltem duo : Conſtituto tamen ſemel in multis, poteſt totum Jus Collegii venire ad unum, & conſervari in illo : eſtque de hoc caſus expreſſus in *Jure l. ſicut §. fin. ff. quod cujuſcumque univer.* & tenet *Gloſſa* (communiter recepta) *in Cap. Gratum de Poſtulat. Prælator. Verbo Paucio- res.* ibi , *Sed quid ſi omnes delinquunt præter unum , nunquid ille unus poterit eligere? Videtur quod ſic : quia univerſitas remanet in uno.* Verum tamen eſt (ut notat etiam idem *Rodriq. l. c.*) quod ille unus, in quem tunc reſidet jus Collegii , non poteſt eligere ſeipſum, ut dicitur in *Jure, cap. per tuas de jure patr.* Probatur reſponſio , quia Vocales qui ſic exeunt, & recedunt, non computantur amplius in numero Capitularium, & electorum , ut habetur *Cap. Cum nobis de Elect. Verb. Caſus prope finem* : ibi *Qui vocati ad electionem nolunt venire, eligendi poteſtatem admittunt , & ad alios devoluitur .* Et *Verbo Revocare* : *Nunquid eo ipſo quod admoniti nolunt redire, qui præſentes ſunt poſſunt eliegere? Videtur quod ſic.* Idem enim eſt, ut patet, vocari Capitulares, & renuere venire , ac ſeipſos abſentare , & à Capitulo recedere : ſicuti ergo vocati, & renuentes, amplius non computantur in numero Capitularium , neque etiam computantur, voluntariè ſe abſentantes, nulla enim diſparitas hic : & ſi inter Capitulares non computantur : neutri ſua abſentia voluntaria , vel voluntario receſſu , & egreſſu, poſſunt efficere invalida acta, & electionem non Canonicam , ut ſupra ex *Capitib. c. c. & Gloſſa* . Alioquin facilè poſſent aliqui particulares malitioſè impedire bona provenientia ex Congreſſibus Capitularibus, recedendo à Capitulo, quotieſcunque proponerentur aliqua ipſis parum grata, & minus bene viſa : quod eſſet utique contra commune bonum omnino. Adverto tamen hic cum *Suarez to.* 4. *de Relig. lib.* 2. *Cap.* 5. *Verſ. Hoc autem. fol. mihi* 75. Datam reſponſionem, & Doctorum traditam doctrinam, intelligi debere ex vi tantum juris communis. Nam ex jure ſpeciali poterit imponi obligatio, vel etiam ex Superioris præcepto , ſi ita expediat , ad cujus providentiam videtur pertinere facere , ut con-

conveniens numerus Electorum congregetur quantum potuerit, & ad bonum Religionis expedire censuerit.

PRIVILEGIUM XXXVII.

Invincibiliter ignorans se habere alicujus Religionis Spiritualem Filiationem, eadem ignorantia non obstante, particeps est bonorum Spiritualium ejusdem (præsertim satisfactoriorum) nec non Indulgentiarum (si sit Religionis ejusdem benefactor) & adimpleat ea (materialiter saltem) quæ à Summis Pontificibus pro acquirendis Indulgentiis iisdem, præscripta sunt.

1235 HUjus propositi Privilegii veritas clarè eruitur ex iis, quæ habentur in mea *Spirituali Filiatione tum Vulgari, tum latina Cap. 2. dub. 5.* in quo inquiro, *An Filiatio Spiritualis absque litteris gratiosis, & absq; ulla alia sensibili forma communicari valeat?* An videlicet, quis verè in Filium Ordinis adoptetur, per hoc præcisè, quod Prælatus eidem mente tantum concesserit, & sola voluntate interna, ac secreta illi communicaverit bona Ordinis spiritualia (satisfactoria præsertim) quin hunc mentis actum, aut verbis prodiderit, aut signo aliquo externo eidem manifestaverit? Et ibi responsio, uti & hic, est affirmativa, quæ modo etiam (& propositum privilegium consequenter.) Probatur: Quia eodem pariter modo, nulla scilicet mediante forma sensibili, participatur à Fidelibus Generalis Sanctorum, & Ecclesiæ Communio; igitur & particularis quoque Religionum Communio pari modo participari poterit. Consequentia legitimè sequitur, ut enim optimè testatur *Antonius Ruteus* (in suo Tractatu verè aureo) *De Participationib. quæst. 6. sect. 3. n. 11. pag. mihi 117. Communicatio bonorum Operum, & meritorum Religionis quam Prælati Regulares faciunt, est species quædam Communionis Sanctorum, quæ in Generali Communione, tanquam species in suo Genere continetur.* Antecedens verò probatione non indiget: nam juxta eundem *Ruteum n. cit. pag. mihi 116. De fide est, quod per Communionem Sanctorum, omnium Fidelium bona Opera, & Merita, suo modo prosint aliis, & in illis omnibus communicent; idque ex sola unione charitatis; citra (Nota) expressam intentionem;* quòd multò plus est, ut in eademmet *Spirituali Filiat. cap. p. dub. 6. explicui.* Ad hoc enim ut quis particeps efficiatur Communionis Sanctorum, sufficit iuxta sententiam Theologorum communem, quod participans *sit membrum vivum per charitatem.* Hinc *Corduba in Quæstionario Theologico libr. 5. qu. 42. punct. p. Versu & Nota* optimè ait: Quod hæc participatio *Fit ratione unionis per charitatem, etiam sine speciali intentione, & applicatione facientis ad ipsum participantem, juxta illud Symboli, Credo Sanctorum Communionem: & illud Psalmi* 118. *Particeps Ego sum omnium timentium te.* Et pariter *Paulus Ab Omnibus Sanctis Carmelita Excalceatus in sua Clavi Aurea par. 3. Cap. p. n. 188. in princip. fol. mihi* 281. ait: *Certum est inter Fideles in Ecclesia Dei, mutuam esse bonorum Operum Communicationem: adeo, ut omnia facta in gratia & charitate opera bona, eo ipso, sive ipso jure & facto, sine speciali intentione, & applicatione facientis, directa ad ipsum participantem, communicentur omnibus justis, sive existentibus in statu gratiæ.* Igitur, si Generalis Sanctorum Communio, à Fidelibus participatur exclusa omni applicatione; cur non à fortiori particularis Religionum Filiatio, addita Prælatorum interna applicatione, participabitur, seclusa omni alia forma sensibili? Quam consequentiam (omnino eandem, licet in ordine ab aliud propositum) deducit etiam *Ruteus qu. cit. 6, sec. 5. nu. 13. in fine. fol. mihi* 123. dum ibi infert, ut sequitur: *Sicut enim bona opera justorum citra aliquam intentionem prosunt ad certos effectus personis conjunctis: ita Orationes, & Suffragia justorum speciali intentione applicata personis per charitatem conjunctis, specialem vim habent ipsis aliquid impetrandi, cum sit quædam ratio unitatis inter illos.* Et meritò: ait hic *Ruteus, specialem vim habere suffragia justorum, speciali intentione applicata,* eo quia, & si virtute Communionis Generalis Sanctorum, absque particulari applicatione, Justus aliquo modo particeps fiat omnium bonorum Operum Fidelium omnium totius Mundi: *Omnis qui incipit esse Gratus Deo (Angelicus Doctor Opusc. 6.) gratia gratum faciente, incipit esse particeps bonorum, quæ in toto Mundo sunt.* Cujus rei causam Generali Sactorum Communioni adscribens *Navarrus De Rosario, Miscell.* 11. *Versu Tertio quæritur, in fine: ait: Et meritò, quia est Articulus fidei, explicatus in Symbolo Apostolorum, esse Sanctorum Communionem; & probatur per illud. Particeps ego sum omnium timentium te, Psal.* 118. Nihilominus

1236 Per dictam Generalem Communionem, non participatur, absque particulari applicatione, valor satisfactorius de Justitia, & de condigno; nunquam enim talis communicatio fit ipso Jure, sed vi tantummodo specialis applicationis; idque

Certum est in Communi Theologia [ait *Ruteus qu. c. 6. sec. 3. n. 11. pag. mihi supra c. 117.*] *bona opera unius non prodesse alteri, quo ad effectum satisfactionis, nisi operans id specialiter intendat.* Et ratio est evidens, quia si quivis peccator, cum per pœnitentiam, Divinæ gratiæ restituitur, ipso Jure, vi Communionis Sanctorum particeps fieret Thesauri satisfactorii Ecclesiæ, absque ulla speciali ejusdem applicatione, sequeretur, quod quam primum absolutus foret à peccatis quo ad culpam, & unitus Christo Capiti, tanquam vivum membrum Ecclesię, eo ipso quoque liber esset ab omni debito pœnæ peccatis suis debitæ. Sequela probatur: quia Thesaurus Ecclesiæ, quo ad vim satisfactoriam, est infiniti valoris (*Dispensatio communis Thesauri Ecclesiæ, qui inter Fideles distribuitur est effectus Communionis Sanctorum: Ruteus De participationib. qu. 2. sec. 2. nu. 9. pag. mihi 54.*) Si ergo Thesaurus iste, qui, ob merita Christi in eo principaliter contenta, est valoris infiniti, citra specialem applicationem, ipso jure, & facto, participaretur à Justis pro exsolutione pœnarum ipsis debitarum, ipso facto liberi forent ab omni reatu pœnæ, quod dici nequit, utpote *falsum*, & *hæreticum* (ut ait *Navarrus l. c. Versu, Sed contra &c.*) *contra Sacram Scripturam, & definitionem Concilii Trident. sess. 25. in Decreto de Indulgentiis.* Et eidemmet *Navarro* (qui asserit hanc doctrinam esse *Sancti Thomæ*) adstipulantur *Corduba in Quæstionario Theologico lib. 5. de Indulg. qu. 42. princip. Versu. Et Nota, in princip.* ubi ait: *Via satisfactionis, seu participium ad satisfactionem, requirit specialem intentionem, & applicationem ejus, qui communicat tale opus satisfactorium alteri: ita quod nisi illi, seu illis sit applicata specialiter talis satisfactio, vel nisi sint illi recepti ad participandum de satisfactionibus alicujus personæ, seu Communitatis, non proderunt eis talia bona satisfactoria ad satisfaciendum pro suis peccatis. Quia alias sequeretur, quod quicunque existens in charitate, esset immunis ab omni pœna propter infinitatem Thesauri Ecclesię, quem participat per Sacramenta, aut per Communionem Sanctorum ratione charitatis. Vel saltem sequeretur, quod existens in minori charitate, esset debitor minoris pœnæ in hoc sæculo, & in futuro: quod patet esse falsum secundum Scotum in Vigesimo Quodlibeto. Ergo ex sola intentione facientis, seu supplicantis habetur participatio ad satisfaciendum. Peyrinus De Prælato qu. 3. cap. 6. n. 3.* (citans ibi *Rodriquez, Paludanum, & Sorbum*) pariter ait: *Ad participandum per modum satisfactionis, requiritur specialis intentio operantis, & specialis intentio Prælati applicantis tale bonum opus quo ad valorem satisfactorium tali terminatæ personę, alioqui sequeretur, quod omnis peccator, eo ipso quod fieret justus, esset absolutus ab omni pœna suis peccatis condonatis debita; quia ad solvendas hujusmodi pœnas, infinitus meritorum Thesaurus est in Ecclesia, ut probat ex D. Thoma, & Paludano, Navarris l. c. nu. 2. Vers. Sed contra.* Et *Paulus ab Omnib. Sanctis in Clavi Aurea par. 3. Cap. 2. n. 192. Versu Secundum quod. pag. mihi 277.* hisce verbis: *Quod requiritur ad debitam, & infallibilem pro alio satisfactionem, est specialis intentio, seu applicatio particularis illius qui communicat opera sua satisfactoria alteri, ita ut nisi illi applicetur specialiter talis satisfactio, vel nisi recipiatur ad participandum de satisfactionibus certę alicujus personæ, seu Communitatis, sive Congregationis, non proderunt ei talia opera satisfactoria ipso jure, & infallibiliter ad satisfaciendum pro suis peccatis, ita Navarr. l. c. asserens, hanc esse doctrinam S. Thomæ ab Omnibus communiter receptam. Si enim sola applicatio generalis, & quæ procedit ex sola radice charitatis, sufficeret ad satisfaciendum ipso Jure, & facto pro altero, sequeretur, ut ait Paludanus in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 2. q. 4. quod omnis peccator, eo ipso quod fieret justus, esset absolutus ab omni pœna, suis peccatis, quo ad culpam condonatis, debita: quia ad solvendas, hujusmodi pœnas, infinitus meritorum Thesaurus est in Ecclesia, cum in eo sit repositus etiam valor meritorum Christi, quę fuerunt infinita, ut habet Extravag. Clem. VI. Unigenitus de Pœnit. & remiss. & ita si ipso facto applicaretur ad solvendas pœnas, quas Justi debent, ipso facto etiam ipsi absolverentur ab eis, quod est falsum, & Hæreticum.* Ex huc usque ergo dictis, deductis, ac probatis, tum Authoritate Doctorum, tum etiam ratione, clarè patet, atque eruitur hujus propositi Privilegii veritas. Quæ præterea.

1237 Confirmatur p. Quia per Gratiosam spiritualem Filiationem à Religionum à Prælatis, per solum eorundemmet internum voluntatis actum, absque Litteris Filiationis, vel alio quocunque externo, sensibilique actu, vel signo concessam; speciaiores fructus recipiuntur, quam recipiantur à Generali Communione Sanctorum: ergo verum Privilegium nostrum: Consequentia sequitur. Antecedens verò communiter admittitur à Doctoribus, inter quos, ad nostrum propositum, & quidem doctissimè loquens *Cyprianus à S Maria Carmelita Discalceatus in Thesauro Carmelitarum par. 1. cap. 20.* sic ait: *Secundum jus Commune Subditorum suorum Opera, potest commu-*

communicare Prælatus, super quæ authoritatem sibi vendicat: eo nanque ipso, quo Congregationis regimine, & cura pollet, bonorum quoque Operum ejusdem authoritate dispensativa pollere censetur. Sed rogabis, quomodo hæc Operum bonorum, participatio, de qua loquimur, aliquid novum conferet, cum in Ecclesia Dei inter fideles sit mutua quarumcunque operum participatio? Ut nanque ait D. Thomas Opusc. 6. in Exposit. Symb. ipso jure & facto opera in gratia, & charitate facta, sine speciali aliqua applicatione, omnibus justis in gratia, & charitate existentibus communicantur, ut ex illo Davidis constat: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Resp. Momenti plurimi esse, & specialissimi hanc bonorum operum nostrorum pro Confratribus communicationem, & à Fidelium communicatione longè disparem. Pro quo notandum, dupliciter, pia, & Sancta opera posse à quolibet Justo aliis communicari: Primo, per actum expressum voluntatis, quo quispiam quasi donando hujusmodi opes spirituales alteri impertitur. Secundo, sine expresso actu voluntatis, sed naturali quadam consequentia, & conjunctione, sicuti quando duo homines inter se amici, & longè chari, unionis vinculum inter se ineunt, eo ipso omnia eorum, sunt communia, ita ut quo conjunctio major fuerit, & strictior, eo melior, & intimior sit participatio, & communicatio bonorum. Cum igitur sit latissima quædam consociatio omnium eorum, qui gratiæ, & charitatis habitu præditi sunt; qui sicuti latissimè conjuncti sunt, sic etiam latissimè, & communissimè participant in bonis piis actionibus suis. Est alia verò conjunctio magis specialis eorum, qui specialiter inter se conjunguntur, ut videre est in una familia, ubi Fratres inter se specialissimè conjunguntur ratione Filiationis in ordine ad Patrem unum, ideòque specialibus bonis, & commodis inter se perfruuntur. Haud secus in proposito nostro. Quantumvis fideles inter se uniantur, & conjungantur, hoc tamen latissimè fit, ratione habitus charitatis, ideòq; latissima est participatio, & communicatio bonorum operum. Cum verò specialiter inter se Confratres evadunt sub unica Celesti Matre, necesse est ratione hujus Filiationis, specialem intercedere communicationem, quandoquidem speciale sit vinculum, & conjunctio. Quod optimè S. Thomas explicat, dicens, dupliciter contingere quempiam in alterius operibus bonis participare: Primò, propter (inquit) communicationem in radice operis, quæ est charitas in operibus meritoriis: undè omnes, qui invicem charitate convertuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant. Alio modo (ait) ex intentione facientis, qui aliqua opera specialiter ad hoc facit, ut talibus prosint: unde ista opera quodammodo efficiuntur eorum, pro quibus fiunt, quasi eis à faciente collata; unde possunt eis valere, vel ad impletionem satisfactionis, vel ad quidquid hujusmodi. Qua propter advertant Confratres, quam bonum sit, & quam jucundum, sub hujus Confraternitatis domicilio habitare in unum: non enim dictu facile est, quot gratiis, & beneficiis ratione hujus communicationis efficiantur participes. Satisfaciunt enim pro pœnis temporalibus, & in Purgatorio luendis de condigno (ut ajunt) sicut ac si ipsimet illa opera exercerent &c.

1238 Quod utique non habetur virtute Communionis generalis Sanctorum, & Ecclesiæ, præcisè; quia dictus Satisfationis fructus pretiosissimus, requirit applicationem, & intentionem specialem Prælati (in casu nostro) communicantis, & virtualem saltem seu implicitam Operantis, qualis per se non est inclusa (ex communi, ac certa doctrina *S. Thomæ* apud *Ruteum de Participationibus qu. p. sect. 3. n. 13. & 14. fol. 18. 19. & 20.* & alios communiter) *in Communione Sanctorum:* quia hæc, sine particulari applicatione participatur, *ipso jure, & facto*: non autem Spiritualis Filiatio: licet in hac eadem, sit etiam illa inclusa, quamvis non sit eadem: prout apertè affirmat sequentibus verbis *Hieron. Gratianus in Tract. de Jubilæo Anni Sancti, par. p. cap. 4. Non simus desides nos miseri mortales in rogandis Dei Servis, ut nobis sua Opera communicent, & in procurandis litteris Fraternitatis Religionum, atque aliarum Confraternitatum, unde hic fructus Satisfactionum bonorum ipsorum operum, ad dimittendas tam graves Purgatorii pœnas derivat. Neque sint ipsi in concedendis parci, aut difficiles, quia si nobis largiuntur, Satisfactionum suarum eleemosinas, ipsi majus gloriæ adipiscuntur præmium, faciunt enim unum ex majoribus misericordiæ operibus, Deoque gratioribus, quod fieri possit. Hæc autem bonorum Operum Communicatio, de qua modo loquor, non est illa universalis, quam inter se habent omnes Justi, de qua dicit David, Particeps ego sum omnium timentium te, & in Symbolo Apostolorum, vocatur Sanctorum Communio &c.* Per hunc igitur Doctorem (nec non per omnium communem) Communicatio Religionum particularis, quæ habetur ab earundem Religionū Prælatis (insciis etiam propriis Subditis) operum bonorum, satisfactoriorum præsertim: licet inclusa & ipsa in communione Sanctorum, & Ecclesiæ: ob particularem tamen eorundem operum satisfactoriorum applicationem, à dictis Prælatis (in-

sciis etiam, ut dixi, subditis) factam, affert secum fructum pretiosissimum satisfactionis, qui absolutè, & præcisè non habetur in virtute solius Communionis Sanctorum, cujus fructus est universalis: Filiationis autem, per Gratiosam, (etiam à Prælato ipso sola mente collatum) particularis: hinc benè *Gratianus l. c.* ait, quod ista particularis, non sit illa, consequenter non superflua: quia insuper hæceadem particularis communicatio, novum adfert fructum super Communionem Sanctorum, & Ecclesiæ, estque *Fructus momenti plurimi, & specialissimi (* inquit supra *Cyprianus à S. Maria)* qui fructus, & quæ Communicatio, seu participatio bonorum operum per Gratiosas, (etiam à Prælatis mente retentas) dum provenit à speciali voluntate, ac intentione, seu applicatione dictorum Operum; item ab intentione particularis amoris, ac Sanctæ charitatis erga Amicos, ac Benefactores, elevat ista charitas, ac particularis intentio dicta Opera bona ad majores fructus Spirituales, pro ut etiam docet *Ruteus De Participationib. qu. p. sec. 2. n. 15. fol. mihi 20. Hæc enim charitas (* ait *) qua alios nostrorum operum participes reddimus, plurimum actiones nostras elevat.* Et ità elevat, nobilitat, atque exaltat, ut sine ista (teste *S. Chrysostomo hom. 79. ad Popul. Antiochen. apud eundem Ruteum nu. cit. 15. in fine) Nullum meritum esse magnum posset, nisi lucrum & aliis communicaret, sive jejunans maneas, sive dormias humi, sive favillam comedas, sive lugeat continuè, & nulli prosis alteri, nil magnum efficis.*

1239 Hinc est, quod & si Generalis Communio Sanctorum, & particularis Gratiosarum, ita sint unitæ, quod videantur in unum confusæ, imò eademmet res, hoc tamen non ita se habet, quamvis una fundata sit super altera, hoc est particularis Ordinum per Gratiosas, super Generalem sanctorum, ac Ecclesiæ. *Specialis hæc Communio Religionum (* ait *Ruteus De Participationib. qu. p. sec. 4. n. 18. in fine. fol. mihi 24.) fundamentum habet in Generali Communione Sanctorum, explicata per nonum Symboli Articulum, Communionem Sanctorum.* Unde particularis Communio Gratiosarum, non solum superflua haud est, sed logicè, ac metaphysicè loquendo adjungit insuper certum gradum, differentiamque particularem ad Communionem Sanctorum, & Ecclesiæ, continetarque in ista veluti species in suo genere, pro ut similiter affirmat idem *Ruteus tract. cit. qu. 6. sec. 3. n. 11. fol. mihi 117.* ita dicendo: *Communicatio bonorum, & meritorum Religionis, quam Prælati Regulares per Chartas Filiationis faciunt, est species quædam Communionis Sanctorum, magis tamen ad particulare corpus Religionis restricta, quæ in Generali Communione, tanquam species in suo genere continetur.* Quod simili modo repetit *Quæst. 8. sec. p. n. 3. in fine. pag. mihi 169.* pro ut sequitur: *Per Litteras Filiationum plurimum stabilitur Nonus Symboli Apostolici Articulus Credo Communionem Sanctorum, in quo Communicatio Religionum tanquam species in genere continetur.* Concludens, *Et conformiter ad sensum communem Ecclesiæ, in dicta Communione Sanctorum, explicatur:* Optima conclusio: Quia re ipsa, *In Communionem Sanctorum, communicatio Religionum explicatur.* In Ecclesia enim Dei, semper fuit, & est, communicatio bonorum operum, quæ significatur per Articulum *Communionis Sanctorum:* sicut ergo in tota Ecclesia semper fuit, & nunc est, Generalis Communio omnium operum bonorum inter omnes fideles, veluti inter membra varia ejusdem Mystici Corporis: ita pariter fuit una alia similis huic, (atque in usu etiam à primario Ecclesiæ, & Apostolorum tempore, ut abundè probatur à *VValdensi to. 3. de Sacramentalib. tit. 10. cap. 94. & 95. à Ruteo de Participat. quæst. pr. sec. 3. & à me ipso in Filiatione Spirituali Cap. 3. in quo De Gratiosarum antiquitate*) similis inquam communioni Sanctorum, Filiatio Spiritualis Ordinum Regularium, tam inter ipsos videlicet Ordinis Religiosos, ceu propria, & proxima membra; Quam inter alios eidem Ordini per Litteras Gratiosas adscriptos (vel etiam in casu hujus privilegii per actum solum occultum, & internum incorporatos.) Unde sicut omnes Fideles constituunt unum Corpus Mysticum, idest Ecclesiam, sic sub ipsamet Ordines, & Congregationes, sua corpora veluti partialia, ac Ecclesiæ subordinata constituuntur. Ex quibus.

1240 Clarè patet differentia inter dictas duas Communiones. Communio enim Sanctorum, habet radicem suam, & consistentiam in Universali Corpore Ecclesiæ. Altera veros Religionum in Corpore particulari Ordinum Religiosorum, aut aliarum particularium Congregationum, quod totum, uti & nos hic, docet etiam *Ruteus De Participationib. qu. 2. sec. 2. in principio, n. 8. fol. mihi 53.* sic scribens: *Nota Communionem Sanctorum comprendere omnes fideles, seu totum Corpus Ecclesiæ, in quo ob connexionem membrorum, & unitatem Corporis mystici, reperitur Communicatio in omnibus effectibus supradictis.*

Sub

Sub illo autem magno corpore Ecclesiæ reperiuntur diversæ Congregationes quæ Mysticum etiam aliud corpus cum suis membris constituunt, ut sunt omnes Ordines Religiosi, in quibus reperiuntur omnia ad compositionem unius particularis corporis requisita, una cum illius effectibus; ita ut membra alicujus Religionis dupliciter ingrediantur compositionem mystici corporis: Primo enim sunt membra corporis Ecclesiæ una cum omnibus fidelibus, & exinde influunt, & recipiunt varios fructus æquè ac alii fideles. Secundo sunt membra suæ Religionis, quæ speciale etiam Corpus constituit, in quo proportionaliter reperiuntur quidam influxus, & Communicationes mutuæ inter ipsa membra, distinctæ ab iis quæ fiunt in toto Corpore Ecclesiæ. Unde patet differentiam inter hæc duo, radicaliter consistere in hoc, quod Communio Sanctorum sit in toto Corpore Ecclesiæ: Participationes verò, in corpore Ordinum Religiosorum, & aliarum particularium Congregationum.

1241 Et quamvis radicaliter tam una, quam altera, recognoscat pro fundamento propriæ Communicationis, aut Communicabilitatis, Unionem, *quæ fit per charitatem*, pro ut *Corduba in Quæstionario Theologico lib. 5. qu. 42. pag. mihi* 483. Eò quod Fideles per unionem Spiritualem, quæ suam originem à charitate trahit, sint in Communione bonorum spiritualium inter se uniti, & quasi ex contractu Societatis vicissim participent, juxta illud *Davidis psal.* 118. *Particeps ego sum omnium timentium te*: unde lucrum unius cedit quoque in lucrum reliquorum omnium, quod similiter idem *Corduba l. c.* dum loquendo de Communione Generali Sanctorum, & Ecclesiæ, sic subjungit: *Sicut enim cum inter aliquos est contracta Societas omnium bonorum, quidquid unus lucratur, est omnibus commune, sic in proposito spiritualiter, quia charitas est Spiritualis amicitia, & Societas, connectens membra Ecclesiæ*. Et *Peyrinus De Prælato qu.* 3. *cap.* 6. *n.* 6. *Vers. Noto* 8. sic ait: *Est enim una omnium Fidelium Universalis Ecclesia, charitate conjuncta, quæ est Societas, & amicitia Spiritualis; unde sicut in Societate temporali de lucro unius participant cæteri: ita in amicitia Spirituali.* Loquendo deinde *Ruteus De Particip. qu. p. sec. p. n. p. pag.* 3. de Communione particulari per Gratiosas, idem de ea affirmat, dicendo, *Prælati Ordinum, eos quos recipiunt ad participium meritorum Ordinis vocant Fratres, & incorporant Ordini, suntque illius membrum, sicut ipsi Religiosi, & initur quædam spiritualis societas, quia sicut in contractu societatis inter mercatores omnia lucra sunt communia: ita per hanc incorporationem fit quædam Societas, qua omnia suo modo redduntur communia.* Quamvis itaque (inquam) quælibet dictarum Communionum, tam Generalis Sanctorum videlicet, quam particularis per Gratiosas, *fundata sit in unione spirituali, quæ fit per charitatem, tamen specialior est (* ait *Paulus ab Omnibus Sanctis supra cit.) & adhuc major* Particularis per Gratiosas, præ illa prima Sanctorum: magisque stringit eademmet particularis; ratione videlicet [ait ille] strictioris vinculi, ac unionis, *quæ omnium maxima est, quæ cernitur (* pro ut hic) *inter personas ejusdem familiæ, & Cognationis.*

1242 Idipsum etiam affirmat *Cyprianus à S. Maria in Thesauro Carmelitarum par. p. cap.* 21. dum sic ait: *Sicut enim in bene morata Domo, vel Familia, quilibet frater quicquid divitiarum cumulat, non sibi soli, sed omnibus fratribus acquirit; aut in mercatura, qui societatem quandam ineunt, non uni, sed omnibus lucrum cedit: ita dicendum nobis venit de Confratribus; cum enim sub unica Matre Filii sunt, & speciali vinculo Confratres nostri, quicquid nos divitiarum spiritualium conquirimus, non nobis solis, sed ipsis etiam acquirimus. Quod cum ita sit, advertendum, quam amplas, quam ingentes necesse sit hujusmodi esse divitias.* Quod similiter bene advertit *Sanctus Thomas Opusc.* 6. ubi loquendo de talibus fructibus specialibus, qui proveniunt ex dicto majori vinculo, sic ait: *Qui in charitate vivit, particeps est omnis boni, quod fit in toto Mundo: (* Ecce Communio Generalis Sanctorum.) *Sed tamen specialius illis, pro quibus fit aliquod bonum: nam unus potest satisfacere pro alio: Sicut patet in beneficiis, ad quæ plures Congregationes admittunt alios.* Et hæc est communio, & unio particularis, quæ (ut ait Sanctus Doctor) specialius confert bona, & beneficia spiritualia, magis specialia: de qua specialitate loquendo etiam *Peyrinus De Prælato quæst.* 3. *cap.* 6. *n.* 2. *Vers. Noto primo*, ita: *Eo ipso quod aliquis est peculiari modo membrum alicujus Religionis per Litteras Fraternitatis, merita illius Religionis valent apud Deum, ut ratione illorum conferat illi aliqua bona peculiari auxilio, tanquam membro illius Religionis.* Cui Conformia habet *Ruteus De Participationib. qu.* 2. *sec.* 2. *n.* 9. *pag. mihi* 55. dum ibi sic: *Varii fructus oriuntur Fidelibus per Communionem Sanctorum ex sola radice charitatis, in quibus nihil habent Religiosi, & illis uniti, supra alios fideles; quia tamen Ordines Religiosi componunt etiam Corpus speciale, ad imitationem corporis totius Ecclesiæ: ideo in illo Corpore subalterno, reperitur etiam inter ejus membra unio mutua charita-*

charitatis, ita ut ex eadem radice charitatis, bona opera unius prosint aliis, & Deus virtute illorum soleat aliis plura præstare beneficia. At melius loquitur *Quæst.* 6. *sec.* 5. *n.* 25. *pag. mihi* 129. Ubi (ex doctrina *Navarri Miscell.* 11. *de Rosario nu.* 3.) sic: *Specialis communicatio bonorum operum Religionis, adjuncta Communioni Sanctorum, multò facilius, & plura beneficia impetrare solet, imò specialem virtutem habet impetrandi, supra Communionem Sanctorum: non solum quia illam præsupponit, sed etiam, quia est strictior quædam unio, & majus vinculum Charitatis inter membra ejusdem Ordinis: ubi autem est major unio charitatis ibi merita unius efficacius prosunt aliis, tanquam speciali ratione illis aliquo modo appropriata*. Postea subjungit. *Sæpe Deus impeditur, ne conferat fructus ex Generali Communione Sanctorum propter varia peccata malorum fidelium. In speciali verò hac Communicatione Religionum, concurrunt ferè omnes boni Religiosi, & ex fidelibus receptis ad participium bonorum Operum plures probiores, qui omnes proinde non habent tam multa peccata quæ impediant collationem prædictorum fructuum. Et hæc benè notanda, sæpè enim accidere potest, ut ob solam Communionem Sanctorum, effectus prædicti, aut eorum aliqui, non conferantur quibusdam fidelibus, qui tamen tribuuntur ob specialem hanc Communicationem in bonis operibus alicujus Religionis*. Hucusque *Ruteus*. Ex quo, ex hactenusque dictis, clarè constat Communionem specialem per Gratiosas (supposita etiam altera communi, ac Generali Sanctorum) non esse superfluam, imò super ipsam addere proprios, atque ab eademmet distinctos fructus (ut etiam videre est apud *Ruteum qu.* 2. *sec.* 2. *nu.* 8. *in fine*. Et apud me ipsum in *Filiatione Spirituali cap. pr. dub.* 6. *in fine, & alibi*.) Qui fructus [saltem aliqui] recipi etiam possunt ab habentibus (& ignorantibus) Filiationem Spiritualem, ut in proposito Privilegio. Quod insuper

1243 Confirmatur secundo. Quia nulla sensibili forma mediante, participatur à Fidelibus (cum ignorantia etiam hujus participationis) Generalis Sanctorum, & Ecclesiæ Communio; igitur particularis quoque Religionum Communio (cum eadem ignorantia) pari modo participari poterit. Consequentia legitimè sequitur; ut enim nos supra diximus, & testatur *Ruteus qu.* 6. *sect.* 3. *n.* 11. *Communicatio bonorum, & meritorum Religionis, est species Communionis Sanctorum, quæ in Generali Communione tanquam species in suo genere continetur*. Antecedens probatione non indiget, nam, juxta eundem *Authorem l. c. De fide est, quod per Communionem Sanctorum omnia fidelium bona opera, & merita, suo modo prosint aliis, & in illis omnibus communicent; idque ex sola unione charitatis; citra expressam intentionem*: quod valdè notandum est. Ad hoc enim, ut quis particeps efficiatur Communionis Sanctorum sufficit, juxta sententiam omnium Theologorum, & in specie *Cordubæ in Quæstionario Theologico lib.* 5. *qu.* 42. *punc. pr.* quod participans, *sit membrum vivum per charitatem*: Ibi enim *Versu Et nota*: ait, quod hæc participatio, *Fit ratione unionis per charitatem, etiam sine speciali intentione, & applicatione facientis ad ipsum participantem, juxta illud Symboli, Credo Sanctorum Communionem: & illud Psalmi* 118. *Particeps ego sum omnium timentium te*. Igitur, si Generalis Sanctorum Communio, à fidelibus participatur, exclusa omni applicatione; cur non à fortiori particularis Religionum Filiatio, addita Prælatorum interna, ac occulta applicatione, participabitur, seclusa omni alia forma sensibili? Quam eandem consequentiam, licet in ordine ad aliud propositum, deducit etiam *Ruteus quest.* 6. *sect.* 5. *num.* 13. *in fine*: dum & ipse sic infert: *Sicut bona opera Justorum citra aliquam intentionem prosunt ad certos effectus personis conjunctis: ita orationes, & Suffragia Justorum, speciali intentione applicata personis per charitatem conjunctis, specialem vim habent, cum sit quædam ratio unitatis inter illos*.

1244 Advertunt tamen, in ordine ad propositum nostrum *Paludanus, Corduba, Adrianus, & Arragonius*, apud eundem *Ruteum l. c. n.* 14. *in principio*. Quod etiam virtute particularis Communicationis Religionum, quæ necessariò ex parte Prælatorum illam conferentium specialem internam eorundemmet Prælatorum requirit applicationem, varii impetrantur fructus, etiam citra operantium intentionem. Verba *Rutei* sunt sequentia: *Recepti ad participationem bonorum operum Religionis, recipiunt etiam varios fructus per impetrationem indirectam oriundos, citra aliquam intentionem operantis, quos enumerat Paludanus in* 4. *dist.* 45. *qu.* 2. *art.* 3. *§. Quarto est advertendum. Illa autem sunt, gaudium spirituale, Dæmonum debilitatio; Cordis illuminatio per varias gratias prævenientes, quibus ad conversionem, aut virtutum profectum excitantur; præservatio à peccatis, & aliis malis spiritualibus, & corporalibus; collatio item variorum bonorum spiritualium, quæ omnia Deus ob merita Justorum aliis solet liberaliter largiri, de quibus plura*

plura sunt in Sacra Scriptura testimonia Genes. 30. Benedixit Dominus Laban propter Jacob. Et cap. 19. Recordatus Dominus Abrahe, liberavit Loth de incendio Sodomæ. Et cap. 18. Dixit eidem Abrahæ, quod parceret quinque Civitatibus, si invenientur in illis decem Justi. Hæc inquam omnia (per D. D. etiam relatos) sunt effectus, qui queunt recipi, & de facto recipiuntur virtute utriusq; Communicationis, tum communis videlicet Sanctorum, tum particularis Religionum. At valor satisfactorius nunquam participatur per Generalem Communionem absque particulari, & interna applicatione, de justitia, & de condigno: talis enim Communicatio non fit ipso Jure, sed vi tantummodo specialis applicationis; hocque *Certum est in communi Theologia* (ait *Ruteus qu. 6. sect. 3. n. 11.*) *bona opera unius non prodesse alteri, quo ad effectum satisfactionis, nisi operans, id specialiter intendat.*

1245 Certum inquam, id est: Hinc admissi ad Communionem bonorum Spiritualium Ordinis, vi præcipuè intentionis Prælati, (etiam sola mente, & absque Litteris, vel signo externo alio sensibili, ut in Privilegio) applicantis, efficiuntur participes, ipso facto, fructus satisfactorii bonorum operum Religionis. Quodq; (uti certum) nedum colligi videtur ex supra positis, verum etiam ex clara Doctrina *Angelici Doctoris in Addit. ad 3. par. qu. 26. art. p.* dum ibi, Communicationem bonorum Operum tripartitò distinguit; In *Generalem* videlicet, qua opera bona in beneficium totius Ecclesiæ ordinantur: In *specialem*, qua applicantur Amicis, & Benefactoribus, pro ut fieri solet per Litteras Gratiosas à Prælatis Regularibus: Et in *Singularem*, qua quis determinatæ personę valorem bonorum operum suorum applicat. Trinæ hæ Communicationes, juxta mentem *Angelici Doctoris*, esse suum participant ab intentione, & interna applicatione, absque ulla dependentia ab alia externa forma; id verbis ipsiusmet clarius patebit; quæ sunt sequentia: *Opera satisfactoria unius, alteri computantur, non solum ex vi charitatis, sed etiam ex vi alicujus:* quæ intentio *potest ad alterum dirigi tripliciter; aut in Generali, aut in Speciali, aut in Singulari. In Singulari quidem, sicut cum quis pro alio satisfacit determinatè, & sic quilibet poterit alteri sua opera communicare. In speciali autem, sicut cum quis orat pro Congregatione sua, & familiaribus, & Benefactoribus, & ad hoc etiam ordinat sua opera satisfactoria: & sic ille qui Congregationi præest, potest opera illa alii communicare, applicando intentionem illorum, qui sunt de Congregatione sua, ad hunc determinatè. Et in Generali: Sicut cum quis opera sua ordinat ad bonum Ecclesiæ in generali: Et sic ille, qui præest Ecclesiæ, potest opera illa communicare, applicando intentionem suam ad hunc, vel ad illum. Et quia homo est pars Congregationis, & Congregatio pars Ecclesiæ, ideò in intentione privati boni includitur intentio boni Congregationis, & boni totius Ecclesiæ: & ideo ille qui præest Ecclesiæ, poterit communicare ea, quæ sunt Congregationis, & hujus hominis: & ille, qui præest Congregationi, potest communicare ea, quæ sunt hujus hominis, sed non convertitur.* Hucusque *Angelicus Doctor.* Ex cujus doctrina clarè patet, nullam formam externam, neque ullas Litteras pro communicatione tam activa, quam passiva bonorum operum, etiam virtutis satisfactivæ, necessarias esse; sed ad summum requiri in casu nostro, sive internam operantis intentionem, sive Prælati applicationem. Manet igitur & hic conclusum (uti & supra) quod sicuti in ipsa Communione Sanctorum, quæ est in tota Ecclesia, reperitur talis participatio, in qua etiam omnes dicuntur participare Fideles in bonis operibus aliorum, & tamen pro tali communicatione, non requiritur forma aliqua externa, aut ullum signum sensibile: sic, nec pariter requiratur in hac speciali communione bonorum operum Congregationis, & Religionis; adeoque absque ullis Litteris, aut quacunque alia sensibili forma, per mentalem præcisè Prælati Regularis, & Capitis solam concessionem, Spiritualis Filiatio, cum omnimodo suo effectu haberi queat. Dico non requiri Litteras Gratiosas, aliamve formam pro communicatione etiam passiva; idest ex parte illius, qui à Prælato in Filium Ordinis assumitur, iste enim (nisi aliunde incapax fuerit) particeps fit Orationum, Satisfactionum &c. quin earum recordetur: Sufficit enim virtualis ipsius, & interpretativa acceptatio, quæ semper supponitur ait *Suarez in 3. par. to. 4. disp. 48. sec. 3. num. 11.*

1246 Confirmatur secundo. Prælati Regulares Defunctis etiam conferre valent Spiritualem Filiationem, ergo verum propositum nostrum Privilegium: Antecedens certum est: & expressè admittitur à *Bordono res. 84. qu. 9. n. 17.* ubi quærens, an Prælati Regulares, etiam Defunctis conferre valeant Spiritualem Filiationem. Respondet ibi affirmativè. Quia inquit: *Per eam communicant bona propria Religionis, existentia*

tentia sub eorum potestate, & dominio: ergo possunt ea donare, cui voluerint, modo eorum sit capax; Sed Animæ in Purgatorio talium bonorum sunt capaces, ergo etiam Filiationis Spiritualis? Igitur potest hujusmodi Filiatio communicari non sensibiliter, & mentaliter tantum, sola scilicet voluntate, & applicatione interna Prælatorum Regularium; quod indubitatum est, cum re vera alio modo, quam mentaliter defunctis communicari nequeat. Et si hujusmodi Filiatio insensibiliter, mentaliterque tantum applicata, atque concessa defunctis, in eisdem suum sortitur effectum; eundemmet etiam sortietur, eodem modo applicata, & concessa vivis, sola voluntate videlicet, applicationeque Prælati interna, cum hic utrobique sit eadem ratio, ut ex se constat; Consequenter verum propositum privilegium: quod videlicet ab invincibiliter etiam ignorante se habere alicujus Religionis spiritualem Filiationem, eadem ignorantia non obstante, particeps sit bonorum Spiritualium ejusdem &c. Verum hic

1247 Opponet quis: Filiatio Spiritualis involuit communicationem Indulgentiarum Ordinis [ut constat ex iisdemmet Filiationis Litteris, *Theatina* præsertim.] Ergo sensibiliter conferri debet, per Litteras videlicet, aliundue signum, debetque cognita esse ei, cui conceditur; Consequentia probatur, quia nemo lucratur Indulgentias, quas ignorat: Quod inde patet, quia, ut quis eas lucretur, adimplere debet quæcumque à Summis Pontificibus pro eorum consecutione præscripta sunt, & quidem cum intentione saltem virtuali eas lucrandi, ut volunt *Corduba lib.* 5. *de Indulg. qu.* 25. *circa finem, Vers. Secundo requiritur. Rodriq. p.p. Summæ qu.* 184. *n.* 7. *& in Bullam Cruciatæ §.* 8. *n.* 9. *Bossius de Jubileo sect.* 4. *Casu* 20. *n.* 4. *Passerinus de Indulgentiis qu.* 38. *n.* 294. *noster P. Alphonsus de Leone de Jubileo par.* 2. *n.* 135. & alii. At quomodo poterit quis habere hujusmodi intentionem, qui vel Indulgentias ignoraverit, vel si sciverit, lucrari non cogitarit; aut qui penitus ignorat, quod particeps factus sit Filiationis Ordinis, cum à Prælato mentaliter tantum ei collata fuerit? Neque difficultas declinatur, si quis dicat cum *Ruteo qu.* 2. *sect.* 2. *n.* 9. non dari in Religionibus particularem Indulgentiarum Thesaurum, qui dispensetur à Prælatis per Gratiosas, sicut datur in Communione Sanctorum, & Ecclesiæ, quem Summus Pontifex dispensat: *Dispensatio communis Thesauri Ecclesiæ* (sunt verba *Rutei) est effectus Communionis Sanctorum: in Religionibus autem nullus est Thesaurus particularis constans ex superfluis Fratrum satisfactionibus per participationes dispensabilis à Prælatis*. Neque item declinatur difficultas, si dicatur cum eodem *Ruteo qu.* 3. *sect. p. n.* 4. Quod *Prælati Regulares non habent potestatem ordinariam concedendi Indulgentias ex Thesauro Ecclesiæ* (cum harum solus, & Supremus dispensator sit Summus Pontifex.) *Neque ex Thesauro particulari Religionis*, cum iste non detur, atque sic cessat proposita difficultas, quæ seipsam solvit, si non admittatur, quod per Gratiosas, præter alia bona spiritualia, etiam Indulgentiæ conferantur.

1248 Non inquam per hoc, oppositæ difficultati satisfactum est, negari enim nequit, quod per litteras Filiationis communicentur etiam Indulgentiæ Ordinis: quis enim istud negaverit, si ipsæmet Litteræ disertis verbis, id palam protestantur? Videatur Gratiosa Theatina, quæ inter alia sic habet: *Consortes volumus esse, atque participes, Precum, Horariarum, Missarum, Meditationum, Vigiliarum, Jejuniorum, Indulgentiarum &c.* Et illa P. P. Carmelitarum Discalceatorum, quæ dicit: *Peculiari charitatis significatione complectentes, ad participationem Omnium Privilegiorum, Indulgentiarum &c. admittimus.* Licet ergo verum sit, in Religionibus non inveniri Thesaurum particularem ex superfluis Fratrum satisfactionibus, à Prælatis dispensabilem, neque hos habere potestatem ordinariam concedendi Indulgentias ex Thesauro Ecclesiæ, sed tantum Summus Pontifex: *Habere tamen possunt delegatam* à Summo Pontifice, ait *Ruteus num.* 4. *cit. & de facto Pontifex dedit potestatem Regularibus concedendi certas Indulgentias*, quod per Gratiosas fieri concessit *Urbanus V.* nimirum, *Ut Generales, & Provinciales totius Ordinis Minorum, possint communicare Suffragia, Indulgentias, Orationes, & bona spiritualia*, ut refert *Cæsarubius in Compendio Privilegior. Verbo Indulgentiæ quo ad Sæculares quarto, nu.* 6. Quæ concessio per participationem extenditur ad omnes Regulares. Igitur difficultas adhuc in suo robore permanet: quam tamen facilè effugere possem, dicendo, Prælatos, quando mentaliter solùm conferunt bona spiritualia Ordinis, non conferre vnà Indulgentias, ratione impossibilitatis, & ob incapacitatem passivam in objectione propositam. At tam enerviter nolo me defendere. Quapropter audacter.

1249 Respondeo ad difficultatem, quod mentaliter solùm admissus ad Filiationem Spiritua-

Spiritualem, non minus, quàm assumptus per consuetas Litteras Gratiosas, participat una cum aliis fructibus, etiam Indulgentias Ordinis, si tamen à Pontifice injuncta Opera adimpleverit, sine quibus nihil fiet; cùm concessio Indulgentiarum, juxta Doctores, præsertim *Georg. Gobat de Jubileo cap. 12. n. 79. Sit contractus quasi innominatus, do, ut facias*. At

1250 Hujusmodi responsio (sub inferet quispiam) nulla esse videtur, cum eadem recurrat difficultas; si enim mentaliter assumptus ad Filiationem, ut Indulgentias consequatur, adimplere debet injuncta à Summis Pontificibus, & quidem cum intentione saltem virtuali illas lucrandi, quę nimirùm ex formali præcedenti perseveret; alias (inquiunt illi apud *Adamum Burgaber Centuria 2. nu. 91.) lucraretur aliquis Indulgentias, etiamsi nesciret, bas bęc babere; & lucrari posse, modò requisitum opus præstaret*, certè virtualis hæc intentio nunquam haberi, aut supponi potest in eo, qui inscius, participat Filiationem Spiritualem, dum adimplet quodpiam injunctorum Spiritualium, si prius nunquam habuit actualem intentionem, ea adimplendi eo fine, ut Indulgentias Ordinis consequatur, cum nec somniare potuerit se ad eorum participationem admissum fuisse. Cęterum, si, ad lucrandum Indulgentias, sufficeret, materialiter adimplere injuncta opera, citra ullam earundem præviam notitiam, aut eas lucrandi intentionem; lucrari etiam quis posset Jubilæum, modo tempore præscripto jejunaret, licet nullam prorsus de Jubilæo notitiam, neque ullam illud lucrandi intentionem habuisset, quod admitti nullatenus potest, maximè in sententia præfatorum, aliorumque Authorum, qui necessariò requirunt intentionem saltem virtualem, quæ videlicet ex formali præcedenti perserveret. Adde, quod, ut, ex *Eminentiss. Lugone de Pœnit. disp. 27. sect. 6. nu. 82. in fine* observat *Gobat l.c.* nonnunquam Summi Pontifices dum concedunt Indulgentias, præscribunt operibus certam intentionem, v.g. contra imminentia pericula, pro necessitate, auxilio Domini impetrando &c. Qui autem non orat, aut operatur cum præfixa intentione, haud dubiè non lucratur Indulgentias; Quia, *Opus implendum est secundum formam specificam*, ait *Grassius*, & alii, apud *citat. Gobat*. Necessaria igitur est intentio, & consequenter perfecta notitia Indulgentiarum, ad lucrandum eas: ex quo sequitur non subsistere nostram assertionem, nec possibilem esse casum quo in actum redigi queat.

1251 Nunquam hoc, dico ego, imo totum oppositum. Quapropter denuo responsionem meam reassumendo, dico, quod (casu excepto, quo Summo Pontifex operi injuncto specialem prescribit intentionem) de cętero, quotiescunque mentaliter tantum, asumptus quis in Filium Ordinis, injuncta præstabit, licet nullam prorsus Indulgentiarum notitiam habuerit, neque eas lucrandi intentionem habuerit, lucrabitur tamen Indulgentias. Huicque meæ assertioni suffragatur *Cardinalis de Lugo l.c. n. 81. & 82.* Per sequentia verba: *Dummodo non exigantur opera pro aliqua speciali necessitate applicanda, v.g. Orationes pro auxilio Divino implorando contra talia pericula imminentia (tunc enim non potest fieri opus cum tali intentione, sine aliqua illius notitia) fateor me non invenire rationem convincentem ad dicendum quod necesse sit scire, vel intendere lucrari Indulgentiam*. Ita *Eminentissimus Lugo*, cujus sententiam, nostramque simul Opinionem acrius præterea defendunt.

1252 *Portellus De Dubiis Regular. Verbo Indulgentia in Addit. n.* 7. ubi ait: *Ego credo absolutè: ignorantem Indulgentiam, illam lucrari. Moveor primò, quia sic audivi ex ore proprio quondam à Patre Molina Magistro meo &c.* Ibidemque concludit: *Ergo satisfiet præcepto imposito pro faciendis rebus injunctis pro Indulgentia, etiamsi quis careat intentione actuali, vel virtuali eam lucrandi, &c. Suarez in 3. p. to. 4. disp. 56. sec. p. n.* 7. Qui rotundè asserit: *Non esse necessarium: ut is cui Indulgentia conceditur, percipiat, & intelligat, sibi concedi. Layman lib. 5. Tbeol. Moralis, trac. 7. cap. 6. n. 9.* Qui etiam expressè sic asseverat: *Certum esse debet, ad lucrandum Indulgentias, non requiri actualem voluntatem, sive intentionem lucrantis, sed satis esse babitualem, aut interpretativam; cum enim unus Justus alteri Justo, etiam ignoranti, satisfactiones suas applicare possit, cur non etiam satisfactiones Christi, & Sanctorum per Indulgentiam?* Ubi vides; *Laymannum* non solùm nobiscum sentire, sed etiam contra adversarium nostrum argumentari.

1253 *Sanctarellus Tractatu de Jubilæo, cap. 15. dub. 4.* Ubi proposita quæstione: *An ille, qui visitat Ecclesiam, lucraturus certam aliquam Indulgentiam, si nesciat alias præterea eidem Ecclesiæ esse concessas, lucretur omnes?* Respondet affirmativè, citatque *Hieronymum Gratianum par. p. q.* 15. Rationem quoq; assignat: *Quia* nimirum *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant; suntque gratiæ, favores, & privilegia, non autem*

odiosum quid, aut damnosum, unde ampliari debent, non restringi. Quare, si in Bulla dicatur, quod si quis visitaverit aliquam Ecclesiam, lucrabitur Indulgentias plenarias, & liberabit unam Animam ex Purgatorio: Et si aliquis non recordetur Animarum Purgatorii, neque de hac gratia aliquid sciat, nihilominus eam liberabit; nam neque memoria, neque scientia visitantis Ecclesiam, adaugent, vel diminuunt Indulgentiarum valorem. Pariter si quis habet numisma benedictum, quo plures lucrari potest Indulgentias, omnes lucrabitur, quamtumvis neque earum recordetur, nec de iis sciat. Gratianus de Jubilæo par. pr. c. 15. Thesaurus quippe meritorum Christi, & Sanctorum, qui à Pontifice applicatur, tot adfert fructus, quot ille declarat, & concedit, dicentibus v. g. Coronam, aut aliud pium opus ab eo præceptum, peragentibus, & horum peractor, licet notitiam non habeat omnium fructuum ipsi applicatorum, non proinde desinit eos lucrari. Sicut etiam Divina gratia multos operatur in Anima fructus, quamvis ille, qui eam recipit, ipsos ignoret; Ita Indulgentia acquisita, multos causat fructus, & effectus, licet is, qui eam acquisivit, talium fructuum notitiam non habeat. Hæc Sanctarellus *l. c.*

1254 *P. Diana Coordinatus to. p. tract.* 6. *res.* 10. *n.* 3. Ubi loquitur de Indulgentia plenaria ab *Adriano VI.* concessa omnibus, & singulis Christi Fidelibus, qui Vesperi, audito pulsu, recitaverint ter salutationem Angelicam; ait: *Et hanc Indulgentiam lucrari omnes Christi fideles, etiamsi illam ignorent, satis alibi probavi ex Molina, Portel, & aliis, quibus nunc addo, me citato, Martinum de S. Joseph, in Monita Confessariorum to. p. lib. p. tract. 6. de Indulgentiis n. 8. Escobar in Theolog. Morali tract. 7. Excomm. 5. cap. 8. n. 54. Thomam Leonardum Dominicanum in Thesauro Sacratissimi Rosarii &c. Ex quibus patet, ut diximus, omnes Christi fideles lucrari Indulgentiam plenariam, recitando post Solis occasum tria Ave Maria cum versiculis solitis, etiam si nescirent, quod recitantibus illas salutationes Angelicas, Summus Pontifex concesserit Indulgentiam plenariam.* Ita *Diana l. c.*

1255 Qui itidem *to.* 5. *res.* 18. Quærit, an pro adipiscenda aliqua Indulgentia, sufficiat implere injuncta opera, licet is, qui ea facit, ignoret, adimplenti concessam esse Indulgentiam? Respondetque affirmativè, & citat pro hac sententia *Salas de Legibus, disp.* 17. *cap.* 5. *in princip. Et Villalob. in Sum. to. p. tract.* 26. *Difficult.* 13. *nu.* 9. Quibus ego addo *Quintanad. tract.* 9. *in Appendice ad Jubilæa pro Mortis articulo dub* 4. *nu. pr. in fine*, Ubi huic Opinioni Suffragatur (cum prædicta tamen limitatione *Lugonis*) per hæc verba: *Assentior cum limitatione, quam Lugo addit disp.* 27. *sect.* 6. *n.* 82. *Dummodo verò non exigantur certa opera pro aliqua speciali necessitate applicanda; non potest enim tunc opus fieri cum tali limitatione, sine aliqua illius notitia*, Et paulò post *n.* 2. probat denuo, approbatque hanc opinionem. *Pellizzarius in Manuali Regularium to.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *n.* 250. *& de Monialib. cap.* 9. *n.* 40. *Vers. Assero* 6. *P. Verricellus noster tract.* 5. *Moral. & Legal. qu.* 5. *n.* 185. *Petrus Prost in Spicilegio Theologico de Jubilæo cap.* 15. *dub.* 4. *Dicastillo apud, & cum Adamo Burghaber l. c. Vers. Respond. Voluisse. Gobat de Indulgentiis p. p. cap.* 14. *n.* 163. & deinde *n.* 164. Ubi excipit casum *Lugonis* tantum, ut supra. *Leander par. p. tract. p. disp.* 14. *qu.* 37. *P. Pasqualig. in Praxi Magni Jubilæi qu.* 34. *n.* 4. *Bassæus to.* 2. *Verbo Indulgentia nu.* 14. *& P. Quarti de Jubilæo Anni Sancti, pag.* 143. *Vers. Resp. igitur*. Ubi asserit, *Huic opinioni standum esse, utpote probabiliori, & magis fundatæ*. Porro ultra rationes superius allatas.

1256 Probatur primò: Quia, cum Pontifex concedit Indulgentiam, eam concedit absolutè, ei, qui præcisè, tale, vel tale, opus adimpleverit, independenter ab Operantis intentione, cum Indulgentia aliud non sit, quam relaxatio pœnæ, sub conditione operis injuncti: pœna autem ex sua natura est relaxabilis independenter ab intentione, illius cui relaxatur, cum intentio operantis influere non debeat, neque operari circa relaxationem. Igitur si Pontifex concedit Indulgentiam, concessa fuisse censenda est, independenter ab intentione illius qui eam lucrari potest. Consequentia est clara, quia ut bene notant apud *P. Pasqualigum l. c. n.* 5. *in fine. Alciatus de Præsumpt. Reg.* 3. *præsumpt.* 32. *nu.* 9. *Minado in Resp. Consist. Regni in aliquibus, initio, n.* 20. *& Menoch. Consil.* 331. *nu.* 35. Omnis concessio, facta censetur iuxta rei concessæ naturam; quare cùm neque natura Indulgentiæ, neque formula Bullæ, ullam exigat intentionem, concludendum est in favorem nostræ sententiæ; prout concludit etiam *P. Quarti l. c.* Hisce verbis: *Quando tractatur de remittendis pœnis, aut, ut quis à solvendo suo debito liberetur, sicut in præsenti contingit casu, si alius pro me solvit creditori, etiam me inscio, Liber evado ab illo debito, quamvis nullam solvendi intentionem habuerim. Unde infertur rectè facere illos, qui secum semper gestant diversa Numismata benedicta, Coronas, Rosaria &c. Quia quando dicunt Rosarium,*

rium, Officium &c. plures lucrantur Indulgentias, quamvis illas ignorent.

1257 Secundò: Quia quodlibet opus bonum, factum in gratia, præsertim si fuerit pœnale (ut norunt Theologi) ultra gratiæ portionem quam semper meretur, satisfacit quoque pro certa portione pœnæ in Purgatorio debitæ; quamvis operans meritoriè, neque actualiter, neque virtualiter, dum operatur, talem satisfactionem intendat: imò affirmant *Portellus*, *& Bassæus l. l. c. c. Quod multi, plerique Sæculares, id ignorent*. Cum ergo Indulgentia suppleat defectum nostrorum operum satisfactoriorũ, quo ad Purgatorii pœnas, sitque ejusdem conditionis, cujus sunt opera ad lucrandum eam injuncta, ut satisfactionem videlicet pro Purgatorii pœnis præstent; clarum est, quod talis pœnarum exsolutio haberi possit, quin intendatur, vel sciatur, multo minus Indulgentiæ quis recordetur.

1258 Tertiò; Quia Summus Pontifex sæpè concedit Indulgentiam plenariam moribundis, sensibus jam destitutis, qui nihil amplius percipiunt, neque sciunt, omninoque ignorant talem gratiam sibi factam esse; & tamen illam lucrantur: ergo ad lucrandum Indulgentiam neque actualis, neque virtualis intentio necessaria est. Unde *P. Pasqualig. l. c. n.* 10. dicit: Indulgentias concessas moribundis, & pro quibus non injungitur opus aliquod peragendum, ipsis applicari posse; etiam sensibus jam destitutis, quamvis prius illas nunquam petierint, ut apud eundem affirmant *Suarez, Acosta, Rodriq. Villalob. Quintanad. & Bonacina.* cum sufficiat, quod Indulgentiarum capaces sint, in statu gratiæ videlicet: si verò non essent, non propterea (ait *P. Pasqualigus*) committitur Sacrilegium: Unde etiam applicari poterunt Phreneticis, Amentibus, & quibuscunque Baptizatis.

1259 Quartò: In compendiis Regularium, mendicantium præsertim, multæ inveniuntur Indulgentiæ sæcularibus concesșę, eorundem Regularium Ecclesias visitantibus: sequeretur ex opposita sententia (inquit, & bene *Portellus l. c.*) quod tales qui visitarent, & in statu gratiæ existerent, si actuali intentione carerent, neque prius eam habuissent, illas nullo modo lucrari: *Quod valdè durum est* (inquit idem) *& nimis rigidum, cum Summi Pontifices, id concedentes exprimunt, ut id fiat ex tali intentione, & ferè nullus Sæcularis id intendat, quando intrat, & sic ferè frustrarentur illæ Indulgentiæ.* Eodem quoque modo frustrarentur aliæ innumeræ fidelibus concessæ, qui visitaverint Basilicas, aut alias Ecclesias Romæ, & tot aliç insignes per Christianitatem passim concessæ, quod admitti absolutè non potest.

1260 Quintò: Impertitur nonnunquam Summus Pontifex Indulgentiam omnibus iis, qui intersunt ex. gr. Romæ in Ecclesiæ S. Petri alicui Solemnitati, Sacrificio ipsius &c. multi illorum ignorant talem sibi factam gratiam, & nihilominus lucrantur Indulgentiam, juxta *P. Quarti, & Burgaber l. l. c. c.* Ergo nec intentio actualis, nec virtualis necessaria est; Fideles quippe in hoc casu *merè passivè se habent*, ait *P. Quarti*, idque in hunc modum confirmat: Si quis Sacerdos amicus meus mihi fructum sui Sacrificii applicat in satisfactionem meorum peccatorum, inscius eam obtineo, quin ullum actum voluntatis circa hoc eliciam. Idem ergo dicendum in casu nostro.

1261 Sextò denique: Operans semper censendus est operari titulo maximè sibi proficuo *Papinian. l. cum pluribus in fine ff. de sol.* Et modo efficaciori *Bald. in Cap. Quia verisimile de præsumpt. Calcan. Consil.* 11. *Cravetta Consil.* 318. *n.* 4. *Alex. in l. si servus plurium §. Si numerus in fine. ff. de leg. p.* *Ergo, quando quis absque notitia Indulgentiæ* (arguit *P. Pasqualigus l. c. n.* 5.) *atque adeo absque aliqua intentione virtuali assequendi ipsam, exequitur opera injuncta; adhuc censetur exequi ratione generalis intentionis interpretativæ ob lucrandam Indulgentiam, nam censetur exequi modo sibi utiliori, & efficaciori.*

1262 Suffragari videtur *P. Pasqualigo Adamus Burgaber l. c. Vers. Ad pr. & 2. in contrarium.* Ubi in nostrum concedens Privilegium, & sententiam, sib ipsi obiicit; Primò, quod Indulgentia sit actus Jurisdictionis voluntariæ, non coactivæ, ideòq; non possit exerceri nisi in volentes. Secundò, quod sit species donationis; proinde, ut habetur in Tractatu de Promissionibus, & Donationibus, non possit habere suum effectum, nisi acceptetur à donatario, quod absque prævia illius notitia, & expressa acceptandi voluntate fieri nequit. Respondet quemlibet velle acceptare Indulgentias sibi concessas; virtualiterque acceptare. *Non quidem vi, & virtute intentionis formaliter, seu actualiter habitæ, qualem requirunt Adversarii, sed ipsius operis, dum istud ritè peractum, prodesse sibi cupit, quantum potest, adeòque etiam ad lucrandas Indulgentias, esto nullam aliam de his habeat, vel habuerit intentionem.* Quod totum coincidit cum doctrina *P. Pasqualigi* superiori numero allata: Qui ulteriorem addit rationem; pro-

venit hoc, inquit, *Ex universali intentione virtuali, per quam quisque quærit in suis operationibus Beatitudinem* : ut docet *Sanctus Augustinus Concione* 2. *in Psalm.* 32. Adeoq; semper vult, quod melius est ; & quod plus participat de Beatitudine, & consequenter semper intendit operari omni modo efficaciori, & utiliori.

1263 Opponent fortasse Adversarii. Ad merendum, non sufficit dicta generalis interpretativa intentio ; ergo neque ad lucrandum Indulgentias. Præterea, concessio requirit acceptationem; neque credendum est, Pontificem illis conferre Indulgentias, qui eas non acceptant, ad has autem acceptandas requiritur intentio saltem virtualis. Respondeo ad primum (quidquid sit de intentione ad meritum requisita) non currit paritas rationis inter meritum, & Indulgentiam; hæc enim in sola pœnæ remissione consistit, ac propterea ex sua natura non requirit ullum actum in persona, cui remittitur pœna, adeoq; nec intentionem, nec scientiam. In tantum autem Indulgentia requirit actum, in quantum non conceditur nisi conditionatè, si videlicet opus injunctum præstabitur, qui actus sub titulo determinatæ satisfactionis requiritur, ut cum satisfactionibus Thesauri Ecclesiæ conjungatur. Ceterum, absolutè loquendo, ad satisfaciendum alteri, non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit exhibere satisfactionem. Unde ad obtinendam Indulgentiam, sufficit, ut adimpleatur quocunque demum modo opus injunctum, ita ut ab Ecclesia assumi, cum satisfactionibus ex ipsius Thesauro desumptis uniri; ac Deo offerri queat. Imò tota hæc doctrina verificatur etiam (contra *Lugonem*, *Quintanad.* & *Gobat*) quando exigitur opus applicandum pro certa necessitate. Quia (ut argumentatur *P. Pasqualigus l. c. n.* 9.) aut implentur injuncta opera, applicanturque pro dicta necessitate, aut non, si adimplentur, & applicantur, Indulgentia obtinebitur, licet operans nil sciat de Indulgentia, modo præstet opus, atque applicet, licet absque respectu ad Indulgentiam. Porrò si non adimpletur, aut non applicatur, non exhibetur opus injunctum, cum non solùm opus, verum etiam intentio præcepta sit.

1264 Ad secundam oppositionem resp. p. cum *Burgaber supra*; Quemlibet habere universalem intentionem acceptandi Indulgentias, quod sufficit. Idque confirmat noster *P. Quarti l. c. pag.* 142. *Vers. Secunda sententia*, hisce verbis : *Indulgentiæ acquiruntur, quin earum habeatur notitia, posito, quod impleta sint opera injuncta, licet ex mera devotione, absque actuali, aut virtuali intentione ; & sufficit, non adesse intentionem contrariam, quod idem est, ac dicere, quod sufficiat intentio habitualis*, sive acceptatio universalis. Resp. 2. cum *P. Pasqualigo l. cit. num.* 8. Ad concessionem tunc requiri acceptationem, quando per eam in concessionarium transfertur aliquod dominium, ad hoc enim requiritur actus aliquis concessionarii, cum dominium rei non acquiratur, nisi adsit animus eam possidendi. *Ruin. Consil.* 143. *Bursat. Consil.* 325. *Surd. Consil.* 391. *num.* 27. At per Indulgentias non transfertur dominium aliquod in concessionarium, cum per eas tantummodo liberetur à debito pœnæ, à quo, ut liber evadat, nulla requiritur acceptatio, per se enim quilibet censetur eam velle acceptare.

1265 Licet autem hic applicentur satisfactiones ex Thesauro Ecclesiæ, quas deinde quilibet offert pro suis debitis, id tamen non semper fit formaliter, sed sufficit fieri virtualiter, in quantum scilicet Ecclesia eas offert pro unoquoque, hæc quippe oblatio, est virtualis solutio, quæ continet utrunque, exhibitionem videlicet, & acceptationem ; insuper, & solutionem factam pro eo, qui liberatur à debito pœnæ: quapropter non requiritur actus ex parte recipientis Indulgentiam, sed solum actus, quo exhibetur opus injunctum ; sufficit enim quod Ecclesia Deo offerat satisfactiones pro eo, qui opera injuncta peragit, idque facit virtualiter, quando concedit Indulgentiam ; ita præfatus *P. Pasqualigus*. Exactiore autem diligentia, ut cernis Amice Lector, præsentem difficultatem sententiæ nostræ oppositæ, tibi resolvi ; non tam, ut privilegium meum, assertionemque meam sustinerem, quam ut speciali te consolatione replerem, certum te reddens (quod fortè vel nesciebas, vel non credidisses) scilicet, quod plurimas Indulgentias lucrari possis, tam pro te, quam pro Defunctis, etiam si nil de iis cogites; maximè si Filiatione Spirituali ab aliqua Religione donatus fueris, quæ quam plures secum affert Indulgentias ut videre est *In mea Filiatione Spirituali sub cap.* 8. in quo *De Indulgentiis quæ per Litteras Filiationis conferuntur*. Hæc notitia meritò accendere te debet ad multiplicandas Orationes, ac bona opera: maximè ad frequentem Ecclesiarum Regularium visitationem, quibus plurimæ à Summis Pontificibus concessæ fuere Indulgentiæ: quas vide fideliter recensitas *in dicto Cap.* 8. *Spiritualis meæ Filiationis per totum*.

1266 Su-

1266 Supereſt denique alia adhuc difficultas ſolvenda. Filiatio Spiritualis eſt quidem effectus internus, ejus tamen conceſſio dependet ab externo effectu, extrinſecùs manifeſtato: igitur per ſolam conferentis voluntatem, non poteſt illius conceſſio eſſe perfecta. Antecedens conſtat, quia Filiationes Religionum, cum conceduntur, ſemper Litteris Gratioſis manifeſtantur. Conſequentia probatur à paritate conceſſionis Indulgentiarum, hæ nanque cum conceduntur, exterius ſemper manifeſtantur. Ideo præter *Suarez in* 3. *par. to.* 4. *diſp.* 57. etiam *P. Paſqualigus de Jubileo qu.* 240. docet, quod *Efficacia Indulgentiæ pendet à voluntate concedentis, non quomodocunque, ſed exterius manifeſtata, quia per ſolam interiorem voluntatem non conſummatur conceſſio, atque adeò nec habetur efficatia Indulgenciæ*. Ergo ut conceſſio ſit efficax, *Requiritur ſignum exterius* (ait *Gabriel à S. Vincentio de Pœnit. diſp.* 13. *qu.* 8.) *Indulgentiæ manifeſtativum; ſicut etiam hoc requiritur, ut Indulgentia revocetur*. Ergo à pari, quia Filiatio Spiritualis ſemper conceditur per Litteras Gratioſas, per quas exterius manifeſtatur; ab his conſequenter, tanquam à ſuo ſigno manifeſtativo (& non aliter) ſuam efficaciam recipit, atq; ultimum complementum.

1267 Reſpondeo ad argumentum, falſum eſſe antecedens, quod nimirum Filiatio Spiritualis, quantum ad ſuum eſſe, & efficaciam dependeat ab externo effectu manifeſtato, abſolutè id nego, & ſic pariter ruit conſequentia. Aliud enim eſt, quod Filiatio Spiritualis, quoties conceditur, per Litteras Gratioſas manifeſtetur: aliud, quod quo ad ſuum eſſe, & efficaciam, ab hac manifeſtatione dependeat: illud concedimus, iſtud negamus. Ad probationem negatur paritas rationis inter manifeſtationem per Gratioſas, & promulgationem Indulgentiarum, ſi hæc neceſſaria eſſe concedatur ad ipſarum efficaciam. Indulgentiæ nanq; ut dicitur, ſunt contractus quidam innominatus, dò ut facias; ſcitur autem, quod contractus notus eſſe debeat contrahentibus; & præcipuè Indulgentiæ manifeſtari debent, ratione operis à concedente injuncti. Filiatio autem Spiritualis, non habet rationem contractus, ſed eſt pura gratia; & quo ad ſuum eſſe, atque efficaciam, tota dependet à ſola voluntate interna Prælati concedentis, tanquam à ſua propria, & adequata cauſa, qui in conceſſione non dicit: do ut facias, ſicut Pontifex in conceſſione Indulgentiarum; nihil exigit ab aſſumpto in Filium Ordinis; quidquid dat, totum gratuitò donat: recipiturque à donatario, etiam dormiente, & ne quidquam cogitante; ſicut enim donum, iſtud eſt intrinſecum quid, & Spirituale, ita etiam illius receptio. Quilibet enim per ſua bona opera de congruo meretur pro altero, & ſatisfacit, quin ille quidquam de hoc ſuſpicetur, aut ſciat; cum ſufficiat, per omnes Theologos, ut ſit capax in Anima. Aliud nanque haud facit Prælatus, quando concedit Filiationem Ordinis, quam applicare merita, & Opera ſatisfactoria ſuorum Subditorum; Ut autem hujuſmodi conceſſio ſuam totalem obtineat efficaciam, aliud non requiritur, quam ſpiritualis ea recipiendi capacitas. Quare nihil obſtat hic commune illiud axioma, ac legis principium: *Voluntas mente retenta, nihil prorſus operatur, l. ſi repetendi ff. de condict. ob cauſ. & l. Quidam cum filium ff. De hæred. inſtitut. Surd. Conſil.* 321. *nu.* 56. *Menoch. lib.* 1. *Præſumpt.* 26. *n.* 5. *Duran. deciſ.* 379. *n.* 6. *Rota deciſ.* 334. *n.* 6. *par. p. Recent. apud P. Paſqualigum qu. cit. n.* 2. Ubi, hujus principii rationem reddit à priori: *Quia*, videlicet, *nulla cauſa poteſt operari extra propriam ſpheram; ergo nec voluntas mente retenta, poteſt ſe extendere ad effectus externos, cum ſint extra ſpheram voluntatis, pro ut mente retinetur*. Non inquam obſtat hoc principium, quia conceſſio Filiationis totaliter ordinatur ad internum; neque neceſſarium eſt, ut ad ullum externum effectum ſe ſe extendat, ad hoc ut efficacem nanciſcatur executionem; pro ut in ſententia *P. Paſqual.* conceſſio Indulgentiæ neceſſariò ſe debet extendere, fatetur enim ipſemet *num.* 2. Quod *Indulgentia conceſſa, eſt quidam effectus exterior*. Verum quidquid ſit de hoc ultimò *P. Paſqualigi* addito, videtur certum ex dictis, & Doctoribus (eodem etiam *P. Paſqualigo*, ut ſupra, incluſo) poſſe quem acquirere, etiam Indulgentias quas ignorat, ſi adimpleat ea (materialiter ſaltem) quæ in earundem conceſſione à Summis Pontificibus injuncta ſunt, atque præſcripta, quod facillimè evenire poteſt ex ſupra poſitis. Hinc

1268 Obiter. Quæres hic, An majorem nobis utilitatem, majuſque emolumentum afferant Indulgentiæ, an verò Gratioſæ Participationes bonorum ſpiritualium alicujus Ordinis, ſeorſim conſideratæ, nec invicem incluſæ? Reſpondeo cum *Ruteo de Participationib. qu.* 3. *ſec.* 3. *ſub num.* 16. *Verſ. Pro complemento pag. mihi* 71. *Paulo ab Omnibus Sanctis in Clavi Aurea par.* 3. *cap.* 6. *n.* 214. *pag. mihi* 304. *& cum mea Filiatione Spirituali*

Spirituali cap. 4. dub. 24. num. 277. fol. 184. Indulgentias majoris esse valoris, in quantum ipsæ secundum probabiliorem sententiam, certò, & infallibiliter juvent tam vivos, quam defunctos; & quia satisfactiones, quæ ipsis per easdem Indulgentias applicantur, sumuntur ex infinito, & indeficiente Thesauro Ecclesiæ. Præterea, Indulgentiæ sunt communiter abundantiores, majorque pœna per eas remittitur, quam per præfatam spiritualem Filaitionem, seu communicationem bonorum spiritualium Ordinis, per quam, quantum remittatur, ignoramus, maximè cum hominum satisfactiones sint finitæ, ac deficientes. Verum quidem est nihilominus, quod dicta bonorum Spiritualium communicatio aliquo modo superare videtur Indulgentias in hoc videlicet quod Indulgentiæ solùm conferunt ad remissionem pœnæ; Communicatio verò Operum bonorum Religionis prosit non solum ad eandem pœnæ remissionem, sed præterea etiam ad consequendum multa alia bona Spiritualia, ac temporalia: quandoquidem illis mediantibus plures gratiæ prævenientes impetrentur, quarum virtute facilius recuperatur gratia habitualis perdita, & gratia sanctificans recuperata conservatur, ac augetur; majori fortitudine tentationibus quis reluctatur &c. Et hoc ipsum credo significare voluit *Pat. noster Alphonsus de Leone in suo Tract. de Jubileo par. pr. num. margin. 232. dub. p. in fine pag. mihi* 54. *col.* 2. dum ibi ait, unà cum *Cæsarubio*, dari, casum in quo plus conferant communicationes Religionum, quam Indulgentię, cum nimirum quis existit in peccato mortali. *Nota (*ait ipse*) ex Cæsarubio in Compendio Privilegior. Mendic. Verbo Indulgentia versus finem, quod datur Casus, in quo plus prosunt hæ Communicationes, quam Indulgentiæ, scilicet, quando quis est in peccato mortali. Addo secundum casum, quando suspenduntur Indulgentiæ, ut tempore Anni Sancti.* Plusq; adhuc dicit *P. Pasqualigus de Magno Jubileo qu.* 152. *num.* 4. inquiens: *Litteræ Filiationis possunt alicui plus prodesse, quam prodesset Indulgentia plenaria. Ratio autem est, quia hæc communicatio est non solum quo ad satisfactionem, sed etiam quo ad impetrationem. Quia licet quo ad satisfactionem, requireretur peculiaris voluntas Religiosorum, ut applicaretur, adhuc tamen ista voluntas adest semper, vel formaliter, vel virtualiter, vel saltem interpretativè, stante quod habentes hanc communicationem sunt facti membra Religionis. Unde fieri potest, quod tales satisfactiones sint sufficientes pro tota pœna debita peccatis. Unde insuper gaudebunt impetratione, media dicta communicatione.* Ex quibus.

1269 Deduces, Aliquas intervenire differentias inter Gratiosas Participationes, seu Filiationes Religionum, atque Indulgentias. Duas assignat *S. Thomas in 4. dist. 20. art. 4. qu. p.* Quarum prima est, quod licet aliquis per Participationes Gratiosas liberetur à debito pœnæ, ob satisfactiones Ordinis; quæ ipsi vi earundem Gratiosarum applicantur, nihilominùs non liberatur à debito exequendi pœnam in Sacramento Pœnitentiæ sibi injunctam; pro ut liberatur vi Indulgentiarum; cum sit sententia communis *Ex Cap. Cum ex eo, de Pœnit. & remiss.* per Indulgentias remitti pœnas, ac satisfactiones injunctas in foro interno Pœnitentiæ: dum enim tollunt pœnam, eo ipso liberant etiam à debito satisfaciendi pro ipsa pœna, undecunqae ortum traxerit. Quamvis autem per Gratiosas quoque Participationes, seu Spirituales Religionum Filiationes, habeatur remissio pœnę, nihilominus per talem remissionem non relaxantur satisfactiones injunctæ, neque ab ea attinguntur, aut afficiuntur; licet etiam talis Gratiosa applicatio (ait *Corduba de Indulgent. qu.* 39.) communicaretur ab ipso Summo Pontifice, quia hæc fit de solis bonis spiritualibus alicujus Congregationis, quæ non sunt infinita, nec constat esse sufficientia ad talem satisfactionem

1270 Secunda differentia est, quod Indulgentię scaturiunt ab inexhausto, atque indeficiente Thesauro Ecclesiæ, qui ex infinitis Christi meritis, ac etiam Sanctorum constat: Participationes autem, seu Filiationes Gratiosæ effectum non habent à prædicto Ecclesiæ Thesauro, sed fundantur in solis meritis, & satisfactionibus Religionis, cunque in ea non sit copia meritorum indeficiens, tantum pœnæ per eas remittitur, quantum de satisfactionibus Religionis per eas aliis applicatur.

1271 Tertia differentia est (quam attingit etiam (*Passarellus in notandis Privilegiorum, notab. 22. relatus à Ruteo de Participationib. qu. 3. sec. 3. Vers. Tertia differentia, num. margin. 13. fol. mihi* 68. Quod nimirum per Gratiosas Filiationes applicatur solummodo fructus bonorum operum futurorum; postquam enim opus factum est, non est amplius in potestate operantis. At verò per Indulgentias communicantur satisfactiones Christi, ac Sanctorum, actualiter jam repositæ in Thesauro Ecclesiæ,

ac

ac scaturientes à præteritis ipsorum bonis operibus (ex quo etiam apparet, multo minorem esse potestatem concedendi Participationes, & Filiationes Gratiosas, potestate concedendi Indulgentias, cum illa non transcendat authoritatem, sicut transcendit concessio Indulgentiarum.) Unde *Navarrus Miscell. 11. de Rosar. nu. 5.* supposito hoc eodem principio subjungit: *Ex quo infertur, potius militari, quam Canonico, quemdam Avum meum, virum militarem, fratri suo fortissimo milite in prælio occiso, donasse meritum jejuniorum Sabbathorum septem annorum, quæ in honorem Virginis Mariæ proximè antea jejunaverat; cui rei similia illo tempore ab aliis quoque suæ conditionis Viris, potius bona fide, quam erudita ratione facta fuisse accepimus.*

1272 Quarta differentia (quam insinuat idem *Passarellus l. c. apud eundem Ruteum l. cit. num. 14. pag. mihi* 69. quanque etiam affert *Sotus in 4. dist. 21. qu. p. & ibidem Palatius dist. 20. disp. 4. in fine*) est, Quod, in concessione Indulgentiarum Prælati utuntur Clave Ecclesiæ, dum remittunt debitas pœnas per veram absolutionem, nihilominùs tamen non conferuntur Indulgentiæ præterquam solis subditis: in Participationibus autem, seu Filiationibus Gratiosis, applicantur etiam non subditis, Amicis, & Benefactoribus: non tamen includunt actum ullum Jurisdictionis, sed per meram solutionem, ac satisfactionem sortiuntur suum effectum. Refragatur huic differentiæ (apud *Ruteum n. c.* 14.) *Navarrus n. 5. supra cit.* eò quòd Indulgentiæ conceduntur etiam Defunctis, quibus tamen non prosunt per viam jurisdictionis, & absolutionis: ergo &c. At facilè resolvitur oppositio, concedendo quod Indulgentiæ concessæ vivis, illis prosint per modum absolutionis, & Judiciariæ potestatis: Defunctis autem solùm per modum suffragii: Attamen ambæ (ut notat etiam *Ruteus n. 14. cit.*) conceduntur per actum potestatis Clavium, quatenus uctrobique fit æquivalens solutio ex Thesauro Ecclesiæ. Quamvis autem potestas Clavium quo ad Indulgentias vivorum, & mortuorum duplicem habeat effectum, absolutionis nimirum quantum ad vivos, solutionis autem, quantum ad defunctos, utraque tamen differt à Participationibus Gratiosis, seu Filiatione Spirituali, quia quælibet illarum est actus potestatis Clarium per modum Solutionis ex Thesauro Ecclesiæ, & Indulgentiæ quidem vivorum sunt per modum absolutionis.

1273 Intercedunt insuper etiam aliæ differentiæ inter Gratiosas Participationes, seu Filiationem Spiritualem, atque Indulgentias; quod hæ scilicet valent ad remittendas pœnas peccatis debitas; illæ autem ad alios præterea effectus, impetrationis &c. ut supra dictum est, & ut videre est pluribus in locis, & Capitulis in mea Filiationi spirituali. Insuper quòd Indulgentiæ tantum remittunt pœnas debitas peccatis commissis antequam quis eas lucretur: Filiationes autem, Participationesq; Gratiosæ specialiter prosint pro tempore futuro: *Indulgentiæ, tantam remittunt pœnas debitas peccatis commissis ante tempus, quo quis eas lucratur: Participationes verò maximè valent pro futuro; & omnes earum effectus perpetuò aliis proderunt, quamdiù iis indigebunt, ut etiam in Litteris earundem exprimitur:* ita *Ruteus de Participationib. qu. 3. sect. 3. n. 15. fol. mihi* 70. Quòd totum confirmat *Paulus ab Omnibus Sanctis in Clavi Aurea par. 3. cap. 8. sub num. 220. pag. mihi* 313. sequentibus verbis: *Certum est, quòd recipere Fideles ad participationem bonorum spiritualium alicujus Congregationis, vel etiam totius Ecclesiæ, non est Indulgentiam aliquam concedere: si quidem dum alicui Indulgentiæ conceduntur, ei applicantur, & dispensantur præteritæ Christi Domini Satisfactiones, & Sanctorum, quæ in Thesauro Ecclesiæ conservantur. Quæ dispensatio propterea, fieri potest solum ab habente Claves ipsius Thesauri; eas autem solummodo habet Summus Pontifex, & Episcopi dependenter à Summo Pontif. Acceptare autem aliquem ad participationem bonorum spiritualium alterius, est illi applicare tum ejus merita per modum impetrationis, ac meriti de congruo, nedum quando fiunt, sed etiam ubi facta fuerunt: tum per modum suffragii, & satisfactionis, sed solum quando actu fiunt; & ista applicatio fieri potest tum ab ipso operante, tum ab ejus Superiore, & Prælato:* Ad hanc eandem rem faciunt ea quæ scribo *In mea Filiatione Spirituali cap. 7. dub. 4. per totum à pag. 227. usque ad 238. inclusivè.* Videantur. Et etiam *Peyrinus de Privilegiis in Additament. ad Constit. Gregorii XIII. Cap. 7. n. 10. pag. mihi 440. col. 2. Vers. Conclusio* 5. Ubi notat (& optimè) quod semel acquisita una Indulgentia plenaria, ita ut peccatum aliud non occurrat, aut remaneat remittendum: repetitio Indulgentiæ nihil operetur ex opere operato, cum nihil adsit (ut supponitur) quod remitti possit, nec subjectum sit capax Indulgentiæ, nec ulla adsit pœna remittenda. *Non per hoc tamen* (optimè pariter addit idem *num. 14. pag. seq. 441. col. 2. Vers. Concludit igitur*) *Quod nulla*

nulla adsit pœna remittenda est infructuosa repetitio piarum precum, seu Visitationis Ecclesiæ, nam per ea acquiruntur ex opere operantis multa bona, augmentum scilicet majoris, & majoris gratiæ, & meritorum æternæ gloriæ, augmentum Christianæ Religionis, & profectus animarum, impetratio bonorum &c. Adde etiam, quod si ille, Indulgentiæ incapax sit, eo quia nulla adsit in eo remittenda pœna; iisdem Orationibus, atque Ecclesiæ Visitatione &c. acquirere potest Indulgentiam pro aliqua Purgatorii Animas ad beneplacitum.

PRIVILEGIUM XXXVIII.

Regularis Professus Habitum temerè dimittens, idest sine justa, & honesta causa, excommunicationem Canonis Cap. Ut periculosa 2. Ne Clerici, vel Monachi in 6. *non incurrit, si cum Ignorantia hujus Canonis habitum dimittat.*

1274 Loquitur hoc privilegium de religiosi habitus dimissione, quæ contingit sine rationabili causa, cum scandalo, & animo diuagandi actu. Quare necesse est, ut dimissionem habitus sequatur diuagatio actualis, nullus enim cogitationis pœnam meretur. Hinc cessante vagatione, cessat *cit. Capitis* dispositio; & pœna non incurritur, nisi secuto effectu vagationis: Quia *Summus Pontifex Bonifacius VIII. in d. cap. Ut periculosa* adstringere voluit Religiosos omnes ad ferendum habitum sui Ordinis semper, & in omni occasione, vt subtraheret illis diuagandi materiam, & occasionem extra sua Monasteria; hocque sub pœna excommunicationis; quæ incurritur etiam si qui habitum dimittit non faciat animo apostatandi, quia talis conditio non assignatur in *d. cap.* neque includitur in dimissione habitus, potest enim aliquis esse Apostata, etiam habitu retento, si à sua Religione recedit etiam habitu retento, animo illam deferendi in perpetuum: & non Apostata habitum dimittendo, si hunc dimittit non animo apostatandi: *Lezana to. p. cap. 13. n. 3. ubi Paludan. & Nauarrus.* Intentio igitur *Bonifacii in c. cap.* fuit, punire Religiosum Professum habitum dimittentem ob solam vagationem: deponens enim habitum ex malo etiam fine, ut commodius scilicet, ac voluptuosius fornicetur, non est excommunicatus, quia in hujusmodi expoliatione habitus nullum contingit vagationis vitium. Hinc dimissio habitus, ut sic, in se spectata, non inducit dictam excommunicationem, nisi habeat adiunctam vagationem. Quamvis enim habitus non faciat Monachum, tamen, quia signum est Religionis quam Religiosi profitentur *(Conc. Trident. sess. 14. cap. 6.)* idcircò Regulares omnes suæ Religionis habitum temerè dimittentes sunt excommunicati maiori excommunicatione, nulli tamen reservata *d. cap. 2. Ut periculosa*: sub sequentibus verbis: *Ut periculosa Religiosis vagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliqui quamcumque Religionem tacitè, vel expressè professus, in scholis, vel alibi temerè habitum Religionis suæ dimittat &c. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.* Dicitur autem *temerè* habitum dimittere (ut notat etiam *Lezana in summa to. p. cap. c. 13. n. 2.*) qui sine justa, & honesta causa illum dimittit. Hinc si Religiosus quis, per loca Hæreticorum, aut Turcarum, vel aliorum hostium Religiosi habitus, transiturus, habitum dimitteret, non incurreret dictam excommunicationem, quia tunc adesset justa causa dimittendi illum: *Suarez de Censf. disp. 23. sec. 4. n. 27. col. 2. pag. mihi* 453. Ubi: Si dimissio habitus fiat ex causa rationabili, qualis erit defensio propriæ vitæ, vel famæ, aut proximi, aut vitare scandalum graue, & similes, tunc non potest dici temeraria, quia prudenter fit.

1275 Nec etiam excommunicationem canonis, in proposito privilegio allatam incurret, qui ex dicti Canonis ignorantia habitum dimittit. Et ratio est, quia dictio illa Canonis, *temerè habitum suæ Religionis dimittit.* idem significat, quod *scienter*: *Lezana n. 2. cit. & cap. 10. antecedenti nu. 33. Suarez n. cit. 27. & disp. 4. sec. 10. n. 2. & 3. Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 32. n. 38.* alios referens. Et *Bonacina de Clausura qu. 2. punc. 2. propos. 2. nu. 18.* Ubi expressè sic: *Qui habitum dimittit, ignorans prohibitionem, non incidit in excommunicationem, etiam si ignorantia sit vincibilis, & mortaliter culpabilis, vel etiam crassa, vel supina (modo non sit quasi scientia, & ingens temeritas) hic enim non dicitur prohibitionem transgredi ex contemptu, seu scienter, & temerè, nam illa dictio (temerè) idem est, quod consultò, seu scienter, ut alibi sæpius dixi &c.* Ignorans igitur hujusmodi Canonem, & habitum etiam temerè (ut in proposito privilegio) dimittens, excommunicationem non incurrit.

1276 Quam eandem conclusionem, ac ignorantiæ privilegium, ponunt etiam, probantque ad litteram *Antonius Sanctarellus in Tractatu De Apostasia cap. p. dub. Unico n. 2.*

pag. mihi 476. Versu Dico secundò. Et Versu Hic nota. Item Suarez Tom. V. De Censuris disp. 23. sec. 4. nu. 27. & 29. & alii. Quibus addo, & *Bordonum par. p. suarum Resolution. resol. 35. quæst. 11. n. 36. fol. mihi 326.* Ubi quærens, An quævis ignorantia etiam crassa excuset ab incursu hujus excommunicationis. Respondet affirmativè, & probat, quia excommunicationes illæ, quæ temerariam supponunt violationem, non incurruntur ab ignorantibus non solum probabiliter, sed etiam culpabiliter ex ignorantia culpabili, immo etiam crassa, & supina, non tamen affectata aut quæ sit cum ingenti temeritate (ut docui & ego probabiliter cum pluribus aliis Doctoribus *c. 4. privileg. 7. 8. & 9.*) At hæc excommunicatio supponit transgressionem temerariè factam, bis enim temeritas hæc repetitur in textu: & sub hoc verbo *temerè*, & sub his verbis, *Temerarius violator extiterit*, ergo non incurritur per ignorantiam etiam culpabilem. Majorem vide probatam *Cap. 4. Privileg. 7. per totum* ratione, & Doctorum Auctoritate, quibus addo eundem *Bordonum l. c.* ubi etiam refert *Navar.*, *Sanch.*, *Henrinq.*, *Petrum de Ledesma*, *& Bonac. De Clausura, qu. 2. punct. 2. nu. 13.* Et ratio est, quia *temerè* facere, est consultò, & scienter facere prohibitum dedita opera, *Cap. ex literis, de Divortiis*, constat autem quamlibet ex prædictis ignorantiis excludere *scientiam*, ergo sic ignorans excusatur à dicta pœna; quod docet etiam (& de Communi Doctorum) idem *Bordonus* cum aliis. Quibus adde *Sanctarellum nu. 2. cit.* Ubi sic: *Non dicitur temerè dimittere habitum Religiosum, ita ut incurrat hanc excommunicationem is Religiosus, qui non ex rationabili causa illum dimittit, sed ex ignorantia culpabili, vel ex passione, vel ex animi levitate, cum aliqua apparenti ratione, seu excusatione, nec enim in hoc casu dicitur dimittere habitum ex contemptu, ita etiam Suar. n. n. c. c. 27. & 29. Nam illa particula (temerè) bis repetitur in dicto Capite Ut periculosa. In principio enim dicitur (temerè) habitum dimittat. Et infra dicitur (si quis horum temerarius violator extiterit.) At quando in Canone, vel lege idem verbum repetitur, talis repetitio non caret magno mysterio ex Glosa in Clement. pr. de Jure patronat. Verbo Diœcesanis, & ibi Imola n. p. Quare debet strictè accipi particula illa [temerè] & talis Religiosus potius dicetur dimittere habitum timidè, & ignoranter, quam temerè, ut ait Sanch. libr. 6. Operis Moralis Cap. 8. n. 41. Deinde quando Excommunicatio lata est contra præsumentes aliquid facere, qui illud fecerit ex metu, vel ex ignorantia etiam culpabili, excusatur à censura lata contra præsumentes, ergo etiam excusatur ab excommunicatione lata contra temerè dimittentes habitum, si ex ignorantia etiam culpabili Religiosus habitum Religiosum dimittat, cum excommunicatio sit lata contra Religiosos dimittentes temerè habitum Religionis. Item in tali casu habitus dimittitur non ex temeritate, sed ex causa apparenti, ergo non incurritur excommunicatio. Et hic nota ad hoc, ut non incurratur excommunicatio, excusare ignorantiam, etiam si fuerit crassa, & supina, nam in d. cap. Ut periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6. excommunicantur habitum temerè dimittentes, & temerè aliquid dimittere, vel facere, ut asserunt Cardinalis in Clem. pr. §. Si quis, notab. pr. de Statu Monach. & ibi Anchar. n. 15. Suarez de Cens. tom. 5. disp. 4. sec. 10. nu. 3. addens esse idem etiam quod consultò, & præsumendo: & quando in juribus imponuntur pœnæ scienter aliquid facientibus, vel præsumentibus facere, excusat ab illis pœnis ignorantia etiam crassa, & supina. Deinde is dicitur aliquid temerè facere, vel omittere, qui illud facit, vel omittit ex contemptu legis, quia nempè renuit illi subesse, ut tradunt D. Tho. 2. 2. qu. 53. art. 3. ad 3. & ibi Cajet. Suar. tom. 5. disp. 22. sec. 4. n. 27. Sed qui ex ignorantia crassa, & supina habitum suæ Religionis dimittit, non id facit ex contemptu, ergo non incidit in hanc excommunicationem. Item temerè aliquid facere, idem est quod stultè facere, ut docent Jo: Monach. in c. p. n. 12. de sent. Excomm. in 6. & ibi Jo. Andreas nu. 5. at qui ex ignorantia culpabili habitum suæ Religionis dimittit non censetur illum dimittere fatuè. Incurreret verò, quando ignorantia esset nimis crassa, nam talis ignorantia æquiparatur scientiæ, & qui ex tali ignorantia aliquid faceret, censeretur scienter, & dolosè operari, ut docent Antonin. in cap. 2. de constit. n. 9. Henriq. lib. 13. cap. 23. n. 3. Petrus de Ledesm. De Sacram. in sua Summ. cap. 3. de Excomm. dub. ult. dicto 3.* Hactenus, & optimè ad rem nostri propositi privilegii, ut constat, *Sanctarellus l. c.* Sed

1277 Quæres primò. An Religiosus (cum scientia etiam dicti Canonis, & prohibitionis) dimittens habitum, eodemque se expolians sine scandalo, ad saltandum, ludendum, lapidem proiiciendum, utendum larvis intra Monasterium (vel etiam extra in Domibus parentum tantum) ad recitandum aliquid ludricum recreationis gratia, modo non sit de re ex se mala, peccet mortaliter? Respondeo negativè cum

Bordono reſol. c. 35. *n.* 6. in quo ſic: *Saltatio, & uſus larvarum, honeſtè, & recreationis cauſa peracta, apud quaſdam Religiones tempore Bacchanalium, cum depoſitione habitus, non ſunt pluſquam venialia, præciſis extraneis, ſiquidem Superiores hujuſmodi recreationes permittunt, neque probibent, aut alicui ſit ſcrupulus de peccato mortali.* Quia videlicet hæc fiunt à Religioſis, & inter eoſdem titulo honeſtæ lætitiæ, unde ſic non eſt temeraria habitus dimiſſio. Ab hac reſponſione non recedunt *Syluest. V. Habitus q.* 2. *n.* 3. *nec Suarez to.* 4. *De Religione lib. p. cap.* 3. *n.* 18. *pag. mihi* 23. (Ubi, quod niſi hujuſmodi dimiſſio habitus ex circumſtantiis fiat culpabilis, vel mortale peccatum, non erit talis) niſi juxta Regulæ obligationem: concludens *n. c. in fine cum Archidiacono, & Jo. Andrea*, quod expoliatio habitus ex ſui natura non ſit peccatum mortale, *niſi fortaſſe ex ſpeciali Regula talis probibitio cum eo rigore facta ſit, ſemper enim jura ſpecialia excipienda, quæ conſulenda, & obſervanda ſunt.* Ita *Suarez* cum quo & *Bonac. l. c. n.* 15.

1278 Scio *Jacobum de Graſſiis Decisionum Aurear. par. p. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 77. *pag. mihi* 388. oppoſitum aſſerere: Religioſum videlicet dimittentem Habitum, vel illum occultatem propter ludum laruarum, etiam intra Monaſterium, peccare mortaliter: quod multis probat, ut videre eſt apud ipſum *toto n. c.* 77. *Verſu Quarta Religioſiis, & Verſu tum etiam ob Habitus occultationem.* Verum, ut optime etiam *Bordonus n.* 6. *c.* quæ ipſe *Graſſius* (tum ibi, tum etiam *lib.* 4. *ejuſdem part. primæ cap.* 21. præſertim *à n.* 16.) affirmat; vel probant eſſe veniale tantum, vel ſi mortale, id tamen non ex ſe, ſed ſolum reſpectu circumſtantiarum peccatum mortale inducentium. Dimiſſio enim habitus ex ſe, maximè cum rationabili cauſa, & præciſo ſcandalo (ſiue intra, ſiue extra Clauſtrum deponatur) ut cauſa balneationis ex. gr. natationis, piſcationis, laboris, magni æſtus, utilitatis, commoditatis, dormitionis cauſa, ad evitandam mortem, vel alterum damnum (ut idem etiam *Bordonus l. c. nu.* 7.) nullum peccatum eſt. Quod totum confirmatum vide, tum à *Jo. Baptiſta Confectio in Collectione Privilegiorum Mendicantium Tit.* 13. *cap.* 14. *pag. mihi* 385. Ubi: *Sine peccato dimittitur habitus, cum ſit ex juſta, & rationabili cauſa: nempe ratione balneationis, natationis, & piſcationis: vel cum ſit juxta Regulæ ſtatuta, ut puta ex cauſa mutationis, mundationis, reparationis, vel quando ſit cauſa juſti timoris, videlicet propter periculum captionis, ſive mortis, ut ſi quis tranſeundo per Terras infidelium, ſeu aliorum inimicorum, dimittit habitum ne agnoſcatur.* Tum à *Navarro in Manual. cap.* 27. *nu.* 131. Vbi: *Quod quælibet habitus dimiſſio (cum Sancto Antonino, & Paludano) non eſt peccatum mortale, nec per talem dimiſſionem conſequenter excommunicatio incurritur, qualis eſt dimiſſio ad currendum ex. gr. vel jaculandum lapidem, &c.* Tum etiam (aliis tot omiſſis) à *P. Diana to.* 7. *Coord. tract. p. tit. De Dubiis Regularium reſ.* 207. *ex par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 115. in qua ſic: *Non eſt Apoſtata, nec incurrit in dictam excommunicationem Religioſus qui habitum non defert in cubiculo ſuo, vel in loco alio ſecreto; ut melius ſtudeat, quieſcat, dormiat &c. nec etiam qui ex levitate quadam Habitum dimittit, ut melius currat, ſaltet, ludat &c. Imò ego puto, neque Religioſum incurrere in dictam excommunicationem, ſi habitum dimittat, ut eat ad lupanar ad fornicandum, vel ut ſecretò furetur, ſtatim habitum iterum ſumpturus, & ſi habitum alium ad ſic ſe occultandum eo brevi ſpacio aſſumat, &c.* Hactenus *Diana cum Sanctarello dub. c. unico n.* 5. 6. *&* 7. *pag. mihi* 478. *&* 479. Vide eundem *Dianam reſ. Coordin. ſequenti* 208. *ex parte* 5. *tract.* 5. *reſ.* 51. *Et altera ſubſeq.* 209. *item Coordin. Ex par.* 4. *tract.* 7. *& Miſcell.* 2. *reſ.* 5. In quarum prima. *An in dimiſſione habitus propriæ Religionis detur parvitas materiæ?* In altera vero *Diſcutiuntur diverſi caſus circa dimiſſionem habitus Regularis.* Videantur.

1279 Et hic ad rem, caſum referam, qui poteſt (& non rarò) occurrere, & quem ponit *Laurentius Portel in dub. Regular. verbo Habitus, in Additione, n.* 3. Ubi ſic: *In particulari poteſt eſſe caſus. Religioſus injuſtè gravatus notabiliter à Prælato, & majus adhuc timens gravamen, non habens aliud remedium, fugit ad Prelatum Superiorem longè diſtantem, ita ut in iſta fuga nullo modo peccet, nec venialiter, ut ſuppono (quod fieri poſſe multi dicunt) in hac tamen fuga, & longo itinere certò moraliter ſcit ſe fore detegendum, & comprehendendum ab inferiore injuſtè gravante, ſi portet habitum Ordinis propter Cuſtodes in viis adhibitos. In quo caſu puto poſſe prædictum cum ſupradictis circunſtantiis, habitum dimittere, donec tutò accedat ad Prælatum ad quem appellat: Probatio facilis eſt: Quia portare Habitum Ordinis, eſt præceptum humanum tantum, ut ſupra cum Sanchez: At præceptum humanum non obligat cum tanto periculo famæ, carceris, & injuſti gravaminis ſperati certò moraliter: & præterea, quia neceſſitas, quæ talem Religioſum, facit juſtè, ideſt ſine peccato exire à Conventu abſque licentia Prælati localis, eadem ſufficit, ut poſſit deponere habitum*

Ordi-

Ordinis, urgente eodem periculo, & necessitate. Facit ad hoc omnino quod tradit Sanchez De Matrim. lib. 7. disp. 37. n. 3. Ubi ait, reclamantem ob nullitatem professionis, etiam si dimiserit habitum antequam exaudiatur, contra Concil. Trident. decernens, ut si habitum dimiserit non audiatur: ait nihilominus Sanchez prædictum reclamantem, posse, ac debere audiri si habuit justam causam dimittendi Habitum: ut si non potuit obtinere licentiam eundi ad reclamandum: nec potuit ire, nisi Habitu deposito, vel non permittitur causas allegare coram Ordinario, & ob id habitu deposito fugit, ut reclamet. Quæ omnia possunt applicari isti Religioso cum prædictis circunstantiis fugienti ad Superiorem, & deponenti habitum necessariò, ut coram Superiore causam suæ appellationis, & gravaminis proponat, Hæc Portel. ubi supra, cum quo & Diana res. cit. Coord. 207. n. 2.

1280 Hinc deducitur etiam, cum eodem Sanch. in Decal. to. 2. lib. 6. cap. 8. nu. 17. & 18. quomodo intelligendum sit Trident. sess. 25. de Regularib. cap. 4. in quo interdicitur Religiosis recessus à suis Conventibus absque Superioris licentia, etiam prętextu Superiores suos adeundi, nisi ab eis vocati fuerint. Non enim (ita Sanch. l. cit.) id Decretum intelligendum est de Religiosis à Superiore iniquè vexatis, qui nullo alio remedio sanè vexationis consulere possunt, quam fugiendo ad Superiores, quo gravamen auferant, nam licentiam petitam injustè denegabit Superior immediatus, aut inferior justè timet eam licentiam petere; sed intelligendum est de Religiosis qui absque justa causa hujus iniqui gravaminis fugiunt. Quippe non est credendum Religiosis his adimi justam defensionem jure naturali concessam. Item quia, ut optimè tradunt Baldus cap. ad nostram num. 4. de appellatione; & ibi Decius in nova edit. nu. 2. Religioso iniquè gravato licita est ad Superiorem fuga. Et ita docent Navarr. Comment. 2. de Regularibus nu. 61. & Commen. 3. n. 51. ad 4. Anton. Cuccus lib. 3. Institution. Major. tit. pr. num. 130. Sà verbo Religio n. 71. Azorius tom. p. Instit. Moralium libr. 12. cap. 11. quæst. 7. Rodriq. qq. Regularium to. p. qu. 30. art. 3. & de Ordine Judiciario cap. 13. nu. 4. fin. & to. pr. Summ. cap. 23. n. p. Sayrus Clav. Reg. lib. 12. cap. 17. n. 40. Quod intellige verum, quando certò, & evidenter constaret Religiosum à suo Superiore iniquè vexari, nec aliud remedium habere, nisi à suo Monasterio recedens, Superiorem adeat, ut possit se apud illum tueri, quatenus jus naturale concedit, & non aliter, ut bene docet Azorius ead. qu. 7. & 8. Item intellige, nisi ex hac fuga scandalum, ac in Religione perturbatio sequeretur: sic Rodriq. eodem cap. 43. nu. 11. to. pr. Sum. Quod limitandum censeo, quando scandalum, & perturbatio tant momenti essent, & ità præponderarent defensionem illius Religiosi, ut meritò illi anteponenda essent. Quare & si Trid. l. c. decernat Religiosos sine licentia Superiorum in Scriptis obtenta, recedentes à suis Monasteriis, posse ab Ordinariis locorum puniri; id Decretum non habebit locum in Religiosis quos dicimus posse justè fugere, ut Superiores adeant, si fidem sufficientem faciant hujus justæ causæ fugiendi; quod tunc fuga hæc vacat culpa. Ita docent Navar. Comment. 3. de Regularibus n. 51. ad 4. Rodriq. to. p. qq. Regularium qu. 30. art. 4. fin. Sayrus eod. cap. 17. n. 40. Hæc Sanchez. Et optimè, posse enim Regularem injustè vexatum à suo Superiore recedere à Conventu, ut adeat alium Superiorem, ut liberetur à gravamine, præter Sanchez, & ab ipso relatos, docent Coriolan. de Casib. reserv. par. 2. Casu 3. nu. 9. & 10. pag. mihi 162. Tamburin. de Jure Abbat. disp. 8. quæs. 2. nu. 7. Vers. Quæ omnia pag. 157 Fagund. Præcept. 2. Eccles. libr. 8. cap. 5. nu. 12. in fine (ubi refert Sà Verbo Religio n. 71. supra relato; in quo sic: Apostata non est à Religione, qui exit animo revertendi, aut qui fugit nimis Sæviente Superiore, aut meritò credens se non esse professum, tunc enim potest etiam dimisso habitu fugere, neque his obstat Conc. Trident.) & nu. 13. (cum Doctoribus aliis ibi citatis) ubi sic: Appellatio ad Superiorem in rebus gravibus est de Jure naturali: appellatio autem vel verbis, vel facto fit, & hæc est appellatio facti, ex Textu De Appellationib. in Cap. de Priore. Ubi ex præscripto Pontificis jubetur puniri Prior, qui in rebus gravibus appellationem non admisit. Unde licet Ordinarius justè ex Concilii Trident. Decreto possit capere, & comprehendere talem Religiosum per suum Territorium transeuntem; non tamen illum potest justè retinere si fidem faciat, se ob justum gravamen ad suum Superiorem appellasse: neque enim Concilium in eo loco prohibet, aut prohibere intendit, eam appellationem, quæ ob justum gravamen, vel verbis, vel facto fit: Unde si constat Episcopo, hujusmodi Religiosum ob justum gravamen, suum Superiorem adire; & ideò licentiam in scriptis non habere, quia illam concedere Superior noluit; tenetur eum dimittere, ut optimè probat Cenedo De Quæstionib. Canonicis qu. 26. n. 22. Hactenus Fagundez. Cui, & quibus addo Hieron. Rodriq. in Compend. qq. Regular. Res. 10. nu. 3. Sanctorum de Melfi in Constitutiones, & Statuta Fratrum Minor. Cap. 3. Statuto 22. Versu Prima est. fol. mihi 272. Barbosam in Trid. sess. 25. c. 4. n. 9. & 10. Megalam to. 2. Variar. resolut. res. 195. n. 6. in fine, fol. mihi 293. & Joannem de Syl-

veira in suo Tomo morali qui inscribitur, Opuscula Varia. Opusculo 2. res. 10. Verbo Apostata qu. 9. Ubi sic: *An Religiosus valdè vexatus à suo Prælato, absque illius licentia, & sine peccato possit ad Superiorem confugere? fol. mihi 202. & 203. col. pr.* respondet ut sequitur. *Dico: Talis Religiosus dirè vexatus à suo Prælato, licitè potest ad Superiorem confugere, absque eo quod fugitivus dicatur, & inde consequenter fugitivorum pœna non est puniendus. Ita Baldus, Decius, Azorius, Rodriq. Sayrus, Sanchez, Fagund. & alii quos citant, & sequuntur Suarez to. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. p. n. 6. Barbosa in Collectan. ad Trident. Peyrin de Subd. to. p. qu. p. cap. 26. sub Not. 2. Versu, Neque esse Apostatam, vel fugitivum, nec mortaliter peccare. Sà Ver. Religio n. 71. Et ratio est; quia jus defensionis est naturale, quod unusquisque tenetur sibi perquirere, ne ejus Vita, fama, & honor pereat: tum etiam quia in hoc casu præsumitur licentia Prælati Superioris, qui vult omnia justè, & ordinatè fieri. Contrariam sententiam tenet Bannez 2. 2. qu. 13. art. p. ex eo quia Concil. Trid. sess. 25. cap. 4. de Regularib. ait: Non licere Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi. Ad quod rectè respondet Arragonius 2. 2. qu. 69. art. 3. Concilium intelligendum de eo, qui adit Superiorem ex causa levi, vel levissima, non verò ex causa urgenti ad defensionem naturalem, quam non est verisimile Concilium impedire. Hanc doctrinam tamen limitant ipse Arragonius, ac alii, si ex tali fuga ad Superiorem sequatur Scandalum, & perturbatio magna Religionis, propter ignorantiam causæ, qua dictus Religiosus movetur ad fugam. At cum talis vexatio, seu injuria sit notoria, nullum potest esse scandalum, cum quilibet de sua defensione teneatur agere. Idem dicendum existimant Ægidius Bossius. D. Antonius Ricciulus, quos citat, ac sequitur Tamburin. de Jure Abbatum to. 3. disp. 8 qu. p. nu. 6. de Religioso ad Amicum, vel alium confugiente, ut eum deprecatorem ad Superiorem habeat. Quæres, an talis Religiosus teneatur petere licentiam prius Prælato inferiori ut tendat ad Superiorem, & ea denegata possit postea confugere ad majorem? Respondeo negativè, si ipse timet quod ex tali licentia, & via manifesta, ei sit exitus impediendus, ac durius sit recludendus, quia tunc erit opponere impedimentum suæ defensioni. Ita Navarr. Comm. 2. de Regularib. num. 61. Pellizz. to. p. trac. 5. cap. 6. n. 15. Tamen Suar. to. 4. de Relig. trac. 8. lib. p. n. 7. & 8. ait: quod saltem ex urbanitate petenda sit licentia à Prælato inferiori. Sed hoc non dicam, quando prudentialiter timetur aliquod damnum, vel impedimentum ad viam, vel quod sit deneganda.* Hactenus dictus *Joannes de Sylueira l. c.* In quorum confirmationem, & eorundem occasione, atque in levamen maximum subditorum Regularium à suis Superioribus (injustè tamen, & non aliter) vexatorum, trado sequentia valde hic obiter ab iisdemmet (injustè inquam, & non aliter vexatis) advertenda. Et

1281 Primò. Quod Religiosi, & si per Votum obedientiæ propriam abnegaverint voluntatem, illamque resignaverint in voluntatem suorum Prælatorum, & Deo totaliter dicati: Mundum deserverint; non eo tamen modo intelligendum est, ut eorum Prælati (quicumque isti sint) nedum locales videlicet, verum etiam primi, & supremi, ab ipsis exigant obedientiam, tanquam ipsi fermè essent absoluti Religiosorum Subditorum Domini; ac possint in omnibus, & per omnia planè de iisdem Subditis, & de illis quæ ad osdem attinet disponere, tanquam servos haberent subditos, & veluti essent *Mancipia* (ait *Peyrin. de Subdito qu. p. cap. 12. Noto 2.*) prætio, aut bello acquisità, possint adlibitum Superiorum pessundari, & supercalcari. *Villissimus enim* (addit *Peyrin.*) *ac stultissimus esset, qui statum Religiosum appeteret, & indueret; cum libertatem, quæ toto auro nobilior est, & qua melior in homine nihil est, à se penitus abdicaret.* Sed intelligendum est. Quod voluntatem propriam propter Deum in Prælatorum voluntatem resignaverint, à quibus charitativè, discretè, & rationabiliter tractari debeant: juxta monitum prudens, optimunque *Brunonis Cassaing. De Prælato Regulari pag. mihi 368. totius operis ultima,* sic totum opus concludentis: *Prælati, præ oculis habere debent se Filiis Dei imperare, in quos ipsi aliam non habent auctoritatem, quam eam, quam radicaliter ab ipsorum pia voluntate, & devoto proposito serviendi Deo accepere.* Obedientia enim Regularis non est civilis, vel naturalis, &c. Sed penitus voluntaria per Vota emissa in professione, secundum Regulam, secundum quam tantum debent, & possunt præcipere Superiores, nullus enim Superior plus exigere potest; ut apertè etiam testatur *D. Bernardus lib. p. de Præcepto, & dispensatione, col. 4.* ubi sic: *Prælati jussio, vel prohibitio, non pretereat terminos professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat quam promisi. Vota mea, nec augeat sine voluntate mea, nec minuat sine certa necessitate.* Et infra: *Ponant ergo Prælati metam obedientiæ*

subie-

subiectorum, ex Votis labiorum ipsorum, non suorum desideriorum, monentes eos, non cogentes ad celsiora, condescendentes eis, cum necesse fuerit ad remissiora, &c. Ita *D. Bernardus.* Ex quo clarè constat, potestatem quam habent Superiores Regulares in Subditos limitatam esse, juxta terminos videlicet, & mensuram professionis emissæ, & Regulæ ab ipsismet spontè, & liberè promissæ; cujus Regulæ, Superiores sunt tantum ministri, & custodes (non Auctores, vel Domini) ut optimè *Lessius de Just. lib. 2. cap. 41. dub. 9. sub nu. 76. vers. 5. si præcipiat.* Sub sequentibus verbis: *Superior, est custos Regulæ, & Instituti, non author, eique potestas datur, ut Subditos secundum illam perficiat, non ut ad majora obliget: quævis enim Religio suam vitæ mensuram, suorum exercitiorum modum sibi præscriptum habet, qui Regulis, & Constitutionibus cujusque exprimitur, ad quem ut perducatur instituuntur Superiores. Accedit quod inferior ex vi Voti sui non intendit se obligare nisi ad vivendum, & obediendum secundum proprium Institutum, ut docet D. Tho. Quod lib. 20. art. 10. & communiter.* Hinc clarè sequitur non licere Superioribus Regularibus (quicumque isti sint, siue Locales, siue Provinciales, siue Generales, vel etiam Capitulum Provinciale ipsum, aut Generale) in præcipiendo, terminos professionis, & Regulæ excedere, & si excedunt, non tenentur Subditi obedire. Non enim possunt Superiores Regulares pro suo libito, & voluntate, obligationum vincula in Religione multiplicare, sed tantum intra terminos ipsius Regulæ cui Religiosus subditus se subiecit, & obligavit.

1282 Secundò. Nedum, id, pro suo libito non possunt Superiores, & Prælati Regulares, sed nec Summus ipse Pontifex, quatenus omnium Religionum caput Generale Generalissimum (vel *Sacra etiam ipsa Congregatio supra Regulares posita, & Instituta)* Religiosi enim, Regularesq; aliò vinculo (qua tales) non tenentur obedire Pontifici Summo (aut dictæ *Sacræ Congr.*) quam eo, quo tenentur suis Superioribus, & Prælatis Regularibus, hoc est ex Voto Obedientiæ (præter illam obedientiam quam Sanctitati suæ tenentur præstare ut Christi Fideles in omnibus in quibus, & alii Christi Fideles tenentur) ut Religiosi enim, ac Regulares, eidem Sanctitati, & Pontifici Summo subduntur, quatenus videlicet eorū Votum tantum se extendit. Hinc nec Sūmus inquam Pontifex (ex doctrina etiam communi) potest aliquid præcipere Regularibus (nec item dicta *Sacra Congregatio*) quod ipsi expressè, vel tacitè in professione voluntariè non promiserint, aliter plus exigeret quam ipsi intenderint se obligare, quod esset contra justitiam. Unde *Petrus Marchant. in Regulam Sancti Francisci qu. 4. Proemiali, Conclus. 2. Versu, Non ex sola. n. p. sub Conclus. 2. pag. mihi 16. & 17.* optimè ait: *Neque enim Pontifex in voluntario illo Religiosæ Professionis Sacrificio, pro sua voluntate obligationum vincula multiplicare potest, sed tantum intra terminos ipsius Regulæ, cui se Religiosus obligavit.* Obligationes nanque Religiosorum æqualiter nascuntur, quia procedunt non ex sola voluntate Summi Pontificis, aut aliorum Superiorum, sed ex natura Regulæ cui se Religiosi conformarunt profitendo. Sicque in hoc, Religiosorum obligatio æqualiter procedit, sive habeat respectum ad ejusdemmet Prælatos Regulares, sive ad Summum Pontificem ut Generalissimum Caput Religionum; cum de omnibus, incluso etiam Summo eodem Pontifice, sit eadem ratio, & difficultas: ita ut quod in hoc resolvitur de Prælatis Regularibus, resolutum etiam intelligatur de Summo Pontifice, & de Sacra ipsa Congregatione supra Regulares Instituta. Quod totum confirmo Authoritate Doctorum. *Lessii n. c. 76. Versu, Hinc sequitur.* Ubi sic: *Superior Regularis non potest ratione Voti Obedientiæ obligare Subditum ad ea, quæ sunt supra, vel contra, vel infra Regulam; (nisi ex causa, quæ tamen sit secundum Regulam) sed nec Summus Pontifex: quia hic non potest amplius ex vi Voti quam Superior Regularis; cum inferior non magis illi quam huic se intenderit per Votum Obedientiæ obligare, quamvis ut Pastor universalis Ecclesiæ (cui Dominus omnem potestatem necessariam ad bonæ Ecclesiæ administrationem in oues contulit) plura præcipere possit quam Superior Regularis, ut ex D. Bernardi sententia apertè convincitur, & Thomæ Sanch. To. 2. in Decal. libr. 6. cap. 2. nu. 2.* Ubi expressè sic: *Præmittendum est, peculiare obediendi suis Prælatis debitum in Religiosis consurgere ex solo obedientiæ Voto; nam Religiosi per obedientiæ votum, tantum imponunt sibi specialem obligationem præter aliam communem omnibus fidelibus, quod optime docet D. Thom. 2. distinct. 44. qu. 2. art. 3. in ultimo argumento Sed contra. & ibi D. Bonavent. art. 3. qu. 2. corp. & Durand. ibidem qu. 4. nu. 4. & Sylvest. Ver. Religio 6. qu. 6. Ratio est, quia nihil ultra Votum obedientiæ habent Religiosi super omnes alios fideles. Et quamvis jurisdictio concessa sit in Superioribus Religionum in Religiosos, ut diximus lib. 5. cap. p. n. 20. at ea solum est compellendi Religiosos ad exequendam*

dam

dam obligationem spontè susceptam per Vota, ut optime docet Vasq. par. 2. qu. 95. art. 2. disp. 154. cap. 4. n. 21. Immo nec ipsi Romano Pontifici ultra obligationem communem aliis Ecclesiasticis ad ipsi obediendum, tenentur Religiosi obedire, nisi obligatione voti obedientiæ spontè à se ipsis suscepta, ut bene Lessius lib. 2. de Just. cap. 41. dub. 9. n. 76. Quia nihil ultra alios Ecclesiasticos præter obedientiæ Votum habent, quo etiam obligantur Pontifici tanquam Supremo omnium Religionum Generali, ut diximus cap. præced. n. 8. Ita Sanch. n. c. 2. addens n. 22. ejusdem Capitis, Verius esse nec Summum Pontificem posse cogere Religiosos ad arctiorem Vitæ Regulam servandam, diversam ab ea quam ipsi professi sunt: Videatur Laymanus in Theologia Morali lib. 4. tract. 5. cap. 9. nu. 10. sic dicens. Religiosi per Votum obedientiæ non transtulerunt omnem voluntatem in Superiorem, ut quælibet, ipsis imperari possint, sed solum ea, quæ ad observationem Regulæ, quam profitentur, directè, vel indirectè spectant, ut docet D. Thom. quodlib. 10. art. 10. Possunt tamen Capitulares novum Statutum facere præter Regulam antiquam: ita, ut ipsi in tale statutum liberè consentientes obligentur: & alii quoque posteri professionem edituri, quibus Regula immutata, & aucta proponatur, ut eam profiteantur: sed alii prius professi, qui Capitulari Constitutioni non interfuerunt, neque in eam unquam consenserunt, obligati non censentur: quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari Reg. 29. in 6. Addunt Sylvester, & Lessius l. l. c. c. item Azorius to. 2. Instit. Moral. lib. 13. cap. 11. qu. 19. Sanch. c. cap. 2. n. 22. Quod nec Summus Pontifex Religiosos cogere possit ad arctiorem vivendi rationem, quam prima Instituti forma postulat. Quia speciale obedientiæ debitum, quo Religiosi erga Summum Pontificem astringuntur, ex professione, & Voto eorum provenit, quod erat secundum proprium Regulæ institutum. Hæc Layman. sub nu. 10. Addens n. 11. Verum tamen si strictior aliqua observatio, spectatis omnibus circumstantiis, necessaria videatur ad Religiosæ vitæ conservationem, atque ut vota Religionis essentialia, aliaque Religionis salubria Statuta serventur; poterit talis nova observatio pro universo Ordine decerni ab iis, penes quos potestas residet Statuta Religiosa condendi: ut docent etiam Sylvest. Armilla, Vasq. Lessius, Sanch. l. l. c. c. Ratio est manifesta: quia talis observatio indirectè pertinet ad Regulam, quando sine ea, Regula, & Institutum Ordinis in suo vigore conservari non potest: consequenter cum Religiosus Regulam profitetur, seu vovet, implicitè etiam se obligat ad ea omnia, sine quibus status Religionis suæ conservari nequit, sed paulatim collabi, ac dissolvi necesse est. Hucusque Layman. Idenque habet (& cum supra relatis, & aliis) Lezzana in Summa to. p. cap. 4. à n. 31. ut sequitur.

1283 Ex vi Voti Obedientiæ, quod Religiosi emittunt, tenentur obedire in his, quę concernunt Regulam, non solum Prælatis Religionis, sed etiam specialiter Summo Pontifici, non solum quatenus, est Caput Ecclesiæ, quo titulo omnes etiam Sęculares illi obedire debent, sed specialiter etiam ratione Voti obedientiæ emissi in professione. Ratio est, quia Summus Pontifex est supremus omnium Religionum Generalis, cum omnis potestas jurisdictionis Generalis, & aliorum Prælatorum ab illo derivetur; atque ita per obedientiæ Votum illi subduntur Religiosi, & tenentur obedire. S. Thom. 2. 2. qu. 186. art 5. ad 3. Bannez 2. 2. qu. 11. art. 10. dub. 6. ad finem. Idem dico de Sancta Congreg. Cardinalium super Regulares, quia illa specialiter instituta fuit à Sixto V. & aliis Pontificibus pro regimine Regularium. Tho. de Jesu tract. 3. de Visitat. Regular. cap. 17. n. 7. Hinc si Pontifex, & Prælati Religionum contraria præciperent, obediendum est, etiam ex vi Voti Obedientiæ, Pontifici. Cum omnis jurisdictio Prælatorum Religionis sit in illo principalius, & ab illo derivetur. S. Thom. in 2. dist. 44. in Expos. liter. Sanch. libr. 6. in Decalog. cap. p. nu. 10. Hinc etiam quando Religiosus fit Generalis suæ Religionis, quamvis eximatur ab obedientia inferiorum Prælatorum, manet Votum obedientiæ illius quo ad Papam. Cum non eximatur ab ipsius obedientia, nec dispensetur cum illo in Voto emisso. Aragon. 2. 2. qu. 88. art. 11. Valentia 2. 2. disp. 10. qu. 3. punct. 8. Hinc quoque si Pontifex præcipiat aliquid, quod sit simpliciter supra Regulam, ita ut illam nullo modo concernat, non tenetur Religiosus obedire ex vi Voti obedientiæ. Quia debitum speciale quod habent Religiosi obediendi Pontifici ultra alios Christianos, est solum ratione Voti Regulæ, quod emiserunt, ac proinde non poterunt obligari supra illam, Lessius 2. de Justit. cap. 41. dub. 9. n. 77. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 2. nu. 22. Nec est contra Votum Obedientiæ, quod Religiosus gravatus à Prelato, causa querelæ recurrat ad Superiorem Prælatum, ut si est gravatus à Priore, quod recurrat ad Provincialem, & à Provinciali ad Generalem. Ratio est, quia potestas minoris Prælati est subordinata majori, & illi subiecta, ac per consequens ab illo discutienda. Navarr. lib. 2. Consilior. in p. edit. de Sentent. & re judicat. Cons. 2. n. 8. in 2. tit. de appell. Cons. 5. n. 8. Sayrus Clav. reg. cap. 17. n. 38. Ità Lezzana l. c. Qui præterea cap. 9. sequ. n. 7.

n. 7. optime ait : quod in gravi casu , in quo evidenter constaret Religioso fieri notabilem injuriam in fama, honore, & reputatione à suis Superioribus , licita illi sit appellatio ad Summum Pontificem, vel S. Congregationem. Quia hoc videtur permissum à Summis Pontificibus, ut conforme Juri Naturali , non solum in aliquibus Decretis (supra ab ipso adductis n. 4. ejusdem 9. Capitis) sed à jure in Cap. de Priore de appellat. cap. licet de Offic. Ordin. & cap. sup. qu. versic. nos autem de Officio Legat. Navarrus Comm. 3. de Regular. n. 51. & lib. 2. Consil. in p. edit. tit. de Sent. & re Judicato, Consil. unico n. 6. & tit. de appellat. Consil. 4. n. p. Azorius lib. 12. Instit. Moral. cap. 11. qu. 8. &c.

1284 Sed aliis omnibus omissis Doctoribus qui ad rem hanc adduci possent, unicum tantum hic afferam ex Recentioribus, satis clarum, & in propria causa scribentē, is est Pater Illuminatus Moronus Strictioris Observant. Sancti Francisci in Opusculo (qui inscribitur, Biga Duas vehens controversias , Edito Bergomi anno 1651.) in quo à n. margin. 65. & à pag. 27. scribit quæ sequuntur : Superiores quicunque Religionum , imò neque Papa , quidquam potest circa Religiosos, nisi quatenus per Vota se illis Subdiderunt. Cum enim in tantum sint Religiosorum Superiores , in quantum Religiosi, Voto se illis obstrixerunt, sequitur, quod Superiores nihil possint amplius quam Vota illis permittant , Sanch. alios referens in Summa lib. 6. cap. p. à n. 8. & cap. 2. n. 2. Subditi tenentur obedire suis Prælatis ita tamen, ut prius Generali, deinde Provinciali , postremo Superiori Conventus , quia inferioris potestas non potest se extendere adversus Superiorem, esset enim iniquum præceptum : ita Castropal. De Relig. Voto obed. disp. 4. p. 2. n. p. & Suarez, to. 3. de Relig. libr. 10. cap. 11. n. 6. & seq. Summus Pontifex habet potestatem obligandi Religiosos ad observantiam regularem non solum ex jurisdictione à Christo illi tradita, sed etiam ex Voto Obedientiæ, non tamen ultra quam voto se obstrinxerunt, prima pars est Soti libr. 7. de Justit. qu. 3. art. pr. Navarr. in Summa cap. 12. n. 76. Suarez l. c. nu. 13. & Sanchez lib. 6. Summ. cap. p. nu. 8. Secunda patet ex dictis . Unde nullus Superior, quicunque sit , non potest suis Subditis præcipere , quæ absolutè sunt extra Regulam , ut doctè, & pluribus firmat Navarrus cap. 23. n. 39. & in Comm. de Reg. Sanchez lib. 6. cit. cap. 2. n. 15. & alii apud Castropal. l. c. p. 4. & est expressè D. Bernardi lib. de præcept. & dispens. cap. 7. D. Tho. 2. 2. qu. 204. art. 4. ad 3. Ratio fundamentalis est. Quia Superior non potest obligare Subditos suo præcepto , nisi juxta id, quo se illi suo Voto subdiderunt ; Ista enim Religiosorum subiectio est voluntaria, cum ergo Religiosi se Voto obstrinxerint in iis tantum, quę sunt secundum Regulam, necessariò sequitur ulterius non posse obligari ; & hinc deducitur Superiorem non posse obligare , nisi ad ea , quæ sunt expressè, vel tacitè in Regula ; hæc enim in Regula continentur ; cum taciti , & expressi sit eadem virtus. Regula expressa de Reg. Juris, & ibi Glossa. & l. cum quid ff. si certum petatur . Dices in aliquibus Regulis est expressum, quod Religiosi obediant suis Prælatis in iis quæ non sunt contraria Regulæ , & Animæ, ergo &c. Respondeo Religiosum non se obligasse indifferenter, nec indiscriminatim suam voluntatem in voluntatem Superioris transtulisse, sed tantum juxta Regulam. Castropal. ubi supra p. 4. n. 3. Quod si quæras, quæ sint illa, quæ tacitè sub regula continentur ? Respondeo esse illa , quæ moraliter judicantur necessaria ad observantiam eorum , quæ sunt expressa in Regula D. Tho. in 2. dist. 44. qu. 2. art. 3. & ibi Durand. qu. 4. n. 5. Sylvest. Verbo Religio 6. qu. 6. Lessius libr. 2. cap. 41. dub. 9. n. 77. Sanchez l. c. cap. 2. n. 4. & alii. Quę autem judicentur moraliter necessaria ad status assumpti observantiam, non est facile definire ; ideò remittitur judicio prudentis viri decidendum. Quare ex his colligitur, subditum non teneri obedire Superiori novas austeritates præcipienti ; quando nec tacitè, nec expressè sub Regula continentur. (In dubio tamen presumptio stat pro Superiore præcipiente, constat enim de voto obedientiæ emisso.) Quia Status Religionis est Status perfectionis, ad quem nemo potest cogi, cum sit status consilii , ad quem nemo potest cogi (neque à Summo Pontifice,) ideò ad plus Religiosi non possunt cogi , cum liberè se devinxerint observare ; & Summo ipso Pontifici (si obligantur) ut supremo omnium Religionum Generali obligantur ; & non nisi juxta formam emissorum votorum, & etiam secundum consuetudines rationabiles, & legitimè præscriptas tempore emissæ professionis. In quo etiam tempore haud est necesse, ut qui actu professionem emittit , intendat non se obligare ad primævam Regulæ Observantiam, sed tantum pro ut est in usu ; sed sufficit quod tantum implicitè hoc intendat, ità si interrogaretur, an vellit obligari ad Regulam primævam , responderet se nullo modo velle , sed intendere profiteri illam Regulam , ut in usu est : uti etiam sentiunt Doctores. Et ratio est : Quia taciti, & expressi , eadem est virtus , & Votum est lex privata, quam sibi quisque imponit, ergo sicut lex non ad plus obligat quam intendat illam ferens, neque Votum plus obligabit , quam intendat , qui illud emittit ; ergo neque poterit

cogi

cogi ad majorem observantiam, quia potestas tota Superioris cujuslibet in Religionibus est respectu Voti; neque jurisdictio censetur tradita nisi ad effectum, ut exigatur observantia emissorum Votorum: & in his omnibus concordat Castropal. tract. 16. *qui est de Voto Religionis disp.* 4. *punct.* 4. *per tot. qui ad probandas suas conclusiones his duobus quasi axiomatibus perpetuis utitur: Modo dicto contra Regulam potest induci consuetudo: Vota non emittuntur semper à Religiosis juxta rigorem primævę institutionis Regulæ, ergo non possunt ad illam cogi, quia nemo potest cogi ratione subjectionis votæ, ultra quam intenderint se obligare voventes. Ex voto enim solum possunt obligari ad observandam* Regulam *quatenus viget, non quatenus abolita est, & possunt obligari tantum ad observanda quæ promiserunt; sed promiserunt observare Regulam consuetudine mitigatam, ergo ad illam solum possunt cogi, ita Castropal. l. c. nu.* 11. *Verum quidem est, quod si reformatio judicetur moraliter necessaria ad conservationem Regulæ in statu mitigationis, quam Religiosi professi sunt, tenentur ipsi illam subire, & perferre. Ex. gr. Qui professi sunt Regulam jam consuetudine mitigatam, si aliquam reformationem non patiantur, Regula etiam à Statu, in quo reperiebatur, dum professio emissa est, decidet, & in pejus ruet, tunc reformationem tenebuntur subire necessariam pro conservatione Regulæ in statu in quo professio emissa est: & probatur: Quia quilibet Religiosus potest obligari ad observanda ea, quæ necessaria sunt ad conservationem Regulæ in eo statu in quo erat quando illam professus est, ergo si reformatio est moraliter necessaria pro tali conservatione, ad illam tenebitur, utpotè tacitè comprehensa sub Regula. Non obligantur tamen ad Statuta, quæ moraliter necessaria non sunt pro tali conservatione, quia sub Voto, nec tacitè, nec expressè continentur. Quod si ad ista possent obligari, possent etiam obligari ad assumendum statum altiorem eo, quem professi sunt, ita idem Castropal. eodem loco.* Hæc, & alia plura idem *Moronus*, circa quæ vide etiam *Peyrinum De Subdito qu. pr. cap.* 8. *& ejusdem Capitis* 5. *par.* 2. 3. 4. 5. *&* 6.

1285 Tertiò advertendum: Quod licet jura prohibeant Religiosis appellare à præcepto sui Prælati, & Superioris, ut constat ex *Cap. Ad nostram. De Appellationib.* Ubi sic: *Mandamus, quatenus si quando quilibet Subditorum tuorum, ad remedium appellationis convolaverit, non ideò minus eum juxta tenorem mandati, quod in prædicta Regula continetur, & instructionem Ordinis, corrigas, & castiges.* Et ex *Cap. Reprehensibilis, Eodem Tit.* in quo sic: *Præcipue vero hæc in Religiosis volumus observari, ne Religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati sui, & Capituli disciplinam, appellare præsumant, sed humiliter, ac devotè suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem injunctum.* Idemque habetur in *Cap. Cum speciali, eodem item titulo: in fine*: ubi, quod circa appellationem cœteris conceditur, Religiosis denegatur. Accedit, quod Regulares plura habent privilegia Summorum Pontificum impedientia appellationes Subditorum, ut videre est apud *Sorbum in Compendio Privilegior. Mendicantium, Verbo Appellare*, & apud alios. Licet ergo inquam hujusmodi jura, & privilegia, prohibere Regularibus videantur appellationes à præceptis Superiorum suorum: advertendum tamen est, adhuc licere (his non obstantibus) Religiosis Subditis appellare à præceptis, ordinationibus, mandatis, correctione &c. suorum Prælatorum, quando isti non procedunt secundum Regulam, & modum excedunt, & quando constat de gravamine: unde *Glossa in cit. Cap. Ad nostram de Appellat. Verbo Minus* sic: *A correctione non appellatur, nisi excedat modum in corrigendo.* Quo excessu, & gravamine supposito, habet utique locum appellatio, imo est necessaria pro tollendo gravamine (quod tenent etiam communiter tum Doctores Canonistæ, tum Theologi, quos ad abundantiam refert, & sequitur *P. Pasqualigus Moralium Canonicarum qq. Centur. p. qu.* 82. *n.* 3. Desumiturque apertè ex *Cap. De Priore. De Appellat.* Ubi Prior punitur (ut constat ex *Textu* ipso) qui appellationi non detulit. Et ex *Cap. Licet in corrigendis. De Officio Judicis Ordin.* Et ratio est (ut optime etiam idem *P. Pasqualig. l. c. à nu.* 5.) quia appellatio est interdicta Regularibus, ne Regularis observantia damnum patiatur: Constat enim quod in oppositum allata superius jura, & privilegia Religionibus concessa, prohibent solum appellationem illam, quæ ponit obicem Regulari disciplinæ, non autem illam quæ tendit ad propulsandam violentiam. Hinc meritò *Bordonus res.* 32. *n.* 3. dicit: *Certum esse omnes Regulares se gravatos sentientes à suo Prælato appellare posse ad Superiorem, ad effectum tollendi gravamen, & hoc habere de jure naturæ, sicut cæteri hominum, quibus non sunt deterioris conditionis, maximè in naturalibus, appellatio siquidem nihil aliud est, quam naturalis defensio à gravamine illato, vel inferendo; est ergo de bita de jure naturæ quo ad substantiam; natura enim dictat ex suo instinctu, ut unusquisque grava-*

gravatus se defendat, ut fecit D. Paulus appellando ad Cæsarem Actor. 25. Omnibus enim indifferenter conceditur facultas appellandi: ergo & Regularibus, casu & ipsi sint subiecti juri communi, ac cæteri fideles: Tum ratione, quia id non est effugere sui Superioris obedientiam, sed se vindicare ab injuria, seu violentia illata, seu inferenda, quod omnibus jure naturæ conceditur, & in hoc Religiosus habet velle, & nolle, quod in naturalibus à se non rejecit, neque renunciavit per professionem, sed sibi retinuit hoc jus se defendendi à suo Superiore, quoties injustè gravaretur, ut docent omnes loquendo de jure communi: nam quidam ut Sotus lib. 5. de Justitia qu. 6. art. 3. & ex eo Miranda qu. 29. De ordine judic. n. 39. dicit unanquanque ferè Religionem de jure speciali habere privilegium prohibens appellare à sententiis suorum Superiorum: Sed hujusmodi privilegia intelligenda, quando nullum est gravamen; nisi imaginarium, vel saltem leve, juxta mox dicenda qu. 2. n. 8. In quo sic: *Extant Privilegia interdicentia appellationem Religiosis, sed intelligenda sunt secundum jus commune, nempè appellationi non esse locum, quando nullum est gravamen, vel saltem leve, posito autem verò gravamine, quod sit alicujus momenti, non intelligitur prohibita appellatio per privilegia, quia aliter essent iniqua, & foverent injustitiam, & dolum Superiorum. Ità Rodriq. to. p. qu. 29. art. 2. Sayrus lib. 12. cap. 17. n. 38. Navar. Conf. 4. de appellat. nu. 4. & tom. 2. Comm. 3. de Regul. n. 51. §. Nec obstant. & ex eis Sanch. lib. 6. cap. 8. n. 110.* Hæc *Bordonus*. Quibus adde *Franciscum Ghislerium De Judice Regularium Tit. De Appellatione cap. 15. n. 58. in fine*: (Ubi) *Cum appellatio de jure sit naturali, ut supra, cap. 12. n. 7. dictum fuit: gravato mortalium nemini illam denegare fas non esse, cuique sanæ mentis profectò constat.* Quando igitur Religiosus non exorbitat à Regulari observantia, sed injustè gravatur, non est illi denegata appellatio: Quando enim in aliquo casu cessat ratio legis expressa in ipsa lege, cessat etiam dispositio ipsius. Cum lex restringatur ad terminos suæ rationis, per *Textus Legales, & Canonicos*, atque Doctores utriusque juris, ac Theologos etiam Morales, apud, & cum eodem *P. Pasqualigo nu. 5. c.* Quia videlicet ratio legis (ait & idem *Pasqualigus*) est anima ipsius, & illi dat vim, & motum, ac proinde extra eam lex mortua est, nec habet vim, obligandi. Addo (cum eodem *num.* 6.) adinventum esse appellationis remedium ad auferendum gravamen *Cap. Ut debitis. De Appellat.* hinc, ubi non est gravamen, nec locum habet ex natura sua, habet tamen ubi gravamen est. Quando ergo Prælatus procedit secundum Regulam sive in correctione, sive in præceptis proponendis, non infert gravamen, quia sic non excedit suæ potestatis limites, solumque se extendit ad ea, in quibus Subditus obedire tenetur. Versa vice, quando limites Regulæ excedit, infert gravamen, quia subditum gravat in iis in quibus ex vi Voti obedientiæ subiicere non tenetur, unde tunc habebit locum appellatio, cum sit necessaria pro auferendo gravamine: Ut ex presse etiam cum *Navarro*, *Coriolanus de Casib. reserv. par. 2. Casu 2. nu.* 10. & alii. Addo insuper (cum eodem *Pasqual. l. c. n. 7.*) leges Regularibus denegantes appellationem justas esse, consequenter accipi debere secundum terminos justitiæ, non essent autem justæ si denegarent omnem appellationem in quocunque casu, quia appellatio est defensio quædam civilis contra vim Judicis *Cap. Cum inter. De Exceptionib. Cap. Cum speciali §. Porro. De Appellationib.* & notant utriusque Juris Doctores, hinc dicitur *Theriaca contra Judicis venenum. Bald. l. unica C. Si moment. possess. Surd. Consil. 163. n. 7. vol. 2.* Defensio autem non potest alicui denegari, cum sit unicuique concessa jure Divino, & naturali. *Clement. Pastoralis. De re judic.* ubi communiter D. D.

1286 Quarto advertendum, Inter humana extrinseca bona, quæ in homine reperiuntur, ex communi Philosophorum, ac Theologorum sententia, cum Theologorum Principe *S. Th. 2. 2. qu. 103. art. p. ad 2. qu. 129. art. p. in Corpore, & qu. 131. art. p. ad 2. 2.* honorem, & famam, principem obtinere locum, & superare quælibet alia bona utilia: Hinc honor, ut Divinus, & Sacrosanctus, in literis Sacris commendatur 4. *Reg.* 14 10. *Contentus esto gloria tua, & sede in domo tua. Proverb. 22. 1. Melius est bonum nomen quam divitiæ multæ. Ecclesiastici 41. 15. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni.* Nulla ergo homini cura major habenda est post Animam, quam honoris, & famæ, nam alia humana, aut natura, aut casu à nobis abeunt, semper superstite Anima, & honore vivente, ita ut sublato corpore, terræque submisso, Anima, & honores vigeant: Quare *D. Augustinus libr. de bono Viduitatis relatus Cap. Non sunt audiendi, Causa 11. qu. 3.* ait: *Non sunt audiendi sive Viri Sancti, sive feminæ, qui quando reprehenduntur ex suspicione, sufficere sibi coram Deo tu-*

tam conscientiam respondent. Contemnentes hominum æstimationem crudeliter, cum occidant animas aliorum, quia nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra, conscientia nobis, fama proximo. Et idem *D. Augustinus in Sermone de Communi Vita Clericor. relatus cap. Nolo. Causa* 12. *qu. p.* inquit: *Nolo, ut aliquis de vobis inveniat malè vivendi occasionem. Providemus enim bona, ut ait Apostolus, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Propter nos, conscientia nostra sufficit nobis, propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque distinguite. Duæ res sunt conscientia, & fama. Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ, negligit famam suam, crudelis est.* Et peccat contra charitatem propriam, & justitiam, ut expresśè *Cajetanus* 2. 2. *qu.* 73. *art.* 2. & in Summula. Verbo Detractio, Versu Detrahere sibi, & *D. Antoninus* 3. *p. tit.* 8. *cap.* 4. *§. p. Versu Primo modo* (relatus à *Fagundez in Decal. Præcept.* 8. *lib.* 8. *cap.* 35. *n.* 4. *in fine*) Eo quod videlicet, nec vitæ, nec famæ propriæ Domini sumus. Unde sicut non potest quis se ipsum occidere, eo quod per hoc noceret communitati, cujus est pars; eadem ratione, neque potest se diffamare, cum sit homo tantum *custos* famæ, non dominus, ut constat per illud *Ecclesiastici supra, Curam habe de bono nominem.* Hinc *Franciscus De Sancto Juliano Ordinis Discalceator. Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum, in suo Tribunali Regulari Cap.* 6. *Advertentia* 4. *§.* 10. *n.* 17. *fol. mihi* 223. optimè sic: *Religiosus solum est custos famæ, sicut & Vitæ, nam in Religionibus, ita unusquisque suus est, ut sit etiam pars Reipublicæ Regularis, & communitatis, in qua vivit, & consequenter bona illius fama, non solum ad ipsum pertinet, sed etiam ad communitatem: ergo cum subditus illam sibi aufert, damnum infert communitati, & peccat saltem contra charitatem:* Quæ conclusio confirmari etiam potest verbis, & auctoritate doctissimi *Patris nostri Clementis la Ficara:* iste enim Doctor, in suo *Eruditissimo Tract. de Fama in Genere, par. pr. Colloquio* 13. *nu.* 5. *fol. mihi* 48. pariter scribit, ut sequitur: *Tam difficile videtur in praxi infamiam Religiosi sejungi posse à Religione, quin in eam non redundet, ut in praxi regulariter servandum sit: Quod Religiosus sit suæ Famæ Dominus, Religio quoque domina pro interesse sibi tangente, & quasi inseparabiliter illius Famæ conjuncto, propter redundantiam in eam, ambo habendi sunt tanquam condomini, ità ut dicantur Famam possidere pro indiviso, & in communi: saltem igitur, tanquam de re communi, haud dubiè unus sine alio disponere nequit; atque adeo vix unquam infamator securus existet, si unus sine alio remittat. Unde tutius erit hanc sententiam regulariter sequi.* Hactenus & optimè *citat. Pater.*

1287 Quinto advertendum. Quod fama, & honor est cujuslibet virtutis præmium, ut docet *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 129. *art.* 4. *in Corpore.* Et est testimonium excellentiæ quæ est in homine, sed maximè secundum virtutem, ut idem *D. Thom. ibi qu.* 103. *art. pr. in Corpore.* Honoratus enim homo dicitur ille, qui in se aliquam virtutem, laude, & honore dignam habet: vel etiam qui nullum unquam commisit crimen infamia, & vituperatione dignum, quod utiq; maximum quid est inter externa bona. Huic autem honori, ut dicit excellentiam secundum virtutem, non renunciant Religiosi per Votum professionis, ut benè *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 186. *art.* 7. *ad* 4. *Cajet. ibi. Navarr. Cap. Inter verba, Conclus.* 5. *n.* 64. *in fine* (Ubi expresśè sic: *Per Votum non renunciant Religiosi honoribus virtuti probitatique debitis*) & *Commento* 2. *De Regularib. n.* 2. *Versu Tertiò dico* (ubi pariter sic: *Regularis non est incapax, nec prohibetur cupere, & habere honores Sanctos, quia dantur propter merita quibus non renunciant, & dantur in testimonium virtutis.*) *Valentia to.* 3. *disp.* 3. *qu.* 10. *Puncto* 5. *Versu Ex his igitur patet. fol. mihi* 894. (affirmans ut sequitur: *Quamvis Religiosi non sint sui juris, quo ad ea, quæ vovent; sunt tamen sui juris quo ad conservationem propriæ famæ, & quo ad ea proinde, quæ in famæ favorem Dominus mandavit. Quod verissimum est, nisi ex peculiari instituto vellent in hoc cedere juri suo.*) *Sayrus in Clavi Regia lib.* 11. *Cap.* 4. *sub nu.* 15. *Versu quæ ratio:* (sic item dicens: *Quamvis Religiosi non sint sui juris, quo ad ea quæ vovent, sunt tamen sui juris quo ad conservationem propriæ famæ, & quo ad ea proinde, quæ in famæ favorem Dominus mandavit: Unde D. Tho.* 2. 2. *qu.* 33. *art.* 7. *ad* 5. *docet inter Religiosos etiam, servandum esse illud Domini præceptum Matth.* 18.) *Suarez De Relig. tom.* 3. *libr.* 8. *cap.* 4. *n.* 4. Ubi ait: *Fama est bonum extrinsecum, & si vera sit, & in virtute fundata, nemo potest honeste illam prodigere, aut à se alienare; nam est debita virtuti, & veritati.* Ita *Suarez* cum quo, & citatis (aliisque pluribus tum Veteribus tum Recentioribus, imò & Sanctis Patribus, brevitatis gratia omissis) concludendum venit, maximeque advertendum, etiam Religiosos teneri proprium honorem, atque bonam de se ipsis existimationem acriter defendere. Et omni-

no

no vituperabile esse non facere ea quæ honore sunt digna, ut ait *D.Th.* 2. 2. *qu.* 129. *art. p. ad.* 3. sub his verbis: *Si quis hoc modo contemneret honores; quod non curaret facere ea quæ sunt digna honore: hoc vituperabile esset.* Honorem autem proprium defendere valdè honorabile est, ergo contemnere vituperabile. Unde Christus *Joann. cap.*8. 49. dicebat: *Ego Dæmonium non habeo: & item Joann. cap.*18. 23. *Si malè locutus sum, testimonium perbibe de malo.* Hinc sequitur.

1288 Sexto advertendum valdè; Quod transferre quandoque aliquem Religiosum subditum de sua naturali Domo, aut Monasterio suo, vel de sua, in externam aliam Provinciam, redundare potest in maximam sui infamiam, & dedecus maximum, nedum apud Religiosos ejusdem Ordinis, sed etiam apud Sæculares: putabunt enim omnes (inquit etiam *Peyrinus de Subdito qu. p. cap.* 12. *sub Dico primo, probatione prima fol. mibi.* 29. putabunt inquam omnes, illum commisisse aliquod delictum propter quod fuerit meritò expulsus, & illius vita durante, semper liberum erit malignis, ei talem expulsionem exprobare: *Quare* (concludit *Peyrinus probat. cit.*) *quando pro fama, & virtute conservanda, ac tuenda (ut regulariter contingit) necesse est, potest licitè se per appellationem, seu recursum à tali molestia liberare, & defendere.* Imò ibidem putat idem ex illo loco supra relato *Ecclesiastici* 41. *Quod non possit Religiosus cedere juri suo appellandi, cum hoc medio recuperet famam suam sibi injustè ablatam, sicut licet homo sit Dominus divitiarum; quando tamen bis opus habet pro alenda familia, non potest illas pro libito prodigere, sic non potest famæ renunciare, quando est necessaria ad virtutem conservandam.* Hactenus *Peyrinus*. Cui addi potest & *Lezzana in Summa to. pr. cap.* 18. *nu.* 91. dum ibi, & ipse sic: *Possunt Prælati Religionum transferre suos Subditos de uno ad alium Conventum, videlicet Generales, & Provinciales, sicut Priores locales, seu Guardiani, aut alii Prælati infimi suos Subditos, de una ad aliam Cameram, quia habent Jurisdictionem in suos Subditos ex Voto obedientiæ. Id tamen non debent facere sine causa. Quia hoc videtur esse contra charitatem, & bonum regimen Religionis. Addunt aliqui, quod si Generalis absque rationabili causa subditum transferat de sua naturali Provincia in aliam, habent justam causam appellandi ad Sanctissimum, vel Protectorem. Navarr. libr.* 2. *Consil. de Appellat. Consil.* 5. *n.* 6. *lib. p. Consil.* 9. *n.* 11. *Rodriq. to. p. qu.* 23. *art.* 3. Ita *Lezzana l. c.* à cujus sensu, & sententia non videtur abesse *Petrus ab Angelis Carmelita Discalceatus, in suo Tractatu Criminali* (verè Aureo) Sub hoc evulgato Titulo, *Judex Regularis. par. pri. cap.* 11. *§. pr. De Inquisit. Generali sub n.* 11. *pag. mihi* 64. dum ibi sic: *Si ex eo quod Religiosus mutet Conventum sequatur infamia, vel subsit periculum alicujus particularis suspicionis, bona conscientia non poterit illum tunc Prælatus compellere ad mutandum locum &c.* (Vide hujus Authoris Tractatum per totum *par. pr.* in qua plura in favorem bonæ famæ Religiosorum, præsertim Subditorum.) Quia tamen quandoque ita contingere potest in communitate Religiosorum (imò sæpe sæpius solet ut observat etiam *Peyrinus de Subdito q. p. cap.* 12. *Versu Noto primo*) quod plures ejusdem Monasterii aspiciant aliquem non rectis oculis, eunque gestent in naribus, vel invidiæ causa, vel quia non adhæret eorum actionibus, & voluntatibus parum rectis, vel quia liberè detestatus est, & detestatur pravas operationes, vel quia scit, & potest repercutere injustè percussus &c. Et contra hunc Religiosum, morum integritate omnibus notum, nova habita, ac emendicata occasione, scribere teles incipiunt ad Superiores majores, Provincialem scilicet, aut Generalem, eum esse seditiosum, factionarium, inquietum, zizaniosum, & pacis perturbatorem, cum de nullis vitiis specialibus eum possint arguere, & tantum faciunt, & refaciunt, scribunt, & rescribunt, quod Superiores, *ad seipsos potius, quam ad commune bonum respicientes* (sunt verba *Peyrini Versu citato*) illum alibi assignant, inauditum, inscium & inconsultum. Quod an justè id fieri possit, & an Subditus in talibus circumstantiis positus teneatur obedire, vel potius habeat justam causam reclamandi (si vult) maximè si sit tum Religionis, tum Patriæ propriæ, ac Civitatis benemeritus, & absque justa, & rationabili causa (ut hic pro certo absolutèque supponitur, & non aliter) amoveatur.

1289 Respondeo Justam habere causam reclamandi. Et probo primo. Quia quamvis Prælati Regulares habeant plenam facultatem disponendi de Subditis, & eos transferendi ad quamcunque habitationem voluerint, cum non habeat Religiosus proprium velle, aut nolle *Cap. Religiosus. De Electione in* 6. Sed jura propriæ voluntatis in Superioris arbitrium transtulerit. Non potest tamen hac uti facultate, nisi rationabiliter, cum omnis potestas sit coarctata intra terminos rationis, ut optimè, & expressè *P. Pasqualig. qq. Canonicar. Centur.* 4.

qu. 338. *ex l. 2. ff. De usufr. ear. rer. quæ usu consum. & l. penul. ff. De furtis , & l. Reprehendenda C. De Justit. & substit. & Cap. Sunt quædam* 25. *Q. pr. & Docet D. Gregor. ad Gudiscalcum Ducem lib.* 8. *Registri indict.* 3. *cap.* 12. Quod præsertim locum habet (addit idem *Pasqualig. l. c.*) in Prælatis Regularibus, qui nequeunt excedere in exercitio potestatis mensuram Regulæ, intra cujus terminos stat subiectio subditorum: cum autem Regula præscribat perfectionem Religiosorum, debet regimen, ut sit secundum mensuram ipsius, ordinari ad bonum ipsorum, & ipsius Religionis; & proinde si Superiores indulgeant propriis passionibus, excedunt limites propriæ potestatis, & peccant graviter, si in re gravi abutantur propria potestate, & potest ei opponi de excessu, & contra ipsum reclamari, usque dum appareat (in casu nostro) justa, & rationabilis causa dictæ novæ assignationis, & translationis, & donec cesset præsumptio, quod talis novitas injustè, & in odium Subditi imperata sit, cum dedecore, & inhonore maximo ejusdem.

1290 Et magis magisque urget dicta ratio eos Regulares Prælatos, qui ex vi, & jussione Constitutionum suarum, Decretorum, atque Ordinationum in transferendis Patribus, (præsertim gravibus, benemeritis, & Vocalibus) peculiari Studio Patrum majorum, & Consultorum suorum adhibere debent Consilium, maxime in transferendis senioribus ex quorum translatione multa oriri possunt incommoda Religioni, ac Monasteriis, & multa mala inde provenire, ut provido Consultorum suorum Consilio, discretè, & sapienter in re tanti ponderis possint discernere, atque definire. Et ob hanc eandem specialissimam rationem, ex præscripto nostrarum *Theatinarum Constitutionum par.* 3. *cap.* 7. in transferendis Patribus Vocalibus, nedum de Provincia, sed tantum de loco ad locum, debet P. Generalis Patrum Consultorum Consilium adhibere, ut id rationabiliter fiat, & cum causa.

1291 An verò sicuti dictus P. Generalis Theatinus tenetur adhibere consilium Patrum Consultorum suorum in transferendis Patribus Vocalibus, teneatur etiam sequi quod consuluerint. Respondeo ita teneri exequi id quod semel statuit cum consilio Consultorum suorum, ut non possit à sua determinatione recedere, nisi de novo adhibeat Consultores pro Consilio. Recessus enim à tali determinatione, est novus actus, & ideo, quando versatur circa res illas, in quibus ex præscripto Constitutionum tenetur adhibere Consultores pro consilio, si non adhibeat, remanet nullus, ita etiam idem *P. Pasqualigus Centuria pr. qq. Moralium Canonicar. qu.* 39. *n.* 6. affirmans, & optime *anteced. n.* 4. quod P. Generalis noster in iis, in quibus nostræ Constitutiones, & Decreta exigunt, ut exquirat Consilium à Consultoribus, accipit potestatem modificatam, & qualificatam: ita ut si eadem fiant ab ipso absque Consultorum consilio ejusdem actus nulli sint, ac invalidi, eo quod non exercuerit ipse jurisdictionem secundum formam eidemmet traditam: & ita tenet etiam *Sylvester Verbo Consilium, Versu Quarto Quæritur nu.* 6. Ubi expressè ait: *Quod si lex à principio cum tradit potestatem mandat operari cum Consilio, actus non valet non adhibito consilio, defectu potestatis, quia accipiens habet illam modificatam, & qualificatam.* Et argumentum etiam desumitur *Ex Cap. Novit. De his quæ fiunt à Prælatis &c.* juncta *Glossa* in qua sic: *Verbo Nota: Non decet membrum à capite recedere, nec è converso. Prælatus negotia Ecclesiæ suæ de Consilio fratrum suorum facere debet.* Unde *Navarr. lib. p. Consiliorum, Consil. p. nu.* 13. (cum *Bartolo ibi* communiter recepto) ait: *Quod non solum est requirendum consilium, sed etiam sequendum illud, quando est requirendum ab alio tanquam à Collega, & participe Officii.* Qua de re etiam *Sanch. in Decalogum lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 65. ubi quærens, *An obligatus ad consilium petendum teneatur etiam illud sequi?* Respondet, *Regulariter non teneri eum sequi.* Addit tamen, *At fallit, quando id ab alio tanquam à Collega, & Officii participe petendum est: ut testantur Bartolus, Dominicus Francus &c.* Quibus addi possunt *Rodriquto.* 3. *qq. Regularum qu.* 17. *art.* 7. (Ubi pariter, cum *Bartolo* communiter recepto sic: *Non solum est requirendum consilium, sed etiam sequendum, quando est requirendum ab alio tanquam à Collega, & participe Officii*, ut in casu nostro.) *Suar. to.* 3. *De Relig. libr.* 5. *cap.* 10. *n.* 19. & *Lessius de Just. lib.* 2. *cap.* 41. *nu.* 61. *Quia videlicet, ubi à jure requiritur consilium, nisi adhibeatur, actus est nullus. Cap. Novit, De his quæ fiunt à Prælato, juncta Glossa. Non tamen tenetur* (addit ibi *Lessius*) *consilium illud sequi, sed satis est exquirere, & intelligere, ut docet Sylvester Verbo Religio* 3. *qu.* 13. Quod etiam expressè, & ad rem nostræ responsionis confir. *Pat. Pasqualigus qu. cit.* 39. *n.* 5. in quo, inquirens, *An P. Generalis noster teneatur sequi consilium suorum Consultorum, ita ut si non se-*

quatur actus sit nullus? Respondet, & optime (cum *P. Peregrino nostro in Commentariis Constitutionum par. 3. cap. 7. littera L.*) non teneri, in iis in quibus habent solum votum consultivum, (ut ex. gr. in casu nostro, in amovendis, ac transferendis Patribus Vocalibus) Consultores nanque nostri sunt quidem Coadiutores P. Generalis, ut habetur *par. 3. Constitut. Cap. 4. Eique in his, quæ ad regimen Congregationis pertinent opitulentur*. Atque sunt participes Officii, quia in pluribus habent cum ipso eandem potestatem, ac jurisdictionem, ut in iis in quibus votum habent cum eodem decisivum, ut in creandis Præpositis, Visitatoribus &c. Sed non in omnibus eandem potestatem habent cum ipso; & in quibus non habent, ut in præfata Vocalium translatione, non tenetur consilium sequi: Quia Constitutiones distinguunt ea quæ P. Generalis tenetur facere cum consensu, ab iis in quibus consilium tantum debet adhibere: ex qua distinctione clarè infertur, quod non obligent Constitutiones ad sequendum consilium, *si nanque obligarent, eadem esset ratio* (concludo cum *P. Pasqualigo n. cit. 5. in fine*) *de iis, in quibus deberet exquirere consilium, ac de iis, in quibus deberet expectare consensum, & non opus esset distinctione de consensu, & consilio. Ex his autem sequitur* (infert ità idem *P. Pasqualigus nu. seq. 6.*) *quod si Generalis noster semel aliquid statuit cum Consilio suorum Consultorum, non possit à sua determinatione recedere, nisi de novo adhibeat Consultores pro Consilio. Recessus enim à priori determinatione est novus actus, & ideò, quando versatur circa res illas, in quibus ex præscripto Constitutionum tenetur adhibere Consultores pro Consilio, si non adhibeat, remanet nullus*. Quod etiam probat supra *n.* 4. Ut sequitur: *In casu nostro, quando Generalis eligitur, & accipit potestatem, lex loquitur, & mandat adhiberi Consilium Consultorum, & traditur ipsi potestas modificata, & qualificata. Quare tenendum est, actus esse invalidos, si fiant absque Consilio Consultorum, quia non exercet jurisdictionem secundum formam traditam: & ita tenent præter Sylvestrum, & Panormit. Doctores omnes n. p. allati, & alii communiter. Et ideò Rota Decis. 282. coram Puteo in p. edit. notat, quod deficiente conditione deficit actus, & proinde, quando exigitur, quod fiat cum consilio tanquam cum conditione, erit nullus, si non adhibeatur consilium*. Hactenus *P. Pasqualigus nu. 4. cit.* Cujus Doctrina confirmari etiam potest authoritate *Hieron. Gonzalez super Regul. 8. Cancell. De Mensibus Alternat. Glossa 46. Verbo Consilium. Verum Limita secundò, n. margin. 78. fol. 567. Col. p.* dum ibi sic: *Quando consilium est petendum ab eo, qui est particeps Officii, tunc est sequendum. Tex. in l. Titium 47. in principio ff. de administrat. tutoris.*

1292 Verum, quia & si dictus P. Generalis Theatinus tenetur requirere Consilium Patrum suorum Consultorum, in nonnullis tamen non tenetur (in exteriori foro) illud sequi (ut v. g. in dicta translatione Patrum Vocalium, ut supra, & in aliis in quibus Consultores habent votum tantum consultivum.) Ratio enim in ipso consilium petendi (ut optime *P. Peregrinus in Commentariis cit. litt. l*) & finis est, ut ex consiliis traditis à Patribus Consultoribus ipse P. Generalis *discernat, & dijudicet id, quod ad bonum commune Religionis utilius esse arbitrabitur*. Unde ad consilia petenda non accedit P. Generalis ut illis adhæreat, atque alligetur, sed ut motivum, & materiam sumat judicii sui dirigendi, & quod sibi æquius visum fuerit decernendi. Quod docet etiam expressè *Sylvester Verbo Consilium n. 2.* dum ibi sic: *Quæritur, utrum teneatur quis datum sibi consilium sequi, quandum circa aliquid tenetur consilium petere? Et dico, quod tenetur quilibet Consilium petere, sive quærere, ubi à jure cavetur, & tenetur expectare tempus, donec consulat Sapientes, aliàs non valeret si fieret quod mandatur fieri cum Consilio*; Et idem repetere videtur *Sylvester eo loci nu. 4.* Cui subscribens *P. Peregrinus l. c.* concedit quidem P. Generalem nostrum in iis in quibus Consultores habent Votum tantum consultivum, haud teneri illud sequi: addit tamen expressè, *In foro exteriori non teneri: quia in foro conscientiæ, si cognoscit consilium sibi datum à Consultoribus esse bonum, & juxta rectam rationem, cogitur illud sequi, non præcisè, quia sibi sit datum ab hoc, vel ab illo, qui auctoritatis sit; sed quia ipse animo ita judicat, & judicare tenetur, dimisso quovis privato affectu, bono communi noxio, ut etiam docet Cardinalis Paleotus de Consistorio par. pr. qu. 3. art. 8. Vers. At verò &c. Et non sequendo in hoc casu peccat mortaliter, vel venialiter juxta qualitatem materiæ arbitrio prudentis?* Hæc *Peregrinus*, quæ vim maximam utique (ut constat) nostræ conferunt præfatæ primæ probationi, prosequendo igitur.

1293 Probatur secundo eadem data responsio: Nequeunt Generales Religionum transferre Subditos de una ad aliam Provinciam absque justa, & rationabili causa, uti docent *Navarrus*, *Rodriquez*, *Vega* quos citant, & sequuntur *Peyrinus de Subdito*

qu. p.

qu. pr. cap. 12. *Verſu Dico ſecundo* (ubi ſic : *Non poteſt Generalis transferre fratres de una in aliam Provinciam contra voluntatem transferendorum, & eis inauditis abſque rationabili cauſa. Ita Navarr. Rodriq. Vega (qui hoc dicunt de extraneo in aliqua Provincia incorporato, unde multo magis debent dicere de naturali.)* Et *Antonius à Spiritu Sancto in ſuo Directorio par. 2. tract. 3. diſp. 3. ſec. p. n. 9. pag. mihi* 81. *num. margin.* 139. *Verſu Sed quæres:* in quo ſic : *An Subditus teneatur obedire ſuo Generali eum à Provincia in qua natus eſt, eyciens, abſque eo quod ei aſſignet cauſam rationabilem ? pro explicatione hujus dubij ſuppono, Provincialem poſſe transferre ſuum Subditum de una in aliam domum, & Generalem de una in aliam Provinciam. Hoc ſuppoſito. Reſpondeo Generalem non poſſe transferre fratres de una ad aliam Provinciam contra voluntatem transferendorum, & illis inauditis abſq; rationabili cauſa. Ita Navar. Rodriq. Vega, quos refert, & ſequitur Peyrinus. Et ratio eſt, quia Judex, Superiorem agnoſcens, non poteſt in damnum tertii quidquam facere, vel ordinare abſque rationabili cauſa, ut cum Panormit. Navarro, & aliis notavit Peyrinus. Et patet ex Cap. Erit autem lex, diſtinct. 4. ubi dicitur, Quod lex debet eſſe rationabilis, & honeſta.* Hæc *Antonius à Spiritu Sancto.* Quod ſi in aliquibus gravibus, & oneroſis, nedum debet Generalis operari ex rationabili cauſa, ſed inſuper debet eam aſſignare: Quod inſinuat *Navarr. in Commentario de Spoliis Clericor. §. 2 num. 7. Ubi in fine num. (Quod pro hoc facit fundamentum irrefragabile communiter receptum Bartoli loc. ibi cit. quod quando aliquid non poteſt fieri ſine cauſa debet illa probari.)* Et *par. p. Conſilior. lib. 3. Conſil.* 56. *n.* 2. ubi ſic (*Superiori etiam non recognoſcenti alium Superiorem, dicenti ſe facere aliquid ex juſta cauſa, non creditur, niſi conſtet de illa, ſi id non poteſt facere ſine cauſa, ſecundum Veriorem Opinionem, quam efficaciter probamus in Commentario de Spoliis.*) Quod ex eodem *Navarro* approbat *Peyrinus de Subdito qu. p. cap. 26. §. 2. ſub Dico quinto, Verſu Dixi ex Juſta cauſa :* Ubi (*Nam ſine ea ſubditus obedire non tenetur. Nec ſufficit Superiorem Prælatum dicere, ſe id facere ex juſta cauſa, ſed illam debet aſſignare, ut ſupra diximus ex Navarro libr. 3. Conſilior. de Regularibus Conſil. 56. nu. 2. Et de Spoliis Clericor. §. 2. n. 7. & 8.*) Si inquam aliquando Generalis debet aſſignare cauſam, quæ illum movet ad præcipiendum, non video quomodo in transferendo Subditum de propria in alienam Provinciam, de propria in alienam Domum, ſi non aſſignet cauſam, vel cauſa ipſa rationabilis non appareat, non poſſit Subditus reclamare, & interim non obedire, cum talis translatio poſſit eſſe valde oneroſa Subdito transferendo? *Nec enim onera ſunt imponenda ſine cauſa, neque ſunt ſubeunda, niſi cognoſcantur juſta,* ait *Moronus Reſponſo 21. n. 19.*

1294 Et quod de facto Generales Religionum nequeant abſque cauſa rationabili transferre ſubditos de una ad aliam Provinciam, refert de Fratrum Prædicatorum Generali in ſpecie, *Peyrinus l. cit. Dico primo, & Dico ſecundo,* ſub his verbis : *Suum eſt* (Generalis videlicet) *transferre Fratres de Provincia ad Provinciam pro utilitate vel Ordinis, vel transferendorum. Licet autem habeat plenam, & Generalem poteſtatem in Ordine, tamen nunquam eſt ei utendum hujuſmodi plenitudine poteſtatis, ubi cauſa rationabilis non occurrerit.* Quem morem ſequuntur etiam cęteræ Religiones (Mendicantes præcipue,) & ſequi debent ex juſtitia eorum Superiores, quicunque hi ſint, ſive Generales, ſive Provinciales, ſive locales, ut conſtat ex dictis ſupra cum *Navarro, Lezzana, Petro ab Angelis &c.* Quenque morem item ſequitur, & ſequi debet in ſpecie Religio mea Theatina, dum ex præſcripto noſtrarum *Conſtitutionum par. 3. cap. 7.* in transferendis nedum de Provincia, ſed tantum *De loco ad locum Vocalibus,* debet P. Generalis Patrum ſuorum Conſultorum conſilium adhibere, ut id rationabiliter fiat, & cum cauſa: & ſic etiam à Patribus (pręſertim gravibus) occaſio auferatur reclamandi. Transferre enim ſubditum de ſua naturali Provincia, & de ſua quandoque tantum domo profeſſa in alteram (etiam Provinciæ ejuſdem) redundare poteſt in maximam infamiam dedecuſque Religioſi Subditi apud alios Religioſos nedum, verum etiam apud Sæculares, ut notat etiam *Peyrinus De Subdit. qu. p. cap. 12. Sub Dico 3. Verſu Probatur primo. Putabunt enim omnes* (ſunt verba *Peyrini*) *illum commiſiſſe aliquod delictum propter quod fuerit meritò expulſus ; & illius vita durante, ſemper liberum erit malignis, ei talem expulſionem exprobare ; quare licitè poteſt ſe per appellationem, ſeu recurſum à tali moleſtia liberare. Immo puto, quod quando eſſet fama neceſſaria pro virtute conſervanda, ut regulariter contingit, & inſinuatur illo loco Eccleſiaſtici 41. quod non poſſet Religioſus cedere juri ſuo appellandi, cum hoc medio recuperet famam ſibi injuſtè ablatam. Sicut licet homo ſit Dominus divitiarum, quando tamen his opus habet pro alenda familia, non poteſt illas pro libito prodigere, ſic non poteſt fa-*

mæ

me renunciare, quando est necessaria ad virtutem conservandam. Hæc *Peyrinus*, quæ fortiter corroborant nostrum datum responsum, ut patet, quod insuper

1295 Probatur tertio. Quando Religiosus subditus sentit se gravatum ex amotione à suo Conventu, potest tunc licitè appellare à gravamine, quod censetur pati, *si ex amotione inferratur injuria, nasceretur scandalum &c. & hoc de jure: Moronus responso 28. sub nu. 117. pag. mihi 118. col. 2.* Ergo verum nostrum responsum; consequentia sequitur: antecedens probatur: Quia Prælatus, & Judex, Superiorem recognoscens, non potest quidquam facere, vel ordinare in damnum tertii absque rationabili causa, ut docent *Panormit. in cap. Cum omnes de Constit. n. 2. Navarr. lib. 2. Consil. Tit. De Appellationib. Consil. 5. n. 4. cum aliis ab ipso citatis*, quibus adde *Peyrinum cap. cit. 12. sub Dico secundo, Versu Probatur primo*. Et patet etiam ex *Cap. Erit autem lex, Dist. 4.* ubi habetur, quod lex debet esse rationabilis, & honesta: *Erit autem lex honesta, justa, &c. pro communi utilitate conscripta*. Ergo ut teneatur Subditus Superiori suo, ac Prælato obedire, debet hujus lex, atque ordinatio rationabilis esse, & justa, præcipue in casu nostro de amotione ejusdem à proprio Conventu, aliter non tenetur ipse in conscientia obedire, sed potest tutò appellare, sicque honorem suum ex tali amotione periclitantem (ut suppono, & non aliter) defensare. Quod

1296 Confirmatur primo. Quia Superiori etiam Generali nec recognoscenti alterum Prælatum Superiorem, & injustum aliquid mandanti, etiam si tale injustum, peccatum non contineat, non tenetur Subditus obedire, *Panormitan. in cap. Inquisitioni de Sent. excommun. num. 5. Tabiena Verbo Obedientiæ, Versu, Sexto nunquid n. 7.* quos referunt etiam, & sequuntur *Peyrinus cap. cit. 12. Dicto quarto, & Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Regularium par. 2. trac. 3. disp. 6. sec. p. n. 141. pag. mihi 81.* & exemplificant: *ut si Prælatus mandaret mihi, ut darem illi meos libros, non teneor obedire*: Sed deteriores sunt qui famæ nostræ detrahunt, quam qui substantiam nostram diripiunt, ut dicitur *Cap. Debitores. Causa 6. qu. p.* & habet *Panormitan. in c. magnæ n. 13. de Voto*. Ergo si non teneor obedire dando illi meos libros (est consequentia ad litteram *Peyrini, & Antonii à Spiritu Sancto l. l. c. c.*) *multo minus dando illi meam existimationem, & famam*: atque adeo justam habeo causam non obediendi, & reclamandi, aut appellandi, ut supra, idque tuta conscientia.

1297 Confirmatur secundo. Quia in omni obedientia sunt intelligendæ aliquæ conditiones, ut ex. gr. si potero, vel si rationabile præceperit &c. Unde *Summa Tabiena Verbo, Obedientia, Versu Decimo septimo, n. margin. 18.* inquirens, *Utrum in omni obedientia sint intelligendæ aliquæ conditiones*. Respondet quod sic, *secundum Glos. in ca. 2. de Voto. Primò si possibilitas adest: facit ca. 2. querellam, &c. brevi de jure jurando. Item admittit omnem rationabilem causam, ut notat Panormitan. in ca. Magnæ, de Voto &c.* Idemque habet *Summa Angelica, eodem Verbo nu. 4.* Ubi pariter: *In omni obedientia sunt intelligendæ aliquæ conditiones: scilicet si possibilitas adest &c. Item admittit omnem rationabilem causam, ut notant Panormitan. &c. Archidiaconus &c.* subscribunt pariter *Sylvester Verbo Obedientia n. 3. & Summa Armilla, Verbo eodem num. 12.* cum quibus *Peyrinus cap. cit. 12. sub Versu Dico quinto. Secundo probatur. & Antonius à Spiritu Sancto l. c. n. 142.* qui, ex posito antecedenti: In omni obedientia sunt intelligendæ dictæ conditiones, videlicet, si potero, vel si rationabiliter præcipiatur &c. deducunt, & sub ejusdem verbis (ego pariter cum eisdem) hanc consequentiam: Ergo si Prælatus præcipiet aliquid sine ratione, subditus non tenetur ei obedire. Supposita veritate antecedentis, consequentia omnino sequitur, & ab ullo negari potest. Et adde hic cum *Navarro, & Peyrino*, quos refert & sequitur idem *A. à Spiritu Sancto l. c. n. 144.* Credendum neque esse Superiori, etiam non recognoscenti alium Superiorem (ut Generali) dicenti se transferre Subditum ex justa, & rationabili causa, nisi constet de ipsa, si id non potest facere absque eadem: & multo magis non est illi credendum si Superiorem agnoscit, nec quidquam fine rationabili causa potest facere. *Unde* (concludit idem *A' Spiritu Sancto n. sequ. 145.*) *Si Generalis absque rationabili causa Subditum transferet de sua naturali in externam Provinciam, habet hic justam appellandi causam, seu de gravamine conquerendi &c.* Vide eundem.

1298 Probatur quartò. Si res valde difficilis, aut nimis molesta vel opus valde austerum à Prælato præcipiatur Subdito, ita ut iste maneat dubius de potestate Prælati, non tenetur [statim saltem] Subditus obedire, sed potest rem maturè discutere, & quousque sibi non constet de honestate rei præscriptæ, & quod intra limites auctoritatis Superioris contineatur præceptum,

ceptum, executionem differre. Ita expreſsè *Rodriquez to. 3. qq. Regularium qu. 19. art. 4.* (Ubi *Verſu , Dixi in concluſione*, ſic : *Nec regulariter jus Divinum, vel humanum, neque ipſe homo per Votum obedientiæ ſe intendit obligare, vel obligari ad valde difficilia, ultra communem aliorum ſui ſtatus obligationem, niſi ſpecialiter aliquo jure, vel Voto aliqui ad ea obligentur. Quod dico propter aliquos Religioſos qui ex vi Voti regulæ ſuæ, etiam in multis difficillimis, Prælatis ſuis obedire tenentur. Regulariter tamen in valde difficilibus nullus obedire tenetur, etiam ſi in ſe alias licita ſint.*) *Sanchez in Decal. lib. 6. cap. 3. n. 23.* (Ubi pariter ſic : *Quando Subditus dubius, an res præcepta ſit licita, vel ſupra jubentis poteſtatem, juberetur rem valde difficilem, aut ſibi nimis moleſtam exequi, non teneretur ſtatim parere, donec re maturius diſcuſſa conſtaret eam licitam, & intra limites poteſtatis Superioris clauſam eſſe, quia tanta rei difficultas, una cum dubio poteſtatis imperandi, præponderat poſſeſſioni Superioris, & fovet potius libertati ſubditi, quæ & ſi communiter odioſa ſit, at in hoc caſu non eſt talis reputanda.*) *Antonius Cordubenſis in quæſtionorio Theologico lib. 3. Tit. de Conſcientia qu. 6. pag. mihi 176. col. 2.* (ſic: *Tenemur Prælato obedire, niſi inde nobis, vel alteri periculum, aut notabile præjudicium ſpirituale; vel temporale in perſona, rebus, vel honore immineat.*) *Ludovicus Lopez par. pr. Inſtructorii Conſcientiæ Cap. 56. Verſu, Sic etiam ibi cum Soto in lib. de detegendo Secreto, membro 3. qu. 2. concluſ. p.* (ſic ait : *Si mihi Prælatus præcipiat longum iter, aut rem difficilem dubiunque eſſet mihi ejus juris præcipiendi, non teneor ſtatim parere. Nemo conſtringitur parere in re dubia cum gravi ſuo detrimento, quamvis opus, quod præcipitur ſit tutum.*) *Sayrus in Clavi Regia libr. pr. cap. 13. nu. 40.* idem affirmat, & ſub iiſdem ferè verbis, ut ſequitur : *Si Prælatus mihi præciperet longum aliquod iter, aut rem difficilem, dubium mihi eſſet jus præcipiendi, non teneor ſtatim cum tanto periculo, & diſcrimine obedire, donec conſtet mihi de Jure præcipiendi, ut Sotus, & Medina ubi ſupra tradunt.* Addi poſsent & alii quos vide apud *Peyrinum*, qui & ipſe *tom. pr. De Subdito qu. p. cap. 7. Verſu Nec item.* expreſsè ait, *Quod Subditus dubius de poteſtate Prælati non tenetur ſtatim obedire, ſi illi præcipitur res valde difficilis, aut nimis moleſta :* Sed valde, grave, difficile, ac moleſtum quandoque eſt Religioſis Patribus præſertim gravibus, ſenioribus, ac benemeritis, ſe transferre è propria in alienam Provinciam, è proprio in aliud Monaſterium, attentis maximè circunſtantiis, periculi videlicet amiſſionis honoris: paſſionis Superiorum, perſecutionis &c. ergo quouſque conſtet de Juſtitia, & honeſtate præcepti non tenentur dicti Religioſi, ac Patres obedire.

1299 Confirmatur, Quia quoties Superior præcipit aliquid grave Subdito, & iſte habet opinionem probabilem pro ſe dicentem imperium Superioris excedere limites Regulæ, vel propriæ poteſtatis, & auctoritatis, ſubditus quouſque conſtet ſibimet de tali poteſtate, & auctoritate, poteſt (ſaltem pro tunc) ſuſpendere obedientię actum. Hinc *Sayrus in Clavi Regia libr. pr. cap. 12. Verſu Denique cum dicitur : Si Superior præcipit, quod licitum eſt ſecundum opinionem probabilem, inferior non ſolum parere poteſt, ſed etiam tenetur : ſi autem diverſitas opinionum eſſet, an Superior poſſit id præcipere, & an inferior teneatur obedire, tunc quidem quamvis inferior tenens opinionem contrariam obedire poſſit, non tamen tenetur. Ratio diverſitatis eſt : Quia in priori caſu Superior habet jus præcipiendi, unde conſequitur obligatio in ſubdito, ut obediat : in poſteriori verò caſu cum dubitetur, an Superior jus præcipiendi habeat, tunc licet ſubditus poſſit parere, non tamen ad id obligatur, cum non poſſit eſſe obligatio in Subdito ad obediendum, niſi ubi ſit jus in Superiore ad præcipiendum. Sanchez in Decal. lib. 6. cap. 3. nu. 7. Si daretur Opinio probabilis dicens in aliquo caſu non teneri Subditum obedire Superiori, tunc ſubditus credens eam Opinionem eſſe probabilem, non teneretur obedire licet poſſet, quia poteſt alterutram opinionem tutò ſequi ut docet Sayrus. Tunc enim non præponderat poſſeſſio certa Superioris, quia eo ipſo quod ſit opinio probabilis, dicens ſubditum non teneri in eo caſu obedire, vocatur in dubium poſſeſſio Superioritatis in Subditum, & ideò non ſupponitur poſſeſſio, ut præponderet contra libertatem quam habet Subditus ad ſequendam quamcunque opinionem probabilem earum, quæ ſunt immediatæ regulæ operationum. Sancius in Selectis diſp. 33. à n. 32. Verum arbitror (in princip. numeri) ſubditum non conſtringi obedire quoties opinio aliqua aſſeruerit ipſum non teneri parere, ſive illicitum eſſe, quod præcipitur. Palao to. pr. tract. p. de Conſcientia Opinante diſp. 2. puncto 6. nu. 6. Dicimus Superiorem habere jus præcipiendi quod eſt certò, & indubitabiliter ; quod verò ſub opinione tantum licitum eſt, etiam ſub opinione jus habet. Antonius à Spiritu Sancto in Director. Regularium par. 2. tract. 3. diſput. 6. ſec. pr. §. 5. n. 164. & 165. Data opinione probabili pro ſubdito, non tenetur Subditus obedire Prælato, & ei licet utranque partem ſequi. Ratio*

eſt,

est, quia unicuique licitum est, sequi opinionem probabilem. Nec obstat si dicas Superiorem justè præcipere, siquidem præcipit juxta probabilem sententiam. Respondetur nanque Superiorem non omnino justè præcipere, sed tantum præcipere justè probabiliter. Unde Subditus tantum tenetur obedire probabiliter, & in hoc casu ob ignorantiam datur bellum justum ex utraq; parte. Franciscus Bardi De Conscientia Dubia, & Scrupulosa Disceptat. 4. Cap. 26. à n. 18. pag. mihi 256. & 257. Si opinio quam habet Subditus, immediatè versetur circa obligationem, nempe sit probabilis opinio, quæ hic, & nunc excuset Subditum ab obediendo, nunc subditus poterit opinionem excusantem amplecti, & non obedire: ut volunt Authores citati pro hac sententia, quæ sic probatur: Licitum est unicuique sequi opinionem practicè probabilem, at sequens opinionem, quæ hic, & nunc excusat subditum ab obligatione præcepti, sequitur opinionem practicè probabilem; ergo licitum unicuique erit in tali casu non obedire; major supponitur ex dictis in hac Disceptat. Cap. 10. & 12. minor verò suadetur, quia opinio habet quod sit practica ex eo, quod est quidam determinatus assensus versans circa rem pensatis omnibus circumstantiis intrinsecis, & extrinsecis, quæ possunt concurrere ad formandum assensum ipsum, & si innititur rationibus alicujus ponderis, dicitur opinio practicè probabilis, & regula nostrarum actionum directiva: sed quando opinio fertur circa obligationem, & subditum excusat, procedit ex ponderatione omnium circumstantiarum, aliter esset temeraria, & non prudens, & pro se habet rationes alicujus ponderis, ut nunc supponimus, in conclusione enim loquimur abstrahendo ab hac, vel illa opinione in particulari, & supponimus sermonem esse de opinione quæ probabilis existimatur, de qua dicimus, quod si versetur circa obligationem parendi, posse Subditum excusari à præcepto: ergo sequens opinionem quæ hic, & nunc excusat &c. sequitur opinionem practicè probabilem. Et confirmatur ex praxi quotidiana, secundum quam edocemur, sæpe à nobis excusari aliquos à præceptis non solum humanis, verum etiam divinis ratione alicujus circumstantiæ, aut necessitatis, aut magnæ difficultatis: ver. gr. licet integritas confessionis Sacramentalis de peccatis mortalibus sit de Jure divino, in multis tamen casibus, ut dicitur in Tractatu de pœnitentia, possunt aliqui tacere peccatum mortale, ut si non adesset alius Confessarius, & pœnitens manifestando aliquod peccatum, timeret rationabiliter à Confessario esse sibi inferendum aliquod damnum corporale: similiter si Ægrotus, gravi, periculosoque morbo laborans, & ex narratione omnium peccatorum, nimium defatigaretur poterit, ut dicunt nonnulli, dimidiare Confessionem, & similiter passim excusamus fideles à jejuniis, aliisq; Ecclesiasticis præceptis &c. Hactenus Bardi *l. c.* alios omitto censentes unanimiter, non teneri Subditum obedire Superiori habenti pro se opinionem practicam probabilem dicentem in tali casu non teneri obedire.

1300 Nec potest Prælatus Regularis justè, & licitè punire suum Subditum, qui sequens opinionem practicè probabilem, suo præcepto non obtemperavit, ut expressè etiam *Diana Coord. to. 7. tract. p. res. 121. sub n. 2. & 3. ex par. 3. tract. 2. res. 93.* Ubi sic: *Qui operatur secundum opinionem probabilem non potest puniri: Ratio est clara, quia pœna supponit culpam, sed qui operatur secundum opinionem probabilem non operatur culpabiliter, ergo non est dignus aliqua pœna.* Cui eidem rationi subscribens & *Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Regularium §. 5. cit. num. 175. & 176.* sic ait: *Prælatus Regularis non potest justè, & licitè punire suum Subditum, qui sequens opinionem probabilem suo præcepto non obtemperavit. Ratio est, quia qui operatur cum probabili opinione prudenter, & licitè operatur, cum se conformet regulis rectæ rationis, ergo justè, & licitè non potest puniri. Antecedens est certum: consequentia probatur; tum quia res, quæ culpa carent in damnum vocare non debent Cap. 2. De Constitutione: tum quia punire illum sui facti justam, & rationabilem causam habentem, aut excusationem, intrinsecè est malum, sed qui operatur cum opinione probabili justam habet sui facti excusationem: ergo punire illum erit intrinsecè malum.* Hæc & optime citatus Doctor cum *P. Diana*, & alliis.

1301 Neque obstat, quod in dubiis teneamur sequi opinionem quæ favet possessioni, in casu autem nostro præponderat possessio certa Superioris: non inquam obstat: tum quia (ut optimè *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 3. n. 7.*) Eo ipso quod sit opinio probabilis, dicens subditum non teneri in eo casu obedire, vocatur in dubium possessio Superioritatis in subditum, & ideò (inquit & *Sanch.*) *non supponitur ea possessio, ut præponderet contra libertatem quam habet Subditus ad sequendam quamcunque opinionem probabilem earum quæ sunt immediatæ regulæ operationum.* Tum quia & si demus Prælatum habere possessionem certam Superioritatis, si tamen opinio aliqua dicat Subditum in aliquo casu non esse constrictum obedire, liberum erit illi tunc obedire, vel non, eo quod fas sit cuique opinione probabili uti, ut docet etiam *Sancius in Selectis qu. 33. sub n. 28. Versu, At quamvis.* sub sequentibus

Aaaa ver-

verbis : *Quoties fertur opinio probabilis dicens in aliquo caſu non teneri ſubditum obedire, nec Superiorem poſſe obligare, liberum erit Subdito obedire; vel non, cum poſſit tutò alterutram opinionem ſequi.* & ante *Sancium* idem affirmat *Sayrus in Clavi Regia lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 6. Videatur. Tum etiam quia, obligationem ſequendi opinionem *quæ fovet poſſeſſioni*, negat *Sanch. lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 41. *n.* 30. quando utraque opinio eſt probabilis, quia utraque etiam eſt eligibilis, ut recta regula operandi : & cum *Sanchez*, & *Villalobos to. p. Summ. tract. p. difficult.* 9. idem negat *P. Paſqualigus Deciſ.* 31. Quia poſſeſſio non facit ut teneamur eligere, quæ ipſi favet, quia non obligamur ad eam manutenendam, niſi in virtute opinionum, quod ſit regula operandi ; hinc poſſeſſio (ait *Paſqualigus*) dependet ab opinione, non autem eligibilitas opinionis à poſſeſſione. *Quando autem dicitur* (addit *P. Paſqual. Deciſ. cit. n.* 2. *cum Sanch. n. c.*) *Quod melior eſt conditio poſſidentis : intelligitur in dubiis ; ita enim loquitur* Regula *Juris* : *Quando autem hinc inde concurrunt opiniones probabiles, non ſumus in dubiis, ſed in probabilibus : unde qui eligit unam, aut alteram opinionem, non eſt dubius, ſed probabiliter judicat. Deinde, Melior conditio poſſidentis, dubietate facti, non dubietate juris ; quia poſſeſſio eſt ſufficiens titulus continuand. poſſeſſionem, quando ſumus in dubiis, ad quem non ſpectat rei poſſeſſa*, ita *Paſqualigus n.* 2. *cit. Cum Sanchez n. cit.*

1302 *Nec ex non paritione Subditi, opinione probabili ducti* (ſunt verba *Sancii diſp. c.* 33. *n.* 42. ad rem noſtram) *ſcandalum proprium enaſci poterit. Nam ſcandalum propriè invenitur, quando aliquis actionem malam agit, aut male ſpeciem habentem ſine cauſa, ex quo alii exemplum accipiunt ad iniqua operandum. At Subditus non obediens, opinione probabili ſuffultus, actionem malam non operatur, nec male ſpeciem habentem : nec ex eo quod alii non obediant, opinione quoque probabili ducti iniquè non operabuntur. Fit ergo minimè ſcandalum propriè inveniendum eſſe tunc. Quod verò turbatio communitatis emanet, præſumendum non eſt, ſi notæ ſunt opiniones Superioris, & Subditi ; nullus nanque mirabitur, nec juſtè conquereretur, quod Superior præcipiat, & Subditus non obediat, cum quilibet jus ſuum illæſum conſervare contendat, quod fieri jure naturæ conceſſum eſt. Diſplicentia ſolum à Superiore captanda timeri poteſt, quod illius mandatum executioni non detur : at hæc potius naturalis eſt, quam juſtè ſumpta. Si verò Superiori nota non ſit Subditi opinio, tenebitur inferior illam declarare, ne non obediendo detur ocaſio ſuſpicandi ſe Superioris mandatum deſpicere. Nec adeò plura ſunt, quæ poſſint Superiores præcipere, & in quibus verſentur opiniones, an ſint licitæ, vel non, quod crebrò turbatio illa timeri poſſit, ſed ſemel ex millibus. Imò multo majorem turbationem exoriendam fore in opinione dicentium non obſtringi Subditum parere, dum verſatur opinio de legitimitate Superioris ; omnibus eſt manifeſtum. Nam Superior tunc majorem injuriam ſibi irrogari arbitrabitur : quod videlicet ob id ei non obedientia præſtatur, quia de ejus juriſdictione dubitetur, quod ſanè ipſi magis nocivum eſt, quam ſi obedientia non præſtetur in una vel altera re, quia dubitatur an ſit licita. vel non : Unde ex primo timere meritò poterit in nihilo fore obediendum : ex ſecundo autem, quod in hac, vel illa re obedientia deficit ; hoc autem minus nocumentum eſſe Superiori, quam primum, nullus ſanæ mentis in dubium revocabit.* Et paulo infra ita proſequitur. *At Subditus dum opinione probabili ductus, parere non vult Superiori, non aufert ab illo aliquid quod poſſideat, ſed ſuam libertatem ad non obediendum, natam ex opinione probabili tuetur, & defendit : quod autem quis rem à ſe poſſeſſam defendat, ſcandaloſum neutiquam eſt, nec ſeditioſum ; & ſicut Superior ſua opinione ductus arbitratur à ſe auferri poſſeſſionem ſuæ juriſdictionis, quando Subditus illi non obedit : eodem modo Subditus ſua quoque opinione nitens, putat Superiorem à ſe auferre poſſeſſionem libertatis, quam habet ipſe ad non parendum.* Hactenus *Sancius* mirabilis ad caſum noſtrum. Cui eidem addi etiam poteſt *Antonius à Spiritu Sancto par.* 2. *Direct. Tit. de obligationib. Religioſor. tract.* 3. *diſp.* 6. *ſec. p.* §. 5. *n.* 173. *fol. mihi* 84.

1303 Huicque eidem ſententiæ ac doctrinæ ſubſcribit expreſsè, (uti non minus probabili ſua contraria) *P. Diana Coord. to.* 7. *tract. p. reſ.* 133. *nu* 2. *Ex par.* 4. *tract.* 3. *reſ.* 8. cum *Vaſquez in prima* 2. *qu.* 19. *art.* 6. *diſp* 62. *cap.* 6. *in fine.* & *Salas in p.* 2. *qu.* 21. *tract.* 8. *diſp. unica, ſec.* 8. *n.* 78. Quia, videlicet, quando dubitatur de legitimi Superioris poteſtate, *non tenetur* (inquit *P. Diana* aſſerunt & alii) *Subditus obedire*. Et idem docent, *Quando adſunt diverſæ opiniones probabiles : quia Subditus tunc habet obligationem obediendi Prælato, quando Prælatus habet jus, & poteſtatem certam præcipiendi, ſed in caſu noſtro eſt dubium de ejus poteſtate legitima, ergo &c.* Uide eundem *P. Dianam Coordinatum tom.* 8. *tract. pr. reſ.* 15. *Ex par.* 2. *tract.* 15. *reſ.* 10. & *reſol. Coordinata ſequenti* 16. *Ex par.* 4. *tract.* 4. *Miſcell. reſ.* 31. Vide etiam *Caramuel in Theologia fundamentali intentionali to.* 3. *lib* 3. *Tit. De Conſcientiæ Dictamine*

Diſp.

Disp. 3. qu. 5. nu. 1419. in quo approbans expresse recitatam sententiam *Pat. Dianæ par. 4. tract. 3. res.* 8. resolvit, & ipse ut sequntur *fol. mihi* 307. *Si esset certum quod Superior non haberet authoritatem, esset certum quod non tenereris obedire: ergo si est probabile quod non habeat authoritatem, erit etiam probabile quod non tenearis obedire: non eris ergo imprudens, nec temerarius si ei obedientiam neges; non enim temerarius, aut imprudens, qui sequitur opinionem probabilem.* ita Caramuel *n.* 1419. *cit.* qui *n.* 1420. sequenti, sic prosequitur. *Dices, Nemo potest expoliari possessione propter meram opinionem probabilem: ergo quandiu non scis certò Superiorem non habere authoritatem legitimam, debes ei obedire. Respondeo posse dari duplicem Statum; alterum, in quo homines nihil decernant de possessione probabili, alterum in quo statuant neminem privandum possessione sine causa certa, & evidenti. In hoc secundo verum est antecedens, falsum in primo. Adeòque & eodem modo distinguendum est consequens. Stando rei naturæ falsa est consequentia: etsi daretur Religio, in qua esset lex obediendi Superiori probabili, ingressus talem Religionem, censendus esset cessisse proprio juri, adeòque etiam probabili Superiori obedientiam debere.* Sed contra

1304 Dices Ex *Peyrino* ipso, pro nostra responsione etiam citato. Quando constat rem præceptam esse licitam, & tamen dubitatur, an excedat regulam, & limites potestatis Superioris, tunc Subditus obedire tenetur: ità *De Subdito qu. pr. cap. 7. Vers. Dico quarto. cum Sanch. ibi. Miranda, Rodriquez*, & aliis. Nec enim (ait idem *Peyrinus*) de qualibet re præcepta ratio investiganda est, quia sic durissima esset Prælatorum conditio, & pessimus Subditorum Status, ut qui non Superiori, sed rationi, ad suum accommodatæ judicium parerent, & abnegatio propriæ voluntatis, in qua Religionis perfectio consistit, penitus rueret: igitur in dubiis parendum: Et ut Subditus teneatur obedire, satis est ut ipse non sciat evidenter esse malum quod ei præcipitur, nec extra limites auctoritatis Superioris.

1305 Item. *Neque Subditus* (ait *Bordonus to. 2. Resolutionum, res. 58. n. 46.*) *excogitare debet causas præceptorum stante bonitate, & prudentia Superioris, qui quandoque occultam habet rationem, & causam ita præcipiendi, licet ignotam subdito, cui illam non tenetur revelare cum in omnibus licitis jam ex Voto obedientiæ propriam voluntatem illi subiecerit.* Hucusque *Bordonus loc. cit.* Idem docet *Tamburinus de Jure Abbatum t.2. disp. 21.q.12. n. 5.* in quo sic: *Abbas non tenetur suis subditis de omnibus rationem reddere, præcipuè quando patet licitum esse id quod præcipitur; quia sic Prælatorum conditio durissima, Subditorumque status pessimus foret, ut considerant supra citati Doctores.*

1306 Idemque affirmat *Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Regular. par. 2. trac. 3. disp. 6. sec. p. §. 4. n.* 120. *pag. mihi* 80. dum ibi sic. *Nec etiam Prælatus potest ferre censuram sine causa, ut notavit Suarez to. 5. in 3. par. disp. 4. sec. 6. n. pr. & tamen si de facto non declaret, nec in ipsa censura scribat causam illius, censura non est nulla, sed valida, ut docet idem Suar. de Cens. disp. 4. sec. 7. n. 34. & alii. Sufficit enim ad valorem censuræ ut detur causa: ergo idem dicendum est de precepto absque censura.* ita *num. cit.* 120. Addens *num.* 121. cum eodem *Peyrino*, & aliis: *Quod si Prælatus aliquid etiam præcipiat injustè, quod non sit per se peccatum mortale, nec veniale, sed indifferens, vel dubium, & hoc non solum sine causæ expressione, sed etiam sine causa rationabili, adhuc tenebitur Subditus obedire ad vitandum scandalum.* Et pro foro saltem externo (addit *Laurentius Cucillus in Additionib. ad Jacobum Mancinum de Visitatione Infirmor. in Appendice Practicæ primæ, dub.* 7.) si non pro foro interno: *Ne scilicet scandalis, & jurgiis* (inquit) *pateat via.* Videatur *Practica prima cit. quæ est de Opinione eligenda à pag. mihi* 308. 309. & 310.

1307 Addi etiam potest (valdè faciens ad Casum nostrum) quod in mea Religione *Theatina*, quando à *P. Generali, vel Consultoribus* transferuntur Subditi de loco ad locum, quicunque isti sint, sive laici fratres, sive Clerici, aut simplices Sacerdotes, vel etiam Patres Vocales, quacunque ex causa id fieri debeat, nunquam à Superioribus hæc exprimitur Subdito, sed unica, eadenque forma indifferenter, cuicunque translatio, & amotio localis præcipitur, trasmittendo videlicet illi ordinationem typis expressam tenoris sequentis.

Rev. in Christo Patri, vel Fratri N. N. in Domo nostra Sancti &c. commoranti, salutem &c.

Præsentes Rev. Tua litteras ut acceperit, in Domum nostram S. Mauritii Mantuæ se conferat, quam tibi in proprium domicilium assignamus, quò ad aliter Nobis visum fuerit: cum id Dei gloria, & Religionis ratio deposcere videantur. D. O. M. & gratiam suam, & promptę cum obedientiæ merito, suam tibi benedictionem impertiat. Datum Romæ &c.

D. N. N. Præpositus Generalis Clericorum Regularium.
D. N. N. Secret. Cler. Regula.

Quæ ordinatio, seu ut dicitur *Obedientia*, vel *la Patente d'assegnatione*, cum respectu omnium transferēdorum sit semper ejusdem tenoris; semperque eadem omnino forma ordinationis invariabilis sit, atque extiterit in Religione *Theatina*; à Subditis exequitur quando eis trasmittitur, nec ab eis quęritur ratio, vel causa expeditionis obedientiæ, vel talis assignationis, quam non tenentur reddere Superiores, aut revelare, ut optime etiam concludit *P. Moronus Responso*. 28. *n.* 117. *pag. mihi* 118. *col.* 2. sub sequentibus verbis: *Si Religiosus amoveatur à loco, & causa non est necessario cognoscenda juditialiter, non potest subditus appellare à præcepto amotionis, quia Superior non tenetur reddere rationem subdito de iis, quæ spectant ad suum officium, & esset hoc vani Capitis tentare*. Ergo &c. Verum

1308 Negatur consequentia totius oppositi discursus, & argumentationis. Transeat in primis totum id quod assumitur ex *Peyrino: Directorio Regularium, ac P. Morono*. Sed dico, nullum ipsorum *supra* esse, vel discurrere contra nostram supra datam responsionem, imò summopere illi favere, illamque comprobare, & evidenter. Quid nanque dicit *Peyrinus l. c. de Subdito qu. pr. cap.* 7. *Verʃ. Dico quarto?* Dicit ut sequitur: *Quando constat, rem præceptam esse licitam, & tamen dubitatur, an excedat regulam, & limites potestatis Superioris, tunc subditus obedire tenetur, ità tenentur fateri omnes Doctores citati &c.* & ita fateor, atque concedo & ego. Sed in *Versu subsequenti*, *Obediendum igitur*, limitando suum dictum, addit: *Obediendum igitur in dubio de potestate Prælati: nisi vergat in detrimentum tertii, aut honoris, vel famæ propriæ, & limitant Rodriq. Miranda, Sayrus, Sanchez, Ledesma &c.* In hoc enim casu ait *Peyrinus cum citatis*, non tenetur Subditus obedire. Et idem asserit *Directorium Regularium §.* 4. *cit. n* 121. & 127. in quibus: *Si Prælatus aliquid injustè præcipiat quod non est per se mortale, nec veniale, sed sunt indifferentia, vel dubia, tenetur Subditus obedire, non solum sine expressione causæ, sed etiam sine causa rationabili: modo non sint* (Nota) *in præjudicium rerum, animæ, corporis, vitæ, honoris, & famæ Subditi, neque alterius, in quo casu non tenetur obedire*. Idemque (ut constat supra) omnino asserit *P. Moronus* qui pariter post recitata sua verba: *Et esset hoc vani capitis tentare*, subjungit (ut suprà retuli.) *Sed posset quidem appellare à gravamine, si ex amotione inferretur injuria, quia inde nasceretur scandalum, & hoc de Jure*.

1309 Ad id autem quod addebatur, in *Religione Theatina* amoveri Subditos à Superioribus localiter, etiam Patres Vocales, nulla facta expressione causæ, ut patet ex *Epistola ipsa* supra allata, seu *formula assignationis*. Respondeo cum distinctione: Nulla facta expressione causæ in ipsa *formula*, seu *nella Patente d'assegnatione*, concedo, quia hæc nunquam variatur, tantummodo exprimit Superior in ipsa, se id præcipere, ut patet, existimans, quod suum præceptum vergat in servitium Dei, & Religionis. Nulla facta expressione causæ nec in ipsa *assignationis formula*, nec in litteris privatis, vel alio medio, & nego. Imò semper, vel saltem ut plurimum, quando amoventur Subditi à Superioribus in *Religione Theatina* (maximè *Vocales*) eis, vel per privatas Epistolas, vel medio Superiore locali, vel alio modo notificatur causa, & hac etiam data, aliquando accidit, vel defectu istius, vel quia remotio Subditi ordinata non vergit in servitium Dei, & Religionis ut supponebat Superior, vel alia de causa, accidit inquam, quod à Superioribus revocatur, & à Subditis non exequitur. Nec exequi debent, saltem in conscientia non tenentur per *P. Dianam Cler. Regularem Theatinum*, *In casu quo timerent obediendo, sibi, vel tertiæ personæ aliquod magnum damnum rebus, honore, vel fama, aut corpore:* uti supponitur (& non aliter) in casu nostro: ita *To.* 7. *Coord. tract. pr. res.* 134. *§.* 2. *Ex par.* 4. *tract.* 3. *res.* 9. ubi etiam *Arragon. Medina, Henriq. Lessius* aliique penes ipsos: hinc negatur absolutè aliquid concludi posse ex prædicta argumentatione contra nostram responsionem, vel eandemmet in aliquo ex illa infirmari, imò potius, ut patet, roborari. Quæ præterea ex eademmet, & hucusque dictis

1310 Probatur quinto. In proprii honoris, famæ &c. præjudicium non tenetur Subditus obedire in conscientia: Sed in maximum honoris, & famæ ejusdem quandoque vergit prejudicium, imò etiam quandoque & in notabile damnum Monasterii in quo reperitur, si in aliud se transferat, ut intendunt, ac præcipiunt Superiores: ergo vel non tenetur Subditus in talibus positus circumstantiis obedire, vel saltem suspendere potest executionem usque dum veritas pateat &c. Consequentia sequitur. Minor uti certa hic supponitur, & non aliter. Major verò in qua tota vis, & fundamen-

damentum nostræ responsionis, & argumentationis consistit, licet satis pateat ex dictis, & sit propositio Doctorum communis, ut videre est apud ipsos, nihilominus ad abundantiorem doctrinam, & ut vis ipsa nostræ responsionis, & propositionis validior sit, & appareat.

1311 Explicatur, declaratur, simulque probatur. Quia Votum obedientiæ, uti & alia tum solemnia, tum simplicia, sunt stricti juris, & debent strictè intelligi, adeo ut quantum fieri possit minus obligent: *Laymam libr. 4. tract. 4. Cap. 3. De obligat. Voti n. 4. Voti, sicuti & juramenti, strictam interpretationem faciendam esse, quatenus & materia subiecta, & verborum usus, aut proprietas permittit, à Doctoribus communiter traditur, ea ratione; Quia cum agitur de obligatione, stricta interpretatio facienda est l. quidquid astringendæ ff. de verb. obligat. Votum autem, & juramentum gravissimam obligationem continet: Ergo &c. Neque id est contra Voti favorem, aut juramenti reverentiam: siquidem Votum, & juramenta eò faciliùs, & frequentius observabuntur, si benignior eorum interpretatio fieri soleat: & ad Vota in honorem Dei emittenda magis provocabuntur homines, si eorum exactio benigna potius, quam rigida fuerit, sicut indicatur in c. ex parte de Censib. ubi habetur: In dubio, de qua mensura majore ne, an minore, vota edita sint (volentes solvere ad minorem, cogendos non esse, ut ad majorem persolvant: quoniam cum hujusmodi Vota gratuita fuerint ab initio, benignius sint à viris Ecclesiasticis exigenda; ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare.) Ubi Glossa ait (ideò pro eis fit interpretatio, ne ipsorum munificentia erga Ecclesias retardetur.) Atque ita explicant Tiraquel. in privil. 25. piæ causæ, Molina tom. pr. tract. 2. disp. 198. §. Utrum vero. Sanch. libr. 4. Moral. Cap. 13. nu. 8. Azor. par. pr. lib. 11. qu. 10. in fine*. Quibus addi possunt alii plures, præsertim *Pellizzar. in Man. Regul. Tom. pr. tract. 4. cap. 5. sec. 8. Subsec. p. qu. 8. Obligatio Voti debet sic interpretari, ut obliget voventem minus quam fieri possit. Et qu. 18. Semper obligatio voti debet interpretari, ita, ut obliget minus, quam fieri possit*. Tum quia, cum agitur de obligatione, stricta interpretatio (ut supra) facienda est: Tum etiam quia, cum *Dei jugum suave sit, & onus ejus leve Matth. 11. 30.* ut obligatio quoq; Religionis suavis sit, atque levis par est. Quod contra Votorum reverentiam neutiquam est, si quidem facilius, ac frequentius observabuntur, si benigna eorum interpretatio fieri soleat; & ad Vota in Dei honorem facienda, faciliùs excitantur homines, si eorum exactio benigna potius, quam rigida fiat. Ita igitur est, ac esse debet ex communi Theologorum omnium, & Canonistarum sensu, admittentium unanimiter in Votis omnibus licet perpetuis, ac solemnibus *Epicheiam, ae interpretationem* per quam benignè declaratur Votum reipsa non esse, aut obligationem ad illud in talibus circumstantiis deficere, quando videlicet illius observantia, vel ex mutatione notabili materiæ, vel alia de causa redditur nedum impossibilis, ac inhumana, sed etiam nimis dura, quia non solent homines regulariter se tam graviter obligare. *Quia licet homines promittant Deo, promittunt ut homines, & juxta conditionem humanam*, inquit *Suar. tom. 2. De Relig. libr. 4. Tit. De Obligat. Voti Cap. 10. nu. 14.* (Addens præterea) *Accedit, quod etiam in promissione jurata admittitur talis interpretatio, ut expressè habetur in Cap. Quemadmodum de Jurejur. ergo idem erit in Voto. Et jurata illa Regula juris, quod* [*In generali concessione non veniunt, quæ in specie proposita verisimiliter non esset quis concessurus, cap. In generali 81. De Regulis Juris in 6. Cap. Si Episcopus, de Pœnit. & remiss.*] *Ubi non solum propter impotentiam, sed etiam propter conjecturatam intentionem, seu limitationem intentionis generalia verba cōcessionis limitando dicuntur, idèque causant de verbis obligationis, idem ergo erit de Voto. Quærit autem Glossa in dicto Cap. In generali, quomodo scietur, quæ sint illa specialia, quæ sub generali concessione non comprehenduntur. Ex hoc respondet, hoc cognosci posse (Ex impossibili, vel inhumana, aut dura separatione.) Ita ergo in præsenti dicere possumus non solam illam mutationem, quæ reddit observationem Voti absolutè impossibilem, sed etiam illam, quæ reddit inhumanam, tollere, vel suspendere obligationem, quia non solent homines, regulariter loquendo, se tam graviter obligare. Prudenti ergo judicio opus est. Unde Cajet. 2. 2. qu. 113. dub. 4. Oportet (dicit) considerare supervenientia impedimenta, & conferre, cum re promissa, & collatione facta, quod recta tunc ratio suadet, pensatis conditionibus locorum, personarum, temporum; & negotiorum, honestum exequi. Loquitur Cajet. de promissione generatim, est autem eadem ratio de Voto, & ideò eadem regula potest hic cum proportione applicari*. Hactenus *Suarez n. 14. cit.* Hinc

1312 Sicuti præceptum etiam naturale sub quibuscunque universalibus verbis proponatur, nullatenus casus includit quos natura ipsa non comprehendit, multo minus Vota quælibet comprehendunt illos casus, quos natura ipsa non comprehendit, seu

potius

potius excludit lex naturalis. Humana, ac Divina. Quapropter idem *Suar. eodem lib. 4. c. cap. 11. nu. 9.* inquirens: *An Votum obliget in casu necessitatis, vel extremæ, ut in periculo mortis, & simili, vel grauis, ut cum discrimine magnæ jacturæ vel in temporalibus bonis, vel in fama, vel in statu, & honore, vel in salute, aut corporis incommodis.* Et respondet: *In hujusmodi eventu, & necessitate Votum non obligare, quia tunc observantia Voti est moraliter impossibilis, vel adeò difficilis, ut nemo intentionem habeat obligandi se ad voti observationem cum tanto discrimine.* Confirmat: *Quia in iis materiis à lege positiua ad Votum licitum est argumentari: sed lex positiua non obligat in casu necessitatis, unde habetur Regula (Quod non est licitum in lege, necessitas facit justum) quia necessitas non subiacet legi, ut dicitur in cap. 2. de Observat. Jejun. ergo idem est in Voto, ut infert Glossa ultim. in dicta regula juris 4. & ibi Panormit. n. 2. simpliciter, & sine restrictione dicens, non frangere Votum, qui illud propter necessitatem non servat.* Confirmat iterum. *A simili de juramento promissorio, quod etiam Voto æquiparatur: at qui ob necessitatem non implet tale juramentum, non est trasgressor illius, ut sumitur ex Cap. Querelam, de Jurejuran. ibi (Non necessitate, sed voluntate) ubi Glossa, & Doctores id notant, & multa allegant &c.* ita *Suarez* à quo non videtur dittare *Caramuel in sua Theologia Regulari: in Regulam S. P. Benedicti Disp. 46. conclus. 2. nu. 560. pag. mihi 224.* dum ibi sic: *Nullus potest cogi in Monasterio perennare expositus mortis periculo, aut condemnatus injustè ad pœnam gravem, quam solum fugiendo possit effugere. Pœnam gravem eam dico, quæ graviter honorem lædit, aut infert summam incommoditatem. Qui sic fugit debet curare, ut illa gravamina tollantur si possit, & cum sublata fuerint, reverti ad suam communitatem. Ex hac generali doctrina emanant resolutiones variæ, quæ sæpius prodeunt.* Inter quas *sequenti pag. 225. nu. 562.* ponit sequentem. *Si injustè à suo Prælato quis graviter affligatur, ni oriantur majora inconvenientia, potest ex Monasterio egredi sine licentia, ut recurrat ad Superiores, non obstante Decreto Concilii Trident. sess. 25. cap. 4. de Regul. Ita sentiunt Sanctarellus de Apost. cap. 3. dub. 9. nu. 11. Navarr. Comm. 2. De Regular. n. 61. & Comm. 3. n. 51. Azor. to. p. lib. 12. cap. 17. n. 4. Rodriq. tom. pr. qu. 29. art. 2. & qu. 30. art. 4. & Sà Verbo Religio n. 71. Probatur: quia Concilium Tridentinum condemnat omnem recursum schismaticum, & irrationalem; non autem condemnat, nec condemnare potest recursum laudabilem, & necessarium. Addo injurios Tridentinæ Synodo esse illos, qui credunt eam etiam necessarios recursus, & appellationes abstulisse, quia consequenter debent temerè asserere, eam processisse contra jus naturale, quod est regula infallibilis universarum legum.* Et paulo infra *in fine ejusdem n. 562. Dicta igitur resumo, & concludo asserendo primo: Posse egredi ex Monasterio quemcunque qui certò, & evidenter scit, se alias aut occidendum, aut passurum tantam honoris jacturam, quantam sine peccato acceptare non possit; & hoc etiam invito Abbate; & ratio est, quoniam in tali casu illegitimè esset invitus Abbas, & insolenter contra Decalogum juberet. Secundo si notitia ad probabilitatem, aut mors imminens ad gravissimam incommoditatem reducatur, posse idem omnino præstare, quia in moralibus probabilitas evidenti certitudini æquivalet. Excipe Jesuitas, fortè, & Benedictinos, & si qui alii sunt, qui cesserunt jure utendi opinione probabili contra Abbatis sententiam.* Hæc *Doctissimus Caramuel*: in quorum, nec non antedictorum confirmationem.

1313 Addi potest: Notum esse jam *Lippis, & Tonsoribus*, omnes Grammaticorum Regulas, omnia Philosophorum, ac Jurisconsultorum axiomata, omnes utriusq; Juris regulas, suas habere exceptiones, vel limitationes: Item præcepta Ecclesiastica, & Divina naturalia, etiam negativa, *Non occides; non furaberis; non detine alienum &c.* Sicuti, & plurima *Sacræ Scripturæ* verba, in quibus Theologi suas conclusiones, & opiniones fundant, quamvis amplissimam ex se præseferant significationem, ad valde minorem coarctari, quam verè solùm important. Idemque omnino asserendum esse de Votis omnibus etiam solemnibus, & perpetuis, nulli dubium: Ex ullo enim unquam rationabili, vero, ac solido fundamento, ex, ullo Divino verbo, seu scripto, seu revelato habetur, vel certò colligitur, ac perspicuè Vota omnia, etiam Religiosorum Solemnia in aliquibus circumstantiis non desinere obligare, sicque non habere suas exceptiones, & limitationes: si enim enumerata omnia, suas habent exceptiones, ac limitationes, cur non habebunt Vota etiam solemnia? Cur istis non concedetur *Interpretatio*, quod pro talibus casibus eorum cesset obligatio, utpote quia noluerint profitentes se in illis obligare? Cur inquam Voto solemni non concedetur id, quod Theologi omnes, ac Canonistæ concedunt esse commune omni Voto? videlicet *Epicheiam*, & Interpretationem? *Suarez* ipse, *to. 2. de Relig. lib. 6. cap. 9 nu. 3.* inquit.

inquit: *Per dispensationem tollitur obligatio: per interpretationem non tollitur, sed declaratur non esse, quia vel nunquam orta est, vel cessavit per se se, vel simpliciter, vel pro tali casu*. Ut in casu jacturæ honoris, famæ propriæ, ac in bonæ existimationis præjudicium, cui famæ, & honori, nec explicitè, neque implicitè, per Votum Obedientiæ, & professionis, facta fuit renunciatio, uti etiam hic suppono. Vide *Suarez. to. 2. de Relig. lib 4. cap. 19. & 20.*

1314 Probatur sexto nostra responsio, magisque roboratur, ac confirmatur, ex doctrina quam tradit *Gabriel à Sancto Vincentio Carmelita Excalceatus, in suo To. Consilior. seu Responsionum Variarum, Romæ edito de anno* 1668. in quo *Responso* 67. quærens: *An Generalis possit Religiosum inscium, inauditum, inconsultum, & invitum trasmittere in aliam Provinciam sine causa?* Et Respondet negativè, cum *Navarro Commento 4. de Regul. n. 21. Rodriq. to. p. qq. Regularium qu. 23. art. 3. & Vega in Summa p. 7. Quia* (inquit) *ex simili mutatione communiter non levis oritur infamia mutati. Unde quidam Vir gravis Senatorii ordinis dicebat* (*Mali Religiosi itinera frequentant.*) *Cum autem unusquisque sit Dominus suæ famæ: D. Tho. 2. 2. qu. 113. sequitur, quod nec Religiosus teneatur ad dictam translationem implendam, nec Generalis possit eam præcipere ubi famæ periculum instat. Et certè negari non potest, quin frequenter fama denigretur ex hujusmodi violentis tranlationibus, non solum apud Religiosos, verum etiam apud Sæculares. Tum quia communiter istæ mutationes in malum finem interpretantur. Tum etiam quia frequenter mutationes istæ obiiciuntur à malignis, & Religiosi sic mutati irridentur, & sic eorum pax non leviter turbatur, ut frequenter inquietentur sic mutati, ut continuò cogitent de modo revertendi, etiam recurrendo extra Religionem, cum non levi scandalo Sæcularium. Præterea, Judex Superiorem agnoscens, nequit in damnum tertii quicquam facere, vel ordinare absque rationabili causa, imò tametsi nullum agnoscat Superiorem, Panormit. in Cap. Cum omnes de Constit. nu. 2. Navarr. libr. 2. Consil. Consil. de appellat. Consil. 5. n. 4. Ergo neque hoc facere poterit Generalis; tum quia in hoc negotio non procedit ut Judex, sed ut Pater; tum quia agnoscit Superiorem Pontificem, Protectorem, & Sacram Congregationem. Hinc est, quod neque Pontifex ipse potest aliquid definire contra aliquem, ipso inaudito, sic habetur Cap. Susceptis, De causa possessionis, ubi dicitur* (*Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire.*) *Et Causa secunda, qu. p. dicitur* (*Nos in quemquam sententiam ferrè non possumus, nisi aut convictum, aut spontè confessum.*) *Covarr. practicar. cap. 26. n. 6. Maranta p. 4. dist. 16. à n. 10.* Hactenus *A' Sancto Vincentio loc. cit.* Concludens *n. 6. in principio: Hinc Religiosus invictè translatus, & sine sufficienti causa, reclamare potest apud Protectorem.* Addens *nu. 7. Et non solum non potest Generalis sine causa eiicere Religiosum à Provincia in qua natus, vel professionem emisit, sed neque extraneos in illa jam incorporatos; cum hoc etiam redundet in infamiam istorum. Quo circa sic eiecti possunt ad Superiorem per modum querellæ recurrere. Vega in Summ. p. 2. Verbo Religiosus Casu 41. Navarr. lib. 2. Consil. Tit. de Sentent. & re Judic. Consil. primo. Et licet melius esset secundum virtutem inclinare Caput, & captivare se in obsequium obedientiæ. Stando tamen in rigore obedire non tenetur, dato ut dicitur quod ea translatio sit probrosa, & cum infamia aliqua, quia cum tunc Prælatus injustè præcipiat, non est ei obedientia præstanda; injustè namq; præcipienti parendum non est. Abb. Capit. Inquisit. de sent. excommunic. Peyrin. l. c. Tabiena Verbo Obedient. n. 6. & alii. Verum cavendum est, ne fingantur gravamina, ne Religio infametur, quia Religiosus particularis tenetur aliquam infamiam, vel notam sustinere, ne tota Religio infametur.*

1315 Neque prodest, si dicat P. Generalis, se habere justam rationabilenque causam (sibi notam) transmittendi hunc subditum ad extraneam Provinciam, nec esse necesse, quod illam manifestet: Non inquam prodest: Quia, ut optime *Peyrinus de Subdito to. p. qu. p. cap. 12. Versu, Neque credendum. Non est credendum Generali dicenti, Se talem Fratrem transferre, ex justa, & rationabili causa: Nam ut bene ait Navarrus De Spoliis Clericor. §. 2. num. 7. & 8. & lib. 3. Consil. de Regular. Consf. 56. n. 2. Superiori etiam non recognoscenti alium Superiorem, dicenti se facere aliquid ex justa causa, non creditur, nisi constet de illa, si id non potest facere sine causa. Et multo magis illi non est credendum qui Superiorem agnoscit, nec quidquam sine rationabili causa potest facere. Quod specialiter probatur in nostra Religione Minimorum, ubi Superioribus assignantur tres Socii* (in Religione Theatina adjunguntur P. Generali quatuor Patres Consultores) *ut illorum provido suffulti consilio commissa sibi Religionis negotia, discretè, ac sapienter possint discernere, atque definire. Sed non definit discretè, & sapienter, qui absque rationabili causa, & inaudita parte procedit.* Et si dicat P. Generalis, se moveri ex justa causa ei non creditur; inquit *Peyrinus, nisi constet de illa.* Uti neq;

creditur

creditur (ait *citatus à S. Vincentio d. Responso 67. n. 4.) Principi* dicenti ſe moveri ex juſta cauſa, quando eſt in damnum tertii, nec fides ei adhibetur, niſi eam oſtendat, & probet (cum *Navarro, & Peyrino l. l. c. c.*) Imò [addit] *in dubio an Princeps juſtam habeat cauſam procedendi contra tertium, præſumitur contra Principem, ſic ex Abb. Cap. ſuſceptis n. 4. Pinel. Mech. Menochio, Cevall. & aliis, tradit Barboſa in Collect. d. Cap. Suſceptis n. 11.* (*Ubi ſequentem aſſignat rationem*) *Quia licet aliàs pro Principe, imò pro quolibet Judice ſit præſumendum, hoc tamen non procedit in iis quæ illicita cauſa facere eis licitum non eſt, nam ſi de cauſa non appareat, præſumptio juris eſt, quod illicitè fiat, l. qui teſtamentum ff. de re probat. l. ſi donationem C. de collat. cum ſimilib. hactenus Barboſa. Quare Religioſus invitè translatus, & ſine ſufficienti cauſa, recclamare poteſt:* Ità *cum Navar. lib. 2. Conſil. de appellat. Conſil. 5. Rodriq. Vega, & Peyrino l. l. c. c.* concludit *A Sancto Vincentio*. Quibus addi poreſt *P. Paſqualigus Deciſ. Morali* 461. in qua quærens *An Regularis, qui non convincitur poſſit à Prælato puniri?* (*præmiſſa nu.* 2. reſponſione *Soti, Relect. de tegendo Seveto n. 2. qu. 4. concluſ.* 8. abſolutè reſpondentis: *Non poſſe Prælatum, eum punire. Ex communi fundamento, quod debeat procedere ſecundum allegata, & probata.*) Dicit ipſe *n.* 3. *Non poſſe Prælatum auferre miniſterium, aut mutare Subditum de loco in locum* (intelligit nec intra eandem Provinciam) *etiam ſi hæc dependeant ab ipſius voluntate, quando non convincitur: aut aliquid aliud præſtare circa ipſum. Ratio autem eſt* (inquit.) *Quia licet hæc omnia, quantum eſt de ſe, non inferant gravamen Subdito, quia tenetur ſubjacere voluntati, & diſpoſitioni Superioris: concurrente tamen tali circumſtantia, quod fuerit inquiſitus, aut Suſpectus, magnum gravamen inferunt; quia videntur intuitu delicti inferri; atque adeò ſunt quædam confirmatio delicti, quæ injuſta eſt, dum de ipſo non conſtat.*

1316 Et ſi hic opponer quis: Adducta, aut hujuſmodi alia, eſſe per modum pœnitentiæ regularis, & ideò non requirere, quod ſubditus remaneat convictus. Reſpondet *P. Paſqualigus Deciſ. c. n.* 5. *Quod pœnitentia quoque regularis ſupponit delictum, quod regulari modo puniri debeat: Vnde ſi non adſit delictum certum, adhuc infert gravamen: quia punitur de eo Regularis, de quo non conſtat an debeat puniri. Confirm. Communiter Doctores docent, non eſſe adhibendam correctionem fraternam, quando de peccato non conſtat. Ergo multo minus debet adhiberi pœnitentia regularis; quia hæc majus gravamen infert.* Ita *P. Paſqualigus nu. 5. c.* Addens *n. 6. & 7. Neque Prælatum poſſe adhibere reprehenſionem ad terrorem, aut aliquid aliud medicinale, quando ſubditus non convincitur. Ex eo, quod ſive reprehenſio, ſive quæcunque alia medicina adhibeatur in tali caſu, gravamen infert: quia adhibetur intuitu culpæ, de qua tamen non conſtat, & per talem medicinam adhibitam declaratur quod ſubditus indigeat, atque adeo quod culpam commiſerit, aut quod diſpoſitus ſit ad committendam: atque adeò indigeat medicina præſeruatiua; hæc autem omnia ſunt contra bonam exiſtimationem, atque adeo contra juſtitiam. Confirm. Quia quilibet habet jus ad conſervandum bonum nomen, etiam apud Superiorem: & ideo non poteſt Superior ipſum deponere, niſi de contrario ei conſtet; deponit autem, quando corrigit ſubditum: quia ratione correctionis oſtendit ſe ſentire commiſſam illam culpam à Subdito; atque adeo non poteſt hoc præſtare quando Subditus non eſt convictus; quia injuſtè privat de eo, quod tenetur conſeruare.*

1317 Quod ſi ei dicas, ſufficere ſuſpicionem; ut poſſit Superior adhibere medicinam reſpectu Subditi. Reſpondet. *Id ſolum habere locum quando medicina non eſt odioſa Subdito: quia tunc nullum ei infert gravamen: ſecus autem quando eſt odioſa; quia tunc infert gravamen, & eſt pœnalis, quia eſt contriſtativa. Unde tunc ſuſpicio tranſit in ſententiam; quod injuſtè ſit: quia ſententia debet fundari in certa ſcientia: quia debet eſſe ſecura, nec expoſita periculo inferendi gravamen, & ideo non poteſt ratione ſuſpicionis inferri aliquid pœnale, etiam ſi ſit per modum Medicinæ.* Ita *n.* 8. Addens *n.* 9. Poſſe quidem Prælatum, quando Subditus non convincitur, *adhibere correctionem conditionatam, qua hortetur ad reſcipiſcendum, ſuppoſito quod erraverit: Hoc enim pacto nullum infertur gravamen, quia monitio non tranſit abſolutè in correctum, ſed tantum conditionatè, ſi nempe in ipſo adſit demeritum: & tunc juſta eſt; & ſi non adſit non tranſit. Et hoc pacto poteſt admonitio obtinere eunndem effectum emendationis, ac ſi abſoluto modo fieret. Quæ omnia* (concludit *n.* 10.) *debent intelligi ſi Prælatus non habeat certam ſcientiam de errore commiſſo.* Quia ſi habeat: Dicit, *Poſſe Prælatum corrigere ſubditum, & etiam aliqua pœnitentia ſalutari punire, ita tamen ut totum occultè fiat, ſi error ſecretus ſit: & ſolum publicè poſſit corrigi, quando error publicus eſt. Et ratio eſt* (ſic *n.* 11.) *Quia cum ad Prælatum ſpectet regimen ſubditorum, nedum habet jus corrigendi errantes, ſed etiam tenetur adhibere ea remedia ſalutaria, quæ neceſſaria ſunt: Unde ut poſſit adhibere, ſufficit ſi ſibi conſtet quod neceſſaria ſunt:*

quia in regendis Subditis debet sequi scientiam propriam, nec tenetur sequi scientiam publicam acquisitam per processum. Unde nullum fit gravamen subdito, si Superior erga ipsum fungatur munere suo. Hinc patet, quod quando dicta inferuntur absque certa scientia demeriti, vel ex processu, vel privata Superioris scientia inferunt gravamen subdito; & ideò cum injusta sint, neque ordinarì possunt ad bonum sive communitatis, sive subditorum. Hæc omnia *P. Pasqualigus Decis. cit. à num. 3. usque ad 12. inclusivè.* Ex quibus velet etiam inferre, quod quando Subditus certò scit, Prælatum ei aliquid injustè præcipere ex odio, & mala voluntate erga ipsum, non tenetur obedire, quia tunc Prælatus abutitur sua potestate. Ita expresse *Peyrinus to. p. de Subdito qu. p. cap. 11. pag. mihi* 28. quem etiam referunt, & sequuntur *Lezzana to. p. cap. 4. nu. 16. & Antonius à Spiritu Sancto par. 2. Directorii Regul. tract. 3. disp. 6. sec. p. §. 3. num.* 64.

1318 Probatur septimo nostra responsio Authoritate *Navarri, Rodriquez, & Vegæ* quos refert, & sequitur *Peyrinus de Subdito qu. p. cap. 12. Versu Dico Tertio:* item Authoritate *Azorii, Sayri, Suar. & Sanchez* quos pariter citat, sequiturque *Palao to. 3. Tit. de Voto Obedientiæ disp. 4. punc. 15. n. 4. pag. 371. Novarii in Lucerna Regularium, Verbo Appellatio n. 6. Antonii à Spiritu Sancto in Director. Regular. par. 2. tract. 3. disp. 6. sec. 5. §. 6. à nu. 785. pag. mihi* 132. & aliorum: communiter sustinentium, licitum esse Religiosis appellare, quando habent justam causam, & eorum Superiores, erga ipsos, terminos justitiæ excedunt in re gravi, magnumque gravamen inferunt. Et fundamentum omnium idem, ac commune est: quia videlicet in casu gravis, & injusti gravaminis, *Appellatio*, est remedium necessarium ad propulsandum Superioris injuriam, & injustitiam; nec credendum est Religiosos velle, aut voluisse in professione huic remedio renuntiare, nec explicitè, nec implicitè, nisi hoc expressè ex aliquo capite verè probetur, aut deducatur. Hinc optimè *Palaus nu. 4. cit.* ait: *Si Prælatus terminos justitiæ in gravibus pœnis imponendis. excedat, licitum tibi est remedio appellationis uti, præcipue, si per viam querelæ, & supplicationis non reputas satis tibi esse subveniendum; quia eo casu appellatio est remedium necessarium ad propulsandam Superioris injuriam, nec credendum est te voluisse in professione huic remedio renunciare. Tum quia ea renunciatio Religioni utilis non est, ne Prælatorum iniquitatem foveat. Tum quia ex nullo jure, vel privilego colligitur, hæc enim prohibent appellationem à correctione regulari, non à gravi injuria. Nam ea stante concessum est appellationis remedium ex Cap. de Priore de appellationib.* 31. *Ubi graviter jubetur puniri quidam Prior, eo quod appellationi ad Sedem Apostolicam non detulerit; cum omnibus concessum sit ad Sedem Apostolicam appellare posse, Cap. Ad Romanum 2. q. 6. Idem constat ex Cap. licet, de Officio Ordinar. & Cap. super quæstionum, de Officio delegati. Et expressè Cisterciensibus appellatio concessa est in causa denegatæ justitię, aut pro notoria injuria, uti refertur in Compendio Privilegiorum Societatis, Verbo Appellatio §. 2. Et licet Fratribus Franciscanis interdicta sit appellatio ad Secularia tribunalia sub Excommunicationis pœna per Gregor. XIII. in Bulla incipiente. Quoniam nostro pastorali. anno 1575. concessa tamen est ad Generalem, & ad Protectorem Ordinis, & Pontificem.* Hæc *Palaus n. cit.* & eadem habet omnino *A' Spiritu. Sancto num. cit.* 185. quem vide usque ad finem *numeri* 816. *inclusivè.*

1319 Quibus non obstat *Concilium Trident. sess. 22. cap. p. de Reformatione. & sess. 24. cap. 10. eodem Titulo:* quatenus determinat, quod quando agitur de morum correctione, *appellatio*, executionem non suspendit, & causę omnes Regularium ad morum correctionem spectent. Nam ut optimè *Peyrinus to. 3. de Privilegiis in Additament. ad Constit. Leonis X. Cap. 4. n. 20. pag. mihi* 428. *Pœnæ quæ à Regularibus imponuntur, secundum Trivisanum de modo procedendi criminaliter inter Regulares, sunt in duplici differentia.* Vel enim imponuntur pro moribus corrigendis extrajudicialiter, nullo formato processu: vel imponuntur in judicio, formato processu: *A' primis* (sic *Peyr.*) *non datur appellatio, quia leves supponuntur, ab aliis autem sic.* Additque *eodem num.* 20. *Atque ita declaratum existit à S. Congregat. Concil. die 6. Octobr. anno 1588. & talis est stylus Romanæ Curiæ, ut mihi bene constat. Imò* (subdit immediatè) *etiam si Prælatus processum non formet, si in corrigendo hoc pacto excedat, potest etiam in hoc casu subditus appellare. Et ita fertur fuisse etiam declaratum à Sacra Congreg. mens enim Concilii non est quenquam gravare, sed solum Ecclesiasticam disciplinam fovere, quæ suadet, ne pro quacunque re levi ad Superiorem appelletur. Itaque quando dicit Concilium, quod appellatio executionem non impedit; intellige, quando appellatio est frivola, idest, sine ratione legitima interposita; vel quando est de re levi, vel quando in casu claro, & probato, ad fugiendas pœnas interponitur; vel quando quis punitur præcisè*

ſecundum Regulam, quam profeſsus eſt, non autem quando eſt legitimè interpoſita, & agitur de re gravi, ver. gr. privatione Officii, &c. ita *Peyrinus* & optimè. Quare nec *Concilium Trident.* nec aliud, nec ulla alia Conſtitutio prohibet Regularibus appellationem, niſi de re levi. Hinc merito etiam *Bordonus reſ. 32. n. 7. pag. mihi* 293. inquit: *Non licet appellare à correctione legitimè facta ſecundum Conſtitutiones Ordinis, niſi quando Superior corrigens excedit modum, quod procedit quovis modo puniatur ſubditus ſive extra judicialiter, ſive in judicio formato proceſsu, in utroque enim caſu poteſt contingere gravamen propter quod tollendum datur locus appellationi. Ita dicunt Abbas. Alexander de Nevo, & Prępoſitus in Cap. Speciali, §. fin. de appellat. & ex eis lib. 6. cap. 8. n.* 103. *Quod habet locum, non ſolum quando gravamen eſt manifeſtum, ſed etiam dubium, loquendo de jure communi, ut colligit Sanchez lib. 6. cap. 8. num.* 110. *ex cap. Cum ſpeciali, §. Porro de appellat. & ibi Doctores ex Silv. verb. Appellatio qu.* 12. *n.* 13. *& ex Sanch. Compend. reſ.* 10. *num.* 13. Hæc *Bordonus l. cit.* Cui adde *Antonium à Spiritu Sancto in Director. Regular. par. 2. tract. 3. diſp. 6. ſect. 5. §. 6. n.* 786. ubi loquens de appellatione (ut in caſu noſtro) & de Conſtitutione ſuæ Religionis, quæ videtur illam prohibere; & ipſemet ait: *Appellatio eſt remedium neceſſarium ad propulſandam Superioris injuriam, nec credendum eſt Religioſos velle in profeſſione huic remedio renuntiare; nec noſtra Conſtitutio videtur illud prohibere, nam licet prohibeat Religioſis appellationem à Definitorio, & aliis Superioribus, ſtatim cautè adjunxit (A ſententiis, & pœnis impoſitis ſecundum noſtras Conſtitutiones) ergo ſi pęnæ non fuerunt impoſitæ ſecundum noſtras Conſtitutiones, optime poterunt appellare; nam talis Conſtitutio prohibens noſtris religioſis appellationem debet intelligi eo modo, quò intelligitur jus commune denegans Religioſis appellationem, ut cum Sanchez in ſimili caſu notavit Diana, Coordin. Tom. 7. tr. p. De Dubiis Regular. reſ. 10. n. 3. ex p. 3. tract. 2. reſ. 54. verſ. Notandum eſt. Idem dicendum eſt, quando cauſa committitur cum clauſula omni appellatione remota, nam ſemper debet intelligi, niſi detur gravamen injuſtum, Bellaſius verbo Appellatio nu. 10. Armilla, & alii, quos refet, & ſequitur Peyrinus de Subdito qu. p. cap. 19. verſu ſed quid.* ita *citatus à Spiritu Sancto.*

1320 Et idem docet *P. Paſqualig. decif.* 348. licet ibi loquatur de recuſatione Judicis apud Regulares (eſt enim eadem ferè ratio de recuſatione Judicis, ac de appellatione) Quęrens nanque an ſtante *Decreto Capituli Generalis anni* 1621. apud nos Clericos Regulares, quod habetur 3. *par. Decretor. cap.* 9. *n.* 10. & prohibet, quod quando Judex Ordinarius adhibet Aſſeſſorem non poſſit recuſari ut ſuſpectus, poſſit nihilominus recuſari? Tenet *num.* 2. poſſe recuſari: (contra *P. Marcellum Megallam in ſua Practica Crimin. Canon. cap.* 8. *nu.* 23. *Verſu. Adverte tamen. fol. mihi* 137. & 138. Ubi ait, *Apud nos Clericos Regulares non poſſe habere locum recuſationem Judicis Ordinarij, ob citatum Decretum, quando ut Judex Ordinarius adhibet Aſſeſſorem*) Contra quem Doctorem noſtrum, arguit ita (& optime) idem *P. Paſqualig. Decif. c. à n.* 4. Quia anima legis, & Statutorum eſt juſtitia, ſine qua non ſunt Leges, & Statuta, ſed Tyrannicæ oppreſſiones, unde cum Lex, & Statutum debeant accipi tanquam vera Lex, & Statutum (alioquin deberent reiici, ut quid contra bonum publicum) debent accipi ſecundum eam menſuram, ſecundum quam continent juſtitiam. Si autem prohibere recuſationem judicis, & appellationem ex juſta, & gravi cauſa, non contineret juſtitiam, ſed injuſtitiam; quia prohiberet defenſionem, & implicitè vellet oppreſſionem innocentiæ, & juſtitiæ.

1321 Hinc patet quod ſi aliquod *Decretum, vel Conſtitutio* aliqua reperiatur, quæ prohibeat Religioſis recuſationem Judicis Ordinarii, vel appellationem, accipienda ſunt, ut ſolum prohibeant ex frivola cauſa, non autem ex juſta, ex dictis, & ita etiam tenent (apud eundem *P. Paſqualig. qu. cit.* 48. *nu.* 2.) *Speculat. lib. 1. tit. de Recuſ. §. p. n. 5. circa med. verſ. vel dic quod nihilominus. Franc. in cap. Poſtremo, n. 5. verſ. & adverte de Appellat. Natta conſ. 174. num. 5. Marſil. ſingul. 292. nu. 3. Lancelloc. de Attentat. cap. 6. n. 40. Scaccia de Appellat. qu. 16. limit. p. n.* 120. qui omnes docent (cum iiſdemque & idem Paſqualigus) quod quando etiam Papa committit cauſam cum clauſula *Recuſatione remota*, debet intelligi de recuſatione ex cauſa frivola, non autem cauſa juſta. Ut facit *Gloſſ. in Cap. Ad hæc de Reſcriptis. Innocent. in Cap. Ex Tranſmiſſa de Foro compet. & Sanch. lib. 6. Operis Moralis cap. 8. n.* 110. Intentio enim, & finis prohibendi Regularibus recuſationem Judicis, vel appellationem, accipienda ſunt, ut ſolum finis hujuſmodi prohibitionis ſit, parare remedium pro perturbatione Regularis diſciplinæ, quæ potuiſſet ſuboriri, ſi ſubditi habuiſſent aditum recuſandi Judicem ordinarium, vel appellandi ex quacunque levi cauſa, tunc enim nul-

lus

tus Superior potuisset aliquem punire: quia semper in promptu fuisset aliqua causa frivola recusationis, & appellationis; unde orta frequenter fuisset magna perturbatio. Quo circa debet semper accipi hujusmodi *Decretum*, & *Constitutio*, ut inhærens Sacris Canonibus, præsertim *Cap. Cum speciali de Appellat.* ubi Pontifex prohibet *apud Regulares* recusationem Judicis, *contra suas speciales observantias*, nempe ex levi, & frivola causa. *Et Cap. Ad nostram. De Appellatione, & recusatione:* ubi prohibetur quidem appellatio *A correctione legitima Superioris, nisi tamen modus excedatur*. Unde concludendum venit, quod ex ullo Statuto, ex ullo Canone, vel authoritate, aut ex ulla lege colligi potest non esse licitum Religiosis appellare, quando habent justam causam, quando scilicet eorum Superiores erga ipsos, terminos justitiæ excedunt in re gravi: hinc optimè *Raymundus Nidus De Regulis Juris, Regula 17. num. 31. vol. p. fol. mihi 139. col. p. n. 30.* loquens, & ipse de clausula prædicta. *Appellatione remota*: inquit: *Hæc non tollit, quin pars se appellare possit, ex justa, & rationabili causa, & tollit solum frivolam, injustam, ac illegitimam appellationem.* Unde, & in *cap. ut debitus honor. Glossa ipsa ver. Absque rationabili causa*: ait: *Sic ergo remota est per istam constitutionem quælibet appellatio, quæ absque rationabili causa apponitur*. Et idem docent *Menochius de Arbitrat. Judic. casu 197. n. 2. Franciscus Leo, in Thesaur. for. Ecclesiastici p. 2. c. 2. n. 36.* aliique, communiter asserentes, quod per clausulam *Appellatione remota*, non impeditur appellatio quæ à jure expressè permittitur.

1322 Nec valet dicere Regulares dum profitentur, renuntiare juri *Appellandi*, ac recusandi Judicem, & habendi jus proprium; & secundum omnia esse sub obedientia, atque adeò ratione Voti obedientiæ in omnibus posse adstringi: Non inquam valet, quia talis renunciatio absolutè non adest, nec explicitè, nec implicitè, nam Regularis modus vivendi non excludit, sed maximè amplectitur justitiam, quę præsidio appellationis tuetur, quod in jure naturali fundatur, nec per Obedientię Votum aufertur. Unde optimè animadvertit *Sanchez to. 2. Consilior. lib. 6. cap. 8. dub. 2. n. 23. Religiosum posse appellare, quando Superior clarè, & notabiliter excedit modum in Regula præscriptum*: & *nu. 25.* ait, dum in privilegiis Regularium negatur ipsis appellatio: *non negari appellationem à sententia, &c. Sed à correctione, reformatione, mandatis &c.* ut supra etiam dictum est. Et resolvit pariter *Bordon. to. p. Resolutionum. Resol. 32. n. 3.* dum ibi absolutè sic. *Certum est omnes Regulares se gravatos sentientes à suo Prælato, appellare posse ad Superiorem, ad effectum tollendi gravamen, & hoc habent de jure naturæ, sicut cæteri hominum, quibus non sunt deterioris conditionis, maximè in naturalibus, appellatio siquidem nihil aliud est, quam naturalis defensio à gravamine illato, vel inferendo, est ergo debita de iure naturæ quo ad substantiam; natura enim dictat ex suo instinctu, ut unusquisque gravatus se defendat, ut fecit D. Paulus appellando Cæsarem Actor. 25.* ita *Bordon.* cum aliis *n. c.* Subdens immediatè: *Omnibus indifferenter conceditur facultas appellandi, ergo & Regularibus, cum & ipsi sint subiecti juri communi, ac ceteri fideles, tum ratione, quia id non est effugere sui Superioris obedientiam, sed se vindicare ab injuria, seu violentia illata, seu inferenda, quod omnibus jure naturæ conceditur, & in hoc Religiosus habet velle, & nolle, quod in naturalibus à se non rejecit, neque renunciavit per professionem, sed sibi retinuit hoc jus se defendendi à suo Superiore, quoties injustè gravaretur, ut docent omnes de jure communi. Nam quidam, ut Sotus libr. 5. de Justit. qu. 6. art. 3. & ex eo Miranda, dicit, unanquanque ferè Religionem de jure speciali habere privilegium prohibens appellare à sententiis suorum Superiorum, sed hujusmodi privilegia intelligenda sunt, quando nullum est gravamen, nisi imaginarium, vel saltem leve.* Hucusque *Bordonus*: quem vide *n. 8.* vbi cum *Rodriquez, Sayro, Navarro, & Sanchez* confirmat (& optimè) Privilegia interdicentia appellationem Religiosis intelligenda esse secundum jus commune, nempe appellationi non esse locum, quando nullum est gravamen, vel saltem leve; posito autem verò gravamine, quod videlicet sit alicujus momenti, non intelligi per privileglia prohibitam esse appellationem, *aliter essent iniqua* (ait idemmet) *& foverent injustitiam, & dolum Superiorum*, recenset eadem Privilegia *à n. 9.* Videantur.

1323 Quod autem dictum est de Appellatione, asseritur etiam de recusatione Judicis, quem utique recusare possunt Regulares, quando nimis grave, valdeque onerosum illis esset subiici tali Judici, inimico, suspecto &c. Cum huic juri (utique naturali) non renuncient dum profitenrur Regulares, nec explicitè, nec implicitè, ut supra. Et sicut ex *Jure Canonico*, potest Judex Ordinarius ex justa causa recusari. *Cap. Cum speciali, De Appellatione*: ita & Judex Regularis ob justam similiter causam recusari potest: ut cum aliis, pluribus atque

classicis Doctoribus definit *Sanch. par. 3. Summæ libr. 6. cap. 8. nu. 110. & 111.* concludens ibi ut sequitur: *Cum Constitutiones Religionis, & Privilegia denegent Religiosis appellationem, denegabunt subinde recusationem. At dicendum est, in hoc æquiparari recusationem, & appellationem, ut neutra absque causa liceat, & Constitutio illa (dicto Cap. Cum speciali) non extenditur. ad Regulares, quatenus extensio impediret eorum correctionem juxta regularia instituta. Quare quando Superior valdè suspectus crederetur, excessurusq; ob passionem, posset recusari; sicut in hoc casu, potest ab eo appellari, ut diximus n. præced. 110. Et docent ità Hostiensis eo cap. Cum speciali nu. ult. verb. Extendi. & ibi Jo: Andr. n. 18. Antonius fin. Bellamer. n. 14. Abbas ibi §. Porro n. 3. Alexand. de Nevo eod. §. nu. 8. Præpositus in fin. Francus n. 4.* Ita *Sanchez n. cit. 111.* Quod pariter confirmat *To. 2. Consilior. Moralium lib. 6. cap. 8. dub. 3. num. 17. fol. mihi 247.* ubi item sic *Ex dictis fit Religiosum posse recusare suum Prælatum procedentem ut judicem contra illum, quando est justa causa suspicionis contra illum, quod latè probavi lib. 6. Summæ cap. 8. nu. 111. Probatur ex dictis: si enim est adeò naturale hoc remedium, ut vel Princeps secundum multos id non possit tollere, vel saltem nullo modo censeatur tollere, nisi expresiè id dicat, & tunc adhuc intelligitur de recusatione frivola: Ergo cum in privilegiis Religionis non contineatur, quod excluditur recusatio, standum est juri communi, quod eam concedit. Item quia potest esse justa causa suspicionis Prælati Regularis propter quod nimis grave esset ab ipso judicari. Item, quia si Concilium Provinciale, Legatus à latere potest recusari, & Communitas: ergo à fortiori Prelatus Religionis. Pro hoc videntur esse omnes Doctores citati in hac quæstione, qui tractantes, quis Judex recusari possit, non excipiunt Religionis Prælatum, & clarius Glossa Cap. In singulis, De Statu Monachor. vers. & appellatione: ubi decernit Romanus Pontifex, quod quolibet triennio celebrentur Capitula in Religionibus ad reformationem morum Religiosorum, & dicit, quod eliget Capitulum quatuor, qui præsint, & ab eo deffinita serventur omni executione, & appellatione semotis; ubi hæc dicit Glossa (nec recusare possunt, quia eos elegerunt, nisi ex nova causa, quia justa recusatio nulli est deneganda.) Ecce qualiter textus non negat recusationem, quia sunt Prælati Regulares, sed quia sunt judices electi à partibus, & Glossa etiam in hoc casu concedit ex nova causa recusationem; & dicit, hanc nulli denegandam; & tenet expresiè Præpositus Cap. Cum speciali. §. porro. n. 6. de appellat. quando excedit Regulam; secus si non excedat.* ita *Sanch. l. c.* quem vide *à nu. c. 17. usque ad finem dubii.* Vide etiam *P. Megalam nostrum in sua Praxi Criminali Canonica Cap. 8. à nu. 23.* ubi colligit causas suspicionis ob quas Judex Regularis recusari potest.

1324 Et si dicas Regularem, dum profitetur, renunciare huic juri recusandi Judicem Ordinarium. Respondeo cum *P. Pasqualigo Decis. 346. n. 6.* non adesse talem renunciationem, nec explicitè, nec implicitè: Regularis nanque modus vivendi non excludit, sed maximè amplectitur justitiam. Imò si fieret talis renunciatio, *nec esset valida* (addit idem *n. c.*) *quia esset contra bonum commune, quod in causis non servetur ordo essentialis justitiæ; nec posset ab ipsa Religione acceptari: cum non possit velle quod tractentur causæ subditorum absq; observantia eorum, quæ requiruntur à justitia, inter quæ præcipuum est, quod ex justa causa possit recusari Judex.* ita & optime *P. Pasqualigus n. 6. cit.* Cum quo *num. anteced. 5.* concludo, quod cum Jus Canonicum concedat recusationem Judicis, debet etiam concedi apud Regulares: *præsertim cum apud ipsos majus, & cum majori æquitate procedendum sit.* Neque huic conclusioni obstat supra allatus *Canonicus Textus Cap. Cum Speciali, De Appellat.* Non enim ibi prohibet Pontifex absolutè Regularibus (ut constat) recusationem Judicis; sed solum decernit, quod facultas recusandi Judicem ordinarium non extendatur ad ipsos contra ipsorum observantias (ut advertit etiam *P. Pasqualigus num. 7.*) hoc est, quod non possit habere locum apud ipsos in prejudicium observantiarum Regularium: nec possit consequenter idem Judex recusari, quando procedit secundum Regulam, & observantias Regulares, nec adest causa manifesta illum recusandi. Ibi nanq; concedit Pontifex (ut patet) recusationem Judicis, etiam si causa recusationis sit dubia. Apud Regulares autem, regularis observantia exigit, ut non recusetur, nisi ex gravi, certaque causa, nec debet esse ita facilis, uti est apud sæculares, cum utique minus suspicionis præsumatur apud Judicem Regularem, quam apud Secularem. Præterea quando Superior Regularis procedit secundum Regulam, non potest inferre gravamen; cum nec inferat Regula, unde non habet locum recusatio: quod notat etiam apud eundem *P. Pasqualig. n. c. 7. in fine, Bertilucensis in Practica Crimin. Cap. 2. tit. 19. in fine.*

1325 Probatur octavo nostra responsio: Ex doctrina *P. Pasqualigi Centuria p. qu. 81.* in qua

in qua inquirens: *An Religiosus subditus teneatur obedire Superiori præcipienti, ut se transferat ad habitandum in Monasterio in quo illi imminet periculum damni gravis corporalis, aut spiritualis:* Resolvit absolutè, & certè negativè: *Supposito, quod periculum imminens sit fundatum, & tale putetur à viris prudentibus*. Tum quia in hoc casu Superior excedit limites suæ potestatis, cujus præceptum non est actus potestatis, sed violentiæ, & ideò non verum præceptum, nec habet vim obligandi. Tum quia Superior Regularis non potest præcipere subditis, nisi ea quæ sunt secundum Regulam, sivè expresse, & directè ad eam pertineant, sive implicitè, & indirectè, ut communiter docent, cum Prælatus accipiat potestatem, ut ea utatur secundum præscriptionem Regulæ, secundum quam debet regere, nec se extendere ultra terminos ejusdem Regulæ; In præsenti autem casu Superior non præcipit secundum Regulam, ut est de se manifestum, nam præcipit, quod est contra jus naturæ, cum præcipiat quod subditus se exponat periculo notabilis damni corporalis, aut spiritualis; quod est contra jus quod quisque habet à natura conservandi, & defendendi seipsum, & propria, & proinde præceptum infert injustam violentiam, & subintrat ex parte subditi jus, quod habet defendendi seipsum contra vim illatam, cum unicuique liceat seipsum, proprium honorem, & sua defendere, & vim illatam propulsare. Tum quia Religiosi tenentur obedire Prælatis solum ex Voto obedientiæ spontè suscepto, atque adeo supra alios fideles non habent aliam obligationem, nisi quam assumunt per tale Votum; & jurisdictio Superiorum habet pro fundamento Votum obedientiæ, & adeò tantum solum extenditur, quantum se extendit obligatio suscepta per Votum, ut docent communiter: Obligatio autem suscepta per Votum est solum in ordine ad Regulam, atque adeo ad obediendum secundum Regulam. Unde in iis, quæ neque explicitè, nec implicitè continentur in ipsa, non tenetur Religiosus obedire, sed remanet sui juris, non secus ac quilibet alius, qui quo ad ea non se obstrinxerit Religioni. In casu autem proposito à *P. Pasqualigo*, uti & in casu nostro, licet mutatio habitationis esset secundum regulam, ideoque præcipi posset, concurrentibus tamen præsuppositis circumstantiis, nempe periculi mortis, aut notabilis damni corporalis, aut ruinæ animæ (in casu *P. Pasqualigi*) aut jacturæ honoris, & famæ in casu nostro, non est amplius secundum Regulam; quia subintrat jus naturale se tuendi, contra quod Regula non obligat, quia non immutat ordinem ipsius, proindeque subditus quoad hoc remanet sui juris, neque potest à Superioribus constringi, ergo vel non tenetur (saltem immediatè) obedire. Vel potest (& quidem absolutè) appellare. Hinc etiam collige cum eodem *P. Pasqual. centur. cit. p. qu.* 82. *n.* 10. non subsistere quod docent apud ipsum, *Bannes* 2. 2. *qu.* 69. *art.* 3. *in fine. Salon. ibid. dub.* 2. *Ledesma par.* 2. *Summ. tract.* 8. *cap.* 24. *immediatè ante* 8. *concul.* Quod nimirum Pontificum Privilegia tollant appellationem, quam jus naturale unicuique concedit, quia cum hoc jus non sit præceptivum, sed tantum concedat appellationem, possunt Religiosi ipsi renunciare. Non inquam hoc subsistit (ait & optimè idemmet *Pasqualigus.*) Nam tali juri non renunciant Religiosi expresse, ut de se constat; nec etiam implicitè, quatenus se obligant Religioni, quia non se obligant totaliter, & secundum omnia, sed solum secundum Regulam, & ideò quò ad ea, quæ sunt præter Regulam, aut supra ipsam, retinent jus ad omnia, quæ ipsi à jure naturali conceduntur.

1326 Probatur nono eadem responsio. Ex doctrina *Navarri Comm.* 2. *De Regularibus sub n.* 65. *Vers. Addo octavo*. In quo definit: Quod licet Prælatus possit spoliare subditum officio aliquo manuali absq; causa, & solum pro suo libito, si id tamen faciat *malo animo*, habet subditus *justam causam agendi contra Prælatum*, quia juxta *l. in fundo ff. de rei vindicatione*. *Non est malitiis hominum indulgendum*, & idem repetit *Navarrus Comm.* 4. *sub n.* 23. *Vers. Quarto quod potest cogere suum Regularem*. Cui doctrinæ subscribens & *Peyrinus de Subdito qu. p. cap.* 12. *Vers. Secundo quia*. Ex eodem infert (uti & ego cum ipso.) Ergo & in casu nostro, si absque justa causa amoveat Prælatus subditum, suum malum animum, atque malitiam suam ostendit, unde non est illi indulgendum. *Et verò* (concludit ibi *Peyrinus*) *istæ amotiones non fiunt sine malo animo, odio, & stomacho: nam quid ad Generalem, an aliquis Subditus moretur hic, vel illic? ergo quod velit eum amovere, est ut cruciet, molestet, torqueat*. ita *Peyrinus*. Qui paulo infra *Vers. Dico quarto*. ita concludit: *Salvo meliori judicio, Subditus non tenetur obedire Generali, eum amoventi ex sua naturali Provincia absque legitima causa*. Legitima autem causa (addit ibi, *Vers. Dico ultimo*) est, *Vel utilitas subditorum qui amoventur; vel*

Provinciæ ad quam diriguntur, ad illam sublevandam, conservandam; & honorandam; vel Religioni in communi, ad eam dilatandam, & ampliandam. Quod si quandoque alii seductores, & pacis perturbatores; vel scandalosi sunt amovendi, amoveantur tempore Visitationis; vel etiam extra illud si necessitas ad id coget; nec Subditi conqueri poterunt, quia si sunt mali, sibi imputent, & hoc videtur rationi, & æquitati consonum. Hæc *Peyrinus Vers. cit. Dico ultimo.* immediatè post prosequens, ut sequitur.

1327 *Quando autem transmittendi sunt necessariò propter proprias culpas, vel de uno in alium Conventum, vel de una in aliam Provinciam; debent adhuc Superiores Prælati, tum Generalis, tum Provinciales esse valde circumspecti, ut extra tempora non fiant tales mutationes; nam crebrius oritur ex tali subita, & incogitata mutatione in populo infamia contra illos fratres translatos, populus enim, qui, cum sit sibi cæcus, totus lynceus est in notandis Religiosorum actionibus, videns illos Religiosos transferri, putat propter scandala ibi commissa; quod bene advertunt Rodriquez tom. 2. qq. Regularium qu. 5. art. 9. & Spatharius De modo corrigendi Regulares tract. 2. cap. 4. n. p. Unde potius esset dissimulandum inter fratres usq; ad tempus mutationum, nisi casus urgeret, ut dictum est. Et hæc intellige, quando verè ex tali amotione orietur in populo; vel in Religione infamia contra Religiosum amotum, quia nimirum est persona gravis, & multum cognita in Civitate, & præsertim in illis Religionibus, in quibus fiunt filiationes Conventuum. Intelligitur etiam quando nulla apparet causa talis amotionis, quod tamen rarò accidit agendo de Fratribus gravibus, de quibus intelliguntur hic dicta. Quæ dicta sint ad liberandum innocentes subditos à manibus Superioris Tyranni, non ad fovendos iniquos Subditos, ut Sanctos Prælatos tyrannizent, & se in suis iniquitatibus manuteneerent, & hoc pacto omnia supradicta intelligenda sunt.* ita *Peyrinus*.

1328 Qui præterea *Cap. eodem cit. 12. Vers. Tertio in specie.* De sua Minimorum Religione refert, quod *Anno 1620. cum vellet Reverendissimus Generalis amovere aliquos Fratres Gallos à Conventu Sanctissimæ Trinitatis de Vrbe, & transmittere in Provinciam Genuensem, in qua tunc temporis idem P. Peyrinis Officio Provincialis fungebatur, habuerunt recursum ad Sacram Congregationem Cardinalium, deputatam super negotiis Regularium, quæ Sanctè, piequè ordinavit, ut Fratres illi permanerent localiter in dicto Conventu Sanctissimæ Trinitatis, quousque Pater Generalis talis expulsionis assignaret causam, & tamen Galli non sunt naturales in Urbe:* sic *Peyrinus* Ex quo, & cujus doctrina, apertè infertur, in obedientialibus etiam, præsertim in transferendis subditis gravibus de Conventu in Conventum, maximè extra Provinciam, præsupponendas esse utique aliquas conditiones: *Quia* (ut idem *Peyrinus cap. cit. sub Versu Dico quarto.*) *in omni obedientia sunt intelligandæ aliquę conditiones, idest si potero, vel si rationabile præceperit, ut docent Tabiena Verbo Obedientia n. 17. Angelus nu. 3. Sylvester nu. 3. Armilla n. 12. Rosella n. 12. Ergo si præcipiat aliquid sine ratione non teneor obedire.* Uti nec etiam teneor ego, si præcipiat, P. Generalis amotionem meam, seu translationem, non præmisso suorum Patrum Consultorum consilio in *Constitutionibus nostris Theatinis præscripto par. 3. cap. 7. num. 7.* sub his verbis: *Et si plurima sunt in quibus disponendis P. Generalis. Consultorum consensum habere non cogitur, eorum tamen Consilium studeat adhibere in transferendis de loco ad locum Vocalibus.* Ex quibus verbis apertè deducitur, quod translatio Vocalis in *Congregatione Clericorum Regularium Theatinorum*, est maximæ considerationis, cum *P. ipse Generalis* antequam illam decernat debeat *ex vi Constitutionum* adhibere, ac præmittere Consilium suorum Patrum Consultorum, ut de re gravi. Et si non præmittat, inefficacem esse assignationem translationis, atq; nullam, docet expressè *Sanctorus de Melfi in Constitutiones, & Statuta S. Francisci cap. 8. Statuto 40. Versu, Super quo statuta, pag. mihi* 498. Dum ibi sic: *Licet sequi non teneatur Consilium, ut fusè ex multis probat Barbosa Axiomate 55. nu. 2. & nos alibi, petere tamen debet, quia ubi præcipitur aliquid fieri cum consilio aliquorum, si sine consilio fiat, actus est nullus; ut probat Rodriqu. tom. 2. qu. 103. art. p. & qu. 53. art. 9. & to. p. qu. 20. & cap. ex parte de Constit. & cap. cum veteri (ubi Panormit.) de elect.* Et eo magis nullus est, quando subditus certò scit quod à Prælato ei sit imperatus solum ex odio, & mala voluntate erga ipsum, quo stante non tenetur ille obedire, eo quia tunc Prælatus abutitur sua potestate. *Peyrinus to. p. de Subdito cap. xj. §. Unico. Lezana to. pr. cap. 4. nu. 16. Antonius à Spiritu Sancto par. 2. Directorii Regular. trac. 3. disp. 6. sec. pr. §. 3. nu.* 64. Unde potest (ut supra) reclamare, appellare &c. Sed contra.

1329 Oppones hic *Jura* prohibentia Religiosis appellationem à præcepto Superioris, etiam si sentiant se gravatos, & sunt *Cap. Ad nostram, De Appellatione*, in quo sic:

fic: *Mandamus, quatenus, fiquando quilibet fubditorum tuorum ad remedium appellationis convolaverit non ideò minus cum juxta tenorem mandati, quod in prædicta regula continetur, & institutionem ordinis, corrigas, & castiges*. Et *Cap. Reprehensibilis eodem Titulo*: Ubi; *Præcipue verò hæc in Religiosis volumus observari, ne Religiosi cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati sui, & Capituli disciplinam, appellare præsumant: sed humiliter, ac devotè suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem injunctum*. Idemque habetur in *Cap. Cum speciali*, eodem item *Titulo de Appellatione in fine cap.* ubi, quod circa appellationem denegatur Religiosis, quod conceditur cęteris. Item oppones privilegia quæ habent Regulares plura, impedientia appellationes Subditorum, quæ videri possunt apud *Sorbum in Compend. Privilegior. Mendicant. Verbo Appellare. à nu. pr. & Verbo Generalis Ordinis nu.* 11. & 12. Verum

1330 Resolvitur prima oppositio: Dicendo cum communi Doctorum, quod allata *Canonica Jura* (& alia si quæ sunt, quæ opponi possint) prohibent solum appellationem illam quæ ponit obicem disciplinæ Regulari; non autem illam quæ tendit ad propulsandam violentiam, & gravamen, aliter essent injusta, utpote contra propriam defensionem, quæ alicui denegari non potest, eum defensio sit unicuique concessa jure Divino, & naturali. Unde quando constat de gravamine non intercidituir appellatio, nec habet locum clausula *Appellatione remota. Glos. fin. Cap. Ad nostram. De Appellatione. Verbo, Minus*. Ubi, *A' correctione non appellatur, nisi excedat modum in corrigendo*, uti etiam pluribus aliis citatis docet *Coriolanus de Casib. reservatis par.* 2. *Casu* 5. *Item*: 12. *Tit. de Judicio Regulari*. Imò absolutè tenendum est quod liceat Religiosis appellare à præceptis, ordinationibus, mandatis, correctione &c. suorum Prælatorum, quando non procedunt isti secundum Regulam, & modum excedunt, uti affirmant jura & Doctores, quos longa serie enumerat, & sequitur *P. Pasqual. Centuria p. qu.* 82. *n.* 3. & 4. Et ratio est, quia Appellatio interdicta est Regularibus, nę observantia regularis damnum patiatur, dum exorbitanti ab ipsa patrocinium præbetur mediante appellatione. *Cap. Ad nostram. De Appellat.* ibi: *Quia verò remedium appellationis, non ideò est inuentum, ut alicui à Religionis, & Ordinis observantia exorbitanti, debeat in sua nequitia patrocinium exhibere*. Quando ergo Religiosus non exorbitat à Regulari observantia, sed injustè gravatur, non erit ipsi denegata appellatio: quando enim cessat in aliquo casu ratio legis expressa in ipsa lege, cessat etiam dispositio ipsius, eum lex restringatur ad terminos suæ rationis per *Textus* tum legales, tum Canonicos, & per Doctores communiter utriusque Juris apud eundem *P. Pasqualigum qu. cit.* 82. *nu.* 7. Quia nimirum ratio legis est anima ipsius, & illi dat vim, & motum, proindeque extra eam lex mortua est, neque vim habet obligandi. Cum igitur appellationis remedium adjuventum sit ad tollendum injustum gravamen *Cap. Ut debitus. De Appellat.* si non adest gravamen, ex natura sua non habet locum appellatio: non adest autem, nec infertur quando Prælatus in corrigendo, sive in præcipiendo non infert gravamen, & quia nec in præceptis, neque in correctione excedit limites suæ potestatis, solum se extendendo ad ea, in quibus subditus obedire tenetur. E contra verò, quando excedit limites Regulæ, gravamen infert, gravat enim Subditum, in iis, in quibus ex vi Voti Obedientiæ se subiicere non tenetur, & tunc utique locum habet appellatio, cum sit necessaria pro tollendo gravamine. Leges enim denegantes Regularibus appellationem justæ sunt, atque adeò accipiendæ secundum terminos justitiæ, non essent autem justæ si denegarent omnem appellationem in quocunque casu, cum appellatio sit quædam defensio civilis contra vim Judicis, quæ non potest alicui denigrari, eum sit unicuique concessa jure divino, & naturali *Clementina Pastolaris. De Sent. & re judic.* ubi Doctores communiter. Hinc

1331 Oppositio etiam secunda, item (& facillime) resolvitur: Privilegia nanque Religionibus concessa, prohibentia subditis posse appellare, eum sint concessa ob conservandam Religionis tranquillitatem, & perturbationem vitandam, hoc idem omnino intendunt. Uti, & hoc ipsum pariter intendunt *præcitata Jura*, dum illam Religiosis prohibent. Eodem ergo pacto accipienda sunt *privilegia*, & accipiuntur *Jura ipsa*, nimirum, quod prohibeant solum appellationem, quando nullum est gravamen, vel saltem leve, & quando Prælatus non excedit terminos Regulæ, & disciplinæ regularis; aliter *essent iniqua* (ait *Bordonus ref.* 32. *n.* 8.) *& foverent injustiam, & dolum Superiorum*. Ita *Navarrus tom.* 2. *Comm.* 3. *de Regularib. n.* 51. *§. Nec obstat. & Consil.* 4. *n.* 5. *De Appellationib. Sayrus in Clavi Regia cap.* 17. *n.* 38. *Rodriq. to. pr. qq. Regular.*

Regular. qu. 29. art. 2. Azor. par. pr. lib. 12. cap. 11. qu. 8. Suarez de Relig. to. 4. libr. 2. cap. 11. n. 9. fol. mihi 108. col. 2. (ubi: *Dicimus, appellationem esse Religiosis regulariter, non verò semper eis interdictam, quia interdum est necessarium medium ad repellendam gravem, & manifestam injuriam.*) P. Pasqualigus qu. cit. 82. num. 8. Antonius à Spiritu Sancto in Director. Regular. par. 2. tract. 3. disp. 6. sec. 5. à n. 783. & communiter Doctores apud, & cum Palao tom. 3. tract. 16. Tit. de Voto Religiosæ Obedientiæ disp. 4. punct. 15. nu. 3. Neque hic obiici potest (addo cum P. Pasqualigo n. 8. c. in fine.) Quod si ita est, quod videlicet privilegia interdicentia Religiosis appellationem intelligenda sunt secundum jus commune, ergo per ipsa nihil conceditur, quod non habeatur à jure commnni. Nam ut notant Sanchez libr. 2. de Matrim. disp. 37. sub n. 15. Versu Ad Ultimum (ibiq; Navarrus, & Manuel,) & P. Pasqualigus nu. cit. 8. non semper Privilegium aliquid de novo concedit, sed quandoque solum tribuitur ad majorem declarationem, & securitatem, ut constat ex pluribus privilegiis. Vide eundem P. Pasqualigum tum qu. Canonica cit. 82. tum seq. 83. in qua n. 3. cum Baldo, Archidiacono, Navarro, Arag. Rodriq. Azorio, Coriolano, Sayro, Bonacina, Spathario, Sanchez, Cucho, Sà, Tambur., Facundez, Suar. Lezana, Peyr. Portello, Diana, Passarello, Hieronymo Rodriq. Sanctorio, Barbosa, Megala, & aliis: ponit sequentem conclusionem: *Posse* (videlicet) *Regularem injustè vexatum à suo Superiore recedere à Conventu, ut adeat alium Superiorem, ut liberetur à gravamine.* Et rationem reddit à n. 4. Sequenti. *Quia in casu injusti gravaminis subditus potest appellare ad Superiorem, recessus autem à Conventu, & accessus ad Superiorem, habet vim appellationis, cum appellatio fieri possit non solum verbo, & Scriptura, sed etiam facto ipso. Per Cap. Ad nostram, & Cap. Irreprehenbilis, & Cap. De priori. De appellat. Deinde cum in gravamine sit necessarius recursus ad Superiorem tanquam defensio necessaria, & jure naturali concessa Clement. Pastorali. De re jud. Et voluntas Superioris cujuscunque debeat esse necessariò rationabilis, & justa, aliàs non erit voluntas fundata in Superioris potestate, sed iniqua, quia Superior est obligatus rationi, & ea solum potest, quæ rationabilia sunt l. 2. ff. De usufr. ear. rer. quæ usu consum. & l. penul. ff. De furtis. & l. Reprehenda. C. De instit. & substit. & Cap. Sunt quædam 25. qu. p. Sequitur quod non possit Superior denegare subdito accessum ad eos à quibus liberari potest, quando talis accessus est ipsi necessarius pro defensione, & proinde habet præsumptam voluntatem Superiorum, quod possit accedere, quia mens Superioris talis esse præsumitur, qualis de jure esse debet, ut notant Baldus in l. Ex facto. ff. De vulg. & pupil. substit. & Felin. Consil. 31. n. 7.*

1332 *Nec est necesse, quod ab immediato Superiore licentiam petat, sed potest sine ipsa accedere, ut notat Coriolanus de Casib. reservatis Casu 2. n. 9. Versu Dubitatur Secundo. Quia licet in appellatione requiratur remissio Judicis ad Superiorem, in casu tamen nostro Superior non procedit ut Judex, quia supponimus, quod recursus sit ob gravamen extra judiciale, & proinde, jura, quæ requirunt talem remissionem, non habent locum in casu nostro, in quo Superior immediatus se habet ut pars; aliud est autem petere à Judice, & aliud petere à parte l. p. & 2. C. De in jus vocando.* Hæc & optime P. Pasqualigus. Quæ notare debent Regulares Prælati, & Superiores, qui cum Religiosis Subditis mansuetè agere debent, ut ipsos sibi magis, magisq; addictos habeant, foventes eosdem potius quàm exacerbantes; sunt enim Subditorum Religiosorum Patres, non Domini, atque adeò Paterna consequenter esse debet secundum omnes obedientiæ religiosæ exactio, ut expressè etiam habet D. Hieronymus Epist. 62. ad Theophilum Episcopum, contra Errores Joannis Hierosolymitani parum Catholici. dum ibi sic: *Patres se sciant esse non dominos, maximè apud eos qui spretis ambitionibus Sæculi nihil quieti, & otio præferunt.* Quæ verba Sancti Doctoris referens etiam, & ponderans Jo: Baptista Masculus Societate Jesu, *Vide* (inquit) *quam studiosi quietis Religiosi esse debeant, ac propterea à Prælatis fovendi potius, quam exacerbandi.* ita, lib. 2. tom. 2. Ponderationum in Epist. S. Hieron. Ex Epist. 62. ad Theophilum Episcop. fol. mihi 85. col. p. nu. 4. & n. anteced. primo sic: *Notent Prælati, ut cum Religiosis mansuetè agant, quò ipsos sibi magis addictos habeant; idem & Superiores Religionum seruent &c.* Pater nanque erga Subditum esse debet Superior, & Prælatus Regularis, & se ut talem reverà exhibere erga ipsum, adeoq; tanquam verum filium (uti est) eum pertractare, non tanquam inimicum, & servum: aliter poterit ne obligari legibus suis subditus, dum Superior non servat suas? *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat*, Regula 75. Juris in 6. Cujus frequenter meminerint tam Subditi, quam Superiores. Fuit mutuus per professionem contractus, supposuitque Regularis, etiam rationabiliter operans, se obli-

gare

gare ad talem obedientiam, & subiectionem, dum Prælati quoque taliter operarent: si passim ergo Subditus videat Prælatum, non eum regere juxta illi præscriptum, eius gubernium esse tirannicum, agnoscatque præterea ad id remedium sufficiens non adhiberi, vel non posse adhiberi moraliter, quare non poterit Subditus in talibus circumstantiis positus tuta conscientia, appellare saltem ab obedientia hujusmodi Superioris (ut supra) præsertim quia, dicta tandem obedientia non est Civilis, nec naturalis, sed penitus voluntaria per Vota?

1333 Et si quis dicat: Religionem nunquam muneri suo deesse, adeoque nunquam solvi posse subditum in conscientia ab obedientia Prælati ratione contractus initi inter Religiosum ipsum subditum, & Religionem in professione. Respondere potest Subditus, quæ hic docentur, tradi solum ad semetipsum eximendum in foro interiori, & animæ, ab actuali subiectione illius tantum Prælati, qui erga ipsummet Subditum propriis obligationibus non satisfacit, cum quo tamen stare potest, quod ipsemet ligatus sit tribus Votis substantialibus Religioni; à qua non regitur in abstrato, sed effectivè secundum regulas descriptas in Cartis. Si ergo Prælati desunt muneri proprio, non servantes ea, quæ ad ipsos spectant, Religio respectu Religiosi subditi (dicet Subditus ipse) moraliter, nec physicè obligationibus propriis satisfacit, unde tuta conscientia potest se appellare ab hoc Superiore ad alium, pro habenda justitia: nec enim Religiosus in professione promisit simpliciter Vota Deo, sed in hac Religione, & juxta Constitutiones, & Regulas hujus Religionis, &c. Adde etiam, quod cum quivis Religiosus rationabiliter operans, intenderit per tria Vota substantialia maximè consulere saluti animæ suæ, profiterique se ad perfectionem tendere in hac, vel illa Religione, & Religio ipsa à subdito electa, non sit quid in abstracto, sed (sub tali Regula) hi Superiores, &c. Si ex eorundem localium immediato convictu, & gubernio, injustè, & graviter detrimentum patiatur, nec possit illos moraliter, nec alio modo licitè vitare, & se subtrahere, poterit utiq; saltem ob sui, nec non animæ suę quietem, recedere ab ejusdem injustitiis, communi, & à Doctoribus admisso (ut suprà) appellationis remedio, etiam extra Religionem si opus fuerit, recurrendo videlicet ad Conservatorem, ad Nuncium Sanctissimi, vel ad S. Congregat. Imò & ad ipsummet Summum Romanum Pontificem. Neque hic obstat quod habetur in nostro *Compendio Privilegiorum Clericorum Regularium Verbo Appellatio §. 4. fol.* 94. Ubi sic (omnibus Regularibus per participationem commune) *Fratribus nostræ Congregationis in virtute Sanctæ Obedientiæ inhibitum est appellare extra Congregationem, etiam ad Conservatores ab Alexandro IV. Ordini Cistertiensi, privilegio 34. contrafacientes Congregationis rigori subiiciendo. Et Innocentius VIII. privilegio 115. eidem Ordini Cistertiensi, motu proprio declaravit, hujusmodi appellantes censuram, & pœnam excommunicationis ipso facto incurrere, ac pro talibus ab omnibus publicari debere: appellationesque nullas, & inanes fuisse, & esse. Et propterea ipsis Judicibus ad quos appellatum est inhibet &c.* Hoc inquam non obstat: quia ut patet ex eodemmet *Compendio cit. in Scholio fol. seq.* 95. dictum *Privilegium*, non habet locum (uti nec alia ex dictis) contra appellantes in cásibus licitis. Hinc optime *Petrus Marchant in suo Opusculo inscripto: Notabiles Resolutiones Variarum casuum, & q.q. practicar. Casu 17. vers. Respondeo igitur tertio, pag. mihi* 321. ait: *Subsistente causa probabili notabilis gravaminis, suspicionis, partialitatis, & similis impedimenti juridici, potest appellari à Persona Judicis, modo facta sit ante captam possessionem juridicam, per actus, vel modos Jure Requisitos; appellatio enim suspendit, donec causa sit deffinita. Et sicut liberum est Reo prætenso appellare à Judice ante causam contestatam, ob prævisum aliquod grave periculum injusti gravaminis: sic & Religioso in hujusmodi causa. Caveat tamen ne fictè, vel quæsito colore, aut calumniosè id faciat, quia Censuras, & pœnas non evaderet.* Hactenus, & optimè *citatus Marchant*. Sed hic

1334 Quæres, An inter Regulares *Appellatio, & recursus* fieri debeat gradatim, & servato ordine; videlicet, à Superiore locali ad Provincialem, & ab hoc ad Generalem, deinde ad Protectorem, tandem ad Sacram Congregationem. Ita fieri debere ex declaratione Sacræ Cardinalium Congregationis super negotiis Regularium, testatur *Novarius in Lucerna Regularium Verbo Appellatio, n. 4. Versu Sed non reticeam.* Et tali ordine *Appellationem* permisisse *Sixtum V. in Bulla* quæ incipit *Ad Romanum spectat Pontificem, anno* 1588. testatur *Vulpes in Praxi Fori Ecclesiastici cap. 22. num.* 9. & ante ipsum *Lezzana in Summa to. pr. cap. 9. Tit. De Obligationib. Religiosor. quæ habentur in Jure, vel Conciliis sub n.* 4. (ubi & alia pariter coacervant) *Joannes de Lacruz de Statu Religionis lib. p. cap. 6. dub. 4. & Sanchez in Decal lib. 6. cap. 8. n.* 107. Quibus addi potest *Antonius à Spiritu Sancto in suo Directo-*

rio Regulari par. 2. tract. 3. disp. 6. sect. 5. n. 788. & 789. ubi affirmat pariter hoc idem omnino tenendum esse, ex *Bulla Urbani VIII. pro Benedictinis Hispaniarum, edita anno* 1624. (quam refert *Fr. Emanuel à Monte Oliveti par. 2. art. 7. in Practica Regulari n.* 391.) in qua *Bulla* præcipit idem Summus Ponti-fex in virtute obedientiæ, ut appellatio non fiat à Superioribus Ordinariis, nisi ad Generalem, & ab hoc nisi ad Capitulum generale, & ab isto pro notoria, ac manifesta injuria in conventu denegatæ justitiæ, ad Romanum Pontificem tantum immediatè, non verò ad Nuntios, vel Collectores, aut alias personas Ecclesiasticas, prout latius *in prædicta Bulla* continetur, qua stante *Bulla* (concludit *citatus Antonius à Spiritu Sancto*) non remanet amplius locus dubitationi, ut optimè probat *Emanuel à Monte Oliveti supra n.* 397 Sed his minimè obstantibus.

1335 Respondeo Regulares in casu justę appellationis, posse, omissis illis mediis statim ad Papam, vel Nuntium Apostolicum appellare. Et ità expresse *Portel in Dubiis Regul. Verbo Appellare nu.* 3. ubi sic: *Potest Religiosus omissis illis mediis, statim ad Papam, seu Nuncium appellare, Cap. ad Romanam* 29. *qu.* 6. *& Covarr. in Practicis qq. cap.* 4. *n.* 9. *& praxis observat*. Et apud *Dianam Coordin. to. 7. tract. p. res.* 10. *nu.* 2. *ex p.* 3. *tract.* 2. *res.* 54. idem docet *Remigius Scrofa in Opusculo de Invalidit. Professionis dub.* 25. *&* 26. Idenque advertit *Peyrinus de Privilegiis to.* 3. *Cap.* 4. *Ad Constit. Leonis X. n.* 18. dum ibi ait, *Quod non faceret contra Pontificium Decretum qui appellaret à Provinciali v g. ad Protectorem omissó Generali, eo quia habet illum suspectum. Nam tunc Generalis non est legitimus Superior, & ideò ad illum non est recurrendum, debet tamen causa suspicionis esse certa, & evidens, nam alioqui non excusaretur*. Ita *Peyrinus n. cit.* 18. qui antecéd. *n.* 14. quærens, an Regulares possint appellare ad Apostolicam sedem immediatè, omissis mediis, respondet *affirmativè*, & pluribus *Canonicis textibus*, ac Doctoribus id probat, quibus (addit *seq. n.* 15.) Non obstare Decretum *Sacræ Congreg.* anno 1588. quod sic habet.. *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, sive dum imminentem admissorum criminum pœnam, & suis Constitutionibus, aut alias debitam, sibi metuunt, falsa, & commentitia gravamina causari, non ad immediatè sui Ordinis Superiores scilicet, à gravamine Prioris ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, pro ut cujusque Religionis Constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sępius fugiunt potius, quam recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores evadunt. Placuit Sacræ Regularium Congreg. ex ordine Sanctissimi statuere, ut si quis Regularium in posterum temerè, leviq; ex causa hanc almam Urbem, seu Curiam, absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa, adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores severiori pœna plectendus remittatur*. Non obstat inquam hoc *Decretum* (inquit optimè *Peyrinus n. cit.* 15. & ego cum ipso) *quia juri communi non derogat, quod esset omnino necesse, ad dicta per Felinum in Cap. Nonnulli, de rescript. n.* 9. *ubi etiam Panormit. n.* 10. *Nec est verisimile quod Papa voluerit S. Romanam Ecclesiam tali privilegio privare. Nec multo minus obstant Statuta, si quæ sunt Religionum: nam juri communi contraria esse non possunt: C. Quod super his, de major. & obed. C. Institutionis* 25. *qu.* 2. *Imò id etiam colligitur ex dicto decreto, ibi (potius fugiunt, quam recurrant) per quæ verba clarè significatur, quod si verè gravatus recurrat ad Sanctam Sedem immediatè, admittitur de Stylo illius Curiæ: secus autem, si non gravatus pœnas metuens ad eam fugiat, sic evadere sperans. Atque ita post dictum Decretum id sentiunt Portel in dub. Reg. Verb. Appellare n.* 3. *Diana to.* 3. *tract.* 2. *resol.* 54. *& in Ordine nostro recursus immediatus ad S. Sedem à nemine impediri potest, cum duabus tamen conditionibus: primo, Quod qui recurrit, & non probat, majori pœna puniatur. Secundò, Quod iste recursus non sit de re levi, & minima: nam in hoc casu potest impediri*: Hæc *Peyrinus nu.* 15. *cit.* Quibus adde *Bordonum res.* 32. *qu.* 8. *n.* 26. ubi & ipse inquirens. An appellatio gradatim, & ordine præscripto *à Sacra Congregat.* facienda sit, an verò fieri possit per saltum omisso medio, ut à Priori ad Generalem, vel ad Protectorem, vel ad Papam immediatè: Respondet Religiosos appellare posse immediatè à suo Superiore ad Sedem Apostolicam. Probat *per duo Cap. Ad Romanam* 5. *&* 7. 2. *qu.* 6. in quibus locis expresse dicitur, quod omnes ad Sedem Apostolicam appellare possunt. *Ratio est, quia Papa est principalis, universalis, & immediatus Superior Regularium, unde illorum est Prior, Provincialis, & Generalis (ait Sotus lib.* 8. *de Just. qu.* 5. *art. p. ex Rodr. qu.* 22. *art.* 6. *Navar. Consil.* 3. *de Statu Mon. n.* 51.) *Unde omnes illi immediatè subiiciuntur. Cap. Authoritate §.* 1. *de Privil. in* 6. *Gloss. cap. pr. de reb. Eccles. non alien. in* 6. ita *Bordon. l. cit.* cum supra relatis *Portel. Scrofa, Diana, & Pey-*

rino

rino cit. n. 15. præterea advertit *n. sequ.* 17. *Quod verè gravatus recurrens ad Sanctam Sedem potest liberè ingredi Romam absque alia facultate Superioris, & non obstante prohibitione de non ingrediendo Romam absque Superioris facultate, nam tunc ingreditur vigore hujus Decreti facti auctoritate Papæ, qui est supremus Religionum Superior.* Et si non sint hæc satis de hoc privilegio: aliaque desideret quis, habet *Peyrinum locis hic cit. & to. p. de Subdito, Capitib. supra relatis.* item habet *Bordonum ref. citata* 32. in qua per totam *De Religiosis appellationibus.* & alios.

1336 Insuper habet *Gabrielem à S. Vincentio Carmelitam Excalceatum, in suo Tomo, Romæ impresso de anno* 1661. *Sanctissimoque Alexandro VII. Pontifici Maximo Dicatum, De Censuris in Genere, in specie, & in Individuo, seu in Particulari, in qua disp.* 3. *(quæ est de Effectibus Excommunicationis) qu.* 13. *§.* 16. *num. margin.* 287. *pag. mihi* 346. ubi, Inquirens ad casum nostrum, hujusque Privilegii ad litteram: *An Provincialis sine gravi necessitate, vel utilitate, possit præcipere subdito gravi, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut ab uno Conventu transeat ad alium, præsertim quando in primo benè se habet, & quantum ad animi quietem, & quantum ad quietem; & salutem corporis, & in alio non sic?* Respondet ibi *Negativè*. Pro qua etiam responsione (ad casum item nostrum.) Notat quæ sequuntur. Primò. *Quod Prælatus non habet jus præcipiendi Subdito, nisi in ordine ad bonum ipsius Subditi, & totius Religionis; quo circa nisi commune bonum, vel particulare Subditi id reposcant, nec debet, nec potest Prælatus subdito præcipere; per professionem nanque fit quidam contractus inter Prælatum, & Subditum, quod subditus obligatur servire Religioni secundum quod potest, & Religio obligatur ipsum sustentare secundum ipsius indigentiam: unde Prælatus cui administratio competit tenetur providere subdito tum in spiritualibus, tum in temporalibus, & subditus tenetur obedire Prælato utroque modo, non tamen cum detrimento gravi spirituali, vel corporali, nisi aliunde commune bonum id reposceret.* Secundò: *Quod si Religiosus in uno Conventu inservit Religioni, frequentando Chorum, & alia præstando secundum suum institutum, & in alio hæc præstare nequit, vel propter hospitum frequentiam; vel quia Conventus subjacet multis perturbationibus, & inquietudinibus adventantium, ut nequeat, orare, nec quietè celebrare, non debet, nec potest ab illo ad istum transferri Conventum, nisi boni communis necessitas id ea posceret: non enim Subditus sine magna causa tenetur hoc detrimentum subire, nec illò transferre ubi inquietè vivit, & aliud non cogitat nisi quomodo possit se liberare à servitute illius Conventus. Quare Provincialis antequam mutet Religiosum ab uno Conventu in alium, deberet prius hæc omnia perpendere, ne gravis insurgat inordinatio ex mutatione, & deberet explorare consensum ipsius subditi, ne omnino invitum amoveat, & maximæ inquietudinis periculo eum exponat, sine magna, & urgenti causa.* Tertiò. *Quod Provincialis antequam mutet Religiosum, pensare debet, an ex illa mutatione sequi possit aliqua Religiosi infamia, ut si ex illa translatione, Sæculares existimare possint, illum Religiosum commisisse aliquod grave delictum, propter quod amovetur, quod facilè fieri potest, quando transfertur Religiosus à loco ubi cognitus est, ad locum ubi est incognitus: Peyrinus de Subdito qu. p. cap.* 12. *in prima probatione* 3. *Conclus.* Quartò. *Quod Provincialis antequam mutet Religiosum debet etiam se ipsum ponere in loco Religiosi quem mutare vult, & videre, an ipse eo modo mutari vellet, & tunc quod vellet sibi fieri, faciat illi, & si ipse nollet sic mutari, nec alium mutet. Pro quo deserviet, quod dicitur Tobiæ* 4. *(Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias) Et S. Gregorius Magnus* 2. *p. Pastor. cap.* 10. *dicit (Cuncti quippe, quousque in hac mortali carne subsistimus, corruptionis nostræ infirmitatibus subjacemus. Ex se ergo debet unusquisque colligere qualiter alienæ oporteat imbecillitati misereri, ne contra infirmitatem proximi ad increpationis vocem ferventius rapiatur oblitus sui esse videatur.)*

1337 *Ex quibus patenter colligitur* (deductio quæ apertè firmat, ut patet, confirmatque omnino Privilegium nostrum) *quod non possint Provinciales pro libito transferre Religiosum gravem de uno loco in alium, ubi ea translatio, est sibi probrosa, est sibi onerosa, est sibi valde difficilis &c. Ratio est, quia Prælatus jus non habet absolutum in subditum, sed respectivum, respectu scilicet boni communis, & attento bono, & utilitate spirituali ejusdem subditi, cum ad hunc solum finem Religiosi, suis subdantur Prælatis. Nec valet dicere, quod Provincialis mutando Religiosum ab uno Conventu in alium, utatur jure suo, sua auctoritate, & jurisdictione; & nimis gravaretur Provincialis gubernium, si quoties vellet mutare Religiosum deberet tot inspicere &c. Nam respondetur, quod cum potestas Provincialis sit respectiva, ut diximus, non habet aliud jus in Subditum, nisi in ordine ad bonum commune, & Subditorum, ac proinde ad hæc respicere debet, non ad proprium libitum, alioquin sua abuteretur*

potestate: nec quæri debet in Religiosorum translatione bonum transferentis, seu mutantis, sed translati, seu mutari. Considerare nanque debet Provincialis antequam Religiosum mutet, ætatem, habilitatem, dispositionem &c. Peyrinus de Præl. qu. pr cap. 5. nu. 9. Hæc procedunt in Religiosis gravibus, nam in Religiosis Ordinariis, qui sine difficultate transeunt ab uno, ad alterum Conventum, non sunt tot considerandа; tum quia uti possunt sua potestate, ubi causa rationabilis occurrit omnium respectu. Suaderem tamen, ut prædicta semper præ oculis haberent, præsertim respectu Religiosorum gravium, & imitarentur Dei Filium, cujus conversatio, est nostra instructio Cap. Significasti de elect. qui cum sit Dominus universorum; antequam carnem sumeret pro nostra reconciliatione ex Virgine, prius ejus consensum obtinere volnit. Caveant etiam ne discooperiant unum Altare, ut aliud cooperiant; hoc est, non amoveant Religiosum à Conventu ubi benè deservit, & necessarius est, ut opituletur alteri, eandem necessitatem habenti, quia ordinata charitas incipit à se, Cap. nisi specialis, de auctor. & usu palii juncta Glos. & docet Francus Cap. Si Religiosus de elect. in 6. Unde sicut frumenti copia primum prodesse debet Regioni in qua nascitur, quam aliis, propterea justè prohibentur extractiones, ut ex aliis resolvit Diana par. 3. tract. 6. res. 32. ita Religiosus potius deservire debet suo Conventui, quam aliis &c. In dubio tamen necessitatis, vel utilitatis ad translationem faciendam, standum erit Provinciali, cui omnes subditi obsequi debent, & obedire, dum ab illo transferri volunt, nec debent repugnare, sed confidere debent in Domino. & cæco modo obedire, hoc est enim Religiosorum perfectorum proprium, nec debent sibi facilè persuadere, quod hæc, vel illa sequentur incommoda ex translatione: quæ enim diximus procedunt secundum rigorem juris, non secundum perfectionem virtutis, quam Religiosi æmulari debent. Hæc, & optimè, Doctissimus Pater Excalceatus; quæ (obiter) in claram, ac evidentem confirmationem antedictorum, pro hocque eodem nostro privilegio præpositorum, hic allata sint.



PRIVILEGIUM XXXIX.

Superior, seu Rector Regularis admittens in Ecclesiam propriam Regularem (occasione funerum) Parochorum ingressum cum Cotta, Stola, & Cruce elevata; sinensque eosdem nedum sic intrare, verum etiam super Cadavera Officia Defunctorum, aut Psalmos recitare; vel in aliquo ibi se intromittere, ignorans invincibiliter hoc obesse proprio Regulari Juri, ac Jurisdictioni; nec obest (stante tali ignorantia) nec contra ipsum Jus, inducit veram consuetudinem.

1338 HOc idem Privilegium insinuat Eruditissimus *P. Jo. Chrysostomus ab Ascensione Carmelita Excalceatus in sua doctissima Apodixi, sive Discussione Veritatis* (sub nomine *Bernardini Manarutæ, Typis Cadorinis Patavii edita*) *cap. 5. Divisione 3. in fine, fol. mihi* 139. Imò idemmet ibi probare videtur expresse, & ad litteram, dum ex communi *Jurisperitorum* sensu, ac resolutione, ex eorundemque sententia, ac doctrina, absolutè docet, *contra ipsos Regulares, ignorantia laborantes* (ut in Privilegio, & casu) *non currere consuetudinem*: nec consequenter sibimet ipsis præjudicare, aut proprio Privilegio, seu Regulari Juri obesse, sinendo (cum dicta ignorantia) Parochos occasione funerum ingredi intra proprias Regulares Ecclesias cum Cotta, Stola, Cruce elevata, &c. ibique Psalmos recitare, defuncto ultimum Vale dare, &c. Fundamentum *dicti Patris*, & nostrum, pro hujus Privilegii firmitate clarum esse videtur: Quia scilicet, *Ignorans*, non dicitur ratificare, *Menochius cons.* 120. *n.* 37. Et censetur contradicere, *leg. Qui vas, §. vetare, ff. de furtis. Reynoso observ.* 58. *n.* 2. Et non dicitur negligere, aut contravenire, *leg. Si ignorans, ff. locati. Stephanus Gratianus Disceptat. Forens. cap.* 631. *n.* 20. Et non videtur negligere, nec contemnere jus suum, *leg. Nec ignorans, Cod. de donat. Farinac. in Praxi Crimin. p. 4. consult. 96. n. 33. Surdus decis. 25. n. 30. & consult. 454. Barbosa in Repertorio Juris Canonici, & Civilis, littera I. Verbo Ignorans, fol.* 178. Nec sibimet officere videtur in foro interno, nec externo, qui facit contra Privilegium ex ejusdem Privilegii proprii ignorantia, cum hujusmodi actus non sit sufficienter voluntarius ad effectum proprii præjudicii, *Antonius à Spiritu S. in Director. Regular. par. 1. Tit. de Privilegiis in Communi tract. 1. disp. 1. sect. 7. n.* 144. Ad-

de,

de, extare Privilegium concessum ab *Eugenio IV.* (apud *Tamburin. de Jure Abbatissar. to. 1. disp. 16. q. 14. n. 22.*) Monachis Congreg. Cassinens. *Sub datum Bononiæ Anno 1437. prid. Kalend. Julii Pont sui Anno 6.* (& refertur etiam à *Roderic. in nova Collect. Privilegior. Bulla 9. ejusdem Pontificis:*) Quod scilicet Religiosi non amittant Privilegia, si per unum, aut plures actus contra ea, aut ipsorum aliquod negligentia, vel ignorantia contravenerint. Cum ergo hæc currant in casu, & Privilegio nostro: & recensita in ipso quo ad Parochos, supponantur admissa à Prælato Regulari ex errore, & ignorantia, atque adeò simpliciter involuntariè, nulla læsio hic prætendi potest Regularis Juris, nec contra ipsum consequenter valet allegari legitima consuetudo: sicque verum Privilegium propositum.

1339 Cujus propositionis occasione: Quæro hic; quid Juris, circa controversiam tum modernam, tum antiquam, quæ ferè ubique vertitur inter R. R. Parochos, & Regulares in materia Funeralium: An videlicet, Parochi, Cadavera associantes suorum Parochianorum, quæ in Ecclesiis Regularium humanda sunt, legitimè possint, & jure proprio, iisdemque Regularibus invitis, istorum ingredi Ecclesias, Cottam, & Stolam deferendo, cum Cruce elevata, ibique Officia, & Psalmos Defunctorum recitare, ultimunque Vale una cum ipsis Regularibus illis dare, nec ne? Supponit autem quæsitum. *Primò*: Stolæ delationem, Jurisdictionem inferre, & Jurisdictionis signum esse, quod apertissimè constat ex eo maximè quia, cum Sacerdos, & Parochus jubetur Stolam deferre, actus Jurisdictionis exercet, ut habet praxis quotidiana, sicque præscribit *Rituale Romanum* in Benedictionibus, Processionibus, & præcipuè in Sacramentorum administratione, pro qua (*idem Rituale in principio, Titulo de iis, quæ in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt*) ait: *In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, & desuper Stola, &c.* Et *Sacra Congreg.* ipsa *Episcopor. & Regularium 8. Novembris 1588.* (ad relationem *Barbosæ, tract. de Parocho par. 2. cap. 19. nu. 60.*) præcipit Parochis in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, ut Stolam adhibeant, utique quia in tali actu specialis Jurisdictio relucet. Quod præceptum de Mandato *Urbani VIII.* (apud *Lezan. to. p. qq. Regular. cap. 19. n. 32.*) extenditur ad quoscunque Confessarios, etiam non Parochos. Hinc est, quod Archipresbyter, quia est secunda dignitas, in Ecclesia Cathedrali Viterbiensi, cui animarum cura incumbit, ac Stolam defert, præcedere debet Archydiaconum, qui est prima dignitas, ratione Stolæ, præeminentiæ, & jurisdictionis inditium, ut declaravit *Sacra Rituum Congregatio, in una Viterbiensi, & Trojana die 4. Maii 1613.* apud *Samuellium de sepulturis tract. 1. disp. 3. controv. 2. concl. 8. num. 53. & 54. fol. mihi 83.* ubi, quod pluries antea, & postea fuit hoc idem decisum, & apud *Barbosam in Collectan. Bullarii, Verbo Stola*, eadem *Sacra Rituum Congregatio in Nullius 12. Maii 1612.* Hinc etiam ad rem nostram, idem *Franciscus Maria Samuellius de sepulturis tract. 1. disp. 3 controversia 5. conclus. 14. num. 11. fol. 100.* absolutè ait: *Stola à Parocho delata in funeralibus Jurisdictionem, & authoritatem super Cadaver importat.* Et *Jacobus Pignatellus Canonicarum Consultationum tom. 5. consult. 54. n. 1.* item ait: *Usus Stolæ præsertim in funeribus, est signum Jurisdictionis Parochialis. Quare Sacra Congregat. Rituum in Nucerina die 24. Octobris 1609. & in Prænestina die 13. Julii 1629. declaravit, Parochum tantummodo Stolam deferre debere, ac omnes alios præcedere.* Et idem Doctor *tom. 7. consult. 46. nu. 5.* pariter ait: *Tantæ considerationis est Stola, quod ratione illius, Parochus in funeribus præcedentiam habet etiam supra Collegiatam intervenientem, ex Declaratione S. Congregationis in Spoletana 21. Aprilis 1635. & in Lauden. 23. Maii 1636.* Insuper idem Author *to. 8. consult. 73. n. 21.* Similiter sic: *Usus Stolæ præsertim in funeribus est signum Jurisdictionis Parochialis, ejusque delatio est de Juribus Parochialibus; ac proindè spectat privativè ad Parochos, ut in specie resolvit Rota, in Romana Jurium funeralium 14. Julii 1653. §. Quibus consequens; & §. seq. coram Vallisoletano, traditq; Lezana in Summ. qq. Regul. cap. 12. nu. 41. ubi n. 3. subdit, fuisse declaratum à S. Congregat. Concilii sub die 2. Julii 1620. non posse Regulares deferre Pluviale; aut Stolam extra Ecclesiam, aut Claustrum per alienas Parochias, ea quidem ratione, quia Stola est signum propriè denotans Jurisdictionem, & Officium Sacerdotale, per Gloss. in leg. Unic. V. Fibulis, Cod. Nulli licere. Ut proindè si Episcopus intersit funeri, non liceat Parocho eam deferre; quia Episcopo præsente cessat ejus Jurisdictio, & non fungitur Officio Sacerdotali, ut per Gratianum disceptat. 298. n. 84. Atque ita semel, ac iterum censuit Sacra Congregat. in Nucerina sub die 24. Octobris 1609. & in Prænestina sub die 13. Julii 1619. ubi declaravit, Parochum tantummodò Stolam deferre debere, ac omnes alios præcedere.*

re. Et habetur ex Rituali Romano loc. alleg. Cum enim ſolus Parochus in aſſociandis funeribus fungatur munere proprio, debet etiam ipſe ſolus Stolam deferre, quatenus illa eſt proprius habitus Sacerdotalis. Cap. Cum Eccleſiaſtica, diſt. 23. Hactenus *Pignatellus*.

1340 Supponit *ſecundò* quæſitum, quod Crux elevata, ſeu erecta inferat pariter Juriſdictionem: & hoc idem affirmant, *Samuellius tract. 1. cit. diſp. c. 3. controv. 3. concluſion. 5. n. 36. fol. 91. Crucis erectio indicat juriſdictionem ubi cadaver tumulatur: relatus ab Aſcenſione. Diſcuſſione cit. cap. 4. diviſione 2. fol. 121. in fine, Verſ. Ergo. Crux elevata juriſdictionem infert. Gavantus in Rubricas Miſſalis p. 1. tit. 19. de qualitate Paramentor. fol. mihi 51. in princip.* dum ab ipſo ibi, *Crux Baculo Abbatiali comparatur, ex Actis Eccleſiæ Mediolanenſis de ſuppellectili Eccleſiæ lib. 2.* Baculus autem Abbatialis, ſeu Paſtoralis, *Auctoritatis, ac diſciplinæ ſignum eſt*, ait *Tamburinus de Jure Abbatum to. 1. diſp. 20. qu. 1. ſub nu. 4. Verſ. Baculus Paſtoralis*, ex cujus comparatione conſequenter deducit *idem ab Aſcenſione l. c. fol. 122. in princip. Velle Crucem elevare, eſſe velle juriſdictionem, & præeminentiam exercere*. Addens, *fol. 123. in princip. Elevare Crucem eſſe præeminentiæ inditium, & juriſdictionis*. Quod præterea affirmat, & docet *Pignatellus to. 8. conſult. 73. n. 1. 5. 9. ac 116. & ſeqq.* ſic: *Deferre ante ſe Crucem, eſt ſignum Dignitatis, ac Juriſdictionis per tex. in cap. 1. ut lit. pend. In Cap. Antiqua de Privileg. & in Clem. Archiepiſcopo eodem Tit.* ita *n. 1. Erectio Crucis in funere, eſt jus Parochiale, ex Abb. in Cap. Abolendæ nu. 6. de ſepult.* ita *n. 5. Confraternitas Laicalis non defert Crucem in funeribus, quia non habet juriſdictionem*, ita *num. 9. Delatio Crucis, eſt ſignum juriſdictionis, ſeu auctoritativæ poteſtatis, quam nullus poteſt in alieno Territorio exercere invito illius Domino, ut inquit Bonac. de contractib. diſput. 3. quæſt. 41. punct. 5. ſub n. 2. Et quod delatio Crucis, ſit ſignum juriſdictionis, majoritatis, præeminentiæ, & ſuperioritatis, tradit Abb. in cap. 1. ſub n. 7. ibique Butr. n. 6. ut lite pendente. Cardin. in Clemen. Archiepiſcopo ſub n. 5. Decian. conſil. 67. n. 7. lib. 2. Paſſerin. to. 2. qu. 187. art. 4. ſub n. 186. in fine. Ventrigl. de Archiepiſcop. cap. 17. n. 8. & cap. 18. n. 6. Donat. in Praxi Reg. to. 1. par. 2. tract. 13. qu. 81. à n. 3. Et propterea ex hac ratione, quia erigere, & deferre Crucem, eſt actus Juriſdictionis, prohibitum eſt Regularibus, & Confraternitatibus facere Proceſſiones cum elevatione, ſeu delatione Crucis extra proprias Eccleſias, & Clauſtra Monaſteriorum, niſi de licentia, & conſenſu, aut cum Cruce Parochi, non obſtantibus quibuſcunque conſuetudinibus, vel præſcriptionibus immemorabilibus, ex declaratione, & Decreto S. Congregat. confirmato ab Urbano VIII. &c.* Poteſt etiam hic obiter affirmari cum *Bonifacio de Vitalis ſuper Clem. Archiepiſcopo de Privil. nu. 5. & 6.* apud & cum *Peyrino de Privilegiis to. 1. conſtit. 21. Leonis X. §. 10. num. 18. Verſ. Noto 3.* Quod Ritus ferendi Crucem ante funus tempore ſepulturæ, quo cadaver portatur ad Eccleſiam, ſit cauſa devotionis, & memoriæ Paſſionis Chriſti, in ſignum, quod funus eſt illius hominis, qui dum vixit, & moriens, fuit dicto ſignaculo Sanctæ Crucis inſignitus, non autem, quod deferatur cauſa alicujus præeminentiæ. Et hinc ſequi, intrare Parochias cum Cruce alta, & ire per viam publicam ad domum alicujus Defuncti, per eandenque, vel aliam viam domum redire, nil præjudicare Parochiis, per quas tranſitur.

1341 Supponit *Tertiò* quæſitum. Quod poſtquam R. R. Parochi, & Clerus Sæcularis, cadavera in Regularium Eccleſiis ſepelienda aſſociaverint, intus eaſdem ſuper hujuſmodi cadaveribus ipſos R. R. Parochos velle Officium Defunctorum, Pſalmos, Reſponſoria, vel Orationes recitare, aut cantare, eſt aliquod jus in Eccleſiis Regularium exercere, ut ex ſe patet, & optimè affirmat *dictus ab Aſcenſione cap. 4. diviſione 2. fol. 92. in princip.* dicens *Velle canere, ac cum Stola, & Cruce intrare, &c. eſt aliquod jus, velle directè, vel indirectè, propriè, vel impropriè exercere*, & *fol. 93. in princip.* item ait: *Velle Stolam, & Crucem deferre, & Officia facere in Eccleſiis Regularium, eſt aliquod jus pluſquam minimum velle exercere*, & *fol. 97. in princip.* pariter ſic: *Stola, Crux, & Cantus indicant Juriſdictionem majorem, & præeminentiam*, permitti ergo non debent Parochis, & Curatis in Regularium Eccleſiis, &c. Tria hæc ſuppoſita præmiſſa videntur eſſe certa: Et

1342 Certum eſt etiam præterea *Quartò*: Olim, attento jure communi, qualcunque Eccleſias alicubi conſtitutas extitiſſe, quidem Epiſcopis ſubjectas in quorum Diœceſibus ſitæ erant: *Cap. Cum Venerabilis de Relig. domib. Cap. de Xenodochiis, eodem tit. Cap. Omnes Baſilicæ 16. quæſt. 7. Can. Contra Morem diſt.* 100. Et ſic etiam omnia Monaſteria ſub cura, & poteſtate Epiſcoporum item extabant 18. *quæſtion. 2. Cap. Abbates, & Cap. quia Monaſterium, & dict. Cap. Cum Venerabilis, de Religioſis domib.* Hodie tamen attentis Summorum Pontificum Privilegiis,

vilegiis,

vilegiis, omnes ferè Ordines Regulares sunt exempti ab Episcoporum, & Ordinariorum potestate, sive Privilegia directè, sive indirectè (per communicationem videlicet) talem exemptionem largiantur: consequenter his temporibus Prælati Regulares, & Monasteria habent jurisdictionem quasi Episcopalem pleno jure, juxta doctrinam Glos. receptæ, *Verbo proprii in Clem. 1. de rebus Ecclesiæ non alien. Nav. Comm. 2. de Regul. n. 63. Vers. Addo secundo. Erasmus à Cochier. de Jurisdict. Ordinarii in exemptos p. 1. qu. 17. nu. 9. & 25. Barbosa de Potest. Episcopi par. 3. alleg. 105. n. 3. Pasqualig. in Lauretum de Franchis par. 2. in addit. quæst. 1. num. 4.* Ubi ait: Quod Regularium exemptio canonizatur in jure communi, *Cap. Abbatibus 18. quæst. 2. & Cap. Cum dilecta in fine, de confirm. ut & cap. cum dilectus de Relig. domib.* & alibi passim: Et ideò *cum sit canonizata à jure communi, facta est de jure communi.* Quando autem, à quo tempore, & à quibus Pontificibus Summis successivè Regulares ab Ordinariorum jurisdictione exempti esse cœperint, & recepti fuerint sub Protectione Sedis Apostolicæ, atq; sub solo (Romani Pontificis Canonicè intrantis) dominio. Vide *Tamburin. de Jure Abbatum to. 1. disp. 15. quæst. 4. & Barbosam quæst. cit. 105. à n. 11. Augustinum à Virgine Maria Carmelitam Discalceatum, de Privilegiis Omnium Religiosorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, Verbo Exemptio: relatum ab Ascensione discussionis cap. 1. divisione 1.* & alios. Hinc

1343 Certum est *Quintò*: Regularium Ecclesias esse pariter omninò exemptas, à quacunque etiam minima subiectione, jurisdictione, ac Superioritate R. R. Parochorum: sicuti enim *ex præced num.* exemptæ omninò sunt Regularium Ecclesiæ à Jurisdictione Episcoporum, & Ordinariorum, ita, & magis, magisque à subjectione Parochorum, adeò ut Parochi in Regularium Ecclesiis nullum prorsus jurisdictionis actum exercere queant, Regularibus ipsis invitis: Parochorum nanque Jurisdictio ab Episcoporum, & Ordinariorum Jurisdictione dependet: & sicut isti nullum Jurisdictionis actum exercere possunt in Regularium Ecclesias, nec illi consequenter, qui non solum dependent in Jurisdictione à Papa, verum etiam à proprio Episcopo, cujus vices gerunt in actu curæ animarum, in funeralibus, &c. *Nec enim (Barbosa de Parocho par. 1. cap. 1. n. 25.) Episcopi in his, quæ pertinent ad curam animarum, propter Parochos excluduntur; quia omnes animæ sunt commissæ sub potestate Episcopi; cap. quæcunq. 10. quæst. 1. cap. præcipimus 12. quæst. 1. & quilibet de Diœcesi, dicitur esse Parochianus Episcopi, ut in cap. licet de feriis; & in cap. 1. de raptor. & in cap. ad aures, de pœnis; facit bonus text. in Clemen. Dudum §. in Ecclesiis, de sepult. refert. Gutier. Canon. l. 1. cap. 27. nu. 25. & 26.* Quod igitur non potest Episcopus, nec poterit Parochus, qui vices ejus gerit, non enim major potest esse potestas in Vicegerente, quam sit in principali, ut evidens est, & habetur ex *l. Nemo plus, ff. de reg. jur.* & Vicarius non plus habet auctoritatis, quam is, cujus est Vicarius, *Cap. licet. 2. de Offic. Vicarii in 6. Cap. 3. eodem in 6. cap. Clericos de Offic. Vicarii*, & est communis omnium D. D. Certis hisce præhabitis, de quibus iterum etiam, & magis infra, venio ad resolutionē quæsiti, *Cui*; pace R. R. D. D. Parochorum, quorum nos Regulares obsequiosi sumus, verique quotidiè, ac reales in eorundem levamen indefessi Coadiutores.

1344 Respondeo, Absolutè non licere eisdemmet, aut aliis in funeralibus, in Ecclesias Regularium (his invitis) de Jure, & legitimè cum Stola, & Cruce elevata intrare, Officia Defunctorum, aut Psalmos recitare, aut in aliquo se intromittere, ut in quæsito. Responsio hæc, nedum fundata est in Privilegiis claris, & apertis Sanctissimorum Summorum Pontificum, concessis ab Anno 1258. usq; ad Annũ 1680. ut videre est apud *Tambur. Barb. Augustin. à Virg. Mar. relatum ab Ascensione ll. cc.* & alios. In Decretis innumeris Sacrarum *Congregationum*, ut infra, verū etiam in evidentissima ratione, & in auctoritate D. D. qui communissimè hoc idem tenent, adeò ut *eidem ab Ascens.* Mirum videatur, & æquidem valdè mirum, R. R. Parochos post tot, & talia Eminentissima Exemptionis Privilegia à Summis Pontificibus Regularibus concessa, post innumera Sacrarum Congregationum in favorem eorundem circa funeralia edita Decreta, in faciem tot Classicorum Doctorum, & Sapientissimorum Regularium, adhuc resistere, & contra nostrum Jus pretendere audeant: Unde meritò in hæc ipse, *Cap. pr. cit. n. p. pag. 3.* prorumpit: *Verè mirum est R. R. Parochos in faciem Regularium adhuc resistere, adhuc pro hoc ingressu consuetudinem, tacitum consensum, non usum, vel abrogationem nostri Juris prætendere: Mirum ut hoc, & intolerabile cum toto terrarum Orbe, nulla ferè sit Regio, nullum tempus, nullum Tribunal, in quo de proprio læso jure non clamarint, & reclamarint per-*

petuò

petuò Regulares, & auditi, & exauditi in judiciis contradictoriis, pro evidenti propriæ causæ æquitate sententiam, non reportaverint? Quot S. S. Pontifices etiam adhibitis Eminentissimorum Cardinalium consultationibus gravissimis præceptis Regulares à Parochorum, in hac parte contentionibus eripuerunt? Quot ediders leges, & præcepta, ut Parochos intra Jurisdictionis suæ limites continerent? Audiemus in ipsos decretantes, non dico unum, aut alterum Pontificem, sed Pontificum longam seriem, &c. E quatuor ergo vivis, indeficientibusque fontibus emanat, eruiturve inconcussa hujus responsionis veritas. *Primò*: Ex pluribus, ac multiplicibus diversorum Summorum Pontificum Bullis, & Privilegiis, longa, continuataque Annorum serie concessis, & confirmatis, ab Anno videlicet (ut supra) 1258. usque ad Annum 1680. nunquam revocatis, imò innovatis, de novo concessis, & confirmatis, evidenter nedum probantibus nostram datam responsionem, verum etiam districtè sub lethali culpa, & sub anathemate, & excommunicationis Censura inhibentibus Religiosis Sæcularibus, & Parochis, ingredi Ecclesias Regularium occasione funerum, ipsis invitis, in iisdemque Ecclesiis exequias celebrare, sine eorundemmet assensu, & voluntate. *Secundò*: Ex non paucis Declarationibus, Responsionibus, & Decretis Sacrarum Congregationum, decernentibus Officium super Cadaveribus illatis in Ecclesias Regularium pro sepultura, ibidem habenda, ad ipsos solos Regulares pertinere, non autem ad Parochos, & Curatos Defunctorum. *Tertiò*: Ex Auctoritate Doctorum: Nam ab Auctoritate Doctorum validum est argumentum, *leg. Antiqui, ff. si pars hære. Cap. Cum haberet, de eo qui duxit in Matrimon. Cap. Omnes Principes, de Majoritat. & Obedient. Cap. Significasti, il 2. de Homicid. Everard. in Topicis legalib. loco* 48. *Menochius cons.* 9. *n.* 8. *& cons.* 18. *n.* 7. *&* 13. *& consil.* 33. *n.* 27. aliique apud, & cum *Barbosa in Loc. commun. juris, loco* 12. *n.* 1. addens *n.* 3. *Ab Auctoritate Majorum, nedum esse probabile, sed necessarium argumentum, & illi standum, ex vi rationis, quæ necessarium concludit. Bartol. in leg.* 1. *sub n.* 23. *ff. si cert. petat. Magdalen. de num. testium in testam. requis. par.* 1. *cap.* 16. *nu.* 12. *cum sequentibu. Quarto*: A ratione, quæ ut fert Juristarum commune Axioma, est Anima legis, *leg. Cum Oratio, ff. de bonis damn. Franciscus Leo in Thesauro fori Eccles. par.* 2. *c.* 9. *nu.* 136. *Barbosa Axiom.* 197. *Gabriel à S. Vincent. de Remediis Ignorantiæ disp.* 14. *dub.* 17. *n.* 238. aliique apud istos, & communiter. Cum ergo Ecclesiastica lege (ut infra apertissimè) statuatur, non posse Parochos in Regularium Ecclesias Cruce elevata, nec cum Cotta, seu superpelliceo, & Stola intrare, nec in funeralibus se intromittere, eadem lex, & veritas suis efficacibus rationibus est evidenter firmanda. Igitur

1345 Incipiens à fonte primo simul, primoque capite, ac secundo, à Sacrosancta Petri Sede videlicet; hoc est à Summorum Pontificum Privilegiis; atque Sacrarum Congregationum Decretis concessis diversis, & continuatis temporibus, & emanatis (ab Anno ut suprà 1258. usque ad Annum 1680.) Religionibus diversis, atque adeò iis omnibus, quæ communionem, communicationemque habent Privilegiorum inter se, quam ferè omnes habent Religiones, inclusis etiam Monialibus (in proportionalibus) ut videre est apud D. D. agentes de Privilegiis Regularium, præcipuè apud *Jo. De la Crux de Privilegiis Regul. cap.* 4. *nu. p. conclus. p. Ex Bulla XIII. Leonis X.* & in mea *Filiatione Spirituali Latina cap.* 4. *dub.* 11. *n.* 169. Incipiens ergo inquam ab hoc primò, secundoque capite, & fonte, fideliter, ordinatèque subjungam Bullas, Pontificiaque Privilegia, ac Sacrarum Congregationum Decreta prohibentia Parochis occasione associationis cadaverum, ingredi Ecclesias Regularium, in eisdemque recitare funeralia Officia, Cruce elevata, cum Stola, &c.

1346 *Alexander IV. Anno* 1258. in Bulla, quæ incipit: *Virtute conspicuos* 98. pro Minoritis: apud *VVad. in Reg. to.* 2. *ex authographo sub plumbo*, de qua fit mentio *in Spec. Minorum in Summario*, ubi dicitur, haberi originaliter *Salmanticæ*: sic: *Districtius inhibemus, ut nulli Religiosi, vel Sæculares vobis invitis aliquorum corpora Defunctorum in vestris Cæmeteriis sepellire, aut in Ecclesiis vestris Missarum Solemnia, vel pro animabus ipsorum, qui ad loca vestra tumulandi feruntur, ibidem obsequia celebrare sine vestro assensu, & voluntate præsumant.* Hoc idem totum ad verbum habes, apud *Augustinum à Virgine Maria Carmelitam Strictioris Observantiæ*, in suo Opusculo inscripto, *Privilegia Omnium Religiosorum, Editione Tertia Lugdunensi, Anno* 1664. *Verbo Sepultura nu.* 6. *fol. mihi* 595.

1347 *Clemens IV. Anno* 1265. in Bulla edita pro Fratribus Minoribus, quæ incipit *Virtute Conspicuos, &* est authentica in *Bullario novo Laertii Cherubini to.* 1. *fol. mihi* 130. ait §. 13. ut sequitur: *Sepulturam quoq; in Ecclesiis vestris concedimus, & eam liberam, &c.*

Distru-

Districtius inhibentes; ut nulli Religiosi Sæculares, vobis invitis aliquorum corpora Defunctorum in vestris Cœmeteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris Missarum Solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare sine vestro assensu, & voluntate præsumant, concludens *§. 36. finali: Decernimus autem irritum, & inane, quicquid contra tenorem concessionum, constitutionum, & inhibitionum hujusmodi, per quoscunque fuerit attentatum, & interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas contra concessiones, constitutiones, & inhibitiones easdem in vos, vel vestrum aliquos, aut loca vestra, &c. in posterum promulgari contigerit penitus non tenere*. Cum Clausula: *Nulli ergo omninò hominum, liceat hanc paginam nostrarum concessionum, constitutionum, & inhibitionum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolum Petri, & Pauli se noverit incursurum. Dat. Perusii XII. Kalend. Augusti Pontificatus nostri Anno* 1. De hac Bulla *Casarubius in Compend. Privileg. Fratrum Minorum, Verbo Sepelitio nu. 4. Alexander Peregrinus in Compend. Clericorum Regularium Theatinor. Titul. Sepultura §. 3.* aliique.

1348 Et circa eandem, notanda sunt sequentia, quæ deservient etiam ad ulteriores Bullas, & Decreta, quæ subjungam: Notandum est ergo primò, Clausulam prædictam appositam, & quæ pariter in Bullis, & Decretis sequentibus, ferè semper apponitur: *Vobis invitis*, seu *sine vestro assensu*, denotare Privilegia à Summo Pontifice concessa, esse merè facultativa, sive Privilegia facultatis, quæ non amittuntur, nec amitti possunt per simplicem non usum; aut per contrariam consuetudinem, sed requiritur, ut amittantur *prohibitionè usus*, ut notant apud, & cùm *P. Pasqualig. in Laurentium de Franchis par. pr. n. 127. Vers. Circa autem, Franchus in Cap. Significante n. 3. de appellation. Felin. in Cap. Pastoralis nu. 8. de Offic. Ordinar. Castrens. in leg. Qui luminibus n. 2. ff. de servit. verbo præd. Afflict. decis. 378. nu. 2. Surd. consil. 127. n. 21. Seraphin decis. 2086. n. pr. Rota decision. 350. n. 2. pari 2. recent. & in Calaguritana, de Liquejo 30. Aprilis 1593. coram Gypsio, & in Reatina Barchæ 23. Januarii 1617. coram Buratto, & decision. 206. n. 9. coram Merlino.* Quibus addo *Azorium to. pr. Instit. Moralium lib. 5. cap. 4. qu. 8. Rodriq. tom. 2. qq. Regular. qu. 49. art. 8. & Palao par. pr. tit. de Privilegiis tract. 3. disp. 4. punct. 18. nu. 5.* (ubi alios refert) *relatum supra ab Ascens. cap. pr. divisione pr. n. 2.* cum aliis pluribus ibidem ab ipsomet allatis. Ratio autem hujus notabilis, clara, atque evidens est, nam quomodo dicta facultativa, seu facultatis Privilegia per non usum amitti possunt, dum libero nostro arbitrio, quo ad usum ipsum, commissa sunt, consequenter per hoc, quod illis non utamur, non censemus eisdem renunciare velle, uti nec velle possumus? non inquam id velle possumus, quia Regulares non habent facultatem ad istam renunciationem, quippè qui Privilegio in bonum commune toti Religioni concesso renunciare non possunt: *Barbosa Axioma 135. n. 14. Suar. de Legib. lib. 8. cap. 6. n. 2. & 3. & cap. 33. n. 4. Caramuel in Theol. Regulari in Regul. Sancti Benedicti disp. 52. res. 8. n. 751. Palao disp. cit. 4. punc. 17. nu. p.* (addens *n. 2.* quod *in hoc omnes conveniunt*) *Portell. Verbo Privilegii Usus n. 39. Antonius à Spiritu S. in Director. Regularium par. 1. tract. 1. disp. 1. sect. 7. n. 142. & in consiliis, cons. 39. à n. 31. & 35. relatus ab Ascens. cap. 5. divis. 5. in princip. sub n. 44. Marginal. Andreas Mendo in Epitome Opinion. Moralium, Verbo Privil. n. 17.* (ibi: *Hinc Religiosus nequit renunciare exemptioni, nec Clericus Privilegio fori. Communiter in cap. constitu. de rescript.*) aliique innumeri, apud istos tum Theologi, tum Juristæ, communissimè sentientes, & docentes, non posse Regulares renunciare Privilegiis Communibus totius Ordinis. Unde *Innocent. III. cap. Cum tempore de Arbitris*, scribens Abbati cuidam, qui Privilegiis renunciaverat, apertè ostendit non potuisse id facere, absque licentia Romani Pontificis: ut sequitur: *Cum, & si spontè volueris, de Jure tamen nequiveras sine licentia Romani Pontificis renunciare Privilegiis*. Hinc optimè D. D. communiter, relati præcipuè à *P. Pasqual. in Franchum par. 2. qu. 92. n. 13.* docent, nec Subditum, nec Superiorem renunciare posse Privilegio exemptionis (uti est, de quo in præsenti) absque licentia Summi Pontificis.

1349 Et ratio ipsa suffragatur etiam: *Tum quia* non potest quis renunciare, quod sibi directè concessum non est: esto illo fruatur, sicuti à pari non potest Clericus, nec Ecclesiasticus renunciare libertati Ecclesiasticæ, vel Privilegio Canonis, aut fori, &c. in favorem totius Cleri concesso, quia hoc esset in præjudicium totius Status Ecclesiastici, & Religionis, imò & Papæ, ut supra, & infra: Non enim potest, quis *favori proprio renunciare, quando implicatus est cum jure alieno; qualis est exemptio* (in casu nostro) *quæ implicata est cum Jure Superioris*, *Pas-*

Pasqualig. l. c. nu. 14. cum Felino, Abbate, Mandel. Tusch. Saravia, Navar. Sylvest. Armill. Cenedo, Suarez, Sanchez, Rota. Præsertim si lædatur jus Superioris non consentientis, ut in præsenti est solus Papa, ut notant Castrens. Roman. Cardinal. Afflict. Gratian. Gail. Rovit. Io: Baptista Costa. Tum quia, Res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur, *Barbosa Axiomate* 199. *ex cap. Omnis* 27. *qu.* 2. *& ex cap. Omnis res de Regul. Iuris in Decretalibus.* Et ad rem nostram *Bordon. resp.* 52. *n.* 110. *Antonius à Spiritu S. in Director. Regular. par.* 1. *tract.* 1. *disp.* 1. *sect.* 7. *à n.* 129. Ubi & in suo *Consilior. Variorum to. cons.* 39. *nu.* 40. ait : *Privilegio exemptionis ab Ordinario* (uti est, de quo hic loquitur) *nec Generalis, nec Capitulum Generale potest renunciare absque licentia Papæ, ut decidit Sacra Rota apud Lezzan. to.* 3. *In Mari Magno Carmelitar. §.* 33. *n.* 265. *&* 266. *& §.* 38. *n.* 280. Ubi etiam, quod volens renunciare, renunciatio fieri debet in manibus Papæ, à quo tanquam ab origine, & causa totali oritur omninò hujusmodi Privilegium, ergo à Papa tantum dissolvi potest, juxta citatum commune Axioma : *Omnis res, per quas causas nascitur, &c.* Et hinc deduc (quod infert etiam *Ab Ascensione cap.* 5. *divis.* 5. *vers. Immò non*) si nec Generalis, nec Capitulum Generale potest renunciare iis, quæ in favorem totius Religionis à Summo Pontifice concessa sunt, ut est Privilegium, de quo loquimur, consequenter nec Provincialis, nec Capitulum Provinciale, vel una integra Provincia, multò minus unus solùm Superior, & Conventus id poterit, aliter major potestas resideret in inferioribus, quam in Superioribus Prælatis, & Capitulis, quod non potest admitti. Adde, quod illius esse debet renunciatio, cujus est Privilegium, scilicet totius Religionis, ut dictum est, at nec Generalis, nec Capitulum Generale, nec tota Religio potest huic Privilegio, & Juri renunciare, ergo multò minus id poterit una Provincia, unus Superior, & Conventus: nec etiam poterit, quamvis intercessisset pactum, & juramentum inter Regulares ipsos, & R. R. Parochos, ut patet *ex cap. Si diligenti de foro competenti:* dum ibi *Gloss. Verbo Pacto privatorum*, sic : *Sic ergo patet, quod privatorum pacto Iuri publico non derogatur, ff. de pactis, leg. Ius publicum, nemo enim ius publicum remittere potest aliquibus pactionibus*, ita *Gloss.* Et *Innocentius III.* in confirmatione hujus additi sic pronunciat, *cap. Si diligenti de foro competenti : Cum non sit Beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non potest, nec juramentum licitè servari potuit, quod contra Canonica Statuta illicitis pactionibus informatur.* Quod ideò est, quia hujusmodi pacta injustitiam continent, idcircò servari non debent, ut est commune, sicque nec in casu nostro, si intercessissent. Concludit igitur (& optimè) hujus primi notabilis doctrina, nequire videlicet Regulares prædictum exemptionis privilegium toti Ordini a S. Sede concessum, renunciare, cum respectu ejusdem locum non habeat renunciatio ; Sicuti neque illius amissio locum habet, causa non usus, ut supra, hoc enim importat, ut dictum est, præfata Clausula : *Vobis invitis*, vel *sine vestro assensu* : aliàs talis Clausula in privilegio posita esset inutilis, nilque operaretur, quia ipsa includitur in omni privilegio, cum in quolibet subintelligatur conditio, ut eo utatur quando, & cum voluerit, vel quod idem redit, cum invitus non fuerit. Ut aliquid igitur operetur clausula prædicta : *Vobis invitis, &c.* intelligenda est, ut possimus privilegio non uti sine præjudicio, & quod ipsa impediat præscriptionem adversus illud, & Privilegiatos ipsos Regulares, si tempus præscriptionis contra ipsos non utentes computaretur. Unde privilegia sic concessa, per non usum amitti non posse; nec introduci contra ipsa laudabilem consuetudinem, & possessionem (etiam si esset immemorabilis) cum adest dicta clausula, docent communiter D. D. apud, & cum *Ab Ascensione c.* 1. *divison.* 1. *Vers. Probo primò, fol.* 6. Quod confirmari videtur ex generali regula, quæ docet actus meræ facultatis, nunquam inducere consuetudinem, seu præscriptionem, & nunquam præscribi, ut notant *Calderin. consil.* 2. *&* 3. *de consuetud. Roland. cons.* 53. *nu.* 38. *lib.* 2. *Decius consil.* 175. *nu.* 6. *Vers. Præterea licet. Surd. consil.* 127. *n.* 81. *Ludovis. decis.* 162. *nu.* 10. *Rota decis.* 178. *n.* 5. *par.* 5. *divers. Pasqual. in Franch. par.* 1. *n.* 592. *& idem Ab Ascensionem l. c. Vers. Quod confirmatur, fol.* 7. ubi plures alios refert, præter prædictos citatos à *P. Pasqualigo* sub eodem *num.* 592.

1350 Dum hæc tamen scribo, casu meo, aperiens *Tom.* 3. *Consultationum Canonic. Jacobi Pignatelli*, & fortuitò etiam incidens *in Consultat.* 50. lego in ipsa *n.* 1. *&* 2. quæ non concordant cum Superiori assertione, in qua affirmo, nequire Regulares unius Conventus (sicut nec unius integræ Provinciæ) renunciare communi totius Religionis exemptionis Privilegio, de quo hic, & in quæsito, absque auctoritate Summi

Ponti-

Pontificis. Contrarium sentire videtur Doctor iste sub sequentibus verbis, quæ fideliter refero, ut obiectum, quod contra nostrum assertum (saltem apparenter) formant, maneat postea resolutum. *An Regulares possint concordare cum Parochis, ut ii peragant Officium in Ecclesiis Regularibus super Cadavera Defuncti Parochiarum? Affirmativè. Ita censuit Sacra Congregatio super Episcopos in Firmana Anno* 1606. *quæ hujusmodi concordiam confirmavit, & Anno* 1642. *declaravit Regulares teneri ad observantiam dictæ concordiæ. Si quidem concordia fieri potest super iis omnibus, quæ possunt in controversiam deduci. Gregor. decis.* 149. *n.* 4. *& facta parit exceptionem litis finitæ, & impedit alterius litis ingressum, idem Gregor. decis.* 354. *nu.* 1. *&* 2. *sicuti, & post concordiam inter personas Ecclesiasticas initam, non licet amplius allegare contrariam dispositionem legis, præscriptionis, nec Privilegii, sed omninò pacta conventa observanda sunt per textum in cap.* 1. *de transact. Ad hoc autem, ut Clerus Secularis, & Regularis validè possint inire contractus, præcipuè transactionis, requiritur copulativè interventus Prioris, & Capituli legitimè congregati in loco solito, & quod interveniat nedum major, & sanior pars, sed etiam, quod nullus contradicat, si ex transactione remittatur jus clarum competens ipsi Capitulo, ut per plures decisiones firmatum fuit in Burgen præeminentiarum p.* 3. *recent. decis.* 623. *n.* 1. *& par.* 4. *decision.* 328. *nu.* 1. *& seqq.* Hæc sunt eruditissimi *Pignatelli*, quæ probare videntur, ut ex se constat, unum integrum Regularium Conventum (adde, & unam integram eorundem Provinciam consequenter, cum non sit major ratio) renunciare posse præfato exemptionis Privilegio, de quo hic, quod nos supra negamus. Verum

1351 Facillimè resolvitur hujusmodi apparens potius, quam reale obiectum: Nam si vera sunt, quæ à *D. Pignatello* assumuntur, potius approbant, quam reprobant assertum nostrum. Dico, si vera sunt, quę ab ipso assumuntur, nec facio illi injuriam, intelligo enim, si vera sunt, quæ ipsemet adducit *Sacræ Congregationis responsa*, cum iisdem, nec non *Sacrar. Congregationum Declarationibus, ac Decretis* in authentica forma non exhibitis, fidem præstare non cogamur: idemmet *Pignatellus Tom.* 2. *consult.* 21. *n.* 6. sub his verbis: *Declarationes S. Congregationis, quotiescunque non sunt in authentica forma, possunt reduci ad examen rationis, & acceptari, vel reiici. Quia tunc non considerantur, tanquam Declarationes Congregationis, sed secundum quod præseferunt veritatem.*

Addo, quod *Sacra Congreg. tam Concilii, quam Rituum* 2. *&* 11. *Augusti* 1632. decreverunt (de Mandato *felicis rec. Urbani VIII.*) suis Declarationibus, tam circa Ritus, quam circa Concilii interpretationem, sive impressis, sive manuscriptis, nullam fidem adhibendam esse, tam in judicio, quam extra, nisi solis illis, quæ in authentica forma, solito sigillo, & subscriptione Eminentiss. Cardin. Præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. Et hujusmodi Decretum ea de causa factum fuit, quia ad ejusdem Sacræ Congregationis notitiam pervenit, quam plures Declarationes, Decreta, seu Decisiones sub nomine ejusdem Sacræ Congregationis absque illius authoritate impressas in libris, seu aliis operibus, circumferri, & allegari, multasque ex Declarationibus, Decretis, seu Decisionibus, juxta contingentiam casuum, illorumque qualitates, & circunstantias, à se diversis temporibus factas secundum ea, quæ proponebantur, fuisse alteratas, immutatas, imminutas, ac forsan alias mentito Sacræ Congregationis nomine confectas, nulloque propterea authentico sigillo munitas, illasq; per Tribunalia, tam in Urbem, quam per Orbem circumferri, & allegari: quibus si ulla fides adhiberetur, magnum inde detrimentum recipi posset, ut eadem *Sacra Congregat.* in dictis Decretis consideravit. Vide *Dianam to.* 6. *Coord. tract.* 1. *resol.* 21. 22. 23. *&* 24. *Ex par.* 1. *tract.* 10. *resol.* 29. *Ex par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 96. *Ex par.* 11. *tract.* 2. *& Miscell.* 2. *resol.* 42. *Ex par.* 11. *tract.* 8. *& Miscell.* 8. *resol.* 53. Vide etiam *Hieronymum Nicolium par.* 1. *Lucubrationum utriusque Juris lib.* 1. *tit.* 19. *de Nuptiis n.* 76. *fol. mihi* 67. 68. ubi, *in fine nu.* sic: *Est, & alia ratio ex qua supradictæ declarationi relatæ, &c. credere non cogimur, scilicet, quia ego in ipsis Originalibus registris Sacræ Congreg. Concilii, vidi Declarationem de directo contrariam.* Igitur non exhibita Declaratione in forma authentica ad normam relati *Decreti Urbani de Anno* 1632. fides nulla illi præstanda est, ut supra. Verum quidem est, quod cum post hujusmodi *Urbanum Decretum Sanctiss. Innocentio Decimo* relatum fuisset (ut advertit etiam, & refert idem *Nicolius loc. c. sub eodem n.* 76.) quosdam adesse, qui parvipendentes *Decreta Sacræ Congr.* cum maximo animarum præjudicio spargebant, Decreta ejusdem *Sacræ Congreg.* facere tantum opinionem probabilem, uti puram, & simplicem Cardinalium Declarationem, & posse utique contrarium defendi. Sanctitas sua

die 30. *Iulii* 1652. confirmavit supradictum Decretum *Urbani VIII.* quod scilicet *Decreta Sacræ Congreg.* quotiescunque sint a Præfecto ejusdem firmata, à Secretario subscripta, & sigillo munita, vim, & valorem habeant, & quod ab omnibus, & singulis inviolabiliter observentur. His positis, modo ad obiectum

1352 Respondeo, me non cogi in primis præstare fidem relatis à *D. Pignatello Sacræ Congregationis Decretis*, ut potè non exhibitis in valida obligante forma. At ne videar difficultatem effugere: Reverenter, libenterque, imò libentissimè do illis fidem integram: Ergo ex iisdem deducitur posse Regulares renunciare Privilegio, ut supra, nego consequentiam, quia ex tali antecedenti minimè sequitur, bene tamen oppositum, in favorem scilicet Privilegii, ut mox. Non enim simplex concordium, seu transfactio (ut constat ex terminis) est renunciatio neque cessio, totalis saltem, proprii juris. Præterea dictum concordium esset, & ipsum exhibendum: Quia *Sacræ Congr. Declarationes* (ait idemmet *Pignatellus tom.* 1. *conf.* 1. *n.* 18.) *semper intelliguntur emanare juxta ea, quæ in facto proponuntur*. Verum, hisce omissis, & quibusvis aliis limitationibus omninò, nego inquam denuò consequentiam, quæ ex opposito antecedente (etiam simpliciter concesso) haud infertur, imò contrarium; non posse videlicet Regulares renunciare; &c. quod patet: Nam si possunt Regulares (ut intendit argumentum) concordare, renunciare, &c. ad quid recursus ad Sacram Congregat. & ad ejusdem Decreta, pro concordii confirmatione, nisi quia ipsummet solitariè, nec pura renunciatio conventus, vim habet absque auctoritate Summi Pontificis (ut nos supra) à quo suam vim, & facultatem utique recognoscunt, ac si ab ipso Papa fuissent editæ dictæ Declarationes, & Decreta ipsa S. Congregationis? Super hoc D. D. præcipuè apud *Dianam ll. cc.* At de his satis. Unde

1353 Notandum secundò: Clausulam *Districtius inhibentes*, obligare sub mortali, ut docent omnes Auctores (nemine excepto) apud *P. ab Asiens.* & cum ipso, *cap.* 1. *division.* 1. *n.* 11. *fol.* 38. & 39. reum unanimiter damantes lethalis culpæ, non obedientem Summo Pontifici strictè præcipienti, & sub pœna excummunicationis. Unde *Suar. de Legib. libr.* 5. *cap.* 3. *n.* 2. ait, quod nemo dubitat, quin obliget in conscientia ad actus præceptos, vel prohibitos, quia spiritualis pœna, maximè solet imponi propter contumaciam, quæ non est sine inobedientia, & culpa, utique mortali, sine qua nunquam contrahitur excommunicatio (inflicta in dicta Bulla *Clementis IV.*) quæ censura, & pœna gravissima, supponit semper mortalem culpam (*alias lex, & præceptum foret iniquum, imponendo pœnam gravem pro levi culpa. Sayrus in Clavi Regia lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 25. cum communi sententia *Sanch. in Decal. lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 43. & 64. cum pluribus aliis ibi relatis. *Carolus Antonius Thesaurus de Pœnis Canonicis par.* 1. *cap.* 4. & aliis omissis. *Avila de Censuris p.* 2. *cap.* 5. *disp.* 1. *dub.* 2. *Vers. Ex dictis*) ut docent omnes, præcipuè *Navarr. in Man. cap.* 23. *nu.* 53. ubi expressè sic: *Ad mortale obligat lex, quæ præcipit, aut vetat aliquid sub pœna excommunicationis majoris, aut simpliciter sub pœna excommunicationis, quia de majori intelligitur capit. pen. de sentent. excommun. sive adaatur ipso jure, sive non. Sic de æterna indignatione Dei, & Sanctor. Petri, & Pauli, aut alia simili, quæ solum in statu infelici peccati mortalis locum habet.* Hinc sequitur.

1354 Notandum tertiò, contra facientes iis rebus, quæ imperantur cum Clausula supra posita in relata Bulla *Clem. IV. Nulli ergo hominum liceat, &c. Et si quis hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & B. B. &c.* peccare mortaliter, quod docent (præter *Navar. l. c.*) *Peyrinus de Privileg. tom.* 1. *in Constitut.* 3. *Sixti IV. §.* 4. *n.* 7. ubi: *Nota circa illam Clausulam (indignationem Dei, &c.) quod contrafaciens peccat mortaliter, quia hoc est virtualiter obedientiæ præceptum in virtute Spiritus Sancti. Barbosa Clausula* 91. *Nulli ergo hominum liceat, &c.* ubi *n.* 1. *Eum qui sine justa, & rationabili causa dispositioni Apostolicæ non paruerit, indignationem Dei Omnipotentis, ac B. B. Petri, & Pauli Apostolorum ejus incursurum, habetur in fine Bullarum Apostolicarum; nam ut dicitur in Cap. Qui resistit* 11. *qu.* 3. *Qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit. Unde S. Jo: Chrysostomus in Cap. Si nemo* 11. *qu.* 3. sic ait: *Nemo contemnat Ecclesiastica vincula, non enim homo est qui ligat, sed Christus. Et ideò peccare mortaliter, &c. Tamburin. de Jure Abbat. to.* 1. *disp.* 18. *qu.* 6. *n.* 9. Ubi: *Hæc clausula (Indignationem, &c.) quæ consuevit apponi in Privilegiis Apostolicis, facit, ut illi contravenientes, mortaliter peccent, quia hoc est, virtualiter, obedientiæ præceptum in virtute Spiritus Sancti. Antonius à Spir. S. in Director. Regular. par.* 1. *tract.* 1. *disp.* 1. *sect.* 5. *nu.* 97. *Dicta clausula facit, ut contravenientes peccent mortaliter, quia hoc est virtualiter obedientiæ præceptum in virtute Spiritus Sancti. Lezzana* ad eandem Clausulam, ubi,

ubi, *Arguit culpam mortalem. Suar. de Legib. lib. 4. cap. 18. n. 3.* & communiter omnes, docentes etiam (tum Theologi, tum Canonistæ apud, & cum *P. Ab Ascens. cap. 1. divison. 1. n. 11. Vers. Nota tertio, fol. 39.*) eandemmet Clausulam obligationem inducere sub mortali, absque alia declaratione.

1355 Notandum quartò: Clausulam *Irritum, & inane*, positam, & in supra posita *Clem. IV. Bulla* (uti, & in aliis Bullis, ac Pontificiis præceptis) tollere omnem consuetudinem, & præscriptionem in contrarium. Non enim induci potest consuetudo, vel præscriptio contra legem habentem Decretum irritans, quia hoc tollit omnem consuetudinem: *Boer. decis. 1. n. 49. & 50. Covarruv. par. 4. cap. 6. §. 10. nu. 35. Rota par. 4. to. 3. decis. 574. nu. 26. & 27.* Lex enim irritans, facit personam inhabilem; consuetudo autem non potest tollere incapacitatem. *Decius in cap. Novit. de Judic. n. 84. Felin. & Aymon. cum Suar. lib. 7. cap. 19. n. 13.* Apud eandem *Rotam n. 28.* Decretum irritans, inficit titulum, & possessionem, & operatur nullitatem usque ab initio, *cap. Si eo tempore, de elect. in 6. Cassiodor. decis. 1. de restit. spoliat. nu. 7. Puteus lib. 1. decis. 386. Rot. par. 4. to. 2. decis. 312. nu. 39. & 40. & par. 7. decis. 279. fin.* ubi, quod præscriptio impeditur per Clausulam: *Sublata*, & per *Decretum irritans*. Talis autem naturæ est Decretum irritans, quod inficit, & destruit omnem contrariam consuetudinem; non solum præteritum, sed etiam futurum impedit, ne introducatur: *Felin. in cap. cum accessissent, de Constitut. n. 30. Vers. Quartò limit. Ruin. lib. 2. consil. 13. n. 13. cum aliis. Rota par. 5. to. 2. decis. fin. n. 24.* Sensus igitur hujus Clausulæ est irritare, seu annullare omnia, quæ in contrarium fiunt: *cap. c. Si eo tempore, de electione in 6. Barbosa clausula 40. n. 2. & n. 34.* ubi subdit, *tollere præscriptionem*, & *nu. 35.* resolvit, *tollere etiam consuetudinem in præteritum, nedum in futurum. Gonzalez ad Regul. 9. Cancell. Gloss. 67. n. 12. Tambur. qu. 6. cit. nu. 47. Jo: Petrus Moneta, de commutationib. ultimar. voluntatum cap. 7. nu. 250.* Quo tamen *ad tollendam præscriptionem*, concedit quidem esse, etiam effectum hujus Clausulæ irritantis (cum communi) sed limitat, id intelligendum esse de præscriptione futura, non autem præterita per quam fortassè acquisitum jam fuerit jus tertio, cui non censetur Princeps velle præjudicare, nisi exprimat. *Antonius à Spiritu S. sect. 5. cit. n. 89. Peyrin. ad Constitut. 23. Leonis X. n. 5.* ubi in fine, advertit cum *Mendoſ. in tr. de Monit. n. 46. Vers. Exemptus à Jurisdict. quod Privilegio, habenti istam clausulam, non potest renunciari, etiam de consensu partium. Pasqualigus in Fraucbum par. 1. nu. 837. P. Ab Ascensione divison. 1. cit. sub n. 14.* & alibi: & alii apud citatos, & communiter; quorum aliqui docent, præcipuè *Gonzalez l. c. nu. 14. & Barbosa l. c. n. 7.* dictam Clausulam ligare etiam ignorantes, quo ad nullitatem actus contrarii, & prohibiti. Et idem *Pasqualig. n. c.* ait: *Decretum irritans operatur, quod per actus contrarios tanquam nullos, non præscribatur Privilegium, ut tradunt Felin. in cap. cum accessissent num. 30. Vers. Quartò limita, de Constit. Anton. Gabr. lib. 6. commun. conclus. Tit. de clausulis concl. 3. n. 39. & 44. Menoch. Præsumpt. 41. n. 10. lib. 6. Moneta de Conservatorib. cap. 10. nu. 430.* Vide *Rodriquez tom. 3. qq. Regul. quæst. 51. art. 6.* ubi docet, Privilegio prohibitivo, in quo adest Decretum irritans, nec nullo temporis spatio, per actus contrarios renunciari posse, pro quo refert *Archidiaconum*; *Jo: Andream*, *Giminianum*, *Rotæ Decisionem*, *Lasonem*, & alios. Addit tamen in fine: Privilegia quibus Religionibus prohibetur aliquam inferri molestiam, continentia quod irritum sit, & inane, quidquid aliud super eo fuerit attentatum, posse per contrarios actus ab ipsis Religionibus renunciari, *dummodo talis renunciatio fiat ab his, quibus renunciandi committitur potestas*. At si sermo sit in hac additione de *Privilegio Exemptionis*, de quo hic, jam patet ex dictis, quod respectu hujus non habet locum renunciatio, nec alicui potestas renunciandi eidem commissa est, neque Generali ipsi, vel capitulo Generali, nec etiam toti Religioni, absque assensu Summi Pontificis, ut supra. Igitur

1356 Ex allata *Bulla Clem. IV. sub n. 174.* ex sequenti *Cælestini V.* (& aliis, tenoris consimilis, de quibus in subsequentibus) evidenter constat R. R. Parochos Ecclesias Regularium occasione funerum, cum Stola, &c. ipsis Regularibus invitis ingredientes, & in aliquo se intromittentes, ut in quæsito, reos esse ipso facto lethalis culpæ nedum, verum etiam nullas esse suspensiones, excommunicationes, aliasque censuras, si quæ ferantur adversus ipsos Regulares, contradicentes ingressui, &c. bene tamen ipsos Parochos attentantes ingressum, &c. in Ecclesias Regularium istis invitis esse majoris excommunicationis censura ligatos, &c. ut expressè infra. Adde esse taliter reos, sicque ligatos, etiam effectu non sequuto, attentato tantummodo: ad violanda enim prædicta hujus Bul-

læ

læ (& aliorum consimilium) præcepta, sufficit attentasse, ut patet expresse ex illis verbis: *Si quis hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, &c.* Sic etiam communiter Doctores, præcipuè *Carolus Antonius Thesaurus de Pœnis Canonicis par.* 2, *Verbo Conclave cap.* 9. *Vers. Nota etiam.* Ubi sic: *Sufficit ad incurrendas pœnas, & censuras istas attentatum, seu conatum, dummodo interveniat aliquis actus proximus, v. g. accessus ad domum cum impetu* (ad portam Ecclesiæ cum impetu in casu nostro) *vel fractio Ianuæ, quia lex puniens attentatum, intelligitur de attentato per actum proximum.* Quis autem dicatur actus proximus. Vide *Farinac. in Praxi crimin. quæst.* 123. *n.* 106. & *q.* 124. *n.* 8. Hæc apprimè advertant D.D. R.R. Parochi, & contremiscant: Quæ dicta sunt hic, & ulterius dicuntur de eorum culpa lethali, & excommunicationis censura, non sunt simpliciter speculationes, non nuda verba; sunt mandata, ac præcepta vera, & realia, ab eo supremo, ac summo ordinata, cui Christus D. N. dixit: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis.* Sed jam assumptum ordinem prosequamur.

1357 *Cœlestinus V. Anno* 1294. in Bulla, quæ incipit: *Et si cunctos Ordines*, edita pro Monacis Benedictinis præsentibus, & futuris in perpetuum (& habetur in *Bullario novo Romano to.* 1. *fol.* 153.) ait sic §. 29. *Nullisque Religiosis, vel Secularibus, cujuscumque status, vel conditionis existant, liceat aliquorum corpora Defunctorum, vobis invitis (quod prohibemus) penitus in vestris sepelire cœmeteriis, nec in Monasteriis, Ecclesiis, Prioratibus, & aliis locis vestris Missarum Solemnia, vel mortuorum Officia celebrare.* Et §. 39. *Nos enim ex nunc decernimus irritum, & inane, quicquid contra tenorem concessionum, constitutionum, & inhibitionum hujusmodi omnium, & singulorum etiam, quæ superius sunt expressa, per quoscumque attentatum est, vel in posterum contigerit attentari. Et interdicti, suspensionum, & excommunicationum sententias, si quas contra præmissa, vel aliquod præmissorum, in vos, vel in vestrum aliquem, sive aliquos, aut loca vestra, aut executores à quocunque, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, aut honoris, vel status existat, in posterum contigerit promulgari, volumus eo ipso penitus non tenere.*

1358 Hæc Bulla est quidem edita pro Monachis Benedictinis, ut patet; sed Privilegia eisdem in ipsa concessa, sunt communia omnibus Religionibus, quia (ut supra diximus; & certum est) Religiones omnes communicant in Privilegiis, quod melius, nec alia ratione probari potest (inquit optimè *Bordon. res.* 52. *n.* 66.) quam referendo in genere eademmet communicationis Privilegia; & hoc ipse accuratè, ac diligenter facit *à nu.* 66. *c.* videatur, ibi enim ex professo, excellenterque *de Privilegiis Regularium.* Continet præterea hæc Bulla (ut constat) eandem clausulam nedum (quæ extat in antecedenti *Clem. IV.*) quo ad reatum lethalem, verum etiam irritat pariter (ut idem *Clemens*) annullat, atque inane declarat, ulliusque valoris, ac effectus, quodcumque attentatum contrarium. Ex qua clausula infertur iterum apertissimè (ut supra etiam ex eadem deductum est) idem attentatum, vel actum, nec posse unquam præscribere, neque præscriptionem ullam incipere: hujusmodi enim clausula (ut etiam supra) facit actum nullum ipso jure, & annullat quidquid in contrarium fit, *cap. Si eo tempore de election. lib.* 6. & probat *Barb. cum aliis, clausula* 40. & idemmet *Axiom.* 174. ubi item cum aliis probat: *Paria esse, non esse, vel esse nullum. Non fieri, & inutiliter fieri*, consequenter, actum nullum esse, & esse sine effectu, paria esse probatur. Unde meritò per eundem *Barbosam* (ibi) *Paria sunt, non fieri, & invalide fieri. Non fieri, vel non sortiri effectum. Nullum esse, vel esse sine effectu, &c.* Et eadem clausula, sive Decretum irritans, ligat etiam ignorantes, non solum si adsint verba, *scienter, vel ignoranter contigerit attentari*, ut in casu *cap. cit. Si de eo tempore:* verum etiam si non adsint: ut probat *Text. in cap. Dudum, & in cap. Si Beneficia, de præben. in* 6. ut observant *Felin. in cap. Cæterum, n.* 37. *de rescription. Flaminius Parisius de Resignat. Benef. lib.* 5. *qu.* 6. *n.* 220. addens tantum *nu.* 221. *respectu pœnæ solum, non ligari ignorantes. Erasmus à ChoKier de Iurisdiction. Ordinarii in Exemptos p.* 2. *qu.* 5. *n.* 16. Ubi: *Cujus Clausulæ ea est vis, ut liget etiam ignorantes cum à Papa adiicitur* (ut in casu nostro) *Marta de clausulis par.* 1. *clausula* 255. *n.* 12. *Barbosa Clausula cit.* 40. *nu.* 7. & 8. aliique plures apud ipsos. Verum quidem est, quod apud R.R. Parochos non datur in casu nostro hujusmodi ignorantia, & si daretur (justa, & probabilis) excusaret quidem eosdem (ut optimè etiam innuit *Parisius*) à reatu, & ab excommunicationis censura: non tamen eorundem conatus, & operatio, ob Decretum irritativum, alicujus esset valoris, efficaciæ, vel effectus, ut supra; quia hoc Decretum annullat actum ipso jure contra factum; *Maranta cit. clausula n.* 6. cum *Menochio, Gomesio, Brusat,* & aliis supra.

Quod

Quod autem apud R. R. Parochos non detur præfata ignorantia, probatione non eget, cum vbique, & semper (ut constat) contendant iidem R. R. adversus Regulares occasione funerum, prætendentes in eorumdem Regularium Ecclesias Cruce elevata, & cum Stola intrare, & ibi in funeralibus se intromittere, &c. Qua supposita evidenti Parochorum scientia, evidens etiam est, eos scire ad semetipsos non pertinere (nec jus habere) ingredi Ecclesias Regularium cum Cruce elevata, & Stola, neque item jus ullum habere (ibidem) cantandi Responsoria, Psalmos, &c. super Defunctorum cadaveribus, etsi permissi etiam essent id facere. Quo stante, cum sciant Parochi, hoc jus non pertinere ad ipsos, sunt consequenter in mala fide, & ideò non possunt præscribere, *cap. Dudum. Balbus de Præscriptionib. par. 2. principali, septimo quæro, fol. mihi* 128. *nu.* 3. ibi *Quocumque tempore superueniat mala fides, ante perfectam præscriptionem, interrumpitur præscriptio.* Et *n.* 5. addit: *Si uerò mala fides superveniat post perfectam præscriptionem, nihil nocet*; quod utrumque probat juribus, & Doctoribus. *Pasqualig. in Franchum par. pr. n.* 1594. ad hanc eandem rem, cum *Surdo consi.* 276. *n.* 28. *Honded. consil.* 82. *n.* 39. *lib. pr.* & *Merlino decis.* 185. *nu.* 25. Et hinc (ut etiam, & optimè idem *Pasqual. n. c.*) deficit titulus ex parte Parochorum, quia ex tot Bullis, & Declarationibus Sacr. Congregat. (de quibus infra) sciunt utique, aut saltem deberent scire, ad ipsos prædicta non pertinere. Imò cum titulus sit reprobatus, nullo unquam tempore potest præbere justam causam præscriptionis, ut considerat *Surd.* cum aliis *consf.* 276. *n.* 24. apud eundem *Pasqual. n. c.* quem vide. Sed quo ad præscriptionem iterum, & fusius infra.

1359 *Bonifacius VIII. Anno* 1302. in Bulla, quæ incipit: *Inter solicitudines nostras, &c.* Edita pro Ordine Eremitarum S. Augustini, sic habet (apud *Rodericum in Bullario, Bulla* 34. *Sixti IV. fol. mihi* 175. *n.* 3.) *Statuentes, ut nulli Religiosi, vel Sæculares, vobis invitis, aliquorum corpora Defunctorum in vestris Cœmeteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris Missarum Solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi forent, ibidem exequias celebrare, sine vestro consensu, & voluntate præsumant, &c. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc, &c.* ut supra *in Bulla Clem. IV. Dat. Lateran. XVII. Kal. Februar. Pontific. Anno VIII.* Vide *Lezzanam in Mari Magno Eremitarum Sancti Augustini super n.* 3. *§.* 3.

1360 *Gregorius XI. Anno* 1374. in Bulla, quæ incipit: *Virtute conspicuos*: Edita p. r Prædicatoribus, ita *nu.* 29. *Districtius inhibentes, ut nulli Religiosi, vel Sæculares, vobis invitis, aliquorum corpora Defunctorum in vestris Cœmeteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris Missarum Solemnia, vel pro animabus ipsorum, qui ad loca vestra tumulandi fuerint, ibique exequias celebrare, sine vestro assensu, & voluntate præsumant, &c.* Et infra. *Nos autem, ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his, aut eorum aliquo, à quoquam quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc, &c.* Apud *Bullarium Roderici, Bulla* 33. *Sixti Papæ IV.* & *apud Lezzanam in Mari Magno Prædicatorum Bulla Sixti IV.* ibi, *n.* 28. *fol. mihi* 25.

1361 *Martinus V. Anno* 1427. In Bulla, quæ incipit: *Ex Apostolicæ Sedis, &c.* Confirmans prædictam Bullam *Gregorii XI.* Subdit, ut sequitur: *Verum ne dubitationes, & controversiæ, quæ alias non pluribus laboribus, & expensis, de cętero vobis fiant, ex certa scientia decernimus; ut dictum Privilegium Gregorii Papæ XI. in judicio, & extra, in qualibet sua dispositione, inviolabiliter observetur, &c.* & infra. *Nos autem ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his, aut eorum aliquo à quoquam, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo, &c. Rodericus in Bullario, Bulla* 33. *Sixti IV. n.* 36. & *apud Lezzanam in Mari Magno Prædicatorum n.* 36.

1362 *Eugenius IV. Anno* 1434. In Bulla, quæ incipit: *Ad decorem Sacræ Religionis, &c.* Confirmans Bullam *Cęlestini V.* supra relatam, ait sic *n.* 39. *Litteras præfatas, ac quæcunque inde secuta, Apostolica, & certa scientia confirmamus, & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, decernentes, ea obtinere debere, & debuisse robur perpetuæ firmitatis, &c. Nulli ergo hominum liceat, &c. Si quis autem, &c. Dat. Florentiæ Anno Incarnat. Dominicæ* 1434. *V. Kalend. Novemb. Pontific. Anno IV.* apud *Rodericum in Bullario Constitut.* 18. *Eugenii IV.*

1363 Idem *Eugenius IV. Anno* 1439. *IV. Idib. Novembris*, in Bulla, quæ incipit: *Licet debitum Pastoralis Officii, &c.* sic habet: *Nos dilectorum Guillielmi de Casalis Generalis Ordinis Minorum, & Fratrum prædictorum supplicationibus inclinati litteras quasdam fel. record. Clementis Papæ IV. Prædecessoris nostri dicto Ordini concessas, quarum tenorem de verbo ad verbum, inferius describi fecimus, omnia, & singula in eis contenta, pro ipsarum firmiori subsistentia, authoritate Apostolica, ex certa scientia,

ſcientia, tenore præſentium, confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, &c. Rodericus in ſuo Bullario, in Conſtit. 14. *Sixti IV.*

1364 Idem *Eugenius Anno* 1443. *Idibus Aprilis*, in Bulla, quæ incipit: *Romanus Pontifex, &c.* Confirmans ſupradictas Bullas *Gregorii XI. & Martini V.* ſic ait: *Nos quaſdam fœlic. record. Gregorii XI. nec non Martini V. Prædeceſſorum noſtrorum, & conceſſas hujuſmodi confirmatorias litteras, quas diligenter inſpici, & examinari, quarumque tenorem de verbo ad verbum, præſentibus inſeri fecimus, authoritate Apoſtolica tenore præſentium, ex certa ſcientia, innovamus, & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, &c.* & infra: *Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his, vel eorum aliquo à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo, &c.* apud *Rodericum in Bullario Conſtitut.* 33. *Sixti V.*

1365 Hic autem nota primò, ly *ex certa ſcientia* (Clauſula poſita in præfatis Bullis) idem importare, ac Clauſula *de Plenitudine poteſtatis*: Unde *Naldus Verbo Clauſula n.* 5. *de Plenitudine poteſtatis, vel ex certa ſcientia, idem eſt. Antonius à Spiritu S. Clauſula* 8. *Ex certa ſcientia: Hæc Clauſula idem importat, ac de plenitudine poteſtatis, hoc eſt de poteſtate abſoluta. Barboſa Clauſula* 41. cum aliis ibi citatis *num.* 8. *Et Clauſula* 59. *n.* 2. cum aliis pluribus pariter idem. Qui item *n.* 3. aliis citatis; ait; Clauſulam prædictam *ex certa ſcientia*, habere etiam vim Clauſulæ *non obſtante*. Et *num.* 4. vim Clauſulæ *Motu proprio*. Facit autem eademmet Clauſula *ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis*, ut nihil operari poſſit contra Privilegium, & quod nihil opponi poſſit; quod ipſummet Privilegium, & gratiam annullet, *Barboſa Clauſula c.* 41. *n.* 20. *&* 21. *Tambur. de Jure Abbat. diſp.* 18. *q.* 6. *n.* 29. *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 15. *nu.* 3. aliique plures ab iiſdem allegati, omiſſis aliis pluribus ad hanc eandem *Clauſulam*: Quæ ſi inquam facit, ut nihil operari queat contra Privilegium per citatos Doctores: Ergo facit, ut in Eccleſias Regularium ingredi Parochi cum Stola, aut Cruce, &c. occaſione funerum minimè poſſint, cum hoc idem ſit operari contra Privilegiū, ut patet.

1366 Nota ſecundò, eandem Clauſulam *ex certa ſcientia, & motu proprio*; habere etiam vim novæ conceſſionis; ut docent, idem *Antonius à Spiritu S. Clauſ.* 8. *cit.* ubi: *Hæc Clauſula habet vim novæ conceſſionis, ut ex Gloſſa, & Felino; quos refert, & ſequitur Archangelus de Privilegiis lib. pr. cap.* 4. Quibus addo *Barboſam Clauſul.* 59. *nu.* 19. *Lezzanam Verbo Clauſula nu.* 29. *& Verbo Privilegia Regularium n.* 23. *Andream Mendo in Epitome, Verbo Privilegium nu.* 2. *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 28. *Thomam Hurtadum Variarum Reſolutionum Moralium par.* 2. *tract.* 8. *cap.* 6. *reſol.* 54. *n.* 557. *Hieronymum Rodericum in Compend. reſol.* 52. *n.* 41. *Peyrinum in Formulario Litera C. cap.* 28. *n.* 4. *Palaum to. pr. tract* 3. *diſp.* 4. *punc.* 2. *§.* 10. *nu.* 3. *Bordonum reſol.* 52. *n.* 137. Alios plures brevitatis gratia omitto, qui cum allegatis ſcribentibus de Privilegiis continentibus Clauſulam *ex certa ſcientia*, communiter omnes conveniunt, concedentes (ut in hoc notabili) hujuſmodi Clauſulam effectum habere novæ conceſſionis. Quamvis enim nonnulli, & Claſſici etiam DD. (inter quos præcipuè ſubtiliſſimus noſter *P. Paſqualig. qq. Moralium Canonicarum cent.* 2. *quæſt.* 107.) limitent, quando ſcilicet, Privilegium eſt conceſſum, non in forma (ut dicunt) communi, ſed in forma ſpeciali, & ſpecifica, cum in tali ſpecifica forma (ut infra) conceſſum fuerit, & fuerint Privilegium, & Privilegia, de quibus loquimur in hoc notabili, & in præcedenti: hinc eſt, quod per omnes Doctores Clauſula *ex certa ſcientia*, in ipſis Privilegiis (de quibus nos hic) à Summo Pontifice inſerta, importat aſſertum effectum novæ conceſſionis. Hinc obiter

1367 Nota hic tertiò: Duplicem eſſe (per omnes) formam confirmationis Privilegii (quæ etiam, ut ait *Palao to.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 2. *§.* 10. *to.* 1. nonniſi in Privilegii jam conceſſi confirmatione locum habet.) Una dicitur in forma cummuni, *ex cap. Quia diverſitatem, de conceſ. præb.* Altera appellatur in forma ſpeciali, ſeu ſpecifica (vel per tot, & tot Doctores confirmatio *ex certa ſcientia*) de qua *cap. Sicut primo de Tranſactionib. tit.* 36. ibi: *Pleniſſimæ notionis.* Ubi notat *Gloſſa*, quod ea, quæ ſunt infirma, & minus valida, per hanc confirmationem, *recipiunt firmitatem.* Confirmatio in forma communi, eſt ſimplex, & pura confirmatio, ideſt in confuſo (ut dicunt *Portel. Verbo Privilegii confirmatio n.* 27. *Lezz. Verbo cit. privileg. Regularium num. cit.* 23. & alii) hoc eſt, ſicuti jacet in prima conceſſione, ſive examine, &c. & hæc confirmatio nullum jus novum confert per Doctores, nec validum facit Privilegium, ſi antea non erat: cum talis confirmatio non ſit

concessio privilegii, sed pura roboratio pro statu in quo erat, *cap. cit. Quia diversitatem*; & aliis juribus. Confirmatio verò in forma specifica, seu speciali est, quando secundum suam specificam formam, & omnes ipsius circumstantias facta est, quod evenit, quando in confirmatione ipsa ponitur, & inseritur tenor rei confirmatæ, secundum totum suum esse determinatum, juxta *cap. Venerabiles, de confirmat. utili*, ibi: *Et ad majorem rei evidentiam, litteris confirmationis, tenor compositionis insertus*: ubi *Glossa* addit, illam confirmationem fuisse *ex certa scientia, quia Papa, cum eam viderit, confirmavit*. Ita enim facta confirmatio, inserendo videlicet ad unguem tenorem rei confirmatæ, constat utique, quod ipsa sit volita in specifica forma, & ita volita, ac si de novo fieret, essetque concessa, consequenter *verè concessa ex certa scientia*.

1368 Addo, *verè concessa ex certa scientia*, quia juxta doctrinam, quam cum aliis pluribus, tradit *P. Pasqual. q. cit.* 107. clausula hæc *ex certa scientia*, non sufficit, ut confirmatio sit in forma specifica, sed præterea requiritur, quod sit insertus tenor rei confirmatæ, aut saltem ejus substantia, ut enim hæc Clausula operetur effectum confirmationis in specie, debet re vera procedere ex scientia confirmantis informati, ita ut in ipso confirmante præcedat plena notitia in specie, & informatio de re confirmata, quod nobis innotescit affuisse ex tenore inserto (saltem quo ad substantiam) in ipsa confirmatione posito. Et ratio est (inquit idem *Pasqualig.*) Tum quia Clausula *ex certa scientia*, stat relativè ad ipsam cognitionem Principis confirmantis, ideòque ex sui natura, non plus extenditur, quam scientia ipsius extendatur, ergo non potest habere effectum aliquem, nisi fundatum in scientia ipsius: ergo nec etiam innotescere nobis potest, quam vim habeat, & quantum extendatur, nisi etiam nobis innotescat in specie, quænam scientia fuerit in Principe confirmante, cum res ita se habeat ad cognosci, sicut se habet ad esse, & quę sint talia dependenter ab alio, & relativè ad ipsum nobis, non possunt innotescere, nisi & ipsum innotescat. Tum quia, conconfirmatio in forma specifica, non potest provenire à Principe confirmante, nisi ab ipso sit volita secundum suam specificam formam, non potest autem sic esse volita, nisi mente ita concipiatur, & sit illi sic cognita, nec potest mente sic concipi, nisi cognitio confirmantis tendat in illud speciale, quod confirmat secundum omnes ipsius circumstantias, confirmatio nanque in forma specifica importat, quod res in specie secundum suum esse determinatum, & circumstantiatum, ita confirmetur, ut ex voluntate confirmantis absolutè valorem accipiat, ac si ab ipso de novo fieret. Quando autem confirmans, non inserit tenorem rei confirmatæ, aut non constat habuisse plenam informationem, non dat valorem rei secundum esse determinatum; nec declarat suam voluntatem, quod tendat in rem confirmatam secundum tale suum esse determinatum, & circumstantiatum: Voluntas autem, quæ non exprimitur pro forma specifica, non valet pro forma specifica, quia solum tantum operatur, quantum se declarat velle operari. Tum etiam quia, non potest alicui aliquid esse voluntarium, quin sit illi cognitum, cum voluntarium sit, cujus principium est intrinsecum cum cognitione, ut communiter docent cum *Arist.* 3. *Ethic. cap.* 1. *D. Damasceno lib.* 2. *Orthodoxæ Fidei cap.* 24. *D.Tho.par.* 2. *qu.* 6. *art.* 1. *in Corpore*. Hinc certum est, quod ignorantia reddit involuntarium, quidquid ignoratur ignorantia antecedenti per omnes, cum eodem *Aristot.* 7. *Ethic. cap.* 1. & *D. Tho. p.* 2. *qu.* 6. *art.* 8. Unde faciens actum turpem, si invincibiliter ignorat turpitudinem, non peccat, quia videlicet nil volitum, quin præcognitum: cum voluntas non possit amplecti aliquid, vel respuere, quod ipsi non proponatur per cognitionem. Ex quo fit, quod confirmans, non possit velle per suam voluntatem aliquid operari, quod non cognoscat, atque adeò, non possit ipsius confirmatio sortiri effectum aliquem, ad quem non dirigatur cognitio. Unde si non habet cognitionem præcisam, & specificam rei confirmandæ, non potest velle confirmare in forma specifica, quia jam nec cognitio, nec intentio terminatur in forma specifica ad rem confirmandam.

1369 At clausula *ex certa scientia* (prosequitur idem *Pasqual.*) id non explicat, non solum, quia est æquivoca, cum referri possit ad scientiam juris, & ad scientiam facti; sed etiam, quia non explicat in specie voluntatem Principis, & intentionem ipsius, atque nec quid in specie operatur; unde confirmatio, utpotè non explicata in forma specifica, non est in forma specifica. Non est autem inquam explicata per dictam clausulam in forma specifica, quia eadem clausula per Doctores communiter, præcipuè allegatos ab eodem *P. Pasqualigo qu. cit. n.* 4. non operatur circa ea, quæ in facto consistunt, de quibus præsumitur Princeps

non habere notitiam, sed tantum quo ad ea, quæ juris sunt, quæ præsumuntur à Principe non ignorari, cum habeat ipse jus in pectore, *Cap. Licet de Constitut. in* 6. ibi: *Qui jure omnia in scrinio pectoris sui censetur habere*. (Quomodo autem hoc intelligendum sit, & explicandum. Vide *Petrum Mariam Passerinum in pr. lib.* 6. *Decretal. Super d. Cap. Licet* 1. *de Constitution. à fol.* 7.) Igitur quando non est insertus in confirmatione tenor rei confirmatæ, aut non constat de informatione Principis, & quod ipsi innotuerit, Clausula *ex certa scientia*, nihil operatur circa ea, quæ sunt facti: etenim *scientia* hic æquivoca est, ut supra, cum possit referri ad scientiam juris, & ad scientiam facti, ideò, &c. Videantur D. D. citati *à Pasqualig. d. n.* 4.

1370 Et si huic doctrinæ opponas, clausulam *ex certa scientia* operari, ut habeatur præsumptio informationis in Principe, ut latè tradit *Alexand. conf.* 15. *num.* 2. *lib.* 5. *&* *Rota apud Farinac. decis.* 180. *n.* 2. *part.* 1. *recent.* Respondet idem *P. Pasqualig. n.* 8. huic præsumptioni obstare praxim ipsam, quia talis clausula, & aliæ similes solent de consuetudine apponi, etiam si Princeps non fuerit in specie informatus; sed solum signaverit supplicationem, in qua tamen non continebatur informatio in specie. Hinc cum *Sixtus IV.* confirmasset privilegia Minorum cum clausula, *Ex certa scientia*, *Motu proprio*, *Mera voluntate*, *& de novo concedimus*: *Julius II. in Bulla*, quæ incipit: *In militantis Ecclesiæ agro*, apud *Rodericum to.* 1. *Bullarii n.* 4. ait, non fuisse confirmata privilegia, quæ non erant in usu, & revocata, ibi: *Et per confirmationem dictorum privilegiorum*, *per Sixtum ipsum prædecessorem factam*, *ac eorundem privilegiorum*, *novam concessionem*, *per Verba de novo concedimus*, *solummodò esse confirmata Privilegia dicto Ordini concessa*, *& non aliàs revocata*. Fuissent autem confirmata, si clausula *ex certa scientia* apposita, faceret, quod confirmatio, esset in forma specifica: nam talis confirmatio restituit privilegia amissa, cum sit nova concessio. Hinc hujusmodi Clausula vim non habet novæ concessionis, nisi constet, quod Princeps habuerit plenam notitiam, ut notat *Rota decis.* 666. *n.* 7. *par.* 1. *recent. apud Farinac. & decis.* 192. *nu.* 2. *par.* 1. *recent. apud eundem*. Unde ad summum causat præsumptionem informationis, quando confirmatio versatur circa aliquod unum determinatum, ut notat *Farinac. Claus.* 59. *nu.* 54. *in fine*. Hactenus *P. Pasqualig. quæst. cit.* 107. cujus doctrina (hic obiter quidem, sed non extra rem, ut mox, allata) solidum, validunq; fundamentum habet, ut constat: ab eodenque extensa videtur *qu.* 108. 109. 110. *&* 111. ad sequentes etiam Clausulas, videlicet *Motu proprio*. *Supplentes omnes defectus*, *&c. Quorum tenores pro expressis habeantur*, *ac si de verbo ad verbum essent inserti*. *De plenitudine potestatis*. Ad has inquam etiam Clausulas extendit, idem *Pasqualig.* doctrinam allatam, & sententiam suam, quia nimirum tales Clausulæ neque divisim, neque conjunctim sufficiunt, ut confirmatio sub iisdem concessa, sit in forma specifica, nisi sit insertus tenor rei confirmatæ, aut ex ipsa confirmatione colligatur, quod Princeps plenè informatus fuerit de negotio, de quo agitur. Dictæ nanque Clausulæ non inducunt plenam, & perfectam cognitionem rei de qua agitur, & consequenter neque explicitam, & determinatam intentionem, qua velit in specie confirmare. Unde cum non possit fieri, quod ignorans concedat, vel concessum confirmet (si quidem deficit consensus, *leg. Mater decedens*, *Cod. de inofficioso Testament.* qui non potest tendere in ignotum) non possunt esse in specie confirmata, quæ in specie non sunt cognita, & in Principe non præsupponuntur cognita, nisi ea, quæ juris sunt, & proindè præfatæ Clausulæ non operari circa ea, quæ sunt facti, nisi eis utens, plenè de negotio, super quo eis utitur, informatus fuerit, ut docent tot Juristæ, quos refert idem *Pasqual.* Qui ex hac sua, & aliorum doctrina, ac sententia.

1371 Deducit primo *qu.* 110. *n.* 7. Quod si in confirmatione dicatur, quod confirmantur Statuta, Constitutiones, Privilegia, partes omnes, singuli articuli, & quicquid ipsa concernunt, & addatur Clausula: *Quorum tenor pro expresso habeatur*, *ac si de verbo ad verbum esset insertus*, adhuc confirmatio erit in forma communi, quia non inseritur substantia rei confirmatæ; & expressio illa singularum partium, articulorum, &c. est confusa, cum nihil certi exprimat; unde nec Princeps ostendit, se habere intentionem determinatam, ut opus esset pro confirmatione in forma specifica; quia cum intentio non feratur in incognitum, non potest velle confirmare in specie, & determinatè quicquid in singulis partibus, & articulis continetur, nisi de ipso in specie habeat explicitam cognitionem, nec declarare se confirmare, nisi declaret, se habere; quo secluso, dicta Clausula nihil operatur, quia non supplet defectus intentionis, ut tradunt *Parisius consil.* 74. *n.*

74. *n.* 55. *lib.* 4. *Rota in Ostiensi Affictus* 23. *Maii* 1614. *coram Patriarcha Pamphilio*, & ideò nihil operatur circa non expressa, ut notant *Decius consil.* 542. *Vers. Non obstat. Anton. Gabr. commun. conclusion. libr.* 6. *Tit. de Clausulis conclus.* 5. *n.* 17. *Rota in Valent. Decimarum* 28. *Novembr.* 1603. *coram Lancelloto jun.* Quia circa ipsa non præsumitur intentio Principis, utpotè ignorata.

1372 Deducitur secundo *nu.* 8. Quod si Princeps committat examinanda, quæ confirmanda sunt, & postea ex relatione confirmet, absque eo, quod inferat in confirmatione substantiam rei confirmatæ, cum Clausula: *Quorum tenor pro expresso habeatur, ac si de verbo ad verbum, &c.* talis Clausula nihil operabitur, quia non habet efficaciam circa narrata ex relatione aliorum, sed tantum, quod ad narrata per se, ut tradunt *Angel. in leg. Sed si quis, §. Quæsitum. Vers. Item dicas, ff. Si quis caut. Fulgos. ibid. Vers. Dubitat Angelus. Dec. consil.* 141. *Vers. Non obstat Clausula. Ripa in c.* 1. *n.* 8. *de rescript. Gabr. lib.* 6. *commun. conclus. Tit. de Clausulis conclus.* 5. *n.* 40. *Giunipar. in defens. Juris Pontific. disp.* 2. *quæst.* 4. *cap.* 2. *n.* 28. Tunc enim Princeps non habet certam, & explicitam cognitionem tenoris, qui pro expresso habetur, sed solum obscuram, & fundatam in aliena attestatione, per quam non innotescit tenor rei confirmandæ, sed ad summum sola substantia, & ideò non potest intentio ipsius ferri in ipsum tenorem cum sit illi ignotus; atque adeò, nec facere, quod habeatur pro expresso.

1373 Hæc doctissimus *Pasqual.* quæ hic recensui, ut ad rem nostram apertissimè constet, quod admissa etiam hujusmodi doctrina, ac rigida nimis sententia, præcisisque clausulis prædictis; Confirmatio ejusdem nostri privilegii, in favorem Regularium, toties in allatis Bullis, & etiam in mox referendis repetita, sit utique in forma specifica, consequenter nova semper concessio. In quacumque enim confirmatione (ut patet ex textu ipso Bullarum) insertus est idem tenor rei concessæ, clarus, certus, & explicitus, qui est hujusmodi, quo ad substantiam (si non ad verbum) in quibusvis confirmationibus: *Nulli Religiosi Sæculares, vobis invitis aliquorum corpora Defunctorum, in vestris Cœmeteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris Missarum Solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi forent, ibidem exequias, vel mortuorum Officia celebrare, aut in aliquo sine vestro consensu, & voluntate se intromittere, &c. præsumant, &c.* Cæterum recensita *Pasqualigi* sententia; (cui adhæret etiam *P. Diana to.* 7. *Coord. tract.* 1. *res.* 253. *Ex par.* 11. *tract.* 2. *& Miscell.* 2. *res.* 7. cum aliis ibidem ab ipso relatis) quamvis sit valdè probabilis: nihilominus habet suas difficultates, & *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 18. *nu.* 14. uti & *Merollæ to.* 3. *Theolog. Moralis disp.* 6. *cap.* 2. *Titul. de Multiplici divisione Privilegii nu.* 204. *fol. mihi* 64. Videtur *nimis scrupulosa*. Nimis inquam scrupulosa dico, & ego cum eodem *Merolla*: *Tum quia* aliter omnes Principis, & Pontificis concessiones *ex certa scientia*, redderentur incertæ, & præsertim confirmationes Privilegiorum. Quis enim scire potest an Princeps, vel Papa præsciverit, & exactè examinaverit valorem Privilegiorum Regularium, quę confirmare intendit? vel licet præcesserit examen, unde constare poterit, an intellexerit, & præcognoverit illorum nullitates, & defectus? an habuerit notitiam, Privilegia quæ confirmat amissa fuisse per non usum, vel contrarium usum, aut ab aliis Pontificibus revocata fuisse.

1374 *Tum quia* præsumitur Pontifex habere scientiam, quam profitetur, alias præsumeretur in mendacium. Quapropter, & si Pontifex non habeat exactam notitiam eorum Privilegiorum, quæ confirmat, censetur tamen, & præsumitur habere efficacem voluntatem confirmandi Privilegia amissa, vel revocata, sicut opus est, & indigent: & hæc voluntas haberi potest sine cognitione rei, pro ut est in se; & sufficit ad conferendum valorem, & validandum Privilegia, si quæ fortè in se sint nulla, & revocata, etiam si eorum nullitas, & revocatio Pontifici esset ignota. Quemadmodum Religiosus dubitans de valore suę Professionis, illam ratificat per novum consensum, & potest dici ratificatio *ex certa scientia*, non quia agnoscat illam esse nullam, sed quia non cognoscit fuisse validam, & nihilominus absolutè vult nunc illam de novo facere, & validare, si necesse sit. Et sicut etiam practicatur in absolutione Censurarum, in collatione Beneficii, & dignitatis; nam absolvuntur Beneficiati, & Personati ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si fortè reperiantur quoque modo innodati, ad effectum dumtaxat illorum consequendum, pro ut est videre in eorum Bullis. Quod item faciunt Regularium Superiores in Magnis Festivitatibus, in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, &c. suos nanque tunc absolvunt subditos, & cum illis dispensant super irregularitatibus, si quam,

vel si quas contraxerunt, juxta facultatem ipsis traditam per eorum Privilegia, & specialiter; & tamen (sic arguit etiam *Hyacintus Donatus, Rerum Regular. to. 1. trac. 11. q. 4. n. 12.*) hi Superiores, Subditorum impedimenta, ut in se sunt, hic & nunc haud agnoscunt; quare, scientia non obstante, Superiorum absolutio, seu habilitatio valet, & tenet.

1375 *Tum etiam quia* (ut arguit, & *Merolla l. c. n. 106.*) si non esset satis, addi in litteris Pontificis dictam clausulam, ut dicatur concessio, vel confirmatio facta in forma specifica, & *ex certa scientia*, sed necessarium esset, ut aliundè constet, eam scientiam Pontificem habuisse, nec etiam satis esset in litteris clausula, *de Plenitudine potestatis*, neque etiam sufficeret, si in confirmatione insertus esset tenor privilegii confirmati, quod est contra communem Hujusmodi sequela patet, quia etiam tenore inserto, ex hoc non potest colligi, Pontificem habuisse notitiam, privilegiorum, quę confirmat, amissa fuisse per non usum, vel contrarium usum, aut ab aliis Pontificibus revocata fuisse. Adde cum eodem *Merolla n. 107.* quod ex sententia *P. Pasqual.* sequeretur, frustra addi eamdem clausulam, *ex certa scientia* in concessionibus Pontificiis, quia cum Pontifex non præsumatur ignorare, quæ juris sunt, *cap. 1. de Constit. in 6.* dicta clausula nihil in his operaretur: igitur ut aliquid operetur, debet potius referri, ad ea, quæ sunt facti: Colligendum ergo ex his, probabilius esse, quod concessio, vel confirmatio, ut præsumatur facta ex certa scientia Principis, satis sit, ut in litteris ipsius addatur clausula *ex certa scientia*, quia hæc eadem indicat, Principem fuisse de re certiorem factum, ac proindè censebitur Princeps dispensare super inhabilitate, & confirmare privilegia amissa, vel revocata & idem multò magis censeri debet, quando in confirmatione insertus est tenor, &c. (ut toties supra.) Et quod sic habeatur satis resoluta voluntas Principis ad confirmandum, & confirmata valeant absque eo, quod constet de præscientia Principis, censuit *Rota Anno Domini 1614. coram bon. mem. Buratto die 27. Ianuarii apud Farinac. dec. 513. n. 2. in 2. part. recent. & apud Donatum n. 12. cit. in fine*, & ita tenent *Glossa in cap. Statutum de rescript. in 6. Verbo Litteratum, & Clem. 2. eod. tit. Card. Zabar. consil. 117. Suar. nu. 14. cit. Portel. in dub. Regul. Verbo. privilegii confirmatio n. 27. Palao par. 1. tr. 3. disp. 4. punc. 2. §. 10 n. 3.* aliique innumeri, tum Juristæ, tum Theologi, & ii præcipuè Doctores, qui enumerantes modos, quibus confirmatio censetur facta in forma specifica, ponunt hunc de quo hic, nempè quando in confirmatione apponitur clausula *ex certa scientia*, vel *tenor rei confirmatæ, &c.*

1376 *Nicolaus V. Anno* 1450. *prid. Kal. Maii* in Bulla, quæ (ut refert *P. Io. Chrysost. Ab Ascens. c. 1. divis. 1. fol. 13.* innovans, & confirmans Bullam *Bonifacii VIII.* supra relatam incipit, *Sinceræ devotionis, &c.*) sic habet, apud *Lezan. in Mari Magno Augustinian. n. 32. in fine*. *Nos igitur prædictas litteras, quas in Cancellaria nostra diligenter inspici fecimus, ex certa scientia, authoritate Apostolica ratificamus, approbamus, confirmamus, & innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem. Nulli ergo omnino hominum, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicæ* 1450. *Pridie Kalend. Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.* Constat autem in citatis litteris *Bonif. VIII.* (à nobis etiam supra notatis) prohibitio strictè facta Parochis, ne occasione funerum ingrediantur Ecclesias Regularium ipsis invitis, in eisque, &c. quam prohibitionem *Nicolaus V.* hic confirmat, innovat, &c.

1377 Nota autem hic primo, quod licet confirmatio ipsa in forma specifica, & *ex certa scientia*, habeat ex se vim, ex dictis, & Doctoribus, renovationis, innovationis, ac novæ Privilegii concessionis, consequenter videatur veluti superfluè addita prædicta Clausula, *Innovamus, supplentes omnes defectus, si qui forsitan intervenerint, &c.* (Nam eo ipso, quod per talem confirmationem, seu renovationem *ex certa scientia* Privilegium, vel Privilegia instaurantur, & de novo fiunt, si necessè sit; supplentur utique, ac necessariò omnes defectus juris, & facti.) Non est tamen superfluè addita, nec otiosè, ac sine fructu posita in confirmatione Privilegiorum hujusmodi Clausula: Tum quia (ut optimè etiam *Suar. de Legibus lib. 8. cap. 20 n. 10.* cui, inter alios subscribit *Merolla to. 3. disp. 6. cap. 5. dub. 4. n. 83.*) hæc [& aliæ Clausulę] non semper additur (vel adduntur) propter novos effectus, sed ad majorem rei evidentiam, & ad tollenda omnia dubia, & scrupulos: tum etiam, quia dicta Clausula, vel aliæ, & posteriora verba extendi possunt ad omnes defectus, sive sint contra valorem actus ipso facto, sive licet non invalident ipso jure Privilegium, dent tamen occasionem movendi lites contra illud, & procurandi irritationem illius: per solam autem renovationem, non satis constat,

omnes

omnes hos defectus esse suppletos, sed solum generatim, Privilegium esse validè restitutum. Tertiam addit rationem, idem *Suar. nu. cit.* Videatur.

1378 Nota secundo, quod confirmatio, seu innovatio Privilegii in forma specifica, & *ex certa scientia*, interrumpit præscriptionem inceptam contra idem Privilegium, ita ut debeat iterum incipere, & de novo, à die novæ, & ultimæ confirmationis, seu innovationis Privilegii, quia hæc confirmatio (ut sæpè dictum est) dat novum jus, & valorem exhibet (si non haberet) eidem Privilegio: imò per hoc distinguitur hæc confirmatio ab ea, quæ confertur in forma communi, vi cujus nil novi conceditur, ut colligitur ex *cap. Quia diversitatem, de concessione præbendar.* Et *cap. Examinata, de confirmat. utili.* Ex *cap. Quia intentionis de Privilegiis*, ubi expressè sic: *Cum innovatio, nec jus novum conferat, nec etiam tollat vetus*, & ex *cap. Cum dilecta de confirm. utili.* ubi dicitur: *Per innovationem jus novum non acquiri, sed conservari antiquum.* Hinc communis Doctorum Regula est apud *Suar. de Legibus libr. 8. cap. 18. n. 8.* quod confirmatio Privilegii in forma communi, nullum jus novum conferat, nec det valorem Privilegio, si erat invalidum, ita ut non possit dici concessio Privilegii, sed pura roboratio. Quæ Regula communiter etiam desumitur, ac colligitur *ex citatis juribus*. Et ratio universalis est, quia confirmare non est de novo facere, sed roborare factum; confirmatio autem in forma communi, solum significat in Principe animum confirmandi; ergo nec valorem, nec jus confert de novo ex vi talis confirmationis. Bene tamen utrumque confert confirmatio Privilegii in forma speciali, & *ex certa scientia*, quia hæc habet vim (ut communiter omnes, præcipuè *Suar. l. c. n. 12.*) confirmandi actum etiam nullum, reddendo illum de invalido validum, ergo vim habet concessionis Privilegii, quia validare actum, quod antea erat nullum, planè idem est, quod denuò illud concedere. Unde si Summus Pontifex confirmat Privilegium *ex certa scientia*, & in forma specifica, ut facit in Superioribus allatis, & posterioribus confirmationibus, utique de novo concedit idem Privilegium, quamvis etiam esset nullum (quod certè non est in casu nostro de Parochis) aut amissum per non usum, vel contrarium usum; vel præscriptum completè. Et si non completè, interrumpit (ut supradictum est) præscriptionem inceptam contra Privilegium ipsum, ut communiter DD. præsertim *Donatus tract. cit. 11. qu. 3.* in qua proponens; *An confirmatio, vel innovatio Privilegii, interrumpat præscriptionem inceptam contra Privilegia?* Respondet affirmativè *n. 3.* loquendo de confirmatione, seu innovatione *ex certa scientia*, quia videlicet *hæc dat novum Jus, & valorem Privilegio, &c.* Quantum verò temporis requiratur ad præscribendum completè contra Regularium Privilegia, patebit infra.

1379 *Sixtus IV. Prid. Kal. Sept. Anno* 1474. *in Mari Magno Fratrum Minorum*, quod incipit: *Regimini Universalis Ecclesiæ*, & est *Bulla Sexta* hujus Pontificis, approbans in ipsa *Bullas* supra relatas *Clem. IV. & Eugen. IV.* eidem Ordini concessas, sic ait *§. 3. Nos igitur pro potiori cautela, omnia, & singula per Clementem, & Eugenium, aliosque prædecessores nostros in eisdem litteris, pro, & in favorem dicti Ordinis Fratrum Minorum, quomodolibet ordinata, statuta, decreta, concessa, & indulta, fieri, & servari debere, auctoritate, motu, & scientia de novo ordinamus, statuimus, atque decernimus, ac eidem Ordini Minorum, illiusque domibus, & professoribus concedimus, & indulgemus.* Et infra *§. 17. Districtius inhibentes eisdem locorum Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac Parochialium Ecclesiarum, ac Rectoribus, & aliis quibuscunque, sub excommunicationis latæ sententiæ, & privationis earundem Parochialium Ecclesiarum, ac omnium aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis, eo ipso per eos, qui contrafecerint incurrendis, &c.* Et pariter infra *§. 19. in fine. Nos enim ex nunc, illa, & quæcunque alia, quæ in futurum ordinari contigerit, contra Clementis, Eugenii, aliorunque prædecessorum prædictorum, & præsentium litterarum hujusmodi tenorem, scienter, vel ignoranter attentari, contigerit, irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti esse decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Si quis autem, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Dominicæ Incarnat. quadringentesimo septuagesimo quarto Prid. Kal. Septembr. Pontific. nostri Anno quarto. In Bullario Romano novo to. 1. fol. mihi* 305.

1380 Et hæc eadem omninò verba, repetit idem *Sixtus IV.* in altera Bulla (in ordine *VII.*) *in eodem Bullario novo, tom. 1. fol. mihi* 307. eodem Anno 1474. edita (& est *Mare Magnum Fratrum Prædicatorum*) incipit uti & antecedens: *Regimini universalis Ecclesiæ*: in qua approbans, confirmans, & innovans Bullas supra citatas

Greg.

Greg. XI. Martini V. & Eugenii IV. pariter fic: *§. 2. in fine: Nos igitur pro potiori cautela, omnia, & fingula per Gregorium, & Martinum, & Eugenium, aliofque prædecessores prædictos, in eisdem litteris pro, & in favorem dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum, quomodolibet ordinata, statuta, decreta, concessa, & indulta fieri, & observari debere, auctoritate, motu, & scientia prædictis de novo ordinamus, statuimus, atque decernimus, ac eidem Ordini Prædicat., illiusque Domibut, &c. concedimus, & indulgemus, &c.)* Et fi omnia concedit hic *Sixtus* de novo, ut in *c. litteris Gregor. Martini, & Eugenii*, utiq; fub iifdem verbis, & Claufulis, idipfum prohibet Parochis (ut in litteris eifdem.) *Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarn. Dominicæ* 1474. *Pontific. nostri Anno* 4.

1381 Idem *Sixtus IV. VII. Idus Februar.* Anno eodem 1474. *in Mari Magno Augustinianorum*, quod incipit: *Dum fructus uberes.* Innovans, & Bullas fuperius allatas *Bonifacii VIII. & Nicolai V.* idem concedit, & indulget, & idipfum prohibet Parochis, &c. cum Claufulis irritum faciens, & inane, &c. & in fine fic: *Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ approbationis, innovationis, constitutionis, vel ordinationis, applicationis, statuti, concessionis, indulti, extensionis, voluntatis, ampliationis, declarationis, confirmationis, suppletionis, mandati, derogationis, & decreti, infringere, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarn. Dominicæ* 1474. *VII. Idus. Februar. Pontific. nostri Anno* 4. apud *Rodericum in Bullario Constitut.* 34. *Sixti IV. & apud Lezzan. in Mari Magno Augustin.*

1382 Idemmet *Sixtus IV. Anno* 4 *Kalend. Decembris Pontific. Anno* 6. *in Mari Magno Carmelitarum*, quod incipit: *Dum attenta meditatione, &c.* fupradicta roborans ad Carmelitas extendit, apud *Rodericum in Bullario, Bulla* 37. *Sixti IV. & apud Lezzan. in dicto Carmelit. Mari Magno.*

1383 Facit etiam, & valdè hic, *Mare Magnum Servitarum*, feu *Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis*, per *Innocentium VIII.* compilatum, *Anno* 1487. *Sexto Kalend. Junii Pontif. Anno* 3. quod incipit: *Apostolicæ Sedis intuitus, &c.* Ubi conferens, atque communicans eidem huic Ordini *Servorum Beatæ Virginis Mariæ: Omnes libertates, immunitates, Privilegia, ac Indulgentias Ordinis Fratrum Eremitar. S. Augustini (sub n. 17.)* ae aliorum Ordinum, fie concludit *nu.* 67. *Postremo, ut quos labor, pariaque merita conjungunt, paria conjungant Privilegia, & favores, ac si nominatim exprimerentur hic haberi volumus pro expressis, & nostræ approbationis munimine solidamus, ac decernimus robur perpetuæ firmitatis obtinere, potiri, &c.* & infra *n.* 68. *Districtius inhibentes locorum Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & aliis quibuscunque, sub excommunicationis, & privationis earundem Parochialium Ecclesiarum, ac omnium aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, nec non inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis, per eos qui contrafecerint incurrendis, &c.* apud *Lezzan. in Mari Magno Servitarum.*

1384 *Julius II.* 5. *Kalend. Augusti Anno* 1506. *Pontific. Anno* 3. in Bulla, quæ incipit *Virtute conspicuos, &c.* edita in favorem Fratrum Ordinis Minorum, & eft decima in *Bullario Romano novo to.* 1. *fol. mibi* 364. fic habet *§.* 20. *Districtius inhibentes, ut nulli Religiosi, vel Sæculares, vobis invitis, aliquorum corpora defunctorum in vestris Cœmeteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris Missarum Solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare, sine vestro assensu, aut voluntate præsumant. Nulli ergo, &c.*

1385 *Beatus Pius V.* in Bulla, quæ incipit: *Et si Mendicantium Ordines, &c.* & eft 41. hujus Pontificis *in Bullario Romano novo to.* 2. *fol. mibi* 172. edita *Anno* 1567. *XVII. Kalend. Junii:* Pontificatus *Anno* 2. fic ait *nu.* 25. *Mandantes etiam universis locorum Ordinariis, ne mortuorum Officia agere Rectores Parochialium in Ecclesiis ipsorum Fratrum, contra illorum voluntatem permittant. Nulli ergo, &c.*

1386 Nota hic, Bullam hanc, feu Conftitutionem *B. Pii V.* concernentē privilegia plura, & maxima Regularium, non quidem revocatam fuiffe abfolutè (ut tenent multi) per alteram Conftitutionem *Greg. XIII.* incipientem, *In tanta rerum, &c.* emanatam *Anno* 1537. *Kalend. Martii (*quam habes *in Bullario novo tom.* 2. *fol.* 279 *& est* 9. *bujus Pontificis*, integranque refert *Pasqualigus in Francum par.* 1. *nu.* 50. *)* fed tantummodo ab eodem *Gregorio* redactam fuiffe ad terminos juris communis, & *Concilii Trident.* quod conftat (ut advertit etiam idem *Pasqual. l. c. nu.* 53:) ex fequentibus verbis ejufdem Conftitutionis. *Ac omnibus & quibuscunque in eis contentis, eam deinceps dispositionem, atque decisionem pro subiecta materia futuram esse, quæ sive ex jure veteri, sive ex Sacris dicti Concilii Decretis, &c. futura fuisset; ad quam dispositionem, & decisionem, suunque*

pristinum

pristinum statum, *ac terminum illa omnia reducimus*. Et ita etiam tenuit *Rota in Liciensi quartæ Funeralium die* 15. *Januarii* 1618. *coram Decano*. Idenque affirmat *Barbosa de Potestate Episcopi par.* 3. *alleg.* 86. *num.* 19. *Vers. Neque est*, ubi sic: *Neque est verum*, *quod prædicta Constitutio Pii V. fuerit revocata per Gregor. XIII. ut in ejus Bulla*, *quam refert Navarr. in Man. cap.* 27. *in fine*, *quia cum dicta Bulla plura contineret*, *per Gregorium redacta fuit ad terminos Concilii Tridentini*, *ut censuit Sacra Congratio Illustrissimorum Interpretum*. Et in horum confirmationem addi possunt, quæ pariter affirmat ipsemet *Cherubinus*, diligens auctor, & qui Bullas emendatiores aliis proponit, utpotè qui Romæ, & huic rei in specie studuerit, & qui ultimo visis aliis scripsit. Nam (iste) recensendo dictam *Pianam Bullam*, *& si Mendicantium*, *&c.* præmittit, & advertit, quod sequitur, *fol. c.* 172. *colum.* 1. *Hæc Bulla ab ipsomet Pontifice revocata est*, *quo ad examen*, *& approbationem Confessorum*, *per Ordinarios facienda infra*, *in Constit.* 133. *Et Greg. XIII. in Constitut. In tanta*. *Omnia hæc Privilegia reduxit ad terminos Juris communis*, *& Concilii Tridentini*, *& quæ Concilio Tridentino non adversantur*. Nullo autem pacto adversatur *Tridentino*, quod Parochi, & Rectores nequeant (in favorem Regularium) ingredi istorum Ecclesias (occasione funerum) cum Stola, Cruce elevata, & in eisdem Officia Mortuorum, & exequias peragere ipsis invitis; si enim hoc adversaretur *Tridentino*, Sacra ipsamet Congregatio Cardinalium *Concilii Tridentini interpretum*, non ita sæpè, & toties decrevisset (ut infra:) *Quoties Cadavera Defunctorum ad Ecclesias Regularium deferantur*, *Officia mortuorum*, *ac reliqua*, *quæ in hujusmodi Ministerio adhiberi solent*, *non à Canonicis*, *neque à Clero*, *sed ab ipsis Regularibus obiri*, *ac peragi debere*.

1387 *Gregorius XIII. Anno* 1580. *XXII. Junii Pontificatus Anno* 9. in Bulla, quæ incipit: *pia Consideratione*, *&c.* & est 64. in ordine hujus Pontificis, *in Bullario Romano novo to.* 2. *fol.* 335. roborat nostrum responsum, & supra dicta, extedens ad Carmelitas Discalceatos privilegia omnia, totius mitigati Ordinis Carmelitani: in ea enim *Bulla §.* 9. sic: Et *insuper, quod omnibus, & singulis privilegiis*, *gratiis*, *& indulgentiis*, *exemptionibus*, *& immunitatibus*, *prærogativis*, *favoribus*, *& indultis*, *tam spiritualibus*, *quam temporalibus*, *quibus Fratres*, *seu Moniales*, *vel Sorores dicti Ordinis* (Carmelitani mitigati) *de Jure*, *vel consuetudine*, *aut alias quomodolibet utuntur*, *potiuntur*, *& gaudent*, *ac uti*, *potiri*, *& gaudere poterunt quomodolibet in futurum*, *uti*, *potiri*, *& gaudere*, *liberè*, *& licitè valeant*, *indulgemus*, *&c.* Videatur *Rodericus tom.* 1. *sui Bullarii*, *Bulla* 37. *Sixti IV.* quæ est *Mare Magnum Carmelitarum*, in ea enim sub *n.* 106. conceduntur *Fratribus Carmelitis*: Privilegia omnia concessa Ordinibus *Prædicatorum*, *Minorum*, *& Eremitarum S. Augustini*. Dum ergo *Greg. XIII.* in hac Bulla (*Pia Consideratione*, *&c.*) extendit ad *Carmelitas Discalceatos*, Privilegia omnia Ordinis sui mitigati, & cnm inter alia Privilegia (ex toties dictis supra) habeat præcipuè talis Ordo (uti, & alii Mendicantes, imò omnes Regulares, etiam non Mendicantes) privilegium expressum supra relatum, ne Parochi occasione funerum ingrediantur eorum Ecclesias, &c. sitque id ipsis prohibitum sub excommunicatione, sub tali pariter Censura, videtur denuò concedi. hoc idem, ab eodemmet *Gregorio §.* 9. hic relato. In communicationem enim privilegiorum comprehenduntur etiam pœnæ (etiam excommunicationis latæ sententiæ) latæ in favorem Regularium, & contra Seculares, *Lezzana to.* 2. *cap.* 1. *n.* 52. *Rodriqu. to.* 1. *qq. Regul. qu.* 55. *art.* 17. *ad finem*. *Miranda tom.* 2. *quæst.* 46. *art.* 6. *Bordon. consil.* 52. *quæst.* 34. *n.* 93. *Antonius à Spiritu S. par.* 1. *Direct. Regul. trac.* 1. *disp.* 1. *sect.* 3. *n.* 54. aliiq; apud istos.

1388 *Sixtus V.* In Bulla, quæ incipit: *Quæ à prædecessoribus nostris*, *&c.* edita Anno 1587. confirmat, & approbat allatam Ballam *Greg. XIII.* Pro *Carmelitis Discalceatis*, in qua idem concedit, & statuit, &c. ut in eorundem *Compend. Privileg. fol.* 13. & apud *P. Ab Ascens. cap.* 1. *division.* 1. *fol.* 22.

1389 *Greg. XIV. Regnante* (Anno 1591.) *Sacra Congregatio Episcop. & Regul.* sic decrevit: *In Brixiensi. Exponendus est Defunctus*, *usque ad portam Ecclesiæ Regularis*, *in qua est sepeliendus*. Referunt hoc Decretum: *Gavantus in Man. Episcopor. Verbo Exequiæ nu.* 26. Ubi sic: *Parochus deducet Funus*, *usque ad Ecclesiam Regularium*, *in qua Regulares Officium circa Cadaver peragent*, *&c.* *Congreg. Episcopor.* 18. *Junii* 1591. 5. *Junii* 1615. 31. *Januarii* 1617. *& Pasqualig. in Francum par.* 1. *n.* 1591.

1390 Nota autem hic, quod dictio *Usque*, posita in hoc Decreto, stat *exclusivè*, cum hic inclusio sit contra legem, ut videre est apud *Barbosam dictione* 437. *n.* 15. ibi enim: *Dictio usque*, *apposita*, *fiat inclusivè*: *limita tamen quando est contra legem*, *per text. in l.* 3. *in princip. & §.* 1. *ff. de Usur. & in l.* 1. *ff.*

1. *ff. Sin autem, ff. An per alium causæ appellationis reddi possint, ut notant Rebuff. Glos. 3. & in Comment. ad leg. Absentem, Vers. Limitatæ. Menoch. de Arbitrariis lib. 1. qu. 80. n. 92.* Est autem ingressus Parochi in Ecclesias Regular. contra legem sæpius repetitam, ut constat ex dictis, &c.

1391 Eodem Anno 1591. *die 1. Octobr.* emanavit aliud Decretum *Sacræ Rituum Congreg.* tenoris, ut sequitur. *All'Illustrissimo, e Reverendiss. Signor mio Osservandissimo il Cardinal Morosini. Fù fatta relatione à questi miei Signori Illustrissimi di quanto Vostra Signoria Illustrissima mi scrisse de'* 18. *Luglio, e insieme del contenuto dell'esame fatto ad istanza del Capitolo di cotesta Cattedrale sopra la consuetudine, che si pretende contro i Regolari per conto de' Funerali, & essendo parso alle Signorie loro Illustrissime, che la prova non sia bastante per l'intento, oltre che si è visto quanto à Monaci Cassinesi un Privilegio concesso loro da Eugenio IV. per il quale si prohibisce espressamente à chiunque si sia di poter fare qualsivoglia sorte di Officii Ecclesiastici nelle Chiese di quella Congregatione, e così anche le attestationi di molti sopra l'osservanza di esso, mi hanno ordinato, che io lo faccia sapere à Vostra Signoria Illustrissima, acciocbe resti contenta commandare, che per l'avvenire s'osservi secondo il tenore del sudetto Privilegio, ch'è conforme all'uso commune, e alle risolutioni sopracià fatte da questa Sacra Congregat. & humilmente baccio à V. S. Illustrissima le mani. Di Roma al primo d'Ottobre del* 1591. refert hujusmodi Decretum *Jacobus Pignatellus* (Doctor Secularis.) *Tom. 3. Consultationum Canonicar. consult.* 48. *Editionis Venetæ n. 18. fol. mibi* 117. referens etiam *nu. anteced.* 17. dictum Privilegium, quod habent *Cassinates ab Eugenio IV. Constitutione ejus* 9. tenoris sequentis: *Ut autem hujusmodi Congregationis Monachi liberius in eorum Regularis vitæ observantia valeant perdurare, omnes, & singulos Episcopos, vel locorum quorumlibet Ordinarios, aut alias quasvis personas ad Monasteria, sive loca dictæ Congregationis, causa Ordines celebrandi, seu causas civiles, aut criminales exercendi, Conuentus siue Synodos, & Processiones conuocandi, Missas, & alia Officia celebrandi sub excommunicationis pœna, quam ipso facto, si aliter attentauerint, accedere, vel immorari, ipsis inuitis, tenore præsentium prohibemus.* Hoc idem privilegium habes ad verbum apud *Rodericum in Bullario to. 1. Bulla* 9. *Eugenii IV.* quæ incipit *Regularem vitam nu.* 7. *fol. mibi* 85. de quo etiam *Cornelius Margarinus to. 1. Bullarii Casinensis, Constit.* 59. *Eugenii IV. n. 7. & 8. pag. mibi* 64.

1392 *Clemens VIII.* in Bulla, quæ incipit, *Pastoralis Officii, &c. Anno* 1593. *Pontificatus Anno 2. in Bullario novo tom. 3. Bulla* 25. *fol. mibi* 24. concedit *§.* 14. confirmat, & innovat, etiam per viam communicationis, seu extensionis *Carmelitis Discalceatis:* Omnia privilegia, indulta, immunitates, &c. quibus gaudent cæteri *Carmelitæ mitigati* (cum Clausulis præservationis additis *§.* 15.) in quibus unum est, *ne Parochi in Ecclesias Regularium ad funeralia facienda ingrediantur*, ut constat ex dictis.

1393 *Sacra Congreg. Episcopor. & Regular. Anno* 1591. 18. *Junii* 1594. 3. *Januar.* 5. *Junii* 1615. Decrevit, &c. *Exportandus est Defunctus, usque ad portam Ecclesiæ Regularium, in qua est sepeliendus. Gauantus Verbo Exequiæ, in Additione n.* 10.

1394 Et nota hic, quod *Summus Pontifex Clem. VIII.* in concessione Privilegiorum, &c. *§. 14. cit.* utitur Verbo *Declarandi*, ibi enim sic: *Statuimus, & Declaramus. Omnia, & singula priuilegia, facultates, gratias, prærogatiuas, indulta, fauores, concessiones, tam Priori Generali totius Ordinis Carmelitarum, quam prædicto Ordini, singularibusque illius personis, tam à Romanis Pontificibus, quam dictæ Sedis de Latere Legatis, nec non quibuscunque Regibus, Imperatoribus, & Principibus Sæcularibus concessa, &c. prædicto Ordini Discalceatorum sine aliqua prorsus differentia, auctoritate, & tenore concedimus, & indulgemus. Illisque si opus sit, ea omnia communicamus, & extendimus. Et concessa esse, & competere, Statuimus, & Declaramus.* Papæ autem *Declaratio*, in sententia *Suar.* & aliorum apud, & cum *P. Ab Ascensione cap. 1. divis. 1. n. 6. fol. mibi* 21. non est privilegium tantum, sed Lex. Et quidem, si *Lex*, ex sui Etymologia, ex *D. Thom. par. 2. q. 90. art. 1.* quem sequuntur *Suar. de Legib. lib. 1. cap. 1. nu. 9. Salas de Legib. disp. 1. sect. 1. nu. 1.* aliique multi apud istos, & communiter, dicitur *à ligando*, quia proprius effectus legis est *ligare*, seu obligare; privilegium nostrum, (& de quo hic principaliter) videtur utique etiam vim legis habere, eo quia ligat, & obligat Parochos, alios Sacerdotes Seculares, &c. ad sui observantiam sub Censuris, & sub reatu lethali, ex dictis nedum; verum etiam ex his, quæ collegit *Joannes Baptista Confectius Florentinus Doctor Sæcularis Protonotarius Apostolicus, &c.* qui accuratè, & egregiè privilegiorum Mendicantium Ordinum fecit Collectam, quam etiam huic eidem *Clementi VIII. Pontifici Max. dedicavit*, ex quibus patet, sub magnis Censuris, & pœnis exequendas esse litteras Apostolicas,

seu

seu Bullas Pontificias emanatas in favorem Regularium, eorundenque privilegia continentes, maximè circa funera Defunctorum. Videatur *fol. mihi* 211. *Vers. Quocirca nos*: ubi refert *Litteras, seu Decretum Illustrissimi Hieronymi Matthæi D. Auditoris Cameræ Apostolicæ, & Judicis in exequutionem litterarum Apostolicarum, & Privilegiorum à Pio V. Ordinibus Mendicantium concessorum sub Gregorio XIII. emanatum*. In quo Decreto, districtè committit, ac præcipit (*Vers. cit.*) atque in virtute Sanctæ Obedientiæ, executioni mandari dictas Litteras Apostolicas Regularium privilegia continentes (pro ut in Bulla ejusdem *Gregorii XIII.*) magnis censuris, & pœnis ibi contra inobedientes designatis.

1395 Idem Pontifex Summus *Clem. VIII.* in Bulla, quæ incipit: *In Apostolicæ dignitatis culmina, &c. in Bullario Romano novo to. 3. fol.* 73. hujus Pontificis 71. *edita* 13. *Novembris Anno* 1600. *Pontificat. IX. Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Congregationi Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, & quibuscunq; hujus Ordinis Domibus, & Conventibus in Italia erectis, vel erigendis, &c. ejusdem Congregationis Personis, Fratribus, &c. Concedit, confirmat, & innovat etiam per viam communicationis, seu extensionis, omnia Privilegia, indulta, concessiones, exemptiones, immunitates, prærogativas, favores, indulgentias, & alias gratias tam spirituales, quam temporales, supradictæ Hispaniarum Congregationi, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores, ac ipsum Clem. & Sedem Apostolicam quomodolibet concessa, concedenda, &c.* Inter quæ, utique unum est Privilegium, *ne Parochi Ecclesias Regularium ingrediantur, cum Stola, Cruce erecta, &c. ad funeralia facienda.*

1396 Eodem regnante Summo Pontifice *Clem. VIII.* Sacra Congreg. Cardinalium Sacrorum Rituum, *in Liciensi* decrevit, ut sequitur: *Censuit Congregatio non licere Capitulo, & Clero Liciensi; quoties prætextu etiam associandi ad sepulturam Defunctorum cadavera in Ecclesia Sanctæ Irenes Clericorum Regularium (*Theatinorum*) Missam, aut alia Divina Officia ipsis Regularibus invitis celebrare, aut psallere, sed associato funere ad Ecclesiæ Portam, debere Parochum, vel illum ex Capitulo, & Clero, penes quem animarum curæ exercitium existit, ad populum converti, eique absolutione impartita, recedere, relicto cadavere in Ecclesia dictorum Clericorum Regularium, ad quos dumtaxat peragendi Officii cura spectabat. Alphonsus Episcopus Ostiensis Cardinalis. Gesualdus Bonastella Secretarius.* Apud *Alexandrum Peregrinum in Compendio Privilegiorum Clericorum Regularium Theatinorum, Titulo Sepultura, fol.* 248. In alia verò causa *Bitontina*, ab eadem *S. Congregat.* fuit Decretum modo quo sequitur. *Pro Clericis Regularibus (*Theatinis*) Sancti Silvestri in Civitate Bitontina commorantibus, quo ad funera, & sepulturas; Congregatio Sacrorum Rituum decrevit, in omnibus servandum esse Decretum in simili causa ab ipsa Congregatione, aliàs factum pro eisdem Clericis (*Theatinis*) contra Episcopum, & Capitulum Ecclesiæ Liciensis, & propterea non licere Clero Ecclesiæ Bitontinæ invitis prædictis Clericis, in eorum Ecclesiis Missas, seu Officium Defunctorum celebrare, seu cantare: sed associato funere ad eorum Ecclesiam, redire debere, juxta formam dicti Decreti Liciensis die* 10. *Junii* 1602. *Alphonsus Cardinalis Commissarius. Joannes Baptista Mucantius pro Secretario.* Apud idem *Compendium Clericorum Regularum Theatinorum, Titulo cit. fol.* 250. Et hic adverte, quod ly *dumtaxat* positum in supra relato *Liciensi* Decreto, significat, quod *solum*, seu *tantum* à Regularibus fiant in suis Ecclesiis Exequiæ, & aliæ functiones funerales, quod *solum* ab ipsismet (in funeralibus) in eorundem Ecclesiis deferatur Stola, &c. ponendo negationem in Parochis, quibus nedum tacitè, sed expressè prohibetur ex vi dictionis illius *dumtaxat*, in Regularium Ecclesiis, Psalmos recitare, &c. dictio enim eadem *dumtaxat*, est restrictiva, unde taxat, atq; restringit, & ponit negationem in aliis, excludendo omnes personas, præter expressas, ut videre est apud *Barbosam Dictione* 97. & apud ab ipso citatos, & apud alios communiter. Adverte insuper, quod ly (*Associato funere ad eorum Ecclesiam, debere Parochum, vel alios de Clero recedere*) positum in prædictis Decretis, videtur quasi significare, nec ad explendam propriam devotionem, vel ad suffragandum animam Defuncti, in Regularium Ecclesias ingredi Parochum, vel alios de Clero tentare debere, ne videantur Regularium jura perturbare velle, &c.

1397 In Bulla centesima prima ejusdem *Clem. VIII.* quæ incipit, *Romanum Pontificem decet, &c.* edita *die* 20. *Augusti* 1603. *Pontificat. Anno* 10. *in Bullario Romano novo to. 3. fol.* 106. *Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine declarat, Carmelitis Discalceatis competere tanquam propria de jure, & de facto prædicta Privilegia, &c.* Inter quæ unum etiam est (ut toties supra) ne Parochi ingrediantur Ecclesias Regularium occasione funerum, ad facienda funera, &c. *Cui declarationi*

nostræ (concludit Pontifex §. 2.) *si quis contradicere præsumpserit, illum anathematis vinculo innodamus*. Quæ postrema notent, & contremiscant R. R. Parochi præsumentes ingredi Ecclesias Regularium (istis invitis) ad facienda funera, contra eorundem Privilegia, ob id enim *anathematis vinculo* obstringuntur, ab eo cui *Christus Dom. in persona Petri*, dixit *Matth.* 16. 19. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis*.

1398 Huic eidem Summi Pontificis *Declarationi*, quæ etiam vim habet stricti præcepti, imò (secundum aliquos ex dictis) & legis, addi potest, & alia *Declaratio S. Congr.* eodem Regnante *Clem. VIII. in Cremonensi* videlicet, in qua statuitur 9. *Augusti* 1604. contra Parochos, *Officium in tumulandis Defunctis spectare ad Regulares, quando in istorum Ecclesiis sepeliuntur*, apud *Pasqualigum in Additionib. ad Francum par.* 2. *qu.* 68. *n.* 2. *fol.* 520. & apud alios. Et hoc idem sæpius fuisse à *S. Congreg.* declaratum; certum est ex dictis, ex dicendis, & ex Doctoribus, inter quos præcipuus *Marcus Antonius Genuensis* Doctor Sæcularis, qui in sua *Praxi Archiepiscopali Neapolit.* (quam dedicavit *Sanctissimo Pontifici Paulo V.* coronato 28. *Maii* 1605.) ita testatur *cap.* 61. *n.* 13. *fol. mihi* 226. *Pluries declaravit S. Congr. quod quoties cadavera ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, Officia Mortuorum, ac reliqua Officia, quæ in hujusmodi Ministerio circa cadavera adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed à Fratribus obiri, & peragi debent*. Regnante Summo Pontifice *Paulo V.* Sacra eadem Congregatio, in alia *Cremonensi pr. Julii* 1606. Contra Parochos decrevit, expressè eis prohibendo intrare Regularium Ecclesias *cum Stola*, *aut Pluviali* occasione funerum; quod Decretum renovatum est 31. *Julii Anno* 1646. apud *Pignatellum to.* 3. *consult.* 48. *n.* 38.

1399 *Sacra Rituum Congregatio* 12. *Martii* 1612. (*Sanctissimo Paulo V. Regnante*) *in Eugubina*, statuit: *Officium in tumulandis cadaveribus in Ecclesiis Regularium, non per Parochum, seu alios Præsbyteros Sæculares; sed per eosdemmet Regulares fieri debere, non obstante quavis contraria consuetudine, apud Aldanum in Compendio Canonicar. Resol. lib.* 4. *tit.* 17. *n.* 45. *Barbosam de Parocho part.* 3. *cap.* 2. *n.* 82. (*num. anteced.* 81. sic affirmantem) *Clerus Sæcularis, postquam Christi Fidelium cadavera in Fratrum Religiosorum Ecclesiis sepelienda associaverit, in eisdem Ecclesiis super hujusmodi cadaveribus Officium Defunctorum, Psalmos, Responsoria, aliasve Preces, vel Orationes recitare, aut psallere non potest, sed ab ipsis Fratribus dumtaxat, hæc omnia peragenda sunt, eadem S. Congregat. &c. & in Concil. Triden. sess.* 25. *de Reformat. cap.* 13. *num.* 33. ubi *anteceden. nu.* 32. etiam sic (*Parochi Defunctorum in Regularium Ecclesiis humandorum corpora, usque ad easdem Ecclesias associare, ac etiam in illis permanere possunt, absque tamen eo, quod in Officio decantando ullatenus se intromittant, ut per Aldanum d. tit.* 17. *n.* 42. *dicit, sic decidisse eandem S. Congregat. in Nicoterensi* 5. *Julii* 1615.) Et in *Collect. Bullarii, Verbo Parochus, fol. mihi* 531. *in fine*: sub iisdem verbis, & apud *Pasqualig. in Francum par.* 2. *qu.* 68. *n.* 2. ubi sic: *Declaratum sæpius fuit à Sacra Congregatione, Officium in tumulandis Defunctis spectare ad Regulares, quando in ipsorum Ecclesiis sepeliuntur, ita in Eugubina* 12. *Martii* 1612. *In Cremonensi, &c. Et p.* 1. *n.* 1593. ibi: *Quando cadaver Defuncti pervenit ad januas Ecclesiæ Regularium, quamvis possit Parochus ingredi, & ibi permanere, ut Declaravit Sacra Congregat. in Nicoterensi* 5. *Julii* 1615. *cessat tamen ejus jurisdictio, & auctoritas, nec potest se intromittere in Officio, Psalmis, Responsoriis, aut alias Preces, seu Orationes psallere, aut recitare: sed hæc omnia pertinent ad Regulares Ecclesiæ privativè, quo ad alios, non obstante quacunque consuetudine in contrarium, ut sæpius declaravit Sacra Congregat. Episcopor. & Regul. & Sacra Rituum Congregat. in Eugubina* 12. *Martii* 1612. *&c.* Sed

1400 Nota hic primo *ly privativè quo ad alios* denotare idem, ac exclusis aliis, ac *excluso Curato*, in casu nostro; *ac quocunq; alio de Clero Sæculari excluso, &c.* hoc est, à solis Regularibus fieri debere Officia, & Exequias Mortuorum, Stolam deferri, &c. (Cum *ille, qui defert Stolam, quæ signum est honoris, debeat omnes alios præcedere, Gratianus disceptat*. 298. *n.* 84. in Ecclesiis autem Regularium, utpotè exemptis omninò, non habet Parochus, neque Clerus Sæcularis jus precedendi) hæc enim Dictio *Privativè*, denotat *fieri debere ab uno, alio excluso*, ut videre est apud *Covarru. in cap. Alma Mater par. pr. §.* 12. *n.* 3. *fol. mihi* 429. *Peyrin. Constitut.* 4. *Gregorii XV. §.* 6. *n.* 20. *Lezzan. to.* 3. *Verbo Dictio n.* 4. *& apud alios.* Secundo nota, quod prædicta Clausula: *Non obstante quacunque consuetudine in contrarium*, demonstrat, Principem habuisse notitiam contrariæ consuetudinis, ut advertit etiam *Barb. clauf.* 87. *n. pr.* ubi, quod ita fuit resolutum *in Toletana admissionis* 17. *Junii* 1609. *coram D. Patriarcha Pamphilio*, im-

impressa *per Farinac. decision.* 182. *n.* 6. *par. pr. recent.* Nota tertio cum eodem *Barbosa clauf. cit. nu.* 4. per hanc clausulam censeri sublatam generaliter omnem consuetudinem (excepta tamen per eundemmet, contra plures quos allegat *n.* 3. consuetudine immemorabili, quia inquit, prohibita generaliter consuetudine, non debet censeri prohibita immemorialis, eo quod hæc nunquam censetur sublata, nisi expressa mentio de ea in Lege, vel Constitutione habeatur, nec comprehenditur in revocatione consuetudinis, etiam cum dictione universali, ob ejus maximam Excellentiam, & prærogativam, quod probat auctoritate, & ratione *à n.* 4. *usque ad* 10. *inclusivè*) sicut enim per clausulam hanc : *Non obstante quacunque præscriptione*, tollitur solùm præscriptio longi temporis, non longissimi; à fortiori nec immemorialis (idem *Barbosa clauf.* 88. cum ibi allegatis *à nu. pr.*) ita etiam tollitur consuetudo solum memorialis per allatam antecedentem clausulam : *Non obstante consuetud. &c.* quæ tam sæpè in hisce Decretis repetitam legimus. Addi tamen hic potest, adhuc per dictam clausulam censeri sublatam generaliter omnem consuetudinem, etiam immemorabilem; hocque verum esse etiam in doctrina ejusdem *Barbosæ*, dum eandem suam doctrinam ipsemet, *l. c. n.* 8. *in fine* limitat, *Nisi* (videlicet) *eadem ratio militet etiam in consuetudine immemoriali*; uti certè militat in casu nostro. Quod est idem, ac affirmare: Non tollitur consuetudo immemorialis, nisi de ea fiat specialis, mentio, quando finis, & ratio, quam Pontifex habuit (& Sacra Congregatio) ad derogandum consuetudini, non est idem consuetudine immemoriali, quam memoriali. Et hanc eandem explicationem, & limitationem tradunt (apud eundem *Barb. nu. cit.*) *Covar. Gonzalez*, & *Garcia*: quibus addo *Antonium à Spiritu S. Consulto* 2. *nu.* 16. & 17. Sed sic est, quod ratio motiva & finis, quem Pontifex habuit, uti & Sacra Congregatio, ad derogandum dictæ consuetudini in contrarium, æquè militat, & idem est in consuetudine immemoriali, ac memoriali, id est omnimoda, ac totalis Regularium subiectio solo Summo Pontifici, uti eorum omnium Generali Generalissimo, omnimodaq; exemptio, ac independentia eorundemmet à Parochis, & à Clero Sæculari, ut constat ex ipsis verbis Privilegiorum Summorum Pontificum superius recitatis: item Pax, unio, & reverentia inter ipsos, quas utique fovet magis independentia ex sui natura, & ratione, ut constat. Ergo. Verum quidem est, quod contra Regulares circa id, de quo in præsenti, idest circa funeralia, non potest adesse consuetudo, ut infra probabitur : neque præscriptio, ut pariter infra : eo præsertim, quia ex frequenti confirmatione, & innovatione Privilegiorum, præscriptio inchoata, quæ à Parochis posset prætendi, interrumpitur ex dictis supra. Quod etiam confirmari potest, ex *P. Alexandro Peregrino in Compendio privilegior. Clericor. Regular. Theatinorum*, *in Introductione*, *fol. mihi* 22. & 23. ibi enim sic. *Notandum est, quod præscriptio inchoata contra Regulares, interrumpitur ex frequenti confirmatione, & innovatione Privilegiorum per Summos Pontifices ex certa scientia, motu proprio, & ex potestatis plenitudine facta ; qua quidem innovatione, privilegia ipsa in pristinum statum adversus quæcunque obstantia reducuntur, & conservantur ; ità docet Jo: Baptista Confectius in Summario Privilegiorum Mendicantium, in Summario Bullæ Sixti IV. Bulla aurea nuncupata cap.* 3. *sub descriptione, An Regularium privilegia per non usum, seu contrarium usum, aut per præscriptionem tollantur.* Hactenus citatus *Peregrinus*, referens in eadem *Introductione*, quod *Clemens VII. die* 24. *Mensis Junii* 1524. concessit nostræ Congregationi Theatinæ Privilegium, quod possit gaudere: *Omnibus, & singulis Privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, favoribus, concessionibus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, quibus potiuntur, & gaudent, aut in futurum potientur, & gaudebunt Canonici Regulares Lateranenses*, in Bulla, quæ incipit, *Exponi nobis*, &c. & est 11. in *Bullario Romano novo tom.* 1. §. 5. *fol.* 575. Quod idem Pontifex *Clem. VII. die* 7. *Martii* 1533. ut patet *ex Bullario Rom. tom.* 1. *Bulla* 38. quæ incipit, *Dudum* §. 12. *fol.* 605. concessit pariter nostræ Theatinæ Congregationi posse gaudere, uti, potiri : *Omnibus, & singulis Privilegiis, indulgentiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & indultis, quorumvis etiam Cisterciensium, & Cluniacensium Monachis, & aliorum etiam Mendicantium Ordinum Fratribus, tam in spiritualibus, quam temporalibus in specie, vel in genere, etiam communicativè, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores, ac Sedem Apostol. quomodolibet concessis, & in posterum concedendis, & quibus illi tam in vita, quam in mortis articulo, &c. perpetuis temporibus, gaudere, uti, aut potiri possunt, &c.* Quod *Paulus IV. die* 7. *Octobris Anno* 1555. *primo sui Pontificat.* in Bulla, quæ incipit ; *Ad*

immarcescibilem, *&c.* *§.* 14. nostræ pariter Theatinæ Congregationi concessit, uti posse, gaudere; fruique: *Omnibus, & singulis Privilegiis, indulgentiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, et indultis, &c. concessis, aut concedendis, &c. Societati Jesu*. Et quod *Sanctissimus Gregorius XIV. die* 5. *Apr.* 1591. Aliud, & amplius privilegium concessit nostræ Theatinæ Congregationi, quod hæc videlicet præter privilegia, & alia jam sibi aliàs concessa, possit uti, gaudere, & frui: *Omnibus, & singulis aliis privilegiis, exemptionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, & peccatorum remissionibus, & relaxationibus, cæterisque gratiis tam in spiritualibus, quam temporalibus, quibusvis Religionibus, Congregationibus, & Ordinibus, quocunque nomine nuncupentur, etiam Mendicantium, ac tam Virorum, quam Mulierum, eorunque Monasteriis, Domibus, & aliis Piis locis, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores, ac nos, & Sanctam Sedem, quomodolibet hactenus concessis, & in posterum concedendis; ac quibus illorum, utriusque sexus personæ de jure, vel consuetudine, aut ex privilegio, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum quomodolibet, quæ propriis Regularibus institutis dumtaxat non adversantur; non solum ad eorum instar, sed æquè principaliter, ac pariformiter in omnibus, & per omnia, perindè ac si eidem Congregationi, & Clericis Theatinis specialiter, & expressè concessa forent, uti potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant perpetuò, concedit, & indulget, communicat, extendit, &c.* In Archivio Domus nostræ Sancti Silvestri Romæ asservatur Originale hujus tam ampli, maximique Privilegii, seu potius tot privilegiorum summa, ob quam præcipuè *Martinus Navarrus*, loquens de privilegiis Congregationis nostrę Clericorum Regularium Theatinorum *Consiliorum parte prima, libro primo, Titulo de Majoritate, & Obedientia consil.* 9. *n.* 4. sic ait: *Præfata Congregatio habet plurima, & grandissima Privilegia Summorum Pontificum, per quæ non solum conservantur eis jura, quæ ab initio cœperunt ad eos pertinere, sed etiam adduntur multa alia, quæ vix credidissem, nisi ea legissem, quod certè cum multa voluptate feci, &c.*

1401 Inter hæc autem tam multa, & magna privilegia primo concessa, & multoties confirmata, hoc inquam unum extat (ut toties dictum) ne Parochi in Ecclesias Regularium ad funeralia facienda (*reduplicativè*) ingrediantur. Addo hic obiter *reduplicativè ad funeralia facienda*, quia si Parochi, occasione etiam funerum, Ecclesias Regularium ingrediantur, non ad funeralia in iisdem Ecclesiis Regularibus facienda, neque ut se in quidquam funeris, cum Regularibus immisceant, aut intromittant, sed vel devotionis gratia, ut ibi orent ex. gr. vel alio recto, ac bono fine, ut esset etiam transire per Ecclesiam, ob commoditatem itineris, &c. nulla in hoc oppositio, vel prohibitio, neque etiam ex parte ipsiusmet *Sacræ Congregationis*, quatenus ipsa, multoties quidem (licet non semper) declaravit, quod Parochus teneatur funus ducere tantum, usque ad Januam Ecclesię Regularium, non autem illi postea prohibuit ingressum, quando non intendit ingredi, ut Officium peragat super Cadavera, simul cum Regularibus, istis invitis. Et hoc idem constare videtur ex pluribus declarationibus Sacrarum Congregationum: Nam in una 16. *Augusti* 1560. *Sacra Congr.* decrevit sic: *Mentre il corpo è fuori della Chiesa, tocca al Curato del Defonto in tutto, &c. Mà giunto il cadavere dentro la Chiesa de Regolari, ad essi spetta far l'Officio, se bene il Parocho volendo, può entrare*: apud *Pignatellum to.* 3. *consultat.* 48. *n.* 34. In una *Casinen. Abbati Montis Casini die* 20. *Septemb.* 1594. sic: *Dalle sue, che la P. V. mi hà mandato con avvertire, acciò che non succeda altro scandalo trà i Frati, & il Clero Secolare simile all'accorso a' 27. Luglio passato con dar ordine, che nella presente Chiesa de Frati, & altre di qualsivoglia Ordine, in occasione di sepellire i Morti, debbano far l'Officio sopra il corpo i medesimi Regolari, assistendo il Clero, officiando gli altri, senza voler guidare, ò governare l'Officio, poiche è stato altre volte dichiarato dalle Signorie loro Illustrissime, che se bene la cura de corpi, e di sepelirli, e così anco di cominciar l'Officio, spetti al Parocho, nondimeno giunto il cadavere alla Chiesa de Regolari, ad essi tocca proseguir l'Officio, eccettuato però il caso, se vi fosse consuetudine prescritta à favore del Clero Secolare da osservarsi inviolabilmente*, apud eundem *Pignatellum l. c. n.* 32. In una *Gallipolitana* 20. *Novemb.* 1601. *E' stato altre volte dichiarato da questa Sacra Congregatione, che i Parochi possano intervenire alle sepolture de Morti, che si portano alle Chiese de' Regolari, e possano arrivare insino alla Chiesa, & entrandovi, assisterci senza far cosa alcuna. E così ordini, che si faccia trà i Frati di San Domenico, e gl'altri Regolari, e cotesti Curati*, apud eundem *l. c. n.* 28. In una *Cerviensi Cardinali Bevilaquæ* 26. *Junii* 1615. *E' stato altre volte dichiarato da questa Sacra Congregatione, che i Parochi possano intervenire alle sepolture de Morti, che si portano alle Chiese de'*

Rego-

Regolari, mà che doppo arrivati alla Chiesa, & entrati in essa, i Regolari faccino l'Officio, senza che i Parochi, ancorche presenti, s'intromettino in cosa alcuna. Questi Illustrissimi, &c. mi hanno ordinato di scrivere à V. S. Illustrissima di far osservare quanto dalla Sacra Congregatione è stato più volte risoluto, apud eundem *l. c. n.* 29. In una *Nicoterensi* 5. *Julii* 1615. *Parochi Defunctorum in Regularium Ecclesiis humandorum corpora, usque ad easdem Ecclesias associare, ac etiam in illis permanere possunt, absque tamen eo, quod in Officio decantando ullatenus se intromittant, nisi contraria adsit consuetudo*, apud eundem *l.c. n.*36. In una *Turritana* 24. *Novembris* 1617. *Clerus Sæcularis, postquam Christi fidelium cadavera in Fratrum Religiosorum Ecclesiis sepelienda associaverit, in eisdem Ecclesiis super hujusmodi cadaveribus Officium Defunctorum cum Stola, & Pluviali, Psalmos, Responsoria, aliasve Præces, vel Orationes recitare, aut psallere non potest, sed ab ipsis Fratribus, duntaxat hæc omnia peragenda sunt*, apud eundem *Pignatellum* (*l.c. n.* 37.) qui cum sit Doctor Sæcularis, R. R. Parochi magis acquiescent fideli relationi, & attestationi ejusdem, quam si esset Auctor Regularis. Ex hisergo Sacrarum Congregationum Declarationibus, & Decretis, & ex aliis etiam, quę hic allegari possent, sed brevitatis gratia omittuntur, constat apertissimè, non licere R. R. Parochis, nec Clero Sæculari (maximè cum Stola, Pluviali, & Cruce elevata) ingredi Ecclesias Regularium occasione funerum ad funeralia (*reduplicativè*) in eisdem peragenda, &c. invitis Regularibus; posse tamen, ut assistant funeri devotionis causa, ut faciunt etiam alii fideles, vel alio bono motivo: non enim sunt excommunicati denunciati, qui non debeant ibi admitti ad Divina publica Officia, funeralia, sed eiici ab Ecclesia, ne Regulares, illos in Ecclesiam propriam tunc temporis admittentes, videantur communicare in Divinis cum excommunicatis, ac proindè incurrere in excommunicationem minorem, *Diana Coord. to.* 5. *tract.* 1. *res.* 135. *ex part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 95. aliique.

1402 Et nedum præscriptio, vel consuetudo inchoata interrumpitur ex frequenti Privilegiorum confirmatione, & innovatione, ut supra; verum etiam ex allatis, & afferendis declarationibus, & Decretis Sacrarum Congregationum, ut dictum est superius, & *ex Decretis Auditoris Cameræ*, de quibus infra. Unde meritò *P. Pasqualig. in Francum par.* 1. *n.* 1594. proponens: *An post Declarationes Sacræ Congreg. & Decretum Auditoris Cameræ* (de hoc ego infra) *potuerint Parochi præscribere jus cantandi Responsoria, Psalmos, &c. super cadaveribus Defunctorum, si permissi sint id facere*. Resolvit optimè, ut sequitur: Quod videlicet de præsenti, non possunt Parochi allegare præscriptionem, quia cum eis jus resistat, necessaria esset quadragenaria præscriptio, simul cum titulo, attenta etiam juris communis dispositione, ut tradunt *Gloss. in cap. Pervenit. Verbo Census, de Censib. ubi Panorm. n.* 3. *Rota decis.* 76. *n.* 1. *& decis.* 97. *n.* 3. *part.* 1. *recent. Merlin. decis.* 8. *n.* 3. nondum autem elapsi sunt 40. Anni à *Decreto Auditoris Cameræ* (de quo infra) & ultima Declaratione Sacræ Congregationis. Deficit etiam ex parte Parochorum titulus præscriptionis, quia sciunt, aut saltem deberent scire, quod hoc non pertinet ad ipsos, unde solum ex juris ignorantia posset oriri, & ideò non sufficit, ut notant *Felin. in cap. De quarta nu.* 35. *Vers. Sed considera, de præscript. Alexand. cons.* 44. *nu.* 7. *lib.* 3. *Rota in Boican. juris coram Verospio, apud Marchesan. de commiss.* Imò cum titulus sit reprobatus, nullo unquam tempore potest præscribere justam causam præscriptionis, ut considerat *Surdus* cum aliis *consil.* 276. *n.* 24. Denique cum ex dictis Declarationibus S. Congregat. sciant, hoc jus non pertinere ad ipsos, sunt in mala fide, & ideò non possunt præscribere, *cap. Dudum de decimis. Surdus cons.* 276. *n.* 18. *Honded. cons.* 82. *n.* 39. *lib.* 1. *Merlin. dec.* 585. *n.* 15. Hactenus *P. Pasqualigus*.

1403 In Vicentina 28. *Februar.* 1614. In præmissorum exequutionem, nomine & jussu Summi Pontific. *Pauli V.* emanarunt litteræ *Joannis Dominici Spinulę Camaræ Apostolicę* Auditoris, seu *Decretum* emanavit, tenoris sequentis.

Universis, & singulis D. D. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Scolasticis, Cantoribus, Thesaurariis, Sacristis tam Cathedralium, quam Collegiatorum, Canonicis, &c. Ad quos præsentes nostræ litteræ pervenerint. Noveritis, quod aliàs Sacra Congregatio Illustrissimorum, & Reverendissimorum D. D. Cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum, censuit, ut quatenus Cadavera ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, Officia Mortuorum, & reliqua omnia, quæ in hujusmodi Ministeriis adhiberi solent; Non à Canonicis, sed ab ipsis Fratribus peragi debeant. Pro cujus inserti Decreti totali observatione, ex parte Admodum R. R. D. D. Patrum Procuratorum Generalium Ordinis Mendicantium principalium agentium, & instantium instanter, & debitè requisiti. Vobis omnibus, & singulis supradictis, &c.

&c. committimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus statim visis, ac receptis præsentibus, &c. moneatis, &c. prout nos requirimus, & monemus Venerab. Capitulum, & R. R. D. D. Canonicos, & Clerum Civitatis, & Diœcesis Vicentinæ, &c. quatenus visis, &c. sub quingentorum Ducatorum auri, &c. Et in juris subsidium, quatenus opus sit, excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis debeant, & quilibet ipsorum debeat præinsertum Decretum, & omnia, & singula in illo contenta, & expressa realiter, & cum effectu observare, ac omninò observari vidisse, &c. mandari debitæ exequutioni, &c. Romæ Anno Domini 1614. *Indictione* 12. *die* 28. *Februarii. Jo: Baptista Vatellus Curiæ Cardinalium Cameræ Apostolicæ Notarius.* Apud *Compendium* (*Venetiis impressum per Donatum Pasquardum, Anno* 1636.) *Privilegiorum Ordinis Eremitarum Sancti Hieronymi Congregationis Beati Petri de Pisis, Collectore Fr. Antonio Via Veronensi ejusdem Ordinis Eremitarum, Verbo Sepultura, fol. mihi* 186. 187.

1404 In una *Eugubina* 5. *Julii* 1614. *Sacra Rituum Congregatio*. Declaravit Officium in tumulandis Cadaveribus, in Ecclesiis Regularium fieri debere per eosdemmet Regulares, cum Clausula: *Non obstante contraria consuetudine*, apud *Barbosam de Potestate Parochi par.* 3. *cap.* 26. *nu.* 82. *Moronum Responso* 51. *n.* 28. *in fine. Pasqual. in Francum par.* 1. *n.* 1593. *P. Quartum de Processionibus, Tit. de Processione Funerali puncto* 5. *qu.* 3. *n.* 1. *in fine. Novarium in Lucerna Regularium, Verbo Officium n.* 11. Addens *sub n.* 13. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum sæpius censuit, quoties Cadavera mortuorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, Officia Mortuorum, & reliqua omnia, quæ in hujusmodi Ministeriis adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed ab ipsis Fratribus peragi debere.*

1405 Idem, & sub iisdem verbis refert *Bordon. resol.* 51. *qu.* 71. *n.* 213. apud quem, & *eodem num. Eadem S. Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, supradictum Decretum habere locum etiam in Ecclesiis Monialium Ordinis Mendicantium. I. B. Cardin. Pamphilius. Franc. Paulutius Sacræ Congregat. Concil. Secret.* Et hic adde cum eodem *Bordono sub cit. num.* quod licet Declaratio, & Decretum exprimat exemptionem pro Religiosis Viris, & Monialibus Mendicantium, idem omninò dicendum est de Regularibus Viris, & Monialibus non Mendicantibus, & Monachalibus, cum eadem omnium sit ratio, fundata in universalissima communicatione Privilegiorum. Patres autem expresserunt solum Ordines Mendicantium, quia Declaratio petita fuit solum ad instantiam Mendicantium, ita *Bordonus*. Unde non solum Regularium Virorum Ecclesiæ, sed etiam Monialium exemptarum, sunt exemptæ à jurisdictione Parochorum, & aliorum in materia funeralium, ita quod nullus intra earundem Ecclesias nec Canonicus, nec Clerus super cadavera Defunctorum possit peragere Officia Mortuorum, ac reliqua, quæ in hujusmodi Ministerio adhiberi solent.

1406 In una *Nicoteran.* 5. *Julii* 1615. idem, quod supra iterum confirmavit eadem Sacra Congregatio negotiis Episcopor. & Regularium præposita, apud *Barbosam de Potest. Parochi par.* 3. *cap.* 26. *num.* 80. (ibi concludens: *Possunt enim iidem Parochi omnia Officia, circa corpus Defuncti, qui sepeliendus est in Ecclesia Regularium, vel in alia, Domi, & per viam facere; postquam verò cadaver fuerit collocatum intus Ecclesiam, debet Parochus recedere, et Officium facere debent Regulares, &c.*) *Moronus Responso* 51. *num.* 28. (pariter sic: *Nam Clerus Sæcularis, postquam associavit cadavera tumulanda in Ecclesiis Regularium, in iisdem Ecclesiis super illis cadaveribus Officium Defunctorum, Psalmos, Responsoria, aliasve Preces, vel Orationes recitare, aut psallere non potest, sed ab ipsis Fratribus tantum, hæc omnia peragenda sunt. S. Congregat. &c. non obstante quacunq; contraria consuetudine, &c.*) *Tamburr. de Jure Abbat. to.* 1. *disp.* 15. *qu.* 17. *nu.* 21. & 22. (ubi eadem omninò, quæ *Barbosa, & Moronus.*) *Pasqual. in Francum par.* 1. *n.* 1593. *Quartus, ubi supra*, & apud *Petrum de Murga de Jure, & Potestate Parochi Vnitarum Ecclesiar. par.* 3. *qu.* 7. *n.* 6. ubi sic: *His adnotare duxi, quod Parochi corpora Defunctorum in Ecclesiis Religiosorum humandorum, usque ad Ecclesias præfatas associare possunt, & ibi permanere, non tamen cum Stola, neque decantare, aut aliam functionem facere ibi posse: Ex Declaratione Sacræ Congregat. negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ in una Nicoteran.* 5. *Julii* 1615. *quam penes me authenticam habeo, insertam in litteris Apostolicis de mandato Urbani VIII. à Julio Sacchetti ejus, & Sedis Apostolicæ Legato à latere emanatis in dictæ, & aliarum Declarationum, in favorem Regularium, executionem,* 15. *Octob. de anno* 1625. *Præcipiendo ibidem Idem Apostolicus, observantiam omnium prædictorum sub pœnis, & censuris sibi, & Sedis Apostolicæ reservatis.*

1407 Eadem S. Congregatio idem decrevit

vit *die* 31. *Januarii* 1617. apud *Gavantum in Man. Episcopor. Verbo Exequiæ nu.* 26. Et in una *Turritana eodem Anno* 1617. *die* 24. *Novemb.* Sacra eadem Congregatio, idem roboravit, cum Clausula: *Non obstante quacunque consuetudine*, apud *Tamburin. l. c. n.* 23. *Cespedes de Exemptione Regularium cap.* 12. *Tit. Quo ad sepulturas dub.* 219. *nu.* 25. *Pasqualigum in Francum par.* 1. *nu.* 1593. & *par.* 2. *in additione ad qu.* 68. *nu.* 2. *fol.* 520. Et in una *Placentina*, & *Liciensi* 23. *Martii* 1619. idem statuit *Sacra Congregat.* cum Clausula eadem: *Non obstante quavis contraria consuetudine*, apud *Barbosam in Trident. sess.* 25. *de Reformat. cap.* 13. *n.* 33. *Tambur. n. cit.* 23. *Pasqualigum n. n. c. c.* 1593. & apud alios. Et in una *Catanens. Civitatis Platiæ*, idem confirmavit eadem *S. Congregat.* & cum eadem Clausula: *Non obstante quavis contraria consuetudine*, &c. *die* 12. *Octob.* 1619. apud *Barbosam n. c.* 33. *Novarium in Lucerna Regular. Verbo Officium n.* 11. *Gavantum Verbo Exequiæ in Additione nu.* 16. *Pasqualigum n. cit.* 1593.

1408 Quid autem importet præfata clausula: *Non obstante quavis consuetudine*, toties repetita in allatis *Declarationibus*, & *Decretis Sacrarum Congregationum? Barbosa* cum aliis (ut supra relatus) sentire videtur, quod ipsa importet tantum: *Non obstante consuetudine longi temporis*, non verò longissimi, & immemorabilis: contrarium tamen videtur affirmare, ex *Declaratione ipsa S. Congregat. Antonius à Spiritu Sanc. in Director. Regular. par.* 1. *tract.* 2. *disp.* 3. *sec.* 4. §. 2. *n.* 130. dum ibi sic: *An verò Officium super cadavera tumulanda in Ecclesiis Regularium debeat à Parocho fieri, saltem ubi est immemorabilis consuetudo; an verò ab ipsis Regularibus? Respondeo non debet fieri à Parocho, sed semper faciendum esse à Regularib. non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili in contrarium. Ita Declaravit Sacra Congregatio Rituum in una Sulmonensi* 8. *Augusti Anno* 1629. *in aliis similibus Declarationibus ejusdem Sacræ Congregationis*, &c. Et idem sentire videtur *Pellizzar. to.* 2. *trac.* 8. *cap.* 5. *sect.* 4. *subsect.* 2. *qu.* 8. *n.* 154. Idq; præcipuè ex eadem *Decisione Sulmonensi*. Addens, Decretum hujus Decisionis procedere etiam in Monialium Ecclesiis Regularibus subjectarum. Verum

1409 Tum ex hactenus dictis, & adductis, tum ex infra dicendis, & afferendis, concludendum venit, & veniet, nequire Parochos introducere contra Regulares, nec probare dictam consuetudinem longissimi temporis, & multo minus immemorabilis. Interim ad aperiendos oculos Regularium, & ut cautè iidem in posterum procedant, do illis obiter hic monitum ejusdem *Pellizzarii l. c.* ibi enim sic: *Officium super cadavera tumulanda in Regularium Ecclesiis, non à Parochis, sed solum à Regularibus fieri debere, non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili in contrarium, idque ex Decisione Sacræ Congregat. Rituum in Sulmonensi* 8. *Augusti* 1629. *aliisq; similibus. Excipe nisi ipsimet Regulares spontè consentiant, tale Officium fieri à Parocho; quo modo solent alicubi consentire Religiosi Societatis: quod tamen non facit, quin illi, si velint, tale Officium facere possint, sive per se ipsos, sive per alium ab ipsis electum. Unde consultum est* (ecce monitum) *ut identidem id faciant ad interrumpendam præscriptionem, quam aliqui Parochi putant se acquirere ex dictorum Religiosorum tolerantia, & tacito consensu; & ut Parochi agnoscant se in Ecclesiis Societatis facere Officium ejusmodi, non jure proprio, & ordinario, sed tanquam delegati, & Ministri dictorum Religiosorum.* Quod monitum utique implevere, & optimè Reverendi Admodum Patres Capuccini Monasterii notabilis Oppidi Viennæ in Lusitania, in Provincia Anteramnensi, in Archiepiscopatu Bracharensi, nam isti Zelantissimi Patres (ut ex *Antonio à Spiritu S. Consulto* 38. refert toties citatus *Eruditiss. P. Ab Ascensione cap.* 5. *divis.* 6. *fol.* 270.) cum tolerassent 40. *annorum spatium*, quod Clerici efficerent in suis Ecclesiis Officium sepulturę super cadaveribus, ab hac possessione tandem eos depellendos esse curarunt, sicuti de facto Clerici depulsi sunt, quia per centum annorum spatium contra eos non præscripserant, & ita Judicatum in *Tribunali Bracarensi Anno* 1652. Non nisi enim spatium centum annorum sufficit ad prescribendum contra Regularium Privilegia, ex Privilegio *Pauli III.* concesso Benedictinis *Constitut. XI.* incipit, *Benignitas Sedis*, &c. *in Bullario novo, tom.* 1. *fol.* 526. sub his verbis §. 6. *Statuit, ut sicut contra Romanam Ecclesiam, nonnisi centenaria, secundum constitutiones Canonicas, & legitimas sanctiones currit præscriptio, ita præfato Monasterio*, &c. (Congregationis Cassinensis Monachorum Ordinis Sancti Benedicti) *præscriptio non obsistat.* (Quod res Ecclesiæ Romanæ, non nisi per centum annos præscriptionem admittant, clarus est Textus *Decreti p.* 2. *causa* 16. *qu.* 3. ibi, *Rerum ejus præscriptionem, nonnisi per centum annos admittunt.* Et nota, quod inter res, & bona præscriptionis capacia, numerantur etiam privilegia: *Portel. Verbo Præscriptio contra bona Regularium n.* 2. *in fine.*) De

quo

quo Regularium privilegio etiam *Jo. de la Cruz de Privilegiis lib. 2. cap. 3. dub. 2. conclus. 2.* (ibi) *Concedit Benedictinis Romæ, quod sicut contra Romanam Ecclesiam, nonnisi centenaria currit præscriptio : ita dicto Monasterio minoris temporis præscriptio non obstet. Et iam hoc privilegium est ad totum Ordinem extensum, & aliis Ordinibus communicatum. Compendium Privilegiorum Theatinorum Peregrini in Introductione, Vers. Quarto notandum in fine, & Verbo Præscritio. Portell. Verbo Præscriptio contra bona Regularium n. 2. Diana Coord. to. 7. tract. 1. resol. 256. n. 2. ex par. 3. tract. 2. resol. 88. Barbosa de Jure Ecclesiastico to. 2. lib. 3. cap. 24. n. 35. in fine* (ibi) *Contra bona, & Jura Regularium, nonnisi centenaria currit præscriptio, ad instar Ecclesiæ Romanæ, ex quodam Privilegio Eugenii IV.* (Hujusmodi privilegium *Eugenii IV.* habetur *in Bullario Rodr. fol. 95. col. 2. in princip. nu. 15. Bulla 17. Eugenii IV.*) *Pellizzar. in Man. to. 2. tract. 8. c. 1. sect. 5. qu. 8. n. 113. Bordon. resol. 52. q. 41. n.* 122. ubi ex hoc privilegio infert optimè idem *Bordon.* quod si, ut Privilegia præscribantur contra Regulares requiritur spatium centum annorum ; difficile utique est, ut præscribantur : & si enim (ait) aliqui Pontifices in confirmatione Privilegiorum apponant clausulas, restrictivas, alii tamen eadem confirmant ampliori gratia, & absolutè, consequenter ex tunc vera Privilegia valida magis confirmantur, & alias invalida, seu nulla, prætextu abusus, vel non usus, vel contrarii usus, vel privativi usus, aut imperfectæ præscriptionis, de novo incipiunt esse valida, ac si tunc primo concessa fuissent, & aboletur quævis cœpta præscriptio adversus illa ; quod etiam advertunt *Confectius in Summario Privilegior. tit. 3. cap. 3. Vers. Nec etiam, fol. mihi* 292. 293. *Peregrinus in Compen. Theatinor. in Introductione, Vers. Quinto notandum. Jo. de la Cruz dub. 2. cit. conclus. 6. & alii.* Intelligant tamen doctrinam horum, dummodo confirmatio non habeat clausulam restrictivam: *Modo alias non fuerint revocata*, quia per novam confirmationem sic limitatam, non reviviscunt aliàs revocata, ut satis se declarant recentiores Summi Pontifices, ita etiam *Bordonus*.

1410 Idem Privilegium, quod videlicet contra Privilegia Regularium non currat præscriptio, nisi centenaria, præter *Paulum III. & Eugenium IV.* etiam alii Pontifices Summi concessere, ut videre est præsertim *in compendio Privilegiorum Omnium Religiosorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium Augustini à Virgine Maria, Verbo Præscription. 2.* ubi sic: *Anno 1442. Eugenius IV. Bulla ex Apostolicæ 17. apud Rodericum, authenticat, & innovat Bullam Cum aliqua tibi, Honorii III. datam Anno 1218. pro Benedictinis Monasterii S. Pauli extra muros Urbis, in qua sic habetur : Cæterum cum idem Monasterium speciale membrum Apostolicæ Sedis, & propria Romani Pontificis Sedes existat, statuimus, & sancimus, ut sicut contra Romanam Ecclesiam, non nisi centenaria currit præscriptio, secundum Constitutiones Canonicas, & legitimas sanctiones : ita quoque prædicto Monasterio minoris temporis præscriptio non obstet. Porrò prædicta Honorii III. Constitutio est 25. in Bullario Cassinensi ; ubi & multæ aliæ Constitutiones referuntur, quibus hoc idem privilegium, huic, aliisque Monasteriis conceditur, & confirmatur. Idem Honorius III. hoc ipsum concessit Anno 12. Canonicis Salvatoris Lateranensis, Bulla Sedis Apostolicæ, in eorum privilegiis, pag. 128. Et Gregor. IX. Bulla Sedis, ibidem pag. 143. Item Paulus III Anno 1537. præfatum Eugenii IV. privilegium confirmat ex certa scientia, etiam ut extensum ad singula Monasteria congregationis Cassinensis, Bulla Benignitas 15. apud Cherubinum.*

1411 Hujus autem valdè singularis, ac maximi privilegii, congruam rationem affert *Confect. in cit. suo privilegiorum Summario, titul. 12. cap. 1. fol. mihi* 319. est autem hujusmodi : *Inter alia Beneficia, quæ Regulares Mendicantes ex indultis à Sede Apostolica eis concessa adepti sunt, illud sanè passivè præscriptionis non modicum esse videtur, cum eorum loca, bona, & personæ centenariæ præscriptionis præsidio munita, tutaque existant, quod quidem privilegium competit eis, tum ratione immediatæ subiectionis Sanctæ Rom. Eccles. & Sedis Apostolicæ, sub cujus protectione suscepti sunt : tum etiam quia omnium bonorum, tam mobilium, quam immobilium, quæ Regularibus, & præsertim Minoribus S. Francisci de Observantia, quocunque modo acquiruntur, jus, proprietas, & dominium ad ipsam Romanam Ecclesiam nullo medio spectare, & pertinere dignoscitur, ut per eorum Privilegia declaratur. Cum igitur in prædictis agendis non ipsorum Fratrum, sed præfatæ Romanæ Ecclesiæ, ob commune jus, quod inter se quodammodo habere dicuntur, negotium tangi videatur eodem Privilegio prædictæ centinariæ præscriptionis, qua illa fruetur, & ipsi pariter fruuntur, & gaudent. Hujusmodi autem Beneficium quibuscunque Regularibus Mendicantibus, & non Mendicantibus collatum quoque existit per Privilegium Leonis X. Camaldulensium, & Vallisumbrosæ Congregationi concessum, & ad omnes Regulares ab Apostolica Sede pluries extensum, &*

communicatum, & *quò expreßè statuitur, contra illorum Monasteria, loca, bona, & personas, tam in præteritum, quam in futurum nulla currat præscriptio, nisi post lapsum sexaginta annorum, quod quidem tempus ab actu, seu contractu, vel quasi cursu exordium sumi debere intelligitur. Et eo elapso, tunc quadraginta annorum præscriptionem incipiendam esse, idem Leo declaravit, quibus omnibus junctis continuatis, & computatis, centum annorum numerus constituitur, ita ut nonnisi illis elapsis (ut præfertur) contra eorundem Monachorum, & Regularium, & Mendicantium bona, loca, & personas à nemine in Judicio molestari possunt.* Hucusque *Confect.* Cum ergo centum annorum lapsus requiratur ad præscriptionem adversus Regularium Privilegia, quis non videt ferè moraliter impossibile, tam longum temporis tractum probare, & sic Regulares Jure Privilegiorum suorum excludere, & quod in præscribentibus extiterint conditiones ad legitimam præscriptionem requisitæ?

1412 Adde hic primo, quod Pontifices Summi suo zelo erga Regulares, impediunt quamcunque præscriptionem nedum hujusmodi centenariam (quæ moraliter probari nequit) cum ferè singuli, ut plurimum & ut visum est) Regularium Privilegia confirment, consequenter interrumpant quamcunque contra eadem Privilegia inceptam præscriptionem. Secundò, quod cum frequentius modus amittendi Privilegia inter Regulares, esse videatur non usus, seu contrarius usus, non obstante tamen tali non usu, seu contrario usu, possunt Regulares uti nihilominus suis Privilegiis, ex concessione *Eugenii IV. Congregationi S. Justinæ Benedictinorum.* Habetur hujusmodi concessio, & Privilegium *in Bullario Rodriquez Bulla XI. Eugenii IV.* quæ incipit: *Et si quaslibet personas*, in qua sic *n.* 19. *fol. mihi* 90. *Quod si quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus contra hujusmodi, aut quæcunque alia Privilegia, indulta, gratias, immunitates, & ordinationes præfatæ Congregationi concessa, aut ipsorum à quocunque cujuscunque conditionis, dignitatis, gradus, seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum quibus hæc conceduntur, aut alia quavis causa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore observatum ignoranter, vel scienter, nullum tamen præjudicium Decretis, Privilegiis, indultis, gratiis, immunitatibus, ordinationibus hujusmodi volumus generari: sed in suo vigore, & robore permanere. Non obstantibus, &c.* Sic Summus Pontifex, ex qua concessione, & Privilegio apertissimè constat contra Regularium Privilegia, & exemptiones, nullo modo præscribi posse. Hoc idem Privilegium referunt idem *Rodriquez tom. 3. q.q. Regular. qu. 35. art. 3. Vers. Pro quo. Portell. In additione ad dubia Regul. Verbo Privilegii Declaratio n. 4. Pelliz. in Man. to. 2. tract. 8. cap. 1. sect. 4. qu. 15. nu. 77. Diana Coord. to. 7. tract. 1. resol. 256. ex par. 3. tract. 2. resol. 88.* ubi, *hoc Privilegium esse valdè notandum pro Regularium consolatione.* Hoc idem Privilegium, & sub iisdem omninò verbis concedit pariter idemmet *Eugenius IV. Bulla 9.* quæ incipit, *Regularem vitam agentibus num.* 19. item *apud Rodriq. in suo Bullario, fol. mihi* 84. Ergo ex his Privilegiis frustraneum est adducere contra Regularium Privilegia præscriptionem, vel consuetudinem, ut magis infra. At

1413 Redeuntes unde exivimus: *Anno 1625. die 15. Octob. sub Sanctiss. Urb. VIII.* In Litteris Apostolicis de mandato hujus Pontificis *à Julio Sachetti* ejus, & Sedis Apostolicæ Legato à latere, apud Regem Hispaniæ emanatis (supra citatis apud *Murgam*) præcipitur Parochis in favorem Regularium sub pœnis, & censuris sibi, & Sedi Apostolicæ reservatis executio Declarationum Sacræ Congregationis, quo ad corpora Defunctorum in Ecclesiis Regularium humandorum: Quod videlicet Parochi possint eadem corpora, usque ad Ecclesias præfatas associare, & ibi etiam (si velint) permanere, non tamen cum Stola, neque decantare, aut aliam omninò functionem facere. Vide *Murgam* ubi supra.

1414 Sacra Congregatio Concilii *Anno* 1626. sæpè decrevit, ut sequitur: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum sæpius censuit, quoties cadavera Defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, Officia Mortuorum, ac reliqua, quæ in hujusmodi Ministerio adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed à Fratribus obiri, & peragi debere. Cosm. Cardin. de Torres. P. Fagnanus. Et est impressa Romæ in Typographia Cameræ Apostolicæ*; ita refert ad litteram *Peyrin. to. 3. Privilegior. in Additament. ad Constitut. Julii II. cap. 3. nu. 19. Vers. Noto* 9. Et ut pariter refert *Portell. Responsionum Moral. to. 2. casu 66. n. 4.* ex quodam *Quinternione Declarationum D. D. Cardinalium*, qui sequenti Anno 1627. missus fuit *ad Nuncium Collectorem Hispaniæ*, pro omnibus Religionibus, & eidem D. Collectori injunctum in omnibus Hispaniæ Regnis eundem publicari. In quo *Quinternione impresso Matriti dicto Anno* 1626. *fol.* 34. in fine imponitur Parocho obligatio associandi

Parochianum suum Defunctum, usque ad Portas Ecclesiæ Regularium, si apud ipsos elegit sepeliri. Eodem item *Anno* 1627. *die* 24. *Novemb. Sacra Congreg. Episcop. & Regul.* (apud *Barbosam in Trident. sess.* 25. *de Reform. cap.* 13. *nu.* 31.) in *Turritana*, Decrevit: *Ut Clerus Sæcularis, postquam Christi fidelium cadavera in Fratrum Religiosorum Ecclesiis sepelienda associaverit, in eisdem Ecclesiis super eisdem cadaveribus Officium Defunctorum, Psalmos, Responsoria, aliasve Preces, vel Orationes recitare, aut psallere non possit, sed ab ipsis Fratribus, dumtaxat hæc omnia peragenda esse.*

1415 *Sacra Rituum Congegatio* in una *Andriens. Anno* 1629. *die* 18. *Februar. & 2. Martii ejusdem anni* (apud *Barbosam l. c. nu.* 33. *in fine. Novarium in Lucerna Regul. Verbo Officium n.* 11. *Pasqualig. in Francum par.* 1. *nu.* 1593.) *Samuellium tract.* 1. *de Sepulturis disp.* 3. *controvers.* 1. *n.* 3. & alios; Decrevit Officium in tumulandis cadaveribus, in Ecclesiis Regularium per eosdemmet fieri debere cum Clausula: *Non obstante quavis contraria consuetudine, &c.* Item *die* 23. *Martii ejusdem Anni* 1629. *Sacra Romana Rota* in una *Veronensi Jurium Parochialium* coram *Eminentiss. D. Cardin. Virile*, ita definitum fuit: *Parochus intus Ecclesias unitas Monasteriis Regularium, non potest in funeribus Stolam deferre; & alias functiones exercere, nec in aliquo intra easdem Ecclesias se intromittere, &c.* Vide Decisionem hanc per extensum relatam *à Tamburino de Jure Abb. to.* 3. *in fin. dec.* 87. *fol. mihi* 399. Item eodem *Anno* 1629. *die* 8. *Augusti in Sulmonens. Sacra Rituum Congregatio*, idem statuit, & cum eadem Clausula, apud *Barbosam num. cit.* 33. *Tamburin. de Jure Abbatum to.* 1. *disp.* 15. *qu.* 17. *nu.* 23. *in fine. Pasqualig. in Francum par.* 2. *in Addit. ad qu.* 68. *n.* 2. *Samuellium nu.* 3. *cit.* & apud alios. Item *Anno* 1631. *die* 5. *Julii* eadem *S. Congreg. In Andrian.* idem decrevit, & cum eadem Clausula: *Non obstante, &c. Barbosa de Potest. Parochi par.* 3. *cap.* 26. *n.* 82. *Novarius n. c.* 11. *Pasqualigus n.* 2. *c. Samuellius n c.* 3. aliique. Item *Anno* 1636. 19. *Julii* in una *Toletana*, relata à *Peyrino in calce Tomi* 3. *De Privilegiis*, ubi refert *Decem, & octo Decreta novissima Sacræ Congregationis; & Decretum* 9. est hujusmodi: *Toletana. Sacra Rituum Congregatio in casu proposito* (circa sepulturam in Ecclesiis Regularium:) *Respondit, Non licere Curatis sepellire cadavera Defunctorum; nec Officia facere in Ecclesiis Regularium absq; expressa licentia Guardiani, aut Superioris Ecclesiarum ipsorum Regularium, non obstante contraria consutudine die* 19. *Julii* 1636. *C. Episcopus Portuen. Card. Pius. Cæsar Facbenettus Secret.* ita *l. c. fol. mihi* 566. *Et fol. seq.* 567. *Decreto* 10. sic: *Camerinensis. S. Rituum Congregr. supradictis dubiis, sic respondendum censuit: Ad tertium, Non à Canonicis, nec aliis, sed ab ipsismet Regularibus in propriis eorum Ecclesiis, Officia super cadaveribus peragi debere. Die* 21. *Novemb.* 1637. *C Episcopus Portuen. Cardin. Pius. C. Facbenettus Secret.* item eadem *Sacra Congregat.* idem decrevit *die* 27. *Novemb.* 1638. Et idem pariter decrevit *S. Congregat. Concil. Trident. die* 3. *Decembris* 1639. Et hæc duo Decreta inserta fuere in Decreto emanato ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Auditore Cameræ Apostolicæ 6. *Junii* 1640. circa cadaverum funera à Parochis, & Regularibus, ex Decretis Sacræ Congregationis observanda, in quo executioni mandari jubentur sub pœnis, & censuris, in ipso, contra inobedientes designatis, & est sequentis tenoris, ut videre est apud *Lezzan. in Summa qq. Regularium to.* 3. *Verbo Defunctus. Bordon. res.* 51. *n.* 221. *Samuellium de Sepolturis tract.* 1. *controv.* 1. *conclusion.* 1. *à nu.* 5. *Candidum Brugnolum in speculo Clericorum tract.* 4. *cap.* 15. *res.* 2. *& Pasqual. in Francum par.* 1. *n.* 1595.

1416 *Octavius Raggius Prothonotarius Apostolicus, &c. & Litterarum Apostolicarum merus exequutor, &c.*

Universis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, &c. Parochialium, & Collegiatarum Ecclesiarum Rectoribus, seu Locumtenentibus earum, Plebanis, Viceplebanis, Curatis, vel non Curatis, cæterisque Præsbyteris, &c. ad quos præsentes nostræ litteræ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur salutem in Domino, & nostris hujusmodi, imò verius Apostolicis obedire mandatis. Noveritis ex parte, & ad instantiam R. R. Fratrum Sancti Francisci Minoris, & Strictioris Observantiæ, ac quorumcunque eorundem R.R. Fratrum Conventuum, in quibusvis Mundi partibus existentium, principalium instantium. Decretum nobis præsentatum fuisse sub infrascripto tenore videlicet.

Sacra Rituum Congregatio juxta alias resoluta respondis, Officium super cadaveribus in Ecclesiis Regularium spectare, & pertinere ad ipsos Regulares, non autem ad Curatos Defunctorum: & ita in posterum servari mandavit: Non obstante contraria consuetudine. Die 27. *Novemb.* 1638. *C. Episcopus Portuensis Cardinal. Pius. Julius Cincius Secret. Nec non aliud Decretum Eminentissimor. D. D. Cardinalium Concil. Trident. Interpretum de, & super Declaratione, quod Officia Defunctorum, & alia, quæ in hujusmodi Ministerio adhiberi*

solent

solent ; Non à Canonicis , neque à Clero , sed à Fratribus obiri , & peragi debeant , ad instantiam eorundemmet R. R. Fratrum pariter editum. Die 3. Decemb. 1639. (Jo: B: Cardinal. Pamphilius. Franciscus Paulutius Secretarius ,) & Nobis præsentatus , &c. Nos igitur attendentes requisitionem hujusmodi fore justam, rationique consonam. Vobis omnibus , & singulis supradictis , & vestrum cuilibet in solidum tenore præsentium committimus , & in virtute Sanctæ Obedientiæ , strictè præcipiendo mandamus , quatenus statim visis , seu receptis præsentibus , & postquam vigore præsentium fueritis requisiti , seu alter vestrum fuerit requisitus ex parte Nostra , imò verius Apostolica authoritate , nec non ad omnem instantiam, quæ vobis omnibus , & singulis supradictis , & vestrum cuilibet fiet ex parte cujusvis Conventus dictorum Fratrum moneatis , & requiratis primo , secundo, & tertio, & peremptorio termino , ac monitione Canonica , pro ut Nos etiam monemus , & requirimus omnes , & singulos prædictos , & in exequutione præsentium nominandos, & cognominandos , tam conjunctim , quam divisim , & alias omni meliori modo , quatenus infra sex dierum spatium , quorum duos pro primo , duos pro secundo , & reliquos duos pro tertio ultimo , & peremptorio termino , ac monitione Canonica assignamus , & vos assignetis eisdem sub mille ducatorum auri in auro Rom. Cameræ Apostolicæ applican. & pro illis mandati executivi suspensionis à Divinis , privationis Beneficiorum, inhabilitatis ad illa , & alia in posterum obtinenda ; ac in juris subsidium , quatenus opus esset Excommunicationis , aliisque Ecclesiasticis sententiis , censuris , & pœnis , si secus , &c. debeant, & quilibet vestrum debeat præinsertis Decretis in omnibus , & per omnia obtemperare , dictaq; præinserta Decreta fore , & esse exequenda , debiteque exequutioni demandanda , ipsosque in Juris subsidium excommunicandos , & declarandos fore , & esse ob non paritionem illorum , ac nisi illis paruerint , declarari vidisse ; ac de omnibus damnis , expensis , & interesse præmissorum occasione quomodolibet passis , & factis , & in futurum forsan faciendis , & patiendis integrè satisfecisse , & in illis se condemnare vidisse, & quascunque sententias etiam Decreta , seu mandata in præmissis necessaria , & opportuna, aliaque de jure quomodolibet requisita fieri , ferri, & decerni , & relaxari vidisse , & audivisse ad favorem præfatorum R. R. Instantium deducentium in præmissis omne jus , omneque remedium prædicto , & omni alio meliori modo , sibique jus , & justitiam ministrari petentium , ac nobile Officium Judicis , & Beneficium juris implorantium , non solum præmisso , verum etiam omni alio meliori modo , &c. Et insuper inhibeatis eisdem , pro ut Nos tenore præsentium inhibemus, & inhibendo expresiè præcipimus , & mandamus, ne visis , & receptis præsentibus , sub pœnis , & censuris antedictis audeant , seu præsumant , aut aliquis ipsorum audeat , seu præsumat quidquam contra formam præinsertorum Decretorum innovare , seu attentare , aut innovari facere , sub quovis prætextu , causa , ingenio , vel quæsito colore , quod si secus factum fuerit , id totum revocare , & in pristinum statum reducere curabimus justitia mediante , &c. Datum Romę ex Ædibus nostris Anno Domini 1640. Indictione octava , die vero sexta Mensis Junii , Pontificat. autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divina Providentia Papæ VIII. Anno ejus XVII. Cæsar Angelus Locumt. Locus ✠ Sigilli.

1417 Decretum aliud emanavit à S. Rituum Congreg. sub die 24. Julii 1641. pro Augustinianis ; idem confirmans, de quo infra in Brevi referendo Innocentii XI. Aliud item simile Decretum ab eadem S. Rituum Congregat. emanavit sub die 11. Novemb. ejusdem Anni 1641. Nam in Firmana , ipsa respondit : Officium facere super cadaveribus in Ecclesiis Regularium ad ipsos Regulares spectare , & pertinere , non obstante contraria consuetudine . Et ita omninò in casu proprio in Civitate Firmi servare mandavit , die , & Anno , ut supra . Pignatellus to. 3. consul. 48. n. 4. & idem iterum ab eadem Sacra Rituum Congreg. statutum est die 31. Maii 1642. apud eundem Pignatellum consulto citat. nu. 5. referentem præterea nu. 19. sententiam Auditoris Cameræ latam die 6. Martii 1646. sequentis tenoris.

Christi Nomine , &c. In causa , & causis , quæ coram nobis primò , & in prima inter Reverendiss. Abbatem , & Monachos S. Mariæ Cesenæ Congregationis Cassinensis ex una , & R. D. Hyppolitum Aldinum Curatum Ecclesiæ S. Petri dictæ Civitatis Cæsenæ de , & super ingressu dicti Curati in Ecclesiam S. Mariæ dictorum R. R. Abbatis , & Monachorum , ac decantatione Officii Mortuorum , rebusque aliis , &c. Dicimus , &c. dicto R. D. Hyppolito non licuisse , neque licere , quando corpora Defunctorum suæ Parochiæ deferuntur ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Cæsenæ dictorum R. R. Abbatis , & Monachorum , in eam ingredi cum Stola , neque ibi Officium decantare , neque aliquas functiones exercere, sed omnia peragenda spectare , & pertinere ad eosdem Monachos privativè , quo ad ipsum Curatum , &c. Ita pronunciavi Ego Petrus Paulus Cabalettus Locumtenent Lecta , lata , &c. 1646. die 6. Martii.

1418 Sub Innocentio X. die 29. Augusti 1649. Sacra Congreg. (apud P. Ab Ascensione

cap. 1. division. 1. fol. 40.) idem ſtabilivit, ut etiam refertur infra *in Bulla Alexandri VII.* Et ſub *Alexandro VII. die 31. Auguſti 1657. S. Congregat. Epiſcopor. & Regular.* Decrevit, *Parochis in aſſociatione, ſive occaſione aſſociationis cadaverum: Non licere ingredi Eccleſias Regularium, ſed teneri dimittere eadem cadavera ad Januam Eccleſiarum, ibique ſolum poſſe benedicere, & dare ultimum Vale, Officia vero, & alia munia, quæ in hujuſmodi Miniſteriis adhiberi ſolent, ab ipſis Regularibus peragi debere, &c.* Hoc Decretum confirmat idem Pontifex per ſuum Breve ſpeciale (ut notat etiam *idem Ab Aſcenſ. l. c.*) & ubiq; inviolabiliter præcipit obſervari, & recitatur etiam in *Bulla Clementis X.* de qua infra.

1419 In Bulla *Alexandri VII. ſub die 20. Aprilis* 1660. quæ incipit, *Pro parte dilecti Filii Antonii Franciſci, &c.* Procurator Provinc. Sancti Saturnini Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Sardinia *Congregationi S. R. E. Cardinal. negotiis, & conſultationibus Epiſcopor. & Regul.* præpoſitæ expoſito: Quod dilecti pariter filii Canonici, & Beneficiati Metropolitanæ Eccleſiæ Claritanæ, *die 11. Auguſti 1659. Conventum Sancti Mauri violenter ingreſſi fuerint, ad aſſociandum in illa Eccleſia contra Decreta diverſarum Congregationum ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardin. tenoris, qui ſequitur,* videlicet.

Sacra Rituum Congregatio juxta aliàs reſoluta reſpondit, Officium ſuper cadaveribus in Eccleſiis Regularium ſpectare, & pertinere ad ipſos Regulares, non autem ad Curatos Defunctorum, & ita in poſterum ſervari mandavit, non obſtante contraria conſuetudine 27. Novembris 1638. C. Epiſcop. Portuenſ. Cardin. Pius. Julius Cincius Secret. Nec non Sacra Congreg. Eminentiſſ. Cardin. Concil. Trident. Interpretum cenſuit, quoties cadavera Defunctorum ad Eccleſias Fratrum Mendicantium deferuntur, Officium Mortuorum, & reliqua, quæ in hujuſmodi Miniſterio adhiberi ſolent, non à Canonicis, neque à Clero, ſed à Fratribus obiri, & peragi debere. Cardin. Franciſcus. Paulutius Secret. Nec non Sacra Rituum Congregat. Juxta aliàs reſoluta reſpondit, electionem, & numerum Religioſorum pro aſſociandis cadaveribus ad libitum hæredum Defunctorum ſpectare, & pertinere, & ita ubique ſervari debere, declaravit 14. Januarii 1630. P. Cardin. Creſcentius. Julius Cincius Secretarius. Quodque in obſervantiam Decretorum præinſertorum, & litterarum Apoſtolicarum 29. Auguſti 1649. emanatarum. Fratres Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Jeſu noluerit permittere, ut Capitulum prædictæ Eccleſiæ Claritanæ, dictam Eccleſiam S. Mariæ Jeſu ingrederetur; ipſum verò Capitulum, & Beneficiati cadaver quoddam inde arripuerant, & ad Eccleſiam Sanctæ Eulaliæ tulerant: & in eadem expoſitione ſubiuncto, quod præfata, Decretis præinſertis adverſentur. Ideoque primo dictæ Cardin. Congreg. ſupplicato, ut decerneret, cadaver hujuſmodi reſtitui, & dicta Decreta obſervari, &c. Sacra Congregat. Eminen. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardin. Negotiis, & conſultationibus Epiſcop. & Regul. præpoſita; attentis narratis, neque partibus, tam verbo, quam ſcripto informantibus auditis, Eminentiſſ. Sanctcruſio referente diligenter, ac maturè examinata, & diſcuſſa cenſuit, cadaver, de quo agitur, reſtituendum eſſe, pro ut una cum funerali pompa reſtitui mandat, & præcipit Eccleſiæ S. Mariæ Jeſu Fratrum Minorum de Obſervan. S. Franciſci. Nec Capitulo, & Clero Metropolitanæ Eccleſiæ Claritan. Funeralia in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ, neque in Sancti Mauri eorundem Fratrum exercere, & celebrare ſuper Defunctorum ibidem ſepelienda cadavera licere, &c. Ita declaravit, prout præſentium tenore declarat, & decernit, in contrarium allatis minimè obſtantibus. Romæ 12. Martii 1660. M. Cardin. Ginettus. Decret. præinſertum 12. Martii proximè præteriti emanatum Auctor. Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palat. Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quocumque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum in Arce Gandulphi Alban. Diæceſ. 10. April. 1660. apud *c. Ab Aſcenſione l. c. & Lantuſca in Theatro Regul. Verb. Exequiæ, quo ad Officia præſtanda n. 10.* Addens *n. 12.*

1420. *Adeſt, & aliud Decretum ejuſdem S. Congregationis 10. Junii 1661. una cum Monitorio Auditoris Cameræ, & ſententia excommunicationis contra Parochum, & Vice Curatum Loci de Pergine Feltren. Diæceſis, ob non paritionem Decretorum pertinentium ad ſepulturam, in favorem Fratrum Reformatorum Sancti Franciſci, pro ut in Regeſto Sacræ Congregat. Regul. fol. mihi 362.* Et hic obiter deduc ex relatis *n. anteced.* intentionem *Sacræ Congregat. Regularium* eam eſſe, ut non ſolum cadaver Defunctorum, qui ſibi ſepulturam elegerunt in Eccleſiis Regularium, in eiſdem ſepeliantur, ſed etiam, quod caſu quo alibi ſepeliantur, reſtituantur dictis

Eccle-

Ecclesiis, pro ut constat in facto, ex *Decreto Sacræ Congr. n. anteced. allato* : specialiter etiam idem notat *Lezza. in Sum. to. 3. Verbo Defunctus in fine nu. 8. ex Declaratione ejusdem S. Cong. 1. Martii* 1641. in qua similiter declaravit (testatur idem *Lezza.*) quod in casu quo cadaver sit ita corruptum, ut non possit ab aliis discerni, & transferri ad Ecclesiam, in qua sepultura electa erat, quod Parochus faciat Decretum per quod declaret, non propterea præjudicatum fuisse Juri sepulturæ, & aliis rationibus dictorum Regularium. Hac de re, vide *Samuellium de sepulturis tract. 1. disp. 1. controv. 1. concl. 3. n. 4. & disp. 3. contr. 1. concl. 1. n. 22. & 23.* ubi refert. Quod *Sacra Congreg. Episcopor. & Regul.* Defunctum quendam, præter illius voluntatem, non sine violentia in quadam Ecclesia Cathedrali tumulatum, transferri præcepit ad illam Ecclesiam, ubi sepulturam sibi elegerat 21. *Julii* 1607. Et 22. *Februarii* 1641. eadem S. Congreg. ordinavit, ut Episcopus Placentinus restitui faceret à Parocho quodam suæ Diœcesis, Patribus Minorib. Cadaver cujusdam Puellæ, cui Pater ejus elegerat sepulturam in ipsorum Ecclesia, cum omnibus emolumentis funeralium, & funeris eleemosinis, &c.

1421 Tria insuper hic *ex præced. cit. nu.* obiter advertenda sunt: Primò; verba illa, *contra Decreta diversarum Congreg. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium violenter ingressi sunt Ecclesiam Fratrum, &c. Si violenter*, ergo illicitè, contra justitiam, injuriosè, nec absque gravi peccato, &c. Secundò, verba illa, *Partibus tam verbo, quam scripto informantibus auditis, &c.* quæ ostendunt Parochorum fundamenta, absque pondere, & frivola esse omninò, Summo Ecclesiæ Tribunali nota, audita maturè, & nihilominus rejecta, ac reprobata, dum iisdem non obstantibus, decernit non licere Parochis ingredi Ecclesias Regularium, & in eisdem super Defunctum Exequias facere, Psalmos recitare, &c. Tertio, illa verba. *Et ita in posterum servari præcepit, & ita ubique servari debere declaravit*, quæ utique faciunt præceptum, & apertè indicant hanc eandem esse legem præceptivam, ut ex verbis ipsis constat, & si lex præceptiva, extra omne dubium graviter obligans.

1422 *Clemens X.* 1671. *die* 18. *Januarii*, in Bulla (quam refert *P. Ab Ascensione cap. 1. Divisione pr. fol. mihi* 45.) sic *Nuper pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Congregationi Ven. Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium. Negotiis, & consultationibus Episcopor. & Regular. præpositæ exposito, quod eadem Sacra Congreg. die 16. Decembris 1661. super controversiis, quæ inter Parochos Civitatis Placentiæ, & Monachos Monasterii S. Sixti Congr. Cassinensis Ordinis S. Benedicti, occasione funerum erant exortæ. Inter alia decreverat, servanda esse Decreta, & Declarationes factas, scilicet : Parochis in associatione, seu occasione associationis cadaverum, non licere ingredi Ecclesiam Monachorum prædictorum, sed teneri dimittere eadem cadavera ad Januam Ecclesiæ, ibique solum posse benedicere, & dare ultimum Vale. Officia verò, & munia, quæ in hujusmodi adhiberi solent, ab ipsis Monachis peragi debere, non autem à Parochis, atque ita in præmissis omnibus deinceps fieri, & executioni mandari præceperat. Et in eadem expositione subiuncto, quod eædem rationes militarent ad favorem dicti Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia. Ideoque Sacra Congregat. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinal. negotiis, & consultationibus Episcopor. & Regul. præposita: Censuit Fratribus dandam esse infrascriptam declarationem, aliàs editam. Nempe, Parochis in associatione, sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi Ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad Januam Ecclesiarum, ibique solum posse benedicere, & dare ultimum Vale. Officia verò, & alia munia, quæ in hujusmodi Ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem à Parochis, atque ita in præmissis omninò deinceps fieri, & exequi præsentium vigore mandat, & præcipit, contrariis quibuscunque non obstantibus, &c. Datum Romæ. P. M. Cardinal. Brancatius.*

1671 27. *Novembris. Nos Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis Auctor. præfatæ Congregat. Cardinalium, decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. 18. Januarii 1671. I. G. Slusius.*

1423 Aliud Breve *sub die* 10. *Januarii* 1672. refert idem *Ab Ascens. l. cit. fol.* 48. ejusdem ferè tenoris; incipit: *Alias pro parte*. In quo *S. Congregat.* Declarationes duas recenset: Primam *die* 31. *Augusti* 1653. Secundam 27. *Novembris* 1671. quæ sic habent: *Sacra Congregat. censuit Parochis in associatione, sive occasione associationis cadaverum, non licere ingredi Ecclesiam Regularium, &c.* iisdem verbis iterum confirmavit, ut supra, in alia Bulla. *In Analecta Privilegior. Coloniæ impress. Anno* 1672. *pag.* 101. extat & aliud *à S. Rituum Congreg.* Decretum, emanatum *sub die* 4. *Martii* 1673. quod idem roborat, relatum in sequenti Brevi *Sanctissimi Innocentii XI.* A qua item *Sacra Congreg.* emanavit pariter Decretum aliud, *sub die* 27. *Januarii* 1680. quod servari mandavit, ut refertur in Brevi sequenti *Innocentii XI.*

1424 *Die* 11. *Martii Anno* 1680. In Bulla, quæ incipit: *Emanavit nuper à S. Congregat. Ven. Fratrum Nostr. S. R. E. Cardin. Ritibus Præpositorum ad supplicationem dilecti Filii Caroli Felicis à Sancta Teresia Procurat. Generalis Congregat. Italiæ Patrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. Sacra Rituum Congregat. ad preces P. Fr. Caroli Felicis à Sancta Teresia Procurat. Generalis Carmelitar. Discalceator. Congregat. Italiæ, porrectas per Eminentiss. & Reverend. D. Cardin. Alterium inhærendo Brevi felic. record. Urbani VIII. sub die* 24. *Julii* 1641. *& Decreto ejusdem Congreg. emanato die* 4. *Martii* 1673. *ad favorem Fratrum Discalceatorum Ordin. Eremitarum S. Augustini, gratiam benignè extendendo concessit, ut in posterum corpora Defunctorum, quæ in Ecclesiis Regul. Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Congregat. Italiæ sepulturam ibi elegerunt, non esse prius ad Ecclesiam Parochialium deferenda, sed Parochos teneri cadavera suorum Parochianorum levare à loco, ubi asservantur, & associare usque ad Portam Ecclesiæ præfatorum Regularium, etiam ipsis Regularibus non associantibus, nec Parochos se ingerere posse in faciendo super iisdem cadaveribus Officium in Ecclesiis præfatorum Regularium, sed ad ipsos Regulares in propria Ecclesia spectare, & pertinere. Et ita in omnibus, & singulis Conventibus præfatorum Regularium Carmelitarum Discalceator. Congreg. Italiæ, ubique existentibus servari mandavit, quibuscunque Decretis ejusdem S. Congreg. & aliis in similibus editis in contrarium non obstantibus. Hac die* 27. *Januarii* 1680. *Cæsar Card. Facbenettus loco ✠ Sigilli. Bernardinus Casalius S. Rituum Congreg. Secr. Cum autem sicut dictus Carolus Felix Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summoperè desideret. Nos, &c. Decretum præinsertum Auct. Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, &c. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit plenissimè suffragari, et ab eis respectivè, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his à quocunque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscunque .. Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigill. personæ in Ecclesiastica dignitate Constitutæ eadem fides adhibeatur, quæ ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ, etc.* Habetur Originale authenticum (*teste eodem P. Ab Ascensione l. c. fol.* 54) *in Conventu Carmelitarum Discalceator. Mediolani, Bononiæ, et alibi.*

1425 Igitur ex his omnibus hactenus speciali cum applicatione, & labore, ac annorum, & temporum serie successivè, ab Anno 1258. usque ad Annum 1680. proprio naturali ordine fideliter recitatis, nonnè evidentissimè constat, extare adversus R. R. Parochos in favorem Regularium, clara jura, Summorum Pontificum certissima antiquissima Privilegia; Sacrarum Congregationum innumera Decreta, quibus sub pœnis gravibus, & Censuris, consequenter sub mortali, eisdem strictim præcipitur, & præcipiendo mandatur, se penitus abstinere ab ingressu in Ecclesias Regularium cum Stola, Cruce elevata, &c. occasione associationis funerum propriorum Parochianorum, & à recitatione in eisdem Ecclesiis Psalmorum, &c. super eadem cadavera, pro ut in quæsito? Utique hæc extare adversus R. R. Parochos evidentissimè constat, nec ullum hucusque ab ipsis potuit allegari Pontificium, aut Sacrarum Congregationum Decretum, aut Judicium, derogans Regularium Privilegiis, ut oportet, liberansque eos à tali inhibitione. Non potuit unquam allegari, quia verè non extat; & si extat, producatur, & videatur. Modo sic: Summus Pontifex verus est, ac le-

ac legitimus Parochorum Superior, cui utique isti, legitimè præcipienti tenentur obedire, aliter non obediendo sibi ipsis damnationem acquirunt; nam ut ait *D. Paulus ad Rom. cap. 13. Qui resistunt Potestati, Dei ordinationi resistunt, et ipsi sibi damnationem acquirunt*. At idemmet Summus Pontifex præcipit Parochis, & Clero Sæculari expressè, & absolutè *Regularium Ecclesias non ingredi, Officia super cadaveribus in iisdem non peragere, nec Regularium jurisdictionem, in hoc aliquo modo turbare, sub excommunicatione, aliisque gravissimis pœnis*: Ergo hoc totum tenentur Parochi ad litteram exequi, & Summo Pontifici omninò parere. Ad hujusmodi argumentum, quod effugium? Nam major propositio est *D. Pauli*, minor constat ex authenticè relatis, à proprisque fontibus desumptis, & transcriptis, consequentia verò necessariò sequitur: Unde, quod inquam hic effugium? Fortassè recurrent RR. Parochi ad præscriptionem, ad consuetudinem, ad solitum, at hoc esse vanum, præter quam quod clarè ex supra relatis deduci potest, magis patebit inferius.

1426 Exhaustis ergo tandem, & ad abundantiam, duobus primis vivis fontibus, & capitibus, è quibus certa eruitur, emanatque veritas nostræ datæ responsionis ad superius propositum quæsitum, accedo ad tertium, videlicet ad Doctorum Auctoritatem, quæ ut *Barbosa de Locis communib. loco* 12. *n.* 1. validum est argumentum, *leg. Antiqui, ff. Si pars hæred. cap. Cum haberet, de eo, qui duxit in Matrimon. cap. Omnes Principes, de majoritat. & obedient. cap. Significasti, il* 2. *Everard. in topicis legal. loco* 48. *Petr. Andr. Gemmar. in Dialectica legal. lib.* 2. *loco ab auctoritate. Menochius conf.* 9. *n.* 8. *& conf.* 18. *n.* 7. *&* 13. *& conf.* 33. *n.* 27. *Sim. de Pretis conf.* 113. *n.* 17. *lib.* 1. *Gregor. Everard. conf.* 27. *nu.* 13. *vol.* 2. *Jacobus Valdes. de dignitate Regum, Regnorumque Hispaniæ, cap.* 2. *nu.* 1. *Valenzuel. conf.* 102. *n.* 14. *to.* 2. omnes citati *à Barbosa n. cit.* 1. Unde: *Ab Auctoritate Aristotelis, seu alterius Magni Viri*, valet argumentum, *leg. Si pater, ff. de solut. leg. Septimo Mense, ff. de stat. homin. Bartol. in sua qu.* 7. *incip. Mulier habens, Vers. contra quod. Card. Tusch. pract. concl. tom.* 1. *litt. A, conclus.* 590. *n.* 1. *&* 2. *Barbosa l. c. n.* 2. Quando Auctoritas Magnorum Virorum non est contra legem (quia tunc non attenditur) uti non est in casu nostro, in quo Auctoritas est pro sustinenda lege. Et ab Auctoritate Majorum nedum est probabile, sed necessarium argumentum, & illi standum, ex vi rationis, quæ necessarium concludit. *Bart. in leg.* 1. *sub n.* 21. *ff. si cert. pet. Magdalen. de numero testium in testamen. requisit. p.* 1. *cap.* 16. *n.* 12. *cum seqq. Barbosa l. c. n.* 3. Auctoritas autem, & sententia Doctorum omnium communissima est, *non posse Parochos in Ecclesias Regularium occasione associationis cadaverum suorum Parochianorum, cum Stola, & Cruce elevata ingredi, Officia, Psalm. aut Responsoria recitando, aut in aliquo se intromittendo, &c.* Ergo ab hac communissima Doctissimorum Virorum Auctoritate, & sententia (uti validissimo argumento) verum nostrum supra datum responsum. Consequentia hæc sequitur: antecedens assumptum probatur recensendo Doctores, si non omnes (quia omnes colligere non vacat) saltem plures, & majores, suntque *Eminentiss. Cardin. Lauria in Epitom. Canon. Verbo Exequiæ, & Verbo Regulares circa Parochos, & Parochianos. Illustrissimus, & Eruditissimus Episcopus Augustin. Barbosa (Doctor Sæcularis) in Trident. Concil. sess.* 25. *de Reformat. cap.* 13. *n.* 32. *&* 33. *De Officio, & Potest. Parochi part.* 3. *cap.* 26. *num.* 80. 81. 82. *& in Collect. Bullar. Verbo Funerale. Paulus Maria Quartus pariter Episcopus (ex Nostris Clericis Regularibus Theatinis assumptus) de Processionibus, Titul. de Processione Funerali puncto* 5. *quest.* 3. *num.* 1. *Antonius à Spiritu Sancto item Episcopus (ex Carmelitis Discalceatis assumptus) in Director. Regular. par.* 1. *tract.* 2. *disput.* 3. *sect.* 4. *§.* 2. *n.* 128. *Marcus Antonius Genuensis (item Episcopus) in Praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ cap.* 61. *nu.* 13. *Casarub. in Compendium Privilegiorum, Verbo sepelitio, & sepelire nu.* 4. *Pasqualig. in Francum par.* 1. *n.* 1591. *& par.* 2. *qu.* 68. *n.* 1. 2. *&* 3. (ubi: *Quod, & quamvis in qu. asseratur, quod si adsit consuetudo in contrarium servanda est, oppositum tamen est tenendum per Declarationem Sacræ Rituum Congregationis, quæ ita in posterum servari mandavit, non obstante contraria consuetudine. Die* 27. *Novembris* 1638. *C. Episcopus Portuens. Cardinal. Pius. Julius Cintius Secretarius.*) *Gavantus in Manual. Episcopor. Verbo Exequiæ n.* 26. *& in Additione n.* 16. *Tambur. de Jure Abbatum tom.* 1. *disput.* 15. *qu.* 17. *nu.* 21. 22. 23. *& in Calce tom.* 3. *decis.* 87. *Collegium Salmantic. Carmelitarum Discalceat. in Cursu Moral. to.* 4. *tract.* 18. *cap.* 3. *punct.* 6. *n.* 211. *pag. mibi* 302. ubi: *Officium super cadavera tumulanda in Regularium Ecclesiis, omninò debere fieri ab ipsis Regularibus, vel ab aliis de eorum consensu, non à Parocho, non à Canonicis, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili in contrarium, ut declaravit*

vit Sacra Congre atio in Sulmonensi 8. Augusti 1619. Et quæ dicta sunt de Regularibus in materia funeralium, etiam de Monialibus exemptis intelligenda sunt nu. 12. Petrus de Murga de Jure, & Potest. Parochi par. 3. qu. 7. n. 6. Gratianus (Doctor Sæcularis) disceptatione 298. n. 84. Moronus responso 51. n. 28. Franciscus Cespedes Theatinus, de Exemptione Regularium cap. 12. Titul. Quo ad sepulturas dub. 229. n. 25. Joann. Maria Novarius (Doctor Sæcularis) in Lucerna Regularium, Verbo Officium n. 12. Pellizzar. in Man. Regul. to. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 4. subsect. 2. qu. 8. n. 154. Bellafius in Promptuario Regul. Verbo. Defunctus n. 10. Candidus Brugnolus in Speculo Clericorum tract. 4. cap. 15. resol. 2. Erasmus à Chokier (Doctor Sæcularis) de Jurisdictione Ordinarii in Exemptos to. 2. par. 2. qu. 123. n. 50. fol. 339. Peyrin. to. 3. Privilegior. in Additament. Ad Constitution. Julii II. cap. 3. nu. 19. Vers. Noto 9. & in calce ejusdem to. 3. Decreto 9. & 10. Portel. Responsionum Moralium to. 2. casu 66. n. 4. Bordon. resol. 51. n. 213. Peregrinus in Compend. Privilegior. Theatinor. Verbo Sepultura in Scholio, in princip. Vers. Quoties cadavera. Lezzana in Summ. qq. Regular. to. 2. cap. 1. n. 47. & to. 3. Verbo Defunctus n. 6. & Verbo Sepultura quo ad Regulares nu. 18. ad finem. Rodriq. to. 3. qq. Regular. qu. 58. art. 4. Antonius Via in Compend. Privileg. S. Hieronymi de Pisis, Verbo Sepultura, & Verbo Missa. Angelus de Lantusca in Theatro Regularium, Verbo Exequiæ (quo ad Officia præstanda) n. 9. & 10. Samuellius de Sepulturis tract. 1. disp. 3. controv. 1. conclus. 1. à n. 1. & alibi. Jacobus Mancinus in sua Praxi visitandi Infirmos, in Tractatu addito, qui est de Infirmis in ordine ad sepulturam, dub. 5. fol. mihi 513. Analecta Privil. impress. Colon. 1672. Sacra Rota coram Virile apud Tambur. in calce tertii Tomi, decis. 87. cit. & alibi pluries. P. Ab Ascensione in suo recenti eruditissimo tract. per totum, & alii, imò quotquot super hac controversia scripsere, cum nullum adhuc legerim contrarium sensisse, pro Parochis videlicet, adversus Regulares, uno tamen tantummodo excepto, qui verè utique apud me unicus est, ac singularis, & cum singulari admodum mea admiratione, eo magis quia Doctor est eruditissimus. Sæcularis tamen

1427 Is est, doctissimus Jacobus Pignatellus, qui to. 3. Consultationum Canonicarum secund. Edit. Venet. Consult. 48. (incipit: Mors ipsa, quæ omnium controversiarum finis est, nunquam sine controversia) ponit sequentem conclusionem: Tenendum est, licere Parochis ingredi Ecclesias Regularium cum Cruce, super pelliceo, & Stola, occasione associationis funerum, ac ibi super cadavere sui Defuncti Parochiani Officium peragere; ita numero vigesimo. Hujusmodi conclusio, & propositio, ex diametro opponitur nostræ responsioni, ut constat, sed parum hoc, imò nihil refert; maximum tamen, & totum est, ipsammet ex diametro oppositam esse (ut patet ex supra relatis (Summorum Pontificum pluribus, & expressis Privilegiis, quibus concedunt Regularibus, ne Parochi cum Stola, & Cruce ingrediantur eorum Ecclesias, nec in aliquo se intromittant circa funeralia: suisque Sanctissimis Præceptis, ac inhibitionibus sub pœnis gravissimis, atque Censuris (& sub lethali reatu consequenter) auferunt à Parochis omnem potestatem (quantumvis minimam) exercendi actum quemcunque, vel minimum jurisdictionalem, & se ingerendi circa funeralia in Ecclesiis Regularium; qua jurisdictionis potestate, omnimodè à Parochis ablata (ut certissimum est, quod ablata est) vel dicendum, licere non exequi Sanctissima, & Justissima SS. Pontificum Decreta præceptiva, & hoc esset apertissimus error, nec admittendus à Pignatello, ut fermè credo: Vel contra ipsum: Tenendum est, non licere Parochis ingredi Ecclesias Regularium cum Cruce, superpelliceo, & Stola occasione funerum, ac ibi super cadavere sui Defuncti Parochiani Officium peragere; Et ita omninò, & absolutè tenendum inquam est, quia per supra relata Summorum Pontificum authentica Privilegia, & Decreta, imperatur Parochis sub allatis Censuris, & sub culpa mortali, ne ocasione associationis cadaverum in Ecclesias Regularium cum Stola, &c. intrent, ergo si per Pignatellum, adhuc licet Parochis in eas ingredi, & alia ibi peragere, quæ eisdem à Summis Pontificibus, ità rigidè, & strictim prohibentur, hujusmodi prohibitio, & inhibitio, ac si vim ullam haberet, ac si Summis Pontificibus (ab Ecclesiasticis maximè) parendum non esset, illuditur, & apertè irridetur; vel in alium sensum, ac prohibitio ipsa, & Privilegium sonat, extorquetur; quod expressè prohibetur in Litteris Greg. XIII. per Hieronymum Matthæum Auditorem Cameræ Apostolicæ, relatis à Confectio in Collectione Privilegior. Mendicant. In Litteris Greg. XIII. §. 10. fol. mihi 211. ut sequitur. Dicta indulta, Privilegia, & concessiones, ac confirmationes Apostolicas in reprobum, & alium, quam sonant, & disponunt sensum, retorquentes, ac novas declarationes, & commenta, contra illorum tenorem desuper confingentes, etc. Privilegium

legium enim interpretari, nunquam ita debet, ut illudatur, & inutile evadat, ridiculum, superfluum, ac frustatorium (ut accideret admisso *Dicto Pignatello)* aut quod nihil concedat, nec operetur: quia de ratione Privilegii est, ut aliquem effectum habeat in Privilegiato, ut expressè sumitur *ex Cap. In his de Privileg. & Cap. Si Papa, eodem titul. in 6.* ibi: *Cum verba aliquid operari debeant. Sylvest. Verbo Privilegium qu. 3. Vers. Tertia conclusio. Suarez de Legib. lib. 8. cap. 27. n. 5. Salas de Legib. disp. 17. sec. 8. n. 46.* ibi: *Restrictio Privilegii nunquam debet esse tanta, ut reddat illud inutile, quia voluntas justa Principis nunquam debet frustrari, aut inefficax reddi, communiter Doctores, præsertim Decius, Panormitan. &c. Merolla tom. 3. Theol. Moral. disp. 6. cap. 6. de effectibus Privilegii dub. 1. n. 2. Lezzana to. 4. Summ. Verb. Privilegia Regularium n. 8. in fine. Antonius à Spiritu S. in Direct. Regular. par. 1. tract. 1. disp. 1. sec. 8. n. 157. Azorius par. 1. Institut. Moral. lib. 5. cap. 23. qu. 2. Vers. Item quando*, & apud hunc, communis omnium sententia. Admissa autem *Pignatelli* opinione in favore Parochorum contra Regulares, redditur omninò inutile, & illusorium Privilegium istis concessum circa funeralia à S. S. Pontificibus, ut patet, sicque per illud nil in re, & effectu concessum fuit in sententia hujus Doctoris, Regularibus, quod est contra rationem, naturam, & essentiam Privilegii per citatos, & Doctores omnes.

1428 Probat *Pignatellus* sententiam suam *n. e. 20.* sic: *In hanc sententiam movet jurisdictio voluntaria, quam habet Parochus in suos Parochianos, ex qua potest Confessiones illorum, dum est extra Parochiam, imò etiam in aliena Diœcesi audire. Quia Parochus adhuc extra Diœcesim retinet suam jurisdictionem, quo ad suos Parochianos. Ergo etiam potest Officium super illorum cadavera peragere in Ecclesiis Regularium, etiam si Ecclesiæ sint de aliena jurisdictione (& comparentur loco extra Diœcesim) cum hoc non impediat, sicut non impedit Confessiones audire, atque absolvere, quando sunt in alienâ Diœcesi. Parochus enim* (addit *n. 22.*) *habet jurisdictionem in suum Parochianum, & subditum in ordine ad sui bonum spirituale, Quia Vices Christi gerit, quæ jurisdictio non circumscribitur loco, sicut nec jurisdictio Christi circumscribitur, in eo enim loco in quo potest principalis exercere jurisdictionem, potest etiam Vicarius ipsius.* Addit secundo *n. 23. Non esse Monasteria, & Ecclesias Regularium loca plenè exempta, etiam ratione sui, sed solum ratione personarum, & quod communis usus, ita videtur accipere exemptionem Monasteriorum, & Ecclesiarum Regularium. Et patet ex eo, quod, Episcopus exercere potest aliquos actus jurisdictionis in Ecclesiis Regularium. Potest enim in illis erigere Baldachinum. Ergo etiam poterit Parochus peragere Officium super cadavera sui Parochiani Defuncti in Ecclesia Regularium, quæ ratione sui non est exempta.* Hactenus *Pignatellus*. Cui

1429 Dico primò: Si ipsius adductum argumentum, & principium assumptum pro tuenda sua singulari sententia valeret (quod non, cum nullius sit ponderis, ut infra) probaret etiam Regulares Confessarios ab Ordinario approbatos excipere posse Sæcularium Confessiones in Ecclesiis etiam Parochialibus, quæ sunt de Diœcesi, pro qua sunt approbati, ibiq; exercere munus Confessionis, absque Parochorum licentia, imò ipsis invitis (quamvis ex equitate quadam, pro bono pacis, ad vitanda jurgia, & scandala, expediens esset petere à Parochis talem licentiam, de jure tamen non videtur, nec videretur necessaria.) Probatur hæc sequela, quia si Parochi etiam extra Diœcesim retinent suam jurisdictionem, quo ad suos Parochianos, ergo, & Regulares Confessarii multo magis retinent suam, in quocumque loco Diœcesis, pro qua sunt approbati, cum sint approbati pro tota Diœcesi, ut constat, poterunt igitur eam jurisdictionem exercere intra eandem Diœcesim, etiam in Ecclesia aliena, & Parochiali, cum hoc non impediat, sicut non impedit Parochus per *Pignatellum*, quando sunt in aliena Diœcesi. Neque opponi potest, quod sic fiat injuria Parocho, & perturbetur ejus jurisdictio. Quia cum audire Confessiones, & absolvere, sit actus jurisdictionis voluntariæ (si quidem causa non agitur inter partes, nec cum strepitu) non infertur aliquod præjudicium. Quod idem introducit, & resolvit *Pignatellus*, ipse pro sua confirmanda sententia *l. cit. nu. 21.* ibi enim sic: *Neque dici potest, quod fiat injuria Regularibus, & perturbetur eorum jurisdictio. Quia cum peragere Officium super cadavere sui Parochiani, sicut eum absolvere, sit actus jurisdictionis voluntariæ, si quidem causa non agitur inter partes, nec cum strepitu, non infert aliquod præjudicium; quia de jure jurisdictio voltutaria exerceri potest in alieno Territorio, &c.*

1430 Verum quidem est (hic obiter refero) quod sicut Confessarii Regulares approbati ab Ordinario, possunt absque licentia Parochi (qua in re præter praxim, usum, & possessum conveniunt D.D. communiter apud *Pasqualig. centur. 2. qu. 198. n. 1.)*

n. 1.) audire Confessiones in ejusdem Parochia, *Glossa in Clementina Dudum, de sepulturis, Verbo Liberè*, ibi: *Liberè denotat, quod non est necesse, licentiam Sacerdotis Parochialis haberi* (ubi & *Canonistæ*) *Suar. de Pœnit. disp.* 26. *sect.* 1. *Coninch de Sacrament. disp.* 8. *dub.* 4. *n.* 29. *Bonac. de Pœnitent. Sacrament. disp.* 5. *qu.* 7. *punc.* 4. *§.* 1. *n.* 18. *Vers. Hinc ergo*. Ubi idem affirmat, independenter à Parochis, & etiam ipsis invitis, & contradicentibus, ut docent etiam *Sylvester Verbo Confessor p. qu.* 1. *§. Quarto requiritur*, (ibi: *Intra Diœcesim autem, ubique possunt audire, etiam in Domibus Sæcularium, etiam contradicentibus Curatis*) *Summistæ omnes eodem Verbo. Miranda in Man. Prælat. tom.* 1. *qu.* 45. *art.* 14. *conclus.* 2. *Rodriquez in Compend. qq. Regular. res.* 32. *n.* 13. *Portell. in dub. Regul. Verbo Confessor Regularis n.* 8. *Jo: de la Cruz de Privilegiis lib.* 2. *cap.* 6. *conclus.* 3. *Peyrin. de Privilegiis in Additament. ad Constitution. Sixti IV. cap.* 2. *n.* 23. *Pasqualig. l. c.* aliique apud citatos, & communiter. Et ratio est, quia sive Regulares Confessarii jurisdictionem habeant à Summo Pontifice, sive ab Ordinario, & Episcopo, hujusmodi jurisdictio independens est à Parocho, idcircò non potest Parochus exercitium ejus impedire, quia ipse non potest (in hoc maximè) ire contra voluntatem Superioris sui, jurisdictionem habentis in eadem Parochia. Adde extare Privilegium pro Regularibus, concessum Fratribus Minoribus ab *Alexandro IV.* (refertur *à Casarub. in Compend. Privilegior. Verbo Absolutio, quo ad Sæculares p. n.* 1.) per quod conceditur, eos *Posse liberè Confessiones audire, Sacerdotum Parochialium assensu minimè requisito*. Unde independenter à Parochis, possunt Confessarii Regulares approbati, quorumcunque Sæcularium ad se accedentium Confessiones audire. Quod habetur etiam ex *Clementina Dudum, de sepulturis*: ibi: *Fratres, qui ad hoc* (idest ad Ministerium Confessionis) *electi fuerint, in eorum Civitatibus, & Diœcesibus Confessionem subditorum suorum confiteri sibi volentium, audire liberè valeant, &c.* Ubi *Gloss. Verbo Liberè* (ut supra) ait: *Liberè denotat, quod non est necesse licentiam Sacerdotis Parochialis haberi*. Hinc iste non potest contradicere, cum non possit ire contra concessionem Summi Pontificis, & si in hoc Parochus aliquis reclamaret, præter quam quod frustra id faceret, nec audiendus esset, incurreret in pœnas latas contra molestantes Regulares super indultis, & Privilegiis propriis. Generaliter enim, qui impediunt, & molestant Regulares super usu suorum Privilegiorum, incurrunt diversas pœnas, ut in favorem Prædicatorum, & Minorum [consequenter omnium communicantium cum ipsis in Privilegiis] decrevit *Sixtus IV. in Bulla Maris Magni Prædicatorum, & Minorum*, quæ incipit: *Regimini universalis Ecclesiæ, &c.* relata *à Miranda to.* 5. *& à Roderico in ejus Bullario, & est* 33. *& etiam* 34. *in ipso Bullario ejusdem Pontificis*, qui in utraque ita habet *§.* 54. (ut refert etiam *P. Pasqualigus cent. cit.* 2. *qu.* 197.) *Districtius inhibentes iisdem locorum Ordinariis sub interdicto ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & aliis quibuscunque sub excommunicationis latæ sententiæ, privationis earundem Parochialium Ecclesiarum, & omnium aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent; nec non inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis eo ipso per eos, qui contrafecerint incurrendis, ne Ordines prædictos Prædicatorum, & Minorum, ac illorum Domos, & Professores contra Privilegiorum eis concessorum tenorem molestare, aut inquietare præsumpserint*. Quod etiam advertit *Peyrinus to.* 1. *Privilegior. ad Constit.* 2. *Sixti IV. §.* 11. *n.* 19. ubi referens ad litteram allata verba *citatæ Bullæ Sixti IV.* ait: *Noto, quod Episcopus, seu Parochus, qui ausus fuerit prædictis Privilegiis contraire; vel nos, ne iis fruamur, molestare, peccat mortaliter, per illa verba* (*Indignationem Omnipotentis Dei, &c.*) contenta *in eadem Bulla*: concludens *in fine numeri*: *Et Paulus V. dictos molestatores, sive sint Episcopi, sive alii quicunque Prælati, excommunicat ipso facto, & absolutionem sibi reservat, ut dixi supra numero quinto, & pro Regularium exemptione videri potest Confectius in suo Summario toto titulo* 5.

1431 Et similis alia prohibitio facta est etiam in favorem Minimorum à *Sanctissimo Pontifice Pio V.* in Constitutione sua, quæ incipit *Apostolicæ Sedis benignitas, &c. sub die* 9. *Novembris* 1567. & est 3. *Constitutio* hujus Pontificis, apud *Peyrin. to.* 2. *de Privileg.* in qua *§.* 3. hæc habentur: *Districtius in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac aliis arbitrio nostro infligendis pœnis inhibentes, quibusvis locorum Ordinariis, ac aliis quibuscunque, ne eosdem Fratres Ordinis Minimorum contra eis sic concessa Privilegia molestare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præsumant*. Quo privilegio pariter gaudent omnes Regulares habentes communicationem. Et ex his Constitutionibus etiam constat, quod præter pœnas, de quibus in ipsis, & quas incurrunt, quicunque impediunt Regularibus usum suorum Privilegiorum (etiam,

&

& maximè in materia funeralium) peccant etiam mortaliter, quia in re gravi contraveniunt præceptis Summorum Pontificum: & quia prædictæ pœnę non haberent locum, nisi supponerent peccatum mortale, cum ratione gravitatis pro solo mortali infligi possint, ut docet etiam *P. Pasqual. qu.c.197.n.5. in fine*. Concludendum igitur, Regulares confessarios ab Ordinario approbatos ad confessiones pro aliqua Diœcesi, posse absque licentia Parochorum easdem audire in eorundem etiam Parochiis, & si ipsi contradicant, validas esse nihilominus confessiones, ipsos verò Parochos molestantes in hoc dictos Regulares confessarios, preter alias pœnas inflictas, quibus subiacent, ut supra, peccare mortaliter. An verò sicuti possunt dicti Regulares confessarii audire Sæcularium confessiones in Parochia, absq; Parochi licentia, possint etiam easdem in aliena Ecclesia, & etiam Parochiali audire? *Bordon. res.36. qu.16. nu.53.* respondet, posse quo ad validitatem, quia utique validè audiunt, & absolvunt, sed non licitè contradicente Parocho, aut alio Patrono, & Curato. Primum, quod videlicet validè audiant, & absolvant etiam contradicente parocho, probat, quia nec locus, nec contradictio curati, aut alterius patroni annullare possunt approbationem, neque auferre jurisdictionem, cum neutrum dederint, neque aliquam ad hoc potestatem habeant, cum nulla ratione subdantur illis Regulares. Quod procedit etiam (addit *Bordon.*) licet in licentia adesset clausula *de consensu Parochi*; seu, *eo non contradicente*. Quia hujusmodi clausula non sonat in conditionem, sed modum: & monitionem ejus, quod faciendum est (quod innuunt etiam *Bonac. n.17. infra citando, Tambur. de Jure Abbat. to.2. disp.6. qu.13. n.2. & Peyrin. in Additament. ad Constit. Sixti IV. cap.2. Vers. Sed quid n.23.*) Secundum, quod videlicet non licitè, & quod peccent, probat ex eo, quod perturbant alienam jurisdictionem, quod est grave delictum; idcircò abstinere omninò debent, aliter ab Episcopis puniri possent, quia delinquunt circa munus confessionis. Citat *Rodriq. to.1. q.q. Regul. q.60. art.4. cum suo Compend. ref.32. n.13. Bonac. de Pœnit. disp.5. qu.7. punc.4. §.1. num.17. Portel. in dub. Regul. Verbo Confessor Regularis n.8.* Qui tamen in his locis citatis (ut videre est apud ipsos) affirmant quidem petendam esse licentiam à parocho, sed an peccent, si non petant, solum *Portel.* ait *in fine nu. Quidquid sit de peccato in non petenda ibi licentia, credo quod confessio valida erit*. Verum

1432 Si loquamur de Jure, sentio cum *P. Pasqualig. centur.2. qu.198. à nu.3.* quod nec videatur necessaria præfata parochi licentia pro ipsa Ecclesia parochiali, neque possent parochi impedire Regulares, quin in suis parochialibus Ecclesiis audiant confessiones, quamvis ex æquitate quadam expediens sit, talem licentiam petere ab eisdem parochis. Hujusmodi autem assertum, videtur constare

1433 Primò, ex *Extravaganti inter cunctas, de privilegiis* in qua sic: *Electi igitur ab iisdem Fratribus ad audiendas confessiones, & pœnitentias injungendas liberè Auctoritate Apostolica, absque licentia Diœcesanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedent, audiant, eis peccata sua confiteri volentes*. Et infra: *Ut Diœcesanis honor debitus reservetur, præcipitur ut Superiores eis significent, quos elegerint ad confessionum audiendarum Officium*: Et ex *Clement. Dudum, de sepult.* in qua pariter sic: *Ad præsentiam Prælatorum eorundem locorum se conferant per se Fratres, quos ad hoc idoneos fore putaverint, humiliter petituri, ut Fratres qui ad hoc electi fuerint, in eorum civitatibus, & Diœcesibus confessiones subditorum suorum confiteri sibi volentium audire, liberè valeant*. Ex his ergo expresse habetur, ut constat, quod facultas audiendi confessiones, non est affixa Ecclesiæ Regularium, nec coarctatur ad locum, sed est extensa ad totam civitatem, & Diœcesim. Unde eadem *Clementina* coarctans infra Regularibus confessariis facultatem audiendi confessiones, eandem facultatem restringit, ad Civitatem, & Diœcesim, ita ut solum extra ipsam non possunt audire: ita enim habet: *Et Beneficium absolutionis (in posterum) impendent, pro ut superius est expressum: Extra Civitates, & Diœceses, in quibus fuerint deputati, per quas eos volumus, & non per Provincias deputari, confessiones nullatenus audituræ*. Cum igitur sphera pro Regularibus Confessariis deputata à Summo Pontifice, intra quam solam ipsi possunt audire confessiones, sint tota Civitas, & Diœcesis, poterunt iidem in quacunque Ecclesia Civitatis, & Diœcesis eas audire. Sicque Regulares Confessarii cum habeant privilegium à Papa audiendi confessiones, & jurisdictionem ab ipso, ex *Clement. Dudum* citat. nec præterea requiratur modo aliud ad jurisdictionem hanc exercendam in tota Civitate, & Diœcesi, nisi (ultra præsentationem factam à Superiore coram Episco-

po, & Ordinario, ut ſtatuitur *in cit. Clement. Dudum)* approbatio ab eodem Epiſcopo, & Ordinario, juxta præſcriptum *Trident. ſeſſ. 23. de Refor. c. 15.* poterit approbatus hanc facultatem exercere in quocunque loco Diœceſis, in qua fuit approbatus, atque adeò etiam in Eccleſiis parochialibus, nec Parochi poterunt impedire (arguit etiam *P. Paſqual. qu. c. 198. n. 4. in fine:) Quia non poſſunt ire contra facultatem à Summo Pontifice; ſicut non poſſet Epiſcopus impedire, ne quis in ſua Diœceſi utatur privilegio conceſſo à Pontifice contra ſtatuta ejuſdem Epiſcopi.*

1434 Secundò conſtat, ex eo, quod Regulares non ab Epiſcopis, & Ordinariis juriſdictionem recipiunt pro audiendis Confeſſionibus, ſed illam habent ex Auctoritate Apoſtolica, & à Summo Pontifice, quatenus à ſuis Superioribus exponuntur, ex citats *Extravaganti inter cunctas, & Clementina Dudum, de ſepulturis,* & ex aliis Privilegiis Summorum Pontificum (quæ recenſentur *à Miranda in Man. Prælator. tom. 1. qu. 45. art. 14. concl. 2. à P. Paſqual. cent. 2. qu. 128. n. 5.* & ab aliis pluribus) ab Epiſcopis verò, & Ordinariis judicium tantum idoneatis habent, ſeu ſolam idoneatis approbationem, ex *Decreto Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. de Refor.* ubi *Sancta Synodus* decernit nullum Sacerdotem (etiam Regularem) exercere poſſe poteſtatem abſolvendi à peccatis, quam in ſua Ordinatione accepit, niſi obtenta prius ab Ordinariis approbatione idoneitatis, aut niſi habeat Parochiale Beneficium. Unde reſpectu Regularium non convenit Ordinariis alia facultas, niſi examinandi, & judicandi de idoneitate; cum juriſdictionem habeant Regulares, non ab Ordinariis, ſed à Summo Pontifice, ut ſupra dictum eſt, ex *citatis Extravanganti, & ex Clementina Dudum, item citata:* in qua *§. Per bujuſmodi,* ſic: *Per bujuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus perſonis, ſeu Fratribus ipſis, ad id taliter deputatis, poteſtatem in hoc impendere ampliorem.* Et idem etiam notat *Gloſſa in Cap. Si Epiſcopus, de Pœnitent. & Remiſſion. in 6. Verbo Item tertio* (ibi: *Præſupponendum eſt, quod quis dicitur habere plures proprios Sacerdotes, ſcilicet Rectorem Eccleſiæ Parochialis, Epiſcopum, Legatum, & Papam, qui habet generalem curam omnium Chriſtianorum, & ſufficit habere licentiam ab altero iſtorum: Mendicantes verò ſunt delegati à Sede Apoſtolica, per Cle. ſuper Cathedram de ſepulturis in Clement.*) *Henriq. in Summa lib. 6. cap. 6. n. 5. & 6.* (ibi: *Regularis approbatus habet juriſdictionem non tam ab Epiſcopo, quam ipſo jure à Papa, &c.*) *Coninch de Sacrament. diſp. 8. dub. 4. n. 29. Confectius in Compend. Privilegior. Mendicantium, Titul. 17. de Regularib. in Confeſſarios deputandis, cap. 4. fol. mihi 361.* (ibi: *Ex Concilii Tridentini Decreto jam ſatis compertum eſt, tam Sæcularem Clericum, quam Regularem Sacerdotem pro Confeſſarii munere obeundo, ab Ordinario approbandum fore debere, quod tamen diverſimodè fieri contingit: Quoniam Clericus qui eſt Epiſcopo ſubiectus cum prævio examine ad Sacras Confeſſiones Sæcularium audiendas approbatur, ab eo etiam juriſdictionem in pœnitentium Diœceſanorum perſonas recipit, &c. Et ſit approbatus fuerit, pro hac, vel illa Eccleſia, ſeu loco, aut pro Viris, ſeu Mulieribus, eorunque certa quantitate, vel ad certum tempus, tunc ad illa loca, tempora, & perſonas, juxta conditiones in litteris approbationis expreſſas, illius juriſdictio collata intelligitur. Secus eſt in Sacerdote Regulari, in cujus approbatione Ordinarius aliter ſe ſe habere debet, nam cum ab eo omninò exemptus, & Sedis Apoſtolicæ immediatè ſubiectus exiſtat, nulla per ipſius Epiſcopi approbationem juriſdictionis poteſtas tribuituir. Sed ille approbatus, ſtatim ab ipſa Sancta Sede, & Summo Poutifice, per Privilegia Ordini conceſſa immediatè conſequitur. Qua quidem juriſdictione perſonæ, non ſolum illius Civitatis, & Diœceſis, in qua approbantur, ſed etiam forenſes, & aliarum Diœceſium in ea ad illos confluentes ei in foro pœnitentiæ ſubiiciuntur, illaſque audire valent ubique. Hæc autem juriſdictio, cum ob dictum Decretum Concil. Trident. ipſis Regularibus ſuſpenſa ſit, donec ab Epiſcopo prius examinati approbentur, aut aliàs idonei ab eo judicabuntur, tunc ſecuta dicta approbatione, jam eis juriſdictionis attributa poteſtas relaxatur. Unde ſequitur, quod Epiſcopus, ſi prævio examine Regularem idoneum invenerit, illum ſimpliciter abſque ulla temporis, loci, ſeu perſonarum limitatione indiſtinctè approbare, & admittere debet, atque tenetur, &c.* Et idem repetit ſequenti *cap. 5. Verſ. Tertia quod,* ſic; *Regulares, ex quo ab Ordinario juriſdictionem non habent, non poteſt illa, quam habent à Papa ex privilegio, nec quo ad locum, nec quo ad perſonas, per eundem Ordinarium coarctari, ſeu reſtringi. Quod quidem in tantum eſt verum, quod ſi Epiſcopus in fraudem, aut odium eorundem Regularium ſibi plures caſus, quam Parochis reſervaret, aut nimis excederet in reſervatione, non tenerentur obedire in illa reſtrictione: nam aliàs Sacrorum Ordinum privilegia à Sede Apoſtolica conceſſa inutilia redderentur, contra quæ nihil in fraudem, Epiſcopi, ſtatuere valent,* (*ut in lib. 5. Decretal. tit. 31.*

cap.

cap. 5. *de Excessibus Prælator. & Subditor. apertè declaratur.*) (Et do hic ego *cit. cap.* 5. *& Canonis* verba, quæ sunt sequentia : *Sanè si Episcopi aliquid ab Abbatibus, præter debitam obedientiam contra libertatem Ordinis à prædecessoribus nostris, & à nobis indultam, exigunt, liberum sit Abbatibus Auctoritate Apostolica, quod petitur, denegare*. Et Titulus, seu Summarium hujus capitis est: *Subditus non tenetur parere Superiori aliquid exigenti, vel præcipienti contra tenorem sui privilegii*. Et *Glossa ibi, Verbo Nota*, sic: *Non licet Episcopis aliquid petere contra libertatem à Domino Papa alicui concessam, alioquin licitè denegatur, quod petitur.*) *Suarez de Penitent. disp.* 28. *sec.* 4. *nu.* 22. *Portel. in dub. Regular. Verbo Licentia in Additament. n.* 4. *Joannes Franciscus Suarez in Enchiridion lib.* 5. *Verbo Confessor, Verbo Confessores Regulares, fol.* 351. *Rodriq. to.* 1. *qq. Regularium, qu.* 58. *art.* 1. *Molfesius in Summa p.* 1. *trac.* 7. *cap.* 12. *n.* 64. (ibi: *Regulares, non solum in Ordinatione recipiunt potestatem clavium, sed à Summo Pontifice per eorum privilegia recipiunt jurisdictionem, ut valeant omnium fidelium confessiones audire, in ordine tamen ad approbationem Episcopi, qui per suam approbationem solum judicat idoneam personam illius Regularis, quem approbat, ut docent communiter D. D.*) *Peyrin. to.* 3. *privilegiorum in Additament. ad Constitut. Sixti V. cap.* 2. *n.* 20. *Laym. lib.* 5. *Theol. Moralis trac.* 6. *cap.* 11. *n.* 3. *Gobat in Alphabeto Confessarior. casu.* 3. *n.* 99. *Lezzana to.* 1. *qq. Regular. cap.* 19. *n.* 9. *Bordonus resol.* 36. *n.* 32. (ubi affert etiam Summorum Pontificum privilegia) & *P. Pasqualig.* (tot aliis omissis D. D. qui possent hic adduci) *Cent.* 2. *q.* 142. *nu.* 5. Ubi, Regulares jurisdictionem habere non ab Ordinariis; sed à Summo Pontifice probat, nedum ex *Extravag. inter cunctas, & ex Clement. Dudum*, ut supra, verum etiam ex *constit. Clem. IV. quæ incipit, Exigentibus*, & ex privilegio *Sixti IV. Ordini Prædicatorum, in Bulla*, quæ incipit *Sedis Apostolicæ* 5. *Idibus Junii* 1477. *& Pauli III. Societati Jesu, die* 3. *Julii* 1545. *in Bulla Cum inter cunctas, & Pauli IV. in Bulla Ex Clementi, die* 1. *Julii* 1556. & concludit *citatum nu.* dicens, supradictam *Clementin. Dudum de sepultur.* non esse revocatam per *citatum Decretum Concilii Trident.* quod optimè affirmat, & *anteceden. qu.* 128. *n.* 7. probat cum *Navarro. Palao. Henriqu. Graff. Cened. Fagund. Rodriq. Diana. Gammacheo. Cęlestino. Cochier. Laym. Finel. Villalob. Zerola. Peyrino. Miranda. Joann à Cruce. Ledesma. Corduba, & Hieronym. Rodriq.* Quia hoc privilegium non est amplius privilegium, sed lex, cum sit insertum in corpore juris, cui non derogatur absque mentione speciali. Et etiam quia *Trident.* non revocat talem jurisdictionem, seu tale jurisdictionis privilegium, sed tantum addit conditionem, nempe approbationem Ordinarii, cum quo sit exercenda talis jurisdictio, quæ approbatio ante *Trident.* necessaria non erat ex vi privilegii, uti est post Decretum hujus Concilii. Cum igitur Regulares Confessarii jurisdictionem habeant audiendi Confessiones concessam à Summo Pontifice, & pro tota Civitate, & Diœcesi, nec ad locum coarctatam, ex dictis, nisi quod extra Civitatem, & Diœcesim non possint audire, & absolvere; de jure possunt illam exercere etiam in ipsa Ecclesia Parochiali, nec Parochus potest impedire, quia non potest ire contra facultatem concessam à Summo Pontifice. Addi etiam potest hic, id, quod decernit *Clemens X. in Bulla*, quæ incipit *Superna*, edita 11. *Kalend. Junii* 1670. *Anno primo sui Pontificatus*, & est *VII.* in ordine hujus Pontificis, *in Bullario Romano novo, to.* 6. *pag. mihi* 332. *§.* 4 videlicet: *Illos Religiosos, qui ad Confessiones audiendas idonei reperti fuerint ab Episcopis, generaliter quoque, & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis, cæterorunque locorum esse admittendos*. Et hoc idem est, quod affirmant pariter *Salmanticenses to.* 4. *Cursus Moralis tract.* 18. *Titul. de privilegiis cap.* 3. *punc.* 2. *§.* 3. *n.* 68. *pag. mihi* 321. inquiunt enim : *Non potest Episcopus Regularem cum limitatione ad loca, tempus, & personas approbare. Et si secus fecerit, nihil faciet, & poterit Regularis ultra limites approbationis validè, & licitè Confessiones audire*. Poterit (inquam) quia (ut optimè etiam *Peyrin. de subdito qu.* 1. *cap.* 21. *§.* 2. *Vers. Sed nota, in fine*, ad rem hanc) Privilegium à Papa concessum, à Papa inferiore infirmari non potest, ut dicitur *in Clementina ne Romani de Elect. in principio*. Vide eundem *Peyrin. Vers. & l. c.* ubi refert privilegium suæ Minimorum Religioni concessum *à Julio II. in Bulla* incipiente *Pastoralis Officii* (quo per participationem fruuntur aliæ omnes Religiones) *Confessiones audiendi extra proprias Ecclesias* in cunctis Domibus, & locis congruis, ex quo infert ipse, restrictiones illas, quæ solent ab aliquibus Episcopis apponi, locorum, in Ecclesiis, v. g. tui Ordinis, &c. nihil obesse.

1435 Et idem docet *P. Cespedes de Exemptione Regularium. Titulo de Exempt. quo ad Sacramentorum Administrationem cap.* 6. *dub.* 116. *n.* 3. *&* 4. sic : *Non possint Episcopi Regularibus præscribere, ut certis tantum in locis, ac tem-*

ac temporibus; aut certarum personarum Confessiones audiant, vel aliàs illorum privilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Nec video quomodo talis facultas Episcopis aliquo ex capite, vel aliquo jure competat. Cum ergo clarè circa hoc sint privilegiati Regulares, jam poterunt sine hac limitatione loci, Confessiones excipere, dum sine aliqua causa in hoc restringuntur. Quando autem æstimandum sit fuisse sic limitatè admissos ad Confessiones Regulares : Vide *Peyrinum tom. p. de Subdito qu. pr. cap. 21. §. 2. Vers. Sed inquies : Qui inter alia inditia habet, unum esse, quando omnes Doctos, & indoctos admittit indifferenter cum tali limitatione personarum, & locorum; quia impossibile est credere, ex omnibus Regularibus nullum idoneum reperiri qui simpliciter approbetur* : Ita *Vega p. pr. cap. 62. Casu 7. & 8. Ledesma p. pr. Summæ De Sacram. Pœnit. dub. 9. pag. 447. Rodriqu. in Explicat. Bullæ Cruciatæ par. p. §. p. n. 33.* Hactenus *Pater Cespedes cum Peyrino l. c.* Qui *Peyrin. §. edem 2. Vers. Secundo censetur* : addit, censeri etiam Regulares sic limitatè sine causa admissos ab Episcopos; *Quando non eodem modo se gerit cum ipsis, ac cum aliis Præsbyteris sæcularibus ejusdem conditionis, & qualitatis : Censetur enim Episcopus ex odio sic limitatè admittere. Sicut nec possunt Episcopi in odium Regularium plures illis casus reservare, quam reservant Parochis, quo casu probabilissimum est, quod non tenerentur illis obedire circa talem restrictionem, atque limitationem, ut bene Sylvest. Verbo Confessor 2. n. 5. Sotus in 4. dist. 18. qu. 2. art. 5. Rodriq. tom. pr. qq. Regularium qu. 59. art. 8. n. 74. Molfesius to. pr. Summæ tract. 7. cap. 17. n. 30. Suar. to. 4. in 3. par. disp. 30. sect. 2. n. 16. Reginald. in Praxi lib. 8. n. 74. Unde quando ab aliquibus Episcopis conceditur per Decretum publicum ordinaria facultas suis Curatis absolvendi in aliquibus anni festivitatibus à casibus quos sibi reservant, dicta facultas censetur etiam concessa Regularibus ab ipsis approbatis. Ut patet ex Clement. Dudum §. Per hujusmodi; De Sepulturis; quæ pares omninò facit Confessores Regulares Parochis. Nec obstat non nominet, nam censetur supponere ex vulgaribus juribus, pro quo facit Cap. Illud superfluum dist. 95. Ita probabile est, quod nec tenet restrictio jurisdictionis facta in fraudem illius Decreti Congregationis absque justa, & legitima causa. Ità videntur sentire Miranda to. pr. Man. Prælat. qu. 45. art. 10. conclus. 2. Ledesma par. p. Summ. de Sacram. Pœnitent. cap. 13. dub. 9. pag. 447. Henriq. lib. 3. de Sacram Pœnit. cap. 6. n. 5. Expressè Rodriqu. in Explicat. Bullæ Cruciatæ par. p. §. 9. n. 34. Cum præsertim ab Episcopis (ut diximus) nullam Regulares jurisdictionem, sed simplicem tantum modo approbationem recipiant.* Hucusque *Peyrinus l. c. pag. mihi 61. col. 2.*

1436 Hinc optimè etiam *Gabriel à Sancto Vincentio in suo Tomo. Romæ edito de anno 1671. De Remediis Ignorantiæ disp. 14. & ultima dub. 2. §. 5. (ubi, de Constitut. Clem. x. Superna Magni) n. 60. pag. mihi* 455. approbans cum aliis eandem doctrinam, ac sententiam, sic ait : *Aliis dicendum videtur, quod qui licentiam habuit confitendi ad annum v. g. cum in examine, aut alias ab Episcopo idoneus absolutè judicatus fuit, nec tenetur de novo examinari, nec de novo approbari, cum jam examinatus, & approbatus sit, nec tenetur comparere ad pedes Episcopi, ut auferat illam obligationem comparendi quot annis pro confirmatione, & prorogatione : nec tenetur comparere, ut concedat licentiam illimitatam, cum jam cesset limitatio in vim præsentis Constitutionis.* In qua Constitutione, & ipsemet Summus Pontifex decernit : *Illos Religiosos, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Episcopis, generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos &c.* Subdens paulo infra : *Semel autem simpliciter approbatos, posse in Diœcesim Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque, etiam Infirmorum Confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen Confessione teneri dictos Religiosos eorundem Infirmorum Parochum illicò certiorem reddere. Sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum Infirmum relinquendam.* Ita *Clem. X. in cit. Constit. §. 4. anno 1670.* Et ante *Clementem S. Congregatio Cardinalium de anno 1587. sub die 2. Julii*, idem Decrevit per hæc verba : *Regulares, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis, eorumve Examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoquoque, & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis personarum admittantur in Diœcesi propria. Qui autem in Domibus laicorum Confessiones ex causa audiverint, statim Parochum admonere teneantur, & fidem auditæ Confessionis pro Medico adveniente relinquere.*

Fr. Michael Bonellus Card. Alex. Georgius Palearius Secretarius. Hæc *à Sacra Congregatione Regularium* : quæ videri possunt ità ad verbum relata apud *Jo: Baptistam Confectium in sua Collectione Privilegiorum Tit. 17.* Qui est *De Regularibus in Confessarios deputandis cap. 4. in fine pag. mihi* 416. apud *Rodriquez to. p. qq. Regular. qu. 59. art. 8. in fine* :

fine : pag. mihi 343. *col. p. & apud Mirandam l. c. conclus.* 2. *in fine. pag. mihi* 318. quorum quilibet affirmat, quod si Episcopus prævio Examine, Regularem idoneum repererit, illum simpliciter absque ulla temporis, loci seu personarum limitatione indistinctè approbare ; & admittere debet, atque tenetur. Et si secus aget Episcopus absq; causa rationabili, justa, & legitima, non tenetur Regularis in ea restrictione, & limitatione obedire, prout tradunt etiam D.D. citati, & alii communiter : quia videlicet jurisdictio audiendi Confessiones, est Papalis : hinc optimè *Sylvester Verbo Confessor* 2. *qu.* 5. *nu.* 5. concludit : *Ista concessio, vel licentia audiendi, est Papalis, & Prælati in concedendo præbent nudum Ministerium. Unde securè tenenda est hæc opinio ; & secundum eam practicandum est, quando Episcopi, vel eorum Vicarii sunt duri in concedendo.*

1437 Tertiò constat, ex eo, quod Privilegia Confessariis Regularibus concessa, quibus Sæcularium ad se accedentium possunt Confessiones audire, sint personalia, & ratione suarum personarum concessa, non verò ratione Monasteriorum, nec affixa loco Ecclesiæ Regularium, unde personam sequuntur, quæ proindè potest illis uti in omni loco, ut inferunt etiam, & notant *Rodriq. to.* 1. *qq. Regular. qu.* 59. *art.* 7. *fol. mihi* 349. *Miranda in Man. Prælat. to. pr. qu.* 45 *art.* 14. *concl.* 3. *in fine. Tambur. de Jure Abbatum to.* 2. *disp.* 6. *qu* 13. *Vers. Ex quibus* (ibi concludens cum *Miranda* : *Hoc esse multum notandum.*) *Pasqualig. cent.* 2. *qu.* 198. *num.* 3. *&* 4 *Hieronym. Rodriq. in Compend. ref.* 32. *n.* 16. & alii. Cum enim Privilegium personale sequatur, personam *leg. In omnibus, ff. de Regulis Juris. Et Cap. Privilegium de Regulis Juris in* 6. ibi : *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.* Potest Privilegiatus uti suo tali Privilegio in omnibus, saltem intra Territorium concedentis (in casu nostro Episcopi approbantis.) Hinc cum Summus Pontifex non habeat limitationem Territorii, personalia Privilegia ab ipso concessa, non habebunt limitationem loci, sed ubique Privilegiatus iis poterit uti : quod & notat inter alios *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 26. *n. pr.* Cum habeant ergo Regulares Privilegium audiendi Confessiones, & jurisdictionem ab ipso Summo Pontifice dimanantem, ex *cit. Clementina Dudum, de sepulturis*, nec requiratur, nisi præsentatio facta à Superiore coram Episcopo, & ex *Trident. Concil.* approbatio ab eodem Episcopo, & hujusmodi privilegium sit personale, poterit Regularis approbatus hanc facultatem ; & jurisdictionem exercere in quocunque loco Diœcesis, in qua fuit approbatus, atque adeò etiam in Ecclesiis Parochialibus, nec poterunt Parochi illam impedire, &c. Addo hic cum eodem *P. Pasqualigo qu. cit.* 198. *nu.* 6. quod non minus Parochiani sunt sub Parochi jurisdictione, quam sit parochialis Ecclesia, quia tamen habent Regulares facultatem, à Summo Pontifice audiendi Confessiones, quorumcunque ad se venientium, & approbationem ab Ordinario, possunt parochianorum Confessiones audire invitis etiam parochis, non obstante, quod sint de eorum jurisdictione, ergo, quia facultatem habent à Summo Pontifice audiendi Confessiones in Civitate, & Diœcesi, ex eadem *Clementina Dudum, de sepulturis*, & sunt approbati ab Ordinario pro Civitate, & Diœcesi, poterunt audire Confessiones in quacunque Ecclesia Civitatis, & Diœcesis, quia valet argumentum à loco ad personam, & à persona ad locum, *leg.* 1. *Ofilius, ff. Ne quis eum, qui in jus, & Cap. Pervenit, & Cap. Cum Ecclesia, de Immunitat. Eccles.* & notat apud eundem *Pasqualigum, Petrus Ancharan. consil.* 11. *n.* 7. *Vers. Et in quinto : Socin. jun. consil.* 52. *nu.* 8. *vol.* 2. *Riminal. consil.* 118. *n.* 106. *vol.* 2. *Decius cons.* 1. *n.* 127. *vol.* 2. *Tuschus littera A, conclus.* 502. *n.* 3. *Everard. loco* 41. *in* 18. *specie loci à simili*; quibus addo *Cavagnol. decisionum consult. to.* 1. *pag.* 484. *n.* 17. apud, & cum *Barbosa Loco* 83. *n.* 2. ubi : *A persona ad locum valet argumentum* : Et è contra, *à loco ad personam, ut dixi Loco* 65. *num. pr.*

1438 Quartò constat, ex eo, quod Regulares sunt coadiutores Parochorum dati, & deputati à Sede Apostolica, & à Summo Pontifice, ut apertè desumitur, ex *Clement. citata Dudum, de sepulturis* (ibi : *Tanquam cooperatores idoneos*) ut advertunt etiam *Rodriq. tom.* 3. *qq. Regularium qu.* 31. *art.* 4. *in fine* (ibi *Sciant Domini Episcopi eos, ut Coadiutores datos esse à Sede Apostolica,*) & *Pasqualig. qu. cit. num.* 7. in dicta enim *Clementina* præcipit Pontifex (ex verbis ipsis, ut constat) quod eos tanquam tales (*cooperatores* videlicet) admittantur : *Ergo cum non possit inferior impedire Coadiutorem sibi datum à Superiori in proprio Officio, non poterunt Parochi impedire* (sic concludit *Pasqualig. n. cit.*) *quin Regulares in Parochialibus Ecclesiis audiant Confessiones.* Verum quidem est, quod ex quadam æquitate (ut supra) expediens est, eos non audire in Ecclesiis Parochialibus, saltem invitis Parochis, ne ipsi perturbentur, pro bono pacis, ad evitanda

jurgia

jurgia cum iisdem, scandala, &c. Et licet nonnulli Ordinarii, & Episcopi concedendo Regularibus approbationem Ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ, eorum facultatem restringere, & limitare soleant, sic: *Facultatem tibi facimus in Ecclesiis tui Ordinis, atque etiā graviter ægrotantibus, &c. Ac aliis Ecclesiis de ipsorum Rectorum consensu.* Limitatio hęc, & restrictio, ut notat etiam *Bordon. res.* 36. *qu.* 6. *n.* 34. non apponitur ad auferendam jurisdictionem extra locum præcisè designatum, ideſt extra propriam Regularem Ecclesiam, &c. sed ad evitandas dissensiones, & rixas inter Regulares Confessarios, & Parochos. Pręterquam quod restrictio loci interpretanda est, ut non sit ablativa facultatis validè, sed ad summum tantum licitè absolvendi, dat enim modum, & ordinem absolvendi, non autem tollendi jurisdictionem: nec indicat talis restrictio conditionem, sed modum, quo etiam non servato, tenet gestum; ut docent Doctores communiter cum *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *disp.* 33. *§. Tandem quia, & disp.* 5. *n.* 2. *&* 4. *Bonac. de Pœnitent. disp.* 5. *qu.* 7. *punc.* 4. *§. pr. n.* 18. *Et Petro Maria Passerino de Statibus Hominum q.* 187. *n.* 328. *pag. mihi* 77. *col.* 2. Dum ibi sic: *Per se loquendo, & præscindendo à circumstantiis, Regulares approbati, possunt audire confessiones etiam intra Ecclesias Parochiales, etiam irrequisito Parocho, immo ipso etiam invito, quia rationibus dictis, Parochus nullum habet jus, ut confessionem talem impedire possit, & Regulares utuntur jure suo quod habent.* Ita citatus Doctor: Addens tamen *nu. seq.* 329. *per accidens posse esse, quod non liceat Regularibus audire confessiones intra Ecclesias Parochiales. Nam primò custodia Ecclesiæ pertinet ad Parochum, cujus est eam claudere, vel aperire. Ideò non potest Regularis vel Ecclesiam irrequisito parocho aperire, & multo minus eo invito; vel eum impedire ne eam claudat, quando id judicat opportunum, & in hoc fieret injuria parocho, si in hac sua jurisdictione impediretur. Et quamvis malefaceret parochus si extra horam, vellet claudere Ecclesiam, & eiicere ex ea fideles, & simul Regulares, & sic impedire exercitium confessionis, tamen in hoc non posset parochus vi privata impediri in exercitio suæ jurisdictionis, licet ea abuteretur. Sed tamen Regularis Confessor dum est in Ecclesia, confessiones audire potest, etiam si ibi sit invito parocho, & tunc potest esse quod peccet, quia maneat invitus, non tamen peccabit quia confessiones audiat, & bene contingere potest, quod nec peccaret, ex eo quod invito parocho in Ecclesia maneat, cum parochus irrationabiliter vellet eum eiicere. Neque enim parochus jus habet ut tempore, quo solet, & debet Ecclesia manere aperta ad usum Divinorum, illam claudere vellet ad nutum sine ratione: nam & fideles ad usum Ecclesiæ; verum jus habent, & si parochus vim faceret, possent fideles se defendere.* Prosequitur tamen *n. seq.* 330. *Ex lege autem charitatis, & necessitate juit andi scandala, potest obligari Regularis ad non audiendas confessiones in aliorum Ecclesiis, invitis, aut irrequisitis eorum Rectoribus. Necesse est enim vitare jurgia, & contentiones, & scandala. Nam & ex misericordia debemus compati infirmitati proximi: Unde nulla existente necessitate audiendi confessiones in parochiali Ecclesia, imprudentiæ esset, & contra charitatem velle id exercere tunc cum præsumi debet, quod parochus, vel ex infirmitate, vel ex ignorantia scandali labitur, &c.* Ita citatus *Passerin. loco, & to. cit. Romæ impresso anno* 1663. Vide *Bordon. n. cit.* Non ignorant Confessarii Regulares proprium personale jurisdictionis privilegium, seque posse validè ministrare pęnitentiæ Sacramentum in Ecclesiis etiam parochialibus, & parochis ipsis invitis, se tamen abstinent omnes, reverenter, atque libenter ab hoc Ministerio in dictis Ecclesiis, ob bonum pacis, &c. Sciunt utique è contra R. R. Parochi prohibitum eis esse à Summis Pontificibus sub censuris, & pœnis, atque sub reatu lethali (ut supra ad satietatem) ingredi Ecclesias Regularium, cum Stola, aut Cruce elevata, occasione funerum, & in ejsdem Officia Defunctorum, aut Psalmos recitare, vel in aliquo se intromittere invitis, & reluctantibus Regularibus, quomodo ergo respondent reverentię, modestiæ, & honestati Regularium Confessariorum? loquatur experientia. Hæc omnia sint obiter, & occasionaliter dicta, ob primum videlicet, ac præcipuum nostræ responsioni, & assertioni oppositum argumentum eruditissimi *Pignatelli*. Cui item

1439 Dico secundo: Assumptum suum principale argumentum, pro tuenda, atque fundanda sua singulari sententia, nullam prorsus in se vim conclusivam habere. Nullam inquam, ait *P. Jo. Chrysostomus ab Ascensione in sua Apodixi, cap.* 8. *Divis. p. Vers. Respond. p. pag. mihi* 215. Quia caret, inquit, valido fundamento, imo in falso supposito fundatum est, atque adeo vim nullam subsistentem habere potest: fundatum enim est in propositione expresè reprobata à *Summo Pontifice Clem. X. in sua Constit. quæ est VII. in ordine in Bullario Romano novo to.* 5. *incipit. Superna Magni; sub die* 2. *Augusti* 1670. *expedita*. In qua declarando *Trident.* Stabilivit:

vit: *Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi, eos absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis Pœnitentes Subditi sint ejus Episcopi à quo fuerant approbati:* Ita §. 4. Et jure quidem, quia pœnitentes subduntur Episcopo loci in quo sunt, sicuti delinquentes, ratione delicti subduntur Judici Territorii. Quod currit omnimodè etiam de Parocho, respectu suorum subditorum pœnitentium parochianorum; non enim est major ratio de Confessariis Regularibus, ac de Parochis, & hujusmodi declaratio de omnibus rationabiliter intelligi debet, & admitti. Hinc *Andreas Mendo in Epitome Moralium Opinionum Verbo Approbatio n.* 5. Simpliciter, & absque ulla distinctione, sic: *Approbatus in sua Diœcesi, non est approbatus in alia, nec ad audiendas confessiones subditorum Episcopi prioris, à quo fuit approbatus, sic stabilivit declarando Tridentinum Clemens X. in Bulla quæ incipit Superna, expedita die* 2. *Augusti* 1670. Et idem innuit, non distinguens, sed indifferenter loquens, *Verbo Confessio n.* 26. Et si, *Idem omnimodè currit de Parocho* (subsumit idem Pater) *ac de Confessario Regulari; argumentum jam est solutum, utpotè malè fundatum in falso supposito, & ruente fundamento, & ipsum penitus ruere necesse est.* Ita idemmet *Pater Ab Ascensione*, cui favere videtur *Hiacyntus Donatus in sua Praxi Rerum Regularium to.* 3. *trac.* 4. *qu.* 27. *nu.* 1. *fol. mihi* 40. dum ibi (cum *Soto*. *Ledesma*, & aliis relatis à *Peyrino to.* 1. *de Subdito qu.* 1. *cap.* 21. §. 2. *Verf. dico* 3.) affirmat, Confessarios Regulares in hoc æquiparari Parochis, ut expressè dicitur in *Clement. Dudum de sepultura*. Verum

1440 Facillimè effugiet vim, & censuram hujus oppositionis *Doctissimus Pignatellus* (& R. R. Parochi consequenter cum ipso) sustinebitque validum, firmumve summet suppositum, atque sui argumenti antecedens, si contra eundem *P. Ab Ascens.* dicat (quod & ego pariter affirmo) loqui videlicet *Sanctissimum Pontificem Clem. X. in cit. sua Constitutione* solum de Confessariis Regularibus, ut apertè satis innuit etiam titulus Constitutionis ejusdem, dum est hujusmodi: *Constitutio, in qua Regularium Privilegia quo ad Prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ administrationem declarantur.* (De qua materia, etiam *Concilium Trident. sess.* 23. *cap.* 15. *sess.* 24. *cap.* 4. & *Gregor. XV. Constitutione Inscrutabili*) cui affirmationi subscribit & *Gabriel à S. Vincentio de Remediis Ignorantiæ disp.* 14. & *ultima, dub.* 2. §. 3. *n.* 56. *fol. mihi* 454. sic: *Cum Regulares* (quo ad Sacramentum Pœnitentiæ) *Jurisdictionem habeant à Summo Pontifice; Clemens X. in hac sua Constitutione vult, quod solum sic strictè illam recipiant à Sanctitate sua.* Et confirmatur eadem propositio nostra affirmativa cum *Pignatello* contra eundem *Ab Ascens.* Tum quia nedum Titulus, verumetiam Textus totus hujus Constitutionis loquitur solum de Regularibus, ergo. Tum quia (ut optimè *Sancius in Selectis disp.* 48. *sub n.* 25. *Verf. Et non esse*. *P. Cespedes De Exemptione Regularium quo ad Sacramentor. administrationem cap.* 6. *dub.* 114. *n.* 6. *in fine.* & *dub.* 115. *n.* 5. *in principio.* & alii) non sunt pares in omnibus Regulares cum Parochis in administratione Sacramenti Pœnitentiæ: Quia & si plura adhuc habeant privilegia Regulares in hujusmodi administratione, quam Parochi (ut constat, & videre est apud Doctores) nec præterea in hac administratione pares sunt. *Pares sunt Regulares Parochis, dum non diversificantur. P. Cespedes n.* 5. *cit.* at in relata *Constit. Clem. X.* diversificantur in potestate absolvendi, ut patet. Et inquit *Sancius Verf. cit. Parochi vices suas aliis possunt committere in ordine ad Confessionem, nequaquam Regulares, ut advertit Angelus Verbo Confessor* 3. *nu.* 26. *allegans Cardin. Sylvest. Verbo Confessor.* 2. *n.* 4. *Deinde Regulares, omnes de Diœcesi, solum intra Diœcesim possunt admittere ad Pœnitentiæ Sacramentum: Parochi verò solùm suos Parochianos absolvere possunt, etiam extra Diœcesim existentes, quia in his, quæ fiunt sine strepitu judicii, & sub silentio, nullius læditur Territorium, leg.* 2. *ff. de Offic. Proconf.* & *facit quod notat Panorm. in cap. Contingat, de foro compet.* & *ita etiam docet Cardinal.* Hactenus *Sancius*. Tum etiam, quia Jus Parochiale, valde speciale est in Parochis ratione cujus sunt ipsi Pastores Ordinarii, ad eosque attinet (ut idem etiam *Sancius disp. cit. n.* 4.) proprias cognoscere oves, juxta illud Christi *Jo:* 10. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas*: & idcircò easdem agnoscere, & absolvere possunt etiam extra Diœcesim, & ubique locorum, ut tenent etiam viginti duo Authores apud, & cum *Barbosa in Tridentinum sess.* 23. *cap.* 15. *n.* 20. quibus adde *Prosperum Fagnanum in* 2. *part. libr.* 5. *Decretal. cap. Ne pro dilatione*. *De Pœnit.* & *remiss. nu.* 29. & 30. *fol. mihi* 142. Ubi & ipse: *Parochi alienorum quidem Parochianorum Confessiones audire non possunt, etiam in propria Parochia, cum in eos nullam habeant jurisdictionem; sed suos Parochianos possunt ubique locorum absolvere, quia in eos ordinariam*

dinariam habent jurisdictionem, & cum actus audiendi Confessiones sit jurisdictionis voluntariæ, potest etiam in alieno territorio exerceri l. p. ff. de Offic. Proconſ. &c. Hinc & idem *Gabriel à Sancto Vincentio ubi ſupra*, loquens de eadem *Clementis X. Constit.* videtur pro certo ſupponere, quod ſi Parochus Romanus v. g. eat ad Domum Lauretam cum ſuis Subditis proceſſionaliter, inibi eorum Confeſſiones audire poſſit. Non ſic Regulares, quibus competit jus auſcultandi Confeſſiones ex privilegio, ſeu ob delegationem, ut aliis Sacerdotibus ſimplicibus: quidquid dixerint in contrarium Authores ſupra relati, & alii apud *P. Ceſpedes cap. cit. 6. dub.* 121. *nu.* 2. qui omnes ſenſerunt Regulares approbatos in una Diœceſi poſſe ſubditos illius Diœceſis ubique audire, ſed hoc ſcripſere ante dictam *Constitutionem Clem. X.* poſt ipſam autem non eſt admittenda præfata opinio: Sicuti nec poſt eandem; nullum aliud ſuper hoc (uſque adhuc) emanavit Decretum: ſicque abſolutè verum uſque adhuc. Quod *Parochi ratione ſuæ Parochialis jurisdictionis, quam retinent extra Diœceſim quo ad ſuas oves, id eſt ſuos Parochianos, poſſunt extra illam eorum Confeſſiones audire, eoſdemque abſolvere:* & hoc idem ad litteram affirmat *Pignatellus* ſupra, imò eſt ſui argumenti antecedens ut patet, contra quod, nullum adhuc à *S. Congregatione* emanatum Decretum: At quid inde? Ex tali antecedenti licebit fortaſſe arguere, Parochi ratione ſuę Juriſdictionis poſſunt audire, & abſolvere proprias oves extra Dięceſim, ergo poterunt etiam Officium &c. ſuper illorum Cadavera peragere in Eccleſiis Regularium, etiam ſi Eccleſiæ iſtæ ſint de aliena juriſdictione, & comparentur loco extra Diœceſim, cum utrobique ſit eadem ratio, ſaltem ſimilis? Ita planè arguit; atq; intendit *Pignatellus*, ut apertè ſatis conſtat. Verum

1441 Quia & ſic arguit, & ſic inferre ipſe intendit: Dico ego inquam (ſecundo ut ſupra, contra ipſum) hujuſmodi argumentum, nullam prorſus vim concluſivam habere: imò nec licere ſic arguere: admiſſo enim, & omnimodè conceſſo antecedenti, neganda eſt uti negatur conſequentia, quæ nullam habet vim concludendi, nec convincendi utpote non bene deducta ex præfato admiſſo antecedenti. Negatur pariter (& abſolutè) quod intercedat hic eadem, aut ſimilis ratio: diverſa eſt omnino, & à diverſis non fit illatio (niſi ubi eſt eadem ratio, *Decius, Tuſchus, Abbas, Soncinus, Imbrianus* apud, & cum *Barboſa Loco Communi* 37.) Nec extenſio (niſi pariter adſit eadem ratio, *l. Julia, §. 6. ff. de Ritu nupt.* & notant *Cravetta Conſil.* 17. *num.* 2. *P. Paſqualig. de Sacrificio Miſſæ to. p. qu.* 101. *n.* 3. *in fine*, aliique) Hic autem non adeſt eadem ratio, ut infra. Nec etiam ſimilis, quæ & ſi adeſſet, & in utroque ratio eadem non procederet, uti non procedit (ut pariter infra) nec valeret conſequentia, quia *A' ſimili ad ſimile* non valet argumentum, *Barboſa Loco Communi* 101. *nu.* 3. cum *Oſaſcho, Pedemontano, Maſcardo, Menochio, Farinaccio*, quando in *utroque ſimili non adeſt eadem ratio: hinc Tuſchus to.* 6. *litt. R. concluſ.* 37. *n. p.* cum *Baldo, & Alex.* ait: *Ratio diverſa facit ceſſare argumentum à ſimili.* Nec quando æqualis Juris diſpoſitio non eſt in utroque (uti non eſt in caſu noſtro, ut infra) alias non dicitur ſimile, *Baldus Conſil.* 188. *in fine, Verſ. Non obſtat argumentum*, quem referunt, & ſequuntur *Tuſchus litt. A. concl.* 507. *Barboſa l. c. n.* 4. addens *n.* 5. cum *Soncino, Federico de Senis, Surdo, Seraphino, Tuſcho*, & aliis, nec procedere argumentum *A' ſimili*, quando non probatur ſimilitudo in eo, de quo agitur: quod repetit cum aliis *n.* 6. *&* 7. concludens *n.* 8. cum *Calder. Pereira, Menochio*, & aliis, argumentum hoc fragile eſſe, quoties diverſa ratio aſſignari poteſt: eſſeque leve, ac infirmum, & facile proſterni.

1442 Quod autem adſit hic diverſa ratio, atq; adeo vim ullam habeat *Pignatelli* argumentum, inconcludenſque evadat conſequenter, patet apertiſſimè: Tum quia, eſto Parochus etiam extra proprium territorium, & ubique locorum poſſit (uti certè poteſt) audire propriorum Parochianorum Confeſſiones, eoſdenque abſolvere, ratione ſuæ juriſdictionis in ipſo, ut inter alios præter *citatos ſupra*, affirmat etiam *Tuſchus to.* 4. *litt. I. concluſ.* 546. *n.* 12. (ibi, *Poteſt fieri Confeſſio ſuo Sacerdoti Parochiano ubique, ideo quia eſt actus voluntariæ Juriſdictionis.*) Voluntaria juriſdictio (idem *Tuſchus concluſ. cit. n.* 7. cum *Calderino conſil.* 468. *circa p. u. Secundò pondera*, aliàs 3. *qui filii ſint legitimi.*) Territorio non cohęret (prout contentioſa) ſed cohæret perſonæ, ideo non transfertur translato Territorio, ſed remanet penes transferentem, ut illam exerceat in volentes. Sed inter volentes ſubiici, juriſdictioni Sacerdotis ſui Parochi, cui ſubiiciebatur, dum viveret, non poteſt adnumerari (contra id quod neceſſariò ſupponit in ſuo argumento *Pignatellus*) Defunctus, & Cadaver Parochiani exiſtentis in Eccleſia Regularium ibi humandi: Ergo. Probatur hæc minor, quia Parochi ſuper Defunctum Parochia-

rochianum in loco Regularinm existentem, ibique sepeliendnm, nullam prorsus in ipsum amplius jurisdictionem retinent, nec habent, deperditam (quod docet etiam *idem Ab Ascens. suæ discusionis cap. 7. & 8. Divisione p. & alibi*) deperditam inquam in eodem instanti, quo locum Regularem ingressus est. Et ratio est clara, quia Sepultura comparatur Domicilio inter vivos. Unde *Rodriq. to. 3. qq. Regular. qu. 58. art. 8. cum Oldrado, & Joanne Baptista de Salis in Summa*, ait, *Sicut Domicilium est inter vivos, ita Sepultura est inter mortuos: & P. Pasqualigus Decis. 402. n. 5.* pariter ait: *Sepultura inter mortuos comparatur Domicilio*. Et si intentio habitationis perpetuæ, per Doctores communiter, est illa, quæ veram constituit rationem Domicilii: *Veraciter autem* (sunt verba *Rodriq. to. p. qq. Regularium qu. 46. art. 6. Vers. Secundò circa*) *rationem Domicili constituit intentio habitationis perpetuæ:* cum jam Defunctus (extra Parochiam) suum perpetuum Domicilium elegerit (idest suam Sepulturam) in loco, & Ecclesia Regularinm, statim ac Ecclesiæ jánuam Cadaver suum ingreditur, ut ibidem perpetuò inhabitet, illicò, & immediatè mutando domicilium transfertur de Parochia, transitque de ipsa in locum exemptum Regularium, atque adeò extra jurisdictionem Parochi. Et sicut si quis ab vna Parochia ad aliam transferat habitationem suam, ac Domicilium, ibique moriatur, Cadaver illius est penitus extra jurisdictionem primi Parochi, qui injustè prætenderet super illud exercere, vel minimum jurisdictionis actum, ita à pari nec habent Parochi, vel ullam prorsus exercere jurisdictionem valent in cadavera, Ecclesias, & loca Regularium ingressa, in iisdem sepelienda, siquidem firmiter, imò perpetuò posita extra primam Parochiam, & Domicilium. Domicilium enim primum, quo ad jurisdictionem amittitur, aliò translata habitatione, ut docent communissimè Doctores, præcipuè *Sanch. de Matrim. to. pr. lib. 3. disp. 23. n. 7.* ubi, *Vers. Secundo quia: Habitatio constituit aliquem Parochianum*. Et statim ac quis (ut supra) nouum Domicilium ingreditur, perpetuo inhabitandum, ibique verè, & realiter incipit habitare (ut Defunctus in casu nostro) illicò amittit vetus Domicilium (& esse illius Parochianorum consequenter) & novum acquirit, in quo vult, & incipit habitare, ac subiici. Et hoc idem inter alios advertit *Bonac. de Sacram. Ordinis disp. 8. qu. unica, punc. 5. n. 11.* dum ait: *Ad contrahendum Domicilium, non sufficere solum animum manendi in aliquo loco, sed requiri simul actualem habitationem*. Quamobrem qui solùm mente statuit in aliquo loco habitare, non contrahit Domicilium in eo loco, in quo statuit habitare, sicut neque amittit Domicilium, per solam intentionem discedendi. At in casu nostro Defunctus (de quo hic) verè, & cum effectu discessit à priori Parochiæ Domicilio, & contraxit novum, in quo habitare incepit realiter, & cum animo, & intentione ibi perpetuo manendi; in loco videlicet exempto, & Ecclesia Regularium, igitur extra subiectionem omninò, & jurisdictionem priorem Parochialem.

1443 Tum quia, & si item concedamus (cum *Federico de Senis Consil. 11. per totum, præsertim n. 6. Calderino*, & aliis relatis à *Tuscbo conclus. cit. nu. 8.*) exerceri videlicet posse ea, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis ubique, & extra territorium, limitari tamen debet secundum Doctores, ut exerceantur, & actus fiat sine contradictore: *Jurisdictio voluntaria* (ait *Tuscbus conclus. cit. 546. cum Calderino consil. 48. n. 2. ver. Incontrarium*) *dicitur quando actus fit sine contradictore, sed inter volentes*. At Parochi, si Sacramentaliter absolvunt à peccatis suos Parochianos ubique, & extra Territorium, ac Diœcesim, non habent (suppono) ullum contradictorem, bene tamen, & maximam contradictonem, innumerosque contradictores, si prætendant in funeribus in Regularium Ecclesiis se intromittere, ut constat quotidiana experientia, igitur ab illa Sacramentali jurisdictione adhanc circa funeralia non valet consequentia, nec arguere, quia hæc contentiosa est, non illa, hinc inter utranque dispar ratio intercedit apertissimè: Ergo.

1444 Tum quia, Voluntaria jurisdictio (idem *Tuscbus conclus. cit. nu. 2.* cum *Baldo Consil. 124. Archipresbyter habens, lib. pr.) dicitur quando absque judicio exerceri potest, & quando versamur in iis, quæ pertinent ad observantiam, vel Constitutionem, vel Regulam, & ubi de nullius præjudicio agitur*. Sed hujusmodi Sapientissimorum Virorum conclusio, sententia, ac doctrina (quæ etiam communis esse videtur) aptatur quidem voluntariæ jurisdictioni, quam exercent Parochi, aut exercere possunt (ex suppositis) etiam extra proprium Territorium, & Diœcesim in foro animæ, & absque juditii strepitu: item absque illius præjudicio. Non tamen aptatur, nec aptari potest jurisdictioni, quam iidem Parochi habere contendunt in Ecclesiis Regularium occasione funerum su-

per Cadavera suorum Parochianorum in eisdem Regularibus Ecclesiis humandorum, ut supra, ergo. Secunda hæc minoris pars probatur evidenter: Nam dicta prætensa jurisdictio exercetur à Parochis non secretò (ut absolutio Sacramentalis) sed cum strepitu, licet non judicii, Pompæ tamen funeralis ut constat. Item exercetur à Parochis, non in iis quæ pertinent ad observantiam Constitutionum, seu Bullarum Summorum Pontificum, neque secundum præscriptum stylum, & regulam Sacrarum Romanarum Congregationum, sed contra penitus, & omnino, ut constat ex tot ad satietatem adductis in toto hoc Privilegio: quomodo ergo in tam dispari, & dissimili ratione valet consequentia? Neq; omittendum, quod maxime præjudicat Regularibus præfata prætensa Parochorum jurisdictio in funeralibus; nulli autem præjudicat altera absolvendi ubique secreto à peccatis Parochianos proprios, ergo ab hac ad illam non valet arguere.

1445 Tum etiam quia definiri debet à *Pignatello*, à quo recipiant, vel receperint Parochi voluntariam jurisdictionem, de qua in suo argumento, peragendi videlicet officium, &c. super cadavera suorum Parochianorum in Ecclesiis Regularium existentium, atque in eisdem humandorum, vel enim eam recipiunt, aut receperunt à Superiore supremo, a Summo Pontifice videlicet: Vel ab inferiore, hoc est à proprio Episcopo. Nam voluntaria jurisdictio (inquit *Tuschus concl. cit.* 546. *nu.* 17.) duplex est; Vna quæ conceditur à Principe, & à Superiori Supremo, pro ut Papa: *& ista* (addit) *ubique potest exerceri inter volentes sine dubio*. Alia est, quæ conceditur ab inferiore, puta recognoscente Superiorem, ab Episcopo in casu nostro: *& ista* (ait idem *Tuscus n.* 18. cum *Abbate) non potest exerceri extra territorium concedentis, etiam inter volentes*. A' Summo ipso Pontifice non est utique præfata voluntaria jurisdictio à Parochis recepta, quia imò sub censura, & lethali culpa, pluries, ut constat, à Sanctitate sua est illis prohibita, & interdicta: Non ab Episcopo, quia nec ipse talem jurisdictionem habet, ut probatum est, & nemo dat quod non habet: à quo ergo alio? assignet *Pignatell.* Cui pro solutione sui oppositi argumenti sufficere possent tot hucusque adducta, ex quibus concludenter statui potest, atque evidenter (tum authoritate, tum ratione, præter ea quæ ulterius ad abundantiam infra adducentur) quod etiam admisso prorsus argumenti sui antecedenti assumpto, ut hic libenter, & sine scrupulo simpliciter admittitur, & absolutè conceditur, non valet tamen ejusdem consequentia, nec bene currit: Nam, dato quod Parochus Parochiani sui confessiones in aliena Diœcesi possit (ut potest) audire, & absolvere, consequentia hujus propositionis deberet esse (ut patet, sicque curreret) ergo poterit etiam eas audire in Ecclesiis Regularium, quamvis sint istæ exemptæ, ac veluti extra Diœcesim, extra quam, uti & in aliena Parochia (ut supponitur in antecedenti) jurisdictio voluntaria exerceri potest: hæc inquam esse deberet consequentia *Pignatelli*, ex suo antecedenti, & curreret: non vero hæc altera, ergo licet etiam Parocho ingredi Ecclesias Regularium cum Cruce, &c. occasione associacionis funerum, ibique officium peragere, quæ consequentia absolutè negatur, quia non bene infertur ob diversitatem juris, & rationis, quæ facit cessare omne argumentum per Doctores communiter, tum Juristas, & Canonistas, tum Theologos: Quibus addo & eundem *Pignat. to. p. editionis Venetæ, consultatione* 146. *n.* 20. *fol. mihi* 197. *to.* 4. *consult.* 43. *nu.* 82. *fol.* 72. *& consult.* 95. *nu.* 11. *fol.* 151. *Vide Tuschum concl. cit.* 546. *& tom.* 6. *littera R. conclus.* 37. Ubi expressè: *Ratio diversa facit cessare argumentum &c. Ex ratione diversa tam legis, quam hominis diversum statuendum est, &c.*

1446 Addo primo contra eundem *Pignatellum*: Quod quæcunque spiritualis jurisdictio prætensa à Parochis super suos subditos Parochianos, agnoscere necessariò debet ortum suum, & originem à Summo Pontifice, à quo per omnes deriuat jurisdictio omnis spiritualis. Sicque talis etiam esse deberet jurisdictio spiritualis si adesset in Parocho in ordine ad funeranda Cadauera suorum Parochianorum in locis, & Ecclesiis Regularium, à Sanctitate Sua videlicet derivata. At Sanctitas Suas abstulit a Parocho hujusmodi jurisdictionem, & in Regulares transtulit, dum expressè & sub censuris &c. illi præcipit comitari cadavera suorum Parochianorum solum usque ad portam Ecclesiæ Regularium ex dictis supra ad abundantiam: nulla ergo remanet amplius in Parocho jurisdictio super cadavera, nisi usque ad portam Ecclesiæ Regularium: nisi fortassè Parochi super Parochianos prętenderent spiritualem habere jurisdictionem à Summo Pontifice non manantem, quod intolerabile, ac falsissimum esset, nec admissibile absque errore manifesto, cum potestas jurisdictionis spiritualis in Episcopos, & Parochos à Summo Pontifice immediatè accipiatur, quod fateri debent omnes Catholici;

tholici; Summus enim Pontifex, est *Vicarius Christi*, *Episcopus Universalis Ecclesiæ*, *Episcopus totius Orbis*, *Episcopus Episcoporum*, *Ordinarius Ordinariorum*, *Diœcesanus omnium exemptorum*, *&c. Barbosa de Jure Ecclesiastico Universo p. 1. lib. p. cap. 2. Bellarmin. to. 1. controversiar. lib. 2. de Romano Pontific.* innumeri alii apud ipsos (maximè ex Sanctis Patribus) item Canones, & omnes Catholici. Unde *D. Bernard. in epist.* 131. sic: *Plenitudo potestatis super Universas Orbis Ecclesias, singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata est.* Carent igitur Parochi omninò, quacumque prætensa iurisdictione super cadavera suorum Parochianorum in Regularium Ecclesiis posita, & humanda, dum adversus eamdem apertè contradicunt, nedum iidem Regulares, ut constat, verum etiam Sanctissimi Pontifices *ab Anno* 1258. *usque ad Annum* 1680. *Canones*, *Decreta innumera Sacrarum Congregationum Concilii*, *Episcoporum*, *& Regularium*, *atque Sacrorum Rituum. Decisiones Rotæ:* Doctores omnes, uno excepto *Pignatello consult.* 48. *cit. à n.* 20., *usque ad* 24. *inclusivè*. Et quod mirum est, ipsomet etiam contradicente, dum à sua singulari sententia, sic *n.* 25. (cum limitatione tamen) recedit: *Verum, quia Regulares suis quibusdam Privilegiis* (non potest negare Privilegia, ob quæ recedit) *hanc sententiam elidunt; idcircò statuo, id Parochis licere, cum hac tamen limitatione, dummodo in Ecclesias Regularium, cum Cruce, superpellicco, & Stola ingressi, nullum Officium super cadavere peragant. Ea statuendi fiduciam præbent Declarationes expresse S. Congreg. super Episcop. & Regul.*

1447 Hæ autem *Declarationes* (ut videre est apud eamdem) sunt tenoris sequentis: *Parochi, si velint, possunt Exequiis assistere, etiam in Ecclesiis Regularium, dummodo non faciant Officium, nec prætendant præcedentiam. In Cathacen.* 8. *Maii* 1595. *Parochi occasione funerum possunt ingredi Ecclesias Regularium cum superpelliceo, & Stola dommodo Officium super cadavere peragant ipsi Regulares, &c. In Firmana* 29. *Novembris* 1641. *E' stato altre volte dichiarato da questa Sacra Congregatione, che i Parochi possano intervenire alle sepolture de' Morti, che si portano alle Chiese de' Regolari, e possano arrivare insino alla Chiesa, & entrandovi, assistervi senza far cosa alcuna. E cosi ordini, trà i Regolari, e cotesti Curati. In una Gallipolitana* 20. *Novembris* 1601. *In Cervien. Cardinali Revilaque* 26. *Junii* 1615. *In Gravinen.* 22. *Januarii* 1616. *in Ravennaten.* 28. *&* 31. *Augusti* 1615. *In Cassinensi Abbati Montis Casini* 20. *Septembris* 1594. *In Montispelusii* 16. *Augusti* 1560. *In Nicoterensi* 5. *Iulii* 1615. *In Turritana* 24. *Novembris* 1617. Has, & alias *Declarationes* adducit *Pignatellus*, in quibus apertissimè decernitur, quod *Parochi possint quidem (si velint) exequiis assistere, etiam in Ecclesiis Regularium* (quod & nos concedimus) *dummodo Regulares ipsi Officium peragant*, *Parochi verò in re nulla se intromittant*; quod idem tandem, ex iisdemmet *Declarationibus* pro se allatis (& Regularium certissimis Privilegiis superius recensitis) coactus est fateri, & ipsemet; ac communi omnium sententiæ subscribere; quamvis id faciat cum limitatione: concedendo quidem videlicet, quod soli Regulares totum funeris Officium peragant exclusis omninò Parochis (quod prius negaverat) sed quod hi possint (si velint) ingredi & ipsi Ecclesiam Regularem occasione associationis funeris, *cum Stola, &c.* quam limitationem (inquit *n.* 25. *cit.*) præbent *Declarationes* ipsæ *Sacræ Congregationis* allatæ; in quibusdam enim expressè sic decernitur (ut in *Firmana* supra) *Parochi occasione funerum possunt ingredi Ecclesias Regularium cum superpelliceo, & Stola, dummodo, &c.* Et si ei dicas (ut faciunt aliqui apud ipsum *n.* 39.) quod istæ *Declarationes* sint intelligendæ de ingressu absque propria Cruce, superpelliceo, & Stola: Respondet, *illas contrarium manifestissimè evincere*. Additque, *Et quis unquam Parochis interdixerat ingressum in Ecclesiam Regularium sine superpelliceo, & Stola, ita, ut illam ingredi possint; Unde fuerint necessariæ tot Declarationes Sacrarum Congregationum? Quæ tamen* (ita subjungit *nu.* 42.) *nil aliud decernunt, nisi quod Parochus non teneatur, neque possit ingredi cum Stola, Cruce, & superpelliceo Ecclesiam Regularium, ibiq; Officium peragere super cadavere Defuncti; non verò quod nequeat ingredi si velit, cum eadem Stola, Cruce, & superpelliceo, dummodo Officium non peragat.* Cum hoc non obstet (inquit ipse *nu.* 40.) primæ sententiæ (hoc est nostræ omnium communi;) *Nam Stola sine suo exercitio, non est signum præcipuum jurisdictionis, sed Vestis Sacerdotalis.* Verum de hac re, uti & de recitatis Declarationibus, infra. Solum ex verbis, & assertionibus *Pignatelli*, valet hic obiter arguere, & inferre, ipsummet paulatim totaliter recedere à sua singulari sententia, amplectendo simpliciter communem, quam etiam videtur absolutè approbare sub *n. n.* 54. *&* 55. in quibus sic: *Decreta probibentia Clero Sæculari, ne Officium faciat super Defunctis in Ecclesiis Regularium, speciatim etiam loquuntur de Capitulo, & Clero*

Cathe-

Cathedralis, ut præter jam adducta, sic fuisse resolutum cum Capitulo Andrian. scribit Barbosa de Potestate Parochi par. 3.*cap.*26.*n.* 80. *& 82. utrobique in fine. Et ratio ipsa sic decernendi æquè militat respectu Cleri Collegiatarum, ac respectu Cathedralium. Ea enim tota consistit in eo, quod Ecclesiæ Regulares sunt exemptæ, ut opportunè advertit Tambur. de Jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 15. *qu.* 18. *& Cespedes de Exemption. Regularium dub.* 219. *n.* 25.. *Hæc autem communis est omnibus Clericis, tam Collegiatarum, quam Cathedralium. Neque urget similitudo præcedentiæ. Quia differt à jure funerandi. Præcedentia enim supponit concursum exemptorum, & non exemptorum: jus verò funerandi in Ecclesiis Regularium præcisè, excludit Præsbyteros Sæculares.* Hactenùs *Pignatellus*, pro nostra, & omnium communi sententia, ut patet.

1448 Addo secundo quod Parocho in Regularium Ecclesiis apertè prohibitus est sub tot censuris, & pœnis (ut supra) actus quilibet jurisdictionis, unde si nolit iisdem censuris, & pœnis irretiri, debet se abstinere à quolibet jurisdictionis actu, & exercitio in Ecclesiis Regularium, consequenter nec in ipsis Stolam, vel Crucem deferre, ob paritatem, aut similitudinem in argumento prætensam. Præterquanquod adeò per repetita Decreta, & præcepta apertè damnata est delatio ipsa Stolæ, & Crucis in Ecclesiis Regularium, ut nulla paritas, vel similitudo possit contra eos convincere (ut optimè etiam *P. Ab Ascensione cap.* 8. *division. pr. fol.* 217. *&* 218.) maximè quia non semper à non prohibitis ad prohibita trahitur consequentia: & à simili ad simile non valet argumentum; quando in utroque simili non est eadem ratio (ut docent *Osasch. Mascard. Menoch. Farinac.* apud, & cum *Barbosa de Locis Communib. Loco* 101. *num.* 3. non est autem hic ratio eadem, in antecedenti nanque assumitur id, quod prohibitum non supponitur: quod autem ex ipso in consequenti infertur, apertè prohibitum est) vel quandocunque ex argumento à simili sequitur jurium correctio (ut probant Juristæ apud, & cum eodem *Barbosa l. c. nu.* 9.) concessa autem argumenti consequentia, tot Jurium correctio sequeretur, quot supra allata sunt.

1449 Ab hac difficultate, & oppositione se expedit *Pignatellus n.* 40. dicens: *Quod Stola sine suo exercitio non est signum præcipuum jurisdictionis, sed Vestis Sacerdotalis, cap. Ecclesiastica distin.* 23. *& ut docet D. Thom.* 3. *par. qu. supplem. art.* 7. *in corp. est habitus proprius Sacerdotis, & est veluti forma totius ornatus Sacerdotalis, si quidem ipsum determinat, ut sit proprius ipsius. Quæ, & Orarium appellatur in Concilio Bracarens.* 1. *cap.* 27. *&c. Ergo cum Parochi ingrediuntur Ecclesiam Regularium cum Stola, utuntur habitu ipsis concesso, præcipuè occasione Processionum, in quibus semper in usu fuit mos deferendi Orarium. Itaque Parochus ingrediens Ecclesias Regularium cum superpelliceo, & Stola, utitur habitu suo, & quia in illis nullum peragit Officium super cadavere cum usu Stolæ, nullam exercet jurisdictionem, sed puram assistentiam cum suo habitu. Jurisdictio enim est propter usum, ut tradunt Sotus, & Vasquez, &c. Et si licet ingredi cum Stola* (sic *n.* 41. *in fine*) *multò magis licebit ingredi cum Cruce. Stola enim est verum, ac majus signum jurisdictionis. Decreta verò* (ita *n.* 42.) *Sacræ Congregationis tam Rituum, quam super Episcopis, & Regularibus, quæ videntur esse contraria; nil aliud decernunt, nisi quod Parochus teneatur, neve possit ingredi cum Stola, Cruce, & superpelliceo Ecclesiam Regularium, ibique etiam Officium peragere super cadavere Defuncti, non verò quod nequeat ingredi si velit, cum eadem Stola, Cruce, & superpelliceo, dummodo Officium non peragat.* Hæc *Pignatellus*. Qui (ut evidenter constat ex suo toto assumpto) aufert, & ipse (cum omnium communi, & nostra sententia) à Parochis, quodvis jus, & quemcunq; jurisdictionis actum, vel exercitium in Ecclesiis Regularium occasione funerum; sola eorundem Parochorum voluntaria assistentia contentus: *Cum eadem tamen Stola* (addit) *& Cruce si velint*, ob rationes præfatas videlicet, à se adductas.

1450 Circa quas sic. Quod Stola sit habitus, seu vestis Sacerdotalis, ornatusque Sacerdotis, transeat, hoc enim innuit etiam *cit. Textus Canon.* idest *Cap.* 9. *Ecclesiastica, distin.* 23. quia videlicet Stola, indicat ornamentum virtutum, ibi: *Omnis Sacerdos, cum ordinatur, Orario* (*idest Stola*) *utroque humero ambiatur, ut qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, & adversa, virtutum semper ornamento, utroque circumseptus appareat humero.* In quo etiam *Capite, ex Concilio Bracarensi*, Stolæ delatio sub excommunicatione Sacerdoti præcipitur, sic: *Cum Sacerdos ad Solemnia Missarum accedit, aut per se Deo Sacrificium oblaturus, ac Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam Orario utroque humero circumseptus. Si quis aliter egerit, excommunicationi debitæ subjaceat.* Occasione hujus Canonis: Ubi etiam *Glossa Verbo Corporis*, notat: *Quod si in ægritudine sumit Sacerdos Eucharistiam, circumdabit*

dabit Stola utrunque humerum. Quærit *Azorius to. pr. lib. 10. cap. 28. qu. 12.* An Sacerdos sive sanus, sive ægrotus, cum sine Stola humeris superposita [non faciens Missæ Sacrificium] sumit Eucharistiam, peccet? Et respondet cum *Turrecremata in dict. cap. Ecclesiastica, distin.* 23. non peccare: *Nam Decretum Concilii Bracarensis usu, & consuetudine videtur abrogatum, cum Sacerdotes, tum Regulares, tum Sæculares Stola uti desierint*.) Transeat igitur inquam, quod Stola sit Vestis, habitusque Sacerdotalis, ac ornamentum ipsius Sacerdotis: Certum enim est præterea per D. D. omnes, esse etiam ex Ecclesiastica institutione signum jurisdictionis, & potestatis, ex superius etiam adductis, unde *D. Thom. l. c. ab eodem Pignatello (in supplem.* videlicet 3. *par. qu.* 40. *art.* 7. *in Corpore)* ait: *Sacerdoti in utroque humero ponitur Stola, ut ostendatur; quod ei plena potestas datur dispensandi Sacramenta, &c.* Et delatio ipsa Stolæ, præsertim in funeralibus, signum est jurisdictionis Parochialis, per eundemmet *Pignatellum*; quod etiam apposite probat (ut superius retulimus) *to.* 5. *consulto* 54. *n. pr.* uti *to.* 8. *consulto* 73. *nu. pr.* 5. 9. 116. *& sequent.* pariter docet (ut supra item in principio hujus Privilegii retulimus:) *Deferre ante se Crucem esse signum dignitatis, ac jurisdictionis*. Hinc *consulto cit.* 48. *nu.* 40. *&* 41. expresse affirmat, *solum ingressum in Ecclesiam cum Stola, & Cruce esse actum jurisdictionis*. Addens *eodem n.* 41. *Et quemadmodum licet ipsis Regularibus ingredi alienam Parochiam cum Cruce, ad levanda funera, de licentia tamen Parochi, cum alioquin illis non liceret, ut alibi probavimus; ita etiam libere debet Parochis, & Clero Sæculari ingredi cum Cruce in Ecclesias Regularium. Quinimmò, scilicet ingredi cum Stola, multo magis licebit ingredi cum Cruce, Stola enim est verum, ac majus signum jurisdictionis*, ita *Pignatellus*. Quem modò hic ego interpello, quam consequentiæ vim habeat hujusmodi sua argumentatio? Vult ipse arguere à paritate (ut evidenter constat) at quæ paritas, & paritatis consequentia in hoc suo argumento? Licet (inquit) Regularibus alienam Parochiam ingredi cum Cruce ad levanda funera, de licentia tamen Parochi: ex hoc antecedenti sequitur ne consequentia: Ergo licere debet etiam Parocho, & Clero Sæculari ingredi non solum in Parochiam, sed & in Ecclesias Regularium? non solum de eorum licentia, sed eis invitis? non solum cum Cruce, sed & cum Stola? Quæ enim consecutio hæc, cum hic nulla adsit paritas, imò clara, & summa disparitas? cum Parochus nullo fungatur Privilegio, nec jurisdictione in Regularium Ecclesiis, imò per censuras expresse quilibet jurisdictionis actus ei interdicatur? Valeret quidem consequentia, & argumentum vim haberet, ita tamen regulatum: *Licet Regularibus ingredi alienam Parochiam ad levanda funera, de licentia tamen Parochi, alioquin ipsis non liceret (*ait *Pignatellus:)* Ergo *Parochis etiam licere debet ingredi cum Cruce* (non cum Stola) *Parochiam Regularium* (non in Ecclesiam) *de licentia tamen Regularium sic* (& non eis invitis) *alioquin eis non liceret*. Et ita argumentum currit conclusive.

1451 Nec valet hic præfatum *Pignatelli* effugium, quod videlicet queant Parochi ingredi cum eadem Stola, Cruce, & superpelliceo Regularium Ecclesiam, dummodo in ea Officium funeris ullum peragant, eo quia *delatio Stolæ sine suo exercitio, non sit signum præcipuum jurisdictionis, sed Vestis Sacerdotalis, & veluti forma, habitus, & ornatus ipsius Sacerdotis, &c.* Non inquam valet, quia Stola à Parocho delata in funeralibus de Jure (per omnes) significat jurisdictionem, quam super cadaver Parochianum suum, habet, extra tamen Ecclesiam Regularium: nam cum intra Regularium Ecclesiam Defunctus adest; illius authoritas, ad Januam Ecclesiæ super ipsum cessat, & spirat, sicut simul, & semel Stolæ delatio (quidquid sit de delatione ipsius, quo ad ornatum, &c. formalitas in hoc casu merè metaphysica, & effugium emendicatum metaphysicum:) Quia Regularium Ecclesiæ, sunt ab Ordinariorum Jurisdictione exemptæ, & hac de causa *Summi Pontifices, Sacræ Congreg. Rotæ Decisiones* toties decretarunt expresse, *Parochum usque ad Januam Ecclesiæ Regularium associare debere cadaver, & ibi omnia sua, quo ad jurisdictionem, Stolæ delationem, &c. debere finire*. Hinc *Samuellius de sepult. tract. pr. disp.* 3. *controvers.* 7. *conclus.* 1. *nu.* 10. *&* 11. *fol.* 107. ad distinctionem propositam *à Pignatello*, de Stola, quo ad ornatum tantum, ait, ut sequitur. *Parochi, de Jure, ac legitimè, nullatenus Stolam in Ecclesiis Regularium tenere possunt, ac debent. Et si in aliquibus locis tenent Stolam, aut erit ob nescientiam Regularium hujus rei, & Parochorum simul, aut ob tolerantiam pro bono pacis ad scandala, & alia similia evitanda, sed ipsi Parochi tenentur de jure eam deponere, cum ad Ecclesiæ Januam pervenerint. Jam enim hoc satis clarè constat ex Rotæ decisione, & ratione nuper à nobis dicta, & à decisione de hac re facta à S. Episcopor.*

&

& Regular. Congreg. relata. Nam Stolæ delatio in Parocho in funeralibus importat tum præcedentiam, tum jurisdictionem, qua utraque caret, cum ad Januam Ecclesiæ Regularium Parochus pervenerit, in funeralium associatione, qui nec etiam ad Pompam, & Ornatum (Nota) *Stolam deferre debent in dictis Regularium Ecclesiis; quoniam major superbia eorum ostenditur, & contemptus contra jura, & exemptionet Ecclesiarum ipsorum Regularium: & ipsamet urbanitas necessario requirit, ut in Domo, & in loco alieno exempto Jus alterius non exerceatur à Parocho; quod esset etiam mortale peccatum, per vim, & in contemptum alterius perturbare jurisdictionem: Ideo Regulares nullo pacto id tolerent, & ipsi Parochi non portent Stolam ullo modo.* Hucusque *Samuellius*. Ex quo habes non licere Parocho (neque quo ad ornatum contra *Pignatellum*) posse Stolam deferre in Ecclesiis Regularium.

1452 Et confirmari optimè etiam potest recitata *Samuelii* (& omnium communis) conclusio, contra *Pignatellum*. Nam si Parochi (per istum Doctorem) tenere Stolam possunt in Regularium Ecclesiis, *quatenus ipsi in eisdem nullam exercent jurisdictionem, sed puram assistentiam cum suo habitu;* (sunt verba *Pignatelli*) quare eadem ratione non poterunt, & iidem Parochi deferre, tenereq; eandem Stolam, & ante se Crucem in Parochia aliena, atque in Parochiali Ecclesia aliena, cum nulla sit disparitas; imò major ratio respectu Comparochorum inter se, quam inter Parochos, & Regulares? Major inquam ratio. Licet enim jura Parochorum, & Parochialium Ecclesiarum sint jura separata, inter seque distincta, ut constat ex *Canon. Ecclesias distinctas, causa decimatertia, quæstione prima*, ex quo patet, quod *Dionysius Papa Severo Episcopo* rescribens, singulas Ecclesias, singulis Sacerdotibus assignavit, sub his verbis: *Ecclesias singulas, singulis Presbyteris dedimus: Parochias, & Cœmeteria eis divisimus, & unicuiq; jus proprium habere statuimus: ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut jus invadat. Sed sit unusquisque suis terminis contentus, &c.* Et ita, ut unusquisque proprium habeat Territorium, nec unus alterius fines eo invito ingrediatur, cum unus Sacerdos alterius Parochiæ terminos, plebem, & jus non debeat usurpare, *Cap. Placuit 7. qu. 1. Cap. Sicut 9. qu. 2. Cap. Nullus 3. de Parochiis. Barbosa* cum aliis congestis *de Potest. Parochi par. p. cap. 18. n. 17. Michael Antonius Frances de Ecclesiis Cathedralib. cap. 19. n. 119. fol. 328.* & idem *Barbosa de Potestate Parochi par. pr. cap. pr. nu. 17.* cum aliis. (Antiquitus enim, ut ipsemet etiam notat *in princip. nu. 17. cit.* Parochiæ distinctæ non erant, sed Episcopi omnes dicebantur totius Diœcesis curam habere, & omnes illius Decimas percipiebant, & inter se, & alios Clericos dispensabant, quas reliqui Clerici de manu Episcopi percipiebant, & curam exercebant, *cap. 1. Vers. Has vero Decimas, 16. quæst. 7.* Sed cum post ea populus Christianus augeretur *Dionysius Papa, &c.* qua de re, vide *cit. Frances de Ecclesiis Cathedralib. cap. 2. n. 117. fol. 31. & n. 132. & sequent. fol. 32.*) Major inquam ratio respectu Comparochorum, quam Regularium, quia Regulares omnimodè, & totaliter prorsus, ac in perpetuum à Parochis, & Episcopis eximuntur, Sedi Apostolicæ subiecti; unde magis exempti sunt Regulares à potestate, & jurisdictione Parochi, quam Parochi ipsi sint à jurisdictione Ecclesiæ Cathedralis, à qua, ratione suæ Dignitatis (quia ibi Cathedra, & Sedes Episcopalis sita est, *Barbosa de Canon. & Dignitatibus cap. 2. n. 4. Frances cap. 2. cit. n. 139.* aliique) & Superioritatis in omnes inferiores Ecclesias totius Diœcesis, *Barbosa de Parocho p. 3. cap. 25. n. 22. Frances nu. cit. 139.* & alii apud istos, non ita eximitur Ecclesia Parochialis, nec Parochus à subiectione Cathedralis, ob hanc enim subiectionem Parochialium Ecclesiarum eidem Cathedrali Ecclesiæ, & ob hujus prærogativam Superioritatis, dicitur hæc, *Matrix, in Cap. Venerabili, de Verborum signif.* ibi: *Nos per Matricem, Ecclesiam Cathedralem intelligi volumus;* hinc, *Barbosa de Jure Ecclesiastico Vniverso par. 2. lib. 2. cap. 1. nu. 20. Matrix Ecclesia* (inquit) *propriè dicitur de Ecclesia Cathedrali ex Cap. Venerabili. Et etiam dicitur ea, quæ habet alias Ecclesias sibi subiectas n. 27. Suar. de Relig. tom. 1. libr. 1. cap. 24. n. 1. Azor. Institut. Moral. par. 2. lib. 3. qu. 13. & libr. 9. cap. 3. in fine. Vers. Matrix,* & alii. At si sic est, uti certissimum est, quod videlicet magis à potestate, & jurisdictione Parochi exempti sint Regulares (quatenus isti ratione suorum Privilegiorum, solum Summum Pontificem, ut proprium Ordinarium recognoscunt; suntque ipsius delegati: *Regulares* (ait *Moronus responso 99. n. 69.*) *sunt delegati Papæ in virtute suorum Privilegiorum, ideo quidquid agunt, agere Papam censendum est*, quam Ecclesiæ Parochiales, & Parochi ipsi, exempti sint à jurisdictione Cathedralis Ecclesiæ, cum huic utique subiiciantur, & Episcopo, uti Prælato super omnes suę Diœcesis Rectores, *Barbosa de Parocho par. 1. cap. 1. nu. 22.* imò Parochi

ipsi

ipsi isti funeralibus, & actu curæ animarum, ob subiectionem jurisdictionis eorundem, gerunt vicem Episcopi, *Stephanus Gratianus Disceptatione Forensi* 298. *n.* 3. ibi: *Parochus in Funeralibus, & actu curæ animarum gerit vices Episcopi, qui dicitur Rector Parochialis, Cap. Bonæ rei* 12. *qu.* 2. *Cap. Ad Apostolicam, de donat. Boer. de Auct. Magn. consil. in addit. n.* 16. *Germon. de indult. Card.* §. *Ac Beneficia nu.* 45. item *Barbosa de Parocho par.* 1. *cap.* 9. *num.* 1. *Parochus in actu curæ animarum gerit vices Episcopi, qui dicitur Rector Parochialis, ideo tanquam subrogatus in ejus loco, &c.* Quibus stantibus, & subiectione præfata Parochorum (quam non habent Regulares, qui amplissimam exemptionem possident, ac emancipationem omnimodam à subiectione Parochorum) quare isti Cathedrali Ecclesiæ subiecti, acriter contendunt, ac impediunt alios Comparochos, etiam Ecclesiæ Cathedralis, suam Parochialem Ecclesiam ingredi cum Stola iis invitis in associandis cadaveribus; super quo etiam sæpè recursum habuerunt *ad S. Congregat.* & ab eademmet decretari curarunt, ut videre est apud *Barbosam de Parocho par.* 1. *cap.* 9 *n.* 7. *cum Julio Lavoreno*, & apud alios? Quare inquam hoc à R.R. Parochis Cathedrali Ecclesiæ subiectis, cui obsequium maximum, ac reverentiam specialem præstare debent? Quare Supremi Judicis sententiam talem procurare? Ad quid, licuit ne hoc, cum in sententia *Pignatelli* ingressus cum Stola simpliciter (utpotè ornatu, & habitu proprio Sacerdotis) absque jurisdictionis exercitio, nullam Rectori Ecclesiæ inferat injuriam? Cur Parochi (quando inter ipsos non est conventus actus jurisdictionis reciprocus) à propriis Comparochis exigunt, usque ad minimum suæ jurisdictionis quadrantem, & proprium hoc jus ita satagunt acriter, atque mordicus retinere, ac defendere, etiam in itinere (in quo, si quandoque ex ipsis alter in cadaveribus associandis in Parochiæ alterius districtum, in qua humandum sit cadaver eo invito pervenire acciderit, reprimitur statim, & jubetur non amplius progredi, vel Crucem deponere, exuereque Stolam, ne per sui Comparochi ingressum cum Stola, & Cruce, alterius Parochi jura aliquo modo tangantur, quod utique non solum clarum est apud D. D. verum etiam notum apud Urbium Cives nedum, verum etiam apud incolas Villarum, etiam minimarum, ex replicatis Comparochorum altercationibus, ex quibus experimentum habuerunt, quod idcircò ab ullo negari potest, eo magis quia de iisdem altercationibus repetitis Ecclesiastica ipsa fora Civilia, & quandoque Criminalia reclamant.) Cur inquam hoc, nisi quia sic Parochorum jurisdictioni infertur præjudicium? ita, & non aliter, nec alia ratione. At hæc eadem ratio non militat etiam respectu Ecclesiarum Regularium? utique, imò major, ob omnimodam exemptionem, atq; independentiam ex dictis, neget hoc si potest quis. Si sic autem est, uti est; ergo si Parochus ingrediatur cum Stola Ecclesiam Regularium; istorum juribus pariter præjudicat; non enim magis Parochi à Regularium, quam Regularis Ecclesia à Parochorum jurisdictione exempta est; unde hic par ratio, à majoritate autem, vel paritate rationis valet argumentum, *Barbosa Loco commun.* 68. *n.* 1. *cum Decian. Cephal. Surdo, Peregr.* & aliis.

1453 Quo verò tandem ad Decretum *Sacræ Congregat. à Pignatello to.* 3. *consul.* 48. *n.* 27. allatum, & superius relatum, in quo, in *Firmana* 29. *Novembris* 1641. favore Parochorum definitum videtur, ut sequitur: *Parochi occasione funerum possunt ingredi Ecclesias Regularium cum superpelliceo, & Stola; dummodo Officium super cadavere peragant ipsi Regulares.* Respondeo *Primo*, si extat, & verum est hujusmodi Decretum, sequitur ex ipso in favorem Regularium (evidenter, ut constat) Parochos non posse in Ecclesiis eorundem super cadavere Officium peragere. Meritò autem dico, si verum est, & extat hujusmodi Decretum, seu Declaratio; nam *Portel. in dubiis Regular. Verbo Clausura Monialium, in Additament. n.* 2. affirmat, se non credere contrarias Declarationes à Sacra Congregatione in eadem re emanare. Do hic ejusdem ipsissima verba, quæ valdè faciunt ad rem nostram: *Non possunt Episcopi, vel Superiores Regulares dare licentiam fœminæ, ut maneat intra Clausuram Monialium, ratione securitatis, ob lites Matrimonii, adulterii, & dissensionum inter uxoratos, sic refert Rodriquez respondisse Congregationem Cardinalium Episcopo Salmanticensi, & ponit ibi verba Cardinalium: habetur in Bullario Rodriq. fol.* 1200. *& concordat, quod ait Miranda to. pr. qu.* 2. *de Monialib. art.* 7. *Scio Azorium to. p. lib.* 13. *cap.* 8. *qu.* 4. *dicere, eosdem Cardinales Concilii Romæ declarasse, posse recipi intra Clausuram licitè Viduam honestæ famæ, quæ cupit honestatis gratia intra Conventum manere. Item posse recipi fœminam uxoratam, si vita illius alioqui tuta non sit. Item posse recipi fœminam de licentia Episcopi, de adulterio suspectam apud Virum suum, eaquè de causa vitæ peri-*

periculum certo timet. Et hæc omnia ait, haberi ex Declaratione Cardinalium. Quod si ita fuit declaratum, vides duas Declarationes in eadem materia, & in eadem re omninò contrarias, quia hæc adducta ex Azorio contradictoriè opponitur illi adductæ à Rodriquez in Bullario. Ego non credo, Illustrissimos Cardinales contrarias Declarationes in eadem re edidisse. Fortè falluntur Doctores, illas recitantes, vel non intelligentes. Unde obiter videas causam, ob quam non vult Papa, prædictas Declarationes imprimi authoritate publica Ecclesiæ. Videas item fortè hinc motos Doctores, qui dicunt, Declarationes Cardinalium non obligare in conscientia, neque in foro externo, ita *Portel.* cui multum favet *Bordonus resol.* 73. *qu.* 5. *n.* 10. dum ibi sic: *Declarationes à Sacra Congregatione in facti contingentia nuuquam contrariæ emanarunt, licet secundum corticem verborum aliquando fueriut nonullæ contrariæ. Quod formaliter contrariæ non exierint, suadetur, quia in illis Patribus Sapientissimis, qui non solum per se, sed etiam per Viros peritissimos controversias, & difficultates sibi oblatas, per quam prudentissimè resolvunt, & decidunt, hujusmodi contrarietas, quæ ignorantiam, & imprudentiam arguit, præsumenda non est. Confirmatur, quia si qua contrarietas aliquando visa fuit in illis, originem habuit ex malo, & pravo intellectu illarum, cum enim in his moralibus speculativè, & in genere procedendum non sit, sed non tantum tempus, & locus, verum & quamplures circumstantiæ spectandæ sint, mirum non est, si quandoque oppositæ responsiones datæ fuerunt ex conditione, & adjectione diversarum circumstantiarum. Exemplum sit de Visitatione Altarium Confraternitatum in Ecclesiis Regularium: nam in una Vercellen.* 17. *Julii* 1615. *Responsum fuit, Episcopum illa visitare posse: postmodum in una Ostiensi die* 2. *Octobris* 1626. *Visitare non posse, de quibus ego ref.* 72. *n.* 20. *dixi. Prædictæ Responsiones secundum corticem verborum ex diametro contrariæ, tamen posito quod sint veræ, facilè conciliantur, & aufertur contrarietas, dicendo, non posse Episcopum visitare in eo, quod immediatè tanguntur ipsi Religiosi; utique verò respectu ipsorum Confratrum, quanquam aliter dici posset, unam earum esse falsam. Vide quæ ibi dixi. Confirmatur, quia Princeps solet se accommodare precibus sibi porrectis, leg. Si preces, ff. De leg. Cap. Inter dilectos* 6. *§. Cæterum de fide Instrum. ubi Gloss. Verbo Petitionis, ait, Responsionem conformari petitioni per leg. De Ætate, ff. De Interd. actione. Unde, &c.* Hactenus *Bordonus*, & optimè ad rem nostram. *Secundò* Respond. Tot alia à nobis supra, & à DD. alia ad satietatem innumera referri contraria Decreta, vetantia expressè Parochis ingredi Regularium Ecclesias cum Stola, aut Cruce, vel Pluviali, quæ reddunt inverisimile S. Congreg. hoc unico relato particulari Decreto (vel altero) voluisse derogare tot aliis absq; ulla prorsus mentione supradictorum anteriorum; hinc saltem dubium videtur, usque dum exhibeatur authenticum. Vel dic etiam, Decreta quæ fortasse contraria videntur, & afferuntur, talia non esse, quia forsan loquuntur de Ecclesiis Regularibus, quæ etiam Parochiales sunt, quales sunt hic Veronæ, Ecclesiæ *Sanctæ Eufemiæ, Sancti Nazarii, & Sancti Thomæ*, quæ sunt Regularium, ut constat, & Parochiales. Et in hujus dicti additi confirmationem facere videtur id, quod advertit *Donatus to.* 3. *Praxis Regul. tract.* 10. *tit. de sepult. in Ordine ad Regulares qu.* 39. *fol. mihi* 181. dum ibi sic: *Adverte, quod sicut Parochus Sæcularis defert Stolam in propria Parochia, & in Parochia Fratrum, dum Defuncti corpus in eorum Ecclesia sepelitur: ita à pari, & vicissim Parochus Regularis, in eodem casu, & tempore, poterit Stolam deferre, non solum in propria Parochia, sed etiam iu Parochia, ubi sepelitur suus Parochianus, ut servetur æqualitas, pro ut S. Congreg. sæpè declaravit, quas Declarationes refert, & amplectitur Barbosa de Potestate Parochi c.* 26. *n.* 76. Quo loco, sic ait *Barbosa fol. mihi* 396. *Parochus Sæcularis, sicut defert Stolam in propria Parochia, & in Parochia Fratrum, dum Defuncti corpus in eorum Ecclesia sepelitur, ita Parochus Regularis in eodem casu, & eodem tempore, poterit Stolam deferre uon solum in propria Parochia, sed etiam in Parochia Defuncti, ita S. Rit. Congreg. sub die ult. Septemb.* 1628. *Nam Parochus Monachus ita potest cum Stola ingredi Parochiam Sæcularium, sicut Sæcularis Parochus Monachorum Parochiam ingredi valet, Sacra Congreg. in Asculana* 29. *Januarii* 1629. *Tertiò*. Esto etiam, adductum, vel alterum Decretum simile extaret, oportet videre, an deroget Regularium Privilegiis in hac materia, vel de iisdem mentionem faciat, quod omninò necesse est, ut effectum suum sortiatur: *Quarto*. Quod adhuc nulliter pro Regularibus adducitur, quia expressè illi derogatum est, per Clausulas, ut supra: *Ex certa scientia, &c. Irritum, & inane, &c. Sublata, &c. Non obstantibus, &c.* Quibus Clausulis Decreta pro Regularibus fulcita sunt, quæ hanc vim habent, &c. *Quinto*. Quia (ut advertit, & optimè etiam *P. Ab Ascens. c.* 8. *divis.* 1. *fol.* 222. *Vers. Adde* 2.) inter Decreta superius pro Regularibus allata, aliqua recentissima sunt,

imò

imò plura ex eis non sunt Decreta precisè, nec Declarationes Eminentissimor. Cardinalium, sed sunt Bullæ Summorum Pontificum, & leges perpetuæ *Alexandri VII. Clem. X. Innocent. XI.* quæ Bullæ utique posteriores sunt iis, quæ à Parochis possunt adduci; posteriora autem (de jure communi) derogant prioribus, ut specialiter videre est apud *Barbosam Axiom.* 183. apud quem super hoc *Jura, & Decreta*: amplians *in fine Axiomatis cum Seraphino decis.* 1271. *n.* 1. *& cum Rota*, maximè currere: *Quando priorum mentio fit in posterioribus*, quod contingit expressè in casu nostro, ut videre est in Bullis supra adductis, *Clem. X.* præsertim in quibus sic: *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationib. Apostolicis, repetitis in aliis Bullis*. *Sexto* tandem. Quia si commune Juristarum *Axioma* verum est, uti est, quod *rationes duæ vincunt unam, Cap. Causam quæ, de re judic. Authent. cessante, C. De legit. hæredib. §. Si verò, Instit. de adoptionibus Bald. cons.* 188. *In substitutione, in princ. lib.* 1. apud, & cum eodem *Barbosa Axiom.* 197. *num.* 14. cur à nobis tot allata Decreta, Bullæ, &c. unum, vel alterum Decretum non superabunt, si afferatur?

1454 Ad illud autem, quod addit *Pignatellus* supra, videlicet, quod *Parochus Christi vices gerit in jurisdictione respectu sui subditi, atque adeò non circumscribitur loco ejus jurisdictio, sicut non circumscribitur jurisdictio Christi, in eo enim loco, in quo potest principalis exercere jurisdictionem, potest & Vicarius ipsius*. Scire vellem, an ipse iis verbis intendat asserere, Parochum esse immediatè Vicarium Christi: independenter à Papa, ita ut à Christo Domino, uti ipsius immediato Vicario, recipiat immediatè jurisdictionem, independenter ab eodem Papa Summo Pontifice, & si hunc sensum habeat sua propositio (quod non credo) est hæretica. Debet igitur ista Parochi jurisdictio dimanare, & dependere à Papa: sicque Parochus erit Vicarius Papæ: & Christi Provicarius. At Parochi jurisdictio non solum à Papa, verum etiam ab Episcopo dependet ex dictis; quod certum est etiam per eundem *Pignatellum*, maximè in funeralibus, de quibus loquimur in præsenti: Unde *consult.* 49. *ejusdem to.* 3. *n.* 1. sic ait: *Parochus in funeralibus, & exercitio curæ animarum est magis dignus. Nam gerit vices Episcopi, qui dicitur Rector Parochialis, Cap. Bonæ rei* 12. *qu.* 2. *&c. ac proindè præfertur omnibus in cura animarum. Ergo debet etiam præferri in loco, in quem Regulares, omnesve alii convenire debent occasione funeris ejus Parochiani. Quia subrogato debetur idem honor, ac subroganti in actibus, in quibus illum repræsentat*. Ergo Parochus per *Pignatellum* Vicarius est Episcopi, si quidem non solum à Papa, sed etiam ab Episcopo dependet, unde dici potest ad summum non Vicarius Papæ, sed Episcopi, & Provicarius Papæ (ut advertit etiam *d. Ab Ascens. cap.* 8. *divis. pr. fol. mihi* 219. jurisdictione ab utroque dependente, ab Episcopo, & à Papa, in fieri, esse, & conservari, & cum ab ipso Summo Pontifice non receperit jurisdictionem, nisi limitatam, & extra loca expressè exemptorum, & Regularium (per Bullas supra recitatas) ad hæc loca, non potest utique extendi jurisdictio Parochi. Neque affirmari in Parocho, *Loco incircumscripta*, ratione Vicariatus Christi, *sicuti nec Christi jurisdictio circumscribitur*: tum quia falsum est, quod Parochus sit Vicarius Christi, ut dictum: tum quia Summus Pontifex *D. Dionysius Parochias dividens*, ut supra, jubet Parochis, ut *Unusquisque sit suis terminis contentus, nec alterius fines invadat*. Et *Concil. Trident.* approbans hujusmodi divisionem, *sess.* 14. *cap.* 9. ait: *Jure optimo distinctæ fuerunt Diœceses, & Parochiæ, ac unicuiq; gregi proprii attributi Pastores, & inferiorum Ecclesiarum Rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant*. Imò talem divisionem, & distinctionem præcipit idem *Tridentinum sess.* 14. *de Reformat. cap.* 13. *in fine*, ibi: *Mandat Sancta Synodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas, propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum, peculiarenque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licitè Sacramentum suscipiant, &c.* Et si Parochus per *Pignatellum* Vicarius est Episcopi, ejusque vices gerit, cum plus certè Vicarius non possit, quam principalis: cum principalis, hoc est Episcopus, in Ecclesiis Regularium non valeat jurisdictionem exercere ob omnimodam istorum exemptionem ab Episcopo (ex Bullis supra recitatis, & Privilegiis) nec consequenter poterit Parochus ullam exercere jurisdictionem in eisdem Regularium Ecclesiis, ipsis invitis.

1455 Nec obstat hic, quod obiicit idem *Pignatellus to.* 3. *consul.* 48. *n.* 23. *in fine*, *fol.* 117. Potest Episcopus in Ecclesiis Regularium erigere Baldachinum: Ergo poterit etiam Parochus peragere Officium super cadavere sui Parochiani Defuncti in Ecclesia Regularium, & in eadem deferre Stolam, & Crucem in funeralibus. Non inquam obstat: & negatur consequentia, quia hæc omninò est disparata, nam permittitur

Episcopis, Baldachinum erigere in Regularium Ecclesiis, Parochis verò è contra, prohibetur expresè in eisdem Ecclesiis deferre Stolam, & Crucem, sicque consequentia dissonè, & malè deducta: Baldachinum enim, & Stola, non æquiparantur: ut nec Parochus, & Episcopus, extra propriam Ecclesiam præcipuè, cum Parochus inferior sit, dependens, & subditus Episcopi sui Superioris, independentis à Parocho omninò, cui Parocho, præsertim extra propriam Ecclesiam non debetur reverentia tanta quanta Episcopo, &c. quare cum non adsit paritas à Baldachino ad Stolam, sicuti neq; ab Episc. ad Parochum, ruit argumentum, quod ideò valet, quatenus in utroque eadem ratio procedit, nam si est diversa, & dissimilis, infirmatur, & prosternitur, *Barbosa Loc. Commun.* 10 r. *à nu.* 3. *cum Mascbardo*, *Menocbio*, & aliis. Adde etiam quo ad eandem disparitatem, quod Baldachinum ad honorem, & reverentiam Episcopi in Ecclesiis Regularium permittitur; non ad jurisdictionem: estque Privilegium illi concessum, quo uti potest invitis etiam Regularibus ipsis, de quo adest clara Declaratio Sacræ Congregationis Cardinalium super negotiis Episcoporum, & Regularium, seu Apostolicum Decretum *sub Clem. Papa VIII. sub die* 10. *Junii* 1603. Quod referunt ad verbum plures Doctores, præcipuè *Tamburin. de Jure Abbat. tom. pr. disp.* 15. *qu.* 15. *n.* 17. *Barbosa de Potestate Episcopi par.* 3. *allegat.* 80. *sub n.* 16. *Pasqual. in Francum par. pr. n.* 378. *& apud Cespedes de Exemption. Regularium cap.* 13. *dub.* 222. *num. pr. Jo: Novarius in Summa Bullarii*, *de Baldacbino*. Ex quo Decreto (in quo fundatur *Pignatelli* obiectio) & ex ejusdem verbis, clarè habetur, esse emanatum, non ad Episcopi jurisdictionem, sed ad solum istius honorem: incipit enim: *Decet*, *Episcopis*, *pro eo*, *quo in Ecclesia Dei excellunt dignitatis gradu*, *in quocunque suarum Diœcesum loco*, *quoties eos ibi Pontificalia exercere*, *aut in Pontificalibus adesse*, *& assistere contingit*, *eam*, *quam par est*, *reverentiam*, *& bonorem*, *decoro cultu*, *& ornato exhiberi*. Hocque Decretum expresè loquitur de Ecclesiis: *In quibus Episcopi Pontificalia exercent ex consuetudine*, *Privilegio*, *aut alio jure*, *&c.* non de aliis. Et notat *P. Pasqualig. l. c. num.* 381. cum aliis: Per hoc Decretum nil de novo concedi Dominis Episcopis, quo ad usum Baldachini in Ecclesiis Regularium, & exemptorum; sed solum declarari, quod ab eisdem Episcopis (virtute hujus Decreti) possunt Regulares, & alli exempti censuris compelli, nolentes usui Baldachini assentiri. Nam antea etiam poterant uti Baldachino, quoties poterant Pontificalia exercere, aut in Pontificalibus interesse, cum enim Baldachinum sit accessorium ad Pontificalia, de jure illo etiam uti possunt, quoties in dictis Ecclesiis in Pontificalibus interveniunt, concesso enim principali, accessoria conceduntur: Hinc cum non sit paritas Stolæ, & Baldachini, ruit Pignatelli argumentum. Item adde (quod notat etiam *Ab Ascensione cap.* 8. *division. pr. fol.* 225. 226.) in præfato Decreto permitti Episcopis Baldachinum in Ecclesiis prædictorum Regularium, quia *nonnulli Regulares* (sunt verba Decreti) *vano quarundam immunitatum*, *& Privilegiorum prætextu*, hoc Episcopis impediebant: *Prætextus autem vanus*, *est velamen*, *quo moveri se quis ad aliquid agendum simulat*, ut ait *Antonius à Spiritu Sanc. consult.* 47. *n.* 40. *fol. mihi* 11. *ex Gonzalez*, & aliis relatis *à Villalobos tom. pr. tract.* 9. *difficult.* 62. *n.* 5. quod & colligunt, *ex leg. Sub prætextu prima*, *& secunda*, *Cod. De transactiis*, *Cap. Sub prætextu*, *Cap. De Hæred.* At nos negando R. R. Parochis ingressum in Regularium Ecclesias cum Stola, &c. non simulamus nos moveri falsò quodam, & vano immunitatum, & Privilegiorum prætextu. Sed movemur vera, atq; legitima facultate fundata in certis Privileg. non vanis, sed veris, &c. Igitur ex hac parte aperta disparitas est, leveque argumentum *Pignatelli*.

1456 Uti tale etiam videtur esse, quod ultimo loco obiicit, dum arguit: Non obstare, quod Regulares sint exempti. Tum quia etiam hodie, ex *Decretis Sacri Concil. Trident.* & ex *Constitutionibus Apostolicis* Episcopus, vel Capitulum Sede Vacante, habet jurisdictionem in Regulares, quos casus plenè enumerat *Barbosa de Episcopo allegat.* 105 Tum etiam quia, stante antiqua Regularium subiectione; si ab eis non debetur obedientia, debetur tamen reverentia, ergo. tale inquam (idest leve) hoc etiam argumentum, nilque concludens contra nos: Nam inter casus quos (*plenè quidem*) enumerat *Barbosa par.* 3. *allegat. cit.* 105. *à n.* 14. *usque ad* 93. *allegationis ultimum*: ne verbum quidem facit de subiectione Regularium in propriis Ecclesiis, & locis, quo ad funeralia; cum tamen eandem subiectionem auferat penitus ab eisdem, idem *Barbosa* alibi, & pluribus locis superius fideliter relatis. Quæ ergo hujus argumenti consequentia contra nostram traditam doctrinam? Et quæ item consequentia; Debetur

betur à Regularibus Illustrissimo, atque Reverendissimo Episcopo reverentia (uti certè debetur, & reverentia summa, quę etiam ab ipsis humillimè, libenterque ex corde toto præstatur, ut constat, maximè scientes, quod exemptus à jurisdictione, non est exemptus à jure reverentiali, ut docent *Roman. singul.* 486. *& Lezzana to. pr. cap.* 11. *n.* 3.) Ergo eidem Dominationi suę, & R. R. Parochis ejusdem vicem gerentibus, debetur ab eisdem subiectio talis in funeralibus? absolutè negatur: Cum Regularium Ecclesiæ, & loca à subiectione Parochorum, & Episcoporum aliorunque Ordinariorum Ecclesiasticorum eximantur omninò, ut hucusque ad satietatem triplici ex capite firmatum est. Quare accedo tandem ad Caput quartum, & ultimum, &

1457 Probo ratione primo, nostrum (ac omnium commune) responsum: Quia Superior Regularis est veluti Parochus in propria Ecclesia, ut docent communiter D. D. imò eum expresse Curatum vocant, & Parochum, ut videre est apud *Hieronymum Llamas parte prima. Method. cap.* 6. *§.* 7. *Cardinal. de Lugo de Pœnitent. disp.* 21. *sect. pr. n.* 9. (ibi alios referens) & apud alios. Curam enim habet idemmet animarum, sibi subiectarum, iisdenque de necessitate administrat Sacramenta, & sepulturam, doctrinam, & verbum Dei proponit, ac in spiritualibus instruit, quæ signa sunt Parochialis juris, *ex Clement. Dudum de sepult. ex Barbosa de Offic. Parochi par. pr. capit. pr.* & aliis: Unde *Tobias Lobner in Instructione practica Pastorum par. pr. cap. primo §. p. de Pastore in Genere, qu.* 3. inquirens: *Quid sit Parochus, fol* 3. respondet: *Qui proprio nomine habet jus administrandi Sacramenta, Cœmeterium erigendi, atque in eo Defunctos sepeliendi*, cujusmodi etiam est (ut constat) Superior Regularis. Qui pariter proprium Territorium habet (uti habent omnes Parochi) septa videlicet Monasterii, præcipuè Ecclesiam propriam sibi subiectam: ut communiter Doctores, præsertim *Lezzana consult.* 45. *n.* 22. ubi: *Territorium Abbatis dicitur esse Ecclesias sibi pleno jure subiectas: & favet Rota coram Orano in una Burgen. jurisdictionis* 6. *Novembr.* 1596. quam Decisionem affert *Tamburin. de Jure Abbatum to.* 3. *decis.* 43. *fol.* 349. Sed Parochus in Ecclesia alterius Parochi jurisdictionem nullam habet, nec exercere potest, ex superius relata ordinatione, & definitione *D. Dionysii Papæ*: nec in alterius Parochi Ecclesia super cadaveribus potest ipso invito Officia peragere; nec cum Stola, & Cruce elevata alterius Parochi Ecclesiam ingredi, ut notum est omnibus, imò toti Mundo: Ergo neque hoc idem obire potest Parochus in Ecclesiis Regularium, cum isti in suis Ecclesiis sint veluti Parochi, ergo pares in hoc: Parium autem, *eadem est juris dispositio, Cap. Inter Corporalia, Cap. Sicut ergo, de translat. Episcopi.* Et *eadem natura, leg. Si Socer, in fine, ff. Soluto Matrim.* Et *eadem potentia, leg.* 1. *§. Veteres, ff. De acquir. possess. l. Si reus, ff. De duobus reis. Barbosa Axiom.* 174. *num.* 4. Et idem judicium consequenter. *Barbosa Axiom.* 14. *n.* 2. cum aliis pluribus Juristis. Novissimè verò *Didacus de Narbona de Ætate ad omnes actus requisita, Anno* 1. *qu.* 15. *n.* 4. *fol. mihi* 37.

1458 Probo secundo: Quia Superior Regularis, nedum est veluti Parochus, sed etiam quasi Episcopus in propria Ecclesia, cum in hac jurisdictionem habeat ipse quasi Episcopalem *Glossa* (communiter recepta) *in Clementina prima de rebus Ecclesiæ non alienan. Verbo Proprii*, ibi: *Habent Episcopalem jurisdictionem, vel quasi. Cochier de jurisdict. Ordinarii in exemptos par. pr. qu.* 17. *num.* 9. *Omnes Regulares sunt exempti à jurisdictione Ordinariorum per Privilegia eis concessa, &c. consequenter habent jurisdictionem quasi Episcopalem. Glossa singul. Clement.* 1. *&c.* Et *n.* 25. *Qualem jurisdictionem habeant Prælati, & Superiores exempti? Respondeo quasi Episcopalem. Gloss. &c. & DD. Ita quod ejusmodi Superiores omnia exercere possunt in suos, quæ Episcopi in subditos: Navarr. consil.* 23. *Tit. de Privilegiis. Hieronym. Sorbo Capuccinus in Annot. ad Alphons. à Casarubios in Compend. Privilegiorum Fratr. Minor. Verbo Prælati.* Quibus addo *Sayrum de Censuris libr.* 4. *cap.* 2. *Barbosam de Potest. Episcopi par.* 3. *allegat.* 105. *nu.* 3. *Tamburin. de Jure Abb. to.* 2. *disp. pr. qu.* 4. *n.* 2. *Antonium à Spiritu S. in Direct. Regul. tract.* 4. *disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 26. *Sanch. de Matrimon. to.* 3. *lib.* 8. *disp.* 3. *n.* 9. (ubi affirmat, hanc potestatem, & jurisdictionem quasi Episcopalem competere Superiori, & Prælato Regulari, sive Generali, sive Provinciali, sive Præposito locali, qui toti Domui præest, & in istorum absentia, competere eorundem Vices gerentibus: ut sunt Vicerectores, Vicepriores, &c. eo quod omnes jurisdictione quasi Episcopali fungantur, & de omnibus his eadem militat ratio) *Peyrin. to. pr. Privilegior. Constitut. Unica Pyrrbi, §.* 8. *nu.* 46. ubi alios citat, quod faciunt, & antea relati, & de communi affirmat *Pellizzar. in Man. to.* 2. *trac.* 9. *cap.* 3. *sect. pr. qu.* 5. *n.* 6. Et ideò Episcopus nequit Regularium Ecclesias Altaria,

ria, &c. & Monasteria visitare, sed suis Prælatis (ut statuit *Trident. sess. 25. cap. 20.*) reservatur: ut hoc idem pluries *à Sacra Concil. Trid. Congregat.* declaratum fuit, ut videre est apud *Rodriq. to. pr. qq. Regularium, qu. 36. art. 4. Quarantam in Summa Bullarii, Verbo Privilegia Regularium, pag. mihi 514. in princip. Vers. Congregatio itidem Concilii, Angelum à Lantusca in Theatro Regular. Verbo Privilegia. Peyrin tom. pr. Privilegior. Constitut. 2. Sixti IV. §. 10. nu. 17. Lezzan. to. pr. cap. 11. n. 7. & to. 2. cap. 15. n. 27. Barbosam in Collectan. Bullarii, Verbo Altare*, & apud alios. Et in specie neque potest Episcopus (ad casum nostrum) Officia facere in Regularium Ecclesiis: *Henriq. lib. 7. cap. 26. n. 5. in corpore*, ibi: *Non potest Episcopus, aut alius Prælatus in Ecclesiam exemptam, invito Prælato, & Regularibus, convocare Processiones, &c. aut alia Officia celebrare*, cui adhærent alii ab ipso relati *in Glossa ejusdem capitis, litt. G*, aliique communiter. Igitur, si Parochi excludunt à propriis Ecclesiis alios Comparochos, dum isti, illis invitis, ingredi eas tentant cum Stola, & Cruce ad funeralia facienda, & simplices Parochi tantummodo sunt, eo magis excludi debent ab Ecclesiis Regularium, eo quia Regulares sunt in iisdem veluti Episcopi: ut dictum, & probatum est, & hujusmodi illatio optimè evincit, cum valeat argumentum à multò magis, & à majoritate rationis per Jusperitos apud, & cum *Barbosa Loco* 68. *nu. pr.* ubi docent, quod *Argumentum semper valet, ut constitutum in eo, in quo est minor ratio; videatur constitutum in eo, in quo est major constituendi ratio.*

1459 Confirmatur hujusmodi ratio: Quia si doctrina superius tradita *Pignat.* (& aliorum fortassè) vera est, quòd Stolam deferre, & Crucem levare, nullum sit jurisdictionis indicium, nec juri Regularium præjudicium afferat, Stolam inquam præcipuè deferre in eorundem Ecclesiis (cum hæc sit simplex ornatus, & habitus Sacerdotis) quare toto conatu (per Judicis etiam sententiam) satagunt Parochi, ut aliis Comparochis prohibeatur, ne quis eorum (illis invitis) nec devotionis causa, aliove prætextu cum Stola, & Cruce alienas Parochias, & Ecclesias intrent? Quare inquam Ecclesiis Regularium non infertur præjudicium per Parochos, si isti in eisdem Ecclesiis deferant Stolam, &c. & valdè perturbantur, si illud idem in Parochorum (invitorum) Ecclesiis exerceant, & tentent Comparochi? quare? nonnè quia optimè agnoscunt, Comparochos per hoc jurisdictionem exercere, & sic proprio sibi Parochiali juri ab eisdem præjudicari? Et si sic est, uti firmò est, ergo Parochi tentantes Stolam deferre, &c. in Ecclesiis Regularium, istis invitis, peccant utique contra præceptum Charitatis à natura ipsa inditum, & cuicunque intimatum: *Alteri non facere, quod sibimet fieri non vult.* A quo peccato Parochi præsertim alieni prorsus esse debent, cum ex eorum Pastorali, & Parochiali Officio, & animarum cura, ipsis incumbat, proprios Parochianos in Christianæ Doctrinæ præceptis instruere verbo, & exemplo: probrum enim est obiici *medico, cura teipsum*, & probrosius animarum Pastoribus: *Dicunt, sed non faciunt.* Quibus si contra obtrudas: *Quæ dicunt facite*, ipsi retrudant: *Sed væ homini illi per quem scandalum venit*: Qui legit hic, intelligat.

1460 Probo tertio ratione (quam in hac re *adæquatam*, dicit *Samuel. de sepul. tract. 1. disp. 3. controv. 1. concl. 2. num. 29. fol. 74.*) Parochi nullam præeminentiam, aut jurisdictionem habent, vel habere queunt in Ecclesiis Regularium, cum sint omninò exemptæ, sicuti exempta sunt omnia Regularium loca, Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, de quibus ipsa Summa Apostolica Sedes curam gerit, protegit, fovet, ac defendit omnia Regularium Jura, ab ipsa Sancta Sede desumpta: Ergo non admittendi Parochi in eisdem Regularium Ecclesiis ad Officia Mortuorum peragenda (nisi cum expresso, vel saltem præsumpto eorundem Regularium assensu) maximè cum Stola, quæ signum est præeminentiæ, ac jurisdictionis. Hinc meritò *à Sacra Rituum Congreg. in una Viterbiensi, & Trojana die* 4. *Maii* 1613. & plures antea, & post (ut referunt *Samuell. disp. 3. cit. controv. 2. concl. cit. nu. 53. 54. & 55. fol. 83. & Barbosa in Collectan. Bullar. Verbo Stola*) decisum fuit, quod Archypresbyter, qui est secunda dignitas in Ecclesia Cathedrali Viterbiensi, cui animarum cura incumbit, ac Stolam desert, præcedere debet Archydiaconum, qui est prima dignitas, ratione Stolæ.

1461 Sed hic fortassè opponet quis: Si hujusmodi ratio tantam vim habet, ut in hac re (*adæquata*) ac convincens censeri debeat, quo jure scientissimus, ac sapientissimus *Albertus Valerius* in suo *Ecclesiæ Veronensis Rituali*, ipsius jussu editus *Anno* 1609. (de quo etiam fit mentio in una *Veronensi Jurium Parochialium* 23. *Martii* 1629. *Coram Eminentiss. D. Cardinal. Virile*: quam refert per extensum *Tamburin. de Jure Abbat. in* calce

calce tomi tertii, & ibi eſt *Deciſ.* 87.) quo inquam jure, ſcientiſſimus ille Prælatus (illius *Magni Cardinalis Auguſtini Valerii Nepos*, ac immediatus ſucceſſor *in Epiſcopatu Veronæ*) in eodem *Rituali*, *ſub Titulo De eleemoſynis*, *& funeralibus*. Definitum reliquit: *Si aliqua rationabili de cauſa cadaver ſtatim ſepeliendum non fuerit: Tunc de conſenſu Parochi differri poterit: Quo caſu ſi adhuc aliud, vel plura etiam eodem præſente cadavere fieri contingat, Miſſarum Officia omnia non ſecus, ac primum, ad proprium Parochum unà cum funeralibus pertinebunt. Semper enim intelligitur ubicunque locorum ſit cadaver, quandiù inhumatum remanet, juris Parochialis eſſe?* Si igitur ex *citato Rituali Veronenſi* Cadaver juris eſt Parochialis, quandiù inhumatum remanet ubicunque locorum ſit; ſequitur etiam in Eccleſia Regularium quandiù & in ipſa inſepultum remanet, ſub Parochi jure etiam ibi adeſſe. Ergo etiam ibi poterit conſequenter Parochus ingredi cum Stola, &c. & ſuper ipſum cadaver exequias peragere, uſque *ad Requiem æternam incluſivè*, *& ultimum Vale*, contra id, quod uti certum, & adæquatum ſupponi videtur in tertia immediatè antecedenti tradita probatione. Hujuſmodi oppoſitio, & argumentum, eſt Achilles R. R. D. D. Amicorum meorum Veronenſium Parochorum; quod tamen (eorundem pace) nullam prorſus vim habere, ex ejuſdem evidenti, adæquata, & immediata ſolutione apparebit. Igitur eiſdemmet Adm. R. R. ac Doctiſſimis Parochis humillimè, & reverenter

1462 Reſpondeo *Primò*: *Rituale Veronenſe* editum fuiſſe pro Eccleſia Veronenſi, pro ipſa tantum inſtitutum, ad eandemque ſolam limitatum: doctrinam verò, & reſolutionem noſtram illimitatam eſſe, ac ubique locorum urgentem, & obligantem; *Rituale enim Veronenſe*, eſto obligaret ad ſui obſervantiam, Veronæ obligaret tantummodò, non alibi, ut conſtat. Sed reſpond. *Secundò*, nec Veronæ amplius *Rituale Veronenſe* obligare, poſt editionem *Romani Ritualis*, *juſſu Sanctiſſimi Pontificis Pauli V*, *de Anno* 1615. Quo ſolo Rituali (privativè ad quodcunque aliud) in poſterum in tota Eccleſia Romana utendum eſt, inviolabiliter obſervando omnia, quæ in ipſo contenta ſunt; in iis enim omnibus, quæ in dicto Rituali Romano præſcribuntur, interpoſita eſt Auctoritas Romanæ Sedis, ideòque tanquam de jure obſervanda ſunt, ut conſtat *ex Bulla* ejuſdem *Pauli V. eidem Rituali præfixa*, in qua ſic: *Hortamur in Domino Ven. Fratres, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos univerſos, ubique locorum exiſtentes, & alios, ad quos ſpectat, ut in poſterum tanquam Eccleſiæ Romanæ Filii ejuſdem Eccleſiæ omnium Matris, & Magiſtræ Auctoritate conſtituto Rituali in ſacris functionibus utantur, & in re tanti momenti, quæ Catholica Eccleſia, & ab ea probatus uſus antiquitatis ſtatuit, inviolatè obſervent.* Quam obſervantiam *Ritualis Romani*, ſtrictè pariter, & adamuſſim (exemplo etiam Prædeceſſorum ſuorum) indixit, atque præcepit pœnali mandato (ne verbum quidem faciens de *Veronenſi Rituali*) *Illuſtriſſimus*, *& Reverendiſſimus D. D. Epiſcopus Veronen. Sebaſtianus Piſanus Junior*, in ſua prima *Diœceſana Synodo*, impreſſa *ſub die* 9. *Maii* 1675. *Typis Joannis Baptiſtæ Meruli*, *Epiſcopalis impreſſoris*, *Cap. V. ſub Titulo De Libris habendis à Parochis*, *& ſervanda forma Ritualis Romani*, ſub ſequentibus verbis. *Quamvis à Prædeceſſoribus noſtris providè fuerit ſtatutum, ab omnibus Rectoribus Curatis utendum eſſe Rituali Romano, &c. Nihilominus nos quoque præcipimus, & mandamus omnibus Rectoribus, Civitatis, & Diœceſis ſub pœna, &c. dictum Rituale Romanum adhibere debere, & adamuſſim formam ejuſdem ſervare.* Verum quia in *Rituali Romano*, *in toto Titulo De Exequiis*, circa præſentem controverſiam inter Parochos, & Regulares nihil præſcribitur, vel definitur, imò circa eandem, ne verbum quidem poſitum eſt, ut patebit legenti; & quia ob id RR. Veronenſes Parochi, adhærentes omninò, & in omnibus eidem *Romano Rituali*, ſequuntur ſuum Veronenſe, quo ad Regulas (tantum) in ipſo præſcriptas ſub *Titulo de Eleemoſynis*, *& Funeralibus*, quæ (& quatenus) non contrariantur, nec opponuntur præſcriptis in dicto *Paulino Rituali*: ideò reſpon. *Tertiò*. Negando abſolutè argumenti conſequentiam. Ad antecedens, deſumptum ex præſcripto *in Rituali Veronenſi*: ideſt, *Ubicunque locorum ſit cadaver, quandiu inhumatum remanet, juris Parochialis eſſe intelligitur*. Dico, talem ſanctionem eſſe de Cadaveribus exiſtentibus in Eccleſiis Parochialibus: Et quis eſt ita cecutiens, ut hoc idem non videat, dum evidentiſſimè paret? Quia Parochis, & ſubditis tantum Epiſcopi Veronen. præſcribuntur, quæ in *Rituali Veronenſi* continentur, non Regularibus, ut potè exemptis omninò à juriſdictione Ordinarii, & quibus aptari nequeunt, quæ in eodem *Rituali* præſcribuntur. Et ob id etiam eiſdemmet Parochis, cæteriſque animarum Curatis idem *Rituale* dirigitur, unde, & in

fronte inſcribitur, *Rituale Eccleſiæ Veronenſis, Parochis, cæteriſq; animarum Curatis ad Sacramenta rectè miniſtranda, cæteraque Parochialia munera obeunda, Ritus, Cæremonias, Doctrinamque præſcribens. Juſſu, &c. Epiſcopi Veronæ, & Com. Editum, &c.* Et in *Epiſtola Paſtorali* ejuſdem Illuſtriſſimi Prælati, eidemmet *ſuo Rituali* præfixa, pariter ſingulis Parochis, &c. Civitatis, & Diœceſis directa, præcipit ita: *Præcimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub pœnis arbitrio noſtro reſervatis, diſtrictè mandamus, Vobis omnibus, & ſingulis Eccleſiaſticis perſonis, tam Sæcularibus, quam Regularibus Parochis Officium, & curam animarum in Civitate, & Diœceſi Veronen. exercentibus, ut omnibus aliis cæremoniarum libris, quos omninò interdicimus, omiſſis, Rituale hoc, uno poſt editionem Menſe in Civitate, duobus verò in Diœceſi tota habere debeatis, & eam, quæ in eodem præſcripta eſt, Parochialis muneris formam, inviolabiliter obſervetis, & in veſtris Eccleſiis omninò obſervare faciatis.* Nota ly: *Vobis omnibus præcipimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtrictè mandamus: Vobis*, ideſt præfatis ſubditis nominatis, hoc eſt Parochis, & Curatis, non Regularibus, ut potè non ſubditis, ad quos conſequenter (certum eſt) dictum præceptum obedientiæ non extendi, neque (defectu auctoritatis in præcipiente) extendi poſſe. Item nota ly *In Eccleſiis Veſtris* (ideſt *in Veſtris Eccleſiis Parochialibus*, non enim Regularium Eccleſiæ ſunt Parochorum) *obſervare faciatis* utiq; (ut conſtat) in Veſtris Eccleſiis Parochialibus, non Regularibus, in quibus Parochi jus nullum habent. Verum

1463 Tantum abeſt, quod *Rituale Veronenſe* contradicat noſtræ traditæ doctrinæ de Regularium Privilegiis in funeralibus, & præfatæ noſtræ explicationi, quod imò eidem apertè, & expreſſè favet: nam *Titul. cit. de Eleemoſynis, & Funeralibus. Verſ. Eccleſiis vero Regularium*, ſic: *Eccleſiis Regularium, quæ retinent jus ſepulturæ, datur quarta funeralium, & Sacerdos illius Eccleſiæ* (Nota) *Officium peragat*, ideſt *non Parochus, qui non eſt Sacerdos illius Eccleſiæ, ſed Regularis.* Et *Verſ. In Eccleſiis vero Monialium*, item ſic: *Si Defunctus ſepeliatur apud Moniales, Monialium* Confeſſor (Nota, non Parochus) *ſive Capellanus faciat Officium.* Ecce igitur, quod *Rituale Veronenſe*, nec noſtræ hactenus traditæ doctrinæ, neque Regularium privilegiis in funerum materia contradicit, dum pariter excludit Parochos ab Eccleſiis tum Regularium, tum Monialium, ſeu ab Officio funebri in iiſdem peragendo, ſepulturæ occaſione, &c. Cæterum, certa res eſt, quod uno excepto *Rituali Romano*, auctoritate Apoſtolica edito, nec Veronen. nec aliud quodcunque Rituale tangere, aut obligare poteſt regulares, etiam ſi loquantur per verba generalia, deficit enim auctoritas in ſtatuente, conſequenter nec præſumitur talis voluntas in ipſo, quia non præſumitur, nec creditur, quod quis præcipiat, & velit, quod jure præcipere, velle, & facere licitè non poteſt: *Non enim præſumitur, ſtatuentes voluiſſe in generali diſpoſitione comprehendere perſonas, de quibus etiam ſi voluiſſent, in ſpecie diſponere non potuiſſent, & quatenus etiam illas comprehendiſſent, ſtatutum non valeret, defectu poteſtatis*, ut tenuit (apud, & cum *Diana to.* 9. *Coord. tract.* 3. *reſ.* 11. *§.* 1. *ex part.* 6. *tract.* 3. *reſ.* 3.) *Oldradus in quadam ſua diſputatione*, quam refert, & ſequitur *Bartol. in leg. Filius familias, §. Divi n.* 12. *ubi Angelus n.* 4. *Floria de Sancto Petro n.* 11. *cum ſeq. Fulgoſius ſub num.* 6. *Verſ. Quid autem cit. ſtatutum. Alexander n.* 11. *&* 12. Igitur nulla diſpoſitio intelligitur facta; ſeu lex præſcripta *in Rituali Veronenſi*, tangens Regulares, defectu poteſtatis, ſubiectum enim legis eſt homo ſubditus, *Bonac. de Legib. diſp.* 1. *qu.* 1. *punc.* 6. *n.* 1. & communiter omnes: quia poteſtas ferendi leges, poteſtas eſt juriſdictionis, quę exerceri nequit in eos, qui non ſunt ſubditi, cum nulla poteſtas poſſit agere extra ſuam ſphæram: Regulares autem non ſunt ſubditi Epiſcopi, vel Ordinarii, ut conſtat, & certum eſt: ergo lex, & diſpoſitio *Ritualis Veronenſis*, nec tangit eos, nec poteſt eos tangere defectu juriſdictionis, & poteſtatis, & conſequenter etiam defectu voluntatis, quia voluntas ſine poteſtate nil operatur, *Menoch. lib.* 3. *præſumpt.* 6. *nu.* 33. & tamen *voluntas, & poteſtas ſunt præcipua in quavis hominis diſpoſitione. Jaſon. conſ.* 140. *n.* 6. *lib.* 4. *deciſ.* 5. *conſ.* 163. *n.* 21. *lib.* 3. *Portius Immolenſ. conſ.* 92. *n.* 65. At ſemper præſumitur, Legiſlatorem velle ſuas leges operari. *Arg. lib. Arriani, Cod. de hæret.* Ergo & in caſu noſtro *Epiſcopus Valerius in ſuo Rituali* ordinavit, & voluit ſolum id, quod potuit: & noluit, quod non potuit, aliter voluiſſet ſuum *Veronenſe Rituale* (in totum ſaltem) non operari; & ideò in ipſo non adſtrinxit, nec tetigit Regulares, *non Parochos;* (addo *non Parochos* quia Regulares Parochi, quo ad curam parochialem ſubduntur Epiſcopis, & Ordinariis, qua de re vide *P. Dianam tom.* 3. *Coord. tract.* 3. *reſ.* 85. *&* 86. *ex par.* 11. *tract.* 2. *& Miſcell.* 2. *reſ.* 14. *& ex par.* 10. *tract.* 16. *& Miſcell.* 6. *reſ.* 27.

ref. 27. *aliàs* 26.) Et voluit inquam, ſolum id, quod potuit, nil ulterius, aliàs voluiſſet illicitum, quod nec creditur, nec præſumitur, cum ly *voluit*, referatur ad actum licitum. Unde etiam *Barboſa dictione* 436. *nu.* 2. & 3. ſic habet (quod maximè facit ad hanc rem:) *Volo, refertur ad actum licitum, non verò ad actum irregulatum, & illicitum, ſecundum Peraltam in l.* 1. *nu.* 73. *ff. De legat. & Molin de primogen. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 17. *Menoch. conſil.* 1184. *n.* 7. *ubi ait, quod quiſque velle non præſumitur niſi honeſta. Velle enim quis non creditur, quod jure facere non poteſt, leg. Lucius, §. Imperatores, ff. Ad municipalem, leg. Si tibi, §. Unius, ff. De optione legata, Gloſſ. in leg. Pete in princip. ubi Bald. in fine princip. ff. De legat. ſecunda, Cap. Cum à nobis, de ſentent. excommunic. Menoch. conſil.* 540. *n.* 6. *Surd. conſil.* 431. *n.* 41. *Rota deciſion.* 364. *nu.* 3. *apud Farinac. par. pr. recent.*

1464 Quod autem ſit illicitum, inane, & nullum, condere legem pro non ſibi ſubditis, & in caſu noſtro à Prælatis, & Ordinariis pro Regularibus, maximè in funerum materia, & quo ad præſentem materiam, de qua hic ſcribimus, & loquimur, præterquanquod ex pluribus ſuperius adductis Bullis, Sacrarum Congregationum Decretis, Doctorum auctoritatibus, & rationibus, certum, & indubitatum eſſe videtur; expreſsè prohibetur *in Mari Magno Minorum Sixti IV. & Clem. IV.* apud *Roderic. in ſuo Bullario Conſt.* 14. *Sixti IV. ſub n.* 33. & 34. *fol. mihi* 150. *col.* 2. his verbis: *Univerſis Eccleſiarum Prælatis, & aliis jubemus, non compellere vos ad Synodos, ſeu convocationes ſuas accedere, aut ſuis Conſtitutionibus ſubjacere, &c.* Et *n.* 37. *Decernimus enim irritum, & inane, quidquid contra tenorem inhibitionum hujuſmodi, per quoſcunque fuerit attentatum, &c.* Et *n.* 37. *Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam, &c.* Ex quibus verbis, expreſsè inquam, videtur prohibitum Prælatis, vel aliis (à Sede Apoſtolica ſuprema) includere in ſuis legibus Statutis, vel Ritualibus Regulares, hos nominando, atque aſtringendo; eorundem enim omnium, & Diœceſanorum poteſtas, non poteſt hos reſtringere in ſuis Privilegiis, cum non poſſint ire contra Decreta, & Bullas Summorum Pontificum, à quibus omninò in ſuis legibus, Statutis, Ritualibus, &c. dependent Prælati omnes Diœceſani, &c. & ſi iſti in hoc contra quid faciunt, Apoſtolica Sedes in ſuis Bullis, & Decretis toties relatis, de facto irritat, invalidat, & annullat. En ergo quid faciat ad Regulares *Rituale Veronenſe Parochorum*. Unde quando RR. Parochi aſſumunt (ut quotidiè faciunt) *in funeralibus ſtandum eſt Rituali Veronenſi*, ultrò, & libentiſſimè admittunt, & concedunt Regulares. Sed hujuſmodi Rituale arctat, afficitque Regulares, negatur abſolutè hæc minor: Ex claris enim ejuſdem Ritualis verbis, conſtat oppoſitum, ut ſupra: Sicque negatur etiam conſequentia, quam inferre, ac deducere intendunt iidem RR. Parochi contra Regulares ab ipſis omninò independentes, & exemptos. Legatur attentè *Rituale Veronenſe*, in quo nil penitus contra Regulares, *in toto citato Titulo De Exequiis Defunctorum, ac de Eleemoſynis, & Funeralibus*, Nec enim in uno, vel altero *Titulo*, verbum quidem invenitur (ut patebit legenti) ex quo argui queat, quod Veronenſes Parochi occaſione funerum poſſint ingredi Regularium Eccleſias cum Stolà, Cotta, Cruce elevata, ibique funerale Officium peragere, aut in aliquo ſe intromittere, cum oppoſitum omninò conſtet ex ſupra poſitis, & ex eodem *Rituali Veronenſi* deſumptis. Ex quo etiam habes, quod Parochus, in ducendo funere, cum Stola, ratione præeminentiæ, & juriſdictionis incedit, *Ejus Capellanus tunc ſine Stola: Titulo eodem de Exequiis paulò poſt initium, Verſ. Parochus autem.* Utique *tunc Capellanus ſine Stola*, quia tunc cum ipſa in eodem funere, cum juriſdictione propria Parochus incedit: Ergo cum talem juriſdictionem exercere nequeat in Eccleſia Regulari, neque poteſt eandem ingredi cum Stola, neque ſe intromittere, &c. Quia tamen hactenus dictis non obſtantibus, RR. Veronenſes Parochi, ſemper habent, & quotidiè in ore (uti & in corde) dictum Parochorum *Rituale Veronenſe, & ſuum ſolitum, ſolitum, ac conſuetum*, quaſi ipſi ſint in poſſeſſione immemorabili exercendi intus Eccleſias Regularium actus juriſdictionales funerales ſuper cadavera Defunctorum in eiſdem Eccleſiis ſepelienda, excurrant ſequentem *Deciſionem*, ſæpè à DD. à nobiſque pluries ſuperius citatam, & allatam à *Tamburino de Jure Abbatum to.* 3. *fol. mihi* 399. *colum.* 1. (quæ eſt *Deciſio* 87.) emanatam ad hominem contra dictum *ſolitum, ſolitum, ac conſuetum*, & contra Veronenſem Parochum, introducentem pro ſuo jure *Rituale Domini Epiſcopi*.



Coram Eminentissimo D. Cardinali Virile. Veronensis Jurium Parochialium, Veneris 23. Martii 1629. Argumentum. Parochus intus Ecclesias unitas Monasteriis Regularium, non potest in funeralibus Stolam deferre, & alias functiones exercere.

1465 *CVm præsupposito, quod Bulla Alexandri III. de qua in Summa num. 1. sit in forma probante, denegarunt Domini Parocho Sanctæ Mariæ ad Clavicam, manutentionem circa delationem Stolæ, & exercitium aliarum functionum intus Ecclesiam Sanctæ Margaritæ: Moti fuerunt: quia, aut Rector Sanctæ Mariæ prætendit manutentionem ex actibus possessoriis gestis intus dictam Ecclesiam, & de hujusmodi possessione non docetur, & testes uti examinati sine citatione Olivetanorum, non probant cap. 2. de testibus, leg. Si quando, Cod. eodem.*

Aut Rector prætendit manutentionem sola assistentia juris: & cum ex Bulla Alexandri III. Ecclesia Sanctæ Margaritæ sit unita Monasterio Sanctæ Mariæ in Organo Olivetanorum, utiq; intrant Declarationes Sacræ Congregat. Concil. & Rituum, Summ. num. 3. quod dum cadavera Defunctorum sepeliuntur in Ecclesiis Regularium, Parochus intra dictam Ecclesiam non possit se intromittere, nec aliquos actus exercere: in Ecclesia enim unita Monasterio Regularium, non habet Parochus juris assistentiam ex eo, quod sit sita intra suos limites, Abb. in cap. Dilectus num. 3. & 11. de Capell. Monach. & in Cap. Ad audientiam, il 1. num. 8. de Eccles. ædifi. & in cap. Cum Venerabilis num. 46. de except. Calderin. in cons. 6. num. 1. Vers. Item sicut, de Relig. Domib.

Ultra quod ex sola assistentia juris turbida non datur manutentio. Seraph. decision. 312. num. 1. & ibi add. & fuit dictum in Montis regalis jurisdictionis 4. Novembris 1596. coram bon. mem. Penia.

Non obstant Decreta, & sententiæ Vicarii Veronensis, quia dederunt causam liti, & non afficiunt Olivetanos non citatos. Bald. in leg. Ab eo, num. 17. Cod. Quomodo, & quand. Jud. Tabr. de citat. conclusion. 1. num. 310. Cæsar de Grass. d. 8. in fin. de dol. & cont. Tareg. decis. 467. num. 3.

Rituale Episcopi non loquitur in Ecclesia unita Monasterio Regularium.

Quo ad quartam petitionem funeralium informantes pro Olivetanis religiosè procedentes offerunt Rectori quartam ipsorum funeralium, quæ in die sepulturæ cum corporibus mortuorum deferuntur.

Et ita utraque parte informante, &c.

1466 Et ut hæc singularis *Decisio ac Sententia*, majorem habeat, imò totalem vim, do hic sententiæ ejusdem Authenticum Instrumentum.

IN Nomine Domini. Tenore præsentis publici Instrumenti cunctis pateat, & sit notum, quod aliàs lite, & causa in Romana Curia, & in Sacro Rotæ Auditorio, coram Reverendo Patre Domino Hieronymo Verospio, ejusdem Sacri Palatii Apostolici causarum Auditore, & hujusmodi causæ in locum Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Lucæ Antonii Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Virilis, ante ejus ad hujusmodi Cardinalatus dignitatem promotionem, ejusdem Sacri Palatii Apostolici causarum Auditoris, & hujusmodi causæ Judicis Judice Commissario specialiter surrogato, desuper à S S. Domino Nostro Papa specialiter deputato, inter Reverendos Dominos Abbatem, & Monachos Sanctæ Mariæ in Organo Civitatis Veronæ ex una, & Reverendum Dominum Dominicum Principalium Rectorem, seu Parochum Ecclesiæ de, & super quieta, & pacifica possessione exercendi jura Parochialia dictæ Ecclesiæ, rebusque aliis in actis causæ, & causarum hujusmodi latius deductis, & illorum occasione partibus, & altera introducta, & adhuc indecisa pendente. In qua idem Reverendus Pater Dominus Hieronymus Verospius Auditor, & Judex surrogatus partibus procedentibus. Tandem verò die Mercurii vigesima sexta Mensis Junii Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexagesimo trigesimo fuit causa hujusmodi per eundem Reverendum Patrem Dominum Hieronymum Verospium Auditorem, & Judicem surrogatum proposita, inibique maturè, & diligenter discussa, & ventilata, fuit decisum, & resolutum in eadem Rota, prout, & quemadmodum in decisione, & resolutione, per eundem Reverendum Patrem Dominum Verospium desuper firmata, & facta, nec non ex Libro Decisionum Originalium hujusmodi Auditoris per me Notarium publicum infrascriptum fideliter extracta, auscultata, & collata tenoris infrascripti. Videlicet. Veronensis Jurium Parochialium, Mercurii 26. Iunii 1630. Coram Eminentissimo Cardinali Virili denegata fuerat manutentio Rectori Sanctæ Mariæ ad Clavicam super exercitio Jurium Parochialium in Ec-

in Ecclesia Sanctæ Margaritæ, quia cum illa esset unita Monasterio Regularium Congregationis Olivetanæ, non poterat Rector juvari sola juris assistentia, quod eadem Ecclesia esset intra limites suæ Parochiæ, sed cum ea resolutione illud fuisset à Dominis tanquam pro certo suppositum, ut esset in forma probante Privilegium Alexandi Tertii, quod continebat unionem ejusdem Ecclesiæ, & posita iterum causa, visa fuisset deindè dubia fides copiæ exempli ejusdem Privilegii, quæ solum à Monachis exhibebatur tanquam extracta ex privato Archivio, & quæ nullis adjuvari poterat adminiculis. Dederunt iidem Monachi in actis ipsum exemplum transumptum ex Originali in forma authentica. Super cujus ultimæ scripturæ fide proposui iterum dubium ad instantiam Procuratoris Monasterii, & ad instantiam Rectoris super concessione manutentionis, quam ipse Rector sibi debitam contendebat, postquam ex duabus Decisionibus sublatum videbatur fundamentum unionis, sub cujus præsupposito fuerat eidem manutentio denegata. Et super priore parte dubii, à qua etiam pendebat posterioris resolutio: Responderunt Domini ad favorem Monasterii propter Solemnitates, quas ex eodem instrumento producto videre erat, servatas fuisse in illius transumptatione, & ex quibus eadem omninò fides debebatur huic sumpto, quæ ipsi Originali, ut expresiè disponitur in capit. fin. de Fid. Instrument. Cum enim ipsius Originalis vetustas sit in causa, imò solius amissionis timor, satis sit, ut ex Originali Copia desumi possit, quæ eandem fidem mereatur, & sit loco ipsius Originalis p. Abb. in d. cap. fin. 2. notab. Cardin. Seraph. decis. 1428. num. 1. Rot. decis. 422. nu. 3. p. 1. recent. post tercentum, & decem annos, qui intercesserunt à tempore dati Privilegii ad tempus, quo fuit extracta Copia, de qua hodiè quæritur, & ex quibus satis hæc causa videri poterat justificata, apparebat propterea ejusdem transumptationem factam cum præsentia trium Notariorum Auctoritate Judicis Ordinarii, & demum confirmata Decreto Patriarchæ Aquileiensis tanquam Iudicis competentis in hac causa exemptionis, quæ omnia ad validitatem transumptationis præcipiuntur in eódem cap. fin. & ex eo not. Dec. & alii in auth. si quis in aliquo num. 9. Cod. De edend. Lanfranc. in cap. Quoniam contra de probat. sub tit. de instrum. product. num. 458. Covarr. pract. quæst. cap. 21. Verall. decis. 321. par. 3. Neque ejusdem transumpti fides minui poterat ex omissa citatione partis, de cujus præjudicio agebatur, & quæ ex eodem instrumento producto probari videbatur omissa, dum nunquam apparebat in illo fuisse ennunciatam. Quia vel non fuit opus aliqua citatione, dum facta fuit exemplatio ex sola vetustate Originalis, non autem ad alicujus instantiam, qui suspicaretur futuras sibi adversarias certas personas in ea causa, cujus gratia Privilegium ex antiquo Originali extrahebatur. Bald. in leg. Ne quidquam, §. ubi Decretum num. 22. ff. de Officio Procons. & leg. Menoch. cons. 745. num. 6. Vel non licet dicere, illam fuisse omissam ex hoc solum, quod non appareat, in instrumento enunciatam, ut imò tanquam Solemnitas extrinseca, aliundè præsumi posset. Fel. in cap. Albericus num. 3. & 4. de Testibus. Put. decis. 205. & decis. 327. lib. 2. & ex antiquitate centum, & quadraginta annorum, qui decurrerunt usque ad hanc diem, ab Anno 1487. quo tempore fuit facta transumptatio, præsumi etiam conveniret non solum citationem partis, sed reliquas alias omnes Solemnitates. Covarr. eodem cap. 21. pract. quæst. nu. 7. Menoch. consil. 924. nu. 29. & præsumpt. 8. num. 2. Aym. de antiqu. tempor. §. Vidimus num. 21. & seq. Vrsill. ad Affl. decision. 368. num. 5. Et quod fuerit authenticum etiam ipsum Originale, ut plenè comprobat Cuman. lib. 158. num. 2. Et illud maximè movit Dominos, ut fidem huic sumpto denegandam non putaverint, quod plurimis visum fuit juvari adminiculis ex quibus etiam copiæ alterius copiæ fides dari solet. Menoch. cons. 924. num. 35. Verall. decision. 234. par. 1. Card. Seraphin. decis. 1192. num. 2. Rot. decis. 418. num. 5. par. 2. recent. & in Romana Unionis 1. Martii 1599. coram Orano inter impress. par. 4. diver. decis. 543. Constabat enim de observantia ejusdem Privilegii tam ex pluribus visitationibus, & collationibus ultra annos septuaginta, quæ probabantur effectum sortitæ, factis ab Abbatibus Monasterii Sanctæ Mariæ in Organo, cui hæc Ecclesia Sanctæ Margaritæ dicitur unita, quæ ex concessione usus ejusdem Ecclesiæ Confraternitati Laicorum. Ex quibus omnibus non solum videri poterat probata observantia, cum non nisi ex causa ejusdem Privilegii fieri potuerint. Bald. in leg. Quædam mulier in fin. ff. rei vend. Alciat. reg. 2. præsumpt. 24. Aym. cons. 10. num. 9. Rot. decis. 598. num. 5. par. 1. divers. Ut imò satis fuisset probari eandem observantiam ex actibus negativis, & intermissis Visitationibus ab Ordinario, dum nihil aliud continebat Privilegium exemptionis, & erat pars executionis ipsius gratiæ, quod Ordinarius visitare desierit, prout sic ratiocinari visa fuit, Rota d. par. divers. decis. 534. num. 5. & præ cæteris omnibus adminiculis, quæ deducta fuerunt, illud visum fuit potissimum, quod Originalis hujusmet Privilegii meminit Cardinalis Baronius in suis Annalibus. Dum Anno post Christum natum M.C.LXXVII. recenset quæ gessit Alexander III. in Civitate Venetiarum, relatis omnibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui in eo se subscripserunt, & eodem loco, & tempore, sicut in hoc transumpto continetur, ac demum per-

sona Abbati Opizonis, cui fuit concessum Privilegium, & persona Cardinalis Gratiani, per cujus manus dicitur datum. Cujus auctoritati plurimum Domini detulerunt, tum quia negari non potest, quin sit maxima, tum quia probata observantia in parte, & in reliquis, illa præsumitur, quæ non possunt non esse eadem, ac similia, cum iis, quæ probantur observata. Paris. consil. 90. num. 4. & 6. lib. 1. Garz. de Benefic. par. 12. cap. 2. num. 240. Rot. decision. 124. num. 4. par. 2. recent. & Tirasonen. Juris præsentandi 21. Octobris 1594. coram Litta relat. apud eundem. Garz. d. §. 2. num. 242. & in Caurien. decimarum, seu jurisdictionis 17. Junii, & 14. Novembris 1583. coram Cardinali Blanchetto, & ex bis probata Unione, non poterat Rectori concedi manutentio, cum in Ecclesia unita Monasterio Regularium, nullum posset Rector deducere titulum tam de jure, quam ex dispositione Sacræ Congregationis Concilii, & Rituum, super eum solum posset obtinere, quod probaret fuisse à se possessum, sicut fuerat præcipuum, atque unicum fundamentum decisionis Eminentissimi Cardinalis Virilis, cum qua Domini bodie transegerunt, utraque parte informante, & ita, &c. quæ quidem decisio sit per me Notarium Publicum infrascriptum ex suo Originali superius, ut præmittitur extractum, & auscultatum, & collationatum fuit, & concordatum. De, & super quibus omnibus, & singulis præmissis, petitum fuit à me eodem Notario Publico infrascripto unum, vel plura publicum, seu publica fieri, atque confici Instrumentum, & Instrumenta. Actum Romæ in Palatio solitæ babitationis dicti Reverendi Patris Domini Verospii die quinta Mensis Februarii Anni Millesimi sexcentesimi trigesimi primi indictione decima quarta Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Divina Providentia Papæ Urbani Anno octavo. Præsentibus ibidem Illustrissimis, & discretis Viris D. D. Joanne Baptista Laurentio I. V. Doctore, & Joanne Baptista Montanario Romanis Præsuli Reverendi Patris Domini Verospii familiaribus Testibus ad præmissa omnia, & singula vocatis, atque rogatis P. consf. ✠ §. 2. App. Idem Astulpbus, &c.

Sanctæ Mariæ ad Clavicam App. Idem Astulpbus

S. T.

Ego Astulpbus Galloppus de Tarano in Sabinis Sacri Palatii Apostolici causarum bujusmodique causæ Notarius Publicus, quia prædictæ decisionis extractioni, collationi interfui, ideò boc præsens publicum Instrumentum per me exindè in notitia receptum subscripsi, signavi, & publicavi requisitus, &c.

Nos Marcus Antonius Franciottus Prothonotarius Apostolicus utriusque Signaturæ Sanctissimi Domini Nostri Papæ Referendarius, nec non Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Audtor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, &c. Universis præsentes inspecturis attestamur supradictum D. Astulpbum Galoppum de Tarano fuisse, & esse verum, authenticum, legalem, & fide dignum nostrum, Curiæque nostræ Notarium, suisque scripturis sic ab eo subscriptis, & publicatis ubique locorum, temporum adbibitam fuisse, ac de præsenti indubiam adbibendam fidem. In quorum fidem, &c. Datum Romæ hac die 6. Februarii 1631.

Cesar Columna.

L. ✠ S.

Ego Vincentius Ferrus publicus Veneta Autboritate Notarius attestor præmissum exemplum fideliter desumptum fuisse ex alio simili existenti in Archivio Venerab. Monasterii Sanctæ Mariæ in Organis Veronæ mibi ad bunc finem exbibito, & incontinenti restituto, collatione enim diligenti cum eo facta in omnibus concordare inveni. In quorum, &c.

1467 Ex hac ergo Decisione authentica, & sententia, utraque parte informante sequuta, apertissimè constat *consuetum*, & *solitum* Parochorum Veronensium, & omnium esse, non deferre Stolam, nec ullam functionem habere, vel exercere posse intus Ecclesias Regularium in funeralibus: & *Rituale Veronense* non loqui in iisdem, hoc est, nec vocem, nec jus habere in illis, uti extra propriæ jurisdictionis spheram. Dico, & *Parochorum omnium*, quod tamen, licet universaliter idem affirmandum sit, respectu scilicet omnium cujuscunque loci, & Diœcesis Parochorum; ab hac tamen universalitate excipiendi sunt (cum *Bordono resol. 51. nu. 65. & res. 73. nu. 11.*) *Parochi Mediolanenses Ambrosiani*. Ratio autem hujus exceptionis, & limitationis, est, ob ritum Ambrosianum diversum à Romano: Unde Mediolani Parochus Ambrosianus (cui non contradicunt Regulares) ratione sui ritus Ambrosiani, etiam intra Ecclesiam Regularem, ad quam defertur suum cadaver, absolvit Officium super Defunctum, ritu Ambrosiano, postmodum Rugulares incipiunt Officium ritu Romano; ea ratione, ne Officium ritu Ambrosiano cœptum remaneat imperfectum, eo quod Romani illum ritum non noverunt. Hine ob hanc specialem causam (inquit etiam *Bordonus*) excipitur usus Mediolanensis Ambrosianus, & limitatur in hoc nostra doctrina, & conclusio.

clusio. Ex diversitate enim precum, forsan Defuncto augetur Suffragium, & cum diversa sint Suffragia, & Officia ritus Ambrosiani, & Romani, æquum est, ut ab utrisque absolvantur: quod non accidit in Clericis, & Regularibus, utentibus iisdem Orationibus, quæ ab uno inceptæ, ab alio absolvi possunt; ita etiam *Bordonus*.

1468 Probo quarto: Non potest Archiepiscopus uti Cruce, Legato præsente in Civitate, *Barbosa in Trident. sess.* 6. *cap.* 6. *num.* 17. & ibi *Aldanus in Compend. Canon. resolution. lib. pr. tit.* 8. *nu.* 26. ubi etiam, quod sit decisum *à Sacra Congregat. die* 2. *Octobris* 1601. Ergo signum est, quod elevare Crucem est inditium præeminentiæ, & jurisdictionis, quam Episcopus respectu Legati non habet: sed nec ullam præeminentiam, aut jurisdictionem habent Parochi (ex tot superius allatis Bullis, & Sacrarum Congregationum Decisionibus) in Ecclesiis Regularium, ergo nequeunt in illis cum Cruce elevata intrare ad canendum Exequias super Defunctos, quia hoc est, jurisdictionem, & præeminentiam (quam nullo modo habent) exercere. Quam jurisdictionem in Ecclesiis Regularium, nec ipsi D. D. Episcopi ex dictis, & Doctoribus habent, vel exercere prætendunt. Imò si actum aliquem in illis exercere volunt, qui jurisdictionis speciem præferat, prius à Regularibus licentiam impetrant, & sæpè etiam Notarii publici Instrumento rogant, quod pluribus probari potest; quibus tamen omissis, unum tantum actum in authenticam hujus dicti comprobationem afferam, quem refert *P. Ab Asiens. c.* 4. *division.* 2. *fol.* 113. Rogatum Patavii, ut sequitur.

Nel Nome di DIO Amen. 1649. *Inditione* 2. *il dì Sabbato* 26. *Giugno, in Padova nella Chiesa del Padre Sant'Antonio detto di Padova, presenti, &c. Desiderando Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo Signor Marc'Antonio Cornaro Vescovo di questa Città dimani celebrar Pontificalmente, &c. Un Sacrificio all'Altare, e Venerabil Arca del Glorioso S. Antonio in questa Chiesa. Hora à quest'effetto constituito il Molto Reverendo Monsignor Don Vicenzo Guzelmini Maestro di Cerimonie di Sua Signoria Illustrissima, disse inberendo all'istanza questa mattina fatta colla propria bocca per detto Monsig. Illustris. all'infrascritto Molto Rever. P. Guardiano, &c. nuovamente, avanti detti testimonii, & altre persone, hà ricercato del favore medesimo, con il commodo della Chiesa per quanto le occoresse in detto Sacrificio (senz'alcun benche minimo pregiudicio de Privilegii del Monasterio, &c.) onde detto M. Rever. Padre Guardiano coll'assistenza delli M. R.R. P.P. Marc'Antonio Bellani, &c. coll'autorità concessa dal Venerand. Capitolo di detto Monasterio, le concede (per questa volta sola) quanto ricerca Sua Signoria Illustrissima, e Reverendissima, senza pregiudicio, come sopra, &c.*

Petrus Saviolus q. Franc. Fil. Auct. Venet. publ. Pad. Notar.

Ex hoc ergo publico Actu authentico, patet D.D. Episcopos nec habere, nec prætendere jurisdictionem in Ecclesiis Regularium istis invitis, & absque licentia Regularium Superiorum; multò minus ergo prætensionem exercendi actum ullum jurisdictionis in Ecclesiis Regularium habere debent Parochi, adeò inferiores Episcopis, & minores; quia *à majori ad minus validum est argumentum*. *Barbosa Loco* 67. *n. p.* ubi *Jura, & Doctores*. Quando argumentum negativè sumitur (ut in præsenti) non affirmativè: idem *Barb. n.* 2. & alii ibidem ità limitantes. Et hic etiã obiter (in confirmationem) valde faciunt eaquæ tradit *Prosper Fagnanus in* 2. *p. lib.* 1. *Decretal. De Offic. Ordinarii cap. Grave à nu.* 18. *pag.* 479. ex quibus constat, *Episcopos, ex sententia etiam S. Congregationis, non habere locum in Ecclesiis Regularibus, aut Monasterio unitis, aut ab eo dependentibus; si eis à Regularibus deserviatur:* qua de re præter eundem *Fagnanum* (*Concil. Trident.* adhærentem) Vide *Azorium Institutionum Moral. p. p. lib.* 12. *cap.* 18. *& Barbosam in Trident. sess.* 25. *cap.* 20. *n.* 1. *& Collectam. ad cap. ult. n.* 3. *de statu Monachorum*. Regulares igitur, ne suæ jurisdictioni præjudicent, non debent Parochis (adeò inferioribus in comparatione Episcoporum) permittere in suis Ecclesiis, exercere aliquem vel minimum actum jurisdictionem indicantem, absque licentia, & consequenter nec ingressum eorundem Parochorum in iisdem Ecclesiis cum Cruce, Stola, Cantu, &c.

1469 Probo quinto. Regulares in Processionibus, extra Claustrum, & proprium districtum, nequeunt Pluviale, & Stolam deferre: sicque responsum fuit à *Sacra Congregatione Concilii*, Parochis Bononiensibus instantibus, & quærentibus, missa responsione, ac decisione ad *Eminentiss. Cardinalem Ludovisium Archiepiscopum Bononiensem* 2. *Julii* 1620. ut reierunt *Lezzana to.* 1. *Summ. cap.* 12. *nu.* 41. *Lantusca in Theatro Regular. Verbo Declaratio*, & alii. Et hoc ideò taliter decisum est, quia Regulares extra proprium Claustrum, & districtum, sunt extra proprium Territorium; & quia aliter jurisdictioni Parochorum esset aliqualiter præjudicare: ergo si sic est, etiam parochi ingre-

ingredientes Ecclesias nostras, nostris juribus præjudicant: non enim magis Parochi exempti sunt à Regularium jurisdictione, ac sit exempta Regularis Ecclesia à jurisdictione parochorum: & argumentum à paritate rationis validum est, ut supra probatum est cum *Barbosa Loco* 68. & aliis apud ipsum. Unde sicuti Regulares extra proprium districtum non admittuntur à Parochis, & multò minus in parochialibus Ecclesiis cum Stola, ita nec parochi cum Stola pariter admittendi sunt à Regularibus in suis Ecclesiis.

1470 Et hic obiter addo, tanto cum rigore R. R. quosdam parochos processisse adversus Regulares, Stolam deferentes extra propriam Ecclesiam, Monasterium, & districtum; & quandoque adeò acriter se oppofuisse, ut renuerint admittere Admodum RR. PP. Cappucinos (quoscumque alios Regolares consequenter) benedicentes Agros, Ægros, Domos, &c. cum Stola quidem, privatim tamen, & absque ulla Solemnitate, quamvis similes Benedictiones pariter cum Stola, à quolibet simplici Sacerdote conferri possint, teste *Dominico Magri in suo Opusculo, Romæ edito Anno* 1650. cujus titulus: *Notitia de Vocaboli Ecclesiastici, con la dichiaratione delle Ceremonie, & Origine de' Riti Sacri*, in quo sic, *Verbo Benedictio pag. mihi* 33. *column.* 2. *La Beneditione, con la quale si benedicono li Frutti, Case, e Candele, & altre cose conforme il Rituale, si può dare da ogni semplice Sacerdote, il quale deve essere vestito con la Cotta, e Stola di color Violaceo, overo del colore corrente, come ordina il Rituale*. In quo, *sub Titulo de Benedictionib. Regulæ Generales*, expresse sic præcipitur: *In omni Benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo, & Stola pro ratione temporis utatur*. Unde *Michael Bauldry in Man. Sacrar. Cæremoniar. juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ par.* 2. *cap.* 20. *n.* 4. & ipse ait: *Sacerdos benedicturus (semper) Cotta indui debet, cum Stola regulariter alba, aliquando tamen violacea*. Nota ly *semper*, & loquitur ibi de Benedictionibus, quę communes sunt etiam simplici Sacerdoti, & à quocunque Sacerdote fieri possunt, ut patet *ex nu.* 2. *&* 3. Quibus tamen non obstantibus, non defuere ex Parochis, qui se acriter, & toto conatu opposuerint, ut supra, volentes absolutè interdicere dictis Patribus Sacras functiones præfatarum privatarum Benedictionum cum Stola, &c. adeò ut coacti fuerint ad redimendam vexationem, & tuendum jus proprium (& cujuslibet Sacerdotis) recurrere ad Sacram Congregationem pro decisione talis controversiæ, ut sequitur.

CAPVCCINI AL NONCIO DI VENETIA.

1471 *Essendo stato rappresentato alla Sacra Congregatione per parte del Provinciale de' Capuccini della Provincia di Venetia, che alcuni Parochi, e particolarmente l'Arciprete di Nogarola, luogo della Diocesi di Verona, cerchino molestare, & impedire li suoi Frati, che non raccomandino l'Anima à i moribondi, e non benedichino privatamente, e senz' alcuna Solennità le Possessioni, e Barche d'alcuni affettionati, e divoti del loro Habito, secondo che da essi ne sono alle volte ricercati. Questi Illustrissimi miei Signori m' hanno ordinato di scrivere à V. S. che mentre nelle sudette attioni li Capuccini non fanno cose, che s'aspettino solamente al Paroco, ella proveda con quei rimedii, che stimarà espedienti con la sua prudenza, che li medesimi Capuccini non siano da alcuno molestati, ò impediti nelle cose predette, mà più tosto ajutati, e difesi, mentre cooperano in beneficio de' prossimi, e salute delle loro Anime. Tanto dunque si contenti d'esseguire con l'autorità anco della Sacra Congregatione, che in quanto bisogni, se le dà in virtù della presente; e DIO la prosperi.*

Roma 31. *Agosto* 1629.

Ita reperitur in Regesto authographo Sacr. Congreg. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ. In quorum fidem, &c.

Romæ 29. *Julii* 1689.

Locus ✠ *Sigilli.*

B. Panciaticus Secretarius.

CAPVCCINI AL NONCIO DI VENETIA.

1472 *RAppresentando il Procurator Generale de Capuccini, che l'Arciprete di Lonigo Diocese di Vicenza, pretende impedire a Frati del suo Ordine di detto luogo il benedire le Possessioni con la Stola privatamente senza solennità, raccommandare l'Anime à i Moribondi, e far altre simili fonsioni, di che vengono ricercati dalla devotione de' fedeli, e non spettano privativè al Paroco; non ostante l'ordine dato dalla Sacra Congregatione sotto li 31. Agosto dell'Anno 1629. in tal materia per i Frati di Nogarola Diocesi di Verona, che non dovessero esser impediti; supplicando però d'opportuna provisione. Questi Eminentissimi miei Signori m'han commandato di scrivere à V. S. che in ogni maniera faccia esseguire in conformità dell'ordine sudetto. Tanto devo dirle, & il Signore Iddio la prosperi. Roma 28. Novemb. 1664.*

Ita reperitur in Regesto authographo Sacr. Congreg. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ. In quorum fidem, &c.

Romæ 29. Julii 1689.

Locus † Sigilli.

B. Panciaticus Secretarius.

JACOBUS ALTOVITI

Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopus Athenarum Sanctissimi Domini Nostri Papæ Prælatus Domesticus, & Assistens, ac in toto Serenissimo D. D. Venetorum Dominio Nuntius Apostolicus.

Dilectis nobis in Christo Admodum Reverendis Archipresbytero Leonici, & Parocho Seratici Vicentinæ Diœcesis salutem in Domino.

1473 *CUm apud Sacram Congregationem super negotiis Episcoporum, & Regularium præpositam, Procurator Generalis Fratrum Capuccinorum conquestus sit, Fratres sui Ordinis à Vobis molestari, & impediri, ne privatim quidem, sine ulla tamen solemnitate benedicant cum Stola Agros, Ægros, Domos, & similia, neve Infirmis in extremo laborantibus, pias functiones ab Ecclesia institutas persolvant, instititque pro opportuno remedio, ne ipsorum juri derogetur, neve fideles hujusmodi beneficiis priventur. Eadem Sacra Congregatio dicti Procuratoris justæ, ac rationabili petitioni benignè annuens, Decreta sub die 31. Augusti Anni 1629. hac de re edita innovavit, & confirmavit, nobisque ipsorum executionem injunxit sub die 28. Novembris 1664. nimirum, ut opportunè provideremus, ne Religiosi Ordinis præfati ab hujusmodi functionibus, ut potè, quæ non ita ad Parochos spectant, quin etiam ab aliis Sacerdotibus inferioribus privatim exerceri possint, nullatenus impedirentur. Idcircò Nos dictæ Sacr. Congreg. jussa ser. ser. exequentes, Vobis antedictis Archipresbytero Leonici, & Parocho Seratici tenore præsentium per quemcunque juratum Nuncium, vel publicum Notarium, vel etiam Curiæ Sæcularis Præconem intimandarum, præcipimus, & strictè præcipiendo mandamus sub pœnis, & Censuris Ecclesiasticis Nobis, & Justitiæ bene visis, ac suspensionis à divinis, quatenus visis præsentibus desistere debeatis à molestationibus prædictis, sed sinere, quod dicti Patres benedicere possint, & valeant cum Stola privatim Agros, Ægros, Domos, & similia, & Ecclesiasticas functiones, ut supra, ægrotis in extremis existentibus exercere, nec non alias pias functiones ab eorum devotis requisitas, quæ privativè non spectant ad Parochum juxta Decreta die 31. Augusti 1629.*

Datum Venetiis in Palatio Apostolico apud Sanctum Franciscum à Vinea die 24. Mensis Decembris 1664.

Locus † Sigilli.

Cosmus Brunettus Auditor Generalis.
Stephanus Rosata Cancellarius Mand. &c.

1474 Si

1474 Si ergo Parochi arcent adeò Regulares, ut velint (injustè tamen ex fideliter transumptis, & allatis Decretis) cum illis contendere eisdem prohibendo (etiam si non possint) privatas benedictiones, & alias pias functiones cum Stola extra propriū districtū: quomodo & quo jure exigunt postea iidem Parochi jus indebitum à Regularibus; hoc est deferre Stolam, &c. intus eorum Ecclesias? quare, quare hoc, & quo jure?

1475 Fortassè dicent Parochi ipsos deferre Stolam in Ecclesiis Regularium, quia habent jurisdictionem super cadaver, quandiù manet inhumatum, propter quam etiam rationem prætendunt quartam funeralem. Sed contra, quia ex tot relatis *Bullis*, *Decisionibus Sacar. Congregat.* & Doctoribus, statim ac Cęmeterium, aut Ecclesiæ Regularium Portam ingreditur cadaver, desinit omnis jurisdictio Parochi super ipsum, & totaliter sub jurisdictione Regularium constituitur: ergo in eorundem Ecclesia nullam jurisdictionem habet Parochus, neque super corpus: & si super istud asseratur jurisdictio, gratis asseritur. Igitur Stola à Parocho in funeralibus deferri tantum potest, usque dum super corpus, & cadaver jurisdictionem habet, nil ultra: *Samuellius de sepult. tract. pr. disp.* 3. *controvers.* 5. *conclusion.* 14. *n.* 31. *fol.* 100. & innumeri alii. Sed durat ejus jurisdictio (ex dictis, & probatis per omnes) solum usque ad Ecclesiæ Regularis Januam: ergo Janua hæc est terminus ad quem jurisdictionis Parochi super cadaver tumulandum in Ecclesia Regularium. Hoc idem confirmari potest ex superius dictis. Nam Parochus quando cum funere ingreditur alterius Parochi Ecclesiam deponit Stolam, ut experientia compertum est (nisi Comparochi liberaliter, & ex Urbanitate convenerint se invicem cum Stola in propriis Ecclesiis admittere, quod possunt, & faciunt multi, ut patet) ergo etiam quando ingreditur Ecclesias Regularium, idem facere debet, quia utrobique militat eadem ratio. Adde, quod supra idem corpus Defuncti, Parochus non habet amplius jurisdictionem, statim, ac alterius Comparochi Ecclesiam ibidem tumulandum ingreditur, atque adeò Stolam deponit: cur ego jurisdictionem habebit, & Stolam deferet, quando Regularium Ecclesias ingreditur? Si respondeat Parochus, quia erat mea Ovis, subditus meus. Item contra, nam etiam quando defertur ad alterius Comparochi Ecclesiam erat prius sua Ovis, subditus suus, & tamen hic cessat ejus jurisdictio, ergo etiam jus deferendi Stolam consequenter. Addi potest, benè respondet Parochus, quia *erat* mea Ovis, subditus meus, nam *erat* sua Ovis, subditus suus: non est amplius, ingressa Ecclesiam in qua tumulum expectat, quia ex superius dictis mutavit perpetuo Domicilium, & Territorium, nemo autem extra proprium Territorium potest jurisdictionem exercere, *leg. Ultima*, *ff. De jurisdict. omnium judicum*: ob quam etiam rationem, in probatione admitto, & suppono, Regulares non posse facere Processiones extra Claustra Monasterii, & extra proprias Ecclesias; nec deferre in ipsis Pluviale, Stolam, Crucem erectam, &c. (ur est communis etiam sententia) quia hoc esset jurisdictionem exercere extra proprium Territorium contra jura, &c. Iterum addi potest, quod quando corpus Defuncti in Ecclesia Regularium collatum est, in loco exempto est (ex superius dictis, & probatis) super existentem autem in loco exempto actus nullus jurisdictionis exerceri potest, ut constat, quia locus exemptus, & extra Territorium paria sunt, & æquiparantur quo ad jurisdictionem: *Avila de Censuris par.* 2. *cap.* 3. *dub.* 5. *Pasqualig de Jejunio decis.* 213. *nu.* 4. *Cespedes de Exempt. Regular. cap.* 14. *dub.* 227. *Marcellus Vulpe in Praxi Fori Ecclesiastici cap. pr. n.* 32. (ibi: *Locus extra Diœcesim*: *& Locus exemptus intra Diœcesim æquiparantur.*) *Diana Coord. to.* 5. *tract. p. res.* 97. *n.* 2. *Ex par.* 5. *trac.* 9. *res.* 66. aliique. Et esse in loco exempto, & extra Territorium, est esse extra jurisdictionem, *Pasqualig. in Francum cum multis par. pr. n.* 1106. *Tamburin. de jure Abbat. to.* 3. *in Decisionibus Rotæ*, *decision.* 42. *n.* 2. *Salas de Legibus disp.* 14. *sect.* 6. *in princip.* (ibi: *Locus exemptus, moraliter intra Territorium non continetur, seu quo ad jurisdictionem: imò est extra, quia exceptis casibus exceptis, in jure relatis, non potest Ordinarius talis Territorii, in loco exempto jurisdictionem exercere, ut expressè dicitur in Clementina Archiepiscopo, de Pœnis.*) *Suar. de Cens. disp.* 5. *sect.* 4. *n.* 9. (ibi: *Ille locus exemptus, quamvis dicatur esse intra Territorium, quia intra terminos ejus quasi materialiter continetur, tamen formaliter est extra, quia extra jurisdictionem, &c.*) *& de Legib. cap.* 32. *n.* 9. *Merolla to.* 2. *disp.* 4. *de Legib. cap.* 3. *dub.* 41. *difficult. pr. à num.* 484. & ibi communiter Canonistæ: *Laym. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 11. *n.* 5. & communiter.

1476 Confirmarur hæc eadem ratio. Nam falsum est omninò (ex dictis etiam superius) Parochum jurisdictionem ullam habere in corpus sui Parochiani in Ecclesia Regu-

Regularium collocatum: Ergo ibi super illud nequit ille actum ullum jurisdictionalem exercere; consequentia necessariò sequitur, quia impossibilis est actus, ad quem potentia nulla est. Antecedens verò probatur apertissimè (item ex superius dictis) quia si jurisdictio aliqua in illud corpus esset in Parocho, esset utique spiritualis, consequenter necessariò à Summo Pontifice derivata: Sed hanc eandem jurisdictionem, non unicus tantummodo, sed plures Pontifices Summi, apertis votis abstulerunt à Parocho, & in Regulares transtulerunt, dum expressè in eorundem Bullis, & Decretis superius recitatis, præcipere videntur Parochis comitari corpora suorum Defunctorum Parochianorum solum usque ad Januam Ecclesiæ Regularium: Ergo nonnisi usque ad Ecclesiæ Regularis Januam remanet in Parochis jurisdictio super corpora suorum Parochianorum (nisi fortè prætenderent Parochi jurisdictionem spiritualem super Parochianos; à Summo Pontifice non dimanatam, quod esset erroneum, & inadmissibile) cum *Ejus sit limitare, cujus est concedere*. Et, *Ejus sit actum tollere, cujus est condere*, ut est commune Juristarum Axioma. *Per quas enim causas res nascitur, per easdem dissolvitur*: item Axioma, de quo cum multis *Barbosa Axiom.* 199. *n.* 8. & 9. *Bordon. ref.* 52. *nu.* 110. & alii communiter. Cum igitur jurisdictio spiritualis nascatur, & originem habeat à Summo Pontifice, consequens est, ut per ejusdem voluntatem dissolvatur, auferatur, limitetur, &c. uti limitata est in casu nostro ipsis Parochis in Decretis, & Bullis Summorum Pontificum superius allatis, usque ad Januam Ecclesiæ Regularis. Neque per hoc, vel etiam eximendo subditum Parochianum à Parochi potestate, ac jurisdictione, facit Summus Pontifex ipsi Parocho præjudicium, ex clara assertione, & sententia *Doctoris Angelici D. Thomę in quarto sentent. distin.* 17. *qu.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 5. *ad* 1. sub sequentibus verbis: *Præjudicium non fit alicui, nisi subtrahatur, quod est in favorem ipsius indultum. Jurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in favorem suum, sed in utilitatem plebis, & ad honorem Dei; & ideò si Superioribus Prælatis expedire videatur ad salutem plebis, & ad honorem Dei promovendum, quod aliis, quæ sunt jurisdictionis committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis, nisi illis, qui quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi: & qui Gregi præsunt, non ut eas pascant, sed ut ab eis pascantur*. Hactenus Sanctus Doctor: qui *in Opusculo* 19. *contra impugnantes Dei cultum, & Religionem* (teste *Tamburino de Jure Abbat. to. p. disp.* 20. *qu.* 3. *nu.* 13. *in fine*, approbato *à Clem. Papa IV.*) præterea affirmat, nedum id non esse præjudicium ullum, verum etiam maximum beneficium cunctis Rectoribus Ecclesiarum: Ecce verba *Sancti Doctoris Opuscul. cit. cap.* 4. *Præjudicium dicitur fieri alicui, quando subtrahitur ei aliquid, quod in favorem ejus introductum est, vel quod ad utilitatem ejus ordinatur: subiectio alicujus subditi ad Rectorem Ecclesiæ non est ordinata principaliter ad utilitatem Præsidentium, sed ad utilitatem subiectorum. Unde Ezech.* 34. *dicitur: Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonnè Greges pascuntur à Pastoribus? Et ideò nullum præjudicium fit Rectori Ecclesiæ, quando subditus ejus à sua potestate eximitur sine præjudicio ejus, sicut Papa eximit Abbatem à potestate Episcopi sine ejus præjudicio, & similiter Episcopum à potestate Archiepiscopi. Si autem ipsemet operetur in subditis, quæ pertinent ad salutem, vel aliis hoc ipsum committat, non solum non facit ei præjudicium, sed præstat ei magnum beneficium, quod maximè acceptatur à cunctis Rectoribus, qui non quærunt, quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. Unde super illud n.* 12. *Quid æmularis pro me: dicit Glos. Greg. Pia mens Pastoris, quia non propriam gloriam, sed authoris quærit, ab omnibus vult juvari in eo, quod facit*. Hæc *D. Thomas*; quæ à R. R. Parochis valdè notanda sunt, & eorundemet memoriæ indelebiliter tradenda, quæ etiam cum multis probat *Henriq. lib.* 7. *Titul. de Indulgentiis cap.* 24. ubi *de Exemptione Regularium in genere*. Videatur.

1477 Neque hic obiici valet. Parochus incipit funus, ergo etiam debet illud perficere: ergo & exequias peragere, usque intra Ecclesiam Regularem: hæc secunda consequentia sequitur, quia in ipsa Ecclesia Regulari Defunctus sepeliendus est, consequenter in eademmet funus perficitur: prima verò probatur, quia principium ponens, totum perficere tenetur; & sicut Judicium terminandum est ab eo, à quo inceptum fuit, *leg. Ubi ceptum*, *§. Si quis postea*, *ff. De judic.* ita idem dicendum videtur de judiciali funere. Non inquam valet: & negata secunda consequentia, ad argumentum, dico, ad munus Parochi spectare prosequi funus tantum, usque ad limina exteriora Ecclesiæ Regularis (etiam in sua Parochia existentis) super cadavere verò in Ecclesiam portatum (ex tot Bullis Summorum Pontificum, nec non ex tot Sacra-

rum Congregationum Reſponſis, & Decretis) ſpectare ad Regulares, non ad Clericos Seculares Officium perficere, & funeri finem imponere. Et ratio eſt, quia totum jus funerandi, quod habet Parochus, ceſſat, & abſolvitur ad Valvas Eccleſiæ Regularis, & uſque ad eaſdem, ſuum munus, quod incepit, benè abſolvit, quod conſiſtit in precibus recitandis, non in tradendo cadavere ſepulturæ. Hinc Parochus incipiens funus, illud etiam perficit quo ad ſuum munus, & jus, ſeu miniſterium eidem à Summo Pontifice præſcriptum, quod poſtea proſequuntur Regulares, imponendo funeri finem. Allatum igitur argumentum non obſtat, nam vim habet, & procedit tantum in celebratione Miſſarum, ver. gr. & ſimilibus, in quibus non datur diviſio Miniſterii, uti datur in celebratione funeris. Imò unuſquiſque intra ſuos limites abſolvere poteſt preces ceptas pro Defuncto, ſi volunt, ut debent, & ſic etiam docet *Bordon. reſ.* 51. *qu.* 26. *n.* 66. Concludens: *Dicta procedere etiam in Eccleſiis unitis Monaſteriis Regularium, ut intus Eccleſiam Curatus non poſſit deferre Stolam, & funus proſequi, ex Deciſ. Rotæ Anno* 1629. 23. *Martii apud Tamburin. to.* 3. *deciſi.* 87. ſupra relata.

1478 Probo ſexto: In iis, in quibus Papa manus apponit, inferior non poteſt amplius manus apponere, nec ſe intromittere, *Cap. Nomen Presbyteri, cauſa ſecunda, qu. pr. & Cap. Ut noſtrum de Apellat.* [Ubi expreſſè: *Poſtquam Papa aliquam cauſam ad ſe revocat, non valet proceſſus poſtea per minorem Judicem factus: Cum plus ſit, Romanum Pontificem ad ſe aliquid revocare. negotium, quam quemquam ad eum ſuper aliquo negotio provocare.*] *Bald. cap. pr. §. Ad hæc, colum.* 3. *de pact. juram. firmat. Deci. in Cap. Cum acceſſiſſent, n.* 44. *de Conſtitut. & conſil.* 137. *column.* 2. *Roman. conſil.* 135. *column. pr. Verſu Cæterum. Paſqualig. in Francum par. p. n.* 1412. cum aliis ibi citatis. *Moronus Reſponſo* 99. *n.* 71. & 72. & communiter: facitque etiam ad rem *Extravag. Ad Romani Pontificis de præbend.* Et ratio eſt, quia ubi Summus Pontifex ſe intromittit, & manus apponit, non poteſt inferior amplius ſe ingerere, quia hujus manus à Sanctitate Sua ligatæ ſunt, advocando ad ſe omne jus: Cum ergo Dominus Papa in favorem Regularium (Privilegio plenæ exemptionis) manum appoſuerit in funeralibus, præcipiendo Parochis ſub excommunicatione, &c. ſe omninò abſtinere, occaſione funeris, ab ingreſſu Eccleſiæ eorundem Regularium cum Cruce, Stola, Cantu, &c. invitis iſtis, quo jure poſſunt Parochi contra Suę Sanctitatis expreſſum, & omnibus notum præceptum ſe intromittere, iiſdenque contradicentibus, & invitis contrafacere, & actum ullum juriſdictionis, manu Papæ vetitum, atque interdictum, in dictis Regularium Eccleſiis in funeribus exercere? Excuſationem ullam in hoc habent inobedientes Parochi de peccato ſuo, nec pro ipſis habet hic locum „ Ignorantiæ Privilegium, quod nequeunt pro ſe allegare, cum ſint apertiſſimè, & ſemper in mala fide, nec ullum unquam adſit tempus, in quo de proprio jure læſo non clament, reclamētq; perpetuò Regulares contra Parochos, prætendentes jus ſuper cadavera apud nos, & in Eccleſiis noſtris ſepelienda, non obſtante eo, quod illis imperatur per tot Regularium Privilegia, ſub cenſuris, &c. Adducere autem in excuſationem pro ipſis contrariam conſuetudinem, aut præſcriptionem, vanum eſt omninò, nec valet, ut patebit infra evidenter. Et modo interim hujuſmodi conſuetudini, & preſcriptioni tantum ſufficiat opponere *Axioma* illud, quod eſt apud *Barboſ.* 193. videlicet, quod *Probibitum una via, non cenſetur alia permiſſum, leg. Quod dictum, ff. De pactis, leg. Cum hi, §. Si cum jus, ff. De tranſact. leg. Athletas, §. Ait Pretor, ff. De infamib. leg. Si quis, §. Minor, ff. Qui, & à quibus, leg. Illud, ff. Ad leg. Aquil. Cap. Cum quid una via* 84. *de Regulis Juris in* 6. (ubi: *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.*) *Surdus, conſil.* 301. *n.* 75. *Menoch. conſil.* 285. *n.* 41. Vel: *Quod una via à lege prohibetur, non debet alia concedi in fraudem legis. Sigiſmundus Scaccia de Commercio §. pr. quæſt.* 7. *par.* 2. *ampliat.* 11. *n.* 2. *fol. mihi* 251. Ergo cum ſit Parochis una via prohibitum (hoc eſt Summorum Pontificum Bullis, & Decretis, & ſub terminis) ingredi Eccleſias Regularium cum Stola, & Cruce, & in aliquo ſe intromittere in illis circa funeralia, non debet alia via ab iiſdemmet prætendi permiſſum, invitis Regularibus ipſis.

1479 Confirmatur præfata argumentatio, quia ſi Parochi nequeunt ſuper cadavera ſuorum Parochianorum in Eccleſiis Regularium poſita, amplius ſe ingerere, eo quia Summi Pontifices circa eademmet manus appoſuerint, & ad ſe omne jus advocaverint, ceſſat ergo evidenter in Parochis quæcunque juriſdictionis ratio ſuper eadem cavera: igitur ceſſare etiam debent ab indebita moleſtia contra Regulares, & prætenſione ingrediendi eorundem Eccleſias cum Stola, Cruce, Cantu, &c. *A ratione*

tione enim cessante, validum est argumentum. *Barbosa* Loco 94. cum Juribus ibi, & Doctoribus. Et si dicant Parochi, adhuc jus super eadem cadavera habere ob laborem, quem ipsi in administratione Sacramentorum subiere, ipsisque ob id adjudicari debere, uti debitum ex justitia. Contra: *Primò*. Quia hoc est apertè, & directè adversus Summos Pontifices, qui in suis Bullis, & Decretis ita decreverunt, & contra tot Sacrarum Congretionum responsa, & definita, ac contra Doctores omnes: *Secundò*, Quia, ut optimè ait noster *P. Cespedes de Exemptione Regularium cap.* 12. *n.* 20. *Prædictus labor jam compensatus fuit simpliciter aliis viis. Deindè* (sic bene concludit) *vellem certè in statera, si possem, ponderare laborem Clericorum in Ministrandis Sacramentis, & laborem Regularium*. Et quam longè hic gravior appareret? addi hoc potest cum *P. Ab Ascens. cap.* 9. *division. pr. fol. mihi* 223. *in fine*. *Tertiò*. Quia si verum est, ex labore quem subierunt Parochi in Sacramentorum administratione, dictum jus nasci, ut ipsi volunt, ex eodem utique capite affirmandum etiam erit, & Regulares posse Parochorum Ecclesiam ingredi, & in eadem Parochis invitis, cum Stola, & Cruce Officium peragere, quotiescunque contingat in Parochiali aliquem sepelire, pro qua Regulares laborarunt, Sacramenta administrando: maximè morti proximo, eundenque die, nuctuque juvando, ut sæpè, imò ferè quotidiè contingere solet in Parochorum levamen, & coadiutorium: at hoc nequit affirmari, quia nimis esset, ergo neque illud. Hinc concludendum cum *eodem Ab Ascens. l. c. fol.* 224. *Versu Hec igitur*: *Impertinens omninò videri, pro præmio qualium, laborum, qui tot aliis premiis compensantur, alieni juris lesionem expetere. Nisi fortè Summorum Pontificum Canones, & Regularium Privilegia, ita viluerint, ut eorum inobservantia exquiratur in præmium laborum eorum, ad quos ipsi tenentur: & quorum majorem partem Regulares ipsi ad Parochorum levamen quotidiè tolerare non desinunt, quod vel cæci vident*. Hactenus *relatus Pater*, excellenter ad hanc rem. Verum

1480 Si iterum dicant RR. Parochi, Oratio nostra Defuncto proficua est, uti eidem proficua sunt Officium nostrum super cadavere, Cantus, Psalmorum recitatio, &c. Quare ergo in Regularium Ecclesiis, hæc omnia spiritualia Suffragia nobis prohibentur in maximum spirituale præjudicium ipsius Defuncti, quod utique esse videtur contra ordinatam Charitatem, quę (juxta *D. Pauli Epist. pr. ad Corinth. cap.* 13.) *Non æmulatur, non est ambitiosa, non agit perperam?* Et si hoc inquam addant R.R. Parochi tanto charitatis zelo, erga proprium Defunctum Parochianum: ego quoque addo, quare Domini, eodem charitatis stimulo, postquam cadaver in Ecclesia Regularium collocatum est, intra vestras Parochiales Ecclesias, ex mera devotione, & nullo accepto stipendio (ut apud Regulares est in usu) ad eorundem exemplum, Missas, Officia, Psalmos, &c. non recitatis, neque persolvitis? Si charitatis stimulus, & devotio erga vestrum Defunctum, adeò vos contorquet, cur non finitis vestros semper Comparochos, & Regulares ingredi Ecclesias vestras cum Cruce elevata, & Stola, atque in eis Officia funeralia peragere, Canere, &c. Cur, cur inquam hoc eis quotidiè prohibetur? Ubi est tunc stimulus vester? Ubi charitas, & devotio? abierunt in regionem longinquam. Dico igitur ego, satis abundè compensari Parochorum, & Presbyterorum Cantus, qui in Regularium Ecclesiis prohibetur. Nam iis qui sepulturas eligunt in Regularium Ecclesiis, & in eisdem eorumdem corpora, seu cadavera sepeliuntur, *Leo X. & Adrianus VI.* concessere Plenariam Indulgentiam, communicatam omnibus Mendicantibus (& etiam per participationem non Mendicantibus) ita dicti Pontifices concesserunt *Ordini Sanctissimæ Trinitatis*, ut videre est apud *Cæsarubium in Compend. Privilegior. Verbo Communicatio Privilegiorum n.* 39. *& Verbo Sepelitio n.* 22. Qui insuper, ab iisdem Pontificibus fiunt participes omnium Indulgentiarum, quas ipsi Religiosi lucrantur, omniumque Suffragiorum pro tempore faciendorum in Monasterio, in quo sepeliri mandaverint. Et si quis scire cupit, quam magna valdè sit hæc concessio, meam excurrat *Filiationem Spiritualem*, præsertim *Caput VIII.* ejusdem, in quo abundè de Indulgentiis quas lucrantur Religionibus Aggregati per *Litteras Gratiosas Fraternitatis, seu Filiationis Spiritualis*. De hac eadem Indulgentia *Leonis X. & Adriani VI. Lezzana to.* 4. *Summæ, Verbo Sepoltura, quo ad Regulares n.* 19. (ubi etiam notat ex his, quæ docet *tom.* 3. *Verbo Indulgentia, quo ad Regulares n.* 12. non esse hanc revocatam in illa Generali revocatione facta à *Paulo V.* quia in illa non revocantur Indulgentię Regularibus concessæ, non pro se ipsis, sed ipsorum intuitu pro Sæcularibus Defunctis, sicuti nec revocantur concessæ pro iisdem Regularibus Defunctis: quod totum

 docui,

docui, & ego in dicta *Filiatione Spirit. cap. cit.* 8. *dub.* 4. *) Peyrin. tom.* 1. *Privileg. in Constitut.* 2. *Julii* 11. *§.* 21. *nu.* 56. *(* ibi : *Mandantes sepeliri in Ecclesiis nostri Ordinis, lucrantur omnes Indulgentias, quas Fratres Ordinis, & fiunt participes omnium Suffragiorum pro tempore faciendorum in dicto Monasterio, in quo sepeliri mandaverint. Ita concessit Leo X. & Adrianus VI. &c.) Roderic. in Compend. Tit. de Sepult. ref.* 128. *n.* 14. *(* ibi : *Præcipuè in Habitu Sancti Francisci Sepulti, lucrantur Indulgentiam Plenariam, &c.) Bord. ref.* 51. *nu.* 88. *(* ibi : *Sepulti, maximè cum Habitu Regulari, lucrantur Indulgentiam Plenariam, &c.) Pellizzar. to.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *section.* 4. *subsect.* 2. *qu.* 16. *n.* 170. *Donatus tom.* 2. *Praxis Regular. tract.* 10. *Titul. de Sepultur. in ordine ad Regulares qu.* 8. *fol. mihi* 170. ibi : *Melius est eligere sepulturam in Ecclesiis Regularium, quam aliorum, tum ex frequentiori Divinorum Officiorum celebratione, quæ fit in Ecclesiis Regularium, juxta Cap. Fraternitatem* 3. *de Sepultur. & Glossa ibi in Ver. Frequentius. Tum ex majori frequentatione populi accurrentis ad Divina Officia audienda in dictis Ecclesiis, quæ multum prodest fidelibus vivis, & Defunctis, Gloss. Cap. Cum gravia* 13. *qu.* 2. *Tum item, quia in dictis Ecclesiis sepulti, maximè cum Habitu Religioso, lucrantur, Indulgentias Plenarias ex Indulto Leonis X.* ita *Donatus cum Bordono, & Pellizzario. Antonius à Spiritu Sanc. in Director. Regular. par.* 1. *Tit. de Privilegiis in particulari trac.* 2. *disp.* 5. *sect.* 5. *num.* 78. Ubi insuper refert (aliis etiam citatis) quod *Clemens IV. & Nicolaus IV.* eligentibus sepeliri in Mendicantium Habitu, concesserunt remissionem tertiæ partis peccatorum suorum, quam concessionem *Urbanus V.* ampliori gratia confirmavit, & *Leo X.* ampliavit, extendendo ad Indulgentiam Plenariam, ad quam lucrandam declaravit sufficere Habitum petiisse, licet ante mortem eum non induerit, item sufficere ad eandem lucrandam, quod Habitus ponatur super thalamum moribundo, ut notat etiam *Lezzana tom.* 3. *Verbo Habitus Regularis nu.* 11. ubi sic : *Notandum ad consequendas prædictas Indulgentias, videri non sufficere, quod cadaver induatur dicto Habitu Religioso, sed necessarium esse, quod homo vivus, & si moribundus, eo indutus moriatur, aut decedat, pro ut colligitur ex verbis Pontificum in Privilegiis relatis. Ad quod sufficere videtur, quod ipse Habitus ponatur super lectum hominis Agonizantis, &c.* Bullam *Adriani VI.* vide apud *Bullarium Roderici*, quæ incipit *Rationi congruit n.* 7. *fol. mihi* 331. *columm. prima*, & apud eundem *Roder. to.* 2. *qq. Regularium qu.* 76. *art.* 10. idem *Leo X.* extendit Indulgentiam Plenariam omnibus morientibus, & sepeliendis tam in Habitu Fratrum Minorum, quam Sororum Tertiæ Regulæ Sancti Francisci, sub obedientia Ministrorum Generalium, & Provincialium, sub his verbis : *Tam morientes, & sepeliendi in dicto Habitu, quam morientes, & sepeliendi in Habitu Sororum Tertiæ Regulæ Sancti Francisci, sub obedientia Ministrorum Generalis, & Provincialium degentium, consequentur Indulgentiam Plenariam omnium peccatorum suorum.* Declarans: *Sufficere Habitum prædictum petere, ac super se usque ad mortem habere, ac in eo sepeliri, etiam si ante mortem non induatur.* Debet autem recipi hujusmodi Habitus ad sepeliendum ab aliquo Prælato Ordinis, aut ab alio per ipsum Prælatum ad id delegato, alias concessio habitus non tenet, ex Decreto *Sixti IV. in Bulla* (relata à *Rodriq. qu. cit.* 76. *art.* 9. *)* in qua statuit : *Quod Habitus Fratrum Minorum, & Prædicatorum non possit dari iis, qui cum eo elegerint sepeliri, nisi per Guardianum Ordinis Minorum, aut per Priorem Domus Ordinis Prædicatorum loci, in quo talis decedere contigerit, vel Superiorem Prælatum dictorum Ordinum, aut per alium quavis auctoritate, vel Prælatione fungentem exhiberi debere. Ac statuit, quod illorum sic indutorum cadavera discooperta, nullo pallio, vel tegumento super imposito, cum Habitu hujusmodi ad sepulturam deferri possint*, & ita etiam apud *Samuellium de sepultur. tract. pr. disp.* 4. *controv.* 15. *concl.* 12. *n.* 72. *fol. mihi* 200. Hinc

1481 Obiter infertur, melius esse, eligere sepulturam in Ecclesiis Regularibus, quam in aliis ; ob Indulgentias videlicet, & peccatorum remissiones recitatas, quibus suffragantur Sæculares eligentes sepeliri in Ecclesiis, & Cœmeteriis Regularium. Et nedum ex hoc capite melius esse infertur, verum etiam ex multis aliis, ex quibus crescere certum videtur spiritualis utilitas. Crescit nanque, ob frequentiorem Divinorum celebrationem, ut innuit *Cap. Fraternitatem il* 3. *de sepulturis*, in quo sic : *Fraternitatem tuam non credimus ignorare mortuorum sepulchra, & cæmeteria, apud illas Ecclesias, & Monasteria, ex antiquo esse disposita, in quibus Religiosorum Fratrum Conventus sunt constituti : & Orationes, atque Missarum Solemnia tam pro Vivis, quam pro Defunctis frequentius celebrantur.* Et ibi dicit *Glofs. Verbo Frequentius. Hec est ratio quare potius sepeliuntur homines in locis Religiosis, quia frequenter Divina Officia celebrantur.* Frequentiores

tiores ergo Divinorum Officiorum, & Missarum celebrationes, quæ principaliter fiunt in Ecclesiis Regularium, arguunt etiam meliorem, & utiliorem sepulturam apud ipsos, quam alios. Et eo magis ex hoc capite crescit hujusmodi spiritualis utilitas, quia in Ecclesiis Regularium adsunt tot, & tot Altaria Privilegiata, & in quibusdam etiam perpetua, & quotidiana, in quibus celebrantes quotidiè liberant Animas à Purgatorio, uti sunt Altaria Privilegiata, de quibus *Antonius à Spiritu S. disp. cit.* 5. *sect.* 2. *§.* 3. *n.* 42. *&* 43. *& consult.* 73. in quo resolvit: *In unaquaque Ecclesiarum Carmelitarum Discalceatorum adesse unum Altare Privilegiatum ad omnes hebdomadę dies*. Et ego ipse in mea *Filiatione Spirituali cap.* 8. *dub.* 9. item resolvo: *Quod Missæ Regularium, quas ipsi celebrant pro Defunctis, secundis, & quartis feriis per totum Annum, sive sint de Requiem, sive non, in quocunque Altari celebrent, etiam extra propriam Ecclesiam, omnes sunt Privilegiatæ*. Crescit præterea dicta spiritualis utilitas ex majori frequentia populi ad Divina Officia, Conciones, &c. concurrentis in eisdem Regularium Ecclesiis, semper apertis, quod multum prodest fidelibus vivis, & Defunctis: & quod non ita frequenter, sed rarò evenit, & videtur in aliis Ecclesiis. Igitur si Sepulchra, & Cæmeteria benè sunt constituta (ex *Cap. c. Fraternitatem*) apud illas Ecclesias, in quibus Orationes, & Sacrificia frequentius celebrantur, selectior erit facta electio, ubi plures Orationes funduntur, & plura Sacrificia celebrantur. Propter quod enim unumquodque tale, & illud magis. Et fructuosior consequenter electio sepulturæ facta erit in Ecclesia plurium, quam paucorum Sacerdotum: quia plura ibi celebrantur Sacrificia, quod (ut plurimum) evenit in Ecclesiis Regularibus Conventuum (non in Sæcularibus) quia plures ibi Preces, & Orationes tam publicæ, quam privatæ funduntur, quam in Sæcularibus, ut evidens est. Unde quod longè melius fit in Regularium Ecclesiis sepeliri, quam in aliis, sub iisdem recitatis rationibus docent etiam *Portell. in dub. Regul. tom.* 2. *casu*.66. *nu.* 3. *Bordon. ref.* 51. *qu.* 40. *num.* 87. (ubi etiam *Lavor. Tit. de Funeralib. cap.* 14. *n.* 44. *Angelus à Lantusca, Verbo Sepultura nu. pr. Pellizzar. in Manual. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 4. *subsect.* 2. *qu. pr. n.* 144. *Versu Notat item. Petrus de Murga to. pr. Canonicar. Moralium disquisition. tract.* 7. *tit. de elect. sepult. sect.* 4. *disquisit.* 12. *concl.* 5. *n.* 11. (Addens *n.* 12. *in fine: Et respectivè fructuosior electio in Ecclesiis magni concursus, tam Ministrorum, quam aliorum fidelium, quam parvi: propter eandem rationem plurium precum, & Orationum. Abbas in cit. Cap. Fraternitatem il* 3. *nu.* 4. *P. Ab Ascens. cap.* 10. *division. pr. fol. mihi* 248. *Vers. Tum etiam*. (Cum *Colleg. Salmaticens. tract. de Privileg. Regularium, cap.* 3. *punct.* 6. *§.* 3. *n.* 206. *pag. mihi* 301.) & alii.

1482 Probo sexto. Regulares, occasione Processionum ingredientes Ecclesias Parochiales, imò & quandoque Cathedralem ipsam, cum Cruce erecta, &c. quia id faciunt non Episcopo invito, sed de ejus facultate, & licentia (qui est omnium Ecclesiarum, & Parochorum suæ Diœcesis Pastor, & Superior) ac ipso annuente, & Processiones sic disponente (cum eidem, uti Ordinario, Regulares, quo ad Processiones subsint, ex *Constitut. Leonis X. dum intra, & Concil. Trident. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 13.) ideò, nec taliter ingredi prohibentur, nec ullus affirmabit inquam ex tali facultativo ingressu, jus ullum acquirere ad illum Regulares: Ergo à pari, nec jus ullum acquirere possunt R. R. Parochi ingredientes cum Stola, Cantu, &c. Ecclesias Regularium occasione funerum, quia & ipsi similiter, talem faciunt ingressum (quando eis permittitur) non Regularibus invitis (ita enim, nec fieri, nec prætendi potest) sed de eorundem Regularium licentia, assensu, & facultate tantummodo, ut patet, cum nec aliter, nec alio prætextu ingredi sic possint iidem Ecclesias nostras; ita toties coacti, & coarctati sub censuris (& lethali culpa consequenter) à Pontificibus Summis. Ligatis Parochis sub illis verbis, seu Clausula in Bullis (superius allatis) nedum pluries, sed ferè semper apposita, ut sic Ecclesias nostras non ingrediantur: *Nobis invitis, vel sine nostro assensu*. Quæ Clausula debet utiq; (ut etiam superius diximus) aliquid operari, ne dicatur otiosè, & inutiliter posita, quod nequit affirmari: Et denotat Privilegium esse purè facultativum, seù meræ facultatis, quod nunquam amitti potest per non usum, aut contrariam consuetudinem, cum illius usus arbitrio nostro sit commissus: hinc per hoc, quod illo non utamur, non amittitur, aliàs dicta Clausula apposita, inutilis esset, nilque operaretur; imò in Privilegio omni includitur, ut eo utatur Privilegiatus cum voluerit, seu quod idem facit: *Cum invitus non fuerit*. (Nec aliquo modo impeditus: Unde *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 34. *nu.* 5. egregiè ait;

Si

Si quis non utatur Privilegio tempore opportuno, quia eſt impotens, abſens, infirmus, aut quia per violentiam impeditur, talis non uſus non poteſt illi nocere, ut Privilegium poſtea amittat, quia voluntarius non eſt: idenque argumentum procedit de ignorantia, quia cauſat etiam involuntarium. Quæ doctrina ſumitur ex Gloſſa in Cap. Abbate, Verbo Donec, de verbor. ſignif. & ex aliis D. D.) Ut igitur aliquid operetur, intelligenda eſt, ut poſſimus Privilegio non uti ſine præjudicio, quod indubiè inferri ſequeretur, ſi tempus præſcriptionis contra ipſos non utentes computaretur, & ex tali non uſu contraria conſuetudo induci poſſet, quod negant Doctores (ut mox, & ex ſuperius dictis) quando adeſt dicta Clauſula, & Privilegium eſt merè facultativum, ut in caſu noſtro, in quo conceſſio Regularium, ex pura eſt urbanitate, aut liberalitate: *Qui autem ex urbanitate, aut liberalitate præſtat Beneficium, vel obſequium alteri, etiam longo tempore, non inde ex neceſſitate remanet obligatus idem ſemper præſtare. Menochius de arbitrariis Judicum, lib. 2. centur. 5. caſu 494. nu. 4. fol. mihi* 860. & probatur, *leg. Creditores, Cod. De pignor. leg. Civil. C. De furtis, & Cap. Potuit de locato. Illuminatus Moronus in Biga controverſ. pr. de conſuetudinibus contra Regulam, &c. num.* 50. *fol. mihi* 24. *Bordon. reſ.* 68. *nu.* 41. aliique. Et

1483 Confirmatur eadem ratio: Quia ideò generalis regula docet, actus meræ facultatis, ſeu ea, quæ meræ facultatis ſunt, præſcribi non poſſe, per *Text. in leg. Per viam publicam*, & ibi notant *Gloſſ. & Bartol. ff. De via publ.* ubi dicitur, quod nunquam præſcribitur facultati eundi per viam publicam, quia iſtud poſſe ire per viam publicam, non eſt jus, ſed quędam facultas. Et hanc concluſionem firmant *Jura, & Juriſperiti* apud *Jo: Franciſc. Balbum* in verè aureo ſuo *De Præſcriptionibus tractatu, quarta parte quintæ partis principalis, quæſtion. pr. n. pr. & 2. fol. mihi* 433. ubi ipſe ſic: *Ea quæ competunt jure facultatis, non præſcribuntur. Ex hoc infertur, quod ſi aliquis per viam meræ, & gratuitæ facultatis aliquid ſit ſolitus concedere, per hoc non obligatur perſeverare, ac ſi firmata eſſet conſuetudo, ut declarat Panorm. poſt alios in Cap. Quod in translationem, columm. ſecunda de Offic. leg. Per id, quod not. Jun. in Capit. Cum Eccleſia Sutrina, de cauſa poſſeſſ. & proprietatis, ubi dicit: quod ſi millies aliquis hoſpitaretur aliquem amicum ſuum in domo, per hoc non eſt inducta conſuetudo, ut teneatur eum in futurum hoſpitari, cum fuerit profectus ad illam Civitatem, &c.* Item non eſſe obligationem ex juſtitia ſervandi conſuetudinem in iis, quæ ex mera liberalitate, & urbanitate fieri conſueverunt, docent etiam *Bonac. tom. 2. Titul. de Legib. in genere, & in particulari diſp. pr. qu. 2. punct. ultimo, §. 3. nu.* 20. ibi enim: *Quapropter* (inquit) *qui millies conſuevit alteri obſequia, vel Beneficia præſtare, aut illum in domum propriam recipere, non acquirit obligationem illa præſtandi, leg. 1. ff. De ſervitutibus, & leg. Creditores, Cod. De pignoribus Rebellus par. pr. lib. pr. qu. 5. n. 27. Sylveſt. Verbo Conſuetudo, n. 14. Menoch. de Arbitr. caſu 494. n. 4. & alii, quos in ſimili retuli de contractibus.* Et hic etiam facit quod: *In merè facultativis, non datur reſtrictio meræ facultatis.* Urbanitas enim nullum inducit jus, aut obligationem: *Neque præjudicat alicui, nec juri publico, nec privato, nec in petitorio, nec in poſſeſſorio, leg. Qui jure familiaritatis, ff. De acquir. poſſeſſ. ibi Bartol. Imol. Alex. cum aliis cit. à Bariola conſ. 29. §. Reſpondetur primò. Bordon. reſol. 68. nu. 41.* Ex actibus enim facultativis non inducitur conſuetudo idem faciendi in futurum, *leg. Proculus, ff. De dam. infect. leg. 1. §. Denique, leg. Si in fundo meo, ff. De aqu. pluv. arcen. Cyn. in leg. prima, & ſecunda, Cod. de ſervit. & aqu. idem in leg. ſecunda. Cod. Quæ ſit long. conſuetud. Innoc. in Cap. Cum in Eccleſia Sutrina, ubi poſt alios Rip. num. 43. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. Marcellus Vulpe in Praxi Judiciali Fori Eccleſiaſtici cap. 39. n. 4.* ibi: *Ex actibus facultativis non inducitur conſuetudo idem faciendi in futurum*, addens *n. 9. Verſ. Quartò non: Ex actibus facultativis non inducitur præſcriptio, & idem faciendi in tempore futuro, quod procedit, quando actus ſit per modum facultatis, non per modum juris debiti.* In caſu autem noſtro, Parochi nullum jus habent in Regularium Eccleſiis, quæ omninò exemptæ ſunt; imò ipſis Parochis à Summis Pontificibus interdicitur omne jus (ex dictis) quo ad funeralia in noſtris Eccleſiis. Et ſi quandoque in quibuſdam eorum, Stolam deferunt, Pſalmos canunt, *Requiem æternam, ac ultimum Vale* dicunt ſuper Defuncti corpus, vel in aliquo ſe intromittunt, id utique evenit cum aſſenſu expreſſo, aut tacito, & ex facultate urbana à Regularibus conceſſo, & conceſſa, quæ nullum inducunt jus, aut obligationem: & quod ita eveniat ſupponi debet: *Quoniam dato initio non coactivo, actus geſti non ſunt neceſſarii, ſed ſimpliciter voluntarii; & facultativi. Pignatellus to. 3. conſ. 47. n. 31. fol. mihi* 114. Quoniam verò iſte Doctor addit immediatè, quod *actus etiam facul-*

facultativi cessant esse tales, evaduntque obligatorii, si concurrat eorum multiplicitas, & continuatio per longum tempus: Eo quia consuetum facit actum de voluntario necessarium, licet absolutè, & simpliciter hoc non sit admittendum, nec concedendum; hinc *Antonius à Spiritu S. consulto* 38. *nu.* 15. expressè sic: *In purè facultativis non potest introduci consuetudo laudabilis, & possessio, & etiam si sit immemorialis, non ad illam introducendam; ut constat ex leg.* 1. *Cod. De servit. & aqua, & tenet Bartol. in leg. Cum in rem versic. ff. De usuris, Innoc. in cap. bonæ* 2. *de postul. Prælator. Cinus in leg. Prima, & secunda, Cod. Quæ sit longa consuetudo, & clarius constat ex Capit. Ad Apostolicam de Simonia*. Et hinc insuper *Tamburin. de Jure Abbat. tom. pr. disp.* 24. *qu.* 8. *nu.* 6. Quærens an Religiosi Apostolicæ Sedis Privilegio exempti, ne ad Processiones ire compellantur: si ab Episcopo vocati, pluries sint accessi, intelligantur, per contrarium usum Privilegium amisisse, & sic in posterum ad id compelli posse? respondet, *quod non, quia tale Privilegium est meræ facultatis, quod nunquam amittitur per non usum, & sic Privilegiati possunt ire, si volunt, & si nolunt, abstinere: tum quia precariò accessisse videntur, sic nullum jus Episcopo acquisitum est*; & ita etiam, & sub iisdem verbis ad idem dubium, & quæsitum respondet *Stephanus Quaranta in Summa Bullarii, Verbo Præcedentia, Vers. At in casu*, apud quem idem etiam determinat *Calderinus cons.* 8. *sub Titul. de Privileg. Regular.* relatus etiam à *Felino in Cap. Dilectus sub n.* 7. *de Offic. Ordin.* Quod totum facit pariter (cum proportione) ad casum nostrum de Parochis, precariò similiter, (hoc est cum assensu tantum, facultate, & licentia Regularium) istorum Ecclesias ingredientibus, &c. Licet ergo inquam, *Pignatelli additum*, nec admittamus, nec concedamus: nihilominus transeat illud. Eodem tamen dato, & non concesso. Quia R. R. Parochi carentes omninò quocunque tum rationis, tum auctoritatis, ut abundè ex dictis: & ad propriam (non justam, ut modestè, & reverenter loquar) prætensionem fundandam, & tuendam ad solitum eorundem effugium recurrant: Manutenendos esse in delatione Stolæ, & Crucis, & exercitio aliarum functionum funeralium intus Ecclesias Regularium, ex actibus possessoriis intus easdem gestis, ex quibus arguitur verum eorundem acquisitum jus, tam titulo consuetudinis, quam titulo præscriptionis, idcircò, veniens tandem, & ultimo loco ad hominem

1484 Probo septimo. R. R. Parochi se tueri nequeunt titulo consuetudinis, neque titulo præscriptionis adversus Regulares: ergo nullo alio titulo, sicque nullum ipsis effugium: consequentia hæc sequitur, nam assignent ipsi, si quod aliud habent: non enim negare possunt Privilegium omnimodæ exemptionis, quo fruuntur Regulares; & hi (una excepta revocatione à Sanctissima Sede emanante) nequeunt hujusmodi Privilegium amittere, nisi vel per renunciationem; vel contrariam consuetudinem debito tempore, non usu Privilegii scilicet, aut contrario usu, &c. firmatam, vel per veram præscriptionem contrariam, non usu similiter, aut contrario usu, definito à lege tempore ultimatam: nullo alio excogitabili titulo dictum exemptionis Privilegium amitti potest à Regularibus. Sed neque renunciatione (ut supra visum est) amitti potest, qua renunciatio (ut ibi probamus) non habet locum, quando arbitrio nostro usus Privilegii committitur (ut in casu nostro) unde per hoc, quod illo non utamur, non censemus illi renunciare velle; imò, & si etiam vellemus huic Privilegio renunciare, non possumus, ut supra satis superque probatum est: præterquamquod constare deberet authenticè de tali renunciatione, quod nunquam fiet, & semper esset (si exhiberetur etiam jurata) nulla, & invalida, ex dictis supra. Neque contraria consuetudine, vel præscriptione amitti potest, ut in antecedenti. Ergo, &c. Antecedens quo ad utranque partem probandum est; & ut id clarius, ac evidentius fiat (licet una pars includat, seu inferat alteram; & consuetudo ipsa debeat esse præscripta) contra prætensam consuetudinem primo, & præscriptionem secundo loco (separatim) erit adversus Parochos argumentatio mea. Unde

1485 Quo ad consuetudinem, ab Adversariis RR. contra Regulares quotidiè intimatam sub illis verbis, quæ quotidiè etiam habent in ore, videlicet *consuetum, consuetum, solitum, solitum*: Suppono eam esse: *Jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex*. Vel: *Esse jus non scriptum, quod ex longo, & continuo usu ortum est*. Et ita, ut plurimum describi à DD. de ea scribentibus, ut videre est apud ipsos tum Canonistas, & Juristas, tum Theologos. Et *Cap. Non est* 3. *de consuetud.* (ubi *Gloss. Verbo Consuetudo. Quæ describitur, esse jus quoddam moribus institutum, cum deficit lex, &c.*) Et ipsam dici esse, *Jus quoddam moribus constitutum*, seu institutum; quia à mori-

moribus (ideſt actibus frequentibus) hominum naſcitur, & originatur, atque ex uſu frequenti illorum actuum jus illud obligans inſtituitur; & ob id vocari *Jus non ſcriptum*, quia ſcripturam non requirit, ſed ex more, & frequenti actuum uſu (qui in facto, non in ſcriptura conſiſtit) ortum habere. Addi præterea, quod *pro lege ſuſcipitur*, ut oſtendatur effectus conſuetudinis, qui eſt obligare inſtar legis ſcriptæ. Apponi tandem, *cum lex deficit ſcripta*, ideſt amplius hæc non adeſt, quæ obligationem inducere poſſit: quia conſuetudo introducitur in defectum legis ſcriptæ de hac, vel illa re: Unde quando lex adeſt, & obligat, locum non habet conſuetudo: & hac legitimè poſita, ceſſat obligatio legis, cui etiam prævalet. Hæc inquam ſuppono ex D.D. communiter. Et inſuper ex eorundem magis recepta ſententia, quatuor conditiones requiri ad conſuetudinem ſtabiliendam. *Primò*, quod ſit rationabilis. Et meritò, quia cum conſuetudo legitimè introducta, & præſcripta, ſit lex, & *lex honeſta*, *juſta*, *poſſibilis*, *&c.* eſſe debeat *diſt.* 4. *cap. Erit*, non poteſt eſſe talis, quin ſit rationabilis, ideſt ſecundum rectam rationem, quia de eſſentia legis eſt, quod ſit ſecundum rectam rationem, cum ſit regula humanorum actuum, regula autem ſine rectitudine conſiſtere nequit, quia non poſſet regulare, ergo conſuetudo etiam, quæ eſt lex non ſcripta, ſed moribus introducta, debet eſſe ſecundum rectam rationem. Quod adeò verum eſt, ut conſuetudo ratione carens, ideſt non ſecundum rectam rationem, nnnquam vim legis habere poſſit. *Sylveſter Verbo Conſuetudo qu.* 4. *Tabiena Verbo eodem*, *& qu. eadem*, & omnes. *Secundo*: Per multos annos obſervata. *Tertio*: Quod ſit uſu frequentata. *Quarto*: Quod ſcientia Principis, vel optimatum, vel tacito ſaltem eorundem conſenſu ſit introducta: Quia conſuetudo eſt quoddam jus novum; debet igitur proficiſci à ſcientia, vel tacito ſaltem conſenſu Principis, vel optimatum, penes quos ſolos reſidet poteſtas legislativa, & authoritas condendi Jura, ac Leges. Et hinc eſt, quod conſuetudo introduci non poteſt reſiſtente Principe: *Moronus l. c. n.* 29. & communiter; & quod interrumpitur conſuetudo, ſi Princeps puniat intendentes illam introducere, quia tunc deficit aſſenſus Principis neceſſariò requiſitus: *Suar. de Legibus lib.* 7. *cap.* 8. *n.* 15. cum aliis, *& Moronus l. c. n.* 35. Vel eidem, etlam jam præſcriptæ derogatur ordinatione Principis, &c. *Palao par. p. Titul. de Conſuet. tract.* 3. *diſp.* 3. *punc.* 2. affirmat, omnes conditiones, quas exigunt Doctores ad inducendam conſuetudinem, comprehendi duplici illa conditione aſſignata *in Cap. fin. Cum tanto*, *de conſuetudine*, ſcilicet eſſe *rationabilem*, *& præſcriptam*, quia nihil aliud ibi exigitur, ut conſuetudo vim legis habere poſſit, ibi enim: *Niſi ſit rationabilis*, *& præſcripta*. Et *Cap. Mos eſt diſtin. p. cap.* 4. ubi *Gloſſ. Verbo Mos eſt longa*, *in fine*: *Hoc teneas pro certo*, *quod ſecundum jus Canonicum non valet conſuetudo*, *niſi præſcripta ſit*, *& rationabilis*. Et inde eſt, quod introducentes conſuetudinem adverſus legem, peccent toto eo tempore, quo conſuetudo introducta non eſt: *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 4. *n.* 14. *Suar. de Legib. lib.* 7. *cap.* 18. *nu.* 24. *Bonac. to.* 2. *de Legib. diſp. p. qu. p. punc. ultimo.* *§.* 3. *n.* 45. *Palao punc. c.* 2. *§. p. n.* 6. *Moronus l. c. n.* 89. aliique. Et ratio eſt, quia à legis obſervatione excuſari non poſſunt, niſi ob conſuetudinem legitimè præſcriptam (ideſt obtentam per curſum temporis ad præſcriptionem requiſiti) ergo ſi conſuetudo nondum præſcripta eſt, nulla eſt ratio excuſans à peccato. Dum enim conſuetudo non eſt introducta, obligat lex: at facere contra legem obligantem, peccatum eſt. Ergo, &c. Completo autem tempore, & conſuetudine præſcripta, jam non eſt amplius rationi conſonum, & Reipublicæ expediens, ut culpa ultra progrediatur, neque Cives ad obſervantiam legis jam præſcriptæ, ex tacita ſaltem voluntate Principis amplius obligentur, & actus ſubditorum conſequenter, licet antea mali fuerint, tales perſeverent, & ita inter alios docent: *Suar. n.* 24. *cit. in fine*. *Bonac. n.* 45. *cit. Palao §.* 1. *cit. nu.* 3. *Verſ. Reſpondeo ad primam*, *& Moronus l. c. n.* 90. addens *n.* 94. *Cum de conſuetudine eſt ſermo*, *eſt intelligendus de præſcripta*, *juxta Gloſſ. in Cap. Mos eſt diſtin. prima ex Textu ibi. Et idem tradit Bald. in cap.* 1. *de feud. cognit. column.* 1. *ubi reddit rationem*, *quia conſuetudo*, *antequam ſit præſcripta*, *dicitur voluntas*, *ſeu conatus illam introducendi*, *ideò appellatione conſuetudinis non venit intelligenda*, *ſed tantum præſcripta*, ita *Moronus n. cit.* 94. Qui antea *nu.* 19. optimè ait: *Præcipuum eſſe in conſuetudine*, *ut ex longo uſu tollatur lex*, *ne peccata multiplicentur*. *Nec per hoc conſuetudinem introducentes*, *reportare Beneficium ex malitia ſua*; *ſed ex lege ſtatuente*: *non enim ex eo*, *quod peccant*, *formaliter eximuntur ab obligatione legis*, *ſed quia lex concedit*, *quod poſitis requiſitis ad conſuetudinem*, *ipſa conſuetudo inducatur*, *& obligatio legis ceſſet*. Hactenus *Moronus*. Requirens præterea, quod actus fiant ex ſcientia,

non

non per metum gravem, aut per errorem, vel ignorantiam: quotiescunque enim talis est error, metus, ignorantia, &c. ut tollant consensum, non introducitur consuetudo ad quam maximè requiritur, *leg. De quibus, & juxta Glossam in cap. ult. de consuetudine, & Rom. consil.* 168. *n.* 5. *&c.* sic *Moronus l. c. n.* 44. Et hujus requisiti ratio est manifesta, quia, cum consuetudo sit lex, & lex non possit habere vim, & efficaciam, nisi legislator intendat ferre legem, ita neque consuetudo valebit, nisi actus ex mente fiant, ut consuetudo inducatur. Hinc etiam fit, quod consuetudines aliquando obligant ex debito; aliquando ex gratitudine; aliquando sub mortali, aliquando sub veniali; aliquando in foro conscientiæ tantum; aliquando tantum in foro fori, & aliquando in utroque. Cum enim consuetudo tantum habeat potentiæ, quantum ei usus attribuit, quantum intendunt illam introducentes, hinc nascitur ista varietas obligandi. Quantum autem temporis requiratur, ut consuetudo dicatur præscripta? Vide *Azorium tom. pr. libr.* 5. *cap.* 17. *qu.* 6. *Suar. to. pr. de Relig. libr. pr. cap.* 13. *& de Legib. lib.* 7. *cap.* 18. *Palaum par. pr. de consuetud. tract.* 3. *disp.* 3. *punct.* 2. *§.* 2. *Dianam Coord. par.* 6. *tract.* 2. *de consuetudine, resol.* 2. 3. 4. 5. 6. *&* 7. & alios Hæc inquam de consuetudine ex communi doctrina supposita, pro probatione primæ partis antecedentis nostri propositi argumenti.

1486 Quo verò ad præscriptionem: & pro probatione secundæ partis ejusdem antecedentis, pariter suppono: Quod ipsa sit *Acquisitio Dominii, vel alieni Juris peremptio per continuationem temporis lege definiti.* Et per legitimam præscriptionem acquiri in utroque foro dominium in rem alterius absque ejus consensu: Legantur *Lessius de Justit. lib.* 2. *cap.* 6. *Palao par.* 7. *de Justit. in genere, disp. unica, punct.* 22. *Ubi de translat. dominii in alterum ex lege præscriptionis*, aliiq; scribentes de præscriptione. Ex cujus data definitione, colligunt communiter omnes, requiri ad præscriptionem (ut legitimè evadat, & verè transferat dominium, possitque adversario ritè opponi per modum exceptionis (quod ipsa contineat sequentes conditiones, scilicet: *Aptitudinem rei præscruptibilis; Possessionem; Bonam fidem; Justum titulum præsumptum; Certum tempus à lege definitum*, quæ continentur sequentibus versibus

Sit res apta; fides bona, sit titulus quoque justus;
Possideas justè; completo tempore legis.

Circa primam conditionem. *Aptitudinis*: Res, quæ præscriptioni legitimæ substerni petit, debet esse talis, in qua jura non prohibeant fieri præscriptionem; seu debet esse apta ad præscribi. Jura enim inhabilitant nonnullas res ad præscriptionem, cujusmodi sunt res Sacræ, & Religiosę *Instit. de Usucap.* Item Res publicæ, ut Fora, Theatra, &c. *leg. Usucapionem* 9. *ff. de usucap.* & aliæ plures; de quibus Doctores. *Secunda conditio*, omninò necessaria ad præscriptionem legitimam, est *Possessio*, ut constat *ex Reg.* 3. *de Regul. Juris in* 6. *Sine possessione præscriptio non procedit.* Quæ possessio, ut subserviat præscriptioni, debet esse continua, hoc est talis, ut ante tempus ad rei, de qua agitur, præscriptionem à lege definitum, nullo momento sit interrupta; *Cap. Illud autem* 8. *de præscriptionibus*, ibi: *Et si probata fuerit interruptio, præscriptio non tenebit. Et Cap. Auditis* 15. *hoc eodem Titulo.* Et Doctores communiter omnes. Quare si interrumpatur sive per ablationem ipsiusmet possessionis (quæ dicitur naturalis interruptio, *leg. Naturaliter, ff. Hoc titulo*) sive per litis motionem, ac contestationem (quæ dicitur Civilis interruptio, *leg. Nemo, Cod. De acquirend. possess.*) sive per citationem; præscriptio ad effectum produci nequit, *cit. leg. Nemo*. Non est autem necesse, ut res à præscribente semper personaliter possideatur; quia possessio etiam per alium retinetur, qui nomine principalis rem habet, puta per Procuratorem, Filium, Servum, Conductorem, Usufructuarium, &c. *leg. prima, §. secundo, cum seq. ff. De acquirend. possess.* & D. D. *Tertia conditio* necessaria ad legitimam præscriptionem, est *Bona fides*, communiter D.D. omnes: Et ita constat ex *Regula secunda de Regulis Juris in sexto*; ubi dicitur: *Possessor malæ fidei, ullo tempore præscribit: Et ex capite vigesimo fin. de Præscriptionibus.* Ubi quod: *Nec in foro Canonico, nec Civili valet præscriptio cum mala fide.* Sub his verbis: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio diffinimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam Canonica, quam Civilis: Cum generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit in nulla temporis parte, rei habeat conscientiam alienæ.* Ita Textus (sumptus ex *Concilio Magno Lateranensi.*) Et *Glossa ibi, Verbo Casus*, sic habet: *Quicumque facit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, & ideò statuit Concilium, quod nulla valeat præ-*

ſcriptio abſque bona fide, tam Canonica, quam Civilis: quia conſtitutioni, & conſuetudini derogandum eſt, quæ ſine peccato mortali ſervari non poteſt: & ideò oportet, ut qui rem alterius præſcribit, in nulla parte præſcriptionis habeat malam fidem. Not. *quod qui facit contra conſcientiam, peccat mortaliter. Item præſcriptio ſine bona fide non valet. Item per hanc conſtitutionem derogatur omni Conſtitutioni Juris Civilis, & Canonici, quæ ſine peccato ſervari non poteſt. Item in præſcriptione exigitur bona fides continua.* Hactenus *Gloſſa*. Vide *Cap. Novit ille, de Judiciis*. Bona autem fides eſt credulitas, quam quis prudenter credit, ac ſibi perſuadet, rem eſſe ſuam; aut ſaltem ignorat eſſe alienam; ut ſi poſſeſſor judicet illum, à quo rem obtinuit, extitiſſe verum rei dominum (& ſi revera non eſſet talis) aut ipſum ſaltem habuiſſe jus transferendi dominium illius rei, *leg. Bonæ fidei, ff. De verbor. ſignif.* Quæ bona fides, etſi Jure Civili in præſcriptione longi temporis dicatur ſufficere, ſi adeſt ſolum tempore incohoandæ præſcriptionis: Jure tamen Canonico requiritur bona fides, non tantum ad incohoandum, verum etiam ad continuandam præſcriptionem ſemper, ut ſtatuitur in allato *Textu, & Gloſſa*. Unde ſupervenientc mala fide in defluxu temporis, peccaret rem illam retinendo: & ideò ne peccet, requiritur ſemper, & continuò bona fides, uſque dum tempus à lege definitum effluat: *Quarta conditio* ad præſcriptionem neceſſaria, eſt *Juſtus Titulus probabiliter præſumptus*. Ita communis D. D. & manifeſtè conſtat ex *Cap. Si diligenti, de præſcriptionibus*, ibi: *Non præſcribit, niſi is habeat bonam fidem, & juſtum Titulum*. Titulus autem eſt aliqua cauſa, ex ſe habilis ad transferendum dominium. Uti eſt donatio, hæreditas, legatum, emptio, venditio, tranſactio, adjudicatio, &c. Hi ſunt regulariter tituli, ex ſe habiles ad transferendum dominium, de quibus D. D. Nullus autem ex his titulis, qui validus ſit requiritur, ſed probabiliter præſumptus. Cum enim præſcriptio eſſe non poſſit abſque bona fide, ut dictum eſt, & bona fides conſiſtere non poſſit abſque titulo, utpotè illius fundamento, & credere non poſſit quis, jus habere poſſidendi, niſi credat ſe habere titulum, ex quo hoc jus oritur; ſanè infertur, titulum neceſſarium eſſe, non utcumque, ſed probabiliter à præſcribente præſumptum. *Quinta conditio* ad præſcriptionem neceſſaria eſt, *certum illud tempus completum, quod à Jure taxatum eſt*, ſeu certi temporis completi à Jure definiti continuata poſſeſſio: communiter D.D. quod tempus varium eſt, pro varietate rerum præſcribendarum, ut videre eſt apud Doctores. Et hinc nota, quod *non valenti agere non currit tempus, nec præſcriptio*: *Peregrinus deciſ. 3. n. 2. Craveta conſil. pr. par. 2. n. 28. Decius conſil. 445. nu. 48. Surdus deciſ. 151. n. 4. & deciſ. 236. n. 14.* & Doctores communiter, præcipuè *Palao punct. cit. 22. §. 15. n. 3. Verbo Tertio ſucceſſores*, ubi: *Impedito agere, præſcriptio adverſus illum currere non poteſt, quia tunc incipit, quando actio nata eſt, leg. Sicut, Verſ. Quæ ergo, &c. Si igitur ei nullum obſtaculum opponi poteſt, neque etiam opponi poteſt præſcriptio.* Et *nu. 4. Adverſus eos qui agere poſſunt, optimè currere poteſt præſcriptio.*

1487 Ex his hactenus poſitis, remanet declarata differentia inter conſuetudinem, & præſcriptionem: ſæpè enim iſtæ duæ voces conſuetudinis, & præſcriptionis reciprocè, & quaſi pro eadem accipi ſolent, propter quaſdam convenientias, quas habent: quamvis ſumptæ ſecundum proprias formalitates, & rationes, multum differant: quod docent etiam *Baldus Tract. de Præſcr. par. p. qu. 10. Azor. to. p. lib. 5. cap. 18. qu. 16. Salas de Legib. diſp. 19. ſect. p. n. 6. Suar. de Legib. lib. 7. cap. p. à n. 10. Palao par. p. trac. 3. de conſuetud. diſp. 3. punc. p. n. 3.* aliique ab his citati. Differunt autem. *Primò*, quia conſuetudo eſt lex obligans communitatem ad aliquid efficiendum, vel omittendum: at præſcriptio non attendit communitatem, ſed inter particulares perſonas eſſe poteſt. *Secundò*, quia conſuetudo parit legem; præſcriptio verò dominium: conſuetudo enim inducit ſæpè obligationem legalem in his, qui utuntur conſuetudine, vel à legali obligatione eximit: at præſcribens non inducit obligationem legalem in eo, adverſus quem præſcribit, nec ſe eximit ab obligatione legali, ſed inducit obligationem juſtitiæ, vel à juſtitiæ obligatione ſe eximit. *Tertiò*, quia in præſcriptione requiritur ſemper bona fides: at in conſuetudine non ſemper eſt neceſſaria: nam, & ſi mala fide incepta ſit conſuetudo, præſcribere poteſt adverſus legem. Hinc optimè *Suar. de Relig. to. 1. lib. 1. de Cult. Divino neceſſario ex præcepto, cap. 13. n. 8.* ſic: *Ad præſcriptionem requiritur bona fides in præſcribente ab initio temporis, uſq; ad conſummationem ejus: maximè ſecundum jus Canonicum, ut ſuppono ex toto titulo de Præſcriptionibus, & ex propria materia. At verò ad conſuetudinem abrogantem legem, non requiritur bona fides toto tempore illius: Nam in principio, quando conſuetudo nititur contra legem,*

gem, solet inchoari cum mala fide, & per actus pravos, utpotè legi contrarios, ut omnes fatentur, aliàs nulla consuetudo humana posset legem positivam abrogare. Quartò, quia ad præscriptionem non requiritur, nec expressus, nec tacitus consensus ejus, contra quem præscribitur: ad consuetudinem verò requiritur consensus Principis saltem tacitus: hinc sequitur, consuetudinem adversus nullum præscribere: nam si adversus aliquem, is esset Princeps, & adversus Principem non præscribit, cum potius ex ejus consensu consuetudo inducatur, & vires obtineat, ut optimè *Vasquez disp. 177. cap. 5. n. 43. apud, & cum Palao n. 3. cit. Quintò*: Quia ad præscriptionem requiritur titulus; ad consuetudinem autem nullus titulus est necessarius, tacitus enim Populi, vel Principis consensus sufficit pro titulo. *Sextò* tandem: Quia ad consuetudinem, diversum tempus requiritur, ac ad prescriptionem, &c. Differunt ergo in multis consuetudo, & præscriptio, quamvis secundum quasdam rationes etiam conveniant. Videantur D.D. Quibus suppositis.

1488 Subsumo præfatum nostri argumenti antecedens, quod videlicet, neque per contrariam consuetudinem, neque per præscriptionem contrariam, possint Regulares amittere proprium Exemptionis privilegium (de quo in argumento) consequenter Parochos nullo titulo se tueri posse adversus eosdemmet, nec ullum aliud effugium contra ipsos habere posse. Prima pars probatur evidenter: *Tum quia*, ut consuetudo legem, vel Statutum, vel privilegium abroget, debet esse saltem per tacitum Principis consensum (ex primo supposito) approbata: seu per illum confirmata, qui potestatem habuit condendæ legis, & privilegium concedendi. Unde dato etiam, & non concesso, quod Regularium jura, & privilegia per consuetudinem deperdi possent, hoc non aliter procedit (inquit etiam *Felinus in Cap. Cum olim n. 4. Tit. de Præscr.*) nisi *data scientia, & patientia Superioris*: nec introduci potest absolutè consuetudo valida contra privilegia Regularium, non consentiente Summo Pontifice, qui talia privilegia impertitus est, multò minus ipso contradicente, & resistente, quia cum resistentia inveniri nequit, nec virtualis, nec tacitus consensus; resistentia enim contraria est (ut patet) assensui formali, & expressò. Sed in casu maximè nostri Privilegii in specie, vetantis ingressum Parochorum cum Stola, Cruce, & Cantu in Regularium Ecclesias, non solùm non adest consensus Sedis Apostolicæ, & Summi Pontificis validans contrariam consuetudinem, in hujus favorem, sed positivus absolutus dissensus, invalidans nedum quamcunque contrariam consuetudinem, verum etiam quemcunq; actum eidem Privilegio, imò cuicunque Regularium Privilegio contrarium, ergo, &c. Consequentia sequitur: Minor verò, idest resistentia positiva, positivusque dissensus Apostolicæ Sedis; Summorunque Pontificum, constat apertissimè ex tot Bullis supra relatis, inhibitivis, præceptivis, prohibitivis (& cum Clausula quamcunque consuetudinem interrumpente, idest *Non obstante, &c.*) sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis, sub lethali culpa consequenter; præcipuè ex *Bulla Eugenii IV.* superius *nu.* 1369. allata, in qua sic: *Quod si quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus contra hujusmodi, aut quæcunque alia Privilegia, indulta, gratias, immunitates, & ordinationes præfatæ Congregationi concessa, aut ipsorum à quocunque cujuscunque conditionis, dignitatis, gradus, seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quavis causa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore observatum ignoranter, vel scienter, nullum tamen præjudicium Decretis, Privilegiis, indultis, gratiis, immunitatibus, ordinationibus hujusmodi volumus generari: sed in suo vigore, & robore permanere: Non obstantibus, &c.* Ita Summus ipse Pontifex *Eugenius IV.* Ex quo frustraneum esse videtur, adducere contra Regularium Privilegia consuetudinem, vel præscriptionem. *Tũ quia*, consuetudo, quę nunquam potest esse rationabilis, nec potest utique unquam introduci, continuari, nec subsistere; sed hujusmodi est consuetudo, de qua hic, & quam prætendunt Parochi esse jam ab ipsis contra Regulares inductam, ergo. Major propositio est certa, & communis, patetque ex primo nostro supposito. Probatur minor: Quia consuetudo, quæ nunquam potest subsistere, nec continuari absque peccato, nequit absolutè esse rationabilis: imò implicat, quod sit talis, cum peccatum ipsum (ut docent Theologi cum *D. Tho. par. 2. qu. 71. art. 6.*) sit *contra legem æternam, & rationem*. Sed hujusmodi est consuetudo, de qua hic, & quam fingunt Parochi esse jam inductam ab ipsis contra Regulares, ergo. Major est certa, ut ex se patet: quoadusque enim consuetudo contra legem obligantem ad mortale (ut in casu nostro) non est præscripta, ita ut lex contraria cesset obligare, non potest sejungi, nec separari

à peccato, nec consequenter erit rationabilis. Et si nunquam potest esse præscripta, nunquam consequenter rationabilis, quia nunquam sine peccato esse poterit, atque adeò semper nulla, invalida, irrita, & insubsistens: Et quod sit talis consuetudo prætensa Parochorum, de qua hic; quæ est minor argumenti propositio. Probatur: Quia hæc perpetuo reprobatur, ac continuatè interrumpitur ab *Eugenio IV.* & aliis Summis Pontificibus prædecessoribus, & successoribus, ut constat ex eorundem recitatis, clarisque Bullis. Et adeo interrumpitur, ut nec unquam sinat *Eugenius* (ut constat ex ejusdem verbis) ipsam inchoari, cum perpetuò reprobet, ac reiiciat quemcunque actum in individuo hujus prętensæ irrationabilis, & insubsistentis consuetudinis. Ergo: *Tum etiam quia*, consuetudo hæc, quam asserunt Parochi, & fingunt esse præscriptam, esto etiam posset præscribi (quod negamus) cum sit quid facti, probari debet *Joseph. Ludov. Perus. decis.* 62. *n.* 25. *cum seqq. Mascard. de Probat. concl.* 528. *n.* 2. *Menoch. de Præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 8. *nu.* 7. *& consil.* 8. *nu.* 16. *Surd. consil.* 371. *n. pr. Valasc. consil.* 192. *n.* 9. apud, & cum *Barbosa in Repertorio Juris, Littera C, Verbo Consuetudo, Vers. Consuetudo est quid facti*. Et hoc est etiam juxta doctrinam *Glossæ in Cap. Primo de Præscriptionibus in sexto, Verbo Memoria, & Jo: Francisci Leonis par. pr. Thesauri Fori Ecclesiastici cap.* 8. *n.* 5. (ibi:) *Quia consuetudo est facti, servatis servandis, parte citata, probari debet*. Et quia alleganti, & non probanti nihil creditur: *Probare oportet, non sufficit dicere. Barbosa Axiomate* 191. *n. pr.* & ibi, *Glossa Verbo dicatur in leg. prima in princip. ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, Cap. Dilecti de except. Jason. Felin. Paris. Menoch.* addo, & alii communiter. Unde non valet habere in ore quotidie (ut habent Parochi:) *Solitum, solitum, consuetum*, hujusmodi *solitum, & consuetum*, cum sit factum, non præsumitur, nisi probetur. Et alleganti, onus probandi incumbit, cujus probatio: *Debet de necessitate concludere, quia non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, leg. Non hoc, Cod. De legitimis*. Idem *Barbos. Axiom. cit. nu.* 2. cum aliis pluribus ibi citatis: *Et de Jure Ecclesiastico Universo lib. pr. cap.* 19. *n.* 188. ubi sic: *Non est credendum de consuetudine attestanti, Mobedan. decis.* 2. *&* 3. *de consuetud. Et ratio est, quia consuetudo est quid facti, & quod tunc fuit, potest hodie non esse; per quam rationem semper Rota reprobavit opinionem illorum, qui tenent, quod credatur Doctori attestanti de consuetudine; quando est versatus in illo foro*. Sicque pariter, nec credendum R. R. Parochis de præfata eorum, & toties decantata consuetudine asserentibus contra Regulares, hocq; argumento, & valido fundamento se munientibus; quod invalidissimum est: non enim sufficit dicere, & decantare; oportet probare, & de necessitate concludere, quod onus eis incumbit absolutè per omnes: & usque dum non probant, pro Regularibus præsumendum est semper. Neq; valet, Regularibus ipsis annuentibus, vel permittentibus, fuimus aliquando ingressi in eorum Ecclesias cum Stola, Cruce, &c. ergo uti solitum hoc, & jam factum consuetum, etiam nunc, & in futurum Regularibus etiam ipsis invitis, & Pontificibus Bullis, ac Decretis non obstantibus, nec etiam obstante Regularium eorundem exemptione, in eas intrare volumus, & valemus. Non, inquam, hoc valet, quinimò ex tot capitibus superius allatis, doctrinis, atque Doctoribus reprobatum, atque temerarium id esse, idque asserere, evidentissimè apparet. Nonnè exemptionis Privilegium Regularibus concessum facultativum est, atq; adeò impræscriptibile? Nonne consuetudo falsò asseritur per Superiorem non approbata, multò minus positivè ab eodem millies, & perpetuò abrogata (ut in casu nostro) ac reprobata? Invitis Regularibus vos intrare vultis? ergo contra ipsos non præscribitis, quia quando adversus impeditum agitur, non currit præscriptio, ex dictis supra, nec præscriptionis tempus: *Neque amittitur Privilegium, nisi quando per Privilegiatum steterit, quominus Privilegio utetur: Matthæus Burattus to.* 2. *Decisionum Sacr. Rot. Rom. decis.* 704. *num.* 12. *fol. mihi* 351. *& ibi Glossa fin. in Cap. Abbate, de Verbor. Signific. ubi Butr. num.* 24. *versic.* 2. *Abb. n.* 18. *& alii. Surd. consil.* 419. *n.* 27. *in fine, &* 28. *&* 29. Quibus addo *Tambur. de Jure Abbat. to. pr. disp.* 16. *qu.* 14. *n.* 11. Si igitur invitis Regularibus intratis, ergo istis impeditis, ne suo utantur Privilegio. At impedito agere non currit tempus adversus eum, nec amittit Privilegium eo quia, ob impedimentum, Privilegio non utatur. Ergo

1489 Tandem probatur etiam secunda pars antecedentis nostri argumenti. Quod scilicet R. R. Parochi nec possint se tueri contra Regulares præscriptionis titulo, indeque ullum prorsus illis remanere effugium. *Tum quia* deficit ei conditio præscriptio-

scriptionis prima, scilicet *Aptitudo*, etenim res, quæ præscriptioni subiterni petit, talis esse debet, ex secundo supposito, ut sit apta ad præscribi, & in qua jura non prohibeant, fieri præscriptionem : At Canonica Jura, idest Summorum Pontificum Bullæ, & Decreta (*Eugenii IV.* præsertim) prohibent (sub Censuris, & lethali, ut constat) R. R. Parochis ingredi, occasione funerum, Ecclesias Regularium istis invitis cum Stola, Cruce, Cantu, &c. auferuntque ab ipsis in hac re quamcunque aptitudinem ad præscribendum; declarando, & definiendo nullos, irritos, invalidos, ac ullius roboris, quoscunque attentatos; scienter, sive ignoranter patratos, nulliusque præjudicii, &c. Ergo

1490 *Tum quia* deficit etiam altera conditio ad præscriptionem necessaria, idest, *Bona fides*. *Quia cum Parochi* (sunt verba doctissimi *P. Pasqualigi in Francum par. pr. n.* 1594.) *sciant hoc jus non pertinere ad ipsos, sunt in mala fide, & ideò non possunt præscribere*. Sciunt autem, ex tot recitatis Bullis, & Sacrarum Congregationum Declarationibus, ac Decretis. Ex tot excellentissimorum Authorum doctrinis, & assertionibus, qui super hac controversia ex professo, vel etiam obiter scripsere. Ex continua, imò perpetua Regularium reclamatione, de proprio læso Jure; etiam in contradictoriis Judiciis, in quibus millies etiam Romæ exauditi fuere Regulares pro evidenti propriæ causæ æquitate, &c. Unde nequeunt absolutè R. R. Parochi hac in re allegare in conscientia, & pro veritate ignorantiam excusantem, nec *Bonam fidem* consequenter. Ergo

1491 *Tum quia* deficit & conditio tertia ad præscriptionem legitimam necessaria, hoc est, *Justus Titulus* ingredi Ecclesias Regularium cum Stola, Cruce, &c. occasione funerum. Ita etiam expressè idem *Pater Pasqualigus nu. c.* 1594. ubi egregiè sic: *Deficit etiam ex parte Parochorum titulus præscriptionis, quia sciunt, aut saltem deberent scire, quod hoc non pertinet ad ipsos, unde solum ex juris ignorantia posset oriri, & ideò non sufficit, ut notant Felin. in cap. De quarta, nu.* 35. *Vers. Sed considera, de præscription. Alexand. consil.* 44. *n.* 7. *lib.* 3. *Rota in Bojean. Juris, coram Verospio apud Marchesan. Imò cum titulus sit reprobatus nullo unquam tempore potest præbere justam causam præscriptionis, ut considerat Surdus cum aliis consil.* 276. *n.* 24.

1492 *Tum quia* deficit quoque hic quarta conditio ad præscriptionem legitimam necessaria, scilicet *Justa possessio continua*. Quam nec habent, nec probabunt Parochi unquam (ut ex omnibus hactenus dictis evidentissimè constat) ad quos spectat (utpotè illam allegantes) probare, ex dictis, & secundum omnes præscriptionis qualitates, ut docet *Balbus de Præscriptionibus* 2. *par. tertiæ principalis, quæstione tertia*, in qua inquirens : *Quæ possessio sit necessaria ad præscriptionem*, sic ait *numero septimo : Allegant præscriptionem, eam probare debet, & omnes qualitates ad illam necessarias, ut sunt titulus, bona fides, & possessio continua*. At quomodo possunt, vel poterunt Parochi probare prætensam eorum, & veram possessionem continuam, atque præscriptam, per actus (in tot superius recitatis Bullis, & Decretis) declaratos nullos, irritos, & invalidos, ac ullius effectus, nec valentes absolutè possessionem inducere, nec præscribere? *Decretum enim irritans* (ita *Pasqualig. in Francum par. pr. nu.* 837.) *operatur, quod per actus contrarios, tanquam nullos non præscribatur Privilegium, ut tradunt Felin. in Cap. Cum accessissent, nu.* 30. *Vers. Quarto limita, de Constitut. Anton. Gab. libr.* 6. *commun. conclus. Titulo de Clausulis, conclus.* 3. *nu.* 39. *&* 44. *Menoch. Præsumpt.* 41. *nu.* 10. *lib.* 6. *Moneta de Conservatoribus cap.* 10. *n.* 430. *Balbus de Præscription. parte quinta princip. parte quarta, quæstione quarta, limitat. tertia. Abbas in Cap. Cum accessissent, nu.* 6. *de Constitut. Imola nu.* 7. *Burg. n.* 227. Nec valet, quod dicunt aliqui ex Parochis, nos, Regularibus ipsis annuentibus, ac permittentibus ingressi fuimus eorum Ecclesias cum Stola, Cruce, & Cantu; consuevimus in eisdem dare Defuncto ultimum Vale, & *Requiem æternam*: ergo hanc consuetudinem possidemus. Non inquam valet: & negata absolutè consequentia, ad antecedens dico: Quod si qui Regulares (quod non omnes, ut constat) consuevere, vel consuescunt Parochos cum Stola, &c. admittere, eisque concedere *Requiem æternam, & ultimum Vale*, in propriis Ecclesiis, nonnisi liberaliter, & ex Urbanitate id facere, ac faciunt: & cum Parochis Urbanis: secus verò cum inurbanis, ob eorundemmet inurbanitatem; & cum aliis se inurbanè gerentibus cum Regularibus ipsis: ex dicta autem Urbanitate, & liberalitate Parochis longo etiam tempore concessa, nulla possessio, vel præscriptio potest inferri ex superius dictis, & probatis. Maximè postea si sint in hoc Regulares ipsi inviti, hoc coactè, non voluntariè non permittant, ad fugiendos rumores, injurias, & ad injustitias repellendas,

&

& gravamina tollenda, per quæ utiq; non deperditur Privilegium, si Privilegiatus eo non utatur; non enim sua culpa non utitur, nec per eum stat in tali contingentia, quod non utatur, cum impediatur, ita ut agere non possit, nec Privilegio uti, ex quo non usu non deperditur Privilegium, requiritur enim, ut per non usum deperdatur Privilegium, ut Privilegiatus sua culpa eo non utatur, & quod per eum stet, quod non utatur, ut multis citatis probat *Tamburin. de Jure Abbatum to. pr. qu.* 14. *à n.* 10. cui subscribunt *Salmaticenses tom.* 4. *Cursus Moralis tract.* 18. *Tit. de Privilegiis, cap.* 2. *punct.* 2. *num.* 9. *in fine, pag. mihi* 239. Unde consequenter etiam loquentes, *n.* 12. *Vers. Quarto supponendum, eadem pag.* sic: *Tempus ad præscriptionem requisitum, ut per illam Privilegium deperdatur, incboat à primo non usu libero, spontaneo, data opportunitate, & sine ullo impedimento utendi.* Unde si ei, contra quem præscribitur, subest aliquod impedimentum, ita ut agere non possit, cursus præscriptionis contra ipsum interrumpitur, nec continuare, seu procedere censetur, sed potius dormire, &c. *Lessius de Justit. libr.* 2. *cap.* 6. *dub.* 6. *Sylvest. Verb. Præscriptio p. n.* 9. *quæst.* 9. aliique.

1492 *Tum etiam quia*, deficit tandem & quinta, ac ultima conditio, *Temporis* videlicet, ad veram, & legitimam præscriptionem requisiti, quod satis, superque in superioribus probatum est: tum quia Summi Pontifices ferè singuli, ut visum est, suo Sanctissimo zelo. confirmant Regularium Privilegia, sicque impediunt hujusmodi præscriptionem interrumpendo, ut plurimum tempus ejusdem. Tum quia ex Summorum Pontificum Bullis, item supra visum est, requiri centum annorum spatium ad præscribendum contra Regularium Privilegia: At quomodo tam longum temporis spatium probari potest? videtur ferè moraliter impossibile: saltem adeò difficile, ait *Bordon. resol.* 52. *qu.* 41. *n.* 122. Tum etiam, quia ex superius relato Privilegio, & concessione *Eugenii IV.* & aliorum Summorum Pontificum, nullo modo contra Regularium Privilegia, & nullo tempore potest præscribi. Sed

1493 Obiicies primò. Præscribi potest, & consuetudine induci, quidquid lege, & Privilegio potest concedi: ergo consuetudini à Parochis inductæ ingrediendi, & canendi in Regularium Ecclesiis, standum est, cum præcipuè in materia funerum valdè consuetudini deferatur. Respondeo, negando consequentiam: falsum enim est, adesse, & inductam esse à parochis talem consuetudinem: Ad antecedens distinguo; potest præscribi, & consuetudine induci, quidquid lege, & privilegio potest concedi, quando eidem consuetudini, & legi, per aliam non derogatur, concedo: quando derogatur, ut in casu nostro ex dictis, nego. Iterum distinguo: quando induci, & præscribi potest per actus validos, concedo: quando sic non potest, ut in casu nostro, nego; non enim hujusmodi consuetudo induci potest per actus validos, ut supra probatum est: at consuetudo, nec præscriptio inducitur per actus nullos, quod certum est. Distinguo insuper: Præscribi potest, & consuetudine induci, quidquid lege, & privilegio potest concedi, si consuetudo sit rationabilis, & habeat conditiones ad consuetudinem requisitas, nec sit reprobata à Summo Pontifice, Principe, & Superiore, concedo: si non sit talis (ut in casu nostro probatum est) nego.

1494 Obiicies secundo. Certum est, adesse, & adfuisse inter Parochos, plures saltem Viros Doctos, & timoratæ conscientiæ, quos non est credibile, ignorare, vel ignorasse, contemnere, vel contempsisse tot Bullas Summorum Pontificum, tot Decreta Sacrarum Congregationum in sui, & aliorum minus peritorum Comparochorum perniciem. Ergo si tales viri nihilominus ingrediuntur, & ingressi sunt in funeralibus Ecclesias Regularium, &c. signum est, quod habent, & habebant rationem aliquam, saltem probabilem, qua moti, credere possunt, vel potsent, talia posse, & potuisse facere absque peccato, incursu Censurarum, &c. quis enim dicat omnes velle se ipsos perdere? Ergo supra dicta omnia non ita strictè obligare censenda sunt, sicuti sunt proposita, quasi ad terrorem. Confirmatur hæc ratio, quia non minus probibitum est Parochis, ne ingrediantur Ecclesias Regularium occasione funerum, &c. quam præceptum Episcopis, ut probibeant ne ingrediantur, &c. Episcopi enim tanquam Pastores tenentur vigilare supra gregem suum, nec ullo modo possunt dissimulare, ut parochi subditi sui, in re tam gravi, transgrediantur tot præcepta Summorum Pontificum, nec talis negligentia, aut incuria de tot plurium Ecclesiarum piis Pastoribus, ritè præsumi potest: Ergo si tot Episcopi, nihilominus non observaverunt suos Parochos, nec prohibuerunt ab ingressu Ecclesiarum Regularium occasione funerum, &c. clarum signum est, quod hi omnes habe-

ant rationem aliquam, quæ ipsos moveat, adhuc esse licitum suis Parochis, ingredi Ecclesias Regularium occasione funerum, in illisque se intromittere in funere, &c.

1495 Respondeo argumentum vulgari medio procedens, vulgari etiam ratione probare, nedum licere Parochis ingredi in funeralibus Ecclesias Regularium, sed licere etiam quibuscunque mentiri, fornicari, furari, cum sint, & semper fuerint plures Viri Docti, & etiam alii pii, qui aliquando mentiuntur, fornicantur, furantur, &c. Quod si dicas, non licere eos trahere in exemplum, quia obstat Divina lex in contrarium: eodem modo dicendum est, non licere exemplum parochorum, quamvis Docti, & pii videantur, si qui sunt, vel fuerunt, qui advertentes ingressi sunt, vel fuerunt Ecclesias Regularium in funeralibus, quia obstant tot Leges, & Constitutiones Pontificiæ in contrarium. Unde

1496 Respondeo secundo. Adesse quidem, & semper adfuisse inter R. R. Parochos Viros Doctos, & timoratæ conscientię; sed qui isti fuerint, vel sint, qui hujusmodi qualitatibus insigniti violaverint jurisdictionem Ragularium in funeralibus, nec adversarii ipsi nominatim adducunt, nec ego novi. Scio quidem alicubi irrepsisse hujusmodi abusum, quod parochi ingrediantur, &c. & doctiores, & magis pios inter ipsos libenter velle se abstinere ab ingressu, sed quia communis aliorum indoctorum torrens fert in contrarium, nesciunt, quomodo se abstineant; timent enim detractiones, contumelias, & mala Officia sibi coram Superioribus parari, & sic putant cum tanto onere (an benè, vel malè ipsi videant) non teneri ad aliàs debitam, & sibi cognitam observantiam privilegiorum Regularium.. Cæterum quidquid de his omnibus sit, credo, adesse inter parochos Viros Doctos, & Pios, at contra Leges Pontificias plurimas, claras, & urgentes, sequi posse eorum exemplum absque gravi culpa, non credo. Unde caveant sibi R. R. Parochi, & benè observent ne cæco modo sequentes aliquorum cæcorum ductum, ambo in foveam cadant; neve de ipsis pecudum modo gradientibus post alios, verificetur, quod absit, illud *Psalmi* 48. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt.*

1497 Ad confirmationem respondetur pariformiter, ac responsum est ad argumentum; certum est enim, teneri Episcopos vigilare super gregem suum, & maximè advertere ad parochos subditos suos, ne in sui, & aliorum perniciem violent Decreta Summorum Pontificum. At si non vigilant, si quadam superficiali ratione ducti, si malè à suis parochis informati, non impediunt eorum ingressum in Ecclesias Regularium, quid inde? Nunquid per hoc enervant Regularium privilegia, & tot in eorum favorem Pontificia Decreta? Nunquid minuitur Parochorum debitum, ac delictum, quia à D.D. Episcopis, & Superioribus non corriguntur, nec puniuntur? Et si nec puniuntur, nec corriguntur, quid ad me? deberent tamen corripi. At impunitas concessa delictis, Judicem accusat, non justificat delinquentes. Quanquam de prudentissimis, Sanctissimisque Ecclesiæ Prælatis longè aliter sentiendum est: qui enim sint hi Præsules, qui non curent, nescio; qui autem curent, optimè scio, & pro omnibus sufficiat fulgidissimus ille Antistitum decor *Veronæ Episcopus Illustrissimus, & Reverendissimus D. D. Sebastianus Pisanus Senior*, cujus virtutis, & prudentiæ laus à piorum memoria nunquam excidet. En igitur, quod ipse in hac materia decrevit. Sciebat enim uti peritissimus Canonista præceptum districtè (hoc est sub mortali) sibimet, omnibusque Prælatis *in Clementinis cap. Frequens Unico, de Excessib. Prælator. à Clemente V.* intimatum, sub sequentibus verbis. *Decet ut Prælati, & alii, tam exempti, quam non exempti, suis juribus sint contenti, & alter in alterius injuriam non prosiliat, seu jacturam. Universis itaque Prælatis Ecclesiarum, præsentis sanctionis edicto, Districtè præcipiendo (* Nota *) mandamus, quatenus ipsi à gravaminibus omninò cessantes, & cessare suos subditos facientes, viros Religiosos exemptos, privilegiatos, & non exemptos; Mendicantes, & non Mendicantes charitativè tractent, & foveant, & sua jura, & Privilegia inviolabiliter eis servent.)*



Ioseph

Joseph Sellarius I. V. ac S. Theologiæ Doctor, ac in Episcopatu Veronen. Vicarius Generalis.

1498 *Esponendoci i M. M. R. R. P. P. Teatini di San Nicolò di questa Città, come il q. Signor G. Antonio Agnesini, mentre viveva, hà dichiarato, di voler esser sepelito nella sepoltura de' fratelli dell'Oratorio di San Nicolò, posta nella Chiesa di detto Santo, come affermano molti suoi Parenti, e perche il Molto Reverendo Signor Arciprete di Sant'Apostolo Paroco del predetto q. Signor Gio: Antonio, si è lasciato intendere, che è pronto à condurre il Cadavere nella Chiesa di S. Nicolò, mà pretende di entrare in Chiesa con Cotta, Stola, e cantare sopra il corpo contro molti, e replicati Decreti della Sacra Congregatione, e contro i Privilegii de' Regolari, che non permettono, che nelle Chiese loro i Parochi possino entrare con Stola, &c. e fare simili fontioni. Per tanto di Suffragio ricercati: Commettemo al predetto Molto Reverendo Signor Arciprete, che debba permettere, che detti R. R. Padri il giorno d'hoggi, & ad ogni suo piacere possino levare il corpo del sodetto q. Signor Agnesini, e farlo portare nella detta sepoltura esistente nella sua Chiesa; e volendo esso Signor Arciprete come Paroco accompagnare detto corpo, potrà farlo, mà senza entrare in Chiesa di San Nicolò con Stola, e fare altre fontioni in pena di Ducati 400. fisco, & in Juris subsidium suspensionis à Divinis, in caso che non obedisse à quanto di sopra. E ricusando detto Signor Arciprete di accompagnar detto corpo, potranno li detti M. M. R. R. Padri far levar il medesimo, e sepelirlo nella prenominata sepoltura: cominando dette pene à qualunque ardisse d'impedire i Padri nel levar, e sepelire come avanti il detto corpo.*

In quorum fidem, &c.

Datum Veronæ in Cancellaria Episcopali die 23. Januarii 1667.

Locus ✠ *Sigilli.*

(Giosеppe Sellari Vic. Generale.

Nicolaus Righettus Notarius.
Exequatur per quemcunque Viatorem.

Adì 23. Gennaro 1667.

Intimato il presente mandato al Signor Arciprete di Sant'Apostolo, e data la copia in persona come in questo.

R. Albertini V.

Jo hò ricepuco per mercede Lir. 2. – 8.

Et hic nota, quod ab hoc intimato præcepto, seu Decreto non fuit quidquam oppositum, nec appellatum.

Die Veneris 10. Novembris 1690. in Cancellaria Episcopali Veronæ.
Registratum cum instantia opportuna in filo scripturarum ejusdem Cancellariæ currentis anni per me Cancellarium Episcopalem. In quorum fidem, &c.

Antonius Rotarius Cancellarius Episcop. Sede Episcopali Vacante.

Locus ✠ *Sigilli Cancell. Episcop.*

Hujusmodi autem authenticum Originale præceptum repositum est in Archivio Monasterii nostri Sancti Nicolai Veronæ; cui præcepto obtemperare coactus fuit dictus Admodum Reu. Archipresbyter, ut constat evidenter ex sequenti authentica fide, item registrata (ut infra) in eadem Episcopali Cancellaria, & reposito pariter ejusdem authentico Originali in eodem Archivio, estque teneris, ut sequitur.

Adì

Adi 28. Ottobre 1690. In Verona.

1499 *NOi infrascritti Padri Chierici Regolari Teatini del Monastero di S. Nicolò di Verona attestiamo con nostro giuramento tacto pectore more Sacerdotum, come il giorno 23. Gennaro 1667. fù sepelito in Chiesa nostra di San Nicolò, nella sepoltura de i Confratelli secolari del nostro Oratorio il cadavere del q. Signor Gio: Antonio Agnesini, Uno de' detti Confratelli, e li fù data la sepoltura, senza l'ingresso in Chiesa, ò assistenza di Monsignor Arciprete de Santi Apostoli, Signor D. Carlo Bertelli da Salò Paroco del Defonto, ò d'altro Sacerdote secolare suo sostituto: Qual Paroco, se ben vivamente pretendeva, intervenir personalmente co' Padri in Chiesa alle fontioni della sepultura, fù impedito con Precetto, e Mandato penale di Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo Vescovo di Verona Sebastiano Pisani il Seniore, statole intimato d'ordine immediato di Sua Signoria Illustrissima, e Reverendissima da publico Ministro, si che fù costretto ubidire, come consta anco da altri più attestati in Atti di D. Domenico Mutoni publico Notaro del 1673. E seguì anco la sepoltura il dì medesimo dell'Intimatione del detto Precetto; il che comprova la nota seguente, che si ritrova registrata nel Libro della nostra Sagrestia, nel quale si notano quanti si sepeliscono in Chiesa nostra. Nel qual libro à carte 48. si legge.*

23. Genaro 1667.

Fù sepelito nella sepoltra de' Fratelli dell'Oratorio, ch'è in questa nostra Chiesa di San Nicolò avanti la Capella de' B. B. Gaetano, & Andrea il Signor Gio: Antonio Agnesini.

D. Gio: Bonifacio Bagatta Preposito de C. R.

D. Gasparo Maraviglia C. R.

D. Michael Angelo Abaco C. R.

Attestor Ego Vincentius Ferrus publicus Veneta authoritate Notarius, quod suprascripti Admodum R. R. Patres, scilicet. D. Jo: Bonifacius Bagata, Gaspar Maravilia, & Michael Angelus Abacus Clerici Regulares Theatini, mibi Notario, eorum Juramento more Sacerdotali asseruerunt suprascriptas subscriptiones eorum esse manu factas, & sic eas recognitas habere. Insuper fidem facio partitam ex Libro Mortuorum ejusdem Domus Sancti Nicolai desumptam, incipientem 23. Genaro 1667. finientem Gio: Antonio Agnesini, fideliter ex libro prædicto fuisse desumptam, collatione enim diligenti cum eo facta in omnibus concordare inveni. In quorum, &c.

Locus ✠ Sigilli Notarii.

Die Veneris 10. Novembris 1690. in Cancellaria Episcopali Veronæ.

Registratum in filo scripturarum ejusdem Cancellariæ currentis anni 1690. per me Cancellarium Episcopalem. In quorum, &c.

Antonius Rotarius Cancellarius Episcopalis Sede Episcopali vacante.

1500 Verum quia præallatum præceptum Illustrissimi, & Reverendissimi Episcopi *Sebastiani Pisani Senioris*, unicum tantummodo coarctat Parochum, accipe Lector alterum Illustriss. & Reverendiss. Nepotis *Sebastiani Pisani Junioris* Episcopi Veronensis, ad omnes Parochos Civitatis, & Diœcesis Veronensis universaliter directum, Typis datum in Cancellaria Episcopali (ut infra) registratum, & ejusdem authenticum Originale (uti jacet impressum) in dicto Archivio Monasterii Sancti Nicolai pariter repositum, à quo Parochi non appellarunt, vel aliquid opposuerunt.

Sebastiano Pisani per la Dio gratia, e della Santa Sede Apostolica Vescovo di Verona, e Conte, &c. Nel presente Negotio Essecutore Apostolico, à tutti gli R. R. Parochi della Città, e Diocese nostra di Verona Salute nel Signore, & Ubidienza ne Mandati.

1501 *PER riverente essecutione della Sacra Congregatione sopra Vescovi, e Regolari, 8. Maggio ultimamente scorso, licentiate per l'essecutione in Eccellentissimo Collegio di Venetia li 4. del corrente Mese à favor delli R.R.P.P. Minori Osservanti di San Francesco in materia de Funerali. Commettemo à tutti, & à cadauno delli sudetti Parochi in virtù di Santa Ubidienza, & in sussidio di ragione in pena di Ducati cinquanta applicati alla Fabrica della Catthedrale Nostra, che in occasione di Funerali debbano esattamente osservare li Decreti di detta Sacra Congregatione, tanto in materia di condur* recto tramite *li Cadaveri alle Chiese di detti Padri, come di permetter à medesimi il far l'Officio sopra cadaveri, e portar solo la loro Croce nel condurre i Defonti alla sepoltura quando devono sepelirsi nelle loro Chiese, e lasciar libera l'elettione del numero de Religiosi per accompagnar il Cadavere à gl'heredi de Defonti. Altrimenti, &c.*

Datum Veronæ in Palatio Nostro Episcopali 20. Junii 1671.

[*Sebastiano Pisani Vescovo di Verona Essec. Apostolico.*

Antonius Rotarius V. Cancell.

Exequatur per quemcumque Viatorem.

In Verona, Per Andrea Rossi. Con Licenza de' Superiori.

Die Veneris 10. Novembris 1690. In Cancellaria Episcop. Veronæ.

Registratum in filo scripturarum ejusdem Cancellariæ currentis anni 1690. per me Cancellarium Episcopalem. In quorum, &c.

Locus ✠ *Sigilli Cancell. Episcop.*

Antonius Rotarius Cancell. Episcop. Sede Episcop. Vacante.

1502 Ex his igitur, ut & ex antecedentibus ad abundantiam, fideliterque positis, certissimè infertur, concludendumve venit, R. R. Parochos (ex tot Summorum Pontificum Regularium Privilegiis; Sacrarum Congregationum Decisionibus innumeris, ac Responsis; Doctorum omnium concordium auctoritatibus; atque praxi ipsa) esse convictos omninò, se non posse (ritè, nec rectè) occasione funerum ingredi Ecclesias Regularium cum Stola, Cruce elevata, &c. ibique in funere se ipsos in aliquo se intromittere. Item infertur evidenter, ex tot capitibus, insubsistentem prorsus esse immemorabilem consuetudinem, quam iidemmet Parochi in proprium favorem continuò, ore tam rotundo (quod utique mirum est) intimant Regularibus. Mirum inquam, eum adeò vero, justo, notorio in praxi, antiquissimoque, ac immemorabili jure perseveret dicta consuetudo (adhuc in viridi) pro Regularibus, contra ipsosmet R. R. Parochos, ut satis, superque clarissimè demonstrant, tot, plena veritate, eximiaque diligentia, in hoc meo Privilegio relata, & collecta; præsertim duo illa ab *Illustrissimis, & Reverendiss. modernis Veronæ Episcopis Pisanis, emanata Decreta*, in quibus (maximè in eorum primo) expressa continetur, & in viridi (favore Regularium) præfata consuetudo, ut patet legenti. Quæ præterea favore item Patrum Theatinorum hic Veronæ, videtur juridicè probata: *In Actis* (videlicet) *D. Dominici Mutoni publici Authoritate Venetæ Notarii*. Ex filo enim scripturarum ejusdem *de Anno* 1673. habetur examen juridicum, authenticum decem, & octo testium, qui publica authoritate, per legitimum Ministrum Viatorem vocati, inquisiti, delato eis juramento de veritate dicenda, deponunt unanimiter omnes super eadem consuetudine contra Parochos. Idem pariter eruitur *Ex filo scripturarum Cameræ Fiscalis Veronæ, eodem pariter Anno* 1673. Scripturæ omnibus volentibus sunt obviæ, cum publici sint juris.

1503 Et hic obiter non prætermittendum, quod cum alterum Decretum ab *Illustriss. & Reverendiss. Sebastiano Pisano Juniori Episcopo emanatum*, coerceat quoscunque Parochos (ut constat) Diœcesis Veronensis,

ſis, fueritque iiſdemmet intimarum; Typis Impreſſum (nam primum *Illuſtriſſimi Epiſcopi Senioris* fuit potius mandatum, & præceptum manuſcriptum) Intimatio hęc facta fuit, ut patet, ex Ordine *Sacræ Romanæ Congregationis*, cum permiſſione tamen, approbatione, & licentia *Excellentiſſimi Veneti Collegii*: ibi enim: *Per riverente eſecutione della Sacra Congregatione ſopra i Veſcovi, e Regolari, 8. Maggio ultimamente ſcorſo (1671.) licentiate per l'eſecutione, in Eccellentiſſimo Collegio di Venetia li 4. del corrente Meſe di Giugno 1671. &c.* hac in re, unica intimatione, unicoque Decreto, à tribus etiam unitim, confirmata videtur, robuſtque acquirit contra R. R. Parochos præfata immemorabilis Regularium conſuetudo, videlicet, ab ipſa Sacra Congregatione, ab Excellentiſſimo eodem Collegio (tunc non contradicente,) & à D. Epiſcopo Ueronen. Præterea.

1504 Neque hic tandem, & ultimo loco prætereundum, ab *Excellentiſſimo, Sapientiſſimoque Veneto Magiſtratu* Decretum emanaſſe *ſub die 22. Junii 1672.* brachium, & favorem porrigens privilegiis Regularium: atque ſub diſtricta inviolabili obſervantia intimatum, tum Clero, tum Regularibus Diœceſis Veronenſis (ob bonum pręſertim pacis, & ad vitanda ſcandala) tenoris, ut ſequitur: *Nell'affare de Funerali, che debbano acquietarſi, & oſſervare così nella Città, come nella Dioceſe, l'Antica, Immemorabile conſuetudine, e la Diſpoſitione del Ritual di Verona; non promovendo alcuna novità, onde tutto paſſi con quiete, e divertimento di ſcandali, &c.* Juſtiſſimum, Prudentiſſimum, Sanctiſſimumque Decretum (in favorem, ut patet; tum Privilegiorum ipſorum Regularium, tum etiam Declarationum Sacrarum Congregationum) inviolabiliter omninò obſervandum. At ſi in hoc Decreto mens Summè Pia Sereniſſimi Principis manum dantis, eſt, uti fermè eſt, quod in materia funeralium *Antiqua, & immemorabilis conſuetudo obſervetur*. Antiqua, & immemorabilis conſuetudo, ex tot narraris, evidenterque concluſis in toto hoc privilegio, eſt, quod Parochi, nec de facto, Jure proprio ingrediuntur, nec ritè, & juſtè ingredi poſſunt Regularium Eccleſias cum Srola, Cruce elevata, &c. ſe ibi immiſcendo in funere, vel in minimo, & oppoſitum nunquam ipſi in æternum ullo medio, vel modo probabunt. Ergo.

1505 Quod autem attinet ad *Rituale Veronenſe* (Achilles D. D. Veronenſium Parochorum) valdè mirum eſt, quod & ab ipſis producatur, vel amplius quo ad hoc nominetur; cum illud abſolutè ad Regulares non pertineat, non habeat vocem, nec verbum quidem; legatur quod contra eoſdem contineat: Si quid enim diſponit in materia funerum cum relatione aliqua ad Regulares, iiſdem favorabile prorſus agnoſcitur: Videatur. Diſponit nanque potius, ut privilegia Regularium in materia funerali obſerventur. Quod totum ſupra concludenter, evidenterque, rationibus, auctoritaribus, Romanaque Deciſione ſtabilitum eſſe, ac definitum videtur *à num.* 1344.

1506 Igitur ſi Mens Sereniſſimi Principis, ac Ducis noſtri Veneti in hoc ſuo Decreto, eſt, quod in Diœceſi Veronenſi obſervetur inviolabiliter in materia funerum, conſuetudo immemorabilis, & diſpoſitum in eadem materia per *Rituale Veronenſe*, Piiſſimum hujuſmodi Decretum, quod obſervari debet toto conatu, & ſpiritu, tum à R. R. Parochis, tum à Regularibus, nec ab ipſo ullo modo recedendum, uti nec recedunt utique Regulares, quia totum, & totaliter ipſiſmet favorabile eſt, ut evidenter deducitur ex tota doctrina, & ſtructura hujus noſtri privilegii, ex quo luce pluſquam meridiana videtur, conſuetudine immemorabili, ex tot Regularium Privilegiis, Deciſionibus, Auctoritatibus, & rationibus, coactos eſſe R. R. Parochos ſe abſtinere ab ingreſſu occaſione funerum in Eccleſias Regularium cum Stola, Cruce elevara, &c. Nec *Rituale Veronenſe* in eadem materia, quid diſponere videtur in eorum favorem adverſus Regulares. *Hæc igitur ſunt* (concludo cum *Doctore Angelico Opuſculo* 17. *cap.* 16. *in fine*) *quæ ad præſens ſcribenda occurrunt. Si quis autem his contradicere voluerit, non coram pueris garriat* (addo, nec coram Mulierculis, rudibus, & indoctis:) *Sed ſcribat, & ſcripturam proponat in publico, ut ab intelligenti dijudicari poſſit, quod verum ſit, & ut, quod erroneum eſt, authoritate veritatis confutetur*. Libentiſſimè eorundem R. R. Parochorum ſapientiæ, atque rectę ſententiæ (ſint ipſi æqui Judices) me ſubmittam. Uti me totum, & ea omnia, quę in hoc Opere ſcripta ſunt; humillimè, cenſuræ, & infallibili Sanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio, ſubiicio.

FINIS.

RERVM AC VERBORVM
INDEX

Numerus qui producitur est marginalis.

Confir-

Dux

N

O

P

Pecca-

S

FINIS.

Pag.	Col.	Lin.	ERRATA	CORRIGE.
8.	2.	20.	dicerit	diserit
10.	2.	35.	retineret	retinere
21.	2.	17.	pesiculum	periculum
21.	2.	43.	aliquod	aliquod,
25.	2.	12.	ſubiecit	ſubiecit
26.	1.	14.	quidcunque	quodcumque
26.	2.	34.	202.	n. 202.
27.	2.	17.	elamoſinam	eleemoſinam
26.	2.	3.	opotet	opotet
30.	2.	15.	darc	dale
30.	2.	36.	fameo	famem
31.	2.	14.	agerent	ageret
33.	1.	40.	deliqueos	delinqueos
33.	2.	18.	præcipis	precepit
36.	1.	50.	Allegantea	allegantem
37.	2.	8.	haberi	habere
42.	2.	46.	Iuaedos	Iudeos
43.	2.	22.	generaltrer	generaliter
49.	1.	43.	ſcienter	ſcientea
56.	1.	7.	reſponſ.	reſolut.
64.	2.	43.	recitares	recitantes
68.	1.	36.	percuttieoti	percutiendi
70.	2.	34.	fit	ſic
70.	2.	42.	exeptio	exceptio
81.	2.	38.	diligontia	diligentia
86.	2.	22.	excommenicantis	excommunicantis
86.	2.	47.	probant	probat
95.	2.	3.	Paludamus	Paludanus
96.	2.	42.	hoc	hæc
96.	2.	44.	alio	alios
114.	1.	52.	conſenſus	conſenſum
115.	1.	25.	Simoniam	ſimoniaca
125.	2.	37.	& aduert	eſt aduert.
125.	1.	38.	1684.	1584.
126.	2.	4.	Poiall	Portell.
126.	2.	22.	quam	quem
134.	2.	8.	Gregorio	Gregorii
148.	1.	7.	Concili	Concilii
148.	1.	15.	Riform.	Reform.
149.	1.	35.	Apoſtolice	Apoſtolicæ
149.	1.	55.	imponentes	impotentes
149.	2.	28.	mitero	mittere
160.	1.	33.	quia	qua
160.	1.	57.	plure	plura
160.	2.	47.	conſtitutioneu	conſtitutionum
164.	1.	46.	diſpienſare	diſpenſare
173.	1.	13.	addicto	addicti
200.	1.	42.	oſtendit	extendet
200.	2.	5.	coloquum	coloquium
212.	1.	32.	to. to.	to. 2.
212.	1.	55.	precim	pretium
214.	2.	12.	emnino	omnioo
221.	1.	48.	prægiudicio	præiudicio
221.	2.	38.	ſtipuæ	ſtip te
222.	3.	13.	conſecrat	de conſecrat.
	1.	14.	execrari	exſecrari
227.	1.	7.	Sacration	ſacrationi
235	1.	37.	dilectioonm	dilectionem
267.	2.	22.	frurctus	functus
267.	2.	42.	committant	committitine
268.	2.	5.	imparaodis	in parandis
275.	1.	13.	triplpidatione	trepidatione
280.	1.	34.	Emnes	omnes
282.	2.	41.	nouo	none
283.	2.	44.	faceris	fuerit
292.	2.	ult.	à quo ſolo	à qua ſola
297.	2.	46.	taneatur	teneatur
299.	2.	19.	poſſiderit	poſſederit
310.	1.	49.	incoſtaotia	inconſtantia
314.	2.	1.	illa	ille
329.	2.	49.	iegimus	legitimus
334.	2.	45.	qu a. a.	qu 22.
355.	2.	43.	præcet.	præcept.
363.	2.	40.	conſuctudinem	conſuetudine
365.	2.	30.	ipſi	ipſe
368.	1.	23.	o. 862	n 865.
389	1.	5.	licentia	licentiam
404.	1.	57.	comederent	comede.ıoc
406	1.	5.	eoru dem	earundem
425.	2.	44.	doctoris	doct.res
429.	2	9.	dicet	docet
446.	2.	24.	quodocumque	quodcumque
457.	2.	22.	matrimooium	matrimon.o
460.	1.	47.	ſicta	ficta
467.	1.	26.	& ab	& b
474.	1.	2.	imponitur	non imponitur
483.	2.	17.	declerata	declarata
499.	2.	46.	iuſi	tui s
504	2	43.	excledit	ex iusit
506.	2	32.	proh bet	prohibet
509.	2.	3.	eredere	cedere
523.	2.	34.	ni quiunt	n queunt
526.	1.	43.	conoumeres	innumeres
520.	2.	29.	admittunt	d mittant
529.	2.	4.	ſummo	ſummus
533.	2.	12.	profint	p lunt
536.	1.	13.	Animas	Anima
533.	2.	1.	tant	tanti
541.	1.	38.	ſecuno	ſecundo
541.	1.	49.	d ctc	d ctx
546.	1.	31.	nominem	nomine
549.	2.	27.	dum	do
551.	2.	29.	eiuſdem	iiſdem
567.	1.	34.	intercidltur	Interdicitur
567.	2.	33.	denigrati	denegari
570.	2.	26.	ſeus	ſecus
573.	1.	2.	Abbatiſas	Abbatum
581.	2.	43.	tollore	tollere
584.	2.	39.	to. 1.	n. 1.
612.	2.	15.	Et fit	Et ſi
614.	2.	22.	edem	eodem
614.	1.	24.	Epiſcopos	Ep ſ opis
614.	2.	29.	Diocefim	Diœceſi
614.	2.	44.	quoquoque	quoque
615.	2.	50.	Poaditorem	Coadiutorem
616.	2.	7.	iuitandi	vitandi
616.	2.	18.	ſcandaliſabitur	ſcandalizabitur
633.	2.	10.	præcimus	Præcipimus
636.	1.	1.	Abbati	Abbatis
637.	2.	33.	collectam	collectan
639.	1.	4.	ſimli	ſimili
649.	2.	52.	præcruptibilis	præſcriptibilis